8061

THEOLOGIA MARIANA



La presente opera è posta sotto la tutela delle Leggi in vigore per la proprietà delle note e della parte rimodernata—Si vende anche in casa del Sac. Giuseppe Pelella—Strett. di Porto n°21, 2°p.°—Napoli.

THEOLOGIA MARIANA

SIVE

CERTAMINA LITTERARIA

DE B. V. DEI GENITRICE MARIA

QUAE TAM APUD THEOLOGOS SCHOLASTICOS, QUAM APUD SACRORUM VOLUMINUM INTERPRETES EXAGITARI SOLENT

Opus divini verbi praeconibus perutile

AUCTORE

CHRISTOPHORO DE VEGA, S. J.

Societatis Jesu

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA

Adnotationibus ab editore aucta

(II) 3

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
LIBRARY
ALMA COLLEGE
Alma, California
SAN JOSE

TOMUS SECUNDUS

ALMA COLLEGE
233.8
LIBRARY
V 521
Alma, California

NEAPOLI MDCCCLXVI

EX BIBLIOPOLA BIBLIOTHECAE CATHOLICAE

SUB TITULO IMMACULATAE CONCEPTIONIS

Via dicta: Piazza dei Gerolomini, n.° 115.

188

EX TYPOGRAPHEO PHIBRENIANO

THEOLOGIA MARIANA

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, California

PALAESTRA DECIMASEXTA

De gratia habituali B. Virginis.

1144. Quantus sit gratiae Marianae cumulus, ex his capitibus depromi potest, nempe ex gratia intensissima, vel immensa ipsi collata Virgini in instanti sui conceptus, debita sine dubio dignitati maternitatis Dei. Secundo, ex dispositione ipsiusmet Virginis in illo instanti, quo se disposuit ad gratiam. Tertio, ex multiplici collata gratia ipsi ex opere operato. Quarto, ex continuo merito per actus virtutum ex pluribus motivis et finibus bonis elicitos sine ulla interruptione per spatium duorum supra septuaginta annorum, ut probabiliter fert opinio. Quinto, ex conatu et efficacia omnium suarum virium, quibus eliciebat eiusmodi actus secundum totam sphaeram activitatis. Sexto, quia ut melior habet Theologia, quoties quis operatur omni conatu secundum totam activitatem habituum, duplicat omnem gratiam antecedentem. Ex his et aliis capitibus Marianae gratiae cumulus cruendus, ut decursu totius huius Palaestrae videbimus.

CERTAMEN PRIMUM

Marianae gratiae cumulum examinat.

1145. Opus est viam praemunire prius aliquibus praemissis, quae multum ad exactiorem huius disputationis cognitionem iuvabunt. Primo igitur animadvertendum est, Virginem Deiparam nullum habuisse actum indeliberatum, nullum indifferentem, de quo Suarius, tom. 2 in 3 p., dist. 18, s. 4, et nos infra, Deo duce, id ostendemus. Singuli igitur actus in B. Virgine immediate vel mediate liberi, singuli honesti et meritorii fuerunt. Adaugebat ergo meritum Maria actibus virtutum infusarum per se, et omnium etiam virtutum moralium per accidens infusarum. Nec meritum aliquando interrupit etiam dum somno vacaret, neque unquam ab exercitio libero virtutum cessavit. Demum pro singulis actibus exercebat omnem virtutem, et activitatem suarum potentiarum et habituum, Deo exhibente concursum causae primae ad exigentiam intensionis habituum. De quo Spinellus de B. Virgine, c. 6, n. 7. Neque hic sermonem atteximus de gratia ex opere operato accepta, quae perfectissimas dispositiones in B. Virgine praemittebat; vel etiam de ea gratia, quae consequebatur susceptionem sacramentorum, vel aliis temporibus conferebatur, ut Incarnationis tempore; de quibus Palaestrae decursu nobis sermo instituendus est.

Deinde tanquam certum supponendum est, B. Virginem in instanti Incarnationis maiorem recepisse gratiam extensive et intensive, quam supremus Angelus, vel Apostolus, vel Elias et Enoch in termino viae consecuti sunt, vel consecuturi sunt sub finem mundi, si modo merentur. Quam doctrinam ita esse veram aliqui affirmant, ut sine temeritate et impietate et scandalo negari non possit. Quia ex consensu Patrum et Scholasticorum nulla creatura rationalis, aut unquam fuit, aut erit, cui seorsim tanta gratia ex meritis manantibus a supernaturali auxilio deberetur, aut conferretur, sicuti Dei Genitrici in momento Incarnationis: id ita expressit s. Cyprianus, de singular. Cler.; s. Damascenus, ser. 3 de nativ. et in ser. de assump. Virg.; Epiphanius, de laudib. Virginis; Bonaventura, in specul. c. 5; Bernardinus Senensis alibi a me productus. Unus Caietanus negavit in Maria viatrice tantam gratiam, quanta extiterit in Angelo Beato; sed tuto negari non potest, in Incarnatione B. Virgini longe excellentiorem gratiam collatam fuisse, quam cuilibet Angelo in via.

Insuper praemittimus a centro terrae usque ad concavum coeli stellati oppletum esse medium undique arenulis minutissimis instar grani sinapis, de qua re videndus Clavius supra Archimedem ad Gelonicum Siciliae regem in lib. de numero arenarum: et in unoquoque grano sinapis decem mille arenulae concederentur; et in qualibet arena unum creari Angelum, aut supremum iustum cum gratia habituali omni, quam in termino viae fuerit consecutus, vel quam consequetur Elias in termino viae, etiamsi post raptum in paradisum singulis momentis continue mereretur, iuxta Doctores asserentes Eliam et Enoch adhuc esse viatores. Ad nostrum autem intentum nihil interest, quod gradus gratiae sint heterogenei, vel homogenei, quidquid dicat Vasquius, in 3 p., disp. 119, n. 80. Quamvis enim gradus sint heterogenei, omnes subiiciuntur supputationi arithmeticae. Exempli gratia: habeat Gabriel Angelus centum milliones graduum gratiae dissimiles, et heterogeneos, et s. Michael ducentos milliones: hic habet duplo plures, ex quibus sit sanctior, et centum milliones erunt essentialiter, aut individualiter perfectiores cum subordinatione inter se. Supponimus ergo omnes gradus gratiae, qui sunt et fuerunt in Angelis prae-

destinatis et in reprobis, quamdiu iusti fuerunt, in unum cumulum colligi. De his inquiri potest, an sint pauciores, quam in Maria, de quo tamen instituendus specialis Congressus in hac Palaestra. Interim videndi sunt Valentia, tom. 4, disp. 2, q. 1, p. 5; Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sec. 4; Mendoza, tom. 2 in 1 Regum, c. 4, n. 11, Annotat. 11, sect. 2.

1146. Denique tanquam compertum statuimus, Deiparam singulis annis aliquos elicuisse actus amoris Dei ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex totis viribus suis naturalibus, et supernaturalibus secundum omnem activitatis sphaeram potentiarum, auxilii ac motionis divinae, et etiam habituum supernaturalium. Quod a nemine negari potest sine temeritate et scandalo, et suadetur quia c. 6 Deuteron. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua;* quod repetit Christus Dominus, Mat. cap. 22, Marc. 12, Luc. 10. Quis autem negare audeat sine impietate, Deiparam Virginem non implevisse perfectissime illa verba, non solum decies in anno, sed plusquam millies, cum id aliquibus concessum sit, ut non raro secundum totam sphaeram activitatis potentiarum, et habituum et auxiliorum, interdum operarentur: praesertim cum in B. Virgine abesset fomes ad malum, et inesset fomes ad virtutes omnes eliciendas, ut supra late monuimus. Nec habitus in ea virtutum tam naturales, quam supernaturales essent otiosi secundum omnem activitatem, quam exerere poterant; neque affectibus distrahentibus concuteretur; imo instrueretur cognitione perfectissima ad omne obiectum honeste amabile, et auxiliis a Deo maximis praemuniretur. At communior est Theologorum sententia, quando quis Deum amat totis viribus secundum totam activitatem potentiarum, et habituum supernaturalium perfectissimo modo, quo potest, duplicare omnem gratiam antecedentem: ita Suarius, tom. 2 in 3 part., dist. 18, sec. 4. Verbi gratia, actus centesimus dilectionis Mariae tantum valeret, quantum nonaginta novem antecedentes simul sumpti. Et ratio est, quia Deipara eliciebat actus iuxta virtutem motionis divinae, et habituum, unde esse debebant aequalis vel maioris intensionis, quam habitus. Imo multo verior est opinio, quae adstruit gratiam augeri per quodcunque bonum opus in gratia factum; ut siquis habeat gratiam ut octo, et faciat opus bonum ut quatuor, augetur gratia usque ad duodecimum gradum, contraria siquidem opinio multum derogat operibus meritoriis remissis; inde enim sequeretur, si Petrus haberet gratiam ut decem, ego vero ut sex, uterque autem efficeremus opus meritorium ut septem, Petro nullum tunc addi gratiae augmentum, bene vero mihi, atque adeo illum peioris esse conditionis, quia sanctior est, quam ego. Itaque Maria actibus supernaturalibus charitatis elicitis secundum totam sphaeram activitatis potentiarum, habituum supernaturalium, et auxiliorum divinorum, duplicavit omnem intensionem habituum et meritorum praecedentium; quia cum non desit omnimoda applicatio agentis et passi, totam virtutem, quam habet in se, exercebit, ac proinde tantum addetur habitus, quantum praeexistebat, sive id fiat, ut volunt aliqui, physice producendo; sive, ut alii verius asserunt, meritorie tantum. Tunc ergo actus supernaturalis charitatis tantum augebit in ratione meriti, quantum augeret in ratione virtutis, si physice habitum produceret: Deus enim in rebus meritoriis accommodat se modo operandi physico, ita ut non minus tribuat ob exigentiam meritoriam, quam ad exigentiam physicam.

Si vero opponas cum pluribus Philosophis apud Petrum Hurtado in Physica, disp. 9, sect. 6, agens videlicet creatum non producere tantum intensionis in passo, quantum agens habet in se, sin minus parva lucerna totum orbem collustraret; nam si in parte vicina tantam lucis intensionem producit, quantam habet in se, deinde illa in aliam partem vicinam, et sic sine termino aequalis lucis intensio produceretur: ne ergo in hoc absurdum incidamus, dicendum erit B. Virginem medio actu charitatis non solum physice, sed nec meritorie potuisse duplicare intensionem, quam antea habebat. Sed quidquid sit de agente creato non elevato divinitus; at in his, quae divinitus elevantur, nullam vim habet ratio facta: cum enim singulae partes intensionis habitus supernaturalis praeexistentis aeque sint operativae, cur non poterunt in passo approximato producere totam intensionem, praecipue cum Deipara novas vires acquireret per extrinsecum auxilium ad producendum actum intensiorem praeexistente?

1147. His praeiactis, quae a Theologis communiter admitti solent, probatur, Virginem Deiparam solum ducentis actibus charitatis elicitis ab Incarnatione Domini usque ad finem vitae secundum totam virtutem et activitatem potentiarum, habituum et auxiliorum, maiorem gratiam, et meritorum cumulum habuisse, quam essent in 1,596,938,044 mundis aequalibus nostro repletis granis sinapis, quorum quodlibet granum contineret decem mille arenulas, et quaelibet arenula unum Angelum, aut Apostolum cum tanta gratia ac meritorum multitudine, quantam de facto habuit supremus Angelus in termino viae, id est unius Mariae Virginis gratiam, et merita excessisse millies millies millies quingentis nonagesies sexies millies millies nongenties, trigesies octies millies, et quadragesies quater mundos, habentes in singulis arenulis praedictis tantam gratiam et merita, quanta de facto habuerunt, vel supremus Angelus, vel iustus. Quae omnia per demonstrationem arithmeticam colligit P. Claudius Richardus Societatis Iesu, in tom. in lucem edendo, ubi arithmetice et geometrice demonstrat Virginem Deiparam plures gratiae gradus promeruisse quinquaginta primis vitae suae horis, exhibendo cuilibet quadranti illarum singulos actus ferventissimos secundum totam latitudinem et activitatem potentiarum, habituum et auxiliorum; id est ducentos actus meritorios in pro-

portione dupli geometrica, ab unitate inchoando Mariae gratiam ab uno minimo gradu, quam omnes gratiae et universa merita salvandorum, licet horum omnium numerus par esset numero arenarum complentium omnem concavitatem universi a centro terrae usque ad ultimam superficiem altiorem coeli stellati: etiamsi singuli salvandi decem milliones graduum gratiae promeruissent; Deipara vero unicum solum gradum nancisceretur in prima sui sanctificatione.

Nunc sic demonstratio Claudii cit. vim tenet incipiendo a Conceptione B. Virginis, illique tribuendo unicum gradum minimum gratiae, a quo incipiat proportio dupla geometrica usque ad actum ducentesimum, ita ut sit multo minor in initio gratia Deiparae, quam cuiuslibet: nostra vero supputatio inchoatur ab instanti Incarnationis, quo tempore habuit Deipara gratiam intensiorem gratia consummata in termino viae supremi Angeli, vel iusti, ut supra praemisi; ergo evidenter infertur Deiparam in ducentesimo actu duplicativo omnis antecedentis gratiae, et multitudinis meritorum habuisse collective multo maiorem gratiam, quam tot illi milliones millionum mundorum huic aequalium, qui pleni essent granis sinapis, in quorum singulis granis essent decem mille arenulae, et quaelibet arenula contineret totam gratiam et meritorum cumulum, quem supremus Angelus, vel iustus in termino viae. Plures ergo multo sine ulla comparatione milliones millionum gratiae, et meritorum infert haec demonstratio evidens in ducentesimo actu Beatae Virginis post Incarnationem habente proportionem dupli geometricam, quam demonstratio Claudii Richardi in ducentesimo actu post conceptionem eiusdem B. Virginis.

1148. Plura qui volet de cumulo gratiae Marianae ac meritorum eius in fine vitae, adeat praefatum Claudium, ubi plures propositiones evidentes per demonstrationem colligit, quae maximum meritorum cumulum Deiparae efferunt et extollunt. Concludit autem, quod si praedicta merita B. Virginis numeris arithmeticis exarentur, opus esset duodecim millionibus octingentis triginta sex millibus, tum centum ac triginta septem papyri fascibus seu scapis; ad quam papyri quantitatem adsportandam, opus esset mulis validioribus 320,903, quamvis unusquisque mulus onus quatercentum librarum ferret. Quod, inquit, verum esset, licet Deipara solummodo augmentum gratiae promeruisset per singulos horae quadrantes, et in primo quadranti solum unicum habuisset gratiae gradum; promeruisset tamen proportione et progressione dupli per spatium 72 annorum, quos iuxta veriorem sententiam vixit B. Virgo; uniuscuiusque anni quadrantes horarii essent 35,040, qui si multiplicentur per annos 72, universi quadrantes vitae Marianae, et actus illis respondentes erunt 2,522,880. Quid, quod Deipara nunquam meritum interrupit, ut alibi ostendo? Unde non solum unico quadrante horario unum actum meritorium exercuit, sed plurimos, nec solum unius virtutis, sed plurium: et non solum unico gradu gratiae in instanti conceptionis fuit exornata, sed magno sine dubio gratiae cumulo, ne dicam immenso: nec solum gratia illi conferebatur, et intendebatur ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ut ostendemus. Quis ergo Marianae gratiae, meritorumque cumulum supputare poterit? Profecto solus ille, qui dignitatem tantae Matris noverit, nempe unus Deus. De quo videndus Hadrianus Lyraeus in Trisagio Mariano, lib. 2, modo 45; Iulius Caesar Recupitus, lib. 3, qu. 9; uterque de ordine nostro.

1149. Huc flecti potest titulus ille, quo Andreas Cretensis, orat. 2 de Assumpt., B. Virginem compellat; nempe exultationem olei unctionis. Est igitur gratia divina oleum unctionis, iuxta s. Athanasium, orat. 2 contra Arianos. In hoc ergo sensu dicitur Deipara, exultatio olei unctionis, per prosopopaeiam, qua rebus inanimatis attribuitur, quod proprium est animalium, ac si diceret: gratia, antequam Maria in lucem ederetur, quasi exilis et marcens per hominum socordiam erat; edita autem in lucem, gaudio exiliit, ac si capax esset exultationis; quia ad vivacitatem actuosam naturae suae rediit, quia absolutissima ac perfectissima fuit in B. Virgine, et instructa ac praemunita omnium virtutum infusarum satellitio, ac subsidiis caelestibus roborata. Cum autem ex B. Virgine indatur hominibus spiritus ardoris flagrantissimus ac ferventissimus, excussa ex pectoribus glacie omni frigidissima in re virtutis; ideo gratia, quae antea dici poterat moerere ea ratione, qua Paulus omnem creaturam usque adhuc ingemiscere dixit, quia non usurpatur in eum finem, in quem a Deo condita est, per Mariam quasi gestire gaudio dicitur. Praeterea unctionis oleum sumitur a s. Ambrosio, lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 8, pro ipso Spiritu sancto; satis autem inclaret, valde exhilaratum fuisse Spiritum sanctum per B. Virginem, primo quia ex sanctissima vivendi ratione gaudium accrescit Spiritui sancto: tum quia per B. Virginem permulti ad veram vitam revocandi erant, et non modo Angelis in coelo, sed Deo etiam exultatio est: tum praecipue in B. Virgine exultavit Spiritus sanctus, quia appetitum se infinite communicandi, quodammodo in B. Virgine adimplevit, sat melius quam in reliquis omnibus creaturis simul sumptis.

Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus: una est columba mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt: reginae, et concubinae, et laudaverunt eam. Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens....? inquiebat Sponsus Cant. 6, v. 7-9. Per iuvenculas et concubinas, viatores quique intelliguntur; per reginas, a Deo corona redimiti in coelis sive homines, sive Angeli iam beatitudine donati: unica inter omnes, ac singularis B. Virgo laudibus evehitur, etiam ab Angelis, modo aurora, modo luna ac sol dicitur esse; nam sic-

ut in ortu aurorae, ac splendente luna orbe pleno, vel exoriente sole, pallet reliquorum syderum decus, emoritur astrorum lux, omniumque stellarum iubar tumulatur: ita in ortu huius aurorae Mariae, quae ut luna pulcrescit, ac ut sol emicat his gratiae radiis, qui omnium Angelorum et hominum, etiam Eliae et Enoch, licet permittamus illos iugi meritorum cumulo gratiam adaucturos usque in ultimum iudicii diem, in unum redactam gratiam longe devincunt. Praeterea cum a Deo uberrimis auxiliis, et ad bonum stimularetur, cooperabatur illis secundum omnem auxiliorum, habituumque intensionem, ac potentiarum vires; ac proinde quovis novo actu gratiam ipsi inhaerentem duplicabat, iuxta illorum sententiam, qui qualitatis intensionem ex gradibus homogeneis constituunt; at si ex heterogeneis illam componamus, duplicabat gratiam per auctarium gradus quoad individuum, vel quoad speciem incompletam distincti, et nobilioris reliquis simul sumptis. Ex quorum actuum supputatione a quibus ab instanti sui conceptus nusquam cessavit, nec somno dedita, perspecta gratiae magnitudine in suo conceptu infusae; si deinde superaddantur frequentia gratiae augmenta ipsi exhibita ex opere operato, vel ex susceptione Sacramentorum, vel aliis temporibus erogata, planum fiet quod a nobis assertum est.

Quod autem aliqui arguunt: si Enoch et Elias suis operibus gratiam adhuc in dies adaugent, ergo omnium Sanctorum gratiam facile superabunt per merita facta per tot annorum myriades: hoc, inquam, non urget, Deus enim haec omnia praevidit, ac proinde gratiam Enoch et Eliae ita praefinivisse, ut gratiam Apostolorum non aequarent: iuxta haec, fraenanda est aliquorum audacia non verentium aliquos sanctos Apostolis gratia et meritis coaequare, imo et praeferre. Mereri adhuc Eliam et Enoch augmentum gratiae et gloriae, adstruunt Abulensis in IV Regum 2, q. 24; Henriquez de ultimo fine cap. 23; Ludovicus Tena in c. 11 epist. ad Hebr., diffic. 4, sect. 3, n. 17; Viegas in Apoc. c. 11, comm. 5, sect. 4, et plures ex Carmelitana familia. Oppositum sustinent Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 55, sect. 1; Vasquius, 1 2, disp. 116, c. ult.; Zumel. l. 2, q. 114, art. 1, disp. 1, diffic. 2; Meracius, tract. de gratia, disp. 14, sect. 3. Utrumque tanquam probabile tradunt Pereira, tom. 1 in Gen., c. 7 de Enoch., q. 5; Ludovicus de Torres, opusc. 8, dub. 7; Montesinus, tom. 2 in 1 2, disp. 35, n. 83; Ripalda de ente supernaturali, tom. 2, disp. 77, sect. 5.

Prima sententia ex eo probari potest, quia status viae ex natura rei non requiritur ad meritum vitae aeternae, ut docet Ripalda citat. cum aliis, sect. 2. Sicut ergo Angelis definitum fuit tempus merendi, potuit etiam animabus separatis merendi tempus prorogari. Si vero dixeris Eliam et Enoch iam esse constitutos extra agonem et pugnam, quae multum conducit ad augendum meritum: contra tamen est, nam Angeli in coelis, Adamus in paradiso idonei erant ad meritum, cum tamen neque agoni, neque pugnae subiicerentur. Arbitror tamen incertum omnino esse, an Elias et Enoch modo suis operibus aliquid promereantur gratiae et gloriae; id enim totum dependet ex voluntate divina, quae nobis ex Scriptura non constat. Solum ergo est probabilis haec pars ab extrinseco: et quidem incredibile visum est, viros sanctissimos per tot annos sine merito ullo vitam transigere extra Beatitudinis patriam, quin meritorum foenore tanta patriae dilatio, tantumque exilium compensetur. Sed occultissima Dei consilia quis vestigare possit? Nonne Patres sanctissimi in Limbo per plures annos sine merito ullo gratiae, aut gloriae, patriae exules detinebantur? Ergo potuit Deus propter occulta et sapientissima ipsius iudicia idem praestare de Enoch et Elia.

CERTAMEN II.

Mariana gratia Angelorum et hominum gratiam simul sumptam superabat.

1150. Quod gratia Mariana utriusque creaturae, nempe angelicae et humanae, gratiam superaverit, saltem in termino viae ipsius Deiparae, recentiores Theologi ambabus ulnis amplexantur; eamque tuentur Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 4, § *secundo principaliter;* Cornelius a Lapide in Prov. cap. 31, vers. 29; Sherlogus tom. 3 in cant., vestigat. 32, n. 48; Henriquez, lib. de ult. fine hominis, cap. 10, n. 7; Ludovicus de Torres in select. disp., par. 1, d. 14, dub. 11; Petrus de Morales in cap. 1 Matt., lib. 2, tract. 9, n. 18, et alii plures, ut in decursu Congressus ostendemus. Unus Alphonsus Tostatus in prologo Evangeliorum, q. 19, sententiam negantem assectatus est; ait enim: *Fuit maximus ille amor Christi erga Ecclesiam incomparabiliter maior, quam amor, quem habuit ad Matrem suam; nam illa fuit quaedam pars Ecclesiae, et redempta est sicut unus de Ecclesia,* etc. *Item Ecclesia sola est quae est melior omni re creata, quae sit pura creatura; nam nullus Sanctus est tantae perfectionis et reputationis apud Deum, sicut Ecclesia universalis, licet Domina nostra possit vocari Mater Ecclesiae peregrinantis, nec ipsa habet privilegia, quae habet, nisi per Ecclesiam, quia ipsa non fuit ad tantam excellentiam assumpta, nisi ut esset Mater Dei: non fuisset autem Mater Christi, nisi propter nos, quia Christus non assumpsit carnem, nisi ut Ecclesiam redimeret; ideo propter Ecclesiam Domina nostra est; solus autem Christus est maior homo Ecclesia universali, qui est caput eius et Dominus, et sponsus.* Haec autem sententia Abulensis, quod scilicet gratia Virginis Deiparae non superet gratiam omnium Angelorum et hominum in unum acervum congestam, suaderi potest, primo quia sanctorum Angelorum multitudo pene innumerabilis existit, quibus si addatur praedestinatorum hominum pene infinitam gratiam constituent, qui ergo poterit haec gratia ex omnibus Angelis, et hominibus coalita ab unius Deiparae gratia excedi? Secundo quia iuxta Patres, sola Chri-

sti gratia superat omnium Angelorum, et hominum gratias in unum redactas. Denique huc revocari potest illud philosophicum axioma: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis;* sed Virgo Beata fuit dilecta, et gratiam nacta propter Ecclesiam, ut scilicet Ecclesia redimeretur; ergo tota Ecclesia magis est dilecta Deo, maioremque gratiae portionem nacta, quam una Virgo Deipara.

Verior est opposita sententia docens, B. Virginis gratiam omnium Sanctorum, Angelorum et hominum gratiae portiones in unum acervum congregatas longe superare; et quidem fatemur Marianam gratiam longe inferiorem esse gratia Christi Domini. Verum addimus illud Dionysii Carthus., de praeconio Virginis lib. 1, art. 8: *Palam est,* inquit, *Christum sine mensura omnis gratiae plenitudinem sortitam; huic plenitudini, gratiaeque infinitae Maria vehementer appropinquat.* Deinde gratia Sanctorum omnium non excedit gratiam famulorum; sed gratia Mariae est reginae ac matris; ergo rationi aequissimum erat, ut Filius plus gratiae impertiretur uni Matri, quam omnibus famulis simul sumptis. Tertio reginae coelorum, et Matris Dei dignitas longe excelsior est omnium Sanctorum, sive hominum, sive Angelorum dignitatibus, licet in unum adunentur; ergo similiter gratia tantae dignitati debita, excelsior ac maior erit omnibus gratiae portionibus Angelorum et hominum simul sumptis. Quarto, Virgo Deipara seorsim sumpta chorum longe superiorem reliquis in coelo constituit; ergo maiorem gratiam ac gloriam sortietur, quam reliqui simul omnes chori inferiores: quemadmodum coelum supremum omnium inferiorum orbium magnitudinem non modo exaequat, sed superat, ita chori Angelorum superiores omnium inferiorum gratiam ac gloriam excellunt; ergo eadem ratione supremus B. Virginis chorus caeterorum omnium gratiam ac gloriam superabit.

Cui placito subsidiantur plurimi ex Patribus. D. Damascenus, orat. 1 de dormitione Virginis: *Dei Matris,* ait, *et servorum Dei infinitum est discrimen.* S. Bernardus in *Signum magnum: Maria,* inquit, *profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immensa.* Hieronymus, sive Sophronius ser. de Assumpt.: *Caeteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae.* Anselmus: *Decens erat ut Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Quae verba trutinans Dionysius Carthusianus, lib. 1 de laudibus Virginis, art. 14, sic ait: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta Dei potentia, nedum Virgini, sed aliis quoque praestare possit, sed nec decet, nec utique fiet.* Subditque: *Sanctitate Mariae maior sub creata Filii eius sanctitate intelligi, esseque nequit; tum quia neque in praesenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet, et quam in terris adepta est: Incomprehensibilis enim, ut ait Ambrosius incomprehensibiliter operabatur in Matre; tum quia Mariae sanctitas quodammodo infinita est.* Haec Dionysius cit. S. Basilius Seleucus in orat. de Annunc.: *Virgo universos Martyres suo splendore tantum excedit, quantum Sol reliqua astra.* S. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, art. 3, cap. 3: *Posuit,* inquit, *diadema regni super caput eius, et voluit eam esse reginam* (Esther 1 cap.). *Istud est diadema speciei, et corona gloriae, qua Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus Beatissimae Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat et fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post Filium participant universi.*

1151. Ad Abulensem, eiusque argumenta ex dictis responderi potest; itaque unius Deiparae gratia ideo vocatur immensa a Patribus, quia omnium Angelorum et hominum ea una gratiarum multitudinem superat; itaque non solum Christus, sed etiam eius Genitrix Sanctorum omnium gratias in unum congestas superat.

Ad tertium, argumentum falsum assumere, nempe B. Virginem esse dilectam a Deo propter Ecclesiam magis dilectam, ita ut ex amore Ecclesiae magis dilectae amor in B. Virginem promanaverit: sed cum plusquam tota Ecclesia a Deo diligeretur, ut alibi ostendo, electa fuit a Deo ut conciperet et pareret Deum-hominem, sicque remedium universae Ecclesiae afferret: eadem ratione Christus Dominus non est propter Ecclesiam dilectus a Deo; cum tamen nisi Ecclesia redemptore non indiguisset, iuxta plurium Theologorum sententiam, Verbum divinum humanam naturam sibi non assumpsisset. Nec obstat quod B. Virgo pars sit Ecclesiae, sed quae totam Ecclesiam reliquam praecellenti gratia devincat. Sic coelum supremum pars est orbis, sed quae reliquas omnes partes ambitu suo cohibeat et superet. Nec sicut quispiam alius redempta fuit Virgo Maria, ut ait Abulensis, quia Christi redemptio plus efficacitatis in unam Virginem contulit, quam in reliquos omnes sanctos simul sumptos, quod optime declarat Dionysius Carthusianus ad illa verba Cant. 4: *Vulnerasti cor meum, soror mea.* Ubi haec habet: *Quanto quis ad maiorem beatitudinem est electus, tanto amplius videtur Christus pro ipso passus: cum ita ad excellentissimam gloriam Virgo electa sit, nonne pro ipsa specialissime crucifixus est Filius eius?* Concinit s. Bernardinus, tom. 2, serm. 51, art. 3, cap. 3: *Plus,* ait, *pro Virgine redimenda venit Christus, quam pro omni alia creatura.* Huic sententiae subscribit Valentia, tom. 4, disp. 2, q. 1, p. 5.

Iuvat tertiam illam rationem pro nostra sententia stabilienda novitus firmare: nempe quia dignitas matris Dei, Angelorum simul atque hominum dignitates, licet in unum coeant, honore et excellentia antecellit. Sed gratia Deiparae respondet dignitati illius; ergo gratia B. Virginis superat omnium et Angelorum et hominum gratias, licet in unum cogerentur. Maior est per se nota. Minor est D. Thomae, 3 p., q. 7, art. 10, asserentis: *In Matre Dei fuit gratia tali*

dignitati proportionata. Et D. Augustinus, lib. de natura et gratia: *Inde,* ait, *novimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit.* D. Bonaventura, in speculo cap. 5: *Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente! et si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem ut illa gratia, quae tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.*

Hanc tamen rationem labefactare conatur Salazar, tom. 2 in Prov. cap. 31, num. 190, vocatque illam infirmam et invalidam: primo, quia dignitas Matris Dei dicitur infinita solum *secundum quid*, sicut visio Dei, *simpliciter* autem finita est, atque adeo gratia illi respondens suos quoque terminos habet; ergo gratia infinita superat gratiam Marianam. Secundo arguit: illa collatio inter dignitatem Matris Dei, et Angelorum ac hominum dignitates, non est ad rem; quia fit collatio inter species, non vero inter individua, quae speciebus addita nullam perfectionem adaugent. Unde si Angeli essent infiniti, collatio eodem modo facta eadem ratione extolleret dignitatem Matris Dei, atque eodem modo probaret, illam omnes Angelorum excellentias simul sumptas superare; sed tunc in Angelis infinitis infinita gratia reperiretur, quae tamen B. Virgini non est concedenda; ergo ratio illa infirma est, et invalida.

Sed, mea quidem sententia, ratio illa robustissima est et potissima ad probandam B. Virginis inter Apostolos et homines simul coniunctos excellentiam; eadem enim ratione, proportione servata, dici solet de humanitatis Christi Domini dignitate et excellentia; quamvis enim unio hypostatica infinita sit *secundum quid*, *simpliciter* tamen finita est, quis autem inficiari audeat superexcellere dignitate omnes Angelos, et homines etiam possibiles et infinitos, et gratia eorum infinita esset, quia gratia unionis esset altioris ordinis, et vinceret, licet finita, gratiam infinitam omnium Angelorum et hominum in unum coeuntem? Ad eum modum cum proportione, gratia, maternitati Dei debita, est gratia altioris ordinis. Per quae ruunt fundamenta Salazarii; imo quidquid ipse obiicit contra praedictam rationem, retorqueri potest in rationem illam, quam ipse multis stabilit, ac roborat num. 191, ut erit consideranti perspicuum.

Praeterea ex sanctitate Maternitatis Dei, a nobis alibi asserta, deducitur, sanctitatem B. Virginis esse longe superiorem sanctitate gratiae habitualis qualibet intensione praedita; quia dignitas Maternitatis Dei est pene infinita, solo Deo minor, omnium creaturarum suprema; ergo et sanctitas habitualis, quae ipsi competit, erit omnium creatarum maxima, sola Dei sanctitate minor, quia sanctitati Maternitatis Dei tanquam proprietas advenit immunitas ab omni peccato etiam veniali propter indecentiam moralem; quare ipsi attribuitur moralis impeccabilitas: hae autem proprietates non resultant ex gratia habituali quantumvis intensa; ergo longe maior est sanctitas B. Virginis habitualis, qua Mater Dei est, quam sanctitas habitualis omnium Angelorum et hominum, cuiuscunque sit intensionis.

1152. Eandem nostram thesim multis propugnat Salazarius. Mihi arridet illa ratio desumpta ex officio Mediatricis, quo Patres asserunt fungi Deiparam apud Deum. Si enim Deipara est mediatrix inter Deum et homines, ut pluribus ostendam infra, tum per Deiparam, et propter ipsam Deo placent quotquot hucusque Deo placuerunt: atqui munus mediatricis hoc exposcit, ut plus sola placeat quam omnes simul pro quibus mediatricis officio fungitur; ergo una Deipara ex titulo mediatricis plus grata est Deo, quam omnes simul, et ex consequenti plus gratiae et meriti in ea reperitur, quam in omni creatura angelica et humana. Maior certa est, et fuse probanda peculiari Palaestra. Minor a paritate probatur: ex eo enim Christus Dominus tanquam mediator plus omnibus placet Deo, et gratior est omnibus, quia omnes per illum placent Deo, ipsique sunt grati: nisi enim omnium meritum et gratiam vinceret, mediatoris munus recte obire non posset, nec de tali munere constaret; ergo etiam ut Virgo Deipara recte mediatricis officio fungeretur, superare utique debuerat omnium creaturarum meritum ac gratiam. Quod luculenter tradit D. Anselmus, de excellent. Virginis cap. 9, dum ait: *Pura sanctitas, et sanctissima puritas piissimi pectoris eius* (nempe Mariae) *omnem omnis creaturae puritatem, sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret,* etc. *Quae tantorum beneficiorum sola prae cunctis effici meruit Mediatrix.* Confirmatur, quia Deipara nihil gratiae a Deo hominibus postulavit, quod ipsa viatrix prius non promeruerit: siquidem merita sua Deo obtulit pro hominibus, gratiam ac reliqua dona coelestia impetratura; Deus similiter illa merita acceptavit; haec enim duo ad Mediatoris munus desiderantur; et Patres id intendunt, cum B. Virginem nostrae salutis Causam ac Reparatricem appellant. Quis autem eat inficias, multo difficilius esse, gratiam aliis promereri, quam sibi? sed merita B. Virginis gratiam omnem, ac omnia dona spiritualia et supernaturalia aliis consecuta sunt; ergo longe maiorem gratiam eidem Virgini compararent. Quae quidem ratio non solum de omnium gratiarum speciebus, sed etiam de partiali singulorum individuorum gratia procedit: siquidem pro certo supponimus ex alibi dictis, Virginem Deiparam non solum dona omnia supernaturalia, sed etiam gratiam omnem in omnibus hominum individuis existentem, gratumque facientem, ipsius Virginis meritis fuisse promeritam; quod optime expendit D. Bonaventura in Speculo, dum ait: *Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim D. Augustinus: Gratia es plena, Maria, quam apud Deum invenisti, et per totum mundum effundere meruisti.* A maiori igitur ad minus arguit s. Doctor, ac si diceret: nihil mirum quod omnem reliquorum omnium gratiam antecellat gratia Mariana, si-

quidem illam aliis impetravit merito suo, quod longe difficilius est, quam gratiam omnium hominum, et Angelorum gratias superantem sibi obtinuisse. Merita ergo B. Virginis, quae sic Deus extulit, ut ad impetrandam aliis gratiam ex titulo Mediatricis acceptaverit, a fortiori ipsa eadem merita maiorem gratiae cumulum omnibus gratiis hominum et Angelorum, si in unam coirent, peperisse ipsi B. Virgini; et Patres suis locutionibus intendunt, et ratio ipsa suadet, et decentia convincit. Haec autem ratio et praecedens non modo suadent excessum in gratia sanctificante Mariae, sed pari modo in fide, spe ac reliquis virtutibus infusis ac donis Spiritus sancti, in quibus omnibus B. Virgo superavit omnium hominum et Angelorum virtutes et dona simul sumpta; siquidem haec omnia suis meritis, aliis impetravit; ergo potiori iure eas virtutes auctiores, et intensiores omnibus virtutibus aliorum simul sumptis, sibi promeruisse fatendum est.

1153. Ulterius roborari potest thesis nostra; quia Virgo Deipara potentior est apud Deum ad impetranda hominibus bona, quam omnes Angeli et homines simul: haec autem maior potentia innititur gratiae Maternitati Dei debitae; ergo maior est gratia unius Mariae, quam Angelorum et hominum simul sumptorum. Quam rationem firmat Richardus Victorinus, in illa verba Cant. 4: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli. His*, ait, *hinnulis, dicta B. Mariae ubera comparantur; quia cum tam Angeli, quam sancti pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis, quam intercessione subveniant, credendum est B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utraque simul creatura, imo utraque potentior iudicatur, quia utraque per hanc reparatur, nam Angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata.* Et D. Bonaventura, in speculo, cap. 6: *Nec dubium est*, ait, *quia quae meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Et licet de hominibus solum loquatur, ratio de utrisque aeque probat. Suffragatur Petrus Damianus in serm. de Assumpt.: *Similiter et virga Iesse veri praevia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere, sicut Sol ita sibi syderum et lunae rumpit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint.* Loquitur sanctus Doctor de gloria B. Virginis, quae cum respondeat meritis ac gratiae, de hac, eadem prorsus ratione loquendum est. Quod luculentius tradidit paulo ante: *Considera quam stellaris et serena obumbratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet: sic et Virgo inter animas Sanctorum, et inter Angelos evecta, merita singulorum, et omnium titulos antecedit. Quamvis enim*, subdit idem, *stellae reluceant, luna tamen, et magnitudine praeeminet, et splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis superat, et immensitate gratiae, et fulgore virtutum.* Ubi expendas velim illa verba: *Singulorum, et omnium titulos antecedit;* quibus purpuratus Pater aperte nostrae primae rationi adstipulatur.

Dices haec locum non habere in sententia negante B. Virginem Angelis gratiam et gloriam impetrasse? Respondeo adhuc in ea sententia vim habere maximam, rationem superius factam, quia Deipara instaurationem sedium naturae angelicae, accidentale gaudium, aliaque multa dona, quae Angelis ex beneficio Incarnationis, hominumque redemptione obvenerunt; suis meritis consecuta est. Siquidem B. Virgo per se solam adquisivit et impetravit plura naturae Angelicae, quae nullus Angelorum, nec omnes simul coniuncti suis in unum meritis redactis consequi potuissent; ex quo planum fit, ut omnium gratiam et merita coniuncta longo intervallo antecellat.

Aliam exhibeo rationem, per quam Deiparae sanctitas, tum et gratia habitualis sit maior collectione omnium gratiarum habitualium et hominum et Angelorum coniunctim sumptorum: nempe quia ex maiori dignitate sanctificante personae augetur meritum, ut probant Theologi, de quo consule Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disput. 81; sed dignitas Matris Dei sanctificans, super omnem dignitatem gratiae habitualis etiam intensissimae, evehitur; ergo refundet in opera valorem meritorum, longe superiorem omnibus gratiis Angelorum et hominum coniunctim acceptis.

1154. Denique nostra thesis confirmari potest ex actu, quo Deipara Filium suum pro mundi salute obtulit morti, qui fuit valde meritorius; sicut enim Christi passio pro omnibus satisfecit, ita hic actus Deiparae omnium salutem impetravit. Ad rem Dionysius Rikelius, lib. 2 de laudibus Virg., art. 23, ait: *Dici potest Virgo mundi Salvatrix propter eminentiam, virtuositatem et meritum suae compassionis, quae patienti Filio fidelissime et acerbissime condolendo excellenter promeruit, ut per ipsam, hoc est, per preces eius ac merita, virtus ac meritum passionis Christi hominibus communicetur.* Quod si valor oblationis ex offerente et ex re oblata desumenda est; profecto ex his capitibus infinitus valor et immensus erui potest. Quid ergo mirum, si dicamus B. Virginem tantam obtinuisse gratiam, ut Sanctorum omnium gratias in unum coniunctas superaverit, cum per illum actum omnium salutem promeruerit de congruo, quod maius est, quam eam gratiae plenitudinem sibi comparare, quae reliquorum omnium gratias antecellat? Mariae igitur oblationem in consortium adscivit Pater aeternus, ut idem Filius pro hominum salute ab utroque parente litaretur.

1155. Huius Marianae gratiae reliquorum Sanctorum cumulum superantis typum accipe in manna, omnium ciborum saporem complectente iuxta Ambrosii mentem, Commentariolo in Psalm. 21: *Quin potius*, ait, *ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis et splendida, suavis et virgo, quae veluti caelitus veniens cun-*

ctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Quemadmodum ergo una in esca omnes virtute et sapore continebantur ; si enim quis pisces volebat, pisces sibi edere videbatur, si carnes diversae speciei desiderabantur, gustui manna applaudebat, si poma aliosque arborum fructus, quantumvis exquisitos palatum ambibat, mox manna illorum fructuum sapores referebat. *Et paratum panem,* ait Sap. 16, *de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Hic igitur cibus de coelo delapsus omnia alia alimentorum genera in unum collecta sapore, et gustu exaequabat. Eadem ratione uni Virgini Mariae tantus gratiae cumulus exhibitus fuit, ut omnes Angelos et homines et exaequaverit et superaverit: recte ergo Mariam manna coeleste vocaveris, quia cunctorum praedestinatorum merita in unum coacervata in se agglomerabat, sicut unum manna cunctorum esculentorum sapores universos continebat.

1156. Aliud huius rei symbolum habes apud Sponsum in Cant., ubi de Maria sermo attexitur, et ait: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii.* In quae verba ait Petrus Damianus in sermone de Assumpt.: *Reliquis gratia ac virtutes per partes fuerunt distributae; at Deiparae id omne quod alteris dispersum fuit. Universus, inquit, pulvis pigmentarius in Virginem coniectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, et si caeteris per partes spiritus affluit, Mariae tamen tota plenitudo gratiae supervenit.* In eundem sensum abeunt verba Philippi abbatis, lib. 4 in Cantic. cap. 2: *Quae est ista, apud quam velut spicarum multiplicitas in manipulum se redegit? Imo universitas specierum in eius mortariolo se coegit.* Ubi merita per omnes iustos dispersa in una Maria instar manipuli coadunata reperiri censent hi Patres. Rem concludat s. Thomas a Villanova, Conc. 3 de nativit. B. Virginis: *Unde sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmus dicitur: sic in reformatione mundi in B. Virgine collecta est omnis Ecclesia, et Sanctorum perfectio, unde microcosmus Ecclesiae dici potest.*

In uno hoc candidissimo Mariae vellere, quo de regia Christi humanitatis purpura contexta est, tantum roris coelestis, scilicet gratiae epotatum fuit, quantum in totius areae ambitu, id est in universo electorum populo ; ideo vellus Gedeonis tantum roris hausit, quantum totius areae gleba ebiberat. Dicat ergo Bernardus, ser. de Aquaeductu: *Coelesti rore aream rigaturus totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam.* Ac si diceret: id omne quod Christus Dominus universo hominum generi, et, si placet, Angelorum, promeruit, extra B. Virginem; totum uni Genitrici dilargitus est: id sonant verba illa: *Pretium universum contulit in Mariam.* Quare Christus Dominus non solum pro Maria natus, aut passus, nobis enim natus, nobis datus, ac proinde Christi passio profuit universis; sed unius B. Virginis gratiarum cumulus per Christi merita exhibitus, caeterorum hominum lucra gratiarum non solum exaequavit, sed longe etiam superavit.

1157. Audisti, fontem in Paradisum ascendisse de terra, eamque plenis fluentis irrigantem: deinde in quatuor flumina dissectus, in quatuor mundi plagas diffundebatur. Sic Christus Dominus: *Fons patens domui Israel,* Zachar. 13. Omnis enim gratia totius Ecclesiae militantis ac triumphantis, ab hoc uno fonte promanat; ita tamen ut primum totus fons in paradisum, nempe in B. Virginem, pleno alveo diffundatur, ac toto aquarum impetu, in quam tota se infudit gratiae plenitudo, non primum tempore, sed ordine intentionis et praedestinationis; deinde fons ille gratiarum in quatuor flumina dissectus, quorum unum Angelos foecundavit, non per modum redemptionis; sed ut ait Divus Thomas, per modum illuminantis, gubernantis et imperantis. Christus enim constitutus est etiam caput Angelorum: vel etiam, ut vult Scotus, per modum merentis praedestinationem illorum, gratiam simul et gloriam, ac caetera media in ordine ad illius finis consecutionem; quia in virtute meritorum Christi in peccatum prolapsi non sunt, et malos Angelos superaverunt. Alter fluvius sanctos Limbi patres abluit, quippe virtute meritorum Christi, perruptis inferorum valvis, coelos ingressi sunt. Ut ait Zacharias c. 9: *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, ubi non erat aqua.* Tertium flumen Purgatorias flammas extinxit, si quidem thesaurus meritorum Christi ab Ecclesia per modum suffragii animabus purgatorii applicatus a poenis illis omnino liberantur. Quartum demum fideles omnes pervadit per septem Sacramentorum fontes sese diffundens; sed totus iste Christi fons primum B. Virginis paradisum pleno fluxu inundavit, quia in illam praecipue tota Christi redemptio et merita collimarunt; ideo Primogenita redemptionis nuncupatur: tum quia plus gratiarum omnium, tam iustificantis, quam caeterarum, sola Virgo Deipara nacta est, quam reliquus et Angelorum et hominum in unum coniunctorum cumulus.

CERTAMEN III.

Mariana gratia non solum in termino viae, sed in puncto conceptionis B. Virginis, Angelorum et hominum gratiam in unum congestam superabat.

1158. Citra omnem ambiguitatem firmissime tenendum est illud effatum, nempe Deiparam iuxta dignitatis excellentiam, donorum etiam et gratiarum cumulum assecutam fuisse, nihilque in ipsa desideratum, quod ad absolutum illius dignitatis complementum deposci poterat. Si enim Imperatoria lege illud cavebatur: *Sacrilegii instar esse, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator;* ita habet lex 2, C. de crimin. sacril.; itaque sacrilegii genus censetur in dubium vocare, an ab Imperatore ad aliquod munus evectus, illius dignus habeatur, quia Impe-

rator eo ipso, quod summa in sede constitutus sit, summa etiam ac rectissima ratione omnia moderari censetur, cum tamen vel ignorantia vel deceptione falli, vel pravo aliquo affectu imbui possit: potiori iure id de Deo affirmabimus, in quem nec ignorantia, nec deceptio, nec ullus a veritate deflexus cadere potest; scilicet sacrilegii instar, et quidem maximi esse in dubium revocare, an B. Virgo in Dei Genitricem a summo Deo Imperatore electa, digna extiterit, ut in tantum honoris fastigium eveheretur, ac proinde his gratiis ac donis exornata, quae tantae dignitati proxime disponerent; cum Deus, teste D. Thoma, 3 p., q. 27, art. 4, quos alicui muneri obeundo destinat, illis prius idoneitatem, aptitudinemque exhibet, quo digne ac recte suo fungantur officio. Rem firmat suffragio suo s. Bernardinus, tract. de B. Virgine, serm. 10, art. 2, cap. 1: *Regula*, inquit, *firma est in sacra Theologia, quod quandocunque Deus per gratiam, aliquem eligit ad aliquem statum, omnia bona illi dispenset, quae illi statui necessaria sunt, et illum copiose decorant.* Imo Paulus idipsum fide divina confirmat, II Cor. 3: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Hinc factum, ut deligens Deus septuaginta viros ex senioribus, qui simul cum Moyse reipublicae clavum tenerent, ipsi Moysi statim intimaverit, Numer. 11, 17: *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi.* Quasi soli Moysi, dum solus regimini oneris incumberet, tantum gratiae et auxiliorum subministraverit, quantum ad recte munus illud perficiendum sufficeret, cuius partem ab ipso subtractam, ac illis septuaginta viris communicatam, ut qui cum eo regimen subirent, idem etiam cum eo adminiculum, Deique iuvamen participarent. Cum ergo Deus B. Virginem in Dei Genitricem praeelegisset, qua dignitate nihil maius, nihil eximius in pura creatura concipi potest; ergo opus fuit, ut omnia in eam dona profunderet, quibus apta tantae dignitati obtinendae redderetur, alioquin suae largitatis effusae munificentiam in creatura omnium nobilissima subduxisse, et stagnasse videretur; reclamantibus Patribus, Augustino serm. 14 de tempore, et 10 de natali Domini: *Talis*, inquit, *eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quae tantum haberet meritum, ut Dei Filium in semetipsa susciperet.* Penes dignitatis fastigium, et donorum cumulum nactam fuisse docet Augustinus. S. Bernardus hom. 2 super *Missus est: Talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram.* S. Thomas, 3 part., quaest. 27, art. 4: *Beata Virgo fuit electa divinitus ut Dei Mater esset, et ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit.* Quibus accinit Iurisconsultus leg. 2, ff. de iurisdict. omn. iud. ubi habetur: *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest.* Cum eminentissima ergo Maternitatis Dei dignitate simul gratia, ac dona supernaturalia collata fuere, sine quibus ea digna nullatenus appareret, quaeque multo inferiora existunt si cum Maternitate Dei conferantur.

Quo argumentandi genere arguit, et evincit Paulus ad Rom. c. 8, Deum universas bonitatis suae divitias in nos profudisse. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ex eo ergo, quod Deus proprium Filium Mariae tradidit, ut unus idemque utrique esset communis Filius, una cum illo etiam reliqua omnia elargitum fuisse; nihilque gratiae ac donorum, quorum capax esset Deipara sibi reservavisse censendum est. Ex hoc etiam capite arguit s. Bernardinus infinitum gratiae, caeterorumque donorum cumulum in Mariam profusum fuisse, quia oportuit evehi ad quandam quasi aequalitatem cum Deo, ut Deum pareret, ipsique consubstantialis fieret, ut loquitur s. Leo, epist. 13 ad Pulcheriam: *Consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur et Matri.* Haec autem similitudo, vel quasi cum Deo aequalitas, quia a Maria secundum naturam assequi non poterat, opus fuit ut ad illam, perfectionum omnium atque gratiarum gradibus proveheretur, quarum particeps et capax esse poterat pura creatura. *Quod Deus*, inquit Bernardinus, serm. 61, art. 1, cap. 12, *generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturae intellectus produceret Verbum per omnia sibi aequale: imo impossibile est, quod non generet Deum propter suam foecunditatem, sed quod foemina conciperet, et pareret Deum, est et fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam aequalitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem creatura unquam non experta est.*

1159. Hinc pronum est elicere, Marianam gratiam ac caetera supernaturalia dona infinito pene intervallo antistare gratiae ac donis simul sumptis utriusque naturae angelicae et humanae, etiam in puncto suae conceptionis, quia Maternitatis Dei dignitas, ad quam iam erat praeelecta, infinite superat omnia utriusque naturae individua, nobilitate et praestantia. *Tanta est*, inquit D. Bernardinus, serm. 52, art. 3, cap. 2, *laus, quam Virgini tribuimus, cum dicimus Mater Dei, quod nec in personis creatis, ut Angelis, vel hominibus, nec in personis increatis reperitur haec incogitabilis dignitas, nisi in una persona divina, quae est Patris, et una persona humana, quae est Matris: nulli namque creaturae hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, ut esset pater aut mater Dei.* Eo igitur ipso quod in Dei Genitricem electa fuit, ex innata et intima ratione tantae dignitatis iure quodam, ac naturali consecutione sibi quidquid perfectionis, et excellentiae in pura creatura excogitari potest, vindicet, et adsciscat. *Quia electa est in Matrem, electa est ad dignitatem transcendentem omnem dignitatem ministrorum, et famulorum;* ait idem s. Doctor, serm. 61, art. 2, c. 4. Expende illa verba, *quia est electa in Matrem*: quae a puncto conceptionis eam

gratiam, ac dona tali dignitati respondentia Angelorum omnium, et hominum gratias ac dona superantia B. Virgini iam fuisse collata contendunt.

Ex fine igitur, ad quem Maria a Deo praeelecta fuit, colligit s. Thomas, 3 p., q. 27, art. 5, iam in prima sanctificatione maiorem prae caeteris gratiae plenitudinem obtinuisse; quamvis enim tunc adhuc Christo non esset coniuncta per Maternitatem, divina tamen praedestinatione ad illam ordinem habebat, ad quam opus erat iam ut a primo suae conditionis exordio per gratiae plenitudinem disponeretur. Tum opusc. 8, et in 1, dist. 44, art. 3, ad 3, de dignitate Maternitatis Dei sermonem attexens, longe excedere ait omnes Angelorum et hominum dignitates, non solum quando Mater Dei fuit, et quasi in actu exercito, sed etiam quando futura erat Mater Dei a primo suae conditionis momento, et quasi in actu signato. Quae ratio confirmari potest ex s. Damasceno, orat. 1 de dormit. Deip.: *Prius cum ratione electa fuit ut Mater Dei esset, quam ad tantam gratiam; ergo ea gratiae plenitudo ipsi fuit exhibita, quae Matrem Dei decebat.* Id etiam sonant verba illa s. Laurentii Iustiniani, serm. de nativ. Virg.: *Illam profecto adhuc in matris utero decubantem adamavit Verbum, sibique in Genitricem elegit, utpote superabundanti benedictione praeventam, iamque s. Spiritus magisterio deputatam.* Ubi inter omnes et supra omnes a Deo adamatam fatetur: at maior gratia ex maiori Dei amore in creaturam metienda est: inquit autem D. Bernardus, epist. 174: *In illo instanti conceptionis plus amabatur a Deo, quam caeteri sancti, quia amabatur ut Mater futura:* ergo maior illi gratiae plenitudo fuit infusa in instanti conceptionis, quam Angelis et hominibus simul sumptis. Id etiam innuunt verba s. Damasceni, orat. de nativit. Virg., cum ab ipsa nativitate in Angelis dominatum, et excellentiam auspicatam fuisse B. Virginem, docet: eademque ratione a conceptionis instanti idem dici posset. Pergit s. Doctor, et subdit: *Hodie clarissimus Dei Mons paritur, Mons, inquam, ille, qui collem omnem ac montem, id est Angelorum et hominum sublimitatem, exsuperat.* Si vero a nativitate exsuperabat Angelorum et hominum gratiam, cur non a conceptione? tunc enim iam ad Matris dignitatem erat praeelecta; decebat ergo iam tunc ut gratior omnibus existeret.

1160. Itaque collata fuit Virgineae animae a primo conceptionis momento tanta gratia, quantam omnes simul Angeli et homines post longissima vitae spatia sibi comparare non potuerunt: hanc duplicabat quocunque opere, et dormiens et vigil, et in matris vulva detenta, semper negotiabatur: nundinabatur sine ulla intermissione, nunquam a novis gratiae lucris cessabat, sive a materno sinu pendens, sive balbutientibus labiis mammas appeteret, sugeretque: iam tunc Martyrum agones superabat, quia sive infantilia ageret, sive matri arrideret, sive lac sugeret, sive cum gerula luderet, iam Laurentii flammas, Martyrumque merita ob ingentia tormenta passa longo intervallo vincebat; quia fortior illi amor insidebat, ardentior in Deum flamma illam ustulabat, et ab ardentissimo in aeternum Numen amore ferebatur, dum illa omnia praestabat; ac charitatis actus, quo illa omnia crepundialia imperabantur, multo ardentior et intensior erat actibus illis, quibus Laurentius ustulatam costam, Paulus Neroniani ensis ictus, Petrus crucem, cruentam Bartholomaeus necem Deo litabant. Quid, quod gratia dignificans opera illa in immensum supra omnium hominum, et Angelorum gratiam excellebat? omnium autem operum merces secundum radicem charitatis pensatur. In cuius rei imaginem III Reg. 18, nubecula illa parva, quae de mari conscendebat, quasi vestigium hominis, Deiparam Virginem in primo suae conceptionis ortu referebat. *Videsne*, ait Ioannes Hierosolymitanus, tract. de institut. Monachorum, cap. 32, *quomodo pusilla nubecula postmodum in imbres profusissimas soluta fuerit?* Abulensis ibid. quaest. 36, supra naturam id factum opinatur, quia nunquam talis aquarum inundatio contingit, nisi post conglomeratas nubes, post repetita fulgura, tonitrua frequentia. At nubes illa Maria erat, quae dum adhuc parvula instar vestigii hominis esset in visceribus Annae, et tamen ea gratiarum diluvia hausit, qualia diu concretae nubes, sive hominum, sive Angelorum nunquam effuderint.

1161. Vicit Maria infantula Martyrum trophaea, Angelorum triumphos; ideo ait Isai. 11: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Quae virga haec, nisi Maria? inquit Tertullianus, lib. 5 contra Marcionem, cap. 8; et quis novus nascendi modus huius floris, scilicet ex radice? Novi forsan orbis arbos haec: siquidem apud nos arbores ex trunco ramos progenerant, et stolones, ex ramis folia prosiliunt, deinde flores erumpunt. Verum hic flores Sanctorum virtutes ac sublimia facta adsignificant, iuxta Bedam. Iam igitur capio Isaiae vaticinium: quippe radix arboris primum Mariani conceptus initium innuit, in quo Maria flores parturivit, florentissimos, inquam, virtutum actus, qui Sanctorum omnium, post longas pugnas, agones ac sanguinis effusionem, longo intervallo superavit, adhuc utero conclusa materno, adhuc tenella et balbutiens, sive gerulae mammis affixa, sive crepundialia agens. Ideo merito dixerim lac, quo infantula Maria pascebatur, lac simul et sanguinem extitisse, quo candida et rubicunda Deo appareret, quia dum lacte alebatur, Martyrum victoriis ex effuso sanguine antistabat merito: quo sensu capies Guarrici abbatis effatum: *Ut Mater*, ait, *summi Virginis et Martyris, esset et ipsa candida, et rubicunda; quemadmodum dilectus eius candidus et rubicundus.* Sicut ergo cruor Filii sanguis est simul et lac, quia alit simul, dealbat et redimit; sic lac quod infantula Maria ebibit, lac erat quia ipso alebatur, sanguis simul, quia illud sugens, effusum pro Christo Martyrum cruorem merito et virtute referebat. Vel quia iam tunc se Beata Virgo Deo Patri tanquam hostiam immaculatam

litavit pro mundi redemptione, iamque illud, quod a materno ubere sugebat in sanguinem conversum, Filioque exhibitum tempore venturo in mundi redemptionem lubenti affectu dedicabat.

1162. Quam apposite igitur Ioannes, Apocal. 12, vidit Mariam recens conditam lunam pedibus terentem: *Et luna sub pedibus eius*, hoc est, interprete Bernardo serm. in *Signum Mag.*, totam Ecclesiam sub pedibus habebat Maria in primo suae conceptionis exordio. Tota igitur Ecclesia militans et triumphans B. Virginis pedibus obvolvitur, quia eam universam una B. Virgo in primo suo ortu immenso gratiarum ac meritorum cumulo supergreditur. *Quae est ista, quae ascendit per desertum?* ait Sponsus Cantic. 3, ubi Rupertus ait: *Quia solitaria, quia tanquam desertum propter meritorum altitudinem invium, et inaccessum erat aliis.* Videlicet gratia et gloria Mariae in instanti sui conceptus aliis inaccessa, ita ardua ac sublimis, ut nullo humano, sed nec angelico vestigio trita fuerit: Cui *datae sunt alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum*, Apocalyps. 12. Sola enim Maria tam sublimem carpere potuit semitam meritorum. Reliquorum Sanctorum capitibus diademata, seu mediae lunae honoris gratia imponuntur: at Virginis plantis luna substratur, quia Sanctorum coronis et fastigium est primum Marianae gratiae fundamentum, quod cecinit David, Psalm. 86: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Ubi Sanctorum omnium gratia ac merita fastigiantur et perficiuntur, ibi Mariana gratia et meritum exorditur.

CERTAMEN IV.

An Deipara aliam gratiam receperit ex opere operato, dempta ea, quae per Sacramentorum susceptionem conferebatur.

Gratiam ex opere operato hic intelligo cum Vasquio, tom. 2 in 3 partem, disputat. 119, cap. 7, num. 58, omnem illam gratiam collatam ex sola voluntate Dei ultra dignitatem meriti ipsius recipientis illam, quod duobus modis contingere potest, vel sine ullo sacramento, vel per Sacramentum. Negat igitur Vasquius cit. cap. 8, num. 77, collatam fuisse B. Virgini gratiam extra Sacramenta ultra merita propriae dispositionis.

1163. Arbitror tamen, praeter gratiam collatam B. Virgini ex opere operato in susceptione Sacramentorum Baptismi, Eucharistiae, Confirmationis et Extremae Unctionis, multiplicem recepisse gratiam ex opere operato: ita D. Thomas, 3 part., quaest. 27, art. 5, qui ait eam in prima sanctificatione accepisse. Quod si obiicias, in prima sanctificatione recepisse gratiam per propriam dispositionem, atque adeo ob meritum de congruo: at ubi intervenit meritum de congruo, non confertur gratia ex opere operato, sed ex opere operantis. Alibi autem ostendimus B. Virginem per propriam dispositionem in puncto conceptionis sanctificatam fuisse. Respondeo tamen B. Virginem in prima sanctificatione intensiorem gratiam recepisse, quam sit illa dispositio, quae praecessit: sicut quando quis in eodem instanti, quo sacramentaliter absolvitur, elicit actum contritionis, non solum recipit gratiam ex opere operantis respondentem contritioni tanquam merito de congruo; sed etiam gratiam ex opere operato respondentem Sacramento. Eadem ratione B. Virgo in instanti suae conceptionis gratiam recepit ex opere operantis respondentem propriae suae dispositioni, et ultra eam etiam ex opere operato, id est absque ullo merito; totus enim ille gratiae cumulus ita immensus, omnino superavit Beatae Virginis dispositionem.

1164. Quod vero aliis etiam temporibus gratiam acceperit ex opere operato, ut puta quando praecipua Christi mysteria occurrebant, videlicet tempore Incarnationis, Resurrectionis, Ascensionis, vel etiam quoties infantem lactabat, fasciis obvolvebat et contingebat; innuit s. Augustinus, serm. 14 de tempore, ubi ita fatur: *Lactabis infantem proprium: Creatori succum porrigis lactis, et cibis caelestibus satiaris: pannis involvis puerum, qui tibi immortale condonavit indumentum: in praesepio ponis infantilia membra, qui coelestem tibi praeparavit mensam.* Quia pueri ori nectareum stillabat rorem, fit voluptatum coelestium particeps. Itaque ex mente s. Augustini, non solum ex lactatione et contactu Iesu gratiae incrementum accipiebat Maria, sed Dei visione iucundabatur, quod innuit verbis illis, *et cibis caelestibus satiaris;* quae de clara Dei visione exponi possunt. Itaque B. Maria quoties infantem ubere de coelo pleno lactabat, non solum gratiam ex opere operato recipiebat, sed ad visionis Dei ubera sugenda assumebatur: cumque Iesu labellis sacchareos porrigebat lactis fluxus, voluptatis Deificae nectare saturabatur. Huic nostrae sententiae adhaerescit Canisius, lib. 4 de Deipara, cap. 26, § *Iam quod,* ubi haec habet: *Quis igitur, nisi insulsus, ambigat B. Virginem in summa et quotidiana cum Emanuele familiaritate atque coniunctione, singularem ex Christi carne fructum hausisse? ut proinde mirificus quidam sensus sanctissimi gaudii, maximae dulcedinis, incredibilis virtutis, et praesentissimae voluptatis Matri lectissimae accederet: utque per crebram divinae carnis contrectationem ipsa subinde mundior, sanctior, atque divinior effecta est.* Idem statuit Castro in vita Deiparae, lib. 2, c. 10. Quod ex eo probat, quia, ut aliqui docent, Ioannes Baptista ex assistentia Deiparae, eiusque praesentia praegnantis per trium mensium spatium, novos auctus in gratia fecit. Item aliqui extendunt hoc, quoties B. Virgo Iesum puellum contingebat, vel deosculabatur, vel in ulnis habebat; et merito: si enim de Agno casto aiunt communiter, ut qui secum illum afferat, ad castitatem alliciatur, deinde florum fasciculus manibus attactus sui fragrantiam immittit; et de Christo ait Evangelista: *Et curabantur infirmi, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes*; potiori iure dicendum, augmentum gratiae ex Christi contactu ipsi Virgini accrevisse: ita Henriquez, lib. ultimo de fine hominis, cap. 10, num.

8. Cuius rei ratio ea optima assignari potest; aequum enim erat, ut quo tempore gratia et benignitas Christi Domini praecipue relucebat, eodem etiam gratuitae et liberales omnino fierent donationes: cui autem affluentius, quam Beatae Virginis ipsius Salvatoris Genitrici? Idem etiam deduci potest ex his, quae docent aliqui, nempe ad praesentiam B. Virginis et Christi Domini in eius alvo delitescentis, collatam fuisse Baptistae gratiam ex opere operato. Addunt aliqui ipsa verba B. Virginis Elisabetham salutantis, effective concurrisse ad gratiam in eodem Baptista producendam, ut de forma sacramentalis absolutionis dici solet: ergo nihil mirum, si affirmaverimus ad praesentiam illorum mysteriorum collatam fuisse Virgini Deiparae gratiam ex opere operato. Bene Origenes, homil. 7 in Luc., et hom. 9: *Si eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth, et salutavit eam, Spiritu sancto plena prophetavit, et in una hora tantos profectus habuit; nostrae coniecturae relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit, assistente Maria Elisabethae. Valde quippe indignum est, in puncto horae exultare infantem, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres vero menses, nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicinia Matris Domini et ipsius Salvatoris profecisse.* Eo igitur magis Beata Virgo dicenda est gratia profecisse in utero, et brachiis gestans Salvatorem, quo intimius Christus et vicinius fuit suae Genitrici. Eadem habet Ambrosius, lib. 2 in Luc. cap. 3: *Si primo ingressu tantus profectus exstitit, ut ad salutationem Mariae exultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto mater infantis: quantum putamus usu temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam?*

1165. Insuper Christus Dominus solo tactu non solum curabat corpora a morbis, sed animos a peccato, illis gratiam conferendo ex vi sui tactus; ac ideo ex opere operato, ut colligitur ex D. Thoma, 3 part. quaest. 44, artic. 3. Et erui potest ex verbis illis Christi Domini, Ioan. 7: *Totum hominem sanum feci in sabbato;* et ex D. Augustino, tract. 30 in eadem verba: *Totum hominem*, ait, *quod sanus esset in corpore, et sanus esset in animo;* ergo multo urgentiori ratione solo tactu Christus Dominus Virgini Deiparae gratiae auctus novos contulit. Huic thesi favet Suarius, tom. 3 de gratia, lib. 9, cap. 1, num. 13, ubi haec habet: *Solere Deum ex privilegio gratiam augere sine operibus, vel Sacramentis, ut fuit in Apostolis in die Pentecostes; et credibile est fecisse in B. Virgine in eo momento, in quo Filium concepit, et fortasse in aliis; quia est Dominus gratiae suae, et potest illam conferre quando et quomodo voluerit; et nihilominus etiam in illis casibus nunquam legimus dedisse hoc augmentum, nisi proprio aliquo consensu, vel cooperatione libera, ut Apostolis orantibus, Virgini consentienti*, etc. *licet illud augmentum fuerit maius, quam talibus operibus deberetur.* Tenet tandem thesim Dionysius Richelius de praeconio Virginis; ait enim: *Causalissima ergo, et virtuosissima erat caro Christi electa, atque adeo sanctissima Matris, qua dulcissimum Infantem, speciosissimumque puellum in gremio fovit, ad ubera amplexatum tenuit, sibique blandientem et arridentem, tam suaviter osculabatur; huius, inquam, corpus ex tali tantaque carnis divina contrectatione Deificatum censeri oportet: quantam fragrantiam, atque virtutem exinde sortitum esse, quantam sanctitatem et gratiam mentis inde contraxisse.*

Huc revocanda verba Psalm. 44: *Omnis gloria eius ab intus in fimbriis aureis.* Itaque omnis gratiae et gloriae ornamentum B. Virginis a fimbriis aureis promanat, quasi omnis splendor, gratiaeque pulcritudo, quae in Maria emicat, ortum habeat a fimbriis: vel ut transfert s. Hieronymus, *a fasciis aureis:* Euthymius vertit, *in zonis.* Omnis Mariae decor et iubar a fasciis proveniebat, quibus puerum Iesum convolvebat et stringebat; vel a zona, qua Maria in utero suo clausum alligabat infantem Deum: *O zona pretiosa*, exclamat s. Germanus, *quae Deum Verbum, cum esset in utero, involvisti! O iucunda zona, quae a corruptione liberata, honesto Matris corpori appropinquasti; et illinc induisti incorruptionem manens aliena ab interitu!* Quod si zona ex vicinitate Christi incorruptionem didicit; quid mirum, quod B. Virgo ex praesentia et tactu Christi novos in dies auctus in gratia ex opere operato reciperet? Itaque a fasciis et zona Maria splendorem, gratiam ac gloriam mutuatur: fasciis immensum Deitatis mare conclusit; Leonem ex tribu Iuda stricta cinxit fascia, vincula ipsi iniiciens, ne hominem praedam faceret.

1166. Nova igitur gratiae augmenta ex opere operato obvenere Mariae toto tempore novem mensium, quo utero gestavit infantem Iesum sine intermissione ulla. Quod longe probabilius defendi potest in opinione Suarii, tom. 3 in 3 part., disputat. 63, sect. 7, ubi docet probabile esse ex mente Paludani, Caietani, Maioris, et aliorum, quandiu permanent species sacramentales ante transmutationem in stomacho, sine intermissione conferri iustis gratiam ex opere operato. Eaedem quippe rationes, quibus illud probant isti Doctores, extendi utique possunt ad probandum nostrum intentum. Idem verisimiliter dici potest de tempore, quo cruci adstitit, et in triduo, quo caruit Filio, et relatione Matris actuali; tunc scilicet accepisse gratiam ex opere operato, quia iuxta plurium Doctorum mentem, martyrium confert martyri gratiam ex opere operato: Virgo autem Deipara toto mortis tempore ac passionis Filii vere fuit Martyr, ut alibi statuimus. Et quidem D. Bernardus, serm. de Passione, cap. 10, illud protulit de B. Virgine: *Moriebatur Maria vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem;* ergo illo tempore gratiam accepit ex opere operato. In cuius rei confirmationem Cardinalis Hailgrinus in cap. 7 Cant. tam audacter pronuntiat, quam pie, Virginem Deiparam adeo meruisse ubera puero Iesu praebendo, ut Martyribus sanguinem suum pro Christo fundentibus merito coaequari posset. *Ubera*, ait ille, *botris assimilata sunt, in quo mirabilis praerogativa merendi monstratur in Virgine, quae non minus meruit fundendo lac de uberibus*

suis ad Filii nutrimentum; quam Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio, omnium enim operum merces secundum radices charitatis pensatur.

Cum ergo Deipara saepissime ubera Filio praebuerit, plurimas martyrii multiplicavit coronas, et quidem longe maiori gratiae augmento, cum talis lactatio ex longe ardentissima in Deum charitate proficisceretur: ideo forsan ubera Mariae cum botris pariantur, Cantic. 7: *Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris.* Recte enim Martyres dicuntur botri, quia sanguis pro Christo fusus musti ex botris pressi similitudinem refert: opportune autem coniunguntur palma et ubera, quia Virgo Deipara ex lactatione Filii, martyrii palmam praeseferebat. Imo lac Virgineum Christo propinatum in sanguinem versum ac fusum, nostrae fuit pretium redemptionis. Quod meditatus fuit s. Athanasius: *Suxit mammam, ut divinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit, nihil enim est aliud, nisi sanguis albus.* Quasi diceret ex eo, ex Christi latere sanguinem fluxisse, ut ostenderet illum iam prius sub lactis specie a Matris ubere suxisse: imo ausim dicere, non magis Patrem superum ostenso Christi latere placari, quam Christum ad misericordiam flecti, ostenso ubere Mariano. Huc trahi posset Arnoldus Carnotensis, de laudib. Virginis Mariae: *Securum accessum iam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causae suae Filium habet ante Patrem; ante Filium, Matrem: Christus nudato latere Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera.* Nescit ergo Iudicis ira serpere ac desaevire, fortissimo uberum aggere coercita: *Ex uberum repraesentatione a Christo precibus nobis impetrat B. haec Mater absolutionem a culpa, et benedictionem in gratia, et glorificationem in patria;* aiebat Richardus de s. Laurentio, lib. 2 de laudib. Virginis, part. 5, et in Cant. Mariano ubera cum turribus conferuntur.

CERTAMEN V.

An gratia habitualis B. Virginis sit infinite intensa.

1167. Communis Theologorum opinio denegat Mariae infinitam gratiam habitualem. Et primum s. Thomas, eiusque schola; Suarius etiam tom. 1 in 3 part., disput. 22, sect. 1; Cardin. Lugo de Incarn., disput. 16, sect. 6: nec mirum si denegent, cum arbitrentur repugnare omne infinitum in actu, ideoque in Christo inficiantur eam gratiae infinitudinem, adeoque multo magis in B. Virgine eandem denegant. Hoc tamen philosophicum fundamentum ad libros Physicorum convulsimus. Alii, ut Scotus, Philippus Faber, Nazarius, cum aliis, quos refert Petrus Hurtado in 2 2, disput. 147, cum arbitrentur accidentalem gratiam habere terminos certos, ultra quos nec divinitus augeri queat; idcirco impossibilem putant gratiam infinitam, unde consequenter gratiam infinitam et Christo Domino et B. Virgini denegabunt.

Nihilominus nonnemo sibi persuadere posset, non carere sua probabilitate, Virginem Deiparam praeditam fuisse infinita gratia habituali, id est actu infinite intensa categorematice. Nec hanc sententiam aliquam mereri censuram. Et primo hanc gratiam infinitam in intensione esse possibilem, probavi late in Physicis cum Hurtado et aliis; et plures illam Christi animae deferunt; Bernal, de Incarnatione disput. 30, sect. 3; Petrus Hurtado, disput., 18 Physicae, sect. 13, et tom. de Incarnatione, disput. 48, sect. 2, subsect. 2. Id videntur innuere D. Epiphanius in orat. de laudibus Virginis, ubi ait: *Gratia sanctae Virginis est immensa*; s. Anselmus lib. de excellentia Virginis: *Immensitatem gratiae tuae, et gloriae considerare cupienti, o Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.* Petrus Damianus de gloria Mariana, quae gratiae correspondet, ait serm. 45: *Gloria, quae eam de hoc mundo transeuntem accepit, principium ignorat, nescit finem: de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia: Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.* Si igitur gloria Virginis principio caret et fine; ergo est infinita; ergo et gratia Mariana, quae semen est gloriae. S. Damascenus, orat. 2 de Dormit. Deiparae, vocat Mariam *viae Thesaurum, gratiae Abyssum immensam.* S. Bonaventura hanc gratiae Virgineae immensitatem saepius inculcat; in specul. cap. 5 ait: *Immensa fuit gratia, qua Virgo fuit plena; immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo plenum est*, etc. *Tu ergo, immensissima Maria, capacior es coelo*, etc. Et concludit: *Oportuit ergo ut illa gratia, quae tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* Quae verba perperam Salazar, tom. 2 in Proverb. cap. 31, num. 186, asserit, videri sibi caute legenda. Licet enim asseramus Marianam gratiam esse infinitam et immensam, non hyperbolice, sed physice, et in toto rigore philosophico et scholastico, nihil dignum censura aliqua proferemus. Imo iterum s. Bonaventura cit.: *Virgo*, inquit, *attulit aurum charitatis infinitum.* Deinde Almaynus, in 3, distinct. 3, quaest. 2, docet Mariae tantam esse gratiam, ut maior esse nequiverit de potentia absoluta; atqui probabilior sententia admittit, posse dari infinitum in actu; probabile ergo erit, Mariam gratia infinita praeditam fuisse. Quam sententiam Almayni a nemine, quem viderim, aliqua censurae nota inustam video.

Sed libet praesentis thesis probabilitatem rationibus fulcire. Prima sit, quia gratia infinite intensa videtur connaturaliter debita Mariae, qua Dei genitrix est, et ut elevatae ad tantam dignitatem; ergo ipsi deferenda est. Antecedens suadetur, quia Maternitas Dei reddit Mariam subiectum proportionatum et connaturale respectu gratiae infinitae: Matris enim Dei dignitatem cogita, et nihil fere tam magnum reperies, quod digne et connaturaliter debitum tantae Virgini quispiam inficietur. Idipsum sonant plures Patrum locutiones. S. Bernardus citatus a D. Thoma opusc. de charitate, ait de Maria: *Hanc fecit Deus bonitatis suae infinitam imaginem.* D. Bonaventura, in speculo cap. 8, ait: *Maiorem mundum posset facere Deus; maiorem Matrem,*

quam Matrem Dei, facere non posset. Quare sicut Filii perfectio explicari nequit, ita Dei Mater humanum superat explicatum. Idcirco appellatur a D. Bernardo, serm. 4 de Assumpt., *Indicibilis.*

1168. Id ipsum firmari potest exemplo; siquidem potest Deus nobiliores creaturas producere, nempe Angelos, homines, animantia, mundos etiam in infinitum; non vero potest Deus, nec de potentia absoluta, nec speciem nobiliorem sacerdotii, nec individuum efficere: quod innuit Paulus I Tim. 4, ubi docet fieri sacerdotium per impositionem manuum, quo ostendatur dignitas sacerdotii, pro cuius fabrica binis brachiis ac duplici manu, et quasi integro impulsu tota Deitas omnem conatum admovisset, ut nullum nobilius sacerdotium in puro homine efficere valeret. Olim legem conditurus Deus unam solum manum sustulit, nec propriam, sed Mediatoris, et instrumentum nempe Moysis, iuxta illud Pauli ad Galatas 3, 19: *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Deinde quando rebelles supplicio afficit, vix unam manum adhibet, et hanc sinistram; ideoque non multum expertam. Unde clamat Isai. 9, 12: *Adhuc manus eius extenta:* ut bonos praemio cohonestet, dexteram extendisse vidit regius Vates, Ps. 15, 11: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* At ita perfectissimum opus sacerdotium nostrum, ut ambas Dei manus, omni adhibito conatu, requirat; et ideo ait Paulus: *Cum impositione manus presbyteris.* Unde mos increbuit, ut sacerdotium per manuum impositionem declaretur: sicut ergo sacerdotium est dignitas, qua nulla maior a Deo effici possit in ratione sacerdotii, utpote quia includit talem hostiam, scilicet Christum Dominum in ordine ad quem sacerdotium nostrum continet dignitatem infinitam, qua nulla maior fingi excogitarive potest in puro homine; ita etiam, in simili dicimus, dignitatem maternitatis in B. Virgine esse infinitam in ordine ad Filium, cuius est mater, qua nulla illustrior, aut sublimior dari possit. Unde apte Deipara in Cantic. c. 2, v. 6 ait: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Binis manibus totum Deum occupatum intueor in exornanda et perpolienda B. Virgine, omni admoto conamine, ut ipsamet Maria ingenue decantat, Luc. 1: *Fecit potentiam in brachio suo.*

1169. Haec Mariana infinitudo declaratur a Ierem. c. 31, per illa verba: *Foemina circumdabit virum.* Nam aliqui observant, ideo usum fuisse prophetam verbo, *circumdo*, ut innueret Matris dignitatem, quia circumscriptio circularis, cum careat initio et fine, infinitatem subindicat; quare infinitam Matris Dei dignitatem denotat. Et quidem Deus, centrum vocatur; circumferentia, Maria: nihil enim gratiarum et auxiliorum a Christo in alios derivari potest, quod non sit per Mariam; sicut ex centro nihil derivari potest extra quod per circulum et periphaeriam non pertranseat. Bene igitur Maria Christum ambire dicitur, quia omnem illius potentiam et efficacitatem sic undequaque cohibet, ut omnem vim in se prius excipiat. Hinc addisces cur Virginem Mariam non Angelus, non Seraphim obumbrat, sed sola virtus Altissimi immensa, nempe ut Mariana infinitudo perspiceretur: quippe solus Deus est maior illa, ac nemo alius infinitam B. Virginis capacitatem adaequaret. Unde ait doctus Idiota de Virgine Maria: *Nemo aequalis est tibi, nemo maior te nisi Deus, quia Spiritus sanctus superveniens in te, et virtus Altissimi obumbrans tibi, quae eras omnium virtutum ornamento praedecorata.*

Quam primam rationem insigniter confirmatam accipe a s. Bernardo, conc. 61, art. 1, cap. 12: *Quod Deus,* ait, *generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam intellectus produceret Verbum, per omnia sibi aequale: sed quod foemina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculorum miraculum. Oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam aequalitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem creatura nunquam experta est: unde ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quae in B. Virginem descenderunt in hora divinae conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* Et art. 2, c. 10, subdit: *Excepto Christo, tanta gratia Virgini a Domino data est, quantum uni purae creaturae dari possibile esset.* Ubi infinitudinem gratiae Marianae aucupatur ex eo, quod ad Deitatis fines oppansa est, cum Dei Filium florido in utero continuit ac peperit, ac naturae creatae terminos transiliens fines Deitatis attigit. Quae mens fuit s. Thomae, 2 2, qu. 103, art. 4, ubi docet maximum deferendum cultum B. Virgini propter affinitatem ad Deum. Ubi Caietanus sic fatur: *Natura humana ab extra ad Deitatis fines attigit, quasi uxor ab extra adveniens in thalamo uteri Virginalis, et ideo Genitrix illius affinis Deo constituta dicitur: soli B. Virgini hyperdulia debetur, quae sola ad fines Deitatis propria operatione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, et lacte proprio pavit.* Quemadmodum ergo humanitas Christi Domini, quia se ipsa Deitatis fines attigit, nempe divini Verbi Hypostasim terminans, infinitam sibi gratiam adsciscit: ita cum proportione accommoda Virgo Deipara, quia propria operatione, nempe conceptu, partu ac lactatione prolis divinae, Deitatis fines attigit, gratiae infinitudinem sibi vindicare oportebat, quia quo dispositio propinquior accedit ad formam, eo maiorem in se perfectionem arguit, quam ex vicinitate suae causae participat: unde dispositio eo est nobilior, quo formae vicinior est. Cum ergo B. Virgo in se continuerit Dei Filium omnis gratiae fontem, quid mirum si dicamus in infinitum gratiam Virginem excrevisse?

Deducimus ergo Deiparam, maximam obtinuisse gratiam, quam creatura habere potest; inferiorem tamen gratiae debitae unioni Hypostaticae, proportionatam tamen dignitati Matris Dei: sed gratia infinita est omnium maxima, et proportionata dignitati Matris Dei, et inferior gratiae debitae unioni Hypostaticae; ergo gra-

tiam infinitam sibi vindicat Deipara. Maior est expressa sanctorum Patrum. Bernardus alibi productus ait: *Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientiae, ultra quam credi potest, penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et D. Anselmus: *Decens erat ut Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi.* Quamvis autem asseramus B. Virginis gratiam esse infinite intensam, adhuc longe inferiorem gratiae debitae unioni Hypostaticae esse fatemur: ergo, etc. Idem Dionysius Carthusianus apud Salazarium, tom. 2 in Proverb. c. 31, n. 189: *Sanctitate*, inquit, *Mariae maior sub Filii sanctitate intelligi, et esse nequit: tum quia neque in praesenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valeat; Incomprehensibilis enim, ut ait Ambrosius, incomprehensibiliter operabatur in Matre: tum quia post assumptionem hominis a Deo, nihil praestantius conferri potest homini, quam ut Deiparens existat.* Haec et alia Patrum dicta de sublimitate gratiae Marianae non debilia fundamenta iaciunt ad nostram thesim fulciendam; nihil enim tam excellens, tamque sublime de Mariana gratia protuleris, quod non eiusmodi Patrum dictis constabiliri possit. Itaque Marianum meritum, et gratiam infinitam dignoscere possumus ex proportione cum termino, nempe ex eo quod sit Mater Dei: unde s. Bernardinus, tom. 2, ser. 51, art. 3, cap. 1 ait: *Si quis consideret Virginei consensus, ad tantum mysterium, finalem terminum; clare intelliget, quod omnis dignitas et perfectio inclusa in hoc quod est, esse matrem Dei, tam mente, quam carne comprehendatur in eo quod quidem transcendit in merito in infinitum, quidquid aliud in Deo homine cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio huius consensus fuerit perfectioni sui termini comproportionata.* Sicut ergo ex unione humanitatis Christi cum Verbo, recte Theologi deducunt naturali quadam consecutione, inditam ei fuisse in puncto Incarnationis gratiam infinitam Capitis, impeccabilitatem, omnem rationem meriti et satisfaciendi pro hominibus, tamquam Mediatori et Redemptori, omnemque scientiam et cognitionem eorum usque ad cogitationes et secreta cordium; denique omnia charismata tanto uberius et excellentius, quam aliis, quanto excellentius nomen Capitis haereditavit, quam membra; et nomen Filii, quam famuli eius Angeli, vel homines; sic proportione servata ex dignitate Matris Dei, naturali quadam sequela fatendum, immensam ipsi B. Virgini gratiam exhibitam, qua etiam redderetur impeccabilis, et fieret nobis Advocata, Mediatrix et Corredemptrix hominum, et inditam illi fuisse cognitionem eorum omnium requisitam, et ita abundantem charismatum ac donorum supernaturalium affluentiam, quanto excellentior est Mater servis, sive Angelis, sive hominibus. Cui placito adhaeret Cornelius a Lapide in c. 24 Ecclesiastici.

1170. Firmatur alia ratione haec Marianae gratiae infinitudo. Nam ut ait s. Antoninus, 4 p., tit. 15, c. 17: *Maxime super omnes puras creaturas fuit ipsa dilecta a Deo, quod patet ex eo, quia maximum donum ei largitus est Deus, ut scilicet Filium suum dilectissimum summum bonum ei communicaret.* Imo iuxta Anselmum, de excellentia Virg., c. 4, eam eo prosequutus est amore, ut maiori non possit. *Ostendit*, inquit, *ipse prius amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, et amorem, quo nullum putamus esse maiorem.* Summus autem et maximus Dei amor, summam et maximam, cuius est creatura capax, subinfert et designat gratiam: nec concipi potest, Deum Patrem id ei, quod maximum est, nempe Filium concessisse, et quod longe minus est, scilicet gratiae infinitudinem, eidem denegasse. Videndus hac de re Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 4, praecipue § *Secundo principaliter*, ubi ait: licet gratia Mariana in infinitum intenderetur, nunquam excederet terminos, aut debitam proportionem dignitatis Maternitatis Dei, ubi affert Euthymium et Andream Cretensem, ser. de Dormit. Deiparae: uterque ait: *Si quid, quod nos superat, in ea divina operata est gratia; nemo miretur, intuens ad novum et ineffabile quod in ea peractum est mysterium, ab infinitate infinities infinite exemptum.* Deinde confirmatur ex similitudine ac proportione inter Filium, videlicet Christum, et Virginem Deiparam: sed gratia animae Christi infusa fuit infinita, quia esse potuit; ergo decuit B. Virginem Christo esse simillimam, quia in hac etiam perfectione, et intensione oportuit Deiparam conformari perfectioni Christi cum debita proportione.

Deinde probatur haec gratiae Marianae infinitudo: quia possibilis est gratia infinita in intensione; ergo de facto B. Virgini concedenda est, quia sola intensio infinita gratiae est adaequate proportionata dignitati Matris Dei; adeoque sola decet tantam Virginem. Quae ratio innititur verbis s. Dionysii Areop. de divin. nomin., quibus probat Incarnationem Verbi Divini, quia videlicet, licet non fuerit medium omnino necessarium ad nostram redemptionem, fuit tamen valde conveniens, ideoque a Deo desumendum: redditque hanc rationem: *Quia Deus facit quod vult, vult quod convenit, convenit quod decet, decet quod est consentaneum.* Eadem ratione nemo non videat, Deum fecisse in B. Virgine quod voluit, voluisse quod conveniebat tantae Matri; conveniens autem fuisse, quia multum decebat Dei Matrem donis ac privilegiis, maxime autem gratia illam cumulare infinita, quia ita optimae rationi consentaneum fuit.

1171. Insuper hanc efformo rationem ex dictis ss. Patrum, quae hoc Congressu protulimus. Maius beneficium est dignitas maternitatis Dei, quam gratia accidentalis infinita; sed gratia Maternitatis Dei fuit collata Virgini Mariae; ergo non est cur ei denegetur gratia accidentalis infinita. Maior constat: nam maius beneficium in ratione doni est, esse Matrem Dei hominis naturalem, quam esse filium adoptivum Dei; at

gratia accidentalis, quantumvis infinita, solum efficit subiectum, cui inhaeret, filium adoptivum Dei; verum Mariam genuisse Christum, illam efficit Matrem naturalem hominis-Dei, cui saltem in radice debetur omnium gratiarum ac donorum affluentia. Roboratur haec ratio, quia nulla perfectio finita gratiae habitualis assignari potest B. Virgini, quin alia intensior deceat, et proportionetur cum dignitate maternitatis Dei; sola ergo gratia infinita adaequabit tantam dignitatem. Item plures Doctores concedunt gratiam in summo gradu, finito tamen, Virgini Deiparae, nempe ita intensam, ut nec divinitus intensior esse possit; ergo cum gratia infinita in intensione dari possit, utique debebatur Mariae, et actu concessam fuisse dicendum est: quia pertinet aliquo modo ad perfectionem et complementum Trinitatis, ut Spiritus sanctus infinite se communicet *ad extra* per gratiam infinitam alicui creaturae, nempe Mariae, siquidem *ad intra* non potest. Cui thesi non subscribo; sed rationes solum retuli, quibus haec pars constabiliri posset; eas tamen doctoribus discutiendas relinquo. Sequor communem sententiam, quae docet Marianam gratiam esse maxime intensam, et in gradu summo, non tamen esse infinite intensam.

CERTAMEN VI.

Negativae partis argumentis occurritur

1172. Jecimus superiori Certamine solida fundamenta, quibus plurimi ex Patribus et Doctoribus Marianae gratiae aedificium construunt. Altas egimus radices, quibus arbor paradisiaca B. Virginis in infinitum porrigitur, ramosque donorum coelestium, vitaliumque fructuum in immensum protendit: rationes, inquam, produximus, quibus Marianae gratiae infinitudo fulciri possit. Nunc iacta fundamenta funditus evertere; radices, quantumvis altas, radicitus evellere; rationes productas infirmare ac enervare, conantur haec adversariae partis argumenta.

Arguit ergo primum Vasquius, tom. 1 in 3 p., disp. 46, c. 2, eiusque sectatores, qui quamvis admittant posse dari actu infinitum in intensione, negant tamen dari posse gratiam actu infinite intensam, quia quaelibet creatura sanctitatis et gratiae capax, quantalibet sanctitate praedita, potest in dies in gratia excrescere, et Deo gratior esse per novos virtutum actus, ac proinde sanctior fieri per intensiorem formam sanctificantem, nempe per gratiam habitualem. Si autem semel admittamus gratiam infinitam secundum intensionem in B. Virgine, fieri non potest, ut ulterius intendatur; ergo vel cogimur asserere B. Virginem non adauxisse gratiam per novas virtutum operationes, vel ipsius gratiam non fuisse infinite intensam. Haec autem ratio non multum urget: Respondeo ergo non esse de ratione infiniti continere omnia possibilia in eo genere, sed solum carere principio et fine: solus Deus continet formaliter et eminenter tanquam Ens a se omnes perfectiones possibiles, quia est Ens infinitum in essentia. Itaque homo gratus Deo infinite secundum habitum solum non esset ita iustus, quam alius infinite gratus secundum habitus et actus bonos infinite intensos, ut per se patet; siquidem B. Virgo grata Deo habitualiter ut octo, non esset ita sancta, quam ipsa cum sanctitate habituali ut octo, et etiam cum amore Dei ut octo; ergo similiter dicendum de gratia habituali infinita: et huius rei ratio opportuna est, quia actus et habitus sunt diversae species iustitiae et sanctitatis, quae simul sumptae maiorem componunt sanctitatem, quam altera sola. Unde B. Virgo licet haberet gratiam infinitam, et etiam charitatem habitualem infinitam, adhuc crescere posset sanctitate actuum, quibus posset mereri a Deo novos habitus numero distinctos, nova etiam auxilia ad novos actus, et novos concursus ad novas visiones beatificas.

Deinde ut late disserui in Physicis, non video cur unum infinitum non possit esse maius alio materialiter: negari siquidem non potest unum infinitum claudere plures unitates, quam aliud, ut perspicuum est in infinito malogranatorum acervo, quorum grana plura sunt, quam malogranata. Potuit ergo B. Virgo cum gratia habituali infinita crescere sanctitate, et novum mereri praemium: quia licet haberet gratiam infinitam, poterat donari alia infinita, ita ut nullum opus bonum careret praemio. Quamvis ergo B. Virgo esset infinite grata Deo per gratiam infinitam, dum aliquod bonum opus exercebat, per novam sanctitatem Deo erat grata, atque adeo erat Deo carior et gratior. Ex quo patet B. Virginem potuisse crescere in sanctitate, licet gratia infinita polleret; et novo donari praemio, quia collata gratia infinita, potest alia infinita donari; dari enim possunt plures sanctitates infinitae solo numero, tum et specie distinctae, tum habituales, tum actuales.

Secundo argui potest contra infinitudinem gratiae Marianae; quia gratia infinite intensa, idemque dicendum de aliis habitibus et actibus, non est connaturalis potentiis et animae B. Virginis, etiam qua Mater Dei est, et ut elevata ad tantam dignitatem; ergo gratia infinite intensa non est admittenda in B. Virgine. Antecedens probatur, quia maternitas Dei non tollit modum magis proportionatum et connaturalem animae et potentiis Deiparae: at modus finitus operandi magis connaturalis et proportionatus est, quam modus operandi infinitus. Respondeo, maternitatem Dei extrahere Virginem Deiparam a modo communiter et connaturaliter operandi, eamque constituere in ordine quodam eminentiori; ac proinde plus distare Maternitatem Dei a substantia B. Virginis, ac plus improportionis cum eadem habere, quam habet gratia infinite intensa cum potentiis et anima ipsius in ordine ad operationem: et tamen illa distantia et improportio non obstitit, quominus Maternitas Dei cum substantia Mariae coniungeretur; ergo minor distantia et improportio, quae reperitur inter infinitam gratiae intensionem, et limitationem, ac finitudinem potentiarum, et animae Virgineae minime obstare poterit, quominus intensio gratiae infini-

ta coniungatur cum potentia et anima B. Virginis finita. Confirmatur: Maternitas Dei licet improportionata substantiae Virgineae, illam tamen afficit, constituitque in ordine quodam superiori, extrahens illam a communi modo operandi: ita ut non limitetur dignitas maternitatis Dei a substantia animae et potentiarum Mariae Virginis: ergo neque gratia habitualis infinita secundum intensionem limitari debet ab anima, et potentiis eiusdem B. Virginis in ordine ad operationem.

1173. Tertio opponi potest illud Sap. 11: *Deus omnia fecit in numero, pondere et mensura:* ergo omnis infinitudo est deneganda. Verum ibi solum est sermo de moderatione poenarum, quas Deus hominibus in hac vita infligit, ut ex contextu illius capitis patet. Quod si instes de rebus omnibus illa verba esse intelligenda; respondeo illis verbis solum significari numerum, pondus, mensuram et perfectionem finitam in essentia; siquidem actus a Beatis ac reprobis per totam aeternitatem eliciendi, et numero et termino carent. Instas: nulla alia creatura datur actu infinita; ergo nec gratia B. Virginis erit infinita. Verum antecedens negant plures: nam in primis gratiam Christi Domini infinitam agnoscunt in intensione, Petrus Hurtado in Physic. disp. 13, sect. 13, et tom. de Incarnatione, disp. 48, sect. 2; Maior in 3, disp. 13, q. 3; Almaynus, q. 1 cum tota Schola Parisiensi; Maldonatus in 2 c. Lucae, vers. 40; Bernal, de Incarnat. disp. 30, sect. 3. Deinde in receptissima sententia necessario concedendum multiplex infinitum in actu scilicet relationum, ita ut aliae in aliis sine fine resultent.

Quarto obiiciat aliquis: si Christo Domino et B. Virgini gratia infinite intensa concedatur, fieret inde in eo genere aequalem fuisse Deiparam cum Christo in sanctitate. Respondeo, quantumvis gratia infinite intensa adscribatur Mariae, non inde sequi aequalem esse in sanctitate adhuc accidentali Christo Domino, ut nihil dicam modo de gratia, qua substantialiter sanctificatur divinitate media unione Hypostatica, a qua nec divinitus auferri posset impotentia ad peccandum. Itaque, ut probabilis fert opinio, Christus Dominus praeter sanctitatem substantialem habuit aliam gratiam accidentalem specie distinctam ab omni alia gratia iustorum, quae poterat esse identificata cum lumine gloriae, ut anima sensitiva identificatur cum vegetativa in animali; vel etiam poterat esse diversa ab ipso lumine gloriae: haec vero gratia non posset moveri ad actus voluntatis per fidem, neque per scientiam per se infusam, sed per lumen gloriae. Hac ratione amor Christi licet esset aequalis gradualiter cum amore Mariae, esset tamen essentialiter melior, et simul etiam intensive maior, quia quo perfectiores qualitates sunt, maiorem intensionem capiunt, cum profundior intensibilitas pertineat ad perfectionem altiorem. Ad eum modum, quo plures Theologi aiunt omnia peccata lethalia esse infinitae malitiae, et tamen maius est peccatum odii Dei, et distinctae speciei, quam peccatum contra temperantiam. Ergo tametsi B. Virgo gauderet gratia infinite intensa accidentali, posset tamen Christus Dominus alias infinite intensas accidentales gratias diversae speciei habere, ex quibus infinite vinceret gratiam infinitam Mariae: imo nonnemo opinatur omnes gradus gratiae accidentales possibiles, sive omnes illorum infinitudines de facto productas fuisse, et Christo tributas, quod quidem tanta probabilitate colligi potest, quanta colligimus ex vi unionis Christo fuisse debitam perfectissimam gratiam et gloriam, et alia similia dona. Cuius rei optima ratio illa est, quia cum radix habitualis gratiae accidentalis in Christo sit sanctitas substantialis, et per essentiam infinita, qua nulla maior aliqua substantialis esse potest; si ergo possibilis sit gratia accidentalis, ita intensa ut nec divinitus augeri possit, haec utique conferenda est Christo, ut proprietas debita gratiae substantiali; quod simpliciter pertinere videtur ad modum operandi perfectissimum Dei, ut se alicui communicet modo perfectissimo possibili.

Quinto obiectari posset adversum hanc gratiae infinitudinem Marianam, quia Virgo Deipara non elicuit actus infinite intensos; ergo non fuit praedita gratia infinite intensa. Respondeo iisdem rationibus, quibus gratiae infinitudo non sine aliqua probabilitate in Virgine Deipara statuta fuit, fundari posse infinitudinem habituum supernaturalium, imo et actuum, utpote gratiam comitantium cum debita proportione: quod ita intelligerem, ut actus supernaturales pro libito posset Deipara elicere infinite intensos, vel solum finite: imo cum cohaerentia doctrinae dici posset habitus et actus virtutum moralium ordinis naturalis, si semel admittamus sortiri posse infinitudinem in intensione, eam dicimus locum habuisse in B. Virgine; sicut enim iuxta communem Doctorum sententiam, fuerunt intensi in summo, quia omnem proportionem servare debent ad intensionem gratiae habitualis, caeterarumque virtutum supernaturalium; ita in sententia admittente in Virgine Deipara gratiae infinitudinem in intensione, hi habitus et actus virtutum ordinis naturalis admitti debent infinite intensi.

1174. Hinc autem emergit nova difficultas a nobis superanda; cum enim potentiae animae B. Virginis fuerint in sua physica entitate finitae, utique non possent elicere actus in intensione physica infinitos, nulla enim connaturalitas et proportio inter finitum et infinitum reperiri potest. Verum ex iam dictis facile nos ab hac difficultate expediemus. Respondeo enim: si potentiae animae Deiparae spectentur in sua physica entitate, verissimum est antecedens; sed nullam vim exerit adversus infinitudinem assertam. Neque enim Maternitas Dei et gratia ipsi debita est connaturalis, aut proportionata animae Mariae, quia haec naturalis est, illa supernaturalis: sicut ergo non obstat physica illa improportio, ne sit Mater Dei grandi gratiae cumulo tali dignitati debito cohonestata, ita neque obstabit, quin habeat gratiam habitualem infinite intensam, quod minus est, quam esse

Matrem Dei. Proinde Maternitas Dei reddit potentias moraliter proportionatas animae Virgineae cum productione actuum infinite intensorum. Replicabit nonnemo, per hanc moralem proportionem non auferri actus, et habitus infinite intensos in entitate physica, magnam habere improportionem cum potentiis finitis in entitate; ergo hae potentiae connaturali modo non poterunt recipere habitus infinite intensos in entitate, nec actus elicere, aut recipere eiusdem infinitae intensionis.

Caeterum respondeo, illam habituum et actuum receptionem et productionem esse improportionatam cum intellectu et voluntate naturali; qua ratione etiam est improportionata illis quaelibet receptio, et productio cuiuslibet qualitatis supernaturalis: si vero sumatur intellectus et voluntas secundum potentiam obedientialem, tunc productio et receptio illa habituum, et actuum infinitae intensionis proportionem habent cum illis potentiis; siquidem potentia obedientialis, *ut sic*, proportionem servat cum actu quocunque, ad quem dicit ordinem, et cuius est obedientialis. Praeterea semel recepto habitu in entitate infinite intenso, connaturaliter potentia illo praedita poterit producere actus infinite intensos; sicut semel recepto habitu supernaturali in potentia, haec connaturaliter producit actus supernaturales: aeque enim proportionata est voluntas ornata habitu supernaturali infinite intenso in ipsa recepto ad actus infinite intensos: ac est proportionata ad volitiones supernaturales finite intensas per habitus supernaturales finite intensos. Cum ergo voluntas connaturaliter proportionetur ad volitiones supernaturales finitas in intensione per habitus supernaturales in intensione finitos; etiam sufficienter et connaturaliter omnimodam proportionem servabit ad volitionem supernaturalem in intensione infinitam per habitum supernaturalem in intensione physica infinitum. Haec dicta sint argumentandi gratia, et praesentem quaestionem ultro citroque exagitandi: non quod in ea sim sententia, videlicet B. Virginem de facto sortitam fuisse gratiae infinitudinem syncathegorematice; cum nemo, quem viderim usque modo, hanc gratiae infinitudinem B. Virgini collatam fuisse, scriptis mandaverit. Fateor tamen argumenta producta pro sententia affirmante, eam ab intrinseco satis probabilem reddere.

CERTAMEN VII.

Utrum B. Virgo post Filii conceptum fuerit capax augmenti gratiae.

1175. Nemo quem viderim negavit, B. Virginem nova gratiae incrementa fecisse usque ad Incarnationem; potuit enim semper maiores virtutum progressus facere. Unde Gabriel, qui eam gratia plenam compellavit, addidit: *Spiritus sanctus superveniet in te;* nempe, ut ait Bernardus: *Ut superimpleret eam, et abundantiori gratia eam cumularet.* A tempore autem Incarnationis Filii usque ad ultimam vitae periodum aliqui opinati sunt Virginem Deiparam in gratia non potuisse novos auctus facere, neque amplius promereri: in quam sententiam inclinare videtur Scotus in 4, disp. 4, q. 6 ad 5; Almaynus in 3, dist. 3, q. 3; imo s. Thomas, 3 p., q. 27, art. 5, aliquo modo favere videtur huic sententiae; ait enim gratiam B. Virginis fuisse consummatam in conceptione Filii. Adfavet s. Bernardinus, ser. 51 de concept.; affirmat enim B. Virginem in Filii Incarnatione tanta fuisse gratia donatam, quantam accipere potest creatura viatrix. Cui opinationi adhaerescere videtur s. Ioannes Damascenus, orat. 1 de dormit. Deiparae, ubi haec habet verba: *Mors enim eos* (nempe, alios sanctos) *perficit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat; minime tamen hoc in te usurpabimus; neque enim mors tibi beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliavit. Omnium etenim bonorum initium, medium et finis, securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte conceptione posita fuit.* Niti autem potest haec sententia eo fundamento, nempe quia oportebat B. Virginem ad dignitatem maternitatis Dei perfectissimo modo ac grandi gratiae apparatu disponi, ac proinde eam tunc gratiae plenitudinem accepisse, quantum creatura capere potest, ita ut ulterius in gratiae profectu progredi non posset.

Qui opinandi modus, tanquam improbabilis explodendus est. Quare censeo potuisse Virginem Deiparam post Filii Incarnationem novos auctus in gratia facere: ita Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 18, s. 1; Vasquius, ibidem d. 119, c. 5; Durandus in 3, dist. 3, q. 4, n. 7; Gabriel ibidem, q. 2, art. 3, dub. 1 cum Ocamo quem citat. Luculentius docet Scotus in 4, d. 5, art. 2, cuius haec sunt verba: *Quis ambigat, quin cum merita praemium praecedant, per tam egregia omnium virtutum officia, quae post sacratissimum partum accumulavit, cumulatior etiam in dies, et excellentior illi accresceret gratia? Fuit quidem gratia plena ante conceptionem Filii, quantum par erat, ut fieret Christi Mater: attamen gratia illa non fuit eo modo summa, ut non posset deinceps meritis augeri.* Eandem thesim tenet Andreas de Vega, ac rationibus fulcit lib. 10 in Trid. c. 2: *Quis enim,* inquit, *neget ipsam sanctiorem et gratiorem Deo fuisse postquam Filium Dei concepit, peperit, nutrivit, et pro nobis patienter tulit in cruce mori? Si fieri potest, ut gratior sit aliquis apud Deum uno tempore, quam alio; nescio quemadmodum possit quis credere tam parvi apud Deum fuisse tanta ac praecellentia obsequia, ut non eam, post ipsa, multo habuerit cariorem et gratiorem. Nam quod quidam existimant datam ei esse in conceptione Filii Dei totam gratiam, quam postea meritura erat, somnium est absque ullo fundamento contra legem Dei effictum, quod eadem facilitate, qua dicitur, merito est contemnendum.* Hanc eandem sententiam sustinent communiter Theologi in 3, dist. 3, ac Patres.

Suaderi potest, quia incredibile videtur, ut tot labores ac obsequia B. Virginis Filio prae-

stita, tot etiam peregrinationes susceptae, tot etiam dolores perpessi tempore passionis ex ardentissimo Dei amore et hominum, nullius fuerint meriti, nec augmenti gratiae; neque B. Virginem post tot labores pro Christo exantlatos Deo gratiorem, aut cariorem fuisse. Quod si occurras etiam Angelos quamplurima obsequia in hominum utilitatem ex perfectissimo Dei amore exequi, quibus tamen nullos novos auctus neque in gratia, neque in merito faciunt, neque Deo cariores, aut gratiores fiunt; imo Christus Dominus per tot cruciamenta tolerata, per tot patrata opera neque gratior Deo reddebatur, neque aliquid gratiae sibi promerebatur: verum maximum intercedit discrimen inter Angelos, Christum ac Deiparam: siquidem haec semper, dum fuit in corpore mortali, viatrix fuit, ac proinde semper in statu merendi fuit: nihil ergo obstare poterat quin meritum adaugeret, et gratiam operibus virtutum; non ex parte gratiae, nondum enim erat in termino, et gratia in infinitas infinitudines protendi poterat; neque apparet quaenam alia conditio deesse poterat, quae gratiae augmentum impediret. Commentitium autem existimo asserere B. Virginem exemptionem passam fuisse in lege communi de potentia merendi in statu viae; haec enim exceptio potius in damnum ipsius Virginis, quam in commodum confingitur. Cur enim omnibus viatoribus conceditur potentia augendi merita per virtutum opera, B. autem Virgini denegabitur, eo praecipue tempore, quo perfectioribus longe virtutum operibus incubuit? At Angeli cum sint in termino, omnino augmenti gratiae et meriti incapaces existunt. Christus etiam Dominus ob infinitam Personae dignitatem erat Deo infinite gratus, et infinite sanctus, non solum sanctitate substantiali, sed etiam accidentali in omni genere, ut docte et pie probat Augustinus Bernal, tom. de Incarnatione, disputat. 30.

1176. Ulterius opponet aliquis, potuisse Deum a primo conceptionis momento dilargiri ipsi totam illam gratiae plenitudinem, quam praevidit ipsam suis operibus promerituram, ita ut per opera ac virtutum actus subsequentes non mereretur augmentum gratiae de novo obtinendum, sed haberet obtentum iam in momento Incarnationis. Nihil enim obstare poterat, quominus Deus conferret B. Virgini eam gratiae plenitudinem, quam toto vitae suae tempore comparatura erat, cum Deus praesciret omnia illa merita, et poterat ex praevisis illis meritis, praemia ipsis correspondentia conferre: decens enim videbatur illud gratiae augmentum B. Virgini exhibere, ut statim atque Mater Dei constitueretur, iam Deo gratissima ac carissima toto illo gratiae augmento exhiberetur. Caeterum, haec omnia gratis et sine fundamento conficta sunt contra communem merendi modum, qui exigit, ut meritum praecedat praemium, et principium meriti ipsum meritum: neque enim principium meriti cadit sub meritum. Quod si omnis gratiae plenitudo, quae futura erat praemium meritorum Deiparae, praecessisset eadem merita; necessario dicendum esset fuisse principium illorum: quippe gratia, quae anteit in operante executionem operum, est principium eorum, prout Deo grata sunt et meritoria; atque adeo B. Virgo promeruisset ipsum principium meriti.

Rursus, si B. Virgo ab instanti Incarnationis praedita fuit omni gratiae plenitudine, quam in fine vitae consecutura erat, ex illo ergo tempore potuit iam producere actus amoris Dei aequales in intensione ipsi gratiae; semper enim divinae gratiae cooperata fuit, neque obicem eius efficaciae unquam apposuit; sed semper operabatur ex tota intensione habitus gratiae et charitatis: at per actum unum amoris Dei ita intensum merebatur aequalem intensionem habitus, ut in principio huius Palaestrae constituimus: ergo Virgo Deipara post primum actum suae gratiae adaequatum, nihil per subsequentes promeruit; quod falsum esse iam ostendimus: vel dicendum est intensiorem, quam in instanti Incarnationis receperat, promeruisse gratiam. Dicere enim B. Virginem promeruisse eandem omnino gratiam, tam singulis actibus aequalibus, quam omnibus simul, insolens est apud Theologos, et solum Christo concessum, cuius meritum fuit undequaque infinitum, ideoque non fuit intensive maius in multis actibus, quam in uno. At in B. Virgine unaquaeque operatio bona moralis capax erat novi praemii, cum circumstantias omnes haberet ad meritum requisitas.

Deinde probari potest assertio ex Suario, tom. 3 in 3 p., d. 14, s. 1, § *Dico primo*. Siquidem Doctores, qui opinantur B. Virginem post Filii Incarnationem, incapacem prorsus fuisse augmenti gratiae, admittunt capacem fuisse plurium Sacramentorum. Quamvis ergo valor Sacramenti et effectus eius quoad actum non sint necessario coniuncta, tamen quoad capacitatem ex parte subiecti, ipsa ratio et institutio Sacramenti postulat, ut habeant necessariam connexionem; nam Sacramenta instituta sunt a Christo Domino ad conferendam gratiam, unde ex institutione sua solum respiciunt personas gratiae capaces, quaeque amplius sanctitate perfici possunt: ergo vel B. Virgo fuit capax novi augmenti gratiae, vel incapax fuit receptionis Sacramenti; utrumque autem falsum est.

Vasquius citatus eandem probat thesim hac potissima ratione, quia quodcunque opus bonum meritorium vitae aeternae, eo ipso quod fiat ab homine iusto viatore, non potest non reddere ipsum magis iustum et sanctum, quam antea erat; ergo non potest non augere statum iustitiae et sanctitatis, quam antea habebat per gratiam habitualem, ideoque non potest non promereri augmentum eiusdem gratiae habitualis. Nullum autem praeiudicium subiit dignitas gratiae Marianae, quod in hac vita nova incrementa fecerit; cum potius status ipse sanctitatis cuiuscunque viatoris sua natura id exigat. Neque obstare potest, quod B. Virgo plena gratia compelletur; non enim dicitur plena, sicut vas aqua plenum dici solet, quod videlicet tota ipsius capacitas ita completa sit, ut nihil

eius supersit, quod novum aliquid recipere possit; sed ibi ab Angelo gratiae plenitudo pro superabundanti usurpatur.

1177. Superest ut testimoniis Patrum supra allegatis respondeamus. S. Bernardinus solum intendit B. Virginem in Incarnatione Filii maiori gratia polluisse, quam viatores omnes in statu viae; non tamen intendit eam ad illum gratiae gradum pervenisse, quem ipsa in vitae termino habitura erat. Quando autem s. Thomas ait, B. Virginem in Filii conceptione fuisse in gratia consummatam, non loquitur de consummatione, quam habitura erat in gloria, sed de consummatione, per quam ita confirmata fuit in bono, ut amplius peccare non posset, quod ex eisdem verbis recte colligi potest; ait enim: *In conceptione Filii consummata est in gratia, confirmans eam in bono.* Fateor verba s. Damasceni difficiliora esse; intelligenda sunt autem de perfectione gratiae quoad remotionem omnis peccati, et perfectam securitatem, et confirmationem in bono; non vero quoad omnem plenitudinem, quam in termino vitae habitura erat: alioquin ex eisdem verbis elicere posset aliquis, Virginem Deiparam a puncto Incarnationis fuisse iam beatam ea beatitudinis perfectione, qua post mortem donata fuit. Ad rationem pro opposita sententia factam dicimus ab instanti Incarnationis fuisse B. Virginem gratia plenam, quia semper ea fuit gratia praedita, quae pro temporis opportunitate decebat; ita tamen ut semper novis virtutum actibus illam adaugeret: dici etiam posset Virginem Deiparam in momento Incarnationis accepisse omnem gratiae perfectionem non formaliter, sed quasi in radice.

CERTAMEN VIII.

An B. Virgo aliam gratiam obtinuerit diversae speciei ab ea, quae reliquis iustis in hac vita confertur.

1178. Pono possibiles esse gratias alias habituales distinctae speciei a communi coeterorum iustorum gratia, quae modo dari solet. Ita Petrus Hurtado in volumine de vita Christi, quod iamdiu lucem desiderat; Granados etiam contra Almaynum in 3, dist. 3, q. 2. Et probari potest, quia non repugnat gratia specie distincta identificata cum scientia habituali per se infusa, vel quae cum illa habeat connexionem et dependentiam, quam modo habet gratia communis nostra cum habitu fidei; nec repugnat alia gratia specie distincta identificata cum lumine gloriae, charitate et aliis habitibus per se infusis, quae sit principium amoris et visionis Dei; vel si nolis identificari cum lumine gloriae et aliis habitibus, saltem quae haberet eam subordinationem, dependentiam et connexionem cum lumine gloriae, quam de facto habet cum proportione, gratia communis nostra cum habitu fidei. Roborari potest praedicta positio, quia lumen gloriae Beatorum convenit cum essentia divina in ratione intellectuali potente immediate elicere visionem Dei; et gratia habitualis iustorum in via convenit cum ipso Deo in ratione, cui debeatur cognitio Dei, et amor supernaturalis, et visio beata suo tempore reddenda; sed nihil est implicantiae, ut haec duo praedicta identificentur in aliqua qualitate: ergo possibilis est gratia, quae reipsa idem sit cum lumine gloriae.

Declarari potest praesens doctrina satis apposito exemplo. Datur anima vegetativa solum in plantis, et anima sensitiva in brutis quae simul sit vegetativa, et anima rationalis in homine quae simul sit vegetativa et sensitiva; ergo similiter dari potest gratia habitualis, quae sit communis omnibus iustis sine ullo alio praedicato essentiali, et poterit dari alia gratia habitualis identificata cum habitu scientiae per se infusae: et alia tertia quae idem sit cum habitu luminis gloriae. Confirmatur, quia, ut probabilis fert opinio, potentiae reipsa non distinguuntur ab anima; ergo nec sanctitas a lumine gloriae reipsa secernetur. Firmatur alio exemplo ducto a sensibus externis, internis, et intellectu: quippe sensus communis latius se porrigit, quam quilibet sensus externus; et intellectus latiorem habet sphaeram, in quam protendatur, quam sensus interior: sic affirmari posset de gratiis illis inter se specie distinctis.

1179. Quibus ita positis, non sine probabilitate dici posset, saltem ab instanti Incarnationis, praeter gratiam habitualem caeteris iustis communem, sortitam fuisse Deiparam aliam gratiam specie distinctam, quae identificabatur cum scientia habituali per se infusa; quae quidem gratia erat prima radix omnium qualitatum supernaturalium, et immediata causa, et adaequata in suo genere actuum amoris consequentium scientiam per se infusam. Huic gratiae repugnabat uti habitu fidei, quia actus eius omnes erant evidentes, et licet libertas habituum praedictae gratiae non poterat esse in assensibus, quia omnes erant necessarii propter evidentiam, tamen erat libertas in amore charitatis, et in aliis actibus ab aliis habitibus procedentibus.

Quod assertum probari posset ex illo Gabrielis: *Ave, Maria, gratia plena.* In Graeco est participium κεχαριτωμένη quod gratiam altioris ordinis adsignificat, iuxta Origenem hom. 6 in Luc., ubi haec habet: *Id enim quod ait, Ave Maria gratia plena, ubi in Scriptura alibi legerim non recordor, sed neque ad virum istiusmodi sermo est. Salve gratia plena; soli Mariae haec salutatio servabatur: si enim scisset Maria, et ad alium quempiam similem factum sermonem; (habebat quippe legis scientiam, et Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat) nunquam quasi peregrina ea salutatio terruisset.* Nusquam ergo neque apud prophanos auctores hoc Verbum reperies, sed de novo Lucae Evangelistae fuit instillatum ab Spiritu sancto, ut novam et altioris ordinis gratiam B. Virginis esse intelligeremus. Pulcre Andreas Cretensis, orat de Annunc.: *Invenisti gratiam apud Deum, gratiam qualem non quisquam nactus ab aeterno, sicut tu: quae etenim talis sit gratia Dei, quae fontem mereatur; nacta es itaque gratiam apud Deum, et ecce concipies in utero, et paries Filium.* Nec

gratia ergo angelica, nec humana ulla ratione conferri potest cum gratia Mariana, quia altioris est ordinis: nec mirum, quia dignitas maternitatis Dei spectat ad alium ordinem superiorem, nempe ad ordinem unionis Hypostaticae; sicut ergo gratia unionis, in probabili sententia exigit gratiam accidentalem in Christo diversae speciei a communi gratia habituali iustorum, ita et gratia debita dignitati maternitatis deposcit gratiam aliquam superiorem, et distinctam a communi gratia reliquorum iustorum.

Accuratius autem premendum adhuc participium illud κεχαριτωμένη quo usus est Gabriel, ac si diceret, *illa gratia plena;* id enim significat participium illud appositum sine ullo articulo, iuxta Graecorum morem: si enim apponeretur articulus, innueret gratiam excellentem et sublimem, sed eiusdem ordinis: at vero sine ullo articulo, denotat gratiam singularem ordinis superioris, ita ut nulla gratia eiusdem speciei cum nostra ipsi pariari possit, sed quasi unica sit in illo ordine. Apponamus exemplum; quia unicus est sol in mundo, recte de illo affirmabimus, sol illuminat hunc mundum; si vero alius sol illustraret alium mundum, tunc recte diceremus, sol ille qui illustrat nostrum hemisphaerium, ut illum ab alio sole distingueremus: qua ratione plures Interpretum accipiunt illam Pharisaeorum ad Baptistam interrogationem: *Es tu propheta?* Alii legunt: *Es tu ille propheta?* Articulus ergo, *ille*, licet denotet inter omnes esse excellentem, non tamen singularem: at vero quando deest articulus, significat rem illam esse unicam singularem, ita ut nulla alia reperiatur intra eandem speciem. Ideo ergo Gabriel vocat Mariam gratia plenam sine articulo, ut innueret, nullam aliam creaturam, sive Angelum, sive hominem purum reperiri, qui ea gratiae plenitudine et specie, qua Maria plena fuit, praeditus fuerit.

1180. Quod dilucide s. Ioannes, Apoc. c. 12, indicavit verbis illis: *Signum magnum apparuit in coelo.* D. Hieronymus ait, ibi signum significare miraculum. Itaque B. Virgo apposite dicitur miraculum, et quidem non solum naturae, sed etiam gratiae; ait enim, miraculum magnum apparuit in coelo. Sed res difficilis apparet, vocari Virginem Deiparam miraculum in ordine gratiae; miraculum enim illud dicitur a Theologis, quod sit supra vires naturae, gratia autem est supra omnes vires naturae: ergo gratia Deiparae dici potest miraculum supra vires naturae, non vero miraculum supra gratiam, vel in ordine supernaturali gratiae. Hinc ergo perspici potest, gratiam Marianam non esse supra ordinem gratiae, cum sit hic ordo supremus; atque adeo ex parte hac nequit dici gratia Mariana quoad substantiam miraculosa, cum non fuerit supra ordinem et vires gratiae. Sed tamen dicitur gratia B. Virginis miraculum gratiae, triplici ex consideratione: nempe in intensione; fuit enim in summo, vel forsan infinita, qua ex parte omnes gratiae portiones hominum et Angelorum simul sumptas infinito intervallo superavit: deinde in perfectione specifica, gratia enim Mariana alterius fuit speciei, altioris ordinis et sublimioris excellentiae: denique quia fuit gratia disponens Mariam ad maternitatem Dei, quae dignitas infinitudinem quandam praesefert, et supra communem ordinem gratiae, et pertinens ad ordinem unionis Hypostaticae: sicut ergo gratia unionis est in Christo supra communem ordinem gratiae, quae reperitur in omni pura creatura, et petit etiam gratiam habitualem superioris naturae, quam sit nostra, et quoad hanc partem dici posset miraculum gratiae, quia est supra vires et potentiam gratiae communis aliis creaturis; ita cum proportione dicendum de gratia Virginis Deiparae. Hinc lucem capiunt verba s. Ignatii M. in epist. ad Ioan. Evang.: *Sicut*, inquit, *a fide dignis narratur, in Maria Matre Iesu humanae naturae, natura sanctitatis angelicae copulatur, et haec talia excitaverunt viscera nostra, et cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas est dicere, coelestis prodigii, et sacratissimi gratiae miraculi.* Eodem modo eam compellat Epiphanius, lib. 6 de laudibus Deiparae: *Coeli, terraeque mysterium, et stupendum gratiae miraculum.* Et D. Damascenus eam vocat, *Abyssum omnium miraculorum.* Hanc etiam gratiam diversi ordinis innuit s. Augustinus, de Assump. tom. 9: *Humilitatis naturam sumens,* ait de Christo, *sanctam de sanctificato corpore, et immaculatam de immaculato; ineffabilem enim sanctificationis gratiam, quam concipiendus praebuit, conceptus, et natus non abstulit.* Hunc etiam sensum amant verba s. Thomae a Villanova, conc. 3 de nativ. Virginis: *Qualis est dignitas Matris Dei? Utique habet quandam infinitatem, esse Matrem Infiniti et Omnipotentis; quae autem excellentia, quae perfectio, quae magnitudo decuit eam, ut esset idonea Mater Dei? Hic iam sileat lingua carnis; excedit enim intellectum et loquelam Virginis magnitudo, non modo nostram; imo forte et suam. Fecit, inquit, mihi magna, qui potens est: sed quam magna! Nescio an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem.* Arrisit haec nostra sententia doctis Theologis ex iuniorum albo, ut refert Sherlogus tom. 3 in Cant. fol. 605, qui opinantur Beatae Virgini gratiam sanctificantem specie omnino diversam a communi iustorum habituali gratia collatam.

Ratione autem suadetur, quia decebat Christum nasci ex Matre, maiori infra Deum puritate decorata, et infra naturam creatam Deo hypostatice unitam; atqui puritas proveniens ex gratia identificata cum scientia infusa, per se est maior, quam omnis gratia communis iustorum, quae ducitur per fidem ad eliciendos actus amoris, et est minor ea puritate seu gratia, quae identificatur cum lumine gloriae, quae est propria Christi Domini; ergo illa gratia deferenda erit Mariae. Ex quibus consequitur, maternitatem Dei in B. Virgine cum hac gratia, quae identificatur cum scientia per se infusa, prout a nobis declaratum fuit, esse connaturale fundamentum morale excellentioris adorationis, quia cum sit sanctitas excellentior diversae speciei, meretur etiam adorationem superiorem diversae

speciei ab ea, quae debetur reliquis Sanctis, nempe adorationem hyperduliae. Deipara ergo est obiectum amicitiae, et charitatis moralis distinctae speciei ab amicitia et charitate morali communi, quia est iusta et sancta per sanctitatem specifice nobiliorem et excellentiorem; sicut cum proportione Christus ut homo propter unionem hypostaticam est obiectum charitatis et amicitiae excellentioris, quam reliqui iusti et ipsa Deipara: quae amicitia habet pro obiecto sanctitatem identificatam cum lumine gloriae, ut supra ostensum, quae nulli rationali creaturae sit debita, nec Mariae. Ad eum modum Deipara propter maternitatem Dei est cum illa gratia in essentia excellentiori, ac proinde ad obiectum specie nobilius terminatur habitus per se infusus etiam specie distinctus, iuxta doctrinam communem de distinctione habituum per obiecta, quae respiciunt.

CERTAMEN IX.

Examinat utrum sit peccatum, sperare a Deo aliquem posse ad illam gratiam pervenire, quam attigit Deipara.

1181. Certum est, multipliciter delinqui posse contra virtutem spei, ut videre est apud Doctores, s. Thomam 2 2, q. 21, art. 1; Valentiam 2 2, d. 2, q. 3, punct. 2; Sanchez in Decalogum tom. 1, lib. 2, c. 34, n. 7; Fagundez in 1 praeceptum Decalogi, lib. 1, c. 31. Disquirimus ergo in praesenti Congressu, utrum quis delinqueret lethaliter, si speraret a Deo consecuturum tantam gratiam, quantam nacta fuit Virgo Deipara. Et ut vera a falsis secernamus, imprimis res est comperta apud omnes, nullum reperiri peccatum in eo, qui assereret Dei accensus amore: *Vellem Deum amare amore ita ferventi sicut Virgo Deipara Deum dilexit;* hoc enim passim plurimi Sanctorum praestabant, et nunc plures animae eiusmodi actus frequenter eliciunt magno cum gratiae incremento, et merito; imo actus ille, *Vellem Deum amare amore ipsius Dei*, est laude dignus in D. Augustino. Quibus ita praemissis; Novatores ac Sectarii gratiae plenitudinem Mariae Virgini non maiorem attribuunt, quam Magdalenae, Samaritanae et aliis foeminis, imo quam Latroni bono; itaque Deiparae conditionem fere nihilo potiorem, quam Latronis, faciunt. Et Marianum singularissimum privilegium ad omnes, et quoslibet poenitentes detorqueri posse turpissime hallucinantur. O stultos ac coecos homines! qui se dormitando, oscitando, voluptatibus inhaerendo, ac genio indulgendo, ad eam gratiae plenitudinem, quae in purissima Dei Matre inhaerebat, subito contingere sibi persuasum habeant. Qua de re tractat Canisius, lib. 3 de Deipara, cap. 5, § *Ex quibus*.

His igitur praetermissis, dicendum reor cum P. Fagundez citato, n. 20, spem illam, qua quis speraret a Deo se habiturum tantam gratiam, quantam habuit Virgo Deipara, sapere spem Lutheranam; ac proinde esse peccatum gravissimum contra virtutem spei, sive speraret attingere posse gratiam, quam habuit, dum hac vita mortali frueretur; vel quam gratiam, sive gloriam modo in coelis habet. Probatur assertum, quia sperare a Deo aliquid contra ordinem naturalem divinae providentiae, est praesumptio temeraria; sed iuxta praescriptum a Deo ordinem, Virgo Deipara eam gratiae plenitudinem assecuta est, ut vidimus, quae reliquarum creaturarum intelligibilium gratiam longo intervallo superaret: id enim totum decebat Virginem Beatam, quae Dei Genitrix futura erat; ergo, etc. Maior per se patet: velle enim invertere divinae providentiae ordinem, quae in promissionibus divinis fundamentum habet, est maxima inordinatio, Deoque iniuriosa; destruit enim debitum ordinem divinae providentiae ac divinarum promissionum, quo destructo, spei fundamentum corruit, quod nititur divinis illis promissionibus, quae ex Scripturis sacris affatim constant.

1182. Quam autem censuram mereatur impium illud assertum, videlicet aliquem Sanctum ad eum sanctitatis gradum conscendisse, ad quem B. Virgo pervenit; censeo eiusmodi propositionem esse temerariam, ne dicam esse manifestum errorem ultra temeritatem, quia est contra omnium sanctorum Patrum ac Theologorum placitum, qui unanimi consensu docent, B. Virginem ad eum sanctitatis cumulum devenisse, quem nulla creatura attigit, at toto huius Palaestrae decursu demonstravimus; idemque esto iudicium de ipsius beatitudine: et quidem aliquis assignari debet terminus intensionis, seu augmenti gratiae Marianae, qui licet finitus sit, non possunt reliqui iusti secundum ordinariam potentiam ad illum perfectionis gradum pervenire. Ratio est, quia augmentum hoc nequit fieri iuxta vires gratiae et auxilia, haec autem non dantur hominibus sine mensura, sed iuxta certam legem a Deo statutam: ergo potentia crescendi, quae ex illis consurgit, limitata est ad aliquem certum terminum saltem extrinsecum qui a nemine attingi possit de lege ordinaria. Quod amplius roboratur; nam ut Virgo Deipara posset crescere usque ad tantam perfectionem gratiae, opus fuit adiuvari talibus auxiliis, et ita singularibus praerogativis, quae secundum ordinariam legem aliis iustis non conferuntur, nec aliquando conferentur: ergo absolute loquendo nequeunt alii iusti ad illum augmenti terminum pervenire, quia nequeunt id propriis viribus praestare, ut certum est; neque ex parte Dei offeruntur auxilia adhuc sufficientia ad tam sublime gratiae augmentum promerendum; ergo ille gratiae Marianae terminus assignari potest, ut terminus extrinsecus augmenti gratiae respectu aliorum hominum et Angelorum. Sola quippe B. Virgo semper Dei voluntatem et gratiam attente excepit, eique ex aequo operata est; ut si reciperet gratiam intensam ut mille, eliceret actum intensum ut mille, idque continuo absque ulla interceptione; quod nullus caeterorum Sanctorum praestitit: infirmitas enim humana nunc in intensione, nunc in continuatione deficit, nunc ex frequenti actuum repetitione fatiscit intensorum, ut Dei gratiam adaequare non possit. Qui tamen, licet ad tempus, ita generosi

sunt, ut eam maxime adaequare conentur, hi maximos in virtute et gratia progressus faciunt. Est igitur gratia B. Virginis maxima, quam ipsa potuit physice habere, et omni vocatione, qua pulsata fuit, est usa omnibus nervis ac conatu: quod si opera intensiora non exercuit, non fuit ex incuria, aut negligentia, sed ex voluntate Dei volentis illam donari gratia ita sublimi, et non maiori. Haec autem gratia Mariana est, ut dixi, terminus extrinsecus, quem nulla pura creatura attigit, nec physice attingere potuit, quia nulli Deus dedit vocationes, caeteraque auxilia, quibus impetrare potuisset tantum gratiae cumulum.

1183. Et quamvis quispiam optaret mereri apud Deum eos gratiae gradus, quos B. Virgo promuerit; nunquam tamen, nec longa intercapedine ad Mariana merita perveniret, quia voluntas illa interior non est commensurata obiecto, neque in re est adeo efficax, quanta fuisset, si conditio, sub qua fertur, potuisset compleri, aut esset iam completa: et patet in desiderio amandi infinite Deum, quod habet pro obiecto infinitum Dei amorem, ac proinde quolibet intensionis gradu fiat, nunquam tamen adaequabitur illi obiecto infinito, neque illam vim et efficaciam habebit, quam amor infinitus ad Deum, si in re poneretur: imo infinito intervallo ab illo distaret, ideoque desiderium illud, infinitum meritum habere nequit. Eadem ergo ratione de illo desiderio, quo quis optaret ad eum meritorum cumulum devenire, quem de facto attigit Virgo Deipara, dicendum est, quia merita B. Virginis secum includunt plurimos ac perfectissimos actus internos intellectus et voluntatis, quibus fieri non potest illud desiderium adaequari in efficacia operandi, neque in numero; quia actus illi B. Virginis secum involvunt auxilia plurima efficacissima ac valde singularia, quae nulli creaturae conceduntur, sine quibus fieri non potest ut quis ad eum gratiae ac meritorum cumulum perveniat, quem attigit Virgo Deipara.

CERTAMEN X

An et quomodo B. Virgo in gratia confirmationem sibi nacta fuerit.

1184. Communi omnium Patrum ac Doctorum consensu B. Virgini defertur privilegium immunitatis ab omni culpa actuali, ac proinde privilegium singularissimum confirmationis in bono. S. Ildephonsus apud Salazar de Concep. c. 32, n. 25, ita habet: *Nam Angelicae forma naturae ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans: haec Foemina sanctificationis vas; vel, ut alii habent, basis est.* Decuit sane, ut quae superior Angelis erat, superior etiam gratia ipsi exhiberetur; in eo ergo vicit Mariana gratia gratiam Angelorum, quod haec ab initio inconstans et nutans, illa vero firma et inconcussa existeret: unde vocatur ab Anselmo Sanctificationis basis, quia stabilis instar columnae fuit: et sapiens Idiota: *Angelicae naturae peccato vacillaverant, ideo te gloriosam Virginem Mariam aedificavit in domum solidam et fortem, quae nullo modo vacillare posset.* S. Gregorius Thaumaturgus, ser. 2 de Annunc. B. Mariae: *Haec*, inquit, *virtutis domicilium, fons perennis, haec iustitiae munimentum, graece ἀχύρωμα; quod significat locum munitissimum.* D. Bernardus in ser. de B. Maria: *Prius eam Altissimus sibi quasi mundum specialissimum condidit, quam in iustitia et sanctitate coram ipso fundaret.* Haec autem confirmatio in gratia in B. Virgine nequaquam fuit, sicut in Apostolis et reliquis, sed sublimiori quodam modo simili illi, quo Beati in patria potiuntur, ita ut ab omni culpa etiam levissima eam removeret; ita ut charitas non solum non defecerit, sed nec quomodolibet defervere unquam potuerit; quem confirmationis modum innuit s. Thomas, 1 p., q. 100, art. 2: *Ex hoc*, inquit, *creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui viso non potest non inhaerere, cum ipse sit essentia ipsa bonitatis, a qua nullus potest averti, cum nihil desideretur, nec ametur, nisi sub ratione boni, et hoc dico secundum legem communem, quia ex aliquo privilegio secus accidere videtur, sicut de Virgine Matre Dei.* Itaque iuxta s. Doctorem, Deipara ea confirmatione in gratia fuit potita, qua gaudent Beati in coelo; in hoc tamen dissentimur tanto Doctori, quod ille gratiam hanc confirmatam B. Virgini non in primo Conceptionis instanti, sicut nos, sed in Incarnatione Verbi fuisse collatam adstruit.

1185. Sicut ergo Beati, quia in Deo omnem rationem boni sine intermissione clare contemplantur ac vident, nequeunt converti ad bonum temporale amandum; sic similiter B. Virgo sine aliqua intermissione res divinas ac Deum contemplans, tantam in ipso bonitatem apprehendit, ut non posset per quaecunque obiecta creata a Deo avocari, atque adeo in gratia firmata et constans ea ratione merito dici potest. Quando autem dicimus, B. Virginem confirmatam in gratia ad eum modum, quo Beati; ita intelligendum est, ut Beati peccare non possint necessitate antecedenti, quae tollit libertatem; Deiparam vero dicimus non potuisse peccare ex impossibilitate consequenti, non enim libertatem eius laedere intendimus. Quod docet Albertus Magnus in Mariali, c. 175: *Quarto modo dicitur non posse peccare id quod habet coniunctionem ad naturam invertibilem per medium, quod secundum naturam suam in se quidem est separabile; sed tamen quia omnino est separatum a contrario repugnante, vel resistente, vel impediente, propterea in tali subiecto est inseparabile in summo? hoc modo dicitur B. Virgo non posse peccare.* Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 4, sect. 3, docet certum esse de fide, B. Virginem nunquam amisisse gratiam, quam in prima sanctificatione accepit, atque adeo in illa fuisse confirmatam, et infallibile perseverantiae donum accepisse. Quod firmari potest ex unanimi Ecclesiae consensu et traditione. Deinde Ecclesia festum Nativitatis B. Mariae indicens decernit utique hoc ipso, tunc eam iam fuisse inamissi-

bili sanctitate decoratam; siquidem Ecclesia nullam sanctitatem publico ac solemni cultu veneratur ac suspicit, nisi eam, quae defectui non sit obnoxia, quaeque perpetuo duratura sit.

Ut autem eximium et singulare quoddam esse donum confirmationis in gratia intelligamus in B. Virgine, distinctum ab aliis, necesse est, ut admittamus auxilia quaedam superioris ordinis a Deo in tanti muneris fastigium praedefiniri: quae secundum suam entitatem ita valida et intensa forent, ut non solum conducerent ad vitanda quoquomodo peccata gravia, et levia usque in ultimam vitae periodum, sed ad ea facili negotio et delectabiliter superanda: quorum virtute et efficacia licet maneret libertas physice ad delinquendum, moraliter tamen impotens omnino censeretur, hoc est ita virtus quaevis facilis ac suavis reddebatur Deiparae; quodlibet autem peccatum ita horridum et iniucundum, ut impossibile appareret in lapsum incidere. Quod si in gratiae, et donorum, sive auxiliorum plenitudinem refundatur haec ad delinquendum impotentia, sive in virtutum vigorem ac robur, ex eo dicemus impotentem B. Virginem ad peccandum, quia talia futura praevidebantur auxilia et dona, ut semper facillime ac iucundissime ferretur, et alliceretur voluntas in actus virtutum, nunquam vel levi maculanda naevo. Nunc autem vestigare oportet, in quo potissimum sita sit ratio formalis huius confirmationis in gratia in Virgine Deipara.

1186. Perperam aliqui sufficere autumant ad hanc confirmationem in gratia, solam fomitis peccati ablationem; siquidem protoparentes in statu innocentiae eiusmodi peccati fomite carebant. Nec sufficit suggestionum remotio externarum, quibus a Daemone pulsamur, quia Angeli eo instanti, quo viatores exstiterunt, nulla ab extrinseco suggestione ad malum fuerunt attracti; et tamen eorum gratia nutavit quasi ab intrinseco: nec aliis acquiesco, qui hanc confirmationem in gratia provenisse aiunt in B. Virgine, ex eo quod extincto fomite, remotis procul suggestionibus, et ingenita cupiditate oppressa, per singularem Dei protectionem, tum ob contemplationem, et amorem actualem summi boni, in gratia dicitur obfirmata. Haec enim non sufficere infra ostendemus.

Censeo illum solum dicendum confirmatum esse in gratia, quem Deus per revelationem confirmat ipso perseverantiae finalis dono. De quo videndus Vasquius in 1 p. d. 90; 1 2, et in 2 2, disputat. 200, cap. 5, ubi perspicuis verbis docet in gratia confirmatos solum dissidere a praedestinatis in gratia finali decedentibus, quia primi habent suae perseverantiae finalis in gratia revelationem, quam non habent alii praedestinati; quae doctrina explicari potest ab exemplo: si enim aliquis iter facturus per inviam, vastamque eremum, grassatoribus obviam, latrociniis obnoxiam, discriminibus patentem, si hic habeat a Deo revelationem, incolumem se facturum iter, tutumque ad patriam remeaturum; tametsi comites via illa illaesi, ac tuto gradiantur, non tamen sine formidine ac tremore, qui vero revelationem hausit, securus et alacer iter illud dimetitur, spe erectus, viribus confirmatus, animoque gaudens: ita etiam in praesenti asserendum est, confirmationem in gratia desumendam a revelatione facta ipsi confirmato, ipsius in gratia perseverantiae finalis. Posita igitur revelatione, sufficiens constituitur discrimen inter utrumque donum perseverantiae finalis, et in gratia confirmationis; non enim necesse est, ut confirmatus in gratia discriminetur ab aliis praedestinatis in efficacia, ac virtute auxiliorum, quia haec aequalis esse potest in utrisque: ergo sat erit, quod differat in eo, quod perseverandi donum sibi omnino securum ac certum habeat, hanc autem securitatem in gratia confirmatus ex revelatione solum haurire potest: quae quidem omnia maius bonum ac beneficium important, non tamen maius auxilium in ordine ad efficaciam; quam doctrinam, quamvis refellat Suarius, probabilem tamen censet tom. 3 de gratia, lib. 10, c. 8. Huius etiam sententiae assertor est Molina 1 p., q. 14, art. 13, disp. 18; Balthasar Alvarez, primarius Theologiae Professor Academiae Eborensis, hanc tuetur sententiam: aiunt enim, confirmationem in gratia supra perseverantiae finalis donum, tantum addere certitudinem ex revelatione, apponuntque exemplum satis appositum, nempe beneficium aliquod confirmatum, supra non confirmatum, solum addit certitudinem contentam in litteris ipsius beneficii de non amplius amovendo, aut repellendo iure illo fructus percipiendi.

1187. Quae doctrina a nobis proposita eo magis arridet, quia opposita, quam tutatur Suarius, non sat explicat, quomodo donum perseverantiae differat a confirmatione in gratia: si enim confirmatus in gratia, nulla alia re discriminetur ab his qui gaudent perseverantiae dono, nisi quia in gratia confirmatis dantur auxilia efficacissima per illustriores intellectus illuminationes, et ardentiores voluntatis impulsus, aliis vero praedestinatis minora conferuntur auxilia, efficacia tamen: hinc plane infertur, omnes fere, qui in gratia finali decedunt, esse confirmatos in gratia. Si enim inter se componantur, reperientur plures, quibus uberiora collata fuere auxilia ad vincendas et propulsandas sine ulla vi tentationes: ergo saltem hi, si conferantur cum aliis, quibus minora praestita fuere auxilia, recte dici poterunt in gratia esse confirmati; praesertim cum auxilia in entitate minora, moraliter maiora reputentur; si exhibeantur talibus circumstantiis temporis, complexionis, affectus maioris, seu minoris, ut recte docet ipse Suarius in opusculis, in resolutione de auxilio efficaci, n. 48.

Roboratur amplius haec sententia, refellendo modos alios minus idoneos explicandi donum confirmationis in gratia; neque enim dici potest esse decretum Dei de protegendo confirmatum in gratia, usquedum e vita decedat, hoc enim decretum recte in omnes praedestinatos extenditur, et tamen nequaquam dici possunt omnes in gratia confirmati. Nec confirmatio in gratia recte dicetur perseverantia finalis in gratia a

prima gratiae infusione sine ulla interruptione: aliquis enim, et plures ex Apostolis post primam deperditam gratiam, in gratia confirmati permanserunt, et plures sine ulla interruptione gratiam custodierunt, nec tamen in eadem gratia censeri possunt confirmati. Praeterea dici non potest, perseverantiam finalem in eo differre a confirmatione in gratia, quod haec ad longum temporis spatium protenditur, perseverantia vero ad breve: hoc enim discrimen et accidentarium valde est, et libere confictum; quis enim assignare poterit tantam temporis longitudinem plus minusve requisitam, ut de perseverantia ad confirmationem detur regressus?

Demum displicet Gregorius de Valentia de gratia, disp. 8, q. 3, p. 3, docens confirmationem in gratia in eo sitam esse, quod confirmatus in gratia nequeat delinquere mortaliter, solum enim relinquitur ei libertas ad bene operandum et ad peccandum venialiter: perseverantiam vero totam relinquere libertatem; displicet, inquam, quia hic explicandi modus adversatur Paulo in gratia confirmato, et asserenti I Cor. 9: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quamvis enim certus erat, se usque in vitae finem in gratia perseveraturum, ut ait Salmeron ad ea verba, et Vega in Trident. c. 1, quia tamen nullum in se privilegium aut donum libertatem ad peccandum tollens experiebatur, imo agnita in se libertate ad delinquendum etiam lethaliter, ad corporis flagellationem, carnisque castigationem confugiebat.

1188. Arbitror ergo, confirmationem in gratia supra magnum perseverantiae donum, nihil aliud addere praeter revelationem; (a) nihil enim addit intrinsecum influens ad salutem, sed solum est favor maximus in praedestinatum exhibitus, ac supremum beneficium, ultra quod nequit in via maius excogitari, quod citra perseverantiam finalem solum superaddit ipsam revelationem ipsi praedestinato factam de eius perseverantia finali, nulla addita maiori gratia, nec auxilio. Confirmatio ergo in gratia dicit immobilitatem et in ipsa gratia durationem; sed haec immobilitas in statu gratiae non dicit necessitatem non peccandi in voluntate sitam, ut dixi; ergo solum residere poterit in intellectu per certitudinem revelationis.

Insurget aliquis ex Suario, lib. 3 de praedestinatione, in fine, et tom. 3 de gratia, qui existimat consistere posse confirmationem in gratia sine revelatione, ut patet in Baptista ac reliquis Apostolis, qui iuxta communem Doctorum sensum in gratia confirmati fuere; at illos revelationem habuisse constare nequit. Respondeo de Baptista id plures asserere, ut alibi tetigi: nunc autem addo Andream Cretensem, orat. de amput. capitis Baptistae, ubi ait Ioannem per revelationem praescivisse mortem suam pro Christo, ideoque illam haud formidasse: *Illi*, inquit, *impraevisam, hic vero manifestam, et ante oculos mortem habebat.* Si ergo praeviderat mortem pro Christo subiturum; ergo se pro Christo martyrem occubiturum certo sciverat, atque adeo in gratia finali decessurum. Quod roboratur ex Gregorio Nazianzeno orat. 39 asserente: *Ego a te debeo baptizari, addo, et pro te, (exploratum enim habebat, fore ut martyrio baptizaretur) et tu venis ad me: hoc quoque propheticum; futurum enim norat, ut quemadmodum post Herodem Pilatus fureret, ita quoque eum prius vita functum Christus sequeretur.* Idem docet Vasquius in 1 2, disput. 200, cap. 5, in fine, de Paulo et aliis Apostolis, habuisse scilicet revelationem suae perseverantiae finalis.

1189. Quae omnia ex eo produximus, ut aperte demonstraremus, Virgini Deiparae revelationem suae praedestinationis certissime fuisse factam, nempe ut adhuc viatrix, status beatitudinis, qui omni securitate et firmitudine innititur, particeps fieret; non enim solum in statu naturae integrae et innocentis, sed etiam quodammodo in statu naturae beatae, quoad omnimodam securitatem et in gratia perpetuitatem condita est. Fuit ergo Beata Virgo in gratia confirmata ab instanti suae Conceptionis, tanquam omnium praedestinatorum, et in gratia confirmatorum Primiceria post Christum. Vasquius 1 p., disp. 90, cap. 2, n. 7, haec habet: *Caeterum B. Virgo et Apostoli super alios praedestinatos hoc solum privilegium obtinuerunt, quod suae perseverantiae revelationem habuerint, ex qua certissime credebant, se nunquam gratiam amissuros.* Subditque, Virginem Deiparam illud peculiare privilegium nactam, ut per singula opera ea gratia congrua praeveniretur ac praemuniretur, qua nec venialiter delinqueret; tametsi simpliciter suppositione non facta scientiae Dei, libera ad peccandum maneret. Videndus Suarius, tom. 3 de gratia, l. 9, c. 9, praecipue vero l. 10, c. 8, a n. 11; P. Azorius, tom. 2 inst. mor. lib. 1, c. 17, q. 15, ait de Virgine Deipara singulari Dei privilegio novisse se in gratia confirmatam, et non quomodocunque, sed ita confirmatam ut sciret se nunquam lethaliter peccasse, neque unquam gratiae donum amissuram. Huc advoco illud Prov. *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Columnae in sanctitate firmitudinem adumbrant. D. Bonaventura in ser. de B. Maria, ait: *Omni firmamento firmior est Maria.* Et D. Bernardus, ser. 3 in *Salve*, in eundem sensum ait: *Omnibus firmamentis firmius firma-*

(a) Haec auctoris sententia mihi non arridet. Siquidem non solum ex scripturis non eruitur, verum quodammodo ipsis contradicit. Sane cum Apostolus, II Cor. cap. 12, Dominum rogasset ut discederet ab ipso stimulus carnis, dictum fuit ei: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc concludit Apostolus: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Christi.* Ex quibus verbis eruitur Apostolum nullam habuisse revelationem de sua confirmatione in gratia. Quapropter sententia magis verisimilis, ea videtur, quae reponit confirmationem in gratia in hoc quod confirmatus eam habeat plenitudinem gratiae, quae illum comitatur usque in finem vitae, et quae illum non sinit in graves culpas cadere.

Nota Editoris.

mentum, tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet aeternorum ab affectibus temporalium. Ideo coelites in admirationem acti aiebant: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum?* Videsne, cui innitatur scipioni B. Virgo? Super Filium Deum: huic fulcimento innixa, eiusque donis ac providentia sustentabatur in bono; nulla igitur ruina pertimescenda, nullus casus metuendus. Affirmat etiam Valentinus Herice in 1 p., q. 24, c. 3, n. 51, B. Virginem suam praedestinationem calluisse, cum s. Anselmo, lib. de excellentia Virg. c. 7, ubi ait accepisse B. Virginem ea hora, qua Filium concepit, suae praedestinationis, et super omnes Angelorum choros exaltationis, certam atque indubitatam revelationem. Quod autem s. Doctor ad solum Incarnationis tempus restringit, nos ad instans Conceptionis B. Virginis protendimus.

1190. Probatur a simili, quia Angeli, iuxta D. Augustinum lib. 11 de Genesi ad lit. c. 26, et lib. 11 de civit. cap. 11 ab initio creationis, certiores facti sunt de sua praedestinatione et inamissibili beatitudine. Cur ergo id privilegium Virgini Deiparae denegabimus, quod scilicet ab instanti suae Conceptionis revelationem hauserit suae Praedestinationis? Firmatur, quia s. Ioannes Baptista habuit similem revelationem in utero matris in prima sanctificatione; ergo et B. Virgo in primo sui Conceptus instanti. Antecedens docet Suarius, tom. 3 de gratia, lib 10, c. 8, ubi haec habet: *Dicunt sancti Patres, Apostolos fuisse confirmatos in gratia in die Pentecostes, et multi dicunt Ioannem Baptistam fuisse confirmatum in gratia in utero matris.* Quo respicere videntur verba Cyrilli Alexandrini, lib. 2 Thesaur. cap. 3, ubi ait: *Quando Ioannes prophetico spiritu, quo repletus erat ex utero matris suae, nudum iam imminere sibi gladium vidit.* Ubi mortem pro Christo perpessurum praescivisse docet; imo ulterius arbitror, B. Virginem praescivisse se Deum parituram: quod suaderi potest, quia erat sacrae Scripturae assueta, sacrorum Bibliorum lectioni semper invigilans, alta manebat mente repostum vaticinium illud Isaiae: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium.* Inibi Virgo cum foetu, Mater cum virginitate coniungitur, quod nomine Mariae praesignificabatur, ut auctor est Ambrosius; significat enim, *Deus ex genere meo.* Quid ergo proprii nominis significatum ignoravisse credemus, quae intelligentias ipsas cognitione et scientia rerum omnium superavit? Ideo huius sententiae patronum adstruo s. Ildephonsum ser. 1 de Assump. Virginis: *Sciebat*, inquit, *Dei Genitrix in arcem divinae contemplationis assumpta, Davidicis docta testimoniis processurum ex se Dominum, tanquam Sponsum de thalamo suo: non enim dubitabat ad se pertinere Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaias Propheta dixerat: Ecce Virgo concipiet.*

Haec itaque confirmatio in gratia Deiparae praeter auxilia congrua et efficacia, quibus amor divinus et reliquarum virtutum operationes invaluerunt, eamque in bono solidarunt; tum praeter extrinsecam protectionem a Deo et ingens perseverantiae finalis donum, nihil aliud superaddit praeter unam perseverantiae finalis in bono revelationem. Quod si obiectaveris, talem revelationem supponere confirmationem in gratia, eo modo, quo cognitio supponit obiectum suum, quia confirmatio ipsa ut infallibiliter futura revelatur; ergo confirmatio non fit per revelationem, sed solum agnoscitur; quod si quis dicat revelari perseverantiam futuram, et per revelationem transire in confirmationem; contra est, nam donum confirmationis in gratia est illud, quod homini dat vires, quibus infallibiliter firmatur in bono; revelatio autem non firmat in bono, sed firmatum supponit. Respondeo revelationem non ita supponere confirmationem in gratia, ut sine revelatione detur, nisi solum quoad intrinseca: completur autem per extrinsecum favorem revelationis factae, quae revelatio ita firmat in bono, ut omnino reddat securum de non amittenda gratia finali, sed confirmatum in illa. Quam autem impotentiam ad peccandum diceret confirmatio in gratia B. Virginis, commodius sequenti Congressu exagitabimus.

CERTAMEN XI.

Utrum B. Virgo fuerit inpeccabilis, et quo pacto.

1191. Supponimus ex alibi dictis privilegium immunitatis ab omni culpa actuali collatum fuisse B. Virgini, quia ita decebat ad Maternitatis Dei dignitatem evectam; huius autem rei congruentiae assignantur a Patribus, quos consule apud Salazar de Concept. cap. 25 et 26. Addit Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 4, simpliciter ac formaliter loquendo non magis fuisse impeccabilem post secundam sanctificationem, hoc est post gratiam acceptam in Filii Conceptione, per quam actu et physice reddita est mater, quam post primam, quando in primo creationis instanti, originali iustitia donata est; nam licet tunc reipsa non esset Mater Dei, erat tamen iam ob aeternam et infallibilem praeordinationem electa in Christi Domini Genitricem: praefinita enim fuit ante praevisa merita ipsius, ut Christi parens esset, licet in executione per propria merita adeptura esset, ut Mater Dei existeret. Ob hanc igitur electionem in dignitatem Genitricis Dei efficacem in ipso instanti suae Conceptionis, moraliter Mater Dei censebatur, antequam Verbo divino carnem in utero subministraret, illudque hominem factum conciperet; atque adeo in eodem suae Conceptionis momento ipsa B. Virgo gratiae ac donorum plenitudinem accepit, iustitia originali cohonestata fuit, peccati debitum non contraxit, a fomite peccati immunis fuit, aliaque privilegia sortita, quae toto hoc opere fuse tradidimus; sic enim decebat talibus communiri praesidiis, eiusmodi ditari muneribus ac privilegiis eam, quae infallibiliter, ac irrefragabili Dei decreto, Dei Genitrix erat futura. Cum autem haec Dei maternitas, iuxta communem opinionem, nec sic forma

sanctificans, nec pugnet cum peccato et culpa, solum erit remote et in radice causa huius privilegii in ipsa B. Virgine, quod docuit s. Anselmus, lib. de Concept. Virg. et de peccato originali, c. 18, ubi ait: *Quamvis de mundissima Virgine Filius Dei verissime conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret; sed quia decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret.* Pervestiganda igitur est hoc loco ratio formalis, quae proxime et formaliter reddiderit Virginem B. ab omni peccati labe immunem.

Dupliciter autem praesens quaestio exagitari potest. Primo, ita ut B. Virgo fuerit impeccabilis per impossibilitatem antecedentem, ut vocant, videlicet per coactionem liberi arbitrii, illud ad unum determinando; ita ut oppositum nequeat operari voluntas. Alio modo potest contingere per impossibilitatem consequentiae, quae libertatem non laedit, imo intactam integramque relinquit. Plures asseruerunt B. Virginem primo modo, scilicet per impossibilitatem antecedentem, formaliter fuisse impeccabilem, ita ut nunquam in culpam aliquam, nec levem, labi potuerit, quia nulla ipsi potestas, vel libertas fuerit peccandi. Ita sentiunt apud Vasquium, tom. 2 in 3 p., d. 120, Ocam Gabriel, Almaynus, D. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Alexander Marsilius, quorum rationes ac momenta recte ponderat Vasquez, quorum Auctorum auctoritas sufficit, ait Suarius tom. 3 de gratia, l. 10, cap. 8, n, 13, ut haec sententia nulla inuratur censura, sed suam probabilitatem contineat: quia privilegia Mariana longe sunt excellentiora, praesertim quae ad immunitatem a peccato spectant, eam enim omni perfectione possibili ipsi Virgini fuisse concessam meritissime credendum est.

1192. Herice vero in 1 p., tract. 3, disp. 24, c. 3, n. 29, affirmat B. Virginem ad statum impeccabilitatis fuisse evectam, quia ita fuit confirmata in gratia, ut quasi contineret necessitatem non peccandi: vidit ergo Deus per scientiam conditionatam, B. Virginem illis congruis gratiis et auxiliis excitantibus et cooperantibus, quibus de facto fuit praeventa et munita, nunquam lapsuram in peccatum ullum sive mortale, sive veniale. Deinde cognovit Deus eadem scientia ipsius impeccabilitatem et libertatem, si negaret omnem concursum generalem ad entitatem peccati, quando adessent occasiones et immineret peccatum: per hanc ergo scientiam mediam sibi complacebat Deus in tota Marianae vitae periodo futura sub conditione, non solum sine ullo peccato actuali, sed etiam sine potentia ad illud, propter denegationem concursus generalis divini: ex hac ergo complacentia contulit Deus illas gratias, dona, auxilia et praesidia B. Virgini, et denegavit omnem concursum generalem ad entitatem cuiusvis peccati, et simul intendit certum gloriae gradum ex vi coronae et mercedis. Ex vi cuius decreti mansit B. Virgo confirmata in gratia, et sine potentia ad peccandum ab instanti Conceptionis; sicut enim ab hoc instanti fuit praeservata a culpa originaria propter electionem ad dignitatem maternitatis Dei: ita etiam ab eodem instanti Conceptionis Deus praeparavit illi omnes gratias, et praesidia pro toto vitae curriculo ad continue merendum sine interruptione, et simul decrevit illi negare generalem concursum ad peccandum, ideoque ab initio Conceptionis fuisse impeccabilem non minus decuit B. Virginem, quam privilegium originalis iustistiae: et quemadmodum humanitas Christi Domini, quia Verbo divino unita, erat essentialiter impeccabilis; ita B. Virgo, quia futura erat Mater Dei, debebat esse impeccabilis ex privilegio. Recte enim potuit conferri Deiparae certa gloriae mensura cum dignitate praemii, licet esset impeccabilis, quamvis enim non esset libera ad peccandum, manebat tamen libertas illaesa ad eum meritorum valorem; potuit ergo esse impeccabilis simul cum electione illa libera ad illa merita, ut patet etiam in Christo Domino, qui cum omnimoda impeccabilitate liber erat ad meritum.

1193. P. Vasquius, tom 2 in 3 p., d. 120, c. 2, contendit hoc privilegium impeccabilitatis praedicto modo a Doctoribus supra citatis explicatum, non solum non extitisse in B. Virgine, sed etiam nec de potentia absoluta ipsi conferri potuisse. Quod probat refellens omnes modos, quibus hactenus id fieri potuisse, vel factum fuisse a citatis Doctoribus asseritur. Primus modus invehendi hanc impeccabilitatem in B. Virgine in ordine ad peccata venialia, erat utique, quia libertas peccandi venialiter ablata fuerit per fomitis ablationem. Verum hoc ad summum probat solum in B. Virgine impotentiam peccandi ex surreptione, non vero cum deliberatione. Paludanus in 3, d. 3, q. 2, art. 4, censet ablatam fuisse in B. Virgine potentiam peccandi venialiter per habitum aliquem infusum; sed merito displicet iste modus, nullus enim habitus imponere potest voluntati necessitatem ad operandum. De quo videndus Suarius, 1 de gratia, Prolegom. 1, et tom. 3, lib. 10, c. 8, n. 15.

Richardus de s. Victore in lib. de Emanuele, cap. penult., ait induci illam impotentiam ad peccandum in B. Virgine per actus amoris erga Deum, qui ab instanti Incarnationis adeo in eo vires resumpserunt, ut omnino eam in bono solidarent, ut in posterum nec levi defectu nutare posset: sumitque argumentum in capite ult. ab statu Beatorum, quem quoad hanc partem participavit Deipara, ut ait ille: nulla tamen actuum amoris perfectio, ac frequentia per se sola potuit esse adaequata ratio ad tollendam omnino libertatem ac potentiam ad peccandum: siquidem amor Dei quantumvis ferventissimus, tametsi dum actu est, excludit omnino omne peccatum veniale actuale; cum tamen amor ille non sit necessarius, ut supponimus, sed liber, non potest omnino adimere potentiam ad peccandum, licet illam minuere possit: si enim libere exercetur, ergo libere potest voluntas illum intermittere, aut suspendere: ergo in suspensione

et feriatione illa voluntas non impeditur ad venialiter peccandum; siquidem actus amoris praeteritus nullam pugnantiam dicit cum peccato veniali: actus autem amoris in Beatis omnino est necessarius, ideoque indefectibiliter constituit voluntatem actu summo bono inhaerentem, et rectae rationi omnino conformem. Nisi dixeris, potuisse Deum cogere voluntatem B. Virginis ad iugem et actualem Dei amorem; quod praestare potuisse Deum arbitror contra eundem Vasquium citatum, nempe de potentia absoluta. Quod de facto non praestitisse Deum erga Virginem Mariam, certum reor; conducibilius enim multo erat ipsi Deiparae viatrici liberos amoris Dei actus elicere, quam necessarios, sin minus eius meritis maximum praeiudicium inferretur, multumque ipsius merita pene infinita per actus amoris Dei parta extenuarentur.

1191. Quartus modus supra ab Herice assignatus, nempe inducens impotentiam ad peccandum in B. Virgine per subtractionem concursus ad omne peccatum, quem etiam defendunt Ocamus et Gabriel, impugnatur etiam a Vasquio, aitque esse impossibilem in ordine ad peccata omissionis; peccata siquidem, quae actu positivo patrantur, nequeunt fieri sublato Dei concursu ad illos actus: at peccatum omissionis non requirit actum, ideoque etiamsi negetur concursus ad actum, poterit voluntas delinquere per liberam suspensionem actus, quia ad illam voluntas non indiget concursu. Certum tamen arbitror, posse Deum necessitatem inferre in bono, puro homini; ita ut peccare nequeat, servata tamen libertate ipsius in singulis actibus: quod suaderi potest exemplo animae Christi, quae peccare nullo modo potuit, illaesa libertate in suis actibus. Nec dicas, hoc fuisse singulare in Christo Domino propter unionem hypostaticam, per quam anima Christi reddita fuit impeccabilis: id enim nihil officit, nam gratia unionis, tametsi reddat humanitatem impeccabilem, non tamen est forma formaliter constituens voluntatem creatam impeccabilem; solum est radix et forma quasi remota, ratione cuius debita est impeccabilitas et forma, seu donum, quo proxime et formaliter confertur: unde seclusa etiam Hypostatica unione, potest reddi voluntas impeccabilis per tale donum, seu formam. Quod a simili recte declarari potest; fomes enim peccati non fuit in Christo, nec esse potuit, ratione unionis Hypostaticae ad Verbum, cum tamen non fuerit impeditus in Christo formaliter per illam unionem, sed per aliquid aliud sive per gratiam consummatam per visionem Beatam, sive per aliam virtutem internam simul cum speciali Dei protectione. Quae omnia recte conferri poterunt appetitui humano, sive voluntati sine unione Hypostatica, a qua illa non dependerent. Eodem modo dicendum est de illo dono, sive privilegio, quo voluntas Christi reddita fuit impeccabilis cum libertate relicta ad bene operandum; si enim illud fieri potuit in Christo, etiam conferri potest sine unione; hoc discrimine, quod humanitati unitae unioni hypostaticae illud donum, seu privilegium esset ipsi connaturale, non autem humanitati non unitae cum Verbo: non enim magis repugnat illud privilegium in voluntate B. Virginis, quam in ipsa voluntate Christi; quippe quidquid difficultatis occurrerit circa tale privilegium in Virgine Deipara, occurrit ac militat in Christo Domino praecipue illud quod supra obiiciebatur de peccato omissionis, quod urgeri posset in Christo, de quo videndus Suarius, tom. 1 in 3 p., q. 19.

1195. Censeo nihilominus hunc impeccabilitatis modum non attribuendum B. Virgini. Ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 4, sect. 4, et tom. 3 de gratia, lib. 10, cap. 8, num. 19: quia hic modus multum Virgineo merito detrahit, quia quo magis peccandi potestatem tollit, eo magis meritum extenuat; quod enim B. Virgo a se leves culpas averterit, quod omne malum obiectum propulsaverit, ipsi non laudi habendum, nec merito; siquidem non potuit transgredi, nec facere malum, quid ergo mirum, quod illud non fecerit, nec unquam transgressa fuerit? Deinde, quia potuit Deus Deiparam immunem servare ab omni peccato etiam veniali, ut statim ostendam, nempe per auxilia congrua, simul cum eximia gratia et carentia fomitis; posita enim hac habituali perfectione cum remotione impedimentorum, poterat per cogitationes congruas Virgineam voluntatem ita moderari ac dirigere, ut infallibiliter in bonum semper ferretur; quare impeccabilitas illa orta ex denegatione concursus generalis, cum nihil ad puritatem, vitaeque innocentiam conferret, et alio ex capite libertatem ac meritum B. Virginis extenuet ac laedat, omnino a voluntate Mariana ableganda est.

Ob easdem rationes improbandi sunt duo alii modi attribuendi hanc impeccabilitatem antecedentem, ab aliquibus Recentioribus excogitati. Alter est, nempe quod potuerit haec impeccabilitas B. Virgini contingere, indita illi scientia per se infusa supernaturali, qua semper perpenderet vehementius peccati turpitudinem, honestatemque virtutis, nec posset pro libito applicare intellectum ad alium cogitatum intensiorem. Hoc modo esset destituta principiis necessariis ex parte intellectus, ne posset distrahi ab illo virtutis obiecto, qua ratione diceretur impeccabilis antecedenter, et ab intrinseco, stando opinioni asserentium non posse dari peccatum, nisi cum ignorantia aut defectu alio in intellectu. Alii deferunt B. Virgini impotentiam ad peccandum, ita ut in ea non fuerit potestas physica ad delinquendum, quia tametsi per gratiam habitualem, quae fide movetur, estque communis cum nostra, non fuerit ab intrinseco impeccabilis: verum nihil vetabat per aliam gratiam habitualem alterius speciei, quae movetur per scientiam infusam, reddi ab intrinseco impeccabilem: sed arbitror, licet gratia infinita B. Virgini infunderetur, nunquam tamen potestatem peccandi illam ablaturam. Quid, quod gratia nullam pugnantiam dicit cum peccato veniali, et rationes § superiori allatae militant etiam contra utrumque iustum dicendi modum?

1196. Assero ergo primo: B. Virgo habuit

moralem impotentiam ad peccandum. Probatur, quia dignitas Matris Dei id deposcebat, et Christus optimi Filii munus adimplere debebat, atque adeo talibus oppignorare privilegiis et auxiliis, ut moraliter delinquere non posset, ut hac ratione sine libertatis dispendio et meriti praeiudicio longe a diaboli et peccati servitute abesset. Secundo maxima puritas natura sua longius a peccato distat; atque adeo exigit aliquam impotentiam delinquendi, recessus autem a peccato per impotentiam peccandi procul dubio ad maiorem spectat puritatem; sed plures Scholastici censent cum s. Anselmo, Mariam ea puritate nitere oportuisse, qua maior alia infra Deum concipi nequeat; ergo hoc privilegium hausit moralis impotentiae ad delinquendum: si vero Maria moraliter delinquere potuisset, licet solum venialiter, iam alia maior puritas infra Deum concipi posset. Rursus B. Virgini, qua Mater Dei, debita fuit impeccabilitas; nam maternitas Dei licet non esset formaliter, tamen petit sanctitatem inamissibilem; at sanctitas et gratia, quae amitti nequit, secum includit impeccabilitatem aliquam, non physicam antecedentem, ut vidimus; ergo moralem: nam ex natura rei et ex potentia ordinaria, et lege Dei omnis sanctitas sibi adsciscit divisionem ac seiunctionem a peccato. Quare tenebatur Deus providere Dei Matri efficacissima quaeque auxilia, quae illam longissime a peccato et culpa avocarent, ut rite colligit Augustinus, lib. de natura et gratia, cap. 36: *Inde enim scimus*, ait, *quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Haec autem impotentia adhuc declarari magis potest: Videns ergo Deus Maternitatem Dei omnino dedecere peccatum omne, eo ipso quod Maternitatem voluit, virtualiter saltem voluit repugnantiam illam cum peccato; sicut cum Deus vult gratiam infundere, vult etiam eam repugnantiam cum peccato, quia scit incompossibilitatem reperiri inter gratiam et peccatum. Addo: sicut praedestinatus in sensu composito nequit damnari, ita Virgo Maria composita cum Maternitate Dei peccare non poterat. Et ratio est, quia iustus, qui filius est Dei adoptivus, compositus cum filiatione Dei nequit delinquere lethaliter, cum tamen haec filiatio solum sit impropria et metaphorica: ergo multo minus Virgo Maria composita cum maternitate Dei naturali ac propria, non poterit graviter delinquere, cum non possit deperdere illam maternitatem. De peccatis venialibus non ita urgent haec argumenta, ex aliis autem capitibus id suaderi posset; tum quia Christus nequit peccare, si vero Maria delinqueret, videretur Filius contra pietatem delinquere, non observando leges providentiae erga Matrem carissimam in his, quae ita dedecent summam puritatem, qualis est in Maria. Inferat aliquis ex dictis: ergo Christus non potuit avorum peccata permittere, videretur enim delinquere contra pietatem. Respondeo id non sequi; est enim maximum discrimen, quia pater et mater sunt principium proximum influens in filios, quibus immediate per identitatem coniunguntur: at avi et proavi sunt principium remotum nepotis immediate non influens in illum, ac proinde diverso modo de his loquendum, atque de parentibus.

1197. Nonnulli hanc ad peccandum impotentiam in Virgine Matre deducunt ex verbis Sponsae, Cant. 1, 4: *Trahe me post te;* ita tamen ut cum D. Thoma et aliis Theologis, qui, ut adstruant confirmationem in gratia in B. Virgine, asserunt ipsi inditam fuisse aliquam necessitatem ad virtutem insectandam, ne diceretur aliquando voluntas B. Virginis ad malum unquam propendisse, vel nutasse. Si tamen nobiscum sentias, qui confirmationem in gratia in eo sitam esse statuimus quoad intrinsecum, nempe in specialissimis auxiliis et perseverantia finali, addita revelatione extrinseca ipsius perseverantiae; asseres quod iis auxiliis praeventa B. Virgo, per singula momenta in bonum impellebatur: et hoc sensu dicit, *Trahe me post te*, vel *rape me*, quia iugis ad bonum excitatio et amor non intermissus Dei dicitur raptus quidam, quia eius animus ad superna rapiebatur, avocatus a terrenis; ait enim D. Dionysius, ut alibi dedimus: *Est utique raptum, et ecstasim faciens divinus amor.* Quod beneficium inter reliqua privilegia Virgini B. collata arbitror specialissimum ac praestantissimum, ut aiebat Nazianzenus de Baptismo verba attexens, orat. de Baptis.: *Baptismus*, ait, *omnium Dei beneficiorum praestantissimum est et praeclarissimum.* Sed cuius Baptismi magnitudo, et praestantia maior fluminis, an sanguinis? Sed arbitror martyrium, quod est baptismus sanguinis, longe antecellere Baptismum fluminis, quia licet communis baptismus aquae sordes peccatorum abluat, delicta interimat, gratiam infundat; verum martyrium non solum a peccatis abluit, sordes emaculat, errata delictorum obliterat, sed etiam cum vitae periodum absolvat, id specialiter praestat, ut non solum praeteritas culpas aboleat, sed et futuras praecaveat et impediat; ita ut in posterum peccandi formidinem radicitus avellat: quod speciale privilegium est solius baptismi per sanguinem; communis siquidem aquae baptismus futurorum peccatorum potentiam non amputat, unde praestantior est baptismus sanguinis, quam fluminis. Cui sententiae assentitur Origines, homil. 7 ad cap. 6 Iudic.: *Vereor*, inquit, *ne istud baptisma eminentius sit illo baptismate, quod per aquam creditur; illo enim accepto, valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitae servare potuerint; hoc vero baptismo qui baptizatus fuerit, peccare iam ultra non potest: et si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid, possumus dicere, quod per illud baptisma praeterita peccata purgantur, per istud vero etiam futura perimuntur.* Ad eundem modum asserere possumus de B. Virgine singulari privilegio donatam in instanti Conceptionis inter omnia alia privilegia, quod non solum ab omni peccati labe immunis evaserit; sed etiam ab omni potentia et formidine

delinquendi libera, per quod privilegium non solum delictum originarium declinavit, sed in posterum peccata omnia actualia, quantumvis levissima praecavit. Huc faciunt verba s. Bonaventurae, in 3, dist. 3, part. 1, art. 2, q. 31: *Cum Sanctum*, inquit, *sanctorum gestavit in utero suo, tunc sanctificata fuit conformiter Filio suo, non tantum quantum ad impotentiam ad peccatum, sed etiam quantum ad impossibilitatem labendi in aliquod peccatum; unde sicut impossibile fuit, propter honorem Filii sui, ut alium haberet Filium, sic impossibile fuit, ut unquam ulterius haberet peccatum: sicut etiam impossibile fuit, ut carnis virginitas violaretur, in qua Filius Dei habitaverat; sic impossibile fuit, ut mentis sanctitas aliqua culpa macularetur.*

1198. Assero secundo, ex eo B. Virginem fuisse immunem formaliter ab omni culpa, quia ferebatur sine ulla intermissione actu ferventissimo charitatis in Deum summe bonum, perfectissime cognitum per actum scientiae infusae; quem actum charitatis a primo Conceptionis momento exercuit, ac toto vitae curriculo in ipso permansit, ut docet Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 118, cap. ult., ubi ait: *Verum, ut virtute huius contemplationis in B. Virgine praedicti motus nunquam orirentur, deberet esse in ea continua et indeficiens contemplatio, et fervor charitatis in Deum, quod quidem ita fuisse non improbanda ratione credi potest, cum ad dignitatem ipsius id pertineat, et principiis Fidei non adversetur.* S. Augustinus id confirmat relatus a D. Bonaventura in speculo, cap. 14: *Quis*, ait, *dubitare potest omnino in charitatis affectionem transisse viscera Mariae, in quibus ipsa, quae Deus est, charitas, novem mensibus corporaliter requievit?* Ubi s. Augustinus B. Virginem non tam diligere, quam in ipsius dilectionis naturam transisse affirmat; et s. Ildephonsus, orat. 1 de Assumpt. ait: *Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit et ignivit, ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei.* Nec lassitudine aut defatigatione ex iugi in Deum attentione, et amore ab his actibus feriabatur, nec per tantillum temporis. Bene vero a D. Bonaventura confertur B. Virgo cum Rubo Moysis, qui incombustus ardebat, semper tamen virorem florentem retinuit; ita B. Virgo amoris ardore decocta, nunquam lassitudinem ullam aut defectionem experta est. Ex hoc ergo iugi et ardentissimo B. Virginis in Deum amore, assero provenisse immunitatem ab omni culpa levi; ea enim fuit vis divini amoris, ut omnem defectum vel levissimum procul abigeret; dum enim amor ferventissimus in animo perseverat, ita voluntatem ac libertatem omnem allicit, ut praeter obiectum amatum nihil velit; quidquid huic obiecto invisum et infensum fuerit, sibi etiam infensissimum videatur: quod satis dilucide ostendit s. Dionysius citatus, dum ait: *Est autem mentis secessum, et ecstasim faciens Divinus amor; amatores suos sui iuris esse non sinens, sed in ea quae amant, penitus transferens.* S. item Bernardus, serm. *in Signum magnum*, de hoc Mariani amoris igne verba faciens, sententiam nostram confirmat: *Cuius*, inquit, *omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Ubi mellitus Pater ferventissimum amoris Mariani actum cum omni culpa etiam levissima oppositionem dicere luculenter ostendit.

1199. Dictis addendum, antecedenter fuisse praeventam B. Virginem singularissima Dei providentia, qua ipsam protegebat, omnia vel leviter labendi pericula removens, addita iugi ac interna illustratione, qua animum ad omnem rectam actionem pulsabat; haec autem interna ad omne bonum auxilia cum externa illa protectione, praecipue posito illo actu amoris ferventissimo ac iugi, sine ulla intermissione, reddebatur Mariana voluntas moraliter impotens ad delinquendum etiam per levissimos quosque defectus: illam autem externam protectionem circa Virginem Mariam adstruunt plures Patres. Bernardus, serm. cuius inscriptio est *Laus Mariae*, ita fatur: *In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum, suo se invicem ordine tuentium, sed et innumerabilium Beatorum spirituum militiam ad ministerium tantae Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis, et providerent, ne praeparatum aeterno Regi hospitium alienus hospes invaderet.* It comes Bernardo s. Anselmus, lib. de excellentia Virg., c. 3: *Nulli dubium*, ait, *castissimum corpus, et sanctissimam animam funditus ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat.* Rationem autem subiungit sanctissimus Praesul: *Ut cum praepotens aliquis aliquo vadit hospitaturus, clientes praecurrunt, locum muniunt, mundant, ornant et custodiunt, quo venienti Domino suo aptus ad habitandum, et congruus fiat: ad eundem modum*, etc. Huic opinandi modo eo libentius acquiesco, quia nulla ratione liberum B. Virginis arbitrium laedit, nec ipsius voluntati vim aliquam infert; nec meritum ipsius extenuat, sed auget. Quem etiam amplectitur Salazar cum aliis, quos citat, tom. 2 in Proverb. cap. 31, num. 137. Assectatur etiam Christophorus de Castro in vita Deiparae, cap. 2, n. 6, ubi haec habet, quae nostram thesim mirifice declarant et confirmant: *Singulare siquidem quippiam Virgini tribuendum est, ut profecto debet, hoc unum speciale est privilegium, quo nunquam potuerit, nec leviter peccare. Fuit autem hoc donum, Gratia cum virtutibus animae Virginis insita cum singulari Dei providentia, qua illi aderat, eamque vallabat undequaque exterius, interiusque, ne laedi posset: ex qua effectus omnes prodibant spirituales, quos produxit in Adamo, nam et fomitem extinxit, licet effectus ad corporis dolores spectantes non abstulerit, ut filio persimilis efficeretur; in quo gratia Virginis, Adae gratiam, et Angelorum superabat Viatorum, quod haec vim conferebat ne possent peccare, si vellent: a*

gratia data est Virgini, ne posset velle peccare; unde quod Christus Dominus habuit a natura, Virgo ex ipsius habuit gratia singulari.

Ob has igitur rationes et momenta, quae hic breviter perstrinxi, censeo B. Virginem non fuisse impeccabilem per impossibilitatem antecedentem physicam: mansit ergo in ea liberum arbitrium omnino illaesum, ac proinde antecedenter physice labi potuit ac delinquere, ut probant Suarius et Vasquez citati, ut enim bene advertit Vasquius in 1 p., d. 90, tria sunt, quae liberum arbitrium praevenire, ac peccandi libertatem adimere possunt a creatura rationali; videlicet, unio Hypostatica, Visio beata, consilii et rationis perturbatio, ac denique consursus generalis ablatio, quae omnia longe abfuerunt a Virgine Deipara, ut partim docuimus, partim infra dicemus.

PALAESTRA DECIMASEPTIMA

De gratiis, virtutibus et donis B. Virginis, eiusdem sanctitatem subsequentibus.

1200. Cum omnes virtutes per se infusae, ac Spiritus sancti dona ex natura rei gratiam sanctificantem consequantur; tanquam rem exploratam statuo simul cum gratia, infusa fuisse B. Virgini haec omnia, imo et habitus *per accidens* infusos virtutum moralium, qui per actus humanos ordinis naturalis acquiri poterant. Quia hae omnes virtutes perficiunt ac ornant voluntatem, imo ad perfectionem B. Virginis magis conducunt, sive per se infusae, sive per accidens, quam scientiae omnes, de quibus egimus in superioribus Palaestris; ergo sicut Deus infudit B. Virgini scientias per se infusas et per accidens, multo melius infudit virtutes per se, et per accidens infusas, etiam in instanti suae Conceptionis. Praeterea Deus condidit omnes creaturas in statu perfecto, ut fructus ferrent uniuscuiusque fini consentaneos; ergo multo magis oportuit condere B. Virginem in statu perfectissimo naturae et gratiae, ut fructus ferret cumulatissimos in ordine ad supernaturalem finem. Probatur etiam a simili, quia Deus creavit Angelos, et primos parentes cum his virtutibus ac donis in primo suae conditionis momento, ut docet communis Doctorum cum Suario de opere sex dierum, lib. 3, c. 11; ergo potiori iure hoc privilegium deferemus B. Virgini. Huc flectunt s. Athanasii, ser. de sanctissima Deipara, verba illa: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Docet enim Spiritum sanctum illapsum fuisse in eam, ac omnibus suis virtutibus essentialibus praemunivisse: et D. Bernardus, ser. quod. de Assump., versans verba illa Prov. 9: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*, docet esse eas septem Spiritus sancti dona.

CERTAMEN PRIMUM

Marianae fidei stabilitas et constantia aperitur.

1201. De Marianis virtutibus acturus, primum se menti obiicit Fides; tum quia haec est reliquarum virtutum fulcimentum, tum quia ipsa B. Virgo omnium prima Christi fidem nacta fuerit, ait Molina tr. 5, disp. 62, quia Angelo nuncianti prima fidem habuit: in quem sensum explicat verba illa Matth. 11: *A diebus autem Ioannis regnum coelorum vim patitur.* Quasi dicat, ait Molina, ab illo tempore incepere homines vim et conatum adhibere coelum adorsuri; neque enim ante Angelicam Annunciationem fidem Christi praesentis, novaeque Ecclesiae ac Testamenti novi iam incipientis fidem homines habere coeperunt: sed omnium prima fuit B. Maria, mox subsecutus est Ioannes, Elisabetha et Zacharias. Huic fidei Marianae adscribit D. Bernardus, quod coelorum sedes instauratae fuerint; ait enim, ser. 2 de Nativ. Domini: *Neque indignum videtur, si coelorum regnum fidei Mariae comparetur, qua et reparatur.* Quia fides Mariana universum mundum infidelitatis tenebris obrutum, et consepultum verae fidei lucem revocavit; quo respexit Paulus I Cor. 7, dum ait: *Vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem*, iuxta Richardum de s. Laurentio, lib. 6 de laudibus Virg.: *Haec est*, inquit, *mulier fidelis, per cuius fidem salvatus est Adam vir infidelis, quem fefellerat infidelitas primae mulieris; nec ipsum solum, sed et totam posteritatem suam, unde Apostolus I Cor. 7: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Hinc Marianus venter, licet unicum frumenti granum conceperit, videlicet Christum Dominum, tamen ab Sponso recte cum acervo tritici confertur: *Venter tuus sicut acervus tritici:* quia fide sua omnes fideles Christo peperit, ac pleno fidei lumine collustravit, quod festive satis attigit Guarricus, ser. 4 de natali Dom.: *Benedixisti, Domine, terram tuam, dedisti benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum, videlicet de uno grano frumenti, quod germinavit alvus Virginis, ubique terrarum pullulante copiosa messe fidelium.* Ex his addisces elogium s. Cyrilli Alexandrini, hom. 6 contra Nestorium, in Virginem Deiparam, dum eam vocat, *rectae fidei sceptrum*, nempe quia verae fidei metas ac limites dilatavit, eiusque sceptrum usque ad barbaras nationes protendit; sicut s. Athanasius quaest. 60 vocat mulierem meretricem, inferorum sceptrum: *Quid est*, inquit, *mulier in terra? naufragium, fons sceleris, sceptrum inferorum.* Quia plures homines per eam a fide naufragantur, quaeque inferorum sceptrum extendit, ut illuc homines adsportet, et aeternis flammis addicat.

1202. Nunc igitur omissa haereticorum petulantia, qui variis cuniculis et artibus fidem

B. Virginis oppugnant, quos recte perstringit Canisius, lib. 4 de Deipara, cap. 1, et nos infra effraenatam illorum in beatam Virginem audaciam coercebimus. Censeo primo B. Virginem fidem Theologicam habuisse. Conclusio haec est de fide. *Beata*, ait Elisabetha Virginem Mariam alloquens, *quae credidisti*, Luc. 1. Et sancti Patres unanimi consensu hanc fidem Theologicam Mariae deferunt. Irenaeus, lib. 3 contra haereses, c. 33: *Quod Eva ligavit propter incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem.* Augustinus, lib. de sancta Virgine: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Bernardus ser. in Signum magnum: *Quae nihil aliud quam exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc Mysterium et admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum, nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei, et hominis Genitricem crederet mox futuram.* Ambrosius in Lucam ad illa verba: *Beata quae credidisti;* ait: *Vides Mariam non dubitasse, sed credidisse, et ideo fidei fructum consecutam.* Et D. Augustinus, lib. 16 de civit. Dei, cap. 24: *Non est Virginis diffidentia, quod ait: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod enim futurum esset, certa erat; modum, quo fieret, inquirebat.* S. Thomas in illud Isai. 63, *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: nempe in auxilium,* inquit Thomas, *quia tempore passionis omnes relicto eo fugerunt, et dicit signanter, Vir, propter B. Virginem, in qua fides nunquam defecit.* In cuius fidei solius Deiparae argumentum, in triduo hebdomadae maioris, reliquis cereis extinctis in candelabro triangulari, unus semper accensus, et ille maior remanet: ut fides Mariana semper stabilis et accensa adumbretur. Quod innuit Bernardus de lamentat. Virginis: *In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiae stabat, et dum unusquisque haesitabat, haec quae fide concepit, fidem, quam a Deo suscepit semel, nunquam perdidit, speque certissima Domini resurgentis gloriam exspectavit.* Additque: *Maria, quae sola benedicta est in mulieribus, sola per illud triste sabbatum stetit in fide, et salvata fuit Ecclesia in ipsa sola.* Et ob eam causam aiunt aliqui institutum fuisse diem sabbati in honorem Virginis Mariae. Suffragantur huic Bernardi sensui de fide in sola Maria in illo triduo, Alexander Alensis, Durandus, Turrecremata, Caietanus apud Carthagenam lib. 6, hom. 17 de Visit. B. Mariae, qui immerito subdit hanc sententiam periculosam esse, quia in triduo periisset Ecclesia: cum non sistat solum in una persona, sed in pluribus. Responderi enim potest, solam Mariam esse potiorem ac nobiliorem et digniorem partem Ecclesiae, ita ut sola B. Virgo superet reliquam omnem Ecclesiam, dempto Christo; de quo videndus Ludovicus Torres de fide.

1203. De hac Mariana fide ait Gerson apud Salmeronem, tom. 3, tract. 10, fuisse generaliorem; quia circa plura obiecta se porrigebat, quam quae Prophetis, et aliis sparsim communicata sunt: fuisse etiam clariorem, quam illa, quae fuerat in Patriarchis, Prophetis, Apostolis et Angelis. Deinde fuit B. Virgo in fide constantior ac firmior, quae nullo unquam momento nutaverit. Postremo ad impetranda Dei dona longe efficacior fuit fides Virginea, teste Alberto Magno super *Missus est*, c. 38, quia per illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Summus montium tulit se, seque transtulit in mare amarum, id est in Mariam per Incarnationem.* Multus est idem Albertus super c. 1 Luc. in extollenda hac B. Virginis fide: *Fidem habuit in excellentissimo gradu, quae tam immensae rei sibi promissae fidem adhibuit, quae etiam, Discipulis dubitantibus, non dubitavit; quae omnia possibilia esse credendi certissima fuit. De primo horum dicitur, Luc. cap. 1: Beata quae credidisti, perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. De secundo dicitur Iob, c. 19: Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum: consumptis enim carnibus, hoc est mollibus discipulorum cordibus per dubitationem, adhaesit os, solidum cor Virginis, gloriosae pelli extensae in cruce per fidem.* Apte s. Ildephonsus vocat Mariam *signaculum fidei nostrae*, quia est fidei nostrae exemplar, in nobis veras fidei notas et characteres sigillans; tum quia eius fidei firmitudo et constantia nullis tribulationum flammis, vel adversarum rerum undis dimoveri potuit, sed semper rectae fidei characteres servavit: *Vel hoc signaculum fidei Virginis, in qua semper immobiliter stetit tempore Dominicae sepulturae.* Quia mollis et cerea nostra est fides, cito inconcussae fidei characteres, quacunque tribulationis flamma, quibusvis adversae fortunae undis abolentur. Iure igitur Virgo Deipara solidum os corporis mystici nuncupatur, quia ossa nec laboribus minuuntur, nec aegritudinibus extenuantur, sicut caro et sanguis: ita Deiparae fides solidissima nullis calamitatibus concussa est, nullis doloribus, adversaque fortuna diminutionem aliquam passa est. Praeterea sicut ossibus tanquam columnis tota corporis moles innititur, sine quibus neque esse, neque consistere posset, sic Mariana fide tanquam firmissimo fulcimento universum Ecclesiae corpus fulcitur et sustentatur, qua deficiente universa huius corporis mystici structura corrueret.

1204. Cui instituto permagno conducit, quod excogitavit Richardus de s. Laurentio, in illa Psal. 9 verba: *Praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* Ubi disquirit, quaenam sit haec auris divina, quae ita in pauperum desideria intenta est? aitque esse B. Virginem: at docet Paulus, fidem esse ex auditu: Christus est caput Ecclesiae, huius autem capitis auris est B. Virgo, quia per hanc aurem universa fides in totum reliquum corpus instillatur. *Beata Virgo,* ait Richardus, *est auris tua, quia ea mediante pauperes exaudis, sicut homo mediante aure sua.* Quamobrem Deus obsurdescit nostris precibus, non interveniente Mariae aure; hac autem nostris postulatibus intenta, nequit Deus non attendere; sicut quis apertis auribus ac debita distantia constitutus nequit loquentis verba non audire.

1205. Censeo secundo: Virgo Deipara in aliquo sensu vere et proprie dici potest Caput credentium; nempe quia ipsa fuit prima credentium in lege Evangelica, ut supra monuimus cum Molina: tum etiam, quia reliquis fidelibus deficientibus tempore Passionis, sola fides Virginea inconcussa permansit; vel quia Christus Dominus cum non habuerit fidem, ut tenent Theologi, quia semper fuit comprehensor; fides vero est de rebus non visis, ut monet s. Thomas, 3 p., q. 7, a. 3; nequit ergo Christus dici Caput credentium, id est primus, cum fide caruerit: bene vero Maria, quae fuit, et dici potest prima credentium, seu Caput credentium, hoc sensu: tum quia fide praestita Angelo in instanti Incarnationis, promeruit fidem omnibus fidelibus: in hoc forsan sensu Ecclesia aptat B. Virgini verba illa Eccli. 24: *Ego Mater pulcrae dilectionis, timoris, et agnitionis et sanctae spei. Quoniam*, ait s. Antoninus, 4 p. tit. 15, c. 17, *in dicta auctoritate notantur tres illae virtutes Theologicae, quas Virgo non solum in se habuit in mente, earumque actus produxit, et in aliis procurat: Charitas enim notatur ibi pulcrae dilectionis; ibi fidei, agnitionis; per eam enim habetur cognitio de necessariis ad salutem.* Hanc mentem mihi indidit magnus ille Abulensis Episcopus, Paradoxo 1, cap. 31, ubi haec serit: *Quod prae omnibus Apostolis passionis Dominicae tempore firmiter in ea sine ulla haesitatione permanserit: ideo quantum ad istam fidem Domina nostra singularibus laudibus titulatur, solaque praeconiis miris attollitur, et ponitur tanquam Caput omnium credentium.* Ubi vocat Mariam tamquam Caput credentium. Tres autem conditiones deposcit D. Thomas, 3 p., q. 8, a. 1, ad rationem Capitis: primo, ut sit aliquo modo primum in ordine: secundo, ut antecellat perfectione: tertio, ut in alia membra influat. De prima conditione certum est, B. Virgini competere; nam ut ostendimus, prima fuit credentium in Lege Evangelica: excedit etiam perfectione cunctas puras creaturas: influit etiam in iustos. Dicitur ergo Virgo tanquam Caput credentium secundum similitudinem humani capitis in ordine ad reliqua membra: caput ergo est prima pars hominis, et omnium perfectissima, quia in capite vigent omnes sensus interni et externi: influit etiam in reliqua membra; nam virtus ac motus caeterorum membrorum, eorumque regimen procedit a capite. Quae omnia recte aptari possunt B. Virgini, quia est prima credentium fide Evangelica. Secundo quia fidem habuit omnium perfectissimam et intensissimam. Tertio, quia influit moraliter in omnes fideles, ut supra tetigimus.

Debacchatur ergo impie Lutherus, cum a fide Centurionis fidem B. Virginis superatam mentitur, quia inquit Christus de fide Centurionis, Matth. 8: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Sed non calluit intelligentiam verborum, utpote quia caruit intellectu; non enim ibi comparat Christus Centurionem cum omnibus ac singulis populi Israel; nam non solum Virgo Deipara, sed Simeon et Anna, Ioseph, Ioannes Baptista, et alii fide Centurionem antecelluerunt: confert ergo illum Christus, cum quibus ipse praedicaverat. Stultitia etiam, et temeritate plenum est quod ait Brentius in illa verba, Io. 19: *Mulier, ecce filius tuus;* nempe Virginem Mariam in passione Christi a fide excidisse, quia Dominus dixit, Matth. 26, 31: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Prave ac blaspheme dicta ad solos discipulos, ad Divam Virginem detorquens; cum eadem steterit iuxta crucem constans, intrepida, invicta, ac proinde ipsa cruce et omnibus tormentis superior.

Plus urgent aliquorum Patrum dicta. Nam Auctor libri Quaestionum veteris testamenti, in tom. 4 operis imperfecti, quaest. 73, qui ab aliquibus putatur Augustini, in illa verba Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, ait, esse intelligenda de gladio dubitationis, quo B. Virgo afficiebatur, quo tempore Christus in cruce mortem agebat: additque non diu insedisse hanc dubitationem eius animo. Clarius Origenes, hom. 17 in Luc., tom. 2, paullo a medio, eadem verba de gladio scandali interpretatur, quod passa est B. Virgo, dum Christus mortem sustineret. *Quid*, inquit, *putamus, quod scandalizatis Apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione passa non est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius.* S. Chrisostomus, tom. 1 in expositione psalmi 13, haec habet: *Quando Christus fuit crucifixus, non fuit qui faceret bonum; discipuli omnes fugerunt, Ioannes nudus recessit, Petrus negat; ipsius Mariae matris animum gladius dubitationis pertransiit.* Amphilochius, hom. de occursu Domini, eodem modo praedicta verba interpretatur. Aliqui contendunt intelligendos hos Patres de ea dubitatione, quae non ortum ducit ex infidelitate, sed de haesitatione stuporis cuiusdam orti ex ingenti admiratione. Verum praedicta Patrum verba de dubio infidelitatis, et scandalo aperte loquuntur. Satius est asserere eos locutos, quo tempore B. Virginis in fide constantia nondum ita explorata inter fideles erat. Ratio autem Origenis frivola est: licet enim nullum peccatum contraxit, redempta tamen propriissime fuit, ut suo loco ostensum est. Alii aiunt homiliam illam in Lucam, quae Origeni adscribitur, non esse illius; item expositionem Psalmorum nomine Chrysostomi editam, alterius esse Doctoris. Verum tamen est in serm. quodam de Purificatione citato a Metaphraste eisdem fere verbis de B. Virginis dubitatione locutum, et hom. 20 in Ioan., tom 3 in illa verba: *Vinum non habent*, quosdam carnis affectus adscribit B. Virgini; in quo nimium excessisse, dixi alibi cum D. Thoma. Rursus liber ille quaestionum veteris ac novi testamenti, in dubium vertitur a Doctoribus utrum sit s. Augustini. Falsitas etiam huius sententiae inde etiam perspicitur, quod ignorantiam Prophetarum de Christi morte loquentium B. Virgini attribuat. Nihil ergo in morte Filii, non solum dubitationis, vel infidelitatis; sed nec indecorum aliquid, vel eius animo constantissimo firmissima fide innixo indignum fas est mente concipere. Sed quid di-

cendum de D. Chrysostomo, hom. 29 in Gen. haec asserente: *Ne quaeras naturae modum et exordium, quando supra naturam sunt quae fiunt; sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres, non fuisses habita digna, ut huic ministerio servires; atque adeo quod incredula es, propter hoc crede.* Respondeo nomen illud, *incredula*, non reperiri in originali graeco, sed additum ab aliquo. Ita nonnulli apud Carthagenam, lib. 5, hom 11 de Angelica B. Virginis Annuntiatione.

1206. Explodenda ergo est omnino Theophilacti sententia in cap. 1 Lucae asserentis, idcirco B. Virginem ad Elisabetham invisendam petiisse, ut experimento comprobaret Angelicum dictum de foecunditate Elisabethae post diuturnam sterilitatem. Verba illius sunt: *Abiit Virgo ad Elisabeth, et gaudens de bono cognatae, et volens ut prudentissima maiori certitudine certior fieri, num vera dixisset qui apparuerat ei, ut ex hoc nec de suo dubitaret; prudens enim cum esset, timebat, ne forte deciperetur, et non ut incredula, sed ut diligens rem explorare volebat.* Haec, inquam, sententia abhorret maxime a recto sentiendi modo, sapit enim Calvinianum ac Brentianum sensum; qua de re videndus Canisius, lib. 4 de Deipara, cap. 4, ait enim Calvinus: *Non esse absurdum ducendum, quaesitam a Maria fidei confirmationem fuisse ex miraculi conspectu, quod Angelus non frustra illi in medium proposuerat.* Brentius aeque insipienter ait: *Maria visitavit cognatam suam Elisabetham, ut verbo Angeli obediret, et sacramentum, quod Angelus annuntiaverat, re ipsa experiretur; et rursus Elisabeth confirmat fidem Mariae.* Praeclare in hunc sensum D. Gregorius, hom. 26 in Evang.: *Evacuatur*, inquit, *fidei meritum, ubi humana ratio praebet experimentum.* Imminueretur ergo multum de fidei B. Virginis praestantia, si experimentum illius quaesitura Elisabetham inviseret. Unde hanc Theophilacti sententiam oppugnant sancti Patres. Ambrosius super cap. 1 Luc. ita habet: *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festiva prae gaudio ad montana perrexit.* D. Bernardus hom. 4 super *Missus est: Quid*, ait, *fuit necesse huius sterilis Virgini nunciare conceptum? Nunquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit, sed ideo sterilis cognatae conceptus Virgini nunciatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur.* Venerabilis Beda, homil. de visitat.: *Intravit Virgo domum Zachariae, non ut verbum Angeli mulieris attrectatione probaret, sed ut mulieri provectae aetatis Virgo iuvencula ministerium sedula impenderet.*

CERTAMEN II.

Spes theologica Beatae Virgini attribuitur.

1207. Hominis profecto nec nomen meretur, qui in Deum sperare nescit. Prudenter Philo Iudaeus, lib. de Abraham: *Quoniam principium parandorum bonorum spes est; etiam hanc tanquam publicam viam ostendit, et aperit anima, boni veri studiosa; quae primum amicum spei nominat hominem, vocabulum totius generis commune, tribuens ei per excellentiam. Nam Chaldaei hominem, Enos, vocant: ac si solum vere homo sit, qui res bonas expectat, et bona spe se sustinet. Unde manifestum est, quod spe carentem non hominem existimet, sed bestiam humana forma praeditam, cui desit spes propriam ornamentum humanae animae.* Virgo Deipara omnem suam spem in unum Deum iactaverat, qua velut anchora, ita constabiliebatur, ut nec tenuis quidem perturbationis ac diffidentiae fluctus illius cor, nec tantillum dimovere posset. Quod quam sit magnum et excellens, docet idem Philo, lib. Quis rerum divinarum heres. *Quam difficile*, inquit, *est soli Deo credere! res nimirum mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis, ut credamus et fidamus gloriae, potentiae, amicis, sanitati et corporis robori, nostraeve in primis prudentiae: has persuasiones penitus ex animo eluere, nulli creaturae fidere, sed in solo Deo omnes suas et spes, et opes habere collatas, ex eoque totum mente, animoque pendere, res est animi magni et coelestis, non inescati, captique rebus terrenis.*

Lorca 2 2, disput. 9, num. 8, docet ad habitum et actum spei, necessariam esse aliquam incertitudinem, et effectum vere esse contingentem natura sua. Unde consequenter disput. 7, num. 8, ait in Beatis non reperiri spem de gloria corporis, quia est res valde certa, et cuius causam habent in promptu; nec est res ardua, nec pendet ab aliqua difficultate, in quam erigenda sit beati voluntas; nec denique est ulla contingentia in ea adipiscenda. Cui suffragari videtur Ragusa in tertiam partem, dis. 71, vers. *sed obiicit Vasquez;* ubi ait, ad spem necessariam esse contingentiam, non solum physice, sed moraliter; id est opus esse, ut futurum quod optamus, non oriatur ab agente physice ad illud determinato, sed nec moraliter. Si enim sit moralis Dei determinatio, iam bonum non est arduum; quia, nisi per potentiam Dei absolutam, impediri non potest. Haec autem moralis determinatio est, quando bonum est futurum ex consequentia necessaria naturaliter, ex aliquo effectu iam existente absque interventione novae causae contingenter operaturae; et quia gloria corporis in beatis necessario consequitur ex gloria animae, qua fruuntur, ideo corporis beatitudo non est ardua, neque obiectum spei. Ex quibus ut consequenter loquantur hi Doctores, oporteret negare animabus in Purgatorio existentibus spem; tum et B. Virgini, quae habebat scientiam certissimam suae praedestinationis, et quia peccare non poterat: ac denique ipsemet Lorca in tertiam partem, dis. 18, n. 13, negat in Christo spem de corporis gloria, quia futura erat certissime et infallibiliter. In quo merito arguitur inconsequentiae Ragusa, dum ait Christum Dominum vere speravisse corporis gloriam, quae tamen tam illi certa erat, quam beatis: ergo et hi sperare illam possunt. Sicut

enim gloria animae est causa gloriae corporis in beatis, ita in Christo gloria animae, tum et unio hypostatica: imo Deus ratione huius unionis ex natura rei tenetur ad conferendam gloriam corporis, multo magis, quam ad conferendam eandem gloriam corporis ex suppositione gloriae essentialis; quia sanctitas unionis hypostaticae maiorem habet connexionem cum operibus sanctis, et cum gloria corporis, quam animi gloria cum corporis gloria, praecipue cum Christus certissime sciret futuram infallibiliter gloriam sui corporis, neque ullam esse contingentiam; ergo eadem illi fuit ratio ad sperandum, vel non sperandum cum beatis: quod etiam cum proportione fieri potest argumentum de B. Virgine.

1208. Censeo igitur tanquam certissimum tenendum, beatam Virginem habuisse habitum et actum spei: quia licet habuit certitudinem infallibilem suae praedestinationis, speravit aeternam felicitatem: nihil enim aliud est spes, quam certa expectatio futurae beatitudinis ex gratia et meritis proveniens. Itaque dependentia effectus a voluntate quae sui iuris est, facit et constituit arduitatem in obiecto spei, tametsi sumus omnino certi de illius consecutione. Quare quibus Deus revelavit suam praedestinationem, licet illi omnino certi sunt suae salutis, quis ibit inficias eos sperasse? Unde sufficit gloriam dependere a voluntate libera in actu primo, et indifferenti ad utramlibet partem; quia determinatio in actu secundo nullatenus aufert contingentiam obiecti, seu effectus simpliciter, et absolute contingentis: quippe omne creatum, ut habet dependentiam a prima causa absolute, est contingens, determinatum vero *secundum quid*, et ex suppositione consequente voluntatem Dei. Arduum ergo quod exigitur a spe, in eo situm est, quod dependeat bonum speratum a Deo, cuius voluntatem nullis viribus nostris flectere possimus. Animadvertendum tamen est, spem ex parte Dei certam esse, quia *vult omnes homines salvos fieri:* at vero ex parte nostra, communiter loquendo, esse mixtam formidine; ut bene docet Paulus, Philip. 2, 12: *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini;* et Ecclesiast. 9: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Quod non habebat locum in Virgine Deipara, quae ex intima divinae bonitatis notitia, et ex cognitione clara, qua se in gratia fuisse confirmatam noverat, spem certissimam habebat suae beatitudinis nullo timore permixtam.

Neque abest a ratione spei securitas omnimoda, imo inter se recte connectuntur iuxta Psalmographum, Psal. 90: *Sub pennis eius sperabis.* Chaldaeus vertit: *Sub umbra gloriae eius securus consistet.* Itaque spes divina magnam securitatem praesefert. Quod iterum inculcat idem regius Psaltes, Psal. 111: *Paratum cor meum sperare in Domino.* Symmachus transfert: *Stabilis est animus eius, et securus in Domino.* Et apud Hebraeos vox *Betthech*, et fiduciam significat, et securitatem.

1209. Censeo secundo, etiam modo in patria reperiri in anima Beatae Virginis habitum et actum spei. Ita de Christo censent Suarius in 3 part., quaest. 7, art. 4, § *quod si tandem*; Becanus, tom. 3, cap. 8, quaest. 8, num. 3 et 4; Petrus Hurtado de spe, disputat. 108, § 46; ergo potiori iure id dici potest de Beata Virgine. Et suaderi potest, quia potest Beata Virgo desiderare, sicut et reliqui Beati continuationem Beatitudinis suae, duratio enim et continuatio visionis est bona; ergo potest desiderari: affectus enim ortus a cognitione boni, ut non existentis, est desiderium; duratio enim per multos annos actu non existit: ergo desiderari potest. Dices in visione non esse praesens, praeteritum et futurum, quia est quaedam aeternitatis participatio, in qua omnia sunt praesentia: unde nec Beata Virgo, nec reliqui Beati potuerunt habere spem de continuatione Beatitudinis. Contra tamen, quia, ut bene sanctus Augustinus cum communi Doctorum, futura nondum sunt, praeterita iam non sunt: nunc sic: possum sperare continuationem rei praesentis, quamvis talis res non sit futura; ergo sperare potest Beata Virgo continuationem Beatitudinis. Antecedens inclaret: possum sperare continuationem gratiae praesentis usque ad ultimum vitae instans, cum tamen gratia illa non est proprie futura, quia modo non habet carentiam existentiae: ergo bene sperari potest continuatio rei non futurae. Cuius rei ratio optima est, quia duratio per multos annos *ut sic*, est futura proprie, licet res ipsa durans non sit futura; nunc enim non est duratio futura per multos annos, ergo reipsa datur futuritio in duratione, licet res sit actu praesens; ac proinde desiderari poterit duratio futura per multos annos actu spei, licet non desideretur substantia rei durantis, ut praesens est. Fatemur aeternitatem Dei esse totam simul, et perfectam possessionem vitae interminabilis, in quo non apparet ratio praeteriti et futuri, quia necessario existit omni tempore possibili; iuxta quam considerationem loquitur sanctus Thomas 2 2, quaest. 18, art. 2, dum ait in visione non esse praeteritum, nec futurum, quia aeternitas Dei est tota simul, et perfecta possessio, et ratione suae immutabilitatis correspondet toti aeternitati, ideoque non potest desiderari; in rebus enim immutabilibus idem est eas possidere, ac immutabiliter eas habere. Licet autem visio sit quaedam imperfecta participatio aeternitatis, cum tamen eius conservatio pendeat a libera Dei voluntate et sit reipsa separabilis duratio praesens a futura, ideo cadere potest in durationem futuram beatitudinis actus desiderii. Licet ergo duratio nihil superaddat enti praeter extrinsecam denominationem, at totum ens, quod durat, deperdi potest; unde visio secundum illam denominationem futura, non est praesens, sed erit, adeoque desiderari potest: Deus autem sperare, aut desiderare non potest secundum se, quia non pendet ab alio, et est per essentiam in omni tempore et eius singulis instantibus.

Obiiciat aliquis in patria nullum exerceri posse actum concupiscentiae; atqui spes est actus concupiscentiae; ergo nec Beati, nec Virgo Deipara habent spem. Maior est certa, quia concu-

piscentia sistit in ipso amante, ut in fine *cui*, nec tendit absolute in Deum: haec autem concupiscentia tanquam imperfectionem secum afferens ab illo perfectissimo statu praecipue a B. Virgine reseganda. Sed neganda est maior. Ea autem imperfectio cum sit negativa, nec dedecet Beatos, nec Beatam Virginem, siquidem objecta creata possunt amari propter se ipsa actibus virtutum moralium, tum et propter Deum actu charitatis theologicae. Actus vero moralium virtutum solum sunt imperfecti negative, nempe quia non amant obiecta propter motivum omnium perfectissimum, quo amari possunt; cum enim essentialiter sint a Deo, et participatio ipsius bonitatis, deposcunt ad ipsum referri actu actualis amoris; adeoque omnis amor erga illa, nisi sit propter Deum, formaliter imperfectionem includit: at vero actus illi moralium virtutum, cum sint ex dictamine rationis, Deoque placeant, positivam praeseferunt perfectionem.

1210. Hinc ergo satis apparet Beatam Virginem in patria, vel in hac vita mortali non dedecere actum spei, nempe concupiscentiam visionis futurae, quia illa concupiscentia et amor beatitudinis propter ipsam, quam sibi volebat et vult, pertinet ad spem: tum quia alias creaturas etiam imperfectiores amant sibi Beati propter ipsas. Quod patet ex sancto Thoma, 3 parte, quaest. 7, et ex omnibus Theologis admittentibus in Christo virtutes a charitate distinctas, quibus amantur creaturae propter ipsas; a Christo enim solum illae virtutes arcentur, quae locum non habent ratione status comprehensoris, ut fides et spes, de gloria animae; vel illae, quae secum involvunt aliquam imperfectionem repugnantem personae, ut poenitentia, quatenus supponit peccatum proprium; item continentia sub hac denominatione, quia dicit affectiones effraenes adversus rationem. Cum ergo Beati actus eliciant obedientiae, gratitudinis et aliarum virtutum, non solum propter Deum, sed etiam propter bonitatem imbibitam in obiecto illarum virtutum; poterunt etiam elicere actum spei, cuius obiectum utraque ratione amabile ipsis proponitur. Et negari non potest Beatos, tum et B. Virginem, sanctiores esse, dum actus simul eliciunt charitatis ac spei, quam cum charitatem solum. Sicut ergo creaturae sunt amabiles dupliciter, scilicet et charitate, et alia virtute, ita et Deus amari potest et propter suam bonitatem secundum se, et quia nobis bonus est; utraque enim virtus proficitur ex dictamine rectae rationis. Quod si dixeris actum hunc spei in patria non esse necessarium, respondeo fore magis necessarium, quam actus reliquarum virtutum moralium, illis enim longe perfectior est: sicut ergo admittimus in Beatis, et Virgine Deipara actus virtutum moralium, etiam hic admitti debet; ut status ille beatificus omnium perfectionum aggregatione sit constitutus; et ut res amentur et in Deo propter charitatis motivum, et in ipsis propter alias virtutes, quemadmodum creaturae videntur in Deo per scientiam beatam, simulque aliis scientiis videntur in seipsis.

1211. Haec autem spei virtus non solum fuit in B. Virgine in gradu praeexcellenti; sed dicitur etiam spes nostra ob eius potentissimam apud Filium intercessionem, et maternum erga nos amorem. Sic illam vocat Ecclesia: *Spes nostra, salve.* Et ipsamet Beata Virgo apud Ecclesiast. cap. 24, vers. 24, dicitur: *Ego mater spei sanctae*, ut excludatur illa vana praesumptio, qua plures peccatores gloriam sine meritis consecuturos se sperant, vel alia ratione inaniter praesumunt; hi enim adversantur sanctae spei, cuius solius Mater dicitur Deipara; atque etiam Mater in Deo sperantium recte nuncupari potest, quia, ut inquit Bernardus, serm. in nativitate Virginis: *Fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem, collabentemque confidentiam sublevat.* Bene Salomon, Prov. 28, 25: *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Alii ex Hebraeo vertunt: *Fidens in Domino impinguabitur*, utpote a Maria nutrice lactatus, spes enim est lac sapidissimum, quo fideles aluntur a Virgine Matre, nutriuntur, et quasi adipe et pinguedine replentur. De hac spe, inquit Synesius de insomniis: *Spes hominum genus alit.* Symmachus, epist. 55.: *Spes in adversis alere animos solet.* Salvianus, lib. 11 contra Avaritiam: *Vita haec quoque ipsa temporaria non nisi spe alitur, ac sustinetur.* Imo et Pindarus eam *senectutis nutricem* vocat.

CERTAMEN III.

De charitate Virginis Deiparae in Deum.

1212. Charitatem supernaturalem, quae est virtus theologica, immensam extitisse in Deipara docet Guilielmus in illud Cant., *Ordinavit in me charitatem: Cum Virgo*, inquit, *Deum corporaliter concepit, tantam in se ipsa de calore supervenientis Spiritus sancti flammam pii amoris concepit, quantam capere poterat puri hominis modus.* Hinc recte dixeris B. Virginem fuisse charitatis ethnam. Haec autem Mariani amoris immensitas ex aliquibus capitibus erui potest. Primo ex parte obiecti, nempe Dei infinite boni, summe diligibilis: quod quidem obiectum summe amabile, recte a Deipara, utpote sapientia maxima, divinarumque rerum cognitione pollente, penitius penetrabantur: nec solum hoc summo amore in Deum ferebatur, qua Deus est, sed etiam qua homo; quia charitas theologica non modo ad Deum amandum, sed etiam ad proximum diligendum porrigitur; praecipue cum humanitas illa esset hypostatice Verbo unita. Quod si maiori charitate diligendi sunt, quibus maior bonitas inest, utpote Deo viciniores sunt; cum ergo in Christo infinita promicaret gratia ac sapientia cum reliquo virtutum satellitio, quod apprime callebat Deipara, nihil ergo mirum, si in eum summo ferretur amore: quod innuit Anselmus de excel. Virg., cap. 4: *Ex amore, quo se amant bonus filius et bona mater, aliquatenus tentemus, si quomodo coniectare valeamus amorem huius bonae Matris erga vere bonum, et unicum Filium suum.* Et s. Bernardinus luculentius in rem nostram

ait, tom. 3, serm. 2 de glorioso nomine Mariae, art. 1, cap. 3: *In Christo fuerunt omnes conditiones, propter quas mater amat filium, et habuit eas in summo; erat quippe Dominus Iesus Christus prae caeteris omnibus potentior, sapientior, generosior, formosior, atque melior.* Cur autem Deipara non summe summum bonum amaret, quod summe amabile, utpote pulcherrimum, nobilissimum, sapientissimum, optimum et perfectissimum cognoscebat?

Deinde sumi potest haec immensitas charitatis Virgineae in Filium, quia illum insignem erga se ipsam benefactorem experta fuit, a quo immensa beneficia et animae et corporis, et praecipue Maternitatis Dei promanaverant, quibus creaturas omnes longo superaret intervallo; e vicissim ipsa Deipara aliquid in Filium contulit, nempe carnem et sanguinem purissimum, quod multum adauget amoris flammas; siquidem beneficus erga eum, in quem confert beneficium, propensiori dilectione allici solet. *O stupendum miraculum, et inauditae altitudinis fastigium! ut a muliere Dei Filius quodammodo recognoscere videatur suum esse humanum;* inquit Bernardinus, tom. 3, serm. 11, art 2, cap. 2. Summo igitur amore Christum Filium diligebat, quia summe amabilem contemplabatur, nempe summa pulcritudine decorum, summa ingenuitate nobilem, summa sapientia conspicuum, optimum, maximum, gratissimum, omnique perfectione praeditum: unicum praeterea, et sibi cum nullo viro communem, sed ex suis purissimis sanguinibus procreatum certo sciebat: quem tenerum infantulum brachiis amplectebatur, ubere lactabat, sinu fovebat, basiis oblectabat. Si aliae matres quantumvis deformes filios adamant usque ad insaniam, nulli autem parenti tot amoris incentiva suppetere potuerunt, ac Virgini Mariae ut Filium suum amore summo prosequeretur, utpote quia unicus, quia simillimus, quia dives, *et universorum haeres*, ad Hebr. 1; quia speciosus ac venustus, Ps. 44: *Speciosus forma prae filiis hominum;* quia vi et robore potentissimus: *Rex regum, et Dominus dominantium; et indutus est Dominus fortitudinem:* quia totus desiderabilis, et omnium oculos ad se vi quadam attraheret, et attonito similes redderet. Insuper mater est, quam filius tot donis cumulavit, tot beneficiis devinxit, tot praerogativis adauxit. Quo igitur maternus Mariae Virginis affectus progrederetur, in quod intensionis fastigium eveheretur tot titulis innixus? Bene Bernardinus de Bustos, 4 parte, serm. 2: *Amabat*, inquit, *Virgo Christum amore naturae, ut mater filium; amore amicitiae, ut creatura Creatorem; amore vero gratiae, ut praeservata et redempta Salvatorem suum. Iam intimus autem amor fuit matris ad filium, quod ipsa tota erat in amorem conversa: sicut ferrum missum in ignem totum efficitur ignis.*

1213. Unanimis est Theologorum sententia, praeceptum amoris Dei vix in hac vita adimpleri posse, saltem quoad omnes circumstantias, licet possit quoad substantiam attinet. *Hoc erit*, inquit Augustinus lib. de spiritu et litera, cap. ultimo, *primum praeceptum iustitiae, quo iubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente, quod in illa vita complebimus, cum videbimus facie ad faciem.* Et sanctus Bernardus tractatu de diligendo Deo: *Ego puto non ante sane perfecte impletum iri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua: quousque ipsum cor cogitare non cogatur de corpore, et anima* etc. *Impossibile enim est tota haec ex toto ad Deum colligere. Tunc, inquam, summum obtinebit facile gradum, cum in gaudium Domini sui promptissime, et avidissime festinantem nulla iam retardabit carnis illecebra.* Et Richardus de sancto Victore, tractatu de grad. Char. cap. 2: *Quod tamen*, inquit, *in hac vita mortali, sicut a nemine constat posse impleri, ita ab omni homine debet optari.* Verum Beata Virgo adhuc viatrix hoc dilectionis praeceptum singulari privilegio opere complevit. Nullis enim obicibus detenta fuit, quibus alii viatores irretiri solent, ne praeceptum dilectionis ad unguem explere possint. Quod autem id praestare posset Deipara huius vitae mortalis superstes divinis suffulta viribus, auctor est sanctus Augustinus, lib. de spiritu et litera, cap. ultimo. Ubi cum fusiori sermone mortalium neminem adimplere posse charitatis praeceptum quoad circumstantias omnes in Evangelio a Christo appositas asseruisset; adnectit deinceps nihil obstare, quominus quispiam speciali privilegio donatus, id praeceptum perfectissime adimpleat; ait ergo: *Sane quamquam talem, si testimonia illa divina competenter accipiant, prorsus invenire non possunt; nullo tamen modo dicendum est, Deo deesse possibilitatem, qua voluntas sic adiuvatur humana, ut non solum iustitia ista, quae ex fide est, omni ex parte modo perficiatur in homine; verum etiam illa secundum quam postea in aeternum, in ipsa eius contemplatione vivendum est.* Hoc autem privilegio gavisam fuisse quoad observantiam perfectissimam praecepti dilectionis Beatam Virginem, ex eo adstruimus, quod nunquam, nec levissima peccati macula se contaminaverit, ac universa, quae opere exequi tenebatur, absolutissime peregit. *Ex his itaque*, ait Richardus de sancto Victore lib. 2 de Emanuele, cap. 29, *advertere licet, quod Emanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. Quis illud primum, et maximum mandatum sic unquam implevit? Quis sic unquam implere potuit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua? In ea igitur divinus amor adeo convaluit, adeo eam ipsam in omni bono solidavit, ut de caetero spiritualis qualiscunque defectus in eam incidere non posset.* Et Divus Bernardus, serm. 29 in Cantic.: *Est sagitta electa amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena.*

1214. Hoc amore theologico plus Filium suum

diligebat Deiparam, quam homines omnes et Angeli simul sumpti. Nec mirum, inquit Divus Bonaventura in speculo, cap. 6, si prae omnibus diligat, quae prae omnibus est dilecta. Huc revoco verba sancti Bernardi, serm. 51 in Cantica: *Nihil unquam elegit sibi Maria, nisi quod ei sapientia Divina demonstrabat, tantumque semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimavit.* Confirmari potest ex his, quae alibi produximus, nempe Beatam Virginem omni gratiae excitanti respondisse; itaque Deum diligebat omni fervore et conatu charitatis, et gratiae tam habitualis, quam actualis. *Nec dubium*, ait sanctus Bernardinus tom. 3, serm. 2 de glorioso nomine Mariae, art. 2, cap. 4, *quin hoc erat amoris in Virgine benedicta, ut infinities, si fieri potuisset, se morti pro Filio tradidisset: si enim hoc voluit David pro filio suo, quanto magis haec pro suo? ut magis conveniat ei vox illa: Quis mihi det, ut ego moriar pro te, Fili mi? II Regum, cap. 18, quippe quasi animam suam diligebat Deum.* Addit Suarius, tom. 2 in tertiam partem, disputat. 18, sect. 4, paragrapho quinta et ultima, nempe unam Virginem Deiparam plures actus amoris elicuisse, quam omnes simul Beati dum fuerunt in via. Haec enim habet: *Actus charitatis, quos elicuit Virgo B. in hac vita, innumerabiles fuerunt, ita ut eorum multitudo possit fortasse cum numero Sanctorum omnium conferri, quia fuit in continuo merito, fuit etiam in iugi divinarum rerum contemplatione, et in ea ardentissime Deum amabat, et frequentissime actum ferventissimum in Deum repetebat.* Sanctus Thomas secunda secundae, quaest. de Charitate, art. 8, tres assignat gradus perfectae charitatis. Primus est quando cor hominis actu fertur in Deum absque intermissione, quae perfectio cadit in Beatorum statum, nec lege ordinaria reperitur in hac vita. Existimat autem Petrus Hurtado de Charitate, admodum probabile, Deiparam hac dilectionis perfectione gavisam, saepe ex visione Beata, semper autem ex scientia per se infusa a sensibus independenti.

Pater Vasquez tom. 1 in prima secundae, disputat. 11, cap. 4, num. 24, docet Deum in via ita perficere posse affectum amoris usque ad illum intensionis gradum, quem Beatus in patria attingit; quod quidem Beatae Virgini concessum fuisse multi arbitrantur: iuxta horum Theologorum sententiam, quos Vasquez suppresso nomine citat, censeo Beatam Virginem ea intensione ac conatu Deum in via dilexisse, quo nunc iam Beata ipsum diligit: dum enim in terris ageret, anima ipsius, si ita loqui fas est, quasi intimius Filio adhaesisse visa fuit, quam anima ipsius Christi; mors siquidem avulsit animam Jesu ab ipsius corpore; non potuit autem animam Beatae Virginis a Iesu avellere. Praedixerat quondam Simeon Mariae, Luc. cap. 2: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Quod dubio procul evenit, ubi Iesu in cruce pendentis latus lancea terebratum fuit: iam enim tunc Christi anima ab ipsius corpore per mortem seiuncta erat: verum anima B. Virginis adhuc corpori Iesu inerat, quam lancea feriret, ac transfoderet. Acute rem tetigit mellitus Abbas, serm. in *Signum magnum*: *Iesu non attigit animam crudelis lancea, quae aperuit eius latus, sed tuam utique animam pertransivit, ipsius nimirum anima iam non erat ibi; sed tua plane inde nequibat avelli.* Itaque cruciatus ac tormenta, quae valuerunt Iesu animam a corpore avellere, inde Mariae animam eripere non potuerunt.

1215. Quocirca certum reor in B. Virgine viatrice intensiorem amoris actum concedendum, quam in Beatis. Ludovicus Torres de fide, spe et Charit. d. 77, dub. 6, § *nihilominus*, id verum docet, si fiat comparatio inter dilectionem B. Virginis, et alicuius Beati; citatque pro se Aragonem, 2 2 de Charit. quaest. 27, art. 7; Bannez, Conradum, Alphonsum a Toleto, Albertum Magnum. Quia quamvis visio clara Dei valde conducat ad intensionem actus amoris, non tamen denegandum est, ratione intensionis ipsius habitus, et actualis gratiae in via, posse adaugeri intensionem, ita ut superet intensionem dilectionis Beati; oppositum autem adstruit s. Thomas 2 2, quaest. 67, artic. ult., et s. Augustinus, tom. 3, lib. 1 de doct. Christiana, c. 38, et lib. de spiritu et litera, cap. ult., ubi haec habet: *Porro si quantum maior notitia, tanto erit maior dilectio* etc. *Cum ab hac peregrinatione perventum erit ad speciem, procul dubio et ipsa dilectio non solum supra quam hic, sed longe supra quam petimus, et supra quam intelligimus, erit.* Ubi ex clariori notitia patriae colligit perfectionem et intensiorem dilectionem. Verum hi Patres interpretari possunt de his quae communiter contingunt, locutos fuisse; non vero de dilectione Beatae Virginis viatricis.

1216. Praeter hunc amorem theologicum, asserendum puto in B. Virgine infuisse alium amorem infusum *per accidens*, naturalem secundum substantiam, a primo suae Conceptionis instanti. Et quidem de Angelis ita docet Suarius, lib. 3 de Angelis, cap. 5, num. 2, hunc amorem naturalem Dei ipsis inhaesisse a primo suae creationis instanti: et suadetur, quia, ut ostendi, condita fuit in naturali beatitudine, adeoque cum perfecta cognitione naturali Dei, et cum actuali amore benevolentiae Dei super omnia, et cum morali impossibilitate ad peccandum; deinde concepta fuit cum delectatione ac fruitione magna orta ex illis actibus, in quibus omnibus sita est beatitudo naturalis. Itaque Beata Virgo, simul atque perfecto rationis usu donata fuit, illiusque intelligentia perspicua divinae naturae visione illustrata, toto animi conatu sese in Deum, non solum supernaturalis amoris actu, sed etiam naturalis, conversa est, seseque Deo tota animi contentione dicavit, ac denique totis viribus, iugi temporis continuatione diligendum suscepit, quia ductrice natura integra in bonum propendebat, nec lassitudine, nec impedimento aliquo, vel difficultatis, vel somni impediri poterat: praecipue cum a primo conceptionis instanti scientia in-

fusa donata fuerit, ex quibus evidenter percerperat summam rationalis creaturae felicitatem naturalem, ac supernaturalem in Dei contemplatione et amore considere. Deinde optime norat beneficia tam ordinis supernaturalis, quam naturalis, quibus Deo devincta erat; et ut maxima gratitudine naturali praedita erat, in naturalem Dei amorem intensissimum rapiebatur tantorum beneficiorum auctoris, quibus auctam se prae cunctis aliis creaturis agnoscebat: praeter ingenitum vero a natura robur, aderat infinitus pene gratiarum cumulus, cuius vi et propensione insitum illud a natura in summum bonum desiderium, et ardor magis acuebatur, et quasi stimulis adhibitis cursum concitabat, nec ullus ex parte corporis, ac inferiorum potentiarum obex esse poterat, qui cursum interciperet, aut retardaret; ergo toto virium naturalium impetu in Dei amorem ferebatur. Confirmatur, quia cuique rei, maxime rationali creaturae, inest in suae perfectionis consecutionem appetitus; haec autem perfectio naturalis in Dei cognitione et amore sita est: ergo Virgo Deipara naturali appetitu in Deum amandum ducebatur. Quod alte firmavit s. Bernardinus, to. 2, ser. 51, art. 1, c. 3: *Tantum*, ait, *Deum diligebat, quantum a se diligendum illum intelligebat*, etc. *Quis igitur exprimere potest quanto ardore diligebat eum ex toto corde, id est super omnia temporalia mundi; ex tota anima, id est super corpus et carnem suam; et ex omni mente sua, id est super omnia superiora, scilicet spiritualia et coelestia*? Et s. Ildephonsus, serm. 3 in Assumpt. Deip.: *Quae omnia*, ait, *virgulta in odorem suavitatis, ardore charitatis, Domino concremavit.* Ubi virgultorum voce omnes animi vires, motus, facultates, affectus subindicat naturales, qui omnes ardentissimo amoris igne concremabantur, iugi atque perenni dilectionis torrebantur ardore, ut verissime dixerit s. Hieronymus a D. Bonaventura relatus lib. 1 pharet. cap. 5: *Totam repleverat Spiritus sancti gratia, totam incanduerat Spiritus sancti amor, ita ut in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, et ebrietas profusi amoris.*

De habitu benevolentiae naturalis in Deum, negat Pereira, lib. 5 in Genes., disp. de 3 excellentia status innocentiae, quaest. 1, fuisse in Adamo innocente; quia non solum poterat Adamus diligere Deum ut auctorem naturae naturali dilectione super omnia, sed etiam voluntas eius naturaliter erat ad illum amorem propensa, et nullam difficultatem, aut impedimentum ex parte appetitus in eo amore patiebatur, adeoque non indigebat habitu: quod potiori iure de B. Virgine affirmare posset. Sed dicendum est, insedisse Beatae Virgini habitum benevolentiae naturalis per accidens infusum, quia per se pertinet ad maiorem perfectionem voluntatis humanae; neque obstare poterat propensio naturalis voluntatis Virgineae, quia haec augeri poterat per habitum, dare enim poterat facilitatem in operando; neque etiam obstat quod appetitus non retardaret, quia libertas et indifferentia voluntatis sufficit ad capacitatem et utilitatem habitus. De quo Suarez de Charit. d. 3, sect. 5.

1217. Hic igitur Deiparae amor in Filium fuit in intensione summus, et forsan altioris ordinis et naturae quam noster adquisitus, quia obiectum huius amoris erat maximum in ratione boni naturalis et supernaturalis; quippe sive inspiciamus bona animae, sive bona corporis, quae honestissimum amorem sibi conciliare possunt inter homines, erant profecto maxima: deinde haec bona B. Virgini evidenter proponebantur, ergo nihil obstare poterat, quominus Deipara hoc summo amore in Filium ferretur. Erat quippe Filius sapientia nulli secundus, sanctitate multiplici conspicuus, morum comitate praeclarus; Matri in omnibus observantissimus, pulcritudine speciosus prae omnibus, insuper Deiparae in forma ac vultu, corporisque lineamentis perquam simillimus; nihil ergo desiderari poterat, sive ex parte obiecti, sive ex potentiae, quominus ardentissimo amoris actu in Filium adamandum raperetur. Quod innuit Deipara sub typo Sponsae, Cant. 5: *Dilectus meus totus desiderabilis.* Ad haec, unicus Iesus erat Genitricis suae universorum haeres, quique carissimam parentem mutuo redamabat amore; quibus omnibus multum Marianus in Filium amor excrescebat; gnatorum enim nemo ita parentem dilexit, aut reveritus fuit, nec tot in matrem beneficia congessit, tantaque perpessus fuit, sicut Christus Dominus pro Virgine Deipara.

1218. Hinc pronum est deducere, maximam inter Divam parentem et Filium intercessisse amicitiam humanam, ut vocant, sive haec honesta amicitia peculiaris sit virtus ab aliis discreta, ut opinatur Henricus de Gandavo, quodlib. 10, quaest. 12; Paludanus in 3, dist. 27, quaest. 1; sive non sit distincta ab aliis virtutibus, ut docet s. Thomas 2 2, quaest. 23, artic. 3; Caietanus ibidem; Capreolus in 3 sent., dist. 27, quaest. unica. At inter parentem et filium, veram et propriam amicitiam reperiri posse, docet Aristoteles, 8 Ethic. 7 et 14, et lib. 9, cap. 1. Haec enim amicitia nihil aliud est, quam amor benevolentiae in rem amatam ratione sui, quo amore ei bonum optamus, opus autem est, ut amor hic sit reciprocus innixus aliqua bonorum communicatione, sive sanguinis, sive virtutis. Item opus est ad hanc amicitiam, ut hic mutuus amor utrique amico innotescat; unde ait Aristoteles 8 Ethic. 4, *est amicitia redamatio non latens.* Quae omnia in Deipara perfectissime coierunt.

Demum amore naturali in summo filium diligebat. Docet autem s. Thomas cum Philosopho, lib. 8 Ethic. cap. 12, hominem ratione sui naturaliter magis diligere filium, quam parentes, quia filius est pars parentis; et patet in ipsis animantibus, quibus ipsa natura ita vehementem amorem indidit, ut plerumque aperto se mortis discrimini obiiciant, ut suos foetus alant, tueanturque: in cuius rei confirmationem pluscula libet verba s. Augustini, serm. 1 in feria 4, post Domin. in sexages. hic apponere: *Liceat nobis*, ait, *humana charitate diligere coniuges, diligere filios; si enim tali quisque crudelitate efferatur,*

ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, et non amet filios suos, et non amet coniugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est, qui amat filios suos, sed damnandus qui non amat filios. Adhuc enim videat cum quibus debet ei esse dilectio ista communis. Amat filios; et ferae amant filios, amant filios aspides, amant filios tigrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est, quae non filiis suis blande murmuret: nam cum terreat homines, parvulos fovet: fremit leo in filios, ut nemo transeat: intrat in speluncam, ubi habet filios suos; omnem rabiem feritatis exponit, foris eam ponit, et cum ipsa non ingreditur, ergo qui non amat filios suos, etiam leone peior est. Addit s. Thomas 2 2, quaest. 26 citat. art. 10, ex Aristotele: *Matres magis sunt amantes filiorum, quam patres, laboriosior enim est generatio matrum.* Unde nihil mirum, si dicamus Deiparam, quia Filium sola solo suo purissimo sanguine conceperat, pepererat, lactaverat, enutrieratque; maximo in summo eum prosecutam amore naturali: quod firmat s. Bernardinus, tom. 3, serm. 1 de gloria nom. Mar., art. 1, cap. 2: *Similitudo*, inquit, *et propinquitas est causa naturalis amoris; (de qua re Savarus ad Epist. 4 lib. 4 Sydonis, Chrysologus ser. 101, Plinius iunior epist. 16, lib. 4, et epist. 14, lib. 7.) Unde Eccles. 13 scriptum est: Omne animal diligit simile sibi, et sic omnis homo proximum sibi similem. Profecto inter filium et quamcunque aliam matrem, tanta propinquitas et similitudo non fuit, quia Christus totus fuit de sola substantia Matris, igitur inter nullos tanta dilectio.* Haec Bernardinus; et s. Anselmus, lib. de excel. Virg. cap. 4, haec habet: *Amorem, quem pater et mater singuli debent filio suo, debet haec felicissima matrum sola Filio suo; amorem etiam quem debet quilibet filius simul suo patri et matri, ille filius vere Virginis soli debet suae Matri. Nam sicut alii filii nascuntur ex patre et matre, ita Filius suus natus est ex sola Matre.* Hic autem amor naturalis B. Virginis in dies augebatur ex iugi amborum convictu: siquidem reciproca operum et officiorum communicatio ad amicitiae augmentum valde conducit. Fuit ergo Maria comes, et assecla Filii triginta annorum spatio. Hic autem naturalis amor Mariae singulare nactus est privilegium, quo in immensum excresceret; nempe quod certo sciret hoc amore, quantumvis ferventissimo, nulla ratione a Deo separari posse, imo ipsi intimius adhaerebat, unde illum fraeno non coercebat, sed illi laxabat habenas. Aliorum amor naturalis coercendus est frequenter, ne divino amori aversetur, vel a Deo nos separet. Hinc Christus Dominus ait Luc. 14, hunc nimium amorem cohibens: *Si quis venit ad me, et non odit patrem, matrem ac filios*, etc.; saepe enim amor in creaturam tendens peccare solet, vel quia rei prohibitae, vel quia modum excedit; ideo s. Hieronymus contra Iovinianum protulit illud: *Adulter est in suam uxorem amator ardentior.* Quae cautio in Mariano amore in Filium adhibenda non est; quia cum Filium ardenter adamat, Deum ipsum deperit, nec illum a Deo separat, sed magis ac magis ipsi adglutinat.

1219. Sciscitaberis utrum B. Virgo in via semper in aliquo actu amoris ordinis naturalis exerceretur. In qua re eodem modo loquendum censeo, ac supra locuti fuimus de actibus intellectus, videlicet Marianam voluntatem nunquam feriatam ab aliquo actu amoris in filium; quia erat maxima voluntatis perfectio in ordine naturali, et alioquin ex hac iugi voluntatis operatione, nulla lassitudo, aut defatigatio ipsi B. Virgini poterat obtingere, sicut neque accideret in statu innocentiae; imo aliquis opinari posset, sicut voluntas B. Virginis necessario applicabat intellectum ad aliquem specierum usum, ita ut non posset intellectum omni actu privare, ita voluntatem ipsam necessario applicari debere ad aliquid volendum indefinite, sive hoc, sive illud obiectum; ita tamen ut actus a voluntate eliciti liberi manerent quoad speciem et quoad individuum; poterat enim cessare ab hac specie amoris et in aliam transire, et poterat hunc numero actum amoris interrumpere, et alium elicere; necessario tamen in aliquo amoris actu perseverabat. Amplius nostrum firmatur assertum, quia in carentia omnis actus voluntatis nulla ratio boni concipi poterat, neque in actuali usu alicuius actus amoris indefinite sumpti apprehendi poterat ratio mali, cum in tota sua latitudine actuum fieri non poterat quin plures reperirentur optimi, ac valde consentanei ipsi Beatae Virgini: imo actu bene operari perfectius est naturae rationali, quam ab omni operatione cessare, quod ex se imperfectionem includit: arbitror ergo, ex quo Virgo B. concepta fuit, nunquam ab actu aliquo voluntatis omnino cessasse. Hic locutus sum de actibus ordinis naturalis, nam de supernaturalibus alibi ostendimus nunquam actum contemplationis et dilectionis in Deum interrupisse.

CERTAMEN IV.

An Virgo B. ardentissimi in Deum amoris telo saucia vitam finierit.

Memini Palaestra X in eam sententiam propendisse, quae negat B. Virginem divini amoris spiculo ictam interiisse ob fundamenta ibi producta. Libet tamen modo oppositae sententiae momenta in medium producere, ut quibus haec sententia magis arriserit, rationes prae manibus habeat, quibus ipsi amplius adhaerescat; indeque Mariani amoris in Deum incendium clarius emicet, vehementius accendat.

1220. Pluribus ergo Doctoribus multo exultior, et urbanior visa est sententia, quae Mariae amoris divini febrem, interitum parasse putat: de qua inquit Ambrosius, lib. 4 in Luc., cap. 4, *neque enim minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris.* Quam thesim sustinet Albertus Magnus in Mariali, c. 171. S. Birgitta, lib. 6 revelat. c. 62: *Cumque*, ait ad illam ipsa Virgo B., *quodam die animus meus suspensus esset in admiratione divinae charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit*

tanta exultatione, quod vix se capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea e corpore fuit soluta. Suffragatur s. Mechthildes in lib. spiritualis gratiae, ubi B. Virgo sic fatur: *Cumque seraphicus ille ardor in tantum excresceret, ut ultra vires corporis non haberem, lecto decubui, omnesque Angelorum ordines mihi ministrabant, ignem illum divinum in me magis ac magis succendentes.* Albertus Magnus cit. B. Virginem ex amoris pharetra deprompta sagitta usque ad internecionem vulneratam, sic roborat: *Maiores motus impediunt minores, natura autem inclinat ad carnem et corpus, sed charitas inclinat a corpore ad Christum; ergo tantum potest intendi inclinatio sursum quod separetur, et abstrahatur ab inclinatione deorsum: ergo charitas potest tantum sursum trahere, quod separabitur a corpore, et sic morietur prae amore. Item quidquid aptum natum est inducere languorem, si continuetur, et intendatur, poterit inducere mortem; sed amor potest inducere languorem; ergo mortem. Minor patet Cant. 2: Quia amore langueo.* Eandem sententiam sustinet Dionysius Carthusianus, lib. 4 de laudibus Virg. ar. 3; Metaphrastes, orat. 3 de vita Deiparae; Laurentius Masseli, lib. 6 de B. Virgine, c. 19; Guarricus, serm. 2 de Assumpt.; Suarius, to. 2 in 3 part., disput. 21, sect. 1; Iosephus Lacerda, tom. de B. Virg. Academ. 29, sect. 6. Hi igitur Doctores aiunt, sic tandem Virgineum pectus aestuasse in Deum amoris ardore, ut excreverit usque ad divisionem animae a corpore; itaque non ab aegritudine corporis, sed ab ebulientis in Deum amoris aethna interiisse. Addiderimque iam multo ante ab insuperabili, insensissimoque amoris ardore fuisse perimendam, nisi caelitus speciali providentia suffulciretur; cum autem Dilecto visum est, amori permisit, ut suas vires exereret; tunc autem corpus Marianum suo spiculo terebravit, unionem cum anima discindens, non corporis aliquo dolore, nec sensuum perturbatione, aliove morbo, sed amoris ictu, ita ut amor non interrumperetur, sed a libero in necessarium iret, sive idem sive diversus existeret, quin Deipara vel unico momento ab amore summi boni cessaret.

Gloriabatur quondam ille apud Homerum, Iliade 22, de insigni divinae mortis privilegio, scilicet, quod ardentissimis Phaebi radiis erat occubiturus, sic aiens: *Insignem mortem mihi semper profata est divini Phaebi radiis;* permagni ducens radiis lucidissimi planetae vitam finire, quasi Divorum sanguine satum hominem solum eam mortem decere, quae a micantibus solis radiis proveniret. Sic etiam iuxta plures Patres ac Doctores Virginem Deiparam una illa horis decebat, non quam morbus, languor, aegritudo, aut dolor aliquis infligeret; sed quam solares radii magni illius Solis iustitiae iaculentur.

1221. Quae sententia hac ratione stabiliri potest: quia non minus potens est obiectum puri ac defaecati amoris ad gaudium excitandum vehementissimum ex possessione boni amati, vel etiam moerorem maximum ex formidine amissionis eiusdem boni, quam sit obiectum amoris impuri; sed saepius contigit mors ex amissione obiecti impuri amati; ergo potuit absentia Filii dilecti Virgini Mariae mortem inferre amoris telo. Confirmatur: quo praestantius ac pulcrius est bonum, eo magis voluntatem allicit et accendit; praecipue si mens illud attenta consideratione contempletur, ac voluntati illud pluribus titulis amandum proponat: sed in obiecto a B. Virgine dilecto infinita pulcritudo ac bonitas emicabat; ergo quid mirum ita robustos in ipsa affectus excitaret, ut deliquia, ecstases ac mortem ipsam inferrent prae amoris magnitudine? His applaudunt Patres plures. Bernardus, serm. 52 in Cant. in illa verba, *Adiuro vos, filiae Hierusalem, ne suscitetis* etc.: *Proinde*, inquit, *et ego non absurde sponsae ecstasim, vocaverim mortem.* Et Gilibertus in illud. Cant. *Adiuro vos, filiae Hierusalem, ut nuntietis ei, quia amore langueo*, inquit serm. 46: *Annuntiate quia amore langueo: non languet amor, sed languet amans: ubi viget amor, ibi viget languor, si absit quod amatur: quid est languor, nisi affectio quaedam de absenti dilecto amantem conficiens? Amor vehemens patientis simul afficit et carnem et mentem. O potens et praepotens passio charitatis! si non temperatur, non toleratur; iure potens, quae animum, quem possederit, sui ipsius efficit impotem.* Sed praestat audire in eundem sensum s. Thomam a Villanova nostrum Antistitem, conc. 4 de Assump. Virg.: *Adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis Dilectum ut nuntietis ei, quia amore langueo, quia deficio prae amore, quia tota amore liquesco. Mitigate flammas, obsecro, temperate incendium: fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo: neque enim fortitudo mea, neque caro mea aenea est. Unde non immerito crediderim, hoc toto sui exilii tempore ad sustinendos ecstaticos illos amoris impetus, odoriferis eam paradisi floribus, et purpurantibus malis, idest lucidissimis e caelo revelationibus, et dulcissimis suavitatibus ab Angelis fuisse fultam, ne deficeret prae amore.* Suffragium fert Guarricus, ser. 2 de Assumpt.: *Langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris; plus vulnerata charitate, quam gravata infirmitate.* Quod autem amor et gaudium, sicut dolor et tristitia, quando vehemens est, mortem inferat, docet Suarius tom. 2 in 3 p., disp. 84, sect. 2, § *Dico secundo:* Tannerus in 3 p., disp. 2, quaest. 3, dub. 1, n. 24; nisi miraculo impediatur. Hinc aiunt sanguineum Christi sudorem primo tribuendum esse moerori intus sanguinem adigenti, et in cor immittenti; quippe praedominanti tristitia sanguis a natura ipsa ad roborandum cor defertur, sicut gaudium eundem sanguinem foras in cutem extrahit: quando igitur Christus exorsus fuit orationem in horto, cruor in cor prae tristitia adactus est; postmodum succedentibus amoris et gaudii affectibus ob victorias reportandas, ob idola debellanda, rationes in meliorem frugem convertendas, idem sanguis prae gaudio ad corporis superficiem extractus est per poros prosiliens: quod autem

tantus amor ac gaudium mortem Christo non intulerit, supernae virtuti adscribendum. Videndi Conimbricenses in libros Aristotelis de vita et morte, cap. 6, et deinceps; Lorinus super Acta, cap. 5, vers. 5; Guevara in c. 3 Abacuch, num. 209.

1222. Ulterius probant suam sententiam verbis Simeonis, Luc. 2: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ad quae verba Maldonatus in cap. 2 Lucae, meminit aliquos Interpretes, qui asserant gladium pro amore apponi, quasi praedicat Simeon, ut amor erga patientem Filium Mariae animam terebraturus esset. Nam et amor aliquando cum gladio componitur, et amantis animum transadigere dicitur, iuxta illud Sponsi, Cant. 4, 9: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* Ad rem Bernardus ser. 1 de purificatione: *Est gladius amor Dei, qui Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore reliquerit.* Quod sponsa sub typo Mariae fassa fuit, Cantic. 2, 5: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ubi legunt LXX: *Confirmate me in unguentis, stipate in malis, quia vulnerata charitatis ego sum.* Quasi sola Maria sit per antonomasiam, quae amoris vulnere transfossa fuerit. Merito igitur flores et poma efflagitat cum animam agit, quia amoris hieroglyfica semper exstitere apud eruditos.

Idipsum deposcebat sponsa, ne scilicet more aliorum e vita decederet, aut morbi alicuius telo, aut senio confecta, aut gladio corrueret, aut dolore perimeretur; sed novo et insolito mortis genere: ait enim Cantic. cap. 8: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors, dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* Scitum est illud et vulgare, Deum signo quodam Caimum sigillasse, ne quis manus violentas iniiceret in Caim ad mortem, Gen. cap. 4: *Posuitque Dominus signum in Caim, ut non eum interficeret omnis, qui invenisset eum.* Eadem ratione Virgo Deipara, diverso tamen tramite, exambit sigillari regio sponsi signo, ne lues aliqua, morbus, telum, intemperies, mors denique ulla audeat sacrilegas manus iniicere in Mariam, utpote amoris insignitam signaculo, a quo solum icta cadat, vel potius validius resurgat, quia *fortis est ut mors dilectio.* Solus ergo amor audet in Mariam, discinditque inter corpus et animam unionem. Haec mens latet in illis Angelorum verbis ad Mariae in coelos assumptionem stupescentium: *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Cant. 3. Si enim sicut virgula fumi ad superos ascendit, ergo prius ex amoris igne vel liquefacta, vel combusta; ex corpore videlicet ab anima propter amoris ardentissimi vim dissoluto; semper enim fumus ignem, ex quo ortum ducat, demonstrat. Recte in nostrum institutum Hailgrinus: *Quia fumus agilis ex calore ignis nascitur, et in sublime evectus humano se subtrahit adspectui.* Cui cogitatui auxilium exhibet Hieronymus, sive Sophronius de Assumpt.: *Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, et desiderio charitatis ascendebat de deserto praesentis saeculi.* Nec ad vocem pulveris offendas: pulvis enim myrrhae incorruptionem praesefert, thuris vero immortalitatem designat: maxime cum haec pigmenta ac suaveolentia aromata admiscuerit, ac praeparaverit solus Spiritus sanctus, si credimus Ruperto in cit. verba: *Pulvis myrrhae et thuris, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis, et ex myrrha probatissima, quae est incorruptio corporis.*

1223. Merito ad haec, igneo amoris gladio perempta, caelestem ingreditur paradisum, non quod Cherubim Domina, gladii cherubici ac flammantis vim prius experiretur, ut terrestrem paradisum adire posset; sed ut quod protoparentibus Dei mandatum transgredientibus in delicti poenam fuit, Mariae primaevae labis omnino insonti cederet in triumphum. Quem explicatum forsan admittent verba s. Amedaei, hom. 5: *O Domine Iesu, terribilis in consiliis super filios hominum, nec Matri tuae pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret. Hac nobis per igneum gladium atque versatilem transeundum omnibus in communi ad lignum vitae, quod est in medio paradisi.* Fructus ligni vitae primum hominem a paradiso dispulit, in Mariae visceribus melior fructus et arbor vitae sata salutem invexit mundo, et ipsam in caelestem paradisum introduxit, nec opus fuit Cherubim paradisi custodem ad ipsius ingressum, et ad vitae perennitatem obtinendam subornare. Apte quondam dicebat Damascenus: *Si enim dicit Deus, ne si manum extenderit is qui primus est formatus, et acceperit de ligno vitae, et gustaverit, vivat in aeternum; quomodo quae Vitam ipsam accepit quae caret principio et fine, quae nec principii, nec finis servivit terminis, non vivet in infinitum saeculum?* Velim tamen advertas, cui custodi Deus valves paradisi custodiendas tradiderit? Habes enim Gen.: *Eiecitque Adam, atque collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem.* Ubi glossa interlinealis pro *Cherubim* intelligit plenitudinem scientiae; pro *flammeo gladio*, amoris plenitudinem. Opportune profecto scientia et amore, paradisi aditus intercluditur, ac veluti muro inexpugnabili circumcingitur, quia qui ab amore Conditoris sui descivit, et per peccatum transgressionis scientia privatus, iumentis pariatus, qui Dei scientiam affectabat per fructus esum; nequiret in paradisum introire sine amoris ac scientiae plenitudine quam omnium prima per Christum Beata Virgo consecuta est, atque adeo amoris cuspide icta, ac scientia supra Cherubinos pollens paradisum coelestem ovans ingreditur reseratis valvis: post cuius ingressum, etiam flagitiosus quisque latro, disruptis paradisi vectibus, pro libito per Mariam ingredi possit: ut merito possimus cum Magistro Historiae scholasticae gratulabundi applaudere Mariae: *Salve*

Dies veneranda conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostrae redemptionis, per quam extincta est flamma versatilis, et aperta ianua nostrae salutis.

1224. Si ergo disquiras, quo iaculo percussa benedictum exhalaverit spiritum, ex dictis ad manus habes responsum, nempe nec doloris vehementissimi gladio peremptam Beatam Virginem, nec senio confectam, ob virium, calorisque nativi defectum; sed ex medicato aliquo amoris philtro, vel ex obedientia ad placidum Domini imperium: displicet enim quod Epiphanius, haeresi 78 contra Antidicomarianitas, subindicare videtur, nempe Virginem Deiparam non fuisse mortuam, sed instar Enoch translatam, vel instar Eliae curru igneo vivam raptam in coelum. Oppositum enim tradit Ecclesia. Quod autem amor vehemens mortem inferat, ac languorem, probat Cornelius a Lapide in Cantic. cap. 2, ex Dionysio Carthusiano, tract. de fonte lucis, art. 18: ex tanto enim contemplationis excessu, amorisque impetu, ardore et ebullitione, generantur per redundantiam quandam in parte sensitiva ac corpore languor, debilitas, moeror ac macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usus ac motus membrorum, sensuum et totius corporis rigor. Haec Dionysius. Tres autem gradus huius amoris violenti assignari solent ex Richardo de s. Victore. Primus est amor vulnerans; dicitur autem Cor vulneratum amore, quando amoris sagitta transfixum intime ardet, aestuat, anhelat, gemit, suspirat, non se cohibere valens, ob vehementem amoris aestum ex quo oritur pallor prae amore tabescens. Secundus dicitur amor ligans, quando animus ita Dei amore adstringitur, ut nihil aliud sapiat, rerum aliarum obliviscatur, quidquid agit, quidquid fatur, id omne Domino dicat, illum praesentem intuetur, perenni retinet memoria, illum dormiens, illum vigilans cogitat unde vulnerationem haec alligatio ac unio strictissima subsequitur, qua mens solum Deum exambit, ipsum sitit, nihil illo deficiente dulce; hoc uno recreatur, in hoc uno conquiescit, omne aliud praeter Dilectum dispellit, studia omnia, desideria, quae ad optatam sui metam comprehendendam non conducunt procul abs se ablegat. Tertius amoris huius gradus est languor, qui provenit, quando ex hac amoris vehementia mens in Deum, qui luminis abyssus est, rapitur, ita ut humanus animus hoc temporis momento rerum exteriorum oblitus, seipsum penitus nesciat, totusque in Deum suum transeat.

Huc etiam spectat communis illa Scholasticorum doctrina agentium de virtutibus; ubi aiunt virtutes Theologicas non consistere in mediocritate ex parte obiecti formalis, bene tamen ratione obiecti materialis, et aliarum circumstantiarum: et quidem hoc interest discrimen inter theologicas et morales virtutes, quod moralium virtutum obiectum sit aliquid creatum ac limitatum, ac proinde aliquid detrahi, vel superaddi potest, ratione cuius, actus, qui fertur in tale obiectum, reddi potest vitiosus; quare rationis dictamen debet praescribere mediocritatem quandam, quae ab utroque extremo voluntatem arceat. Obiectum vero theologicarum virtutum, cum sit Deus infinite bonus intra huius infinitudinis limites, nec addi, nec detrahi aliquid potest, nec opus est, ut ratio mediocritatem praescribat. Verum, quia obiecta materialia, et aliae circumstantiae virtutum theologicarum sunt quid finitum ac limitatum, aliquis in illis excessus, sive defectus reperiri potest; quare opus erit prudentia ac rationis dictamine, quod modum statuat, ac mediocritatem designet: sic prudentia dictat, ut voluntas diligat proximum actu charitatis certa quadam mensura; imo ut diligat Deum in hac vita, non quidem tanta intensione ut vires deficiant, et mors ingeneretur, nec ea tepiditate, ut aditus patefiat pigritiae: unde contra charitatem duo extreme contraria vitia versantur, videlicet nimius amor, qui mortem inferat, et ita exiguus, ut invehat teporem.

Hoc unum in calce nota a Mariae morte omne funestum carmen ablegatum, solus ipse Christus Oratoris et Ecclesiastae munus obivit, iuxta Guarricum ser. 2 de Assump.: *Veni, inquit Iesus, electa mea; in te mihi quandam sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi praeter alia, quod homo sum; communicabo tibi, quod Deus sum. Flagitabis osculum oris, quinimo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo et indissolubili, quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantius quam tu meam: nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris.* Profecto oratio nihil lugubre, aut funebre sonans, sed praeconiis plena, amores, et dulcedines pleno gurgite effundens.

CERTAMEN V.

Religionis ac virtutum cardinalium decoramento insignitur Virgo Deipara.

1225. Appositissime Petrus Damianus vocat B. Virginem, *virtutum conventum*, ut alibi monuimus: *Conventus virtutum reverendum sibi thalamum consecravit.* Quasi Virgo Deipara esset veluti regularis coetus virtutum, sive Coenobium, ubi virtutes militant sub religiosa disciplina. Res mirissima, namque virtutes hominem sub religiosa militare faciunt, eumque essentialibus votis religant et adstringunt, inde religio dicta, et religiosus, quasi votis religatus: at B. Virgo reliquorum Sanctorum virtutes, quasi sub religiosa disciplina subegit, et intra claustra redegit, ea enim perfectione in Maria emicabant, prae reliquis Sanctorum omnium virtutibus, ut hae viderentur virtutes, quasi solutae et hominum saecularium; at Marianae virtutes, quasi Deo dicatae, perfectissimique cuiusdam regularis: iure igitur vocatur Maria *Conventus virtutum*, ubi omnium abbatissa, Charitas, quae reliquis praesidebat, quae utique vigilias agebat, ut reliquae omnes sua munera obirent

perfectissime, et ut in hoc Puritatis Caenobio laus perennis resonaret.

Divus Ambrosius, lib. 1 de Abraham, cap. 2, dicit religionem esse ordine primam, et caeterarum fundamentum. Cui accinit s. Thomas, 2 2, q. 81, art. 6, dum inter alias virtutes morales primum tenere locum affirmat. Quia sita est in vera cultus in Deum exhibitione. Cuius cultus in Deum optimum exemplar in Deipara adhuc trienni nobis exhibetur, siquidem Deo se obtulit in Templo, tertio aetatis anno, avulsa a parentum societate, ac divino cultui mancipata: ubi uni Deo vacavit. Haec etiam religio in Deum in solliciia Christi educatione, et obsequiis erga eum inclaruit. Templum item quotannis adibat ex Nazareth, statuto tempore, non sine longi itineris labore, licet ea lege nequaquam foeminae adstringerentur, sed soli viri, ut patet, Exod. 23: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Si vero religio, maxime in Templorum erectione, et in oblationibus emicat; procul dubio Virginis Deiparae religio omnium fuit praestantissima, quae animam ac corpus suum Spiritui sancto ab instanti suae conceptionis sacravit, quodque Dei Filius per novem menses homo factus incoluit, et consecravit, ac demum Deo Patri oblationem omnium longe gratissimam, nempe Filium suum, obtulit tempore Purificationis.

1226. Quatuor deinde virtutibus cardinalibus praeluxisse Mariam docet Bernardus, serm. de nativ. In oriente prudentiam excogitare possumus, quae est veluti oriens radios eiaculans ad omnes operationes humanas recte, et cum ratione dirigendas. Occidens fortitudinem denotat, ac in malis omnibus, etiam in ipsa morte, tolerantiam. Meridies iustitiam adsignificat, quia meridies linea est aequali ductu mundum et orbem universum in duas partes discindens; recte igitur iustitiae symbolum praesefert, cuius interest par rerum divisio et aequalis distributio. Merito autem in septemtrione temperantia adumbratur: sicut enim ille frigore solet, sic temperantia corporis aestus temperat ac coercet. Late autem Bernardus citatus Deiparam his quatuor virtutibus praeluxisse ostendit sanctus Antoninus, part. 4, titulo 15, cap. 17, § 4, ubi ait ex Alberto Magno his virtutibus praecelluisse Mariam ita perfectissime, ut in ipsa reperirentur, ut ait ipse, *per modum patriae, et ut purgati animi non quidem simpliciter, sed medio modo inter statum viatorum, et comprehensorum: nam quantum ad actuum perfectionem, habuit per modum patriae sine aliqua pugna contrariorum; sed quantum ad merendi conditionem, habuit per modum viatorum.*

1227. Prudentia, quae regulas dictat iuxta praescriptum rectae rationis in operationibus virtutum, principiis supernaturalibus nititur, si est infusa, a qua in omnibus suis actionibus et operationibus, nunquam vel per transversum unguem deflexit Virgo Deipara, de qua merito decantat Ecclesia in festo Assumptionis: *Virgo prudentissima quo progrederis quasi Aurora valde rutilans?* Et D. Ephrem illam vocat Principem omnium prudentissimam et sagacissimam. Damascenus, orat. 1 de dormit. Virg., prudentiam Deiparae nuncupat, Sapientiae thesaurum, qua incautam Evae verbis serpentis nimium credulae simplicitatem emendavit, dum Angelo prudenter respondit: *Quomodo fiet istud?* quae verba versans sanctus Gregorius Thaumaturgus, serm. 2 in Annunc. ita habet: *Sanctissima Maria intra se cogitabat: Nunquid forte artificium aliquod ad fraudem, vel assentationem iste ministerii, ac obsequii actus in se continet? Nunquid Ave istud doloris mihi causa erit, sicut olim primae matri Evae blanda Divinitatis promissio? Nunquid in Angelum lucis transfiguratus mali auctor Daemon, et meo sponso suam valde pudicitiam invidens blandoque eum fortasse sermone oppugnans; et non valens viri mentem, tanquam firmiorem decipere, ad me tanquam teneriori decoratam mente accessit, et istud mihi Ave invenustum in posterum intonuit? Nunquid per ironiam beatificatio atque salutatio illa facta est? Nunquid venenum sub melle occultatum? Nunquid verba quidem fausta nunciantis, et scopus est depraedantis? Quomodo enim quam non novit ipse salutat? Haec apud se dubia cogitatione versabat.* Haec Gregorius, quae cum grano salis capienda sunt: non enim B. Virgo ignorabat Gabrielem Angelum Dei esse, cum eius substantiam intuita fuerit, ut alibi monemus: omnia igitur sedulo scrutata est, discussitque prudenti indagine, tam Legatum, quam legationis speciem; cautam ac circumspectam se praebuit omnium prudentissima, dum cogitat, secumque disquirit, an sit fidelis Legatus, an subdola sit Divinitatis sponsio. Oportet, cum de grandi agitur, matura disquisitione rem deliberare, prudenti consilio rem ultro citroque disquirere, quae impendant discrimina: eadem cautione prudentissima Virgo non statim ab sponso vocata ad diadema, et sceptrum inconsulta ratione respondit, sed rem secum versans ter prius vocatur, antequam ad imperium conscendat, Cant. 4: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Cum semel accersita demoratur, nectit moras, iterum, ac tertio repetitis vocibus vocatur. Sed bene Gillibertus, serm. 29 in Cant., Sponsae moras excusat, nec pigrae obedientiae argumentum esse probat, sed cautae et solertis prudentiae astum in Sponsa demiratur: circumspiciebat enim Maria impendentia discrimina, quae in tantae dignitatis fastigio reperiuntur, provida cunctatur, cauta remoratur, prudens praestolatur tertio acciri; non tam animi socordia ac tepiditate, cum prudenti consilio, ac solerti circumspectione, sceptri maiestatem, ad quam invitatur, exhorrens. Prudenter Gillibertus cit.: *Vide si non morosa egreditur de Libano, quae toties vocatur: mora tamen haec non est contumacia, sed cautela* etc. *Quid mirum, si moretur venire, cum etiam molestum sit de Libano discedere, et metuendum sit ad montes illos barbaros, et bestiales accedere? Et forsitan sponsae mora festinationem nostram sugillat, et carpit; qui nimis prompti, et parum providi, vires nostras minus*

pensantes festinamus ingredi in labores praelationis, in sollicitudinum molestias, et materiam lapsus, nec expectantes, vel semel vocari, ultro nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel praevenientes, vel arte procurantes.

1228. Ad haec ait Evangelista: *Cogitabat qualis esset ista salutatio. Cogitat Virgo*, ait Chrysologus ser. 140, *quia cito respondere est facilitatis humanae; cogitare vero ponderis est maximi, et iudicii praematuri.* Quae gravia, et maximi sunt ponderis, aquarum ima petunt: quae vero levia et nullius ponderis, levitant ac fluitant: sic animus gravitate et prudentia plenus rerum fundum cogitatione penetrat, superficiem aversatur; at qui levitate ducitur, rerum superficie contentus semper fluitat. Per invia et tenebrosa loca pedetentim incedendum, ac veluti terra manibus palpanda; alioquin passim cespitabis, ac praecipitio te committes: nonne mundus hic, locus tenebrosus, anfractibus patens, periculis obvius, ac praecipitiis? paullatim igitur, et cum consilio ac prudenti maturitate rebus in arduis incedendum, ac prius quasi consideratione res palpandae et attrectandae. Nonne expertus nauclerus dimissa bolide profundum maris explorat? Sic tu rerum profunditatem praemissa cogitatione negotii arduitatem experire, et instar Moysis, qui priusquam in promissionis terram fortunatam pedem inferret, exploratores praemisit, maturum adhibe consilium, et prudentem cogitationem rerum aggrediendarum fidelissimam exploratricem. Quis, nisi insanus, rapidum fluvium intentato vado pertransibit? Cave igitur, ne rei periculosae et inexpertae temere te committas, alioquin mille difficultatibus ac discriminum fluctibus obrueris.

1229. Haec praecautio ac prudentia solers, teste Salomone, Prov. 10, in linguae moderatione potissimum splendet: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Cum ergo Beata Virgo tam parce locuta fuerit, facile intelligimus, eam omnium prudentissimam exstitisse. S. Bernardus egregie expendit, septies Beatam Virginem locutam, ut patet ex Evangelistarum contextu: ter cum Deo, bis cum Angelo, et bis cum hominibus. Cum homine, primo dum Elisabetham salutat: dein ad ministros in nuptiis Cana: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Cum Deo semel in Cantico *Magnificat:* et iterum cum Filio: *Fili, quid fecisti nobis sic?* tertio dum dixit: *Vinum non habent.* Cum Angelo, primum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* et postmodum: *Ecce ancilla Domini.* Hanc in loquendo moderationem commendat Sponsus in Virgine Deipara, Cant. 4: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Recte vittae coccineae assimilantur Mariana labia, sicut enim solent foeminae vitta coccinea crines, ne effluant huc illuc, adstringere; ita Virgo Beata prudentiae vitta sermones constringebat, ne temere et sine delectu effluerent. Subditur: *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua.* Recte linguam Virgineam cum favo distillanti componit Sponsus, non effluenti; qui enim prudenti in loquendo sobrietate pollet, non tam verba fundit, quam distillat, quasi guttatim distillata decidunt. Et ut ait Eccles. 28: *Verbis tuis facito stateram.* Quae verba ad trutinam vocans Ambrosius, lib 3 offic. ait: *Profer sermones ad mensuram libra examinatos iustitiae, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus.* Addit Chrysostomus: *Si enim hoc facimus in auro, multo magis faciendum in verbis, ut nihil desit, vel redundet.* Aurea igitur Deiparae verba considerationis statera ponderabantur, nihil in illis deerat, nihil redundabat. Huc revoco illud Luc.: *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo*, idest praemeditabatur maturo consilio, solerti ratione quae audiebat, et oculis percipiebat, ruminabat; quo prudenti examine praemisso instillabat verba, habita ratione loci, temporis ac personarum.

1230. Quaeres utrum inter reliquas virtutes morales infusas per accidens, quae instanti Conceptionis collatae sunt Beatae Virgini, de quibus infra, adnumeranda sit prudentia. Unus Vasquez, tom. 2 in 3 partem, disputat. 119, cap. 2, num. 11, denegat: ait enim iustitiam, fortitudinem et temperantiam infusas fuisse per accidens tum Christo Domino, tum Beatae Virgini; prudentiam autem sua natura adquisitam, et per accidens infusam, non fuisse collatam. Et tom. 1 in tertiam partem, disputat. 42, cap. 2, ait: *Existimo has virtutes morales fuisse infusas per accidens Christo ab instanti sui conceptus; tametsi prudentia sua natura adquisita non fuerit Christo infusa per accidens, sed cum scientia temporis decursu per consultationem comparata.* Quod probat, quia prudentia adquiri debuit cum scientia, at indecorum non est defectum scientiae adquisitae in Christo admittere in instanti conceptus, imo id est necessarium admittere, ut ipse probat disputat. 55, c. 2. Verum haec sententia displicet; sicut enim admittit in Christo in instanti Incarnationis virtutes morales per accidens infusas; admittere etiam debet prudentiam in intellectu, quae moveret voluntatem Christi ad recte operandum iuxta praescriptum rationis. Dicere enim per scientiam infusam per se, quam Christus habuit ab instanti Incarnationis, repraesentatum fuisse bonum virtutis adquisitae sine consultatione et labore, displicet: nam connaturalis modus operandi est, ut virtutes morales adquisitae moveantur ad operandum ex scientia similiter adquisita, quae repraesentat bonitatem illarum; sicut scientia per se infusa repraesentat bonitatem obiectorum virtutum per se infusarum; alioquin dicere aliquis posset per scientiam beatam repraesentari etiam potuisse bonitatem tam obiectorum virtutum infusarum, quam etiam adquisitarum; atque adeo neque in Christo admittendam esse scientiam per se infusam in instanti Incarnationis: quod nemo admittet.

1231. Virtute iustitiae Deipara omnes puras creaturas longe antecelluit; ad iustitiam enim spectat, teste s. Augustino, lib. de correctione et gratia, cap. 1, a malo deflectere, et bonum insequi, quae duae sunt partes integrales iustitiae, iuxta s. Thomam, secunda secundae, q. 79, ar. 1: utrumque enim ad perfectionem iustitiae re-

quiritur: atqui Beata Virgo ab omni peccati labe extorris fuit, et in omni virtutum universarum operatione se exercuit prae omnibus puris creaturis, sive spectes charitatis theologicae, reliquarumque virtutum magnitudinem; sive tempus, nempe ab instanti sui conceptus: sive operum intensionem, arduitatem, multitudinem, diuturnitatem; omnem igitur puram creaturam operibus iustitiae longo intervallo superavit. Merito Beatae Virgini aptantur verba illa Prov. c. 8: *Meum est consilium, et aequitas.* Consilium se tenet *ex parte intelligentiae*: aequitas *ex parte voluntatis*: sicut ergo ab intelligentia omnis omnino exulavit error, nulla temeritas obrepsit, imprudentia nulla rationem praeoccupavit; ita in voluntate, nulla a recta ratione aberratio; sed nec vel minimum vitium aditum adinvenit: unde sola Maria inter puras creaturas dicere poterit: *Mea est aequitas in viis iustitiae*; quia ipsi maxima ac perfectissima cum aequitate consensio; in qua aequitas tanquam in solio magnificentissimo ac sibi propria sede quiescebat.

1232. Verissime Chrysostomus, hom. in Domini hypapantem, protulit Beatam Virginem ultra omnem humanae naturae modum, modestiam, atque temperantiam excoluisse. Alii volunt Orientis sedem obtinere temperantiam, quia ab hac iusti homines primam sanctitatis lucem conspicantur; quam vocat Chrysologus, serm. 8: *Civitatem sanctitatis, scholam meritorum, Ecclesiasticae viae viaticum salutare.* Huius almae urbis civis exstitit Maria, huius scholae Magistra, huius vexilli Antesignana. Temperantiae partes subiectivas enumerat Divus Thomas, 2 2, quaest. 143, art. 1: abstinentiam cibi, sobrietatem potus, castitatem: quae vero sunt quasi partes potentiales, seu connexae, plures numerari solent, nempe mansuetudo, clementia, humilitas, modestia in externis actionibus et in ornatu corporis: quae omnes in gradu perfectissimo in Virgine Deipara continebantur. Si ergo temperantia moderatur omnem luxum cibi, potus, in vestitu etiam, in rebus temporalibus, affectum etiam circa saeculi dignitates, divitias, gloriam, voluptates et alia eiusmodi; quis, dempto Christo, unquam Maria temperantior, ieiuniis dedita, voluptatibus infensa, mundanae gloriae inimica?

Cedrus est Maria in altum evecta, quae nec vetustatem sentit, nec tinea arroditur, nec carie consumitur, quia amara succo, solo etiam amaro germinat. Maria amaro temperantiae succo, et iuxta lacrymarum fluenta amarissima, et insipido abstinentiae et ieiuniorum humore nutritur et crescit, ideo nunquam carie dissoluta, nec vermium corrosionem post mortem passa, nec ullam corporis absumptionem. Levit. 2, cautum fuit, ne quidquam fermenti, ac mellis adoleretur in sacrificio Domini. Maria, quae nunquam pro condimento ac cibo voluptatem carpsit, nec melleam substantiam, sed temperantiae amans, ieiuniorum sectatrix, apte se totam Dei holocaustum adolere potuit; vel si mavis, ut ait Hieronymus, lib. 2 adversus Iovinian., Beatitudo paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari, ita nec floridior ac vernantior paradisus Maria aliter dedicari non potuit, quam ex temperantia et ieiunio. Et quemadmodum ventris ingluvies et intemperantia, iuxta Chrysostomum hom. 13 in Matth., fecit Evam filiorum iugulatricem, ac hominum interemptricem; sic temperantia et ieiunium dedit nobis Mariam matrem carissimam hominum reparatricem.

Adverte tamen: licet in Beata Virgine exstiterit temperantia, non tamen sub nomine continentiae, sub ea ratione, de qua s. Thomas agit secunda secundae, qu. 155, ar. 4, nempe quatenus dicit resistentiam rationis ad concupiscentias pravas; quibus iuxta Aristotelem, lib. 7 Ethic. cap. 9, qui continens est impugnari dicitur: sub hac enim ratione quid imperfectum claudit; imo sanctus Thomas 3 parte, quaest. 7, art. 2, docet continentiam sic sumptam non esse virtutem, ideoque a Christo illam amandat; quiquid enim perfectionis includit continentia, absque imperfectione ulla sub temperantia clauditur. Quare idem dicendum arbitror de Beata Virgine. Continentia enim dicitur, quando admixtum habet aliquid vitii contrarii, et est cum pugna effraenatarum affectionum; ideo dicitur versari circa concupiscentias pravas, quas continens patitur. Temperantia vero in rigore dicitur, quando est in statu perfecto, hisque affectionibus immoderatis caret.

CERTAMEN VI.

De Mariani animi robore ac fortitudine.

1233. Hoc Certamine de Beatae Virginis fortitudine et animi robore seorsim disseremus, ne plus iusto superior congressus excresceret. Semper igitur Deipara constans, interrita, nec metuens adversae sortis vultus, iuxta sui nominis masculum robur: nomen enim *Mariae* in hebraeo est terminationis masculinae; siquidem nomina finita in *am*, apud Hebraeos, viris solum conveniunt; ut expendit Arias-Montanus in nominum interpretatione, ut constat ex 1 Paral. c. 4: *Genuitque Mariam et Sammai.* Hinc observavit Rutilus Benzonius in explicat. Salut Angel. cap. 17, Deum nullo nomine gaudere, quod sit terminationis sexus foeminei: Deipara ergo nomine gaudet terminationis masculeae, ut videre est apud Matthaeum et Lucam, in quibus in recto invenitur nomen *Mariam*, quod, ut dixi, terminationem habet solis viris competentem: nimirum quia in Beata Virgine nihil muliebre, nihil molle, nihil inconstans, aut levitatis muliebris reperitur; utpote quae a supero Patre virile robur nacta, et masculam vim, supra sexus sui imbecillitatem extollenda erat, et absque viri ope, mutuata a Patre aeterno virtute, eundem, quem ille Filium absque Matre, erat progenitura; sciebat potiorem esse conditionem sinistrae fortunae, quam prosperae; illam plurimum prodesse, ut animi constantia ostenderetur; haec enim animique magnitudo sinistris rebus alitur, augescit, et in immensum crescit, prosperis debilitatur, et enervatur. *Illa*, inquit Boetius, lib. 2

de Consolat. prosa octava, scilicet felicitas, *specie felicitatis cum videtur blanda, mentitur: haec vero adversa fortuna semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat: illa fallit, haec instruit: illa per mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat; haec cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam videas ventosam, effluentem, suique semper ignaram; hanc sobriam, succinctamque, et ipsius adversitatis exercitatione prudentem.*

Aristoteles, lib. 2 Ethicorum, cap. 6 et 9, vult a fortitudine moderari timorem et audaciam: quem explicat sanctus Thomas 2 2, quaest. 123, art. 3: *Fortitudo*, ait, *difficilia, quae retrahere possunt voluntatem a sequela rationis, firmiter tolerat, cohibendo timorem; et moderate eadem difficilia aggreditur, nempe quando oportet ea exterminare ad securitatem in posterum habendam, quod pertinet ad rationem audacia, quam moderatur.* Haec s.Thomas; ex cuius verbis duplicem actum fortitudinis colligunt Theologi, alterum, qui versatur circa res adversas patienter tolerandas; alterum circa ardua quaeque viriliter aggredienda. Primus est principalior. Utrumque actum exercuit Deipara. De primo constabit ex dicendis Congressu sequenti, de martyrio Virginis Deiparae, et multum in paupertate voluntaria elucet, et in peregrinationibus crebris. De secundo etiam constat; coercuit enim hostes humani generis; ideoque tartarei serpentis caput calcatura dicitur: et quidem illos Filii cruciatus, ingentemque animi dolorem ex illis haustum, ea animi tolerantia ac moderatione pertulit, tali constantia ac fortitudine sustinuit, ut neque sensuum defectum, aut animi perturbationem pertulerit, neque mentis abalienationem passa fuerit.

1234. Quod probari potest primo, quia illa omnia vel promanant ex complexionis imbecillitate, vel ex inordinata affectuum temperie: quae omnia procul a tanta Virgine propulsavimus, quae omnium optimo temperamento fruebatur, et in omnes actus internos et externos, tum et in ipsas potentias, perfectissimum dominium obtinebat. Auctores autem et pictores plus pietatis amantes, quam veritatis ac litteraturae, Virgini Deiparae sensuum abalienationem attribuentes, excusandi sunt, quia id asseruere, ut grandem ac intensissimum dolorem eiusdem exprimerent. Hanc Marianam constantiam, qui viderit; quis non miretur in periculis interritam, cupiditatibus intactam, inter adversa hilarem, in secundis rebus non elatam; in tempestatibus aeque atque in malacia placidam, semper sui similem, nunquam aliam. Id satis indicat Evangelista, cum asserit B. Virginem stetisse iuxta crucem, non iacentem, sed stantem, quasi longe superiorem, animi magnitudine, omni moerore, doloribus et cruciatibus, qui licet animum transverberarent, ipsius tamen imperio ac nutui subdebantur: unde acerbissimum illum dolorem ac lacrymas quadam oris gravitate, ac rationis moderatione temperabat: quod s. Ambrosius recte ponderat in orat. in obitu Valentiniani: *Stabat*, ait, *sancta Mater iuxta crucem Filii, et spectabat Virgo Unigeniti passionem; stantem illam lego, flentem non lego.* Et lib. de instit. Virginis, cap. 7: *Stabat ante crucem Mater, et fugientibus viris stabat intrepida.* Concinit in hunc sensum Metaphrastes, orat. de vita et dormit. Mariae: *Dicunt hi, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio usque ad finem se fortiter et constanter gessisse; honeste quidem, et non indecore utentem motu animi.* Et D. Bernardus, de lament.Virg. Mariae, idem docet: *Non credo plene enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater: verumtamen rectum erat amoris, et maeroris continens modum; non desperabat, sed pie et iuste dolebat.*

1235. Insuper suadetur haec Virginea constantia ex eo, quod nullam Iudaeorum vim formidabat; imo vitam suam libenti animo morti exponere intrepida non renuebat: quam rationem satis indicant sancti Patres, Ambrosius de institut. Virg. cap. 7: *Stabat quae non metueret peremptorem; pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.* S. Ildephonsus, serm. 2 de Assumptione: *Venerabilis Virgo plusquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam moeroris est intus gladio vulnerata; parata enim stetit, si non deesset manus percussoris.* Divino enim decreto de Christo patiendo conformabatur: quippe altissima consideratione contemplabatur, ex cruce Christi maximum Deo honorem, eiusdem Christi exaltationem, hominum salutem ac liberationem ex iniqua Daemonis servitute, profecturam. Unde s. Mechtildes Virginem Deiparam, toto passionis tempore, tametsi vehementissime dolentem, tamen ingenti perfusam gaudio contemplatur, lib. 1 Revelat., cap. 56: *Omni*, ait, *creatura in morte Filii dolente, ipsa sola cum Divinitate immobilis, et gaudens Filium suum pro mundi salute voluit immolari.* Et sane quis deneget Virginem Deiparam non superavisse longo intervallo fortitudine, animique robore Machabaeorum matrem, quae aequo et constanti animo septem liberorum mortem sub unius diei tempore conspexit? II Machab. 7. De aliis Christi athletis aiebat Dominus, Luc. 21, 12: *Iniicient vobis manus suas... trahentes ad reges et praesides propter nomen meum.* Quasi reliqui martyres non sponte, et propria voluntate se tormentis obiicerent, sed vi quadam ipsi ducerentur ad cruciatus, id enim sonat verbum, *trahentes:* quod licet ingens sit tolerantiae signum, non tamen roboris ac fortitudinis magnanimae argumentum: siquidem martyres adorsi a carnificibus, atque tyrannis patienter tormenta sufferebant; nec mortis discrimina adoriebantur. At Virgo Deipara, teste Ambrosio cit., spontanee sese persecutoribus offerebat, nec expectabat a carnificibus quaeri, ut torqueretur, sed ipsa constans et intrepida propria sponte sese persecutoribus obiiciebat torquendam, quo praeclarius Filii sui robur ac animi fortitudinem aemularetur.

1236. Audistine Christum Dominum recens

natum ab iniquo rege solerter inquiri perimendum? *Surge*, ait Angelus Iosepho, Matt. 2, *et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum: futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.* Itane Christus celeri se fugae committit, dum a sacrilego Herode interficiendus inquiritur? nonne Christum in hunc orbem impulerunt ferventissima pro hominum salute patiendi vota? Cur modo mortis discrimina declinat? Cur dum anxie a tyranno ad necem inquiritur, celer aufugit? vel igitur in posterum valentioris Ducis specimina non dedat, vel animi meticulosi, et ignavi indicia non praebeat. Verum fuga haec nihil timidi et abiecti praesefert, ait Chrisologus, serm. 50, sed maximum ingentis animi roboris argumentum. *Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris.* Sed ubinam apparet in hac Christi fuga animi fortitudo? Dicam quod sentio: profecto Christus Dominus non solum pati vult, ac mori; sed tanquam dux intrepidus, animique robore potens: quare renuit tunc necem pati, cum ad mortem quaeritur; sed mavult ille exilire prius tormenta, crucem ac mortem provocaturus, ut ipse notanter ait, Matt. 20, 18: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum.* Ac si diceret: inundantes tormentorum torrentes Hierosolymae subiturus sum, quos neutiquam, ut meticulosus et iners refugio, imo libens, et spontaneus eos aggredior, ac provoco in certamen. Egregie s. Cyrillus in catena: *Ut sciant, quoniam passionem praenovit, et spontaneus ad eam accessit, ne dicerent, qualiter in manus hostium inciderit.* In hostium ac tormentorum manus incidisse adversam fortunam arguit; at tormenta ipsa et hostes sponte quaerere et provocare, intrepidi et constantis animi est: apte igitur Chrysologus aiebat, fugisse Christum, dum ab Herode quaereretur, *artis esse, non timoris.* Huius aemula animi roboris Maria stat iuxta crucem interrita, et constans, quasi ad singulare certamen carnifices, persecutores, tormenta Filii, crucem ac necem provocatura: *Stabat*, inquiebat supra Ambrosius, *quae non metueret peremptorem, pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat.* Non vi adacta, sed propria sponte sese tormentis exposuit, instar bellicosi ac fortissimi Ducis.

1237. Non expectavit Maria a tormentis et cruce et a persecutoribus lacessiri; sed ipsa prius imperterrita stans tormenta lacessivit, et cacodaemonem ipsum, antequam ipsi insidias struat, adoritur; et sic aggressa devincit, cuius Mariani roboris, ac fortitudinis umbram praeluserat Deus in primo mundi nascentis exordio, dum serpenti illud bellum indicit, Gen. 3: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, inter semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Horum verborum ordinem invertisse visus est Deus, tanquam ad iracundiam provocatus ob primi parentis delictum. Si enim Daemon sub serpentis illius larva nondum primae faeminae insidias paravit, nec ad certamen lacessivit, qui potuit victoriam reportare? bellum enim praeire debet triumphum, congressumque victoria subsequitur. Consultius ergo dixisset Deus: tu insidiaberis calcaneo eius, ipsique bellum indices, et ipsa conteret caput tuum ac te devincet. Sed signanter illo ordine ponuntur verba illa, ac summo consilio, utpote a Deo dictata: si enim serpens prius insidias strueret, ac postea faemina victoriam adsportaret, iam prius serpens aggressus fuisset, adeoque prius faemina non fuisset hostem adorsa, sed ab hoste prius lacessita, quod in aliquod ignavi animi argumentum cederet in B. Virgine, cuius typum Eva gerebat. Mariani igitur animi robur in eo plus splendet, quod antevertat Daemonis astum in eo debellando, quod interrita prius illum aggrediatur; dicat ergo Deus: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Non vero quod serpens prior insidias struat, et postmodum faemina victoriam sit reportatura ab eo: siquidem Virgo Deipara prius stellarum diademate redimita triumphum decantabit, antequam insidias paret. Quo quidem facto Diabolus turpiori dedecore devictus iacet, quo Virgo B. gloriosiori ovat triumpho; teste Tertulliano lib. 2 adversus Marcionem, cap. 10, ubi ait: *Ut digne salutem ita recuperet per victoriam, et Diabolus amarius puniretur ab eo, quem eliserat, ante devictus.* Stat Virgo B. iuxta crucem inconcussa fortitudine accincta, persecutores lacessens, tormenta et crucem non refugiens, imo provocans. *O martyrium!* exclamat Septimius Tertullianus adversus Gnosticos, cap. 8: *et sine passione perfectum.* Alii quidem bellicosi Christi athletae robusto quidem animo tormenta, cruciatus, ludibria patienter tolerarunt; at Maria Filii animi robur valentiore fortitudine aemulatur, dum non lacessita, ipsa tormenta, crucem et carnifices provocat et aggreditur ad certamen.

1238. Ferventiori iracundiae aestu ardebat rex Nabuchodonosor, quam fornax igne, cum tres illos pueros illuc immittit adeo intrepidos, et constantes ut vitam, honores, divitias, regisque amicitiam nihili ducerent, dummodo nec levi assentatione, auream venerando statuam macularentur; iam flammarum globi ex fornace in altum prosiliebant; iam fumus densa sui spissitudine splendentem obnubilabat aerem, cum tres pueri in fornacem intruduntur, Dan. 3, 23: *Ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati.* Sed flammae suo splendore adolescentum ora lambebant molli attactu, eorumque capita, instar coronae micantis, cingebant, nulla illos vel levi ustulatione laedentes; quorum pulcritudine attractus Angelus in flammas e coelo delabitur: *Angelus Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem,* Dan. 3, 49. Tunc accessit Rex, ut videret tres hebraeos iam flammarum pabulum; sed fallitur; vidit enim quatuor caelesti iubare coruscantes, de quarto autem ait esse similem Filio Dei: *Ecce video quatuor viros solutos, et*

species quarti similis Filio Dei. Sed quid excellentiae singularis in quarto illo adolescenti emicabat prae aliis tribus, quod Filio Dei similem illum redderet? Si enim hic vultu splendorem referebat, etiam alii tres: si huius venustas regis oculos alliciebat, pariter illorum trium eximia pulcritudo eundem regem oblectabat: cur ergo quartus Filio Dei similis decantatur a rege, non alii tres? Ni fallor, quia quartus non vi in fornacem detruditur colligatus ut alii; sed ipse sponte sua in fornacem illabitur, intrepidus flammas lacessens, tormenta fortis aggrediens. *Nonne*, inquiebat rex, *tres viros misimus in medium ignis compeditos?* Tres illi hebraei adolescentes vi adacti, vinculis compediti in fornacem detruduntur; et licet constanti ac patienti animo incendia tolerare essent parati; non tamen sponte in fornacem descendunt, nec flammas provocant, nec incendium aggrediuntur; quia constricti in fornacem immittuntur: at de quarto sic habes: *Angelus Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem.* Flammas imperterritus aggreditur, incendium exambit, et sponte propria fornacis tormenta subire peroptat, adeoque flammanti adiicitur rogo; ideo ergo hic prae aliis similitudinem Filii Dei praeseferebat: *Et species quarti similis Filio Dei.* Quia Verbum divinum humanitate circumamictum, hominum amore adactum, sese tormentis, cruci ac morti libens obtulit. Virgo igitur Deipara Christo quamsimillima visa est, cum stans iuxta crucem animi robore constans, persecutorum tormenta, crucem ac mortem bellicosa ad certamen provocabat, sponte se persecutoribus offerebat, Iudaeorum ludibria et probra infracto animo lacessebat.

Ex hac animi fortitudine, et cum divina voluntate conformitate ortum habuit, quod pia audacia aliqui ex Patribus asseruere: nam D. Antoninus 3 part., tit. 15, cap. 41, § 1, haec habet: *Dicere audeam, quod si nullus fuisset repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc ut sequeretur salus hominum, et adimpleretur voluntas Dei secundum rationem si oportuisset, ipsa posuisset in crucem: neque enim credendum est minoris fuisset perfectionis, et obedientiae ad Deum, quam Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium propriis manibus occidendum, et comburendum.* Gerson, tract. 2 super *Magnificat*, ait de eadem Deipara: *Si Deus iussisset, crucifixisset.* Et iterum s. Antoninus 4 p., tit. 15, c. 20, § 1, subdit: *Quod dicitur de Patre aeterno, ita de Matre temporali dici potest illud Rom. 8: Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, scilicet passum voluntate, et affectu; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit pertinentia ad recreationem nostram?*

1239. Dolorem Deiparae aequa lance trutinare qui velit, ut eiusdem animi robur et magnitudo amplius splendeat; inde depromet, si attento animo evolvat, quid patientis Christi tempore universa creatura patiatur: saxa namque colliduntur, ac collisa et perrupta in pulveres eunt, quasi dolore contrita; sepulcra ruptis hiatibus dolorem testantur; velum Templi in duas dividitur partes; sol quasi lugubri sago tenebrescit. *Cogitare nunc libet*, ait Bernardus, *quantus dolor tunc infuit Matri, cum sic dolebant, quae insensibilia erant.* Hinc ergo videre est immensum tormentorum diluvium, quo supernataret Maria, dolorum tempestatem, vastum poenarum gurgitem, ac cruciatuum nimbos, quos tolerat Deipara. Apte in hanc rem ait Epiphanius alloquens Mariam, et Christum cum fulgure componens: *O nubes lucida, quae fulgur de coelo lucidissimum deduxisti Christum!* Mehercle nunquam Christus fulmen potentius extitit Matri, quam cum illam iuxta crucem stantem ardentiori fulgure compassionis ac doloris fulminavit. Ea quidem vis est fulminis, ut mollia intacta relinquens, fortissima ac robustissima comminuat, adamantina conterat, praedura devastet, rupea populetur. Quid mollius carne? Quid delicatius corpore foemineo? Quid robustius anima? Quid immortalius ea? Illaesa ergo carne Mariana, intacto corpore, eius animam adamante firmiorem transadigit Christus patiens, eamque flammanti fulmine amoris ac doloris transverberat. Quo respiciebat Simeon aiens: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.*

Quod si doloris magnitudo ex boni deperditi magnitudine dimetienda est, cum B. Virgo Filium Deum et hominem amiserit, (nam eo demortuo, neque re, neque nomine mater erat, quia maternitatis relatio perit, pereunte termino, nempe Filio): et maiori dignitate condecorari nequeat pura creatura, quam ad Dei maternitatem evehi; ita maioris boni amissionem deplorare non poterat, quam Maternitatis Dei relationem sub cruce amissam: sicut ergo Filius desiit quoad naturam humanam, unione pereunte inter ipsius corpus et animam, toto illo triduo; sic desiit illa Mater esse Filii; cuius mens perspicax id recte penetrabat, eiusdemque voluntas aestuans tanti dictatus carentiam praesentiebat. Suarius, tom. 2 in 3 par., q. 35, § 3, contendit in Christi mortis triduo, B. Virginem retinuisse relationem Matris, quia tunc erat cum anima et corpore unitus ille, quem genuit. Sed displicet, quia minus philosophicum est; siquidem destructa ratione fundandi, destruitur relatio: tum quia ratione eadem ductus Hugo et Magister apud Henriquez, lib. ult. de fine hominis, cap. 14 in Glossa, num. 3, lit. 9, concedunt Christum in triduo mortis fuisse hominem; quos tamen explodunt omnes Theologi.

1240. Facit in hanc rem Mariae nomen, quae *stilla maris* interpretatur apud Alcazar in c. 12 Apoc.; Salazar in Cant. cap. 1, vers. 3 in appendice expositionis Hypermisticae. Alii *distillationem maris* vertunt, hoc est substantia illa, quae per quinque fusiones extrahitur per vas stillatorium: quod immensum Mariae dolorem ex morte Filii conceptum apprime declarat: si enim huius mundani ac falsi maris dolores, hoc est martyrum tormenta, cunctorum hominum cruciatus; imo ut aliquis audet, omnium damnatorum poenae in unum dolorem coirent, et ex omnibus quasi quinta essentia doloris veluti per

vas sublimatorium extraheretur ac exprimeretur; adhuc immensitatem doloris Virginei non exprimeret, teste D. Anselmo, lib. de excellentia Virginis : *Quidquid*, inquit, *crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione passionis tuae.* Auxiliatur his s. Bernardinus, tom. 1, ser. 61, art. 3, cap. 2: *Tantus enim fuit dolor B. Virginis in morte Christi, quod si in omnes creaturas, quae pati possunt, divideretur, omnes sub to interirent.* Bene ergo illam vocabis maris amari stillam, seu distillationem, vel dolorum omnium et amaritudinum veluti quintam essentiam extractam vi igniti amoris, qui vasis instillatorii vices agebat: ideo vocat Augustinum apud Drexelium dolores Mariae, *Immensitatem doloris.*

1241. Opportune s. Anastasius Synaita, lib. 4 Hexam., crucem componit cum libra signo caelesti, iuxta illud Ecclesiae: *Statera facta corporis*, etc. Domus autem Phosphori est libra; vocatur autem ab Astrologis *domus planetae* illud signum, quod attingens planeta totam vim et efficaciam ostendat : tunc autem dicitur regnare planeta, quando domum suam incolit. Quisnam, Phosphorus hic, seu Lucifer, nisi Virgo Deipara, quae totam suam vim ac fortitudinem exerit? Cum iuxta hanc libram, nempe crucem stetit, ac veluti in domo sua, tunc maxime regnavit, nempe a ligno, tuncque animi sui motus rexit. Praeclare s. Ildephonsus, ser. 1 de Assumpt., ait: *Qui cuncta quasi statera suspensa tenet, crucis statera suspenditur ; super quam Virgo multum doluit, multum perpessa est, et gladio doloris eius vulnerata in anima.* En Lucifer in signo librae, scilicet Virgo B. in cruce, tanquam in domo constantissime stans suum robur ac fortitudinem exeruit. Quam fortitudinem praesetulit mensis septembris, in quo nata est Maria ; nam apud Hebraeos hic mensis dicitur, *Ethanim*, hoc est fortitudinum, seu virium mensis: appellatur autem sic, addit Pagninus in Lexico, *ut aiunt Hebraeorum Doctores, quod in eo nati fuerunt fortes mundi.* In septembri ergo nascitur Maria, quae vere Mulier fortis nuncupatur, et a qua una omnium fortitudo ac robur dimanavit.

Hoc Marianum robur et constantiam super omnes laudibus evehens Ioannes, cap. 19, ait: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Hanc robore plenam stationem B. Virginis affabre depingit D. Bonaventura in specul. cap. 6, ubi ait de Gloriae dotibus, a quibus in coelo splendet, eiusque merita in terris parta recenset his verbis: *Quae* (scilicet Maria) *in hac vita ornata exstitit iis virtutibus, quae cum dotibus corporis similitudinem habent : fuit enim clarissima per sanctitatem; subtilissima, per humilitatem; agilissima, per pietatem; impassibilis, per patientiam.* Nempe Deipara iuxta crucem flecti nescio robore illam cruciatuum ac dolorum lanienam perpessa fuit, ut per ingentem et admirandam patientiam, impassibilitatem aemularetur. Talia cruciamenta tulit coram crucifixo Filio, ac tali animi constantia, quanta tolerare posset aliquid impassibile. Vicit reipsa Maria male fictum illum Stoicorum stuporem, et insensibilitatem in adversa quacunque fortuna.

1242. Exaggeratius adhuc loquitur de hac Mariana constantia iuxta crucem, in tanta Filii tormentorum carnificina, s. Hieronymus, sive Sophronius, serm. de Assump.: *Praeterea plus doluit in tantum, ut animam eius totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium eximiae dilectionis nimirum; et eius dilectio amplius fortis, quam mors, fuit, quia mortem Christi suam facit.* Quid est quod Maria iuxta crucem mortem peracerbam Filii, suam fecerit? Num quia tantus meritorum cumulus ex Filii morte ipsi excrevit, ac si Christus propter ipsam solum, crucem ac mortem sustinuisset, ac si sola Maria integrum redemptionis opus exstitisset, ac Christi redemptionem exhausisset? vel etiam, et ad rem nostram opportunius, ideo Filii mortem suam fecit Deipara, quia Filii vitam quodammodo vivebat; et tamen adeo fortis, et inexpugnabilis stabat iuxta crucem, ut mors Christi, quae ipsum invasit, et vulnere ad mortem transfodit, vitamque amputavit, vitam Virgini, quae erat eadem quodammodo cum vita Christi, non ademit; sed semper interrita, inconcussa magnanimiter stabat, licet Christo per compassionem et dolorum magnitudinem simul commoreretur : ut sicut eadem cum Christo vita vivebat, eadem etiam cum Christo morte quodammodo commoreretur. Stabat insuper Maria iuxta crucem constans, immobilis, gloriosa Dei Patris aemulatrix : sola enim Maria cum divinitate immobilis, et gaudens Filium suum in mundi redemptionem immolari voluit, ut scite expendit s. Mecthildes, lib. 1 Revelat. cap. 56: *Ob amorem*, inquit, *quo Deum prae omni creatura in terris dilexit: quia amor in passione Unigeniti sui in ea tantum praevaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret, et extingueret ; quia omni creatura in morte Filii Dei dolente, ipsa sola cum Divinitate immobilis, et gaudens Filium suum pro mundi salute voluit immolari.* Res mira ! coelorum axes tremefiunt, terra tremore concussa dehiscit, totus orbis tremula vertigine convolvitur, saxa conteruntur; et dum crucis vexillum in altum sustollitur, solis splendor obnubilatur, cadunt densae tenebrae terram pulla veste contegentes, fatiscunt creaturae dolore percussae communem calamitatem contestantes: sola B. Virgo stat immobilis et imperterrita, casus omnis expers. Pulcre hanc Marianam stationem speculatus Ambrosius ait in Epistola quadam: *Maria Mater Domini ante crucem stabat Filii. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt; coelum tenebris obductum, refugisse solem Ioannes docuit.* Dicere aliquis posset, quod aptius ac verius Deipara pietatis munere fungeretur, si dolore consternata occubuisset, lacrymis ac gemitibus obruta. Sed optime stans constanter iuxta crucem describitur ; id est prope arborem *malum*, ne sub arbore *malo* ruinam et casum experiretur, sed potius erectionem, et exaltationem. Si enim danda est fides Hebraeis, crux Christi ex arbore

malo fabrefacta fuit, sub cuius pede protoparentis cranium consepultum iacebat. Iure ergo optimo sub arbore *malo* crucis B. Virgo stans permansit; quia dum Adami posteri universi corruerunt, sola ipsa ab omni casu immunis stetit, communem hominum ruinam effugiens, crucis fulcro innixa. *Legitur*, ait Anselmus, *in libris Graecorum, quod de eadem arbore, in qua peccavit Adam, ramus quidam allatus fuit Hierosolymam, et ibi plantatus excrevit in magnam arborem, de qua postea facta sit crux Domini, ut ex quo mors venerat, eodem vita repararetur. Dicitur quoque Adam in eodem loco sepultus, in quo postea fixa fuit Domini crux.*

1241. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis;* proferebat Deipara de se ipsa sermonem habens, Cant. c. 1. Quae verba aptat Carthusianus B. Virgini patienti cum Filio. *Nigra*, inquit, *eras sicut tabernacula Cedar, quia tunc cum stabas iuxta crucem, reputabaris vilis, iniqua, deformis, sicut impiissimi seductoris Mater infelix; cum esses pulcra instar pellium Salomonis, et caeliformi pulcritudine praeornata assimilata decori pacifici viri, qui extendit caelum sicut pellem.* Ubi innuit Dionysius Virginem Deiparam simul deformitatem ac nigredinem inferorum cum pulcritudine ac gaudio Beatorum in coelo coniunxisse, stantem ac dolentem iuxta crucem. Ait enim: *Nigra sum sicut tabernacula Cedar*, id est *adustorum*, quorum nomine, Damnatorum tormenta capi possunt: dolores igitur ac cruciatus, quos Virgo B. pertulit, cum tormentis damnatorum aequandos docet s. Bernardinus apud Salazarium ad verba praefata Cantic. in expositione de B. Virgine. Unde verba illa Psal. 87, 4: *Vita mea inferno appropinquavit*, et alia Psal. 93, 17: *Paullo minus habitasset in inferno anima mea*, Deiparae iuxta crucem stanti, ac doloris gladio transfixae accommodat: si enim demas poenam damni, omnes damnatorum cruciatus ac tormenta unus Deiparae dolor patientis vel aequavit, vel superavit. Quod de Christi patientis cruciatibus plures adstruunt. Et quidem de dolore B. Virginis id verum arbitror; licet enim corporis cruciatibus non torqueretur, infinito tamen ferme dolore in animo cruciabatur de Filii passione; sicut intentione fere infinita Filium diligebat. In ea enim sum sententia, ut arbitrer; sicut nemo intensionem et gradum amoris B. Virginis, tum et reliquarum virtutum attigit, neque in via, neque in patria ex puris creaturis: ita neque intensionem doloriferam B. Virginis de Christo patiente dolentis, neque in via, neque apud inferos, dempto Christo, aliquem attigisse. Sciscitaberis, qua ratione tantus dolor cum tanto gaudio simul tempore passionis in B. Virgine coierint? Facile te ab hoc nodo expedies, si asserueris cum aliquibus, inter quos praefatus Dionysius Carthusianus adnumerari potest, B. Virginem tempore passionis ad divinam essentiam clare intuendam fuisse evocatam: quare sine novo miraculo factum fuit, ut in tanta dolorum acerbitate animo constantissimo iuxta crucem constiterit; quas enim vires doloris vehementia extenuare poterat, supernae felicitatis gaudia, ac animarum salutis redintegrabant. De quo videndus idem Dionysius Carthus. lib. 1 de praeconio Virginis, cap. 28.

1244. Nec contenta ingentem poenarum cataclysmum lacessivisse, amplius audet et optat Maria, et martyris simul, eodemque tempore, tormenta, necemque subire, et vitae perpetuitatem tolerare: quae sunt nobilioris et ardentioris amoris proprietates. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio*, Cant. 8. Sed quis nexus, atque consensio inter amorem et mortem, inter dilectionem et infernum esse potest? Nonne amor omnium affectuum tenerrimus ac suavissimus? mors autem omnium tormentorum crudelissima? infernus item paenarum omnium exaggeratio maxima? Cur ergo sponsus Mariani amoris vim ac robur describens, illum cum morte et inferno componit? Grande profecto Marianae constantiae ac fortitudinis testimonium; quippe non solum avet robustus B. Virginis amor mortis similitudinem referre, vel solius etiam inferni; siquidem in inferno tametsi poenarum aeternitas reperiatur, omniumque dolorum ac tormentorum aggregatio, abest tamen procul ab eo anxius moriendi conflictus. A morte item, quae est omnium poenarum terminus, abest omnis patiendi sensus. Ea igitur est ingentis amoris pro Dilecto patiendi cupido in Maria, ait sponsus, ut velit a morte moriendi tormentum haurire, et ab inferno aeternum perdurare, ut hac ratione moriendi martyrium pro Christo perennet, et immortale faciat.

1245. Quo quidem facto omnem Daemonis astum superavit Marianum animi robur, et quidquid astutiae Diabolus adinvenit, ut hominem torqueat, B. Virgo ut pro Christo ingenti animi robore sustineat, opere exequitur; et quo devenit Diaboli malitia, ut homini noceat, eo producta Mariana constantia et ardentissimus pro Deo patiendi amor. Miserum quendam hominem totum invaserat immundus Daemon, ait Marc. 15, adeo maerore confectum, ut eum compelleret, pus et saniem halantia tenebrosa sepulcra incolere: *Domicilium habebat in monumentis*, ait Marcus. Male daemon, quo te tuus adigit error, ac praecipitem agit? Quo tua te dementia ducit omnis inopem consilii? Si enim odio in hunc hominem adactus illum usque ad mortem torquere paras, cruciatus ac tormenta machinaris, cur ipsius vitam prorogas? Si autem ipsius vitam in votis habes, cur corruptas ac faeculenta putredine obsitas sepulcrorum latebras habitare compellis? Aut vitam ei saevus ac crudelis abripe, aut ex faetidis monumentis illum extrahe: sepulcrum quippe domus est mortis, vita autem semper adversaria est morti, vel ergo illum mortuum conde sepulcro, vel illum mortuorum specu ad has vitae auras vivum extrahe. Verum eo pervenit astus ac odium Daemonis in homine torquendo, ait Basilius, ut miserum homuncionem vivum habitare compellat inter tabificos sepulcrorum horrores; si enim Daemon huic homini mortem inferret, sensus iam omnis in patiendo deficeret: si autem vitam extra sepulcrum ageret,

multum de dolore detraheretur: ideo adinvenit diabolica astutia semper in homines truculenta, modum, quo malum vitae, nempe durationem, cum malo mortis coniungat: in sepulcro vivere cogit, ut sic vitae sensum habeat, et mortis, moriendi conflictum, ut hac ratione tormentum mortis vivat, et perennet. Ingeniose Basilius Seleuciensis orat. 13: *Graviorem morte vitam sustentare, velut iudicio dato, iubebatur: nam quos invaserit mors, sensu doloris privat, et ab iis quae dolorem creant, sepulcrum mortuos liberat: ille quidem caetera mortuus solum vivebat, quo aegrimoniae suae sensu torqueretur, eoque sine intermissione.* Sic ardentissimus in Deum Marianus amor a morte moriendi conflictum anxium ac tormentum; a vita vitalem ac perennem patiendi sensum mutuabatur, ut hoc modo moriendo viveret, et vivendo moreretur, ac tormenta patiendo aeternaret: dicat ergo sponsus de Maria: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* Stat interrita iuxta crucem, Christo commoritur; statio haec militaris incredibilem animi fortitudinem, tum et vitae perennitatem innuit: sed quia cum Christo Filio cruci affixa, ac commortua, moriendi tormentum ac cruciatus sustinet; itaque a vita sensum patiendi perennem, a morte tormentum ac cruciatus accipit: quo Filii perfectam similitudinem praesefert, de quo ait Ioannes, Apoc. 5:

1246. *Et vidi Agnum stantem tanquam occisum.* Statim suboritur difficultas, si cum ultimo mortis agone confligit, quomodo stat ingenti animi robore inconcussus et constans? Illud, *tanquam occisum*, mortem subindicat; illud autem, *stantem*, vitam innuit. Quomodo ergo haec duo sibi invicem adversantia in Christo coire potuerunt? Litem dirimit Glossa in illum locum: *Dicitur hic Agnus ratione immolationis, propter quod etiam dicitur stans, quia surrexit ad vitam immortalem.* Vivus ac mortuus simul, et semel dicitur Agnus apparere; ut sic, qua mortuus appetitum patiendi pro hominum salute expleat; qua vero vita immortali gaudet, mortis cruciatus aeternet. Et quia fieri non potest, ut resurgens ad vitam immortalem reapse mortem experiatur, qua potest in apparentia saltem, mortem simulat, stans utique tanquam occisus. Stat igitur Maria iuxta crucem, Christoque commoritur, ut viva ac mortua Gnato assimiletur. Ad rem D. Bonaventura, apud Drexelium de Christo morente, p. 2, cap. 12, § 3, ait: *O suavissimum cor amoris! quomodo conversum es in cor doloris, in quo nihil nisi fel, acetum, myrrha, et absynthium? nimirum vivens moriebatur, et moriens vivebat.* Aiebat regius Psaltes de Christo, Psal. 8: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sed cur ita? Sol symbolum gerit Christi. Nempe, ait Ecclesiastes 1, quia *oritur sol, et occidit.* Non solum diversis temporibus, sed eodemmet tempore. Cum enim nobis occidit ac moritur, et tenebrarum tumulo consepelitur, tunc apud antipodas nascitur idem: cumque ibi occidit, in nostro hemisphaerio ortu suo splendet: itaque uno, eodemque tempore nascitur ac moritur sol. Ad rem s. Zenon, serm. de Resurrect.: *Sol instantis finis sorte non terretur, suos ut replicet cursus, ut horas ac momenta producat, ut saltem paullo diutius diei sui demoretur in via; sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulcrum mortis cognatae contendit, sciens in ipso habere quod vivat.* Itaque sol in meridiana luce non demoratur, nec dum magis splendet, cursum fraenat, ut sibi in pompa lucendi adgaudeat, ac splendore fruatur; imo citatissimo cursu ad occasum contendit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Nempe quia in sua morte et occasu moritur ac nascitur, oritur et occidit. *Ad sepulcrum mortis cognatae contendit, sciens in ipso habere, quod vivat.* Quasi in morte et in occasu suo novae vitae perennitatem, novosque lucendi auctus accumulet, ac sibi pariat: ideo sol lucidius symbolum gerit ardentissimi Christi amoris in homines. Verum Maria, quae electa ut sol praedicatur, longe splendidiorem similitudinem solis Christi praesefert, quae simul, eodemque tempore vivit ac moritur; vivit, quia stat constans iuxta crucem; simul et moritur, cum cruci affigitur cum Christo, crucis dolores et cruciatus tolerans, ac ipsi Gnato commoritur, ingenti animi robore, simul et Martyris et mortis tormenta sustinendo, et vitae incommoda tolerando.

1247. Ait Lucas cap. 2 ex ore Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quid est quod Simeonis gladius non tam corpori, quam animae Deiparae cruciamenta ac vulnera minitatur; nisi quia vulnere defuncti Filii, anima Matris pro Filii anima subrogata insolenter transadigitur? Ait enim Bernardus, ser. in Signum magnum: *Vere tuam, o B. Mater, animam gladius pertransivit, alioquin non nisi eam pertransiens carnem Filii tui penetraret.* Utique quia Filii anima iam a livido corpore per mortem aberat, quando lancea latus eius aperuit; sed loco animae Christi in eius corpore sufficitur anima Mariae, quae exanimi Christi cadaveri aderat, et materno adglutinabatur affectu: quare immitis lancea Christi corpus saucians Matris animam simul inhumano ictu penetravit. *Et quidem*, subdit mellitus abbas, *posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset), aperuit latus; sed tuam utique animam pertransivit: ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli? Tuam ergo pertransivit animam vis doloris.* Tanto igitur atrocius tortoris lancea animam Matris et crudelius sauciavit, quae avelli non poterat a Filii exanimi corpore, quanto immanius in corpus defunctum desaeviit. Itaque vulneris dolorem, quem Filius pati non poterat, quia anima iam aberat a corpore, Mater, cuius anima in corpus Filii suffecta erat, plenis faucibus ebibere et animitus persentire non dubitavit.

Ex quibus nonnemo subdubitare audeat, quidnam acerbius, aut magis doloriferum, vel Christo, cruci suffigi; vel Matri, iuxta crucem stare? Cui audaci nimirum quaesito occurrit

Bernardus serm. in *Signum magnum: Sed forte*, ait, *quis dicat: numquid non eum Virgo praesciverat moriturum? et indubitanter etc. super haec doluit crucifixum, et vehementer. Alioquin quis tu frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae Filium patientem? Ille enim mori corpore potuit; ista commori corde non potuit: fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.* Vel sola eiusmodi collatio dolorum Matris iuxta crucem compatientis cum atrocissimis Christi in cruce patientis cruciatibus Marianorum dolorum granditatem ultra omnem auxesim extollunt. Quid, quod Christi cruciatus cum Christo demortuo finierunt? verum Matris dolores adhuc defuncto Filio vivacius et acerbius Virginis animam sauciabant; dum funesto feralis lanceae ictu, anima Matris, quae corpori Filii adglutinata erat, transfoditur, immortalem dolorem sustinens, cum ut aiebat Bernardus: *Christus mori corpore potuit, Deipara commori corde non potuit.*

1218. Stabat inexpugnabili et inconcussa constantia. Prisci illi ethnici Constantiam depinxere super rupem stantem, allisam undique maris fluctibus, cum hac epigraphe: *Eadem sum semper.* Stat Maria in Golgothaeo monte, undique cincta doloribus, sed illidentibus circum dolorum fluctibus, illa semper eadem: Filius tanquam seductor, et malefactor comprehenditur, ac vinculis addicitur, coram Anna, Caipha, Pilato et Herode sistitur, flagellis crudeliter caeditur; et illa semper eadem: corona ex paliuris contexta redimitur, Barabbas liber evadit, Christus cruci affigitur; et semper eadem stabat iuxta crucem: lancea dira transfoditur, et stat semper eadem interrita, constans, ac virtutis invictae, et flecti nescii roboris. Quam patiens Maria tot puncta doloribus, quot Christus vulneribus fuit confossus!

Ea etiam fuit animi constantia Deipara, ut iuxta ritum antiquum, oculos nimirum claudendi vita iam functis, (de quo Roma Subterranea videnda, lib. 1, cap. 21, num. 15) in sacro Christi Domini funere observatum, ipsa hoc munus obire voluerit; ut constat ex Revelat. s. Birgittae, lib. 4, cap. 70, ubi eadem Virgo ita fatur: *Sed iam quasi consolata sum, quod corpus eius iam de cruce depositum contingere potui, et in sinum recipere, vulnera explorare, et extergere sanguinem: deinde os eius digiti mei clauserunt, et oculos pariter composui.*

Quam longe a nobis haec exulat tolerantia ac robur; quos vel levis pulvisculus deiicit, quos amariusculum verbulum fatigat, quos vel obliquus oculorum adspectus excruciat; quos quaevis punctura commovet, quilibet labor premit, et ad multiplices querelas perducit: quos omnis acerbus casus ac tristior fortuna enervat, opprimit; et sub cuius onere succumbimus et fatiscimus: cum Dei Mater sub Filii cruce stans incredibili constantia plena, tot cincta doloribus perseveret in tam adversa fortuna; quin animum despondeat, ac nonnihil patientiae remittat. Stabat ut quondam Deo assistens, Prov. c. 8: *Quando praeparabat coelos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum.* Sicut ergo in totius orbis prima conditione cum Deo aderat, ita nunc Mater Filio in orbis renovatione assistit, cum coelos cruce tanquam clavi reseraret, multiplici peccatorum repagulo occlusos: cum decidui huius orbis ubique ruinam, et casum minantis, fundamenta quatuor crucis clavis obfirmaret; cum orcinianam abyssum fixis terminis circumsepiret, ac cacodaemonibus in inferendis orbi malis statas leges praescriberet: quando latroni paradisum prodiga manu impertiebat; quando refractariis ac sacrilegis Iudaeis veniam a Patre postulabat; quando nostrorum omnium salutem sitiebat; quando in crucis suae statera uniuscuiusque merita librabat; tunc Mater Filio aderat, cum eo erat cuncta componens, in nostrae redemptionis opus coadiuvans.

CERTAMEN VII.

Utrum Virgo Deipara tanquam vere Martyr martyrii palmam obtinuerit.

1219. Ex dicendis hoc Congressu, amplius Certamine superiori dicta confirmabimus. Verum supponimus tanquam certum, Virginem B. vere mortuam fuisse. Ita tradit Ecclesia, et communis Patrum traditio docet: de quo Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 21, sect. 1, § *quin potius.* Opus enim fuit, Matrem Filio in hoc etiam similem fuisse; et ut luculentius constaret, eam esse passibili corpore praeditam, non vero materia quadam coelesti, ut aliqui commenti sunt, auctore D. Thoma in 3, dist. 4, q. 2, art. 1. Fateor s. Epiphanium, haeresi 78, dubium fuisse de morte Deiparae, ait enim: *Ego non audeo dicere, scilicet fuisse mortuam, sed silentium mihi impero.* Non tamen absolute negat esse mortuam, sed ex Scripturis eius mortem non constare. Videatur Suarius citatus.

Quo praemisso, s. Isidorus, lib. de vita et morte Sanctorum, c. 68; s. Ambrosius et Beda in cap. 2 Lucae referunt aliquos censuisse, B. Virginem fuisse martyrio coronatam, ac violenta morte peremptam. Idem refert Timotheus Presbyter hierosolym. in orat. de Simeone, ut citatur a Metaphraste, ubi haec habet: *Hinc nonnulli existimarent Domini Matrem gladio morte affectam, finem accepisse martyrii, propterea quod dixerit Simeon: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Non ita autem habet; ferreus enim gladius corpus dividit, non dissecat animam. Quo fit ut intemerata et sanctissima Virgo hucusque sit immortalis, propterea quod qui in ea habitavit, eam traduxerit in loca in quibus est assumpta.* Ubi propendet Timotheus in sententiam, quae adstruit Virginem Deiparam non fuisse mortuam.

Ex eo autem suaderi posset haec sententia, quia nullum donum seu privilegium in reliquis Beatis ac iustis admitti potest, quod non multo excellentiori modo Beatae Virgini sit conferen-

dum, ne ab ulla creatura unquam superari dici queat, ut pluribus alibi docuimus: sed martyrium summum est Dei privilegium et beneficium; et iuxta Divum Thomam 2 2, quaest. 124, art. 4, ad martyrii rationem opus est, ut reapse mors pro Christo succedat violenter: ergo Beata Virgo martyrii gladio occubuit. Verum respondeo, ad rationem martyrii iuxta plures non opus esse morte; et Ecclesia id innuit in festo aliquorum Sanctorum: ac proinde privilegium martyrii non defuit Deiparae. Vel etiam dici posset, hoc privilegium eminentiori quodam modo in Beata Virgine reperiri, quia fuit plusquam martyr; et quia eius in Deum dilectio ipsa fuit morte robustior ac valentior; et quia Christi Domini mortem suam propriam effecit. Ita s. Hieronymus, epistola ad Paulam et Eustochium, de Assumptione Beatae Mariae, sive quisquis sit ipsius auctor.

1250. Illa autem verba Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, eleganter ac singulari eruditione interpretatur Maldonatus in Lucam, cap. 2, ita ut gladius Mariae animum transfossurus, sit gladius ipsius Christi, videlicet tormenta, cruciatus et mors; qui Christi gladius etiam Mariae animum terebraturus dicitur: non quia omnino ei vitam erepturus erat, ut Christo; sed quia Christum transadigens, etiam Mariam vulneraturus erat: sumpta, ut putat ipse, metaphora ex his, quae contingere saepe solent, ut scilicet quis tam alte aliquem, vel ense, vel lancea transfodiat, vel aeneo globulo, ut e corpore transfosso egressus alterum etiam proxime adstantem graviter etiam feriat ac vulneret: sic gladius mortis Christi, Christum transadigens, ipsique mortem inferens, Matrem etiam loco et affectu proximam vulneravit: quod innuit verbum illud, *pertransibit*, quo utitur Simeon; ubi non occisurum eam subindicat; ideo non corpus, sed animam dicit, ut innueret non mortem corporis, sed vehementem animi dolorem allaturum. Quod bene explicatur emphasi illa duarum dictionum *et animam*: *et*, namque innuit eundem futurum gladium, qui et Christum transfossurus erat, et Mariam pertransiens vulneraturus: cum vero dicit, *animam*, non mortem ipsi illaturum indicat; sed internum ac intensissimum dolorem.

Cum ergo communis Patrum consensus, Ecclesiaeque sensus mortem violentam Beatae Virgini deneget, censeo tanquam omnino certum, asserendum esse, eam nullo violentae mortis gladio occubuisse. Ita Suarius citatus. Et quidem Ecclesia, si vera esset contraria sententia, anniversario cultu hoc Marianum martyrium recoleret, quemadmodum praestat id in reliquorum martyrum solemnitatibus. Additque Canisius, lib. 5 de Deipara, cap. 2, § *Scimus*, nullum veterum illam sententiam de martyrio Beatae Virginis probare, imo repugnare constanti Ecclesiae traditioni: et s. Paulinus, epistola 58 ad August., ait: *Nec Mariam Beatissimam usque legimus occisam, ut de corporali gladio sanctus ille Simeon ei futuram passionem prophetasse videatur.*

1251. Hinc autem oritur difficultas de martyrio Beatae Virginis, quia violentam mortem passa non est: non ergo fuit vere martyr, neque laureolam martyrii nacta fuit. Neque enim satis est, quod in morte Filii ipsius doloribus valde excruciata fuerit; alioquin qui in meditatione Christi patientis crucis tormenta acerbissime dolent, martyrii privilegio gauderent, eiusque laureolam nanciscerentur. Hanc sententiam tuantur Abulensis in cap. 13 Matthaei, quaest. 20; Sotus in quartam, distinct. 49, quaest. 5, art. 2; Theophilus Raynaudus, disquisit. Theologica de martyrio per pestem, 2 parte, cap. 1, ubi docet Deiparam defectu mortis a persecutore irrogatae, non fuisse formaliter martyrem, nec martyrii laureolam fuisse consecutam: et citat pro se Suarium, tomo 2 in 3 part., disput. 21, sect. 4; Salas 1 2, tractatu 2, disputat. 8, num. 75; Turrecremata in quaestionibus Evangel., ad festum Circumcis., quaest. 2.

Pater Vasquius prima secundae, disputat. 76, num. 12, defendit eum qui pro Christo pati mortem exambit, aequa intensionis perfectione, atque ille, qui reapse mortem subit pro Christo, tantundem praemii reportaturum, atque illum, qui pro Christi fide moreretur, excepta laureola, quae solum confertur propter mortis perpessionem. Verum eadem ratione duci possumus ad denegandum gratiam, quae debetur ex opere operato propter martyrium illi, qui solum desiderio exoptat pro Christo mortem perpeti; solum autem conferri illi, qui reipsa pro Christo mortem sustinet. Quod probari posset contra Vasquium in eo, qui exoptat recipere aliquod sacramentum, huic enim solum confertur gratia ex opere operantis, non vero ex opere operato, quia externa Sacramenti susceptio solum infert portionem illam gratiae ex liberalitate mera Dei, quae dicitur ex opere operato; quae portio gratiae non rependitur propter solam susceptionem spiritualem Sacramentorum, sive eorum suscipiendorum desiderium. Eadem ratione sola mors actu tolerata propter Christum, donatur gratia debita martyrio ex opere operato; quae doctrina arrisit Maiori in quartam, distinct. 49, quaest. 24, licet refragentur Martinus de Magistris, quaest. 1 de martyrio, et Vasquez citatus: quorum argumenta id solum probare videntur, nempe desiderio illi interno respondere posse par meritum, ac praemium ex opere operantis, ac voluntati coniunctae cum mortis perpessione.

1252. Concors fuit tamen ss. Patrum sententia, B. Virginem veram Martyrem exstitisse, ac Martyris laureolam consecutam fuisse. Ita Hieronymus serm. 1 de Assumpt.; Bernardus, serm. in Signum magnum; Ildephonsus, serm. 2 de Assumptione; Anselmus de excel. Virgin. c. 5; Ephrem, oration. ad Virgin.; Laurentius Iustinianus, de triumphali Christi agone, cap. 21; Ambrosius et Beda in illud Luc. c. 2, *Tuam ipsius animam* etc.; Isidorus de vita Sanctorum, c. 68; Damascenus, lib. 4, cap. 15; Divus Antoninus, 4 parte, cap. 41; sancta Birgitta, lib. 1 Revelationum, c. 10; Lodulphus, 2 parte de vita Christi, cap. 64; Beaux in Harmonia Evangel., et alii apud

Henriquez de ultimo fine, cap. 10, num. 18. Opus est autem praemittere ante probationem huius asserti, quando tormenta et aerumnae ad inferendam mortem naturaliter suffecissent, tantumque divina manus miraculo hominem exemisset a morte, tunc non defecturam martyrii laureolam: quia tunc non stetit per hominem, quominus pro Christo mortem subiret. Quod ex Cypriano, epistolis 9 et 37, et libro de exhort. Martyrum, cap. 12, confirmari potest, et ex Tertulliano, cap. 8 Scorpiac., et Chrysostomo orat. de sancto Eustachio, et patet in Ioanne Evangelista, ut docet sanctus Gregorius, lib. 3 Dialog., cap. 26. Hi ergo, qui causis naturalibus mortis applicatis, divina virtute illaesi remanserunt, cum non defuerint Martyrio, neque ipsis martyrium defuit; ideoque martyres merito dicendi sunt, quamvis mortis effectus non fuerit subsecutus. Favet huic dicendi modo D Anselmus, lib. de excel. Virginis, cap. 5: *Dolor Virginis maior fuit omnibus doloribus. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuae passionis; quae nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et utique, pia Domina, non crediderim te potuisse nullo pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse spiritus vitae dulcissimi Filii tui pro quo moriente conquerebaris, et tantopere torquebaris, te confortaret.* Et s. Amedaeus, homil. 5 de laudibus Virginis, ait: *Gloriosae pectus altissimo pictatis iaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, et quod hominum genus ferre non posset, adiuta divino munere foemina valuit sustinere; vicit sexum, vicit hominem.* Idem constanter asseverant s. Bernardinus Senensis, tom. 3, serm. 2 de glorioso nomine Mariae, art. 2, c. 4; Albertus Magnus super *Missus est;* videlicet morituram fuisse Deiparam prae nimio dolore, nisi saepius divinitus roboraretur: sicut ergo hoc robur divinitus allatum Mariae, eius non abstulit meritum, ergo neque praemium ademisse censendum est.

Martinus de Magistris, quaest. 1 de martyrio, conclus. 3, censet, solam internam martyrii voluntatem, nullis admotis causis mortem naturaliter illaturis, ad martyrii laureolam sufficere. Sed hoc verum est in ordine ad praemium essentiale saltem, quod respondet ex opere operantis, iuxta superius dicta, et iuxta illud s. Paulini in natalitiis s. Felicis:

> Caelestem nactus sine sanguine martyr honorem,
> Nam confessor obit, poenas non sponte lucratus,
> Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem;
> Qui cordis taciti scrutator ferre paratos
> Aequiparat passis; sat habens interna probasse,
> Supplicium carnis iusta pietate remitti:
> Martyrium sine caede placet; passura voluntas
> Sufficit, et summa est meriti, testatio voti.

1253. Nunc ergo thesis nostra, nempe B. Virginem veram martyrem extitisse, suaderi potest primo, quia plus omnibus Christum diligebat; ergo acerbioribus doloribus excruciata fuit ad Christi patientis adspectum, quam omnes martyres quibuslibet tormentis excarnificati. Quae ratio eruitur ex verbis s. Amedaei, homilia 5 de Beata Virgine: *Vicit*, inquit, *sexum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem: torquebatur enim magis, quam si torqueretur in se, quia supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat.* Recte ergo ex dilectionis magnitudine doloris granditatem elicuit. In hunc sensum collimasse visus est Ioel, cap. 2, dum ait: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Quo igitur tempore Christus Sol obtenebratus est, Maria quasi in sanguinem versa est? Ita Albertus Magnus, serm. in Dom. 2 Adventus: *Tunc*, inquit, *Beata Virgo conversa in sanguinem fuit, quando intellexit dulcissimum Filium suum traditum ad crucis martyrium postulatum: tunc vero tota luna facta est, ut sanguis, quando assistens cruci vidit Filii caput spinis laceratum.* Sed cur nullam de stellis mentionem attexit Propheta? Nempe luna Virginem Deiparam adumbrabat: stellae reliquos sanctos martyres, quorum cruciatus ac tormenta, si cum Mariae doloribus conferantur, levia et quasi nulla arbitrantur, ut inquiebat Anselmus supra: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuae passionis.* Ac si diceret; omnium martyrum cruciatus in unum coacervati inferiores sunt, si conferantur cum doloribus Beatae Virginis. Et ratio desumpta est ex Ildephonso, serm. 2 de Assumptione: quia reliqui martyres in corpore cruciamenta toleravere; at B. Virgo dolores pertulit in anima. Reliquorum ergo martyrum cruciatus fuere corporei; at Mariana vulnera multo horribiliora, utpote spiritualia: atque adeo hinc efficax desumitur ratio ad probandum, maius fuisse Mariae martyrium, quam caeterorum. Hoc argumento utitur Guilielmus in cap. 1 Cant.: *Gladius*, ait, *acutissimus dolor Dominicae passionis animam piae Matris penetrans. Aliorum martyrum corporale, Mariae spirituale martyrium; et proinde praestantius fuit.* Quemadmodum enim gloria, quae ad animum spectat, et in clara visione sita est, Beatitudo essentialis dicitur; quae vero ad corpus derivatur, accidentalis: ita etiam cruciatus corporis, veluti martyrium accidentale dixeris; animae vero cruciamenta et dolores, multo nobilius, et quasi essentiale martyrium constituunt.

1254. Sed omnium optime Mariana tormenta extulit s. Bernardinus supra citatus: *Tantus*, inquit, *fuit dolor Virginis, ut si in omnes creaturas, quae pati possunt, divideretur, omnes subito interirent.* Sicut enim nullis mensurabilem spatiis suis visceribus conclusit; ita immensam pene doloris magnitudinem ebibit ex Christi patientis intuitu. Quod si aequa mentis lance trutinaveris haec verba, veritati omnino conformia censebis; si primum ponas, quod in dubium arbitror, videlicet dolorem internum eo interius accrescere, ac vires resumere, quo ex intensiori apprehensione, et obiecti consideratione disconvenientis oritur: at, ut opinor, omnes omnium hominum apprehensiones et cogitationes

in unum coniunctae, quando intensiori vi mala disconvenientia actu mente apprehendunt, animoque evolvunt, uni Mariae Virginis apprehensioni et cogitationi, qua Filii sui tormenta ac cruciatus in cruce exantlatos intuita est, non adaequabunt; quia patientis dignitatem infinitam optime callebat, et quo eius perfectionem et excellentiam perfectius et illustrius penetrabat, eo ardentiori amore in eum ferebatur. Modo sic: Mali alicuius vehemens apprehensio et cogitatio intensa aliquando tantum dolorem ingenerat, ut mortem inducat; atqui una Mariae apprehensio, et cogitatio tormentorum, ac cruciatuum Filii patientis perpendens, omnium simul hominum apprehensiones longo intervallo superabat; ergo dolor inde conceptus cum apprehensionis mensuram adaequaret, si in omnes creaturas rationales distribueretur, omnes subito interirent; quae est illatio s. Bernardini, ut et hinc Marianam constantiam ac robur perpendas; cum inter tot tormenta constans et inconcussa steterit tantum abfuit, ut collaberetur. Quare immerito et infelici cantu cecinit Sanazarius Marianum robur, et fortitudinem maculans ac deturpans:

> At Mater, iam non Mater, sed flentis, et orbae
> Infelix simulacrum, aegra, et sine viribus umbra.

1255. Ob id Richardus de s. Laurentio, lib. 3 de laudibus Virginis, compellat Deiparam *Martyrem martyrum*. Imo et omnium longissimum pertulit martyrium, videlicet plusquam per triginta annos; per integram enim Filii vitam, ipsius passionem ac mortem contuens torquebatur, ut bene expendit sancta Birgitta: *Melius quam prophetae praescivit Filii sui passionem; ideo eum lactans cogitabat, quod felle et aceto esset potandus; quando eum manibus gestabat, videbatur illi, quod crucis brachiis esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum; quando osculabatur, Iudae osculum cogitabat.* Huc respiciebat Sponsa dum ait: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Et iterum sponsus de ea ait cap. 7: *Comae capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.* Anne Virgo Beata adscitiis capillos tingebat coloribus? Anne unguentis infectos reddebat? Absit; sed quia assidua cogitatione Christi cruciatus versabat animo; hinc Virgineae cogitationes ruborem referebant, ac purpuram redolebant. Rem pie excogitavit Guilielmus: *Rubebant maternae illae cogitationes sanguine compassionis; bene ergo illi dicitur: Comae capitis tui sicut purpura regis.* Et Hailgrinus: *Cogitationes tuae tinctae in sanguine Dominicae passionis.* Idem Cardinalis in c. 7 Cantic. ad illa verba: *Et ubera tua botris*, ita habet: *Ubera botris assimilata sunt, in quo mirabilis praerogativa merendi monstratur in Virgine, quae non minus meruit fundendo lac de uberibus suis ad Filii nutrimentum, quam martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces secundum radices charitatis pensatur.*

Habuit ergo Beata Virgo valentiorem tortorem, quam crucem, nempe charitatem: cuius charitas, inquit Guarricus serm. 4 de Assumptione: *Fortior erat, quam mors.* Ab hoc carnifice cruciata et sauciata fuit Virgo Deipara: *Vulnerata charitatis ego sum*, ait ipsa Cant. cap. 2 iuxta versionem LXX. Unde martyr fuit ex vulnere charitatis ex identitate Mariae cum Filio, quae ratio desumitur ex Divo Augustino, Petro Damiano, et Arnoldo Carnotensi, cuius verba subiicio: *Una est Mariae ac Christi caro, unus spiritus, una charitas, unitas divisionem non recipit, nec secatur in partes; et licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest. Atque adeo Filii gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem.* Si ergo contrariorum eadem est ratio; et identitas Iesu et Mariae facit utriusque gloriam esse communem; ergo similiter praestabit identitas, ut tormenta et cruciatus Filii sint Beatae Virginis tormenta. Ideo Guilielmus apud Delrium vocat Virginem Iesu commartyrem. *Martyres alii fuere moriendo pro Christo, haec commoriendo Christo martyr fuit.*

1256. Rursus anima Beatae Virginis erat in Filio per affectum, ut docet Guarricus, serm. 4 de Assumptione: *Plane iuxta crucem stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransivit gladius, quantis confossum corpus Christi cernebat vulneribus.* Ex quibus verbis vis doloris in Beata Virgine patienti demonstrari amplius poterit, siquidem tota anima Mariae erat in toto corpore Christi, et in qualibet parte; ergo quodlibet vulnus cuilibet parti corporis inflictum ipsa Beata Virgo sustinebat in tota anima. Iuxta haec, expendenda sunt Bonaventurae verba de compassione Virginis, lectione 1, ubi de Virgine Deipara haec protulit verba pia audacia: *Haec maiorem dolorem habuit, quam Salvator, qui tot sustinuit:* id est, si dolores interni Mariae cum externis Christi doloribus conferantur, quia cum clavi manus pedesque terebrarent Christi, simul animam Deiparam sauciabant. Dein quando Filii pedes clavis configebantur, nullum vulnus sustinebant manus, nec reliquum Christi corpus: at B. Virgo quasi anima Filii effecta, ut monuit Guarricus supra, tota in toto et tota in qualibet parte corporis Iesu, cum affigebantur pedes, tota integre terebrabatur: caput spinis punctum totam animam acutissimis aculeis feriebat: unde verus eruitur sensus verborum D. Bonaventurae. Eundemque explicatum amant verba Arnoldi Carnotensis, tract. de laudibus Virg.: *Christus in Matre amplius, quam in se, pati videbatur.* Vel si mavis, verba Divi Bonaventurae ita intelligenda, ut dolores ac tormenta Passionis non ita vexaverint et consternaverint animum Christi Domini ac B. Virginis, quia Filius Matrem animi robore ac fortitudine infinito intervallo superabat; ac proinde minus angebatur, ac dolebat, licet ipsius dolores vehementius illum pungerent, quam Matrem: vera igitur erunt verba Bonaventurae ratione subiecti, non ratione obiecti.

Affulgèt nova lux ex dictis, illis Sponsae verbis Cant. 5: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me.* Quae verba a pluribus B. Virgini attribuuntur, cum tamen nusquam legamus Virginem Deiparam percussam, comprehensam, nec vulneribus affectam; bene quidem Christus fuit comprehensus, percussus, vulneribus saucius, non vero Maria. Cur ergo de percussione ac vulneribus conqueritur? Forsan quia Filio percusso, eadem excepit vulnera Mater: in Filio ergo vulnerabatur Maria, affigebatur clavis, spineo pungebatur serto: ita Hailgrinus in illa citata verba: *Pontifices, Scribae ac Pharisaei, qui ex officio debebant custodire civitatem, apprehenso vero custode Filio meo, invenerunt me in ipso; percutientes eum, percusserunt me; et vulnerantes eum, vulneraverunt me.* Quantus hinc dolor fuerit piae Matris, ostendent illa Cant. cap. 1, dum ait: *Filii matris meae pugnaverunt contra me.* Si Mariae Virginis immensum pene dolorem coniicere velis, tibi ob oculos propone instructissimam militum aciem, multo pulvere tormentario murum, seu turrim quatientium. Eadem ratione anima Virginea Filii tormentis torquebatur, ac comminuebatur. Accipe Philippum abbatem id diserte fantem, libro 1, in Cantic. cap. 1: *Filii matris meae pugnaverunt, qui sunt Iudaei, qui obliti foederis fraterni sororem Mariam gravius afflixerunt. Iudaei Iesum tradunt iudici, iudex militi: clamor personat insuavis, eumque crucifigunt: isti linguis perstrepentibus, illi clavis: et quid nisi haec omnia contra Virginem debacchantur, tubicinant, patientiae moenibus colluctantur, turrim constantiae gravi ariete impetunt, et oppugnant, immotam quatiunt; sed obiectu gratiae non expugnant?*

1257. Intimus ergo Mariae erga Christum amor, eam martyrem fecit; Christus enim Dominus vere ac proprie martyr fuit, nam propter veritatem morum et doctrinae, violentam passus est mortem, teste Divo Thoma apud Suarium, com. 2 in tertiam partem, disputat. 21, sect. 4, § *Dubitatio nonnulla.* Virgo autem Deipara cum propter summam cum Christo coniunctionem, tum quia simul cum Filio constanter in fidei et amoris testimonio permansit, ac simul cum ipso patiebatur; ergo simul cum ipso martyr decantanda est. Licet enim Christi tortores directe non intenderent eam propter Christum torquere, re tamen ipsa, Christo cruciatus infligentes ad mortem, ipsi etiam Mariae infligebant; qui modus torquendi martyres etiam constitit, ut videre est in innocentibus martyribus, quos non intentabant tortores occidere propter Christum, sed solum eis animus inerat Christum occidendi. Aliunde vero Beata Virgo dolorem sustinuit, ut diximus, sufficientem ad inferendam mortem corporis, nisi divinitus suffulta fuisset; haec autem corroboratio miraculosa, sicut non aufert meritum, nec praemium adimere cernum est; ut patet in Ioanne Evangelista et aliis: sicut ergo in dolore, animique robore, atque constantia martyres omnes longe superavit, ita praeclarius insigne fuit adepta, quam sint omnium martyrum laureolae, quod tamen ipsi martyrum laureolae respondeat: in quam partem propendet Suarius citatus.

Tandem ut dolorum et cruciatuum magnitudo, quibus Beata Virgo perculsa fuit, clarius appareat; praemittimus in Maria triplicem gratiae genus cum Theologis apud Salmeronem, tom. 10, tract. 51, § *ut autem*: sicut enim Theologi triplicem Christo gratiam attribuunt, nempe gratiam unionis, gratiam capitis, et gratiam singularis personae; ita in Beata Virgine et reperitur gratia maternitatis Dei, et gratia colli corporis mystici Ecclesiae, et gratia singularis personae. Ex hoc igitur triplici capite ingens dolorum magnitudo in Maria erui potest. Primo igitur ex gratia, quae Mariae, ut singularis persona, inerat, quae in cognitione Dei atque amore sita erat, ex perfecta nimirum cognitione, qua praedita erat, de dignitate Christi patientis, de Iudaeorum passionem inferentium malitia, de vilissimo ac contemptibili Calvariae loco, de temporis, dieique solemnitate, de infami Latronum comitatu, de truculenta carnificum rabie: quod si haec omnia et singula dolorem ingentem exsculpere valebant, multo magis simul collecta, ac in Virgineo corde coeuntia. De amore item ait Bernardus, serm. 29 in Cantic.: *Est etiam sagitta electa amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena.* Omnia igitur vulnera, spinae, clavi, carnem Christi lacerantes, totidem erant sagittae animam B. Virginis penetrantes, et propterea Bernardus ser. de verbis Apoc. *Signum magnum apparuit*, martyrium B. Virginis inter duodecim diadematis eius stellas enumerat. Quare nullus iure ambigere potest doloris Mariani magnitudinem ex radice charitatis ortam, multo maiorem esse, quam cuiusvis martyris. Plus ergo passa est Maria, quam si reipsa vulnera excepisset, ac dolor ipsius intimius transverberabat ipsius animum, quam prunae illatae Laurentio ipsius animum excruciabant: ibi enim unio corporis ad animam naturalis erat, hic autem unio Matris ad Filium omnino supra naturam: excellentior igitur laureola Mariae debebatur, quam reliquis Martyribus. Ad haec, Dei amor lenibat dolores, in Maria autem non solum non levabat, imo illos adaugebat: sicut enim libenti animo et hilari toleramus acerba quaeque pro eo, quem summe diligimus, ita valde laboriosum et acerbum est videre multa et acerba patientem, eum qui nobis valde in amoribus est.

Item ex gratia colli pensanda est doloris Mariani magnitudo; sicut ergo Christus caput est Ecclesiae, ita B. Virgo collum est corporis eius, ex quo gratiae omnes ac dona in reliquum corpus derivantur, per quod etiam omnium nostrum vota, precesque in Christum ascendunt, quo facilius a Deo postulata extorqueant. Et quemadmodum Christus Dominus est omnium redemptor, ita Maria Virgo corredemptrix cum Filio,

omniumque peccatorum mediatrix et advocata; tanto igitur oportuit luctu ac dolore in Christi morte reliquos excedere, quanto in opitulando et auxilia exhibendo mundo caeteris antecelluit. Praeterea pensandus est etiam dolor, qui ex gratia maternitatis Dei proveniebat. Erat enim in Maria naturalis, adeoque vehemens affectus erga Christum, praeter charitatem supernaturalem, cuius amoris circumstantiae plures numerantur. Mulier enim erat, quae sua natura ad experiendos dolores mollior est. Virgo itidem, quae teneriori affectu pollere solet. Deinde, mater, cuius est summe filios adamare; nec solum mater, sed Unigeniti, qui alios amores devincit, ac proinde eius amissio maiorem infert dolorem. Ad haec sola Virgo sine Patre eum genuit: alii filii communes sunt utrique parenti; at Christus solius est Beatae Virginis proles, unde erga Christum utriusque parentis gerebat amorem: et dolor qui solet esse de amissione filii utrique parenti communis, in una Beata Virgine coivit: erat quidem Filius sibi cum Patre aeterno communis, sed ut Christus in natura, quam a Patre hausit, pati non potuit, ita nec Pater aeternus compati ei poterat, aut dolere; quare in horrendo Filii interitu una Maria omnem dolorem ebibit. Sicut ergo reliquis hominibus gratia confertur per partes, in Mariam vero totam se infudit gratiae plenitudo; sic etiam inter reliquas creaturas de Christo patiente distributus est dolor per partes, in Mariam vero totam se infudit doloris plenitudo. In hoc igitur universali luctu propter Christum in cruce patientem, ipsos Angelos luxisse tradunt mortem Domini in assumptis corporibus s. Bernardus, et s. Augustinus, serm. de lamentatione Mariae apud Salmeronem citatum. Subiungam verba sanctae Birgittae, lib. 9 Revelationum, cap. 11: *Congregati Angeli etiam turbati videbantur, cum viderent Deum in humanitate pati in terra: sed quomodo turbari possunt Angeli, qui immortales sunt? Utique: sicut iustus cum viderit amicum suum pati aliqua, de quibus consequeretur maximam gloriam, et gauderet quidem de gloria eius adipiscenda, sed tamen propter passionem suam, quasi quodammodo contristaretur; sic Angeli quasi contristabantur de poena eius, cum tamen impassibiles sint. Omnia quoque elementa turbabantur, et sol, et luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebantur, sepulcra aperiebantur in hora mortis Filii mei. Omnes Gentiles turbabantur ubicunque erant, quia in corda eorum venit quasi quaedam punctura doloris, licet nesciretur unde esset. Tribulabatur etiam cor crucifigentium eum in illa hora, et quasi in unum congregati turbabantur. Illi autem, qui erant in sinu Abrahae, multum turbabantur, in tantum, quod maluissent in aeternum esse in inferno, quam talem poenam videre in Domino suo. Ego autem, quae tunc eidem Filio meo adstabam Virgo, et Mater eius, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare.* Magnus quandoque dolor ac ingens moeror fletum protrudit, ut lacrymarum loco sanguis effluat ex oculis. Et Delrius noster in opere Mariano, Polemica 2, refert se foeminam novisse, quae in sororis funere sanguineas lacrymas multas effuderit. Hieremias Drexelius, to. 3 de Christo moriente, part. 2, § 2, ait de Virgine Deipara, eam lacrymarum vim in Christi exequiis profudisse, ut nemini mirum videri debuisset, si eius oculi lacrymarum loco sanguinem stillassent. Additque Ioannem Baptistam Signium, tam eruditum quam pium scriptorem, lib. de Sanctis Lipsanis et cultu Divorum, haec verba serio affirmare: *Auctoritatem Beati Germani allego dicentis, Beatissimam Virginem adeo amare flevisse, ut post uberrimos lacrymarum rivulos, sanguineas quoque lacrymas effuderit.* Subiicit Metaphrastes apud Surium, de Dormitione Deiparae cap. 35, suismet lacrymis a Deipara sacratissimum Filii corpus iam exanime irrigatum, ac lotum fuisse affirmat per haec verba: *Mortuum itaque videns Filium, eo motu animi est usa, ut oportuit. Quin etiam in eo a cruce deponendo maternis manibus inserviit, et clavos qui extrahebantur suo sinu accepit, et membra ipsius amplexata est, partim quidem ulnis stringens, partim autem suis quoque lacrymis plagas emundans. Deinde etiam tota corpori circumfusa: Ecce tibi ab omni saeculo praefinitum mysterium ad finem usque venit, o Domine, placida voce dicit, et Iosepho in manu tradens sindonem: Tibi autem, inquit, deinceps erit curae, ut in hac eum honeste componas, myrrhaque condias, et ei iusta facias.* Eusebius item Caesarius, lib. 5 de praeparatione Evangel., c. 9, tom. 1, refert ex Plutarcho in libro de oraculis deficientibus, magnos ululatus et clamores auditos fuisse a quibusdam navigantibus Romam versus, tempore Tiberii, dicentibus: *Pan Deus magnus mortuus est.* Nec mirum: nam ubi Christus mortuus est, Luciferum debellavit, tartarea regna devicit.

1258. Postremo hic adiicio, sicut dies Veneris sacer est Christo patienti ad crucis suae, ac mortis memoriam recolendam; ita dies Sabbati martyrio B. Virginis dedicatur, ut ingentia in Filii cruce perlata tormenta, ac dolores unaquaque hebdomada a Christi fidelibus recolerentur: sicut quidam stati sunt dies, in quibus martyres pro Christo ad mortem usque decertarunt, adeoque merito quotannis anniversario cultu commemorantur; ita optimo iure ab Ecclesia sancitum fuit, ut Deiparae dolores, qui eam plusquam martyrem effecerunt, diem aliquem sibi vendicarent, in quo eorum memoria a fidelibus recoleretur. De quo agit Salmeron, tom. 10, tractatu 51 in principio; Spinellus in suo throno, cap. 17.

Verum, pace tantorum Doctorum, existimo nusquam quidem universaliter coli dolores, seu martyrium cordis Beatae Virginis, siquidem die Veneris sancto, tum et Sabbato summum silentium est per universam Ecclesiam, nullumque de doloribus B. Virginis officium peragitur. Quocirca optandum maxime ab universali Ecclesia festum Beatae Virginis doloribus institui, a Deoque exposcendum, ut hanc mentem Christi Vicario ingerat, nempe ut ritu publico Virginis

Mariae dolores ac martyrium per universam Ecclesiam peculiari festo venerari faciat; quod dubio procul et Virgini Matri, ac Filio valde acceptum foret, ac universis Christi fidelibus perutile. Siquidem omnes illae rationes, quae conducunt ad institutionem aliorum festorum in B. Virginis honorem, praesenti instituto subserviunt. Et quidem nemo inficias eat, vel sola cogitatione dolorum B. Virginis, quibus tanquam gladiis cor eius terebratum fuit, quemcunque fidelem ad pietatem et commiserationem permoveri, et ad tristia quaeque ac peracerba aequo ac lubenti animo perferenda tanto Matris exemplo instrui, et occulta vi adigi. Quis enim dolor, quis maeror vires suas non frangat, dum animus mentis suae obtutum defigat in dolores ac cruciatus, quibus Virgo innocentissima sub cruce, tanquam crudeli mucrone excruciata fuit? Quid, quod sicut Gnato nihil gratius ac iucundius, quam suorum in cruce dolorum frequens recordatio; ita nihil Matri eius maius ingenerat gaudium, quam repetita suae compassionis ac dolorum memoria? Si ergo Ecclesia aequissimo iure Sanctorum cruciamenta ac martyria quotannis festivo cultu concelebrat, licet aliis pluribus titulis in eorundem Sanctorum honorem aliae festivitates institutae sunt, ut videre est in Apostolis Petro et Paulo, et in utroque Ioanne; profecto aequissimo titulo singulare festum in honorem acerbissimorum dolorum ac martyrii Virginis Beatae institui oporteret.

Et quod caput est, quia Virgo Deipara sub cruce nos doloribus peperit, et totius generis humani Mater effecta est, cuius personam gerebat Ioannes, cui verba intendens Christus ait, Ioan. 19: *Ecce mater tua.* Ne igitur erga tantam Matrem ingrati animi crimen incurramus, peculiare festum indicendum esset, in quo memoria recoleretur tot gemituum, lacrymarum ac dolorum sub cruce perpessorum, quibus omnium mater effecta est, nosque ut filios dolorum Christo peperit, nec enim minoris meriti censenda sunt mysteria dolorum in Maria, quam gaudiorum ac laetitiae mysteria. Nec minus nos promovent et excitant ad cultum B. Virgini deferendum mysteria dolorum ipsius, quam quaevis alia Deiparae festa: imo in martyrio dolorum Mariae plus resplendet oeconomia redemptionis nostrae, cui multum cooperata est Deipara, multumque saluti nostrae incubuit, sub crucis arbore; quia tunc sanguinem, quem Christo in Incarnatione subministravit, in passione per Christum libens Patri pro hominum redemptione litavit et effudit. Quare sicut in martyrio suo plura et longe acerbiora sustinuit, ita pluris eius merita aestimare debemus, multoque strictius nos sibi devinxit; quam in reliquis festivitatibus, sive Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, sive Assumptionis, et aliis.

CERTAMEN VIII.

Marianae commiserationis latitudo commendatur.

1259. Memini, in Palaestra de Gratia Mariana, plures produxisse Patres, qui B. Virginis gratiam, tanquam immensam evehant. Cum ergo gratiam Marianam, infinitam esse denegent fere universi Doctores, tametsi eam cumulatissimam esse fateantur; videndum hic nobis est, quo sensu gratia Virginea immensa depraedicetur a Patribus: immensitatis quippe vox, ubique adesse gratiam Mariae denotat, quod proprium est attributi immensitatis.

Statuo ergo gratiam Beatae Virginis ideo immensam dici, quia munifica eius beneficentia ubique adest, omnibus praesto est in coelo et in terris, bonis inest, ad improbos dilatatur, imo ad infernum usque protenditur, ut alibi monitum est. Adfavet huic cogitatui s. Bernardus, serm. 98 in Cantic.: *Quis misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem queat investigare? Nam longitudo eius usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua misericordia plena sit omnis terra, sic et sublimitas eius civitatis supernae invenit restaurationem, et profundum eius sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem.* Subsidiatur s. Anselmus, in libro orat.: *Per te, o Virgo, elementa renovantur, homines salvantur, et Angeli redintegrantur.* Verum huius commiserationis Marianae eleganter Encomiastes existit Bernardus citatus verbis obviis: *De plenitudine Mariae accipiunt universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam; Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit, qui se abscondat a calore eius.* En tibi Mariana commiseratio, et beneficentia in immensum protensa.

1260. Hanc commiserationem in primis in Filium patientem exercuit, et quidem potissimum; si enim commiseratio eo maior est, quo ex ferventiori amore proficiscitur alterius, cuius miseriam tanquam propriam apprehendimus ac dolemus, qui dolor ac tristitia in voluntate a recta ratione regulatus, virtus est commiserationis, et exstitit in B. Virgine in gradu summo erga patientem Filium, ut superioribus duobus Congressibus late disseruimus: imo Divus Paulus, Hebr. c. 4, eam Christo attribuit, dum ait: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Si autem obiicias, Christum Dominum obiurgasse mulieres plangentes seipsum crucem baiulantem, cum tamen ex pia quadam commiseratione flerent: *Nolite*, inquit, Luc. 23, 28, *flere super me, sed super vos ipsas flete;* ergo haec commiseratio aliena fuit a Beata Virgine, tanquam reprehensione, et non laude digna: verum occurro, mulieres illas ex eo prohibitas fuisse a Christo flere, quia prorsus mysterium Dominicae passionis ignorabant, falso existimantes, eum coacte in crucem ire. Hunc

ergo planctum ex falsa suspicione ortum vetuit Christus Dominus, auctore Divo Leone, serm. 10 de Passione: *Istum planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamentatio victoriam. Lugendum vobis plane est, filiae Hierusalem, non de Salvatore credentium, sed de impietate et temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior, mortem in me, quam sum perempturus, admitto.*

Obstrepit hic nobis nebulo quidam haereticus Bullingerus haec scribens in cap. 19 Ioan.: *Deus bone! quanta nugarum plaustra invexerunt tam spermologi, quam sermologi Papistici, quantas excitarunt de compassione Beatae et intemeratae Mariae Virginis tragoedias. Adeo autem inolevit apud plerosque compassionis illius existimatio, ut historiam passionis non plene videatur exposuisse, tametsi fide optima omnia, quae de Christo nostro scripserunt Evangelistae, enarraverit, quisquis istorum quoque non adiecerit de compassione Virginis figmenta. Quorsum pertinet prodigiosa quaedam de Mariae ploratu, et lamentatione apud plebem depraedicare, et ad commiserationem propensa pectora ad largissimas provocare lacrymas? nam haec quorundam monachorum hac in re unicus finis est.* Haec ille garrulus vecors et amens fatur; has tragicas spargit voces in catholicorum odium et calumniam; et quae sancti Patres ac veteres Doctores docent, scelestus ille meras nugas vocitat. Nonne a natura insitus commiserationis affectus in matribus praecipue erga filios, cruciatus ac tormenta sustinentes, vel quamlibet adversam fortunam? Nonne lacrymatus est Iesus in morte Lazari, ac sororum planctu eum mortuum deplorantium? Dubio procul Bullingerus ferinam, aut belluinam naturam sibi induit, humanam exuit, qui Matri in Filii dilectissimi funere fletus, ac planctus interdixit. Ait enim ille Poeta:

. . . . . Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur;
Cum lacrymas dedit, haec nostri pars intima sensus.

Divus Bernardus serm. 16 super Cantic. ingentem de morte fratris sui Gerardi conceptum dolorem verbis his describit: *Plango postremo, et si non super te, propter te tamen. Hinc prorsus, hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens, non debere sic affici; cum benignus Samuel super reprobo rege, et pius David super parricida filio satisfecerint affectioni, et non ad iniuriam fidei, non in superbi sugillationem iudicis. Absalon fili mi, ait David, fili mi Absalon. Et ecce plusquam Absalon hic, Salvator quoque videns civitatem Hierusalem, et praevidens ruituram, flevit super eam. Et ego propriam, et quae in praesenti est, desolationem non sentiam? plagam meam recentem, et gravem non doleam? ille flevit compatiendo, et ego patiendo non audeam? et certe ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec a fletu prohibuit; insuper et flevit cum flentibus; et lacrymatus est, inquit, Iesus: fuerunt lacrymae illae testes profecto naturae, non indices diffidentiae.* Quae si ad Virginem Deiparam transferre velis, roborant in ipsa dolorum magnitudinem propter Christum in cruce patientem conceptum. Quae Christi cruciamenta multo excellentius commiserata, et fletu et lacrymis contestabatur sublatis omnibus imperfectionibus, ut clamoribus inconditis, vultus laceratione, capillorum avulsione, lamentis et eiulatibus omni rectae rationi dissentaneis; ut mos est mulierculis, quae nimio dolore perculsae eiulatibus auras implent, pugnis pectus tundunt, capillos avellunt, faciem lacerant. Cui commiserationi Marianae adstipulantur Patres. Gregorius Nazianzenus in Tragoedia de Christo patiente haec habet:

Eamus ergo, eamus, hinc absit pavor:
Hic vita nobis esse quae suavis potest?
Quin efferamus hinc pedem, et videamus mei
Tormenta nati, heu! heu mihi miserrimae!
Carae o sodales, cerno nihil Filii hic:
Usque adeo forma rara mutata, et color.
Dilectae, o, inquam, filii ut vultum mei
Squallore vidi plurimo, et sanie obsitum.
Mors sola votum est, vita mors tantum mihi.
Agite iam, agite vos, non fero vitam amplius.

In eandem commiserationem Mariae Virginis conspirant reliqui Patres, quorum aliquos meminimus superioribus Congressibus, ut quoties solemnis Christi in cruce patientis memoria peragitur, in nobis vera etiam compassio excitetur ad poenitentiam, ut Mariae exemplo, tanquam potentissimo calcare adacti ad deploranda Christi tormenta curramus, ferrumque Dominicae passionis nostra adamantina pectora transadigat, et clavi manus, pedesque ipsius terebrantes illecebras nostras configant, cruxque eius nostras concupiscentias suspendat, ut monet Bernardus Feria 4 Hebdomadae poenosae: *Universi Christiani sacra hac septimana, aut pro solito, aut praeter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videantur.*

1261. En igitur tibi Mariana commiseratio in Filium primum exercita, diffunditur etiam in Angelos, vel quia, ut vidimus ex Anselmo, per illam Angeli redintegrantur; et ut volunt aliqui Theologi nobiles, Angeli per Mariam gratiam obtinuerunt et beatitudinem. Dilatatur etiam in terras, quia Maria Deum dedit orbi, ac per ipsam elementa renovantur, ut vidisti ex eodem Anselmo. Hanc Virgineam commiserationem mirabantur Angeli, Cant. cap. 6, dum adstupentes percontantur: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* Cum aurora, luna ac sole componunt, ut erga omnes eius commiserationem commendent. *Luna,* inquit Innocentius Papa serm. 2 de Assumptione, *lucet in nocte; aurora in diluculo; sol in die: nox autem est culpa; diluculum, poenitentia; dies, gratia. Qui ergo iacent in nocte culpae, respiciant lunam, deprecentur Mariam.* Et subiicere nos possumus: qui in die gratiae vitam degit, respiciat solem, deprecetur Mariam. *Omnibus,* ait Bernardus serm. in verba Apoc., *omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omni-*

bus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi, etc. Quid deesse potest, ut tanquam immensa laudibus evehatur benefica commiseratio ac munificentia Mariae, cum ubique sit, et omnibus adsit?

At dicat aliquis: Quidquid immensum est, ita ubique adest, omniaque spatia occupat, ut totum adsit in singulis, et totum in omnibus: Mariana vero miseratio ac beneficentia non sic se habet. Falsum autem esse quod subsumitur, inde facile suaderi potest, quod Maria ita praesto est omnibus, ut gratia eius miseratrix ita singulorum adversae fortunae opitulatur, ac si uni soli subsidio esset: sic enim per virtutis tramitem bonos stimulat, ac si impios omnino oblivisceretur: ita pro his Deum sollicitat, ac si nullo alio munere fungeretur: sic Deum exhilarat, Trinitati gloriam adauget, caelitum choros beat, ac si in nullum aliud opus incumberet: sic denique nobis peregrinantibus auxiliatrix adest, ac si nulli alteri rei operam navaret.

1262. Quod si secundo instes, immensitatis attributum sibi proprie adsciscit non solum per spatia realia diffundi, sed etiam per spatia imaginaria protendi; quidquid reclamet Vasquius: at Mariae benefica commiseratio non ita porrigitur; quid ergo eam tanquam immensam dicemus? Verum admitto liberalem Mariae munificentiam ac beneficam commiserationem non solum per imaginaria spatia dilatari, sed etiam ad superimaginaria protrahi; siquidem non solum miserorum afflictiones sublevat, inopiam relevat, sed etiam extenditur eius favor et auxilium ultra id, ad quod inopum et laborantium imaginatio protrahi potest; nec afflictorum cogitatio quantumvis audax desiderio posset attingere huius Marianae beneficentiae, ac commiserationis praeproperam opitulationem; siquidem praeoccupat subsidium, antequam inopia et afflictio subsistat. Res facto probatur in nuptiis Cana, ubi Maria futuram vini indigentiam antevertens anticipato subsidio Filium rogat, Ioan. 2, 3: *Et dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent, et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Quae verba premens Chrysostomus, hom. 2 in Ioann. haec adiicit: *Neque sciunt, quod deficit vinum; sine eos prius hoc sentire.* Quid in rem nostram aptius fingi, excogitarive potuit? Vides Marianae commiserationis immensitatem, quomodo superimaginariam indigentiam praeveniat, cum antequam Architriclinus vini defectum imaginetur, nedum experiatur, iam commiseratio Mariae subsidium fert futurae necessitati. Pulcre s. Germanus, de Zona Virginis: *Propterea patrocinium tuum maius est, quam intelligentia apprehendi possit.*

Nec opinetur quispiam, Beatam Virginem, modo quia in coelis sublimiori in solio evecta est, ideo nostrarum oblitam aerumnarum. Pulcre Petrus Damianus serm. 1 de nativ. Virginis: *Nunquid quia ita deificata, ideo nostrae humanitatis oblita est? Nequaquam, Domina: scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi iaceant, quantum delinquant servi tui; non enim convenit tantae misericordiae tantam miseriam oblivisci; quia etsi subtrahit gloria, revocat natura: non enim ita es impassibilis, ut sis incompassibilis.* Quid, si audacter dixerimus in partem gloriae B. Virginis venire munificentiam et commiserationem erga miseros mortales? Cui cogitationi valde conducit illud Luc. 10: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* In quibus verbis agi de Mariana gloria, qua donata fuit in eius ad coelum assumptione, constans est Ecclesiae sensus cum D. Augustino de quaest. Evangel. lib. 2, quaest. 2. Sed statim dubium exoritur, si B. Mariae beatitudo superat omnem naturae angelicae et humanae beatitudinem simul coniunctam, cur Pars nuncupatur? Multum enim detrahere videtur partis nomen, ipsius gloriae immensitati. Nonne totus Deus clare visus, et summe dilectus totus? Si partis appellatione donatur gloria Mariana; ergo diminuta est, et amplioris gratiae accretio, novique auctus desiderantur, praecipue cum pars ordinem dicat ad compartem aliam. Quaenam ergo huius optimae partis gloriae Marianae compars, quae totum quoddam gloriae et Beatitudinis adimpleat in Maria? Nonnemo arbitraretur hanc compartem esse, hominibus commisereri, et in eos larga manu liberalique munificentia dona effundere. Quae quidem commiseratio, etsi gloria accidentalis, illam tamen tanquam partem, quae totum constituat et compleat, reputat Maria. In memoriam revoca Abrahami hospitalitatem bene a Chrysologo expensam, serm. 121: *Factum est autem*, ait Lucas c. 16, *ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* Itaque sinu suo complectitur Abraham mendicum Lazarum: superflua omnino videtur haec commiseratio Abrahami in Lazarum, qui iam non mendicus, sed dives, et opulentus factus est. *Sed revera*, occurrit Chrysologus, *parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio.* Optimam partem elegit Maria, quia parum, id est partialiter, se beatam credidit, si in ipsa superna gloria a commiserationis et beneficentiae pio cessaret officio. Itaque tanquam gloriae partem suae aestimat, ac beatitudinis complementum, auxilium nobis exhibere, nostris aerumnis opitulari, ac calamitatibus occurrere. Nemo igitur deinceps ad Mariam confugere detrectet, ut praesto sit, opemque ferat cuicunque adversae fortunae, quia nova sibi gloriae augmenta parat, ac comparat ex ope nobis praestita; auxiliumque nostris aerumnis exhibitum, tanquam compartem, quae totum gloriae Marianae pondus adintegret, aestimat. Hinc ait illa, Prov. 8, 31: *Et deliciae meae esse cum filiis hominum.* Ubi delicias ac bellaria vocat, hominibus adfavere, illisque praesto esse, post tot fercula mensae illius beatae: *Mecum sunt*, ait Maria ibid. *divitiae, et gloriae, opes superbae.* Quasi omnem rerum pretiosissimarum thesaurum et opulentiam in unam Virginem Deus effuderit. Symmachus illud, *mecum sunt*, transfert: *A me sunt divitiae, et gloria*; ac si essent synonyma illud, *mecum sunt divitiae, et gloria*; et: *a me sunt divitiae, et gloria*; idque censeat secum habere, quod in nos munifica liberalitate derivat: idem-

que reputet gratiarum et donorum affluentiam possidere, et nos eadem ab ipsa consequi; sic exambit in nos inopes et egentes gratiae thesauros effundere. Eleganter Eusebius, hom. 4 in Epiph.: *Hoc bonum dando non consumitur, sed dilatatur, et magis dum transfertur, adquiritur; ac miro modo et transmittitur, et retinetur: siquidem salubri, iucundoque commercio, et accipientis lucrum, et tradentis argumentum est.* Ut, si fieri posset, propriae ipsius gloriae discrimine, et dispendio Maria salutis nostrae commodum sollicitare videatur, et gloriae suae thesauros nobiscum partiri exoptet.

CERTAMEN IX.

Virgo Beata, dum apud nos vitam degeret, corporalia misericordiae opera saepius exercuit.

1263. Nonnemo in partem negantem ire posset hac nixus ratione: Non decet Reginam et Imperatricem, misericordiae opera, praecipue ea quae servilia et corporalia sunt, exercere per seipsam immediate; atqui Virgo Deipara est hominum Regina, et Angelorum Imperatrix; ait enim s. Anselmus: *Spiritus sanctus Reginam et Imperatricem coeli ac terrae, et omnium quae in eis sunt, sponsam suam fecit*: qua de re infra fusus erit nobis futurus sermo; ergo opera misericordiae corporalia non exercuit.

Nihilominus partem affirmantem suadent Mariana animi demissio ac pietas; ait enim Hugo Cardinalis super caput 14 Ecclesiastici, in illa verba, *Quasi oliva speciosa in campis: Pietas trahebat eam, quando concepto Salvatore abiit in montana cum festinatione ut serviret Elisabeth in partu eius.* Mos inolevit ad parturientes Sanctorum ossa deferri, ut feliciori eventu proles in lucem edatur: ad eum modum B. Virgo cognatae suae pro feliciori partu omnium pretiosissimas reliquias, Iesu scilicet corpusculum in admirabili ventris sui theca inclusum detulit, cuius praesentia dolor omnis parturientis abigeretur, felicissimusque partus tali Lucina obtingeret.

Et ut singula misericordiae opera corporalia percurram, in primis pascit esurientes, illa enim improbam et malesuadam famem mortalibus saepe adimit. Imo, auctore sancto Gregorio Turonensi, quando Angeli B. Virgini victum e coelo suppeditabant, pauperibus, sibi victum a sacerdotibus exhibitum, erogabat. Dein textura et lanificio et acu pictis manuum suarum quidquid poterat miserorum inopiam sublevabat, quod B. Virgo sanctae Birgittae, lib. 6 Revelationum, cap. 59, dixit: et lib. 3, cap. 8 subdidit, nihil unquam superfluum reservasse, sed omnia protinus in egenos distribuisse: nec mirum, quia futurum erat ut aliquando mater misericordiae decantaretur, atque adeo a prima illa aetate misericordiae operibus vacabat; quando vero alio modo aliorum inopiae subvenire non poterat, precibus et orationibus a Deo opportuna levamina extorquebat, ut patet in nuptiis Cana. Eidem Beatae Virgini gratiorem illam benedictionem debemus, nempe panem illum coelestem, ad quem nos invitat, Proverb. c. 9, v. 5: *Venite et comedite panem meum.* De quo ait Augustinus, serm. 2 de Assumptione: *Lacta, mater, cibum nostrum, lacta panem coelestem, lacta cibum Angelorum.* Quem illa in castis suis visceribus decoxit, igne Spiritus sancti superveniente.

1264. Salutari etiam potu sitientes recreat, in cuius typum Rebecca Eliezerum Abrahae famulum valde sitientem, exhibito liberaliter potu, exhilaravit illis verbis: *Bibe, domine mi*, Genes. c. 24. Eia igitur, mortales, ab hoc fonte ac puteo aquarum viventium uberes ac limpidissimos latices haurite; quibus, mihi credite, omnem arescentem sitim restinguetis, ac vitam prorogabitis: ait enim illa Proverbiorum c. 8: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Quae verba sic commentatur Damascenus: *In universum quicunque bonum aliquod sitit cum fide, ad me veniat, ut ex ea gratia, qua plena sum, hauriat.* Itaque B. Virgo non modo vitam ac salutem nobis proponit edendam, sed etiam bibendam propinat. Et ut dixi superiori Congressu, praevenit nostram sitim, ut bene ostendit Divus Bonaventura in Spec. ex facto nuptiarum Cana: *Antequam fuisset invocata, compassa est verecundiae illorum.* Antequam sitis adesset, preces et rogatus antevertit, et munificentia anteivit vini defectum. Nec solum Maria vini penuriam sublevat, sed etiam aquarum fluenta suppeditat, ut afflicti populi per solitudinem sitientis sitim restinguat: apte dicitur Maria puteus aquarum viventium, quae fluunt cum impetu de Libano; profecto mirabiliores ac salubriores undis illis, quibus potata quondam fuit hebraea gens stupendo prodigio. Apud Hebraeos enim fama percrebuit, aquam illam e saxo prosilientem divina vi simul cum Hebraeis iter egisse per invia illa ac deserta loca, sive, ut volunt aliqui, saxum cum illis pariter incederet; sive ut malunt alii, sola unda nunc per avia et inaccessa montium contra innatam indolem efferretur, nunc per vallium declivia placida diffluerit, nunc per aequatam camporum planitiem mollius, nec nimium diffusa, sed quasi limitibus coercita decurreret: licet primis plus adfaveat Paulus I Corinth. 10, 4, per illa verba: *Consequente eos petra.* Si vero quis curiosius scrutetur, quibus meritis permotus Deus tantum miraculum patraverit; adest Rabbi Salomon apud Nicolaum de Lyra ad eum locum Numer. cap. 22, cui subscribit Rabbi Isaac, quem refert Genebrardus in Ps. 77. Aiunt ergo id effectum precibus Mariae sororis Aaron: quod inde colligunt, quia expleto anno quadragesimo ab egressu ex Aegyptiorum dira servitute, simul atque Mariae occubitus ab Scriptura profertur, illico subiicitur aquae defectus; ait enim Textus: *Mortuaque est ibi Maria, et sepulta est in eodem loco*; et protinus subditur: *Cumque indigeret aqua populus*, Numeror. 20; ex quibus verbis Hebraei inferunt, ibi iam non obscure subindicari, aquam illam miraculosam, toto illo tempore, Mariae sororis Moysis effluxisse meritis: siquidem ex defectu Mariae, aquae defectum et inopiam

experti fuerint Israelitae. Sed haec illis in figura contingebant. Adest nunc figurata Maria, non Aaronis soror, Verbi Divini Genitrix perennantia aquarum fluenta diffundens, gratiarum rivos pleno alveo mortalium arentia corda exundans et inundans, salubrioribus undis humanam sitim restinguens, in vitam aeternam prosilientibus. Hos aquarum rivos vehementer sitiebat David, dum exclamans ait: *O! si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem*, II Regum 23; quam tamen allatam cum militum discrimine, eique oblatam respuit, eamque Domino consecravit. Cur ita? Ut innueret, non tam aquam illam Bethlehemiticam, quam undarum perennantium fontem, nempe Beatam Virginem Mariam, eiusque Filium, aquam vivam salientem in vitam aeternam poposcisse. Quod pie meditatus est Ambrosius, Apologia 1 de Davide, cap. 7: *Quod si altius*, ipse inquit, *velis spectare, et introspicere mysterium, sitiebat David non aquam de lacu, qui est in Bethlehem, sed oriundum ex Virgine Christum praevidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiae spiritualis, hoc est non aquarum sitiebat alimentum, sed sanguinem Christi.* Quod si sanguinem Christi sitiebat, utique ex Virgine Maria ortum. Egregie concinit Ambrosio Sophronius Archiepiscopus Constantinopolitanus, orat. 1 in Christi Domini natali: *David*, ait, *cum aliquando coerceretur spirituali siti arens, ardensque salutarem aquam, ex cisterna, quae erat in Bethlehem, bibere desiderabat: aqua autem, quam mystice ille expetebat, et viva erat, et omnes, qui ex ea bibebant, divina virtute vivos efficiebat*, etc. *Cisterna sanctissimam Virginem designabat, quae et uterum gestura, et Deum paritura erat.* Nullus sitit, ubi Mariae fons perennis emanat, exundant meri latices, quia Marianae misericordiae fontes continenter fluunt.

1265. Neque ullus Beatae Virginis obsequio addictus nuditatem diu passus est: *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Unde neque timendum est domui suae a frigoribus nivis. Itaque duplici vestitu, nempe ex lino et lana alumnos suos adversus temporum iniurias communit. Imo auctore Hugone: *Vestis suis est Maria.* Accipe etiam purpuram ex Damasceno, orat. 2 de nativ. Virginis, Verbo Divino contextam a Maria. *Vestem*, ait, *vere divinitus contextam, hoc est carnem nostram induit, nempe Verbum Divinum, quam ex immaculatis ac Virgineis sanguinibus tinctam in spiritu regio, non tanquam conchylium efformavit, ac velut regiam purpuram exhibens, massam nostram induit.* Et Alcuinus, lib. de Trinit. cap. 14, vocat Mariam lanam mundissimam: *Eratque talis ac tanta, ut sola digna fuisset, qua nullus alius indueretur, nisi augusta praeditus dignitate: ita Spiritus sanctus superveniens in Beatam Virginem, et virtus Altissimi obumbravit eam, ut lana foret divinitate purpurata, solummodo aeterno Imperatore dignissima.*

Praeterea Templum incolens in tot virginum coetu, lata misericordiae et humanitatis exercendae seges se offerebat: modo solabatur tristes, invisebat aegrotantes, ipsisque assistens inserviebat, morbos levabat, illarumque labori ferebat opem: inter ira percitas pacem inferebat, commotas affectione aliqua sedabat. Quamvis enim sine interceptione ulla contemplationi insisteret, et multo tempore secessui secretiori vacaret; non ideo tamen misericordiae operibus se denegat. Quae ita Deum in homine intendebat, ut cum eis levamen afferret et inserviret, contemplationis actum non intermittebat; quia in homine Dei imaginem suspiciebat. Quemadmodum ergo Dei imago ad vivum expressa, quam religioso cultu veneramur, minime a Deo nos avocat, imo Deo nos magis coniungit; ita etiam Beatae Virginis in socias virgines obsequia exhibita nequaquam illam a Deo sequestrabant, quia illas tanquam Dei imagines suspiciebat; quo quidem miseriarum levamine, et obsequiis aegrotantibus exhibitis, tum de novo advenientibus tanquam peregrinis, et hospitibus virginibus, Beata Virgo Verbi divini Incarnationem in suis visceribus multum extorsit. Pluribus retro saeculis Abrahamum ac Rebeccam inopum, ac peregrinorum fautores, ac receptores in sui progenitores adscivit Deus. Rebecca item quatuordecim annis nata, Principis filia, sed tanta animi submissione praedita, ut aquae hydriam capiti impositam gestare non verecundaretur, quae adeo fuit obsequiis et officiis dedita, ut Eliezer, eiusque camelis aquae potum manibus suis ministraret, quibus obsequiis Deum ita subornavit, ut ipsius Progenitrix esse promerita fuerit. Talis fuit Rebecca, quae umbram solum Beatae Virginis praesetulit. Deus bone! quot peregrini misere perirent per avia et inaccessa loca, nocte intempesta iter agentes, nisi Beata Virgo ipsis ferret opem? Quot homines aegritudinibus addicti fato concederent? Quot civitates pestilentia conficerentur, nisi Virgo Deipara grassantem luem arceret et extingueret, ac tabificos morbos dispelleret? Quot etiam hominum cadavera insepulta iacuissent feris et alitibus exposita, nisi melior haec Respha, ac pientissima sua sollicitudine curaret, ut sacris inveherentur sepulcris.

1266. Demum captivos redimit, quippe infinita pene hominum multitudo adhuc Maurorum, ac Turcarum catenis dira in servitute tenerentur, nisi a Beata Virgine in libertatem fuissent serti: cuius rei tot advoco testes, quot sunt donaria libertatis trophaea in sacrarum aedium sacellis appensa, quae Beatae Virginis opem, et auxilium exhibitum testantur, evulgant ac praedicant. Verum his silentio praetermissis, faciunt in hanc rem omnino pulcra ac venusta s. Thomae Archiepiscopi Valentini verba, conc. 1 de Assumptione Virginis: *Accepit igitur*, inquit, *peregrinum, induit Chananaeum, pavit quoque famelicum abundanti pectoris sui lacte, panem de coelo ipsa pavit, Angelorum panem ipsa satiavit ubere de coelo pleno. Neque solum hoc, sed etiam captivum redemit.* Sed enim humanum genus erat maximo obaeratum aere alieno, cumque solvendo non esset, captivitatem contraxit sub praedura cacodaemonis servitute: at

Verbum divinum nimio in hominem amore perculsum, Patri aeterno pro homine fideiussor spopondit: in natura tamen Divina nihil erat, unde posset solvere, quo captivitatem redimeret. Instat autem Pater aeternus: *Fili, si spopondisti pro amico tuo, defixisti manum tuam apud extraneum, illaqueatus es verbis tuis, et captus sermonibus propriis: redde debitum, sta sponsioni*, Prov. cap. 6. Quid consilii iniret fideiussor, qui unde solveret pro humani generis servitute non habebat: nulla enim alia solutione redimi poterat peccati dira servitus, nisi solum morte, vel alia aequivalenti poena: quam vero poenam sustineret Verbum impassibile? Quae mors, aut strages invaderet Immortalem? A Maria igitur redemptionis totius instrumentum accepit, quo arctissima vadimonii vincula disrumperet, et debitum solveret, Chirographum obliteraret, contractum rescinderet, fideiussionis obligationem penitus aboleret. Concludat ergo s. Doctor: *Venit*, ait, *ad Virginis mensam, et inde numeratam pecuniam accepit, quam redderet creditori: accepit namque carnem, unde Patri redderet, (pro amico, quem sibi fecerat ex servo,) tot pretia peccatorum. O quam plene solutum est ab eo peccati debitum! O quam bene numeratam pecuniam creditori dedit super crucis mensam! quot flagella, quot alapas, quot punctiones, quot vulnera, quot iniurias, quot lacrymas, quot tormenta, denique atrocissimam mortem! Ecce captivi pretium, quo solutus est ab ergastulo. Pretium erga redemptionis Christus persolvit; sed haec mulier illi dedit, unde solveret. O quantum tibi tenemur, Virgo Beata! Quid tibi pro tanto beneficio retribuemus?* Beatissima ergo Virgo Maria argenti, aurique pondus dedit, scilicet humanitatem, qua Verbum Divinum fideiussor a tanto aere alieno liberaretur, et quasi captivum, sponsionisque vinculis detentum redemit.

1267. Postremo si inter se componantur quae Deus contulit beneficia Adamo cum operibus pietatis a Maria Filio suo praestitis, longe Mariana obsequia superabunt. Et quidem stat pro Deipara s. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, c. 11, ubi fuso calamo litem pro B. Virgine decidit: cuius verba libet transcribere, quia quaestionem late roborant ac dirimunt. *Sola*, inquit, *benedicta Virgo plus fecit Deo, vel tantum, ut sic dicam, quantum fecit Deus toti generi humano. Credo enim certo, quod mihi indulgebit Deus, si nunc pro Virgine loquar. Congregemus in unum quae Deus homini fecit, et consideramus quae Maria Virgo Domino satisfecit. Primo, namque Deus formavit hominem de limo terrae; sed Maria formavit eum de purissimis sanguinibus suis, et purissima carne sua, quae praevalet rebus omnibus mundi. Secundo, Deus impressit in hominem decorem imaginis suae; sed gloriosa Maria impressit in eum imaginem suam: nam sicut ipsa erat pulcherrima omnium foeminarum, sic Iesus est pulcrior et speciosior forma prae filiis hominum. Tertio, Deus fecit hominem sine passionibus famis, sitis, caumatis, frigoris et similium; sed sedula Mater Iesu, et prae cunctis hominibus pia, omnibus passionibus eius occurrebat, scilicet fami, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperrimus exigebat, et hoc cum maxima patientia sua. Quarto, vestivit Deus hominem pellicea veste; sed Virgo Benedicta vestivit eum in praesepio suis pauperculis pannis, et processu temporis tunicam inconsutilem ei fecit, quae praevaluit omnibus vestibus mundi. Quinto, nutrivit Deus hominem de fructibus paradisi; sed Beatissima Virgo nutrivit Christum de suo sacratissimo lacte, ubere de coelo pleno, cuius minima stilla praevalet omnibus fructibus paradisi terrestris, ac totius mundi. Reddendo ergo singula singulis, quae fecit Deus homini, et quae fecit Deo B. Virgo; videbis quod plus fecit B. Virgo Deo, quam homini Deus: ut sic pro solatio dicere liceat, quod propter B. Virginem, quam tamen fecit Deus, quodammodo plus obligetur nobis, quam nos sibi.* Ex quo discursu elicies unam B. Virginem ad aequalitatem, et ultra pro beneficiis a Deo in homines collatis grates rependisse, ac cumulate satisfecisse. Nequibat ergo humana natura summis beneficiis a Deo cohonestata ipsi gratias persolvere, quantumvis id exoptaret, nec par pari referre; adest tamen Maria, quae pro toto humano genere satisfecit Deo pro cunctis beneficiis a Deo in ipsum humanum genus praestitis, et par pari recompensavit; imo audet asserere s. Bernardinus Beatam Virginem suis in Deum obsequiis longe superavisse omnia beneficia in primum parentem, adeoque in omnes posteros a Deo dilargita.

1268. Quamobrem merito sponsus, Cantic. 4, sponsam dilaudat ab odore unguentorum super omnia aromata a Deo condita: *Et odor*, inquit, *unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sed quisnam iste suffitus Marianus Hyblaeis floribus, Sabaeisque aromatibus iucundior ac gratior? Videlicet pietatis opera in ipsum Deum Incarnatum praestita, ut auctor est Rupertus in cit. locum: *Quae ergo sunt unguenta tua, soror mea sponsa? eleemosynae tuae quas expendisti in me?* Et post pauca: *Haec enim sunt aromata vera, unguenta pietosa, esurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, sitienti potum praebere, hospitem, sive peregrinantem colligere, nudum vestire*, etc. *Super omnia aromata est odor unguentorum tuorum, id est suavitas eleemosynarum tuarum, quia non ut caeteri in membris meis, sed in memetipsum tu mihi munificentissima exstitisti.* Profecto Deus plurima beneficia in primum hominem effudit, illum inopem ac nudum vestibus pelliceis cooperuit, hospitem ac peregrinum in Paradiso excepit, illum in rerum omnium scientia instruxit, opipare fructibus paradisi pavit, aliisque quamplurimis beneficiis cumulavit: nihilominus Maria profusiores eleemosynas, munificentiora opera pietatis in Deum hominem exercuit; sin minus ad examen vocemus utraque, ut Dei scilicet in primum hominem, et Mariae in Deum opera pietatis cum Cardinali Cusano, stabit lis pro Maria. Ait ergo Nicolaus de Cusa, lib. 4 exercitationum, in illa verba: *Maria optimam partem elegit: Cum gradus habeant illa opera ex maiori charitate, vel quia magis indigenti, vel magis digno indigenti, vel*

ex maiori effectu impenso, vel ex magis necessario, et minus superfluo: haec omnia in summo in Maria Virgine concurrebant; quia in ipsa maxima charitas, et omnium creaturarum maxima indigentia tribuit, quia nemo inter viatores pauperior Iesu, dignissimo pauperi tribuit, quia nemo dignior mendicus, Iesu; maximum effectum misericordiae impendit, quia loco bonorum miseris captivis dedit Deum in pretium, famelicis in viaticum, infirmis in medicamentum, et cum ipso dedit regna coelorum. Non fecit opera misericordiae ex superfluo, sed de necessario Filio suo pauperrimo, et peregrino, de propriis sanguinibus tunicam polymitam fecit: in gremio uteri sui, hospitio suscepit, de proprio corpore cibavit et lactavit. Ubi ex circumstantiis optime expendit meritorum pondus in operibus pietatis Beatae Mariae, imo adeo in eiusmodi pietatis officia propendebat Maria ex propriae naturae indole, ut Deum ipsum infinite pium, ac misericordem ad impendenda pietatis officia compulerit, ut patet, cum deficiente vino dicit Mater Iesu ad eum: *Vinum non habent*, Ioannis c. 2; ubi Severus in Catena graecorum Patrum ait: *Volens itaque Christum ad miserendum inflectere dixit: Vinum non habent.*

His pietatis officiis Beatae Virginis finem imponant verba s. Anselmi, homil. de Assumptione: *Alii*, inquit, *hospitem quendam in domo sua suscipiunt: Virgo non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habet ubi caput suum reclinet; non in domo, sed in utero suscipit. Alii nudum quemlibet veste mutabili, atque corruptibili, undelibet composita operiunt: illa Verbum Dei in eadem Virginea carne in unitate personae assumpsit, quae sine fine incommutabilis, atque incorruptibilis permanet. Alii quemlibet esurientem, et sitientem cibo vel potu exteriori reficiunt: illa Deum, et hominem humanitatis indigentem non solum exterioribus cibis, vel potibus pavit; verum etiam interiori suo lacte aluit. Et ut breviter alia misericordiae opera excurramus, quae cum uni ex minimis suis fiunt, Deus sibi facta confitetur: illa non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam, et iacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit. Comprehenso, et crucifixo, quasi in carcere posito affuit: stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius.*

CERTAMEN X.

De iugi Mariana contemplatione, deque eiusdem Beatae Virginis revelationibus.

1269. Divinarum rerum contemplatio, mentisque secessus cognitione perfectissima de Deo innititur. At a primo conceptionis exordio Deipara cognitionem, quae dependentiam habet a sensibus, hausit a Deo perfectiorem, quam Adamus in prima sui conditione, et quam Salomon, cui a Deo ipso scientia instillata fuit. Cognitionem vero, quae a sensibus non dependet, quali donantur animae a corpore seiunctae, et Angeli in via, nacta fuit etiam B. Virgo in eodem instanti. Itaque perfectiorem fidem de Deo ac de rebus supernaturalibus, quam quilibet Angelus, sortita est. Si ergo ingentem huius cognitionis Virgineae sapientiam inspiciamus, altissimam etiam de Deo contemplationem sine intermissione texuisse fatendum est; cui et iugis amor in intensione aequalis respondebat. Huc refero sapientiae splendores, illustres rerum supernaturalium visiones, prophetias, incendia amorem divinum evomentia, gaudium de Deo eructantia, affectus accensos sine fine Deo placendi, ipsique obsequia multiplicia praestandi, intimam et inexplicabilem purissimi sui animi adhaesionem cum ipso Deo. Cherubini alis arcam testamenti contegebant, expressam huius B. Virginis imaginem: sicut Seraphim Deum suis etiam alis obvelabant, ut plus in Maria religioso silentio adorandum ac suspiciendum esse intelligeremus, quam subtili nostra indagine vestigandum, et in vulgus edendum.

Nullus labor in Maria, nulla externarum rerum distentio a iugi ac rerum divinarum meditatione animum avocabat. At quis vel intellectu concipere audebit, nedum verbis exprimere alterius aevi voces ac mirabiles visiones, quas etiam externis sensibus hausit, imaginarias praecipue ac intentionales, quas mente ebibebat? Omnes Prophetarum visiones, Patriarcharum oracula, Moysis et Eliae apparitiones, ipsorumque cum Deo familiaria colloquia, Apostolorum illustrationes, Magdalenae raptus, Antonii ecstases, Anachoretarum caelestes revelationes; haec omnia, quasi parva stilla fuerunt, si conferantur cum Oceano; vel arenula cum totius mundi mole composita, si cum Mariae caelestibus collocutionibus, illustrationibus ac visionibus conferantur. Omnis tamen sensuum abalienatio, quae in raptibus contingere solet, a tenuitate et exilitate virium in reliquis iustis, quorum angusta capacitas tot tantaque Dei beneficia non capit, procul a Beata Virgine removenda est. Solus ergo Christus Dominus et Virgo Deipara eiusmodi a sensibus abalienationes passi non sunt propter animi magnitudinem, ingentium rerum, etiam divinarum, capacissimam. Sic in Beatis post anastasim Deus dilatabit corda, animorumque magnitudinem protendet, quo caelestium arcanorum Sacramenta pleno ore ebibant sine ullo sensuum stupore, et absque ulla facultatum etiam inferiorum abalienatione.

1270. Nunc quaerimus primo, utrum B. Virgo acceperit visibiles aliquas missiones Spiritus sancti. Hic autem sermo non est de missione visibili Spiritus sancti die Pentecostes facta, hoc enim privilegium commune fuit omnibus Apostolis. Sed dubium est inter Doctores, utrum B. Virgo alias visibiles missiones Spiritus sancti sibi solum peculiares acceperit. Negat enim s. Thomas, in 1, dist. 16, quaest. 1, art. 2; quia Deipara non fuit a Deo electa ad stabiliendam, ac plantandam Ecclesiam mediis concionibus, aut Sacramentorum administratione. Ait enim

Apostolus, I Timoth. cap. 2: *Docere mulieri non permitto.* Et 1 Corinth. cap. 14: *Mulieres in Ecclesia taceant.* Longe vero probabilior est opposita sententia, nempe Virginem Deiparam alias sibi speciales missiones Spiritus sancti accepisse; quibus ipsius Deiparae auctoritas ac sanctitas magis patesceret, quo melius Apostolos ac reliquos Domini discipulos informare posset; tametsi publice non doceret, aut conciones ad populum haberet. Communi enim omnium consensu superexcellens fidei Magistra post Christum Dominum nuncupatur. Hanc sententiam tuentur Dionysius Carthus. in 1 sent., distin. 16, quaest. 2; Aureolus ibidem, art. 4; Marsilius, quaest. 19, art. 4, dub. 4: quos sequitur Didacus Ruiz de Trinitate, disput. 109, sect. 13, n. 4 et 5.

Certum deinde est, percepisse B. Virginem viatricem varias ac multiplices revelationes; hoc enim privilegium divini amoris prodromum, ac index familiaritatis cum Deo, fere omnibus hominibus, qui singulari sanctitatis dono floruerunt, collatum fuit; praesertim viris ac foeminis virginitatem ac mentis secessum profitentibus, ut passim videre est tam in veterum, quam recentium Scriptorum annalibus: multo ergo potiori iure hoc privilegio donanda erat Virgo Deipara. Deinde dum in Templo moraretur, ante Filii Incarnationem frequentibus gavisam fuisse divinis illustrationibus, et Angelorum conspectibus, docent Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nicomediensis apud Suarium, tom. 2 in 3 part., disputat. 7 et 9, sect. 3; subdit Anselmus, lib. de excellentia Virginis, c. 7: *Accepisse Virginem ea hora, qua Filium concepit, suae praedestinationis, et super omnes choros Angelorum exaltationis, certam ac indubitatam revelationem.* Et adstipulatur Damascenus, orat. 1 de Dormit. Deiparae. Inter has divinas revelationes adnumeranda illa, qua Christus Dominus ei post resurrectionem apparuit ante caeteros. Quae sententia adeo est perspicua, ut sine controversia omnium fidelium animis insederit, quam docent omnes Doctores catholici, quotquot hanc quaestionem attigerunt; adeoque is fuit perpetuus Ecclesiae sensus. Docuit expresse hanc sententiam Sedulius, lib. 5 Paschal. carm., ubi ait de B. Virgine:

> . . . . . Huius se visibus adstans
> Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater
> Grandia divulgans miracula, quae fuit olim
> Advenientis iter; haec sit redeuntis et index.

1271. Si autem roges, cur Evangelistae huius apparitionis non meminerint; occurrit Anselmus, de excellentia Virginis cap. 6, quia hoc videri poterat superfluum; deinde ne viderentur Reginam Coeli ac terrae caeteris, quibus Christus apparuit, coaequare. Verum libet nunc Ruperti subiicere verba, quibus docet antiquam esse hanc traditionem; ait ergo, lib. 7 de Divinis officiis, cap. 25: *Gestit enim christiana devotio perpendere, quantus torrens gaudii repente inundans animam eius ferro doloris confossam inebriarit, cum redivivus Filius illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciavit.* Et infra: *Verissime igitur Matri Filius resurgens apparuit: sed illa ut ab initio caeperat, ita et nunc conservabat omnia verba conferens haec in corde suo. Quod si idcirco verum non videtur, quia nullus Evangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quod nunquam post resurrectionem suam visus sit Matri; quia quando, vel ubi apparuerit illi, nullus eorum dixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem et matrem honorare praecepit: absit, inquam, ut Matrem propter se doloris gladio transverberatam, tam dura negligentia talis Filius inhonoravit. Non sic Apostolicae sanctae Romanae Ecclesiae sensit veritas, quae hanc beatam Hierusalem in principio laetitiae suae posuit.* In quibus verbis habes omnes congruentias et rationes, quibus veritas haec constabiliri possit. Quare existimo temerarium omnino esse et errori proximum, nunc velle hanc veritatem inficiari. Apparuit autem Beatae Virgini resurgens in propria figura; Magdalenae tanquam hortulanus; Discipulis euntibus in Emaus tanquam peregrinus. De quo videndus Petrus de la Vega Hieronymianus in vita Beatae Virginis, cap. 24, § 8.

Huc etiam spectat quod post triumphantem Christi Domini in coelos ascensum, frequentius Beatam Virginem a Filio invisam fuisse creditur; ut docet idem Rupertus lib. 3 in Cantic., et Laurentius Iustinianus serm. de Assumptione, cuius haec sunt verba: *Neque Angelica tantum, verum etiam Filii iugiter visione ac colloquio exultavit; illi enim coelestis visio debebatur, cui incomparabilis gratiae inerat plenitudo.* Ideo Andreas Cretensis, serm. de Assumptione, vocat Mariam Fontem, qui non possit exhauriri, divinarum revelationum. Bene Rupertus, lib. 5 in Cant., in illa verba, *Ego dormio, et cor meum vigilat*, id est, inquit: *Optimam partem elegi, relictis cunctis sollicitudinibus, vel saeculi curis. Et quidem multae filiae, sive multae animae taliter dormierunt, vel dormire cupierunt; sed tu dormitionis huius totum obtines magisterium ac principatum; cum a primo sui conceptus momento vitam ecstaticam egerit, cum in ipso Divinitatis sinu, hoc contemplationis sopore acta conquieverit. De hac ipsa in Deum iugi contemplatione aiebat Beata Virgo: Magnificat anima mea Dominum.* Ubi adverte non dixisse: *Magnifica, anima mea, Dominum*, quasi mentem, animumque ad contemplandum et praedicandum excitaret; sed dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, quia supervacaneum omnino fuit illius mentem excitare, quae iugi contemplatione in Deum ferebatur. Reliquorum sanctorum mentes, veluti citharae, Dei gloriam praecinebant; at interdum vel per lassitudinem, vel per virium imbecillitatem concentum interrumpebant, adeoque necessum erat, ut iterum citharas temperarent, et ad harmonicum concentum divinarum laudum excitarentur. Quo respexit David citharaedus, cum cecinit, Psal. 102: *Benedic, anima mea, Dominum;* quasi concentum interruptum iterum ad Deum benedicendum excitaret, ac quodammodo citharam dissonantem, vel

virium defectu, vel externarum occupationum fastidio et distentione iterum attemperaret ad Dei laudes decantandas. At Virgo Deipara cum iugi cogitatione et amore in Deum ferretur, nulla unquam intermissione intercepto, non indiguit excitatione aliqua: dicat ergo de praesenti: *Magnificat anima mea Dominum*; quia in ea infuit continua et indeficiens contemplatio, ac fervor charitatis in Deum. Quod quidem ita fuisse non improbanda ratione credi potest, nempe quia ad dignitatem Virginis B. pertinet, neque principiis nostrae fidei adversatur, ut ait Vasquius t. 2 in 3 partem, disp. 118, cap. ult., num. 49.

1272. Rogabis iterum, an Christus Dominus vere descenderit ad Beatam Virginem in hora Assumptionis eiusdem ad coelos. Affirmo cum communi sententia apud Suarium, tom. 2 in 3 partem, disputat. 51, sect. 4, et apud Christophorum de Castro in vita Deiparae, c. 20, n. 13, ubi plures producit Patres pro hac sententia, Sophronium, Gregorium Turonensem, Ildephonsum, Damascenum, Metaphrastem et Nicephorum. Sanctus Meliton, Episcopus Sardic. c. 7, tom. 2 Bibliotecae, haec habet: *Et ecce subito advenit Dominus Iesus cum magna multitudine Angelorum, et splendor magnus in locum illum descendit.* Et Petrus Damianus, serm. 40 de Assumptione Virginis: *Attolle*, inquit, *iam oculos ad Assumptionem Virginis, et salva filii maiestate, invenies occursum huius pompae non mediocriter digniorem: soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri vero coelorum palatia penetranti Filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quam Iustorum solemniter occurrens evexit ad beatae consistorium sessionis.* Confirmari potest assertum ex his, quae docet s. Thomas in 3 part., quaest. 57, art. 6, ubi probat Christum aliquando vere in persona, et maiestate proprie apparuisse, nempe Divo Paulo Damascum petenti, Act. cap. 7 et 22, et I Cor. c. 9; de quo videndus Lorinus in cap. 9 et 22 Actuum. Thyrraeus lib. de appar. Christi, cap. 8, probat item ex apparitione Christi D. Petro fugam Roma meditanti, in qua Christum in propria persona apparuisse asserunt D. Ambrosius epist. 32, Athanasius de fuga sua, Origenes tract. 21 in Ioannem, Egesippus de excidio Hierosolym., Innocentius cap. *Per venerabilem, Qui filii sint legitimi.* Et nostro Parenti s. Ignatio Christum Dominum per se, et non per Angelum apparuisse docet magister Fr. Leander de Granada Benedictinus, discur. 2, § 3, n. 3. Si ergo aliquae Christi apparitiones factae fuerunt per se, et non per Angelos; ergo multo congruentius fuit B. Virgini ad coelos ascensurae, Christum Dominum vere in propria persona apparuisse, ut illam in coelos euntem comitaretur; nec ideo necessario Christus coelum empyreum relinqueret, cum posset esse in duobus locis, quod saltem in apparitionibus Christi aliis per seipsum factis certum reor. At in apparitione facta B. Virgini e vivis discedenti, nihil incommodi in eo reperitur, quod coelum reliquerit empyreum: sicut in simili notat Divus Chrysostomus, hom. 80 in die iudicii evacuandos coelos, nam omnes Angeli cum Christo descendent in vallem Iosaphat. Imo addit Suarius, de Angelis lib. 6, cap. 10 in fine, in die Assumptionis Beatae Mariae nullum fuisse Angelum, qui cum Christo non descenderit in honorem, et recognitionem tantae Matris ipsorum Angelorum Imperatricis, atque adeo tunc coelum empyreum fuisse evacuatum Christi, omniumque Angelorum ac Beatorum praesentia.

1273. Demum scire aves, utrum Virgo Beata omnium prima apparitione Dei per seipsam potita fuerit? In qua re duplex est opinandi modus. Primus est, apparitiones divinas in veteri Testamento factas fuisse a solo Deo sine Angelorum interventu; ad hanc sententiam contendunt illius asseclae adducere plures ex priscis Patribus, Dionysium Areop., cap. 4 de caelesti Hierarch., Eusebium lib 1 de demonst. cap. 5, et lib. 5, cap. 10, et lib. 1 hist., cap. 2, Nicephorum lib. 1 Hist, cap. 2, Chrysostomum hom. 16 in Acta, Theophylactum in cap. 7 Act., Theodoretum, quaestione 1 in Exod., Cyprianum lib. 2 Testimoniorum contra Iudaeos, cap 5, Bedam in lib. var. quaestion. quaest. 9; Origenem, hom. 1 in cap. 6 Isai. et alios, quos refert Pererius in cap. 3 Daniel., et Thyrraeus lib. 1 de apparitione visibili Dei, cap. 23. Cuius sententiae ea potest esse ratio, quia verba Scripturae quantum commode potest, proprie sunt accipienda; sed ait sacer Textus, Gen. 31, et Exod. c. 3, Deum Iacobo ac Moysi apparuisse; ergo de Deo per se ipsum sunt intelligenda. Saepe enim cum eiusmodi Dei apparitiones referuntur, nulla fit Angeli mentio, cur ergo Angelo attribuendae? Insuper cum in aliis apparitionibus nomen Angeli exprimitur, idem vocatur Dominus, vel Deus, vel loquitur tanquam Deus; signum ergo est, non esse sermonem proprium de vero Angelo, sed altiori significatione Angeli nomen assumi. Roborarique potest haec coniectura: si enim per se Deus non apparuit, sed per Angelum, utique non Deus apparuit, sed Angelus, quod pugnat cum Scripturae verbis. Assumptum probatur: quia si per Angelum fit apparitio visibilis, ipse Angelus, et non Deus aut Verbum assumit corpus illud quod sensui obiicitur; ergo non Deus, sed Angelus apparet: ille enim solus apparere dicitur in assumpto corpore, qui tale corpus assumit; sic enim quia Verbum Divinum solum humanitatem assumit, illud solum in ea humanitate nobis apparuit.

Haec tamen non multum facessunt negotii: cum enim Deus apparere dicitur, cum superior Dominus sit, non opus est, ut excludat ministrum; imo tacite illum semper includit, ut infra monemus: si autem aliquando nomen Angeli Verbo Divino tribuitur, hoc est ratione Incarnationis, quia nomen nuntii non ut Deo, sed tantum ut homini illi competit; unde nunquam proprie vocatur Angelus nisi in ordine ad illam: hinc fit nomen Angeli nunquam attribui Patri, aut toti Trinitati, et tamen Deus, qui appareret, saepe erat Pater, vel tota Trinitas: ut Gen. 8, Exod. 3, et tamen ille, qui loquitur, Angelus appellatur. Angelus ergo in-

terdum loquitur in propria persona, interdum ut gerit Dei vices. Quod etiam videmus in Dei ministris, dum Missae sacrificium peragunt; loquuntur enim in propria persona, dum aiunt: *Qui pridie quam pateretur accepit panem*, etc., cum autem Consecrationis verba proferunt, Christi personam, omnipotentiam et maiestatem induunt, et aiunt: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Idemque videre est in sacramentali confessione; prius enim in propria persona loquuntur, dum illa verba praemittunt: *Dominus Iesus Christus te absolvat*; quando vero absolutionis formam pronuntiant, Christi personam et potestatem subeunt: *Ego te absolvo*, etc.

Postulabis quod sit ministerium, quod Angelus in eiusmodi Dei apparitionibus exhibet? Respondeo in his apparitionibus Dei, quae fiunt Angelorum ministerio, duplicem reperiri efficientiam: et in corpore formando, sub quo Spiritus sensibus obiici possit; et in operationibus, quae per tale corpus fiunt, ut sunt loqui, ambulare et alia. Quando ergo Deus apparet in corpore visibili, utraque efficientia fit ab Angelo, Deo solum tanquam causa generali concurrente; id enim totum fieri potest ab Angelo: ad convenientem autem ordinem Divinae providentiae pertinet, ut Deus per causas secundas et ministros suos operetur, cum commode potest. Et ob hanc causam non dicitur Deus assumere corpus illud, sed Angelus, quia hic est principium efficiens illam assumptionem; nec enim Angelus dicitur assumere omne corpus, quod movet; sed illud, in quo se gerit ut intrinsecum principium motuum et actuum talis corporis: at Deus non ita se gerit in huiusmodi corpore, sed Angelus est, qui vicem gerit; unde Angelo, non Deo illius corporis assumptio tribuenda est. At dices, cur ergo Deus dicendus apparere sub tali corpore, cum non assumat illud? Respondeo tunc dici Deum apparere, quia in illa specie visibili Deus repraesentatur tanquam in imagine; ad quod, opus non est, quod Deus sit effector illius imaginis. Sic rex apparet in scena, quando alterius personam gerit ac repraesentat, cum hoc tamen discrimine: nam per imaginem, vel per comoedum res etiam absens repraesentatur; at Deus non ut absens, sed ut intime praesens in re, in qua apparet, repraesentatur.

1274. Altera opinio abiit in contrarium, nempe in eiusmodi apparitionibus usum fuisse Deum Angelorum ministerio, qui Dei vices gerebant, et nomine suo loquebantur. Ita Divus Thomas prima secundae, quaest. 98, art. 3; Thyrraeus, lib. 1 de apparit. Dei, cap. 24; Pereira in cap. 3 Daniel.; Lorinus in cap. 7 Act.; Suarius, de Angelis lib. 6, cap. 20, num. 28. Probari potest ex D. Dionysio, cap. 4 de caelesti Hierar., ubi ait: *Huiusmodi divinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio coelestium Virtutum ediscebant.* Idipsum probat s. Augustinus, lib. 2 de Trinitate, cap. 10 et sequentibus; et lib. 3, cap. 10 et 11; et lib. 4, capite ult. ait: *Si quis a me quaerat, quomodo facta sint sensibiles formae ante Incarnationem Verbi Dei, quae hoc futurum praefigurarent, per Angelos eas Deum operatum esse respondeo.* Idem docet Gregorius, lib. 28 moral. cap. 2, Hieronymus in illud ad Galatas, cap. 3, *Ordinata per Angelos.* Et probari potest ex apparitione facta Iacob, Genes. 28, et 31, et 32; ubi ait sacer Textus: *Vidit Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham.* In capite autem 31 subdit: *In somnis audivit eundem dicentem sibi: Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi.* Cum tamen eundem somnum refert in eodem capite, haec habet: *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis.* Ubi vides Angelum fuisse, qui in somno apparuit Iacob, tametsi, *Ego sum Deus Bethel*, nominetur. Idem probari potest ex apparitione facta Moysi in Rubo, Exod. 3. Cum tamen doceat Stephanus, Act. 7: *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammae Rubi*; subditque postmodum, loquutum fuisse illi Dominum ita: *Ego sum Deus patrum tuorum.* Quod autem Angelus, de quo loquitur hic Stephanus, esset unus ex coelestibus spiritibus, perspicue docet idem s. Stephanus, cum subiicit eodem capite: *Hunc* (Moysem) *Deus principem, et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in Rubo.* Constat itaque eundem fuisse Angelum, qui in Rubo Moysi apparuit, ac ille de quo dicitur Exod. 14, praecessisse castra Israel, et capite 23: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat te in via;* ergo angelus verus fuit, qui immediate, et per se Moysi in Rubo apparuit. Praeterea Exodi 19 ait sacer Textus: *Vocavit eum Dominus de monte, et ait: Haec dices domui Iacob, et annuntiabis filiis Israel.* Et alibi saepe; et cap. 46 iterum Deus ad Moysem loquitur, nec ulla Angeli fit mentio, cuius ministerio Deus loqueretur: cum autem D. Stephanus, Act. c. 7, de Moyse fatus ait: *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris.*

1275. Ulterius equidem assero, omnes apparitiones Dei in veteri Testamento, tametsi in eis Angelorum mentio nulla fiat, ipsorum tamen interventu contigisse; ac proinde ante incarnatum Verbum, per interpretes Angelos semper loquutum Patribus Deum, ut docet Paulus ad Hebraeos 1. Solum cum Virgine Matre primum egit Deus per seipsum in persona mediatoris Christi; itaque solius Virginis Mariae praerogativa fuit osculum oris divini, Cant. 1. Prima pars asserti suadetur ex Dionysio, Augustino, et aliis Patribus supra relatis: tum ex Scriptura; nullibi enim memoratur, Deum apparuisse sine interventu Angelorum. Licet autem alicubi dicatur, apparuisse, vel loquutum fuisse nulla facta mentione Angeli, ut in Danielis cap. 3, et Gen. 3 et 4, dum apparuit primis parentibus et Caino; et Genes, c. 15 et 12 et 17, cum apparuit Abrahae; et Genes. 32, Iacob: quamvis autem in his et aliis nulla mentio fiat de angelico ministerio, non tamen illud excluditur, imo illud intervenisse censendum est ex locis Scripturae su-

pra productis. Tum quia apparitiones magni ponderis, quae referuntur esse propriae Dei, quales sunt factae Exodi cap. 3 et 19, licet absolute, nulla Angelici ministerii actione factae proferantur; alibi, ut vidimus, factae per Angelos dicuntur. Tum denique, quia saepe in eodem loco ubi dicitur apparere Angelus, paullo post dicitur, Deum esse qui per Angelum apparuit, ut videre est Genes. c. 18 et 19 et 21: ergo iam innuit sufficienter sacer Textus praedicto modo esse accipiendas alias apparitiones Dei, licet non ita expresse declarentur. Cuius rei illa optima est ratio, quia ad prudentissimum gubernandi modum spectat, ut inferiora per medias causas superiora attingant: sic caelestes orbes in mixta, et elementa influunt, et inter homines Deus per parentes filios instruit, milites per duces, subditos per praelatos: sic si ad superiora conscendimus, Deus per superiores Angelos illustrat inferiores, ut Dei omnipotentis suprema auctoritas et potestas sic propaletur; cui omnes creaturae quantumvis sublimes adfamulantur ad nutum in suae voluntatis executionem: tum etiam in ipsarum creaturarum commodum et emolumentum cedit, quippe aliae aliis subordinatae mutua sibi invicem coniunctione copulantur.

Secunda pars asserti inde patet, quia Verbum Divinum immediate et per se in utero Beatae Virginis apparuit, sibi humanitatem ex purissimis Mariae sanguinibus induens, iuxta illud Pauli ad Titum cap. 2 : *Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Nec enim dubium esse potest, quin fuerit vera Dei apparitio immediate Virgini Mariae facta: per illam enim, *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, ut ait Baruch, 3 capite, Filius Dei. Haec autem apparitio longe sublimior est prae caeteris omnibus, quia non solum in imagine et specie hominis, sed in vera et reali humanitate; nec per accidentalem unionem, sed per substantialem et hypostaticam facta est: tum etiam quia haec apparitio immediate per ipsum Filium Dei, sine proprio et proximo Angelorum adminiculo patrata fuit; sola enim Trinitas sine ministerio Angelico illam unionem inter naturam divinam et humanam produxit, solumque Verbum divinum illam terminavit: solum enim Gabriel remote, nempe Legati munus obeundo, ac Mariae consensum postulando, ad hoc mysterium concurrit: ad ipsam autem formationem corporis assumendi, nullum physicum ministerium, etiam remotum, Angeli adhibuerunt. Quare Diva Virgo omnium prima Dei per se ipsum apparitione potita fuit. Quod eleganter cecinit Antonius Millieus in suo Mose viatore, lib. 1, n. 12:

Aut Michael fuit, aut alius: nam credere fas est,
Non prius humanos, quam se misceret in artus,
Progenies manifesta Patris, hominemque Deumque
Iungeret aeterni connexum foedere nodi;
Instabiles Patrem, aut Natum subiisse figuras,
Affatusque hominum fictis tentasse loquelis.
Nec se Thariades tanto dignetur honore,
Nec tantus Moses, aut Patrum saecla favorem
Promeruisse volent: longe inferiore palaestra
Torpuit Isacidae coxendix marcida claudi.
Te Virgo, te Diva manent Ecclesia sponsi
Oscula.

CERTAMEN XI.

Utrum Beata Virgo in raptibus, altissimae contemplationis meritum interruperit.

1276. Egimus in superioribus de Beatae Virginis raptibus, ac mentis secessibus: nunc solum vestigamus, an in his Virgo Deipara meritum intermitteret. Nonnulli enim censent nullum dari posse meritum in eiusmodi raptibus, idemque docent de ecstasibus, sive somnis coelestibus; et putant habere pro se s. Thomam, 1 part., quaest. 85, art. 8, et 1 2, quaest. 113, art. 3; et s. Augustinum allegatum a D. Thoma. Ratio depromitur ex D. Thoma 2 2, quaest. 175, art. 1, et quaestion. de verit., quaest. 13; ubi agens de raptu ait, in huiusmodi raptibus intellectum violentiam pati: ergo nequit ea iudicia efformare, quae apta sint ut voluntas libere operetur, quippe dum violentiam patitur, est quasi uni rei alligatus, ita ut nequeat in aliud intendere, quod opus erat, ut voluntati cum indifferentia repraesentaret obiectum, et illud vel respueret, vel amplecteretur; ut enim voluntas libere unum prae alio eligat, opus est ut intellectus inter bonum et malum discernat, rationes pro utraque parte ponderet, ac voluntati proponat; quae pro sua libertate quod voluerit seliget. Atqui intellectus in raptibus, seu somnis coelestibus, uni tantummodo rei addicitur, in illam solum intendit; ergo non poterit voluntate proponere cum indifferentia ad libertatem requisita.

Secundo probari potest haec sententia, quia in somnis communibus ideo homo non meretur, quia cum phantasia ac sensus sint impediti, nequeunt deservire intellectui, ita ut ipse clare percipiat rerum bonitatem, sive malitiam, ac consequenter mente capti vel ira, aut dolore maximo perciti nec merentur, nec demerentur; quia sensus interni aliquo vehementi affectu turbati intellectum veluti impotentem reddunt, ut possit inter bonum et malum, saltem cum plena advertentia, distinguere. Sed idem contingit in somnis propheticis, ac raptibus cum proportione; intellectus enim alligatur uni obiecto; ergo similiter homo in eiusmodi actibus nequit mereri. Hinc D. Thomas ait: *Aiunt huius sententiae patroni Salomonem non meruisse sapientiam, quam dormiens obtinuit a Deo.* Idemque prius docuerat s. Augustinus. Si ergo Salomon in somno illo a Deo immisso, in quo eius intellectus tanta sapientia fuit collustratus, ut summa cum prudentia Dei populum moderaretur, ac posteris omnibus id eam recte rempublicam gubernandi relinqueret, iuxta Dei leges ac rectae rationis praescriptum; et tamen nihil in somno illo meruit: ergo signum est neque in aliis similibus somnis, seu raptibus aliquid esse meriti. *Qui enim dormit*, inquit Richardus de s. Victore, *quae circa ipsum sunt, imo et semetipsum omnino non novit; recte ergo per soporem mentis alienatio exprimitur, per quam ab absentibus absentatur, et quasi per somnum occupata a rebus humanis divinarum rerum contemplatione peregrinatur.* Et iterum idem par. 2, adnotat. in Psalm. 2, cap. 4: *Cogita*, ait, *quid faciat somnus exterior circa hominem exteriorem;*

hoc facit somnus eiusmodi, scilicet raptus, circa hominem interiorem: somnus corporeus exsuperat sensum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium, caeterorumque sensuum, atque membrorum: sicut autem per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis, sic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis somnum, exsuperantur omnes sensus mentis, simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut constet quod Apostolus scribit: Quia exsuperat omnem sensum. Ubi libertatem penitus adimere ab anima eiusmodi ecstases luculenter ostendit; ac proinde nihil animam tunc promereri posse. Cui sententiae favere videtur Cardinalis Aliaco in speculo considerationis, c. 6: *Quando,* inquit, *intima illa supernae, et aeternae suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata; quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur.* Sicut ergo, qui profunde dormiunt, sensuum destituuntur usu, ita ut instar mortuorum sint; ita qui in Deum ecstasi rapiuntur, sensuum subsidio privantur, totoque corpore rigescunt, ac si animus vale dixerit carne. Roboratur haec ratio, qui in his somnis aliquando intellectus hallucinatur, et idem est de aliis apparitionibus, seu raptibus: quod experientia comprobari potest, tum et in ipso Salomone qui falso arbitrabatur sibi in vigilia contigisse visionem illam imaginariam; cum tamen somno esset correptus, ut patet ex Textu sacro asserente, expergefactum Salomonem intellexisse sibi dormienti illi omnia contigisse: idemque iudicium esto de apparitione illa D. Petro facta de pecudibus in linteo e coelo immisso, Act. 10.

1277. Opposita sententia docet in his somnis propheticis ac raptibus reperiri meritum, nec solum non interrumpi, imo multum excrescere et augeri. Probari potest in somno Adami recens conditi divinitus immisso, in quo inter alia multa Verbi divini Incarnatio clare fuit ei revelata, ut docent s. Augustinus, lib. 9 de Genes. ad lit. cap. 19; Prosper, lib. de praedict. part. 1, cap. 1; Bernardus, ser. 6 in vigilia Nativ. paullo post principium. Ex quo colligit s. Thomas, qui in eadem fuit sententia, 3 part., quaest. 1, art. 3, et clarius 2 2, quaest. 2, art. 7, Adamum in somno illo credidisse mysterium Incarnationis; et quidem oportebat, ut ille prius recte tanto erudiretur mysterio, illudque crederet, qui posteros de illo eruditurus erat. Ex quo infertur, primum parentem in somno illo libertate usum fuisse ad meritum requisita; sine illa enim credere actu fidei Theologicae non potuisset: si ergo libere actum fidei elicuit, ergo voluntas potuit intellectui imperare, vel non imperare actum fidei; ergo sufficientem habuit libertatem ad meritum. Idem dicerem de somno Salomoni immisso, in quo Deus omnigenam sapientiam ipsi infudit; si enim attente verba Textus sacri trutinaveris, multa in Salomone signa perfectae advertentiae ac plenae libertatis reperies: quid enim aliud innuunt Dei verba ad Salomonem, quibus optionem ad postulandum concedebat, amplam ei potestatem ad seligendum, quae vellet, nisi perfectum ad iudicandum iudicium in intellectu Salomonis, plenamque in voluntate libertatem ad optionem huius rei prae aliis sibi magis profuturae faciendam? Rursus; quod magis deduci posset perfectum Salomonis iudicium, quam ipsa optio sapientiae prae divitiis, honoribus ac voluptatibus? Merito quidem dici posset plus iudicii infuisse Salomoni nunc dormienti, quam seni vigilanti, et in vetitas voluptates properanti. Hanc Salomonis optionem prudentissimam tanquam meritoriam et liberam extulit Deus, ut sibi gratissimam, quae tamen Deo grata esse non posset, si a prudentia et libertate, sive a voluntate libera non proficisceretur: actus enim necessarii, licet alioquin virtutis speciem praeseferant, nullam apud Deum tamen laudem merentur; sicut neque actus, qui speciem peccati ferunt, Deo non sunt infensi, nec displicent quando a libera voluntate cum advertentia mali non proveniunt.

Idem iudicium ferendum de raptu illo D. Petri in linteo illo ferarum pleno coelitus delapso; cum enim Angelus indiceret esum Petro, hic sufficientem advertentiam ad iudicandum habuit, esum illum esse prohibitum, adeoque sibi non licere respondit: cumque Angelus iterum esum instaret, paruit voci coelesti; quod sine libertate fieri non poterat. Unde D. Thomas, 1 2, quaest. 113, art. 3, ait Salomonem meruisse sapientiam a Deo infusam in somno: licet enim in somno communi, rationis usus sit impeditus, et quasi alligatus, non tamen hoc contingit in somno prophetico; ideo dicitur III Reg. cap. 3, placuisse Domino Salomonis petitionem: *Placuit sermo coram Domino, quod Salomon postulasset rem hanc.* Cur enim non possit Deus elevare intellectum et phantasiam hominis dormientis ad perfectam mentis cognitionem cum libertate completa? Quod innuit Rupertus, dum agit de sopore Adami in cap. 2 Gen.: *Sopor*, inquit, *quem Deus Adamo immisit, non claudere vigilias rationis debuit, sed obseratis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, ut scire posset quid erga se faceret omnium artifex Sapientia.* Quod adhuc verius arbitror in somno Salomonis accidisse. Quare s. Ambrosius in Psal. 118, dum de hoc Salomonis somno disserit, tunc eum preces ad Deum fudisse, simulque illis promeruisse testatur: eiusdem sententiae est Tertullianus, lib. 4 adversus Marcion., cap. 15. Nec dicas promeruisse eum ex praecedenti desiderio ante somnum: quia hoc Scriptura non profert; sed est libere dictum. Nec satisfacit Abulensis, quaest. 4, 12 et 13, in III Reg. c. 3, dum ait, Salomonem solum somniasse se a Deo flagitavisse sapientiam, et Deum eam ipsi contulisse; non tamen vere et reipsa cum Deo collocutum. Id, inquam, non placet, quia plane adversatur sincerae Textus narrationi, exhibenti Deum agentem cum Salomone ac sermones miscentem: vel dicendum esset, reliqua omnia somnia eodem modo contigisse, ac proinde Iacob reapse scalam coelum pertingentem haudquaquam vidisse, sed tantum somniasse; quod affirmare nullus audeat.

1278. Ratio *a priori* huius sententiae, quam veram existimo, est quia in somno prophetico et raptu, licet sensus externi ab omni sensatione vacent, vel quia meatus, per quos spiritus animales deservire poterant sensationi, sunt obstructi atque impediti; vel quia anima omnem vim imaginationi applicat, sensus tamen interior expeditior manet ad deserviendum intellectui, et quasi vigilantior; tum quia anima attentius per oculum imaginationis internum introspicit; tum quia Angelus forsan humores attemperat, vapores extenuat, species defaecat, et ab omni inordinata confusione arcet: quod innuit s. Thomas 2 2, quaest. 173, art. 3, dum agit de his somnis propheticis sive raptibus; ait enim tunc vel infundi novas species animae, vel priores in rectum ordinem redigi. Quare eo liberior et expeditior manet anima ad meritum, quo magis a sensibus et obiectis creaturarum avocatur, unique Deo vacat, et quo magis lux interior affulget, et bonitas obiecti luculentius emicat, ac intellectui obiicitur, eo maiori conatu voluntas in obiectum propositum fertur, maiusque meritum consequitur. Cuius rei signum evidens sunt effectus relicti in homine ab hoc somno, seu raptu excitato; videlicet affectus ardentissimi in virtutum actus, desideria ferventissima in quaelibet pietatis opera, amor intensus in subeundis laboribus, in paupertate amplectenda, in abiiciendis honoribus, divitiis, ac huius vitae voluptatibus: fieri enim non posset, ut eiusmodi virtutes tantum roboris ac intensionis resumerent, nisi actus meritorios intensissimos ac liberos elicuissent in raptu illo, virtus enim augeri nequit, nisi per actus similes dignos ac meritorios augmenti.

Quamvis autem amor ille sublimioris excellentiae, quo in Deum fertur anima ecstasim passa, iuxta Doctores prioris sententiae ipsam libertate destituat, sensuumque praesidio denudet; non tamen id asserendum esset de amore ecstatico Beatae Virginis: sicut amor in Beatis potentiarum usum non absorbet, nec sensuum operationes adimit. Pro huius ergo vitae periodo, dum adhuc corpus aggravat animam, et originariae noxae tributum pendit, imbecillitas, corruptio, et alia naturae lapsae damna, adeoque in ecstasi potentiarum torpor, sensuum abalienatio, et obtusio imperfectionem maximam arguunt. Et ratio est, quia in natura lapsa, anima ad unum obiectum vehementer attenta, aliorum obliviscitur; vel etiam quia potentiae inferiores spiritibus ad operandum necessariis orbatae, nequeunt suos actus exercere, ex eo autem spiritibus privantur, quia eos veluti exhausit mens profundae considerationi invigilans. Quae ratio neque in Beatis militat, neque in B. Virgine viatrice, status innocentiae, atque naturae integrae privilegiis potita: neque igitur Beati, nec Virgo Deipara in hac vita egebat phantasiae adminiculis; cor enim et caro ac sensus roborabantur, ut indefessa contemplatione in Deum ferri posset, atque inferioribus potentiis ad nutum uti posset. Non sic Paulus in raptu suo: *Scio huiusmodi hominem... (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit).* Quibus verbis subindicavit non sibi collatum fuisse Beatitudinis donum, quali donantur animae gloria fruiturae cum suscitatis corporibus, quae optime experientur se tali gloria donatas in carne impassibili et immortali existentes; ut diserte discrevit Augustinus, lib. 12 de Gen. ad litt., cap. penultimo: *Apostolo*, inquit, *arrepto a carnis sensibus in tertium coelum, hoc defuit ad plenam, perfectamque cognitionem rerum, quae Angelis inest, quod sive in corpore, sive extra corpus esse nesciebat: hoc itaque non deerit receptis corporibus in resurrectione mortuorum, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem.*

1279. Virgo itaque Deipara cum in altissimam rerum divinarum contemplationem rapiebatur, nequaquam sensuum operatione privabatur; non enim ea incommoda, quae aliis Sanctis obtingunt, cum eiusmodi ecstases patiuntur, Virgo Deipara passa fuit: illi sed enim sensuum operatione privantur, vel saltem illorum operatio intercipitur, quae ideo in nobis usu veniunt, quia superiores animi vires cum inferioribus maiori necessitudine coniunguntur. At vero in Deipara liberior erat, et expeditior superiorum facultatum usus, nec ita ab inferioribus in sua operatione dependebant: ergo eodem tempore altissimae contemplationi vacare, et simul corporis sensuumque ministeriis incumbere poterat. Quod innuit Petrus Damianus, serm. 1 in nativ. Virginis Mariae: *Activa*, ait, *et contemplativa vita Mariam Virginem propensiori diligentia ambierunt; adeo ut nec actio contemplationem minueret, et contemplatio non desereret actionem.* Hinc pronum est deducere in raptibus, quibus ad Deum ferebatur Beata Virgo, haudquaquam ipsi obtigisse sensuum abalienationem, facultatum inferiorum privationem, stuporem, vel soporem quendam, ita ut nesciret prorsus utrum in corpore, an extra corpus esset, ut de se aiebat Paulus; sed semper corporearum virium ope, sensuumque libertate, et opera utebatur. Quod s. Antoninus expendit, 4 part., tit. 15, cap. 17, § primo: *Modus*, ait, *cognoscendi Beatae Virginis non fuit per modum abstractionis, ecstasis, vel stuporis, vel etiam soporis; haec enim contingunt propter excellentiam et improportionalitatem luminis ad intellectum illuminabilem, ut patet in lumine corporali in Transfiguratione Domini: quando ostendit Discipulis claritatem simillimam claritati gloriae Dei, dicitur Petrus, et qui cum eo erant, gravati esse somno, et videre non poterant, et quod stupor circumdederat eos: similiter in lumine spirituali; unde Paulus excellentia visionis stupefactus dixit: Utrum in corpore, an extra corpus, nescio. Hunc stuporem Beatissima Maria non habuit, cuius intellectus Dei formalior, et illi luci proportionabilior fuit: unde sicut lux eadem est aegris oculis odiosa, sanis autem amabilis, et sicut per eandem lucem clari oculi perfectius vident, et sine perturbatione, aegri autem minus perfecte, et cum perturbatione; ita lux spiritualis, quae oculis Pauli fuit improportionata, et ideo raptum fecit et cum stupore, sed*

oculis B. Virginis fuit proportionabilis sine stupore, et cum delectatione. Ex quibus clare elici potest, Deiparam adhuc in altissimo divinarum rerum intuitu, semper rationis usu perfectissimo potitam, ac libero arbitrio usam: et licet supra viatorum statum raperetur, integra illi semper merendi facultas remansit. Hanc sententiam fulcire possumus ex his, quae docent Doctores per Dei potentiam fieri, ut dormiens propheta, solutus tamen, et liber sit ad exercendas actiones tum rationis, tum liberi arbitrii. Per quae constat errasse Montanum, qui in cordis amentia, prophetas putat ventura dixisse: in quo etiam errore Tertullianus, ut constat ex Divo Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis. Et quidem rationi prorsus dissonum apparet, teste Divo Basilio, prooemio in Isai. *Ut quis ex sapientiae divino spiritu insanus fiat.* Accinit Divus Bernardus, serm. 52 in Cantic., et ad nostrum gustum exponit verba illa Sponsae: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Ait enim: *Somnum illum vigilantem sensum internum luce perfundere.* Hinc recte s. Gregorius Nyssenus in Cantic. vocat Sponsae somnum, sublimiorem libertatem, et Clemens Alexandrinus, lib. 2 Paedag. cap. 9, sobrie dormientem exaequat nunquam dormientibus Angelis. Et quidem Beatam Virginem hoc vigilanti somno dormiisse, et quasi prophetico et coelesti, docui cum pluribus alibi: unde nec meritum unquam interrupisse censui; iisdemque rationibus id probandum de raptibus et ecstasibus Beatae Virginis.

1280. Oppositae sententiae fundamenta ex dictis sufficienter convelli possunt. Ea enim argumenta solum suam exerunt vim in somno communi, non in prophetico, sive in raptibus: et Divus Thomas de hoc est intelligendus, dum nostrae sententiae refragari videtur, qui aliquando docet Salomonem in illo somno non meruisse, aliquando meruisse, ut vidimus: licet autem Salomon non meruerit sapientiam, quia est donum intellectus a Deo infusum sine voluntatis libertate, aut merito; non tamen id dicendum de gratia eiusque augmento, sive de virtutibus infusis: est enim iam veluti a Deo decretum, nullum donum voluntati hominis ratione utentis inhaerere, quin prius ipse consentiat, et mereatur: omnia igitur dona, virtutes, gratiam, quae ex sua natura in voluntate sedem habent, prior homo per propria merita, si est rationis compos, sibi comparat. Quae doctrina reliquis raptibus ac somnis divinitus immissis applicari potest: licet enim sine proprio merito lux illa intellectui a Deo gratis infundatur cum sapientia quadam caelesti; inde non fit non mereri voluntatem ipsius ope, gratiae ac reliquarum virtutum augmentum: ex eo enim a Deo intellectui imprimitur, non quia homo illam meruerit, sed ut ipsa illustratus magis ac magis promereri possit. Iuxta quae recte explicari posset s. Thomas, cum ait Salomonem meruisse; non enim loquitur de sapientia intellectus, sed de gratiae, reliquarumque virtutum augmento: cum vero affirmat illum non meruisse, intelligendus est de ipsius Salomonis sapientia.

Quamvis autem admitteremus intellectum in his raptibus aliquando hallucinari; tamen cum homo sufficientem habeat advertentiam bonitatis, aut malitiae obiecti, et iudicia de his efformet, ac voluntati repraesentet, hoc sine dubio satis est ad veram libertatem ac meritum, licet alioquin aliqua laboret hallucinatione. Quod confirmatur in simili, quando quis putat hostiam non consecratam esse consecratam, meretur tamen cum illam latriae cultu suspicit; ac iudicium intellectus practicum praescribens talem cultum, fuit prudens ac rectae rationi conforme; quamvis alterum iudicium, quo iudicavit esse consecratam, fuerit erroneum ac veritati dissonum: sic etiam eleemosynam erogans pauperi existimato, meretur praemium; et iudicium, quo intellectus iudicat eleemosynam hic et nunc esse erogandam, est prudentiae ac rectae rationi congruum, etsi erret iudicando illum verum esse pauperem, cum reipsa dives sit. Pari ratione in praesenti, bene quidem contingere potest, illum, qui somnum patitur propheticum, sive raptum, hallucinari in eo, quod arbitretur se esse tunc vigilantem, vel visionem esse omnino corpoream, vel econtra omnino esse spiritualem, et intellectualem, cum aliquid imaginatio operetur, vel in alio eiusmodi; cum tamen luce sufficienti, et advertentia sit praeditus, ut possit iudicium efformare bonitatis obiecti repraesentati, vel malitiae, poterit tunc libere in obiectum illud bonum ferri, vel peccatum odisse; Dei maiestatem ac excellentiam colere, eiusque potentiam formidare; et sic de aliis.

Illud autem, quod asserunt Doctores contrariae sententiae de violentia, quam patitur intellectus, dum his raptibus distinetur, ita est intelligendum, ut ex eo dicatur intellectus violentiam pati, quia operatur modo non sibi connaturali, nempe sine sensuum adminiculo; si tamen haec violentia vocanda est, ferri in regionem maioris lucis, et veluti a tenebris amoveri, et ab erroribus, quos toties a sensibus ebibit: sic dici posset lapis violentiam pati aliquo modo, cum deorsum proiicitur maiori velocitate, quam secum innatum postulat pondus. Non tamen ideo intellectus impeditur, ne iudicia efformare posset cum indifferentia ad utramque partem, obiectaque voluntati proponere, cum rationibus convenientiae ad electionem vel disconvenientiae ad fugam: siquidem in eiusmodi somnis, sive raptibus, maiori luce perfunditur, et quasi sapientiori magistro utitur ipsius sensibus externis, qui non ita fideliter ac recte obiecta, ut in se sunt, praesentant intellectui; namque saepissime et ipsi hallucinantur, et cogunt intellectum erronea formare iudicia; cumque illo nobiliori magistro ac duce erudiatur intellectus, clarius ac vivacius rationes bonitatis in obiecto perpendit, ut illud voluntas tenacius amplectatur, ipsique intimius adhaereat: tum etiam penitius rationes malitiae in obiecto malo detectae introspicit, ut voluntas maiori illud odio prosequatur et aversetur, peccata intensiori dolore deploret: eademque luce multa alia attributa, ac perfectiones in Deo rimatur, qua media virtutem actibus sedulo

incumbat, ac in Dei amore magis ac magis succrescat, in omni bono altas agat radices, ac in dies novarum incrementa virtutum adquirat.

Quod ut altius introspiciatur, animadvertendum est, hanc sensuum orbationem, seu ecstasim, vel soporem beatum, aut ad coelestia raptum, duplici ex causa contingere posse. Prima est, intellectus actus, cui soli proprie ac stricte contemplationis nomen adaptare vult maior et melior Doctorum pars: hic autem sermo est de actibus supernaturalibus, quibus mens tota in Deum fertur, ac alta tanti boni consideratione suspenditur; ex quo naturali sequela sensuum functiones praepediuntur, quia totius animae vires collectae in uno mentis obtutu distinentur, ac solius summi boni cogitationi incumbunt: hinc ecstases annexae, potentiarum somnus, virium corporalium attenuatio. Itaque quando contemplatio ad perfectum devenerit, ipsa se sola sensuum functiones suspendit, potentiarum munia cessare facit, ut bene tradit Suarius, tom. 2 de Religione, lib 2, cap 15, num 12. Alia est causa eiusmodi raptuum, voluntatis affectus vehemens, sive maestus ac tristis cum intensione magna de absentia Dilecti, sive affectus gaudii et fruitionis ab Oceano divinarum voluptatum promanans: tunc licet actus intellectus speculativi non essent ita intensi, ut sensus consopirent, ita tamen voluntas posset in ardentissimos amoris actus prosilire, qui eiusmodi ecstases seu raptus efficerent. Ideo s. Dionysius Areopagita, de divinis nominibus, ait quendam esse amorem, qui ecstasim pariat. De quo Richardus Victorinus fatur, cum ait: *Hic est ille gradus, qui defectum adducit, qui de remedio iam desperare facit; et sic desperatus aeger, qui quasi prae mortuis membris iacet, iam ulterius quid agat, vel ab alio expectare debeat, non habet: ultimum iam spiritum trahit et quid circa se agatur, nec attendit, nec advertit. In hoc gradu verum est illud: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* Quolibet ex his modis ecstasis in B. Virgine contingeret, nihil nos cogit ad asserendum, in ipsis raptibus meritum fuisse interruptum, cum neque ex intensione quantalibet, sive actus intellectus, sive voluntatis, libertas adimatur, neque ex sensuum suspensione, ut monuimus.

CERTAMEN XII.

Animi gratitudo, maturaque gravitas cum verecunda modestia enituerunt in B. Virgine.

1281. Sententiosissime dixit s. Basilius Seleucus, orat. 9: *Nonnulli beneficiorum causas idola affingunt.* Sed quaerendum, quid sit causam beneficii facere idolum sibi. Quod ut percipias, opus est, ut memoria refrices, apud antiquos, Gratias adnumerari inter Iovis filias; de quo Seneca, lib. 1 de beneficiis, cap. 3, sic habet: *Tres Chrysippus Gratias ait Iovis et Eurynomes filias esse.* Itaque Gratias, sive beneficiorum gratitudinem satam sanguine Divum asserit prophana eruditio. Perbelle ergo beneficiorum gratitudo, beneficiorum causam sibi idolum effingit; quod idem est, ac si explicatius dixeris: Gratitudo ita reveretur ac suspicit benefactorem, qui causa est beneficii impensi, ut eum tanquam Numen adoret; vel si mavis, gratus animus ob acceptum beneficium, gratitudinem et causam benefacientem loco idoli habet; ideoque benefactori religiosum cultum exhibet, tanquam suo Numini. Quod rectius in Beatam Virginem quadrat, quae, ut aeternum perennent beneficia in se a Deo collata, quo maiora, eo maiori animi gratitudine Deo soli rependit, seque ancillam professa, totam se et sua Deo tanquam Domino exhibet, illum colit ac reveretur.

Plura grati animi documenta elucent in Maria: siquidem dum Angelus pollicetur Sponsum Deum genituram, pluraque alia nulli alteri creaturae collata privilegia; illa sine mora illud solum protulit: *Ecce Ancilla Domini* etc. Cur ita Ancilla nuncupatur, cum aligerorum spirituum Imperatrix constituitur, hominumque Regina creatur? Videlicet ancillae vox, id omne quod habet, non suum, sed totum esse Domini dicit; quasi totum, quod acceperat, Dei esse conferentis, ac in unum Deum referri oportere, ingenue fateretur. Recte Bernardus, hom. 4 super *Missus est: Nescit Maria insolescere gloria, Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat; non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem.* Idipsum verba illa sonant Cant. c. 1: *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Quae de Beata Virgine capit Bernardus. Cum ergo adolescentulae, sive pedissequae puellae, sive Angeli famulantes ad fragrantia virtutum unguenta adstuperent, sive ad gratiarum odoramenta, quasi attoniti admirarentur, proindeque Sponsam felicissimam ac inter creaturas beatissimam praedicarent; illa beneficiorum sibi a Deo collatorum, non immemor laudes in Deum referens, animique gratitudinem praeseferens ait: *Oleum effusum nomen tuum.* Quasi omnem laudem a se reiectans solum in Deum sponsum transferret, a quo quidquid gratiae, quidquid honoris, quidquid laude dignum derivatum fuerit, ab eius liberali munificentia acceptum palam profitetur. Eleganter Bernardus, serm. 13 in Cantica: *Non recordamini in sponsae uberibus extremam commendatam esse suaveolentiam unguentorum? Quid ergo consequentius, quam ut eandem fragrantiam Sponsa, ne sibi arrogare putetur, de sponsi beneficio recognoscat? Quod ubera, inquit, mea sic redolent et sic placent, nec studiis, nec meritis adscribo meis; sed tuae, sponse, tribuo largitati, de oleo utique effuso nomine tuo.*

1282. Accipe aliud Virginei animi gratitudinis pulcrum documentum. Elisabetha in profusas Deiparae laudes exsurgit, Luc. 1. At Virgo Beata continuo laudes a se conatur depellere, gloriamque totam in Deum transvehere, ideoque intonat: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* etc. *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Ac si diceret, inquit Nicolaus de Lyra: *O Elisabeth, tu me magnificas; sed ego totum Deo attribuens, ipsum magnifico in hoc carmine.* Sed merito Maria de-

cus omne et encomia Deo adscribit, utpote quia memor casus primi parentis, qui cum tot a Deo hauserit, sive animi, sive corporis dotes, praefecturam item ac dominium in animalia quaeque, nec verbum tamen ullum protulit, quo gratitudinis suae, vel aliquod specimen exhiberet; quod tam ingratum silentium forsan malorum omnium origo fuit; ut meditabatur Rupertus, lib. 6 comm. in Ioannem: *Quam obstinatis labiis ab omni gratiarum genere abstinuit, et ingratum Domino Deo silentium dedit, formante Deo, et inspirante spiraculum vitae acceptae in plastae suae faciem, ut adoraret, et eum glorificaret: qui ergo gratiam Dei non agnovit, non mirum, quod ad hoc ut peccaret, et omnia amitteret, devenisset.* Merito igitur humani generis instauratrix praecavit in operis reformatione, ne in ingrati silentii saxum impingeret: quare ocyor assurgit in encomia divinae largitatis, in Dei laudes evehitur, acceptaque a Deo beneficia grata animi significatione in Deum ipsum tanquam in Auctorem transfundit. Egregie rem expendit Beda in verba illa, *Magnificat anima mea Dominum: Decebat enim*, ait, *ut sicut per superbiam primae nostrae parentis mors in mundum intravit, ita denuo per humilitatem Mariae, vitae introitus panderetur; intelligo autem de humilitate gratitudinis sobole, cum omni se gloria exueret Deipara, et transferret in auctorem Deum, laudem universam.*

1283. Altius Maria hanc animi gratitudinem insculpsit in se ipsa, quam Iosephus olim, qui memoriam beneficiorum acceptorum inscripsit in tenera filiorum suorum carne: habuit ergo duos filios, de quibus sic habes Genes. 41: *Vocavitque nomen primogeniti Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae.* Itaque ex hebraeo nomina horum duorum filiorum id significabant. Nunc Lippomanus ad ea verba adiicit haec: *Posteros igitur meminisse voluit Ioseph beneficiorum Dei, ideo nominum impositione, velut in propriam illorum carnem inscripsit misericordias Domini.* Quasi alte insculpserit Iosephus beneficia in se collata in ipsa tenella filiorum carne, ut nullis temporum iniuriis obliterarentur; imo crescentibus corporibus cresceret eorum beneficiorum memoria, ad eum modum quo ille Amasius consortis nomen in arbore tenella inscripsit hoc lemmate: *Arbos crescet, crescetis amores.* At vero Maria non in corpore tenello, sed in anima beneficia a Deo sibi collata insculpsit, altasque ibi egerunt radices, ut simul cum anima immortali, beneficiorum gratitudo in aeternum perennaret, et immortalitatem ebiberet; ideo inquit grandi vocis contentione: *Magnificat anima mea Dominum.*

1284. Hanc animi gratitudinem cum matura gravitate, ac verecunda modestia scite coniunxit Deipara. Ex habitu autem corporis, ex motu et incessu admonet Ambrosius lib. 1 Offic., c. 8, pensandam esse maturam, verecundamque modestiam, externum autem corporis habitum et incessum ex interna animi moderatione conjectare solemus. *Est etiam*, inquit, *in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia: habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior aestimatur.* Sed in Beatae Virginis animo inerat honestissima in gradu praecellenti verecundia, orta ex imperio, quo in suum corpus dominabatur, ac suas affectiones pacate ac placide moderabatur. Ideo universi Beatae Virginis motus externi, incessus, gressusque corporis maiestate pleni, quasi imperatoria trutina librabantur; ac proinde ex sponsae gressibus eius nobilitas regia depromebatur. *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Quae verba expendens Ambrosius citatus ait: *Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita si studium desit, atque affectatio, sed motus sit purus, ac simplex.* Quae verecundia in incessu, ac in omni corporis motu gravitas est, virtutis internae prodroma, integritatis insigne. *Virginem*, ait Ambrosius, lib. 3 de Virgine, *mihi prius gravitas sua nunciet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto, et praenuntia integritatis anteeant signa virtutis.* De hac Deiparae modesta gravique verecundia ait Damascenus, orat. 1 in nativ. Deiparae: *Quonam modo gravissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo oris tui venustatem? Quomodo senilem in iuvenili corpore prudentiam?* etc. *Gressus gravis et sedatus, atque ab omni mollitie remissus: mores severi ac hilaritate temperati.*

Sed adversus hoc assertum aliqua ex parte militare existimabit nonnemo illum in montana conscensum, celeremque festinationem Elisabetham invisurae Deiparae, quod scilicet ad invisendam Praecursoris matrem perrexerit nemora, montes, collesque non tardis dimetiens passibus, sed concito gradu, celeriori gressu percurrens. Nonne haec Virgineam gravitatem deceant? Nonne a verecunda tantae Virginis modestia procul abhorreant? Sed advertas obsecro, causam exstitisse in Maria huius festini cursus peccatum primaevum in Ioanne, originariae noxae mundítiem, maturam Baptistae iustificationem; cum autem peccati macula abolenda est, cum instat proximorum salus, omnis mora periculis obvia est, omnis praestolatio discriminibus patens; tunc praecipua verecundiae laus est, celeri gressu in remedium properasse, eximium gravitatis ac modestiae elogium, concito passu in auxilium prosiliisse. *Nec cursim ambulare*, ait Ambrosius lib. 1 offic., cap. 8, *honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas.*

1285. Remeavit in paternam domum adolescens ille prodigus, propriaeque substantiae dilapidator; et ecce vix pater illum a longe intuitus festinus occurrit, celerique incessu in filium properavit, scilicet in peccati destructionem omnisque culpae abolitionem. *Cum autem*, ait Luc. 15, *adhuc longe esset, vidit illum pater ip-*

sius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Et tamen non veretur a circumstantibus, et prospectantibus despiciendam iri tantam maiestatem, venerandam canitiem illius, qui plenus diebus vocitatur; si concito gressu, passusque per syncopen transilire videant ad infaustum iuvenem, abiectissimum porcorum custodem : sed haec omnia pro nihilo ducit genitor ac gravissimus senex, quippe cursui ansam praebuit in peccatore scelerum emundatio, improbi adolescentis in meliorem frugem reversio , et in pristinam gratiam gnati cum genitore reconciliatio : dum autem ad peccati maculam abstergendam, penitusque abolendam instat occasio , nec dedecet cursus senilem aetatem , venerabilemque caniem, nec concitus gradus verecundae ac modestae Deiparae gravitati indecorus est; imo tunc eximia modestiae encomium est gressus accelerasse.

1286. Ob eandem rationem, dum de nostra a peccato reparatione agitur, nulla est in Christo cunctatio, de quo cecinit Psaltes, Ps. 18, 6: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Nimirum festinanter exiliit, et saltibus insolitis emensus est viam: quam festinantiam sponsa decantat, Cant. 2: *Ecce dilectus meus venit , saliens in montibus, transiliens colles*; quo nostras in proximorum salutem dispelleret moras , ac lentitudines exstimularet. Qui ergo protoparentem puniturus lentis passibus per paradisum deambulabat, gressus quasi dimetiens ; nunc Sponsae salutem allaturus , citissimus saltibus adproperat. Ibi ait Textus, *Deum ambulasse ad auram post meridiem;* nunc ait Sponsa : *Ecce dilectus venit saliens in montibus.* De utroque adventu concinne Galfridus in cap. 3 Geneseos, in Allegoriis Tilmanni: *Nonne*, ait, *postea venit ad sponsam? Ecce, inquit, venit saliens in montibus, transiliens colles. Nunc vero deambulare dicitur, quaerens latentem inter frutices peccatorem, retardabatur, et lentis passibus incedebat, utpote qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam: ad Sponsam vero veniens festinat ocyor euro , et laetis admodum saltibus advolat, aeternae reparationis afferens medicinam.*

Haudquaquam ergo dedecuit regiam B. Virginis maiestatem cum verecunda modestia coniunctam accelerasse gressus , cursimque in animarum salutem properasse Filium aemulando: imo quod magis mirere , discipulum proditorem , quasi tardum ac segnem Christus Dominus veluti admotis calcaribus ad cursum impellit , inquiens: *Quod facis, fac citius*, Ioan. 13; nec mirum cum vocetur ab Isai. 8: *Nomen eius, Accelera, Festina.* Ifane ad convitia , ad tormenta, ad plagas et lurida vulnera , ad clavos , ad diram lanceam, ad funestam crucem, trucemque mortem, non sat erat lento ivisse passu? Nonne lenta et matura opus erat consideratione? Verum agitabatur de remedio generis humani , mortalium reparatione , ac peccatorum abolitione , dominatus Luciferi ruina, paradisi reseratione; nihil ergo mirandum quod Christus cursui se committat, ac festinanti discipulo calcar addat, ac celeriori gressu properantes Iudaeos antevertat. *Cucurri in siti*, inquit per Prophetam, Ps. 61: quae festinatio indecora censeri non debet, nec verecundae gravitati adversatrix ; siquidem ad abrogandum peccatum , eiusdemque imperium funditus evertendum concito cursu, praepetique volatu opus est, dum alias cunctanter, lentoque passu gradiendum : sic Deipara festinato per montana perrexit, quia utero gestabat Gnatum, cuius nomen est *Accelera*, rumpit moras , quia in Baptista erat originale peccatum abolitura.

CERTAMEN XIII.

Marianam mititatem et mansuetudinem depraedicat.

1287. Mititas ac mansuetudo, ut ait Aristoteles, lib. 8 Ethic., cap. 5, virtus est, quae moderatur iram secundum rectam rationem. Ait autem de B. Virgine s. Ignatius, epist. ad s. Ioann., Deiparam iniuriam irrogantibus sibi fuisse gratam ac benevolam. Et D. Damascenus, orat. 1 de nativ. iniquit: *Sermo eius iucundus ex leni anima progrediens.* Quod si mites dicuntur , qui pravis affectibus dominantur, et mansueti dicuntur , qui nec irritant aliquem , nec irritantur , neque alicui nocumentum afferre parant; quis mansuetior ac mitior, quam Deipara, quae perfectissimum sui dominium , nullo affectu pravo reclamante , habebat ; nulli nocere , omnibus prodesse, exoptans? Bene igitur Ecclesia canit: *Virgo singularis , inter omnes mitis.* Bernardus item, serm. 1 de nativ. Mariae: *Revolve*, inquit, *diligenter evangelicae historiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum , si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de caetero suspectam habeas, et accedere verearis.* Quod si s. Epiphanius, lib. 3 contra haereses, illam leaenam vocat, ex eo est quia , ut ipse et alii tradunt , leaenae non contingit secundus partus; non tamen ex eo quod mitissima non sit: imo Leonem de tribu Iuda sic laneo humanitatis vellere vestivit, ut in Agnum mansuetissimum commutaverit, iramque Dei leoninam fregit , effecitque ut qui antea Leo nuncupabatur propter iustitiam punitivam, iam laneos, ut aiunt, pedes habeat , id est, aut raro, aut sero , aut multo mitius in peccatores animadvertat. Ideo in novo Testamento Agnus plerumque compellatur natus de ove illa immaculata (verba sunt Epiphanii) quae peperit Agnum Christum. *Vellus plane Maria,* ait Ambrosius, *siquidem de molli eius sinu Agnus egressus est* , etc. *Vellus dictum , quia mollis ad obsequium.* Quid vellere mollius ? et tamen fulmina hebetat. Quid lana mitius ? et tamen mos est inter milites lanea vellera obiicere tormentis bellicis, ut eiaculatorum globorum ictus infringant: ita prorsus hoc Mariae obiecto vellere Dei saevientis in homines ira perrumpitur et hebetatur.

1288. Praemitto autem huic elucubrationi, maximam inesse vim alimentis ad ingenium, naturamque commutandam. Hinc certius est quam probatione indigeat , plus infantes assimilari

uberi quam vulvae; plus mores et genium nutricum, quam matrum referre pusiones: de quo plura in Mendoza, tom. 1 in lib. Reg. in exposit. lit., ver. 23, cap. 1, num. 6; et patet exemplis allatis ab Auctoribus probatis. Sic ait Iulius Alexander, lib. 27, cap. 8, asianas capras, quae pascuntur helleboro, lac elaborare quod ad expurgandum valde conducat; et lib. 12, cap. 8, pascua odorifera pecorum carnes odoratas exhibere: subditque a Galeno tradi alites helleboro altas, si in cibum hominum dentur, purgandi vim continere. Illud mirabile quod tradit, lib. 11, cap. 11, cervinam carnem, vitam, visumque prorogare, quia cervus acri visu pollet, et vitam in plures prorogat annos. Phavorinus praeterea apud Aulum Gellium, lib. 12, cap. 1, docet: *Si ovium lacte hoedi, aut lacte caprarum agni alerentur, constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus praeterea, et frugibus maior plerumque vis et potestas est, ad eorum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum, quae alunt, quam ipsius, quod iacitur, seminis.* Addit Galenus, lib. de alimentis, persica mala Persis esse venenosa, salutifera et innocua Aegyptiis. Quae doctrina maiorem vim habet in infantibus, iuxta Aristotelem lib. 4 de Generat. anim., cap. 7, quo enim tenerior indoles, et infirmior complexio infantis, eo facilius a lactatione nutricis mores ebibit, indolem commutat, novumque induit ingenium.

1289. Quoties audivimus in veteri Pagina denominari Deum, Dominum exercituum, Deum ultionis, Leonem de tribu Iuda, igne flammanti circumseptum, et in circuitu tempestate valida cinctum, alto de coelo tonantem, fulgurantem, acuentem gladios, tendentem arcum, vibrantem fulmina, sagittas contorquentem, orbem cataclysmo submergentem, flammivoro sulfuris incendio civitates devastantem, marinis refractarios undarum vorticibus submergentem, ac pervicaces et rebelles telluris hiatibus obruentem. At vero humanitate vestitus, ex Virgine natus, lacte Virgineo pastus, mitissimus Agnus asseritur, qui calamum quassatum confringere nequeat, nec stupam fumigantem extinguere: nempe ex mititate Matris ebibet mores, mites spiritus hausit ex nutrice, et ex uberibus lac dulce ac mansuetudinem spirantibus, lenitatem epotavit. Ad rem nostram Hailgrinus Cardinalis: *Meliora enim posterioris et uberioris efficaciae sunt ubera Beatae Virginis, quam vinum; nam vinum inebriare potest hominem, ut praeteritarum sit immemor offensarum, et sit facilis ad condonandum: ubera vero Beatae Virginis Deum quasi inebriare potuerunt; nam postquam de Matris uberibus bibit, ac si cum lactis dulcedine dulcedinem ebibisset misericordiae, proiecit ab oculis suis peccata nostra post tergum, et factus est largus ad dandam peccatorum veniam.* Concinit Richardus Victorinus, 2 part., cap. 23, in Cantic. his verbis: *Cum materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter filii Dei ex te fluere coepit; eius quoque largitas per te sumpsit augmentum: in te ergo concrevit lac divinae misericordiae, et ex te nobis profluxit.* Grandis profecto laus Beatae Virginis, cuius mititas ac mansuetudo, Dei misericordiam licet infinitam adauxerit, novaque caeperit incrementa hausto a Verbo divino Virgineo lacte.

1290. Dum e Matris gremio pendet Iesus, ac sugit alimentum, licet Iudicis ingenium non deponat, tamen dissimulat, et mititatem induit; in cuius typum Arca foederis Propitiatorium praeseferebat, ex quo Divinae pietatis responsa dabantur: nullum vero in Arca severitatis tribunal aderat; sic Maria totum nobis Deum reddidit propitium: *Coeteri sancti,* ait ibi Glossa moralis, *etiam supremi Angeli sunt in coelis, sicut Dei Ministri, ipsa vero, nempe Maria, sicut Coelorum regina, ipsa precibus suis Deum facit nobis propitium.* Olim tametsi Deus Israelitas per mare rubrum incolumes traduxit; verum Pharaonis exercitum tumescentibus aquarum fluctibus ultor absorbuit. Non ita ad Iordanis undas, quas sicco pede traiecerunt Hebraei, sed nullus ibi aquarum voluminibus absorbetur. Cur ita? Nempe per mare rubrum praecedebat Moyses tanquam illius populi dux, in Iordane autem Arca ductabat Israelem; sic enim habes Iosue 3: *Egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Iordanem: et sacerdotes, qui portabant arcam foederis, pergebant ante eum... omnisque populus per arentem alveum transibat.* En quomodo Deus in Arca foederis, umbra Mariae, omnes ab undarum fluctibus incolumes liberavit, qui in Moyse Numinis vices gerente pluribus stragem et excidium attulit. Sic etiam Iesus e maternis brachiis pendens omnibus salutem impertit; ait enim Simeon, Luc. 2: *Viderunt oculi mei salutare tuum. . . . lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.* Dum in Mariae brachiis sistit Iesus, omnes lumine suo illustrat ac perfundit, omnibus gloriam impertitur, nescit non omnia bona dilargiri, nec excidio alicui esse: at in Simeonis brachiis, pluribus ruinae futurus esse praedicitur. *Accepit eum in ulnas suas, et benedixit eum, et dixit: Nunc dimittis,* etc. *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum.*

1291. Verebantur antiquitus homines torvos timendae ac formidandae Maiestatis Dei vultus et adspectus; at postquam lac suxit ex uberibus mitissimae Virginis, iam iidem experiuntur gratum ac iucunditate plenum adspectum, faciliorem aditum, amaeniores vultus, mitiorem indolem ex uberibus maternis haustam; cuius suaveolentiam ac fragrantiam omnibus unguentis, et aromatibus praestantiorem praesentientes gentes, ac nationes omnes ad Mariae Filium concito gradu properarunt, et a quatuor mundi partibus suavitate allecti festinarunt: hanc autem odorum fragrantiam, ac indolis lenitatem, qua Christus nationes omnes ad se dulci, efficaci tamen vi attraxit, et alites ferocientes nationum efferarum cicuravit, a lacte Mariano deprompsit. Duplex ars a venatoribus inventa, ut columbas sylvestres aucupentur: vel enim cum displosione terrifica pulveris tormentarii interimuntur, sed non ita bene; quia sclo-

peti fragore horrido perterrefactae celeriores volatus meditantur per montium saltuumque praerupta, quo aucupis ingenium penetrare nequeat: vel etiam maiori venatoris emolumento, ac minori labore sparsis odoramentis unguentorum, ac aromatum suaveolentium, si danda est fides s. Basilio Magno, epist. 175: *Ars quaedam est aucupandi columbas; videlicet talis, ubi unam coeperunt, qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt, deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque se iungi agrestibus, illa vero per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius ipsa est domestica; beneolentem namque sequuntur et reliquae, atque ita in potestatem columbarii veniunt.* Ut hinc intelligas quanta sit suavium odorum vis, quantum lenitatis pondus ac robur, quanta mansuetudinis potentia. Experimentum caeperat Deus, terrorum fragoribus potius praedam hominum abigi, quam capi; deposito igitur severitatis vultu, humanitate circumamictus, ac nutritus Mariano lacte, quasi suavissimo odoramentorum unguento delibutus, praedam allexit ac cicuravit, ut iam dicere possit sponsa cum pedissequis: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Venit ergo non cum imperiali satellitio, et Angelorum comitatu, non ignitorum globulorum fragore deterrens, non tonitruum ac fulminum et fulgurum displosione terrefaciens mortales; nolebat enim efferos et agrestes homines abigere; sed venit sub Agni mitissimi specie, sub lactentis infantis forma, totus lacteus, totus lenitatem spirans, ab Agna mitissima Maria cum lacte suavitatem ebibens, mititatem redolens, quo praedam non territaret, et sine strepitu ad salutem homines caperet, ac mansuefaceret.

Hanc vero odorum suaveolentiam a Matre hausit, ut habes in cap. 3 Cant.: *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* In quem locum s. Petrus Damianus, serm. de Virg. B. assumpt., haec profert verba: *Species quidem integrae odorem reddunt, sed non tantum, quantum confractae; crebris enim tunsionibus supertritae remotiorem etiam locum odorifera conspersione refundunt: sic et virtutes in pace quidem fortiter redolent, sed fortius in tribulatione. Universus ergo pulvis pigmentarius in Maria repertus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit: et si caeteris per partes spiritus affuit, Mariae tamen tota plenitudo gratiae supervenit; nec integrae in ea fuerunt species, sed in subtilissimum comminutae, quia ipsa est, quae fortioribus tribulationum malleis superoppressa.* Si ergo Beata Virgo tota ex universi pulveris pigmentarii confectionibus compacta, nihil mirum ab epoto lacte Mariano sugeret Gnatus quascunque odoriferas virtutum qualitates, praecipue lenitatem, et ab odorifero corpore Mariano, odoriferum ac suaveolens corpus nanciscetur.

1292. Deus tanquam sol, antequam Virgo B. exoriretur per cancri, tauri, scorpionis ac librae, leonisque signa pervagatus, maximo vindictae in homines aestuabat ardore. Hinc Prophetarum voces severitatem ac supplicia sonantes. Ps. 17: *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Et iterum Psalm. 96: *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Isai. 30: *Ardens furor eius, labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans, spiritus eius velut torrens inundans.* Nahum 1: *Deus aemulator, et ulciscens Dominus, et habens furorem.* Verum postquam Sol divinus Virginem pervasit, severitate deposita, ac relicto supercilio, vindictas exuit, cogitationes pacis meditatur, amictus mansuetudine; et quae quondam in coelis inhabitabat misericordia iuxta Davidem, Psalm. 35: *Domine, in coelo misericordia tua,* iam terras incolit: *Misericordia Domini plena est terra,* aiebat idem. Quae autem iustitia priscis illis temporibus per omnes orbis angulos serpebat, Dei omnipotentis lictor et anteambulo, iuxta eundem Psalmographum, Psalm. 47: *Iustitia plena est dextera tua.* Et Psal. 84: *Iustitia ante eum ambulabit.* Et Psal. 88: *Iustitia, et iudicium praeparatio sedis tuae.* Per Beatam Virginem invertitur ordo, ita ut iustitia coelum repetere cogatur, misericordia vero terras incolere iubeatur; ac proinde factum ut iustitia de coelo prospectet, et misericordia apud nos stationem fixerit, iuxta Psal. 83; et Deus totus misericors, dulcem ac suavem hominibus se exhibeat, Ps. 144: *Miserator, et misericors Dominus: patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Totus ergo sacchareus ex B. Virgine prodiit, quia Virgineo lacte nutritus. *Sol materialis,* ait sanctus Antoninus 4 parte, tit. 15, c. 21, *per Zodiacum discurrens, ex signo Leonis, quando est ferventissimus calor eius super terram, intrat in signum Virginis; ad innuendum quod sol iustitiae, Deus noster, ex tempore veteris testamenti, quando Deus ut Leo rugiens erat Deus ultionum puniens terribiliter peccatores, ut patet per exempla in Scripturis, et ferventissimo amoris calore intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus et suavis et humanus.* Idem ergo Deus, qui olim inter tonitrua, fulmina et flammantes globos, terrae tremorem et ventorum turbinem apparebat, Eliae in sibilo aurae tenuis ostenditur, hoc est in miti humanitate, ait Rupertus, a Virgine accepta, deposito fastu, omnique amoto terrore; vel ut Chaldaeus vertit, *in voce canentium in silentio;* hoc est in harmonico concentu, ut iam mortales non terrefaciat, sed mulceat et alliciat, quod totum hausit a mititate Mariana.

1293. Nescit Deus in Maria hominibus malum inferre, et quasi dediscit iustitiae rigorem in sontes. Querebatur Propheta de suorum labiorum immunditie, Isai. cap. 6: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum... Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Ignis divinus nescit in throno, et in altari polluti Prophetae labia adurere, sed solum fovere et illu-

minare : nec rigor Dei potest in throno , aut in altari ad peccatores desaevire, quia Deus in Maria nemini excidio est, omnibus lumen confert; separetur ignis a throno , extrahatur ab altari, ut polluta labia comburat , ut dolorem inferat Prophetae , et in eum animadvertat ; alioquin ignis in throno , Deus in Maria per thronum et altare figurata, nescit inferre supplicia , sed blande fovere, ac suis homines collustrare gratantibus radiis: *Exaltatio Virginis*, ait s. Bernardinus tom. 3, serm. 11, art. 3, cap. 1, *praevisa fuit*; *Isai. cap. 6: Vidi Dominum sedentem super solium.* Et Epiphanius alibi productus vocat Mariam sacerdotem simul , et altare. Deipara Deum mitem nobis reddidit, ita ut in ipsa et per ipsam nec urere, nec desaevire sciat, sed solum splendore suo fovere , radiisque micare.

Deliquerat Adamus in Paradiso per vetiti pomi esum : et ecce Deus Verbum delinquentes puniturus advenit; et quasi sui muneris oblitus iudicem exuit, et Patris induit affectum ; ait enim Textus, Gen. 3: *Fecit enim Deus Adae , et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos.* Proh Deum immortalem! quam dispar humanorum iudicum ingenium; hi plerumque etiam insontes rebus omnibus denudant, eorumque bona apprehendunt: non sic Verbum Divinum, sed et flagitiosos vestibus induit, nudos operit ; et qui severi iudicis officium obiturus advenerat, iam Patris viscera induit. Cur ita? an quia in paradisum intraverat? De Maria ait Andreas Cretensis, orat. de Annuntiat.: *Gaude sancta terra Virginea , ex qua novus Adam formatur, qui veterem Adam servat.* De Mariano Paradiso Verbum Divinum iudicis severos vultus deponit , et in Patris affectum commutat. Ideo etiam ante Paradisum constituitur Cherubim flammeum versans gladium. *Eiecit Adam , et collocavit ante paradisum flammeum gladium* , ait sacer Textus, Gen. 3, 25. Non potuit ignis in Adamum desaevire, nisi a paradiso dispulsum ; neque Cherubin flammantem in delinquentes romphaeam distringeret intra paradisum: consulto ergo ante paradisum sistit, ut gladium igne conflatum in sontes evibret, et dissecando adurat.

1294. Rem miram inspiciebat Moyses soceri pascendis gregibus invigilans, Exod. 3: *Videbat quod rubus arderet , et non combureretur.* Ingenti flammarum rogo paliurus ardebat, et inter flammantia incendia florido virore vernans victor ovabat. Quid ergo? anne ignis urendi vires amisit, vel desaevire desuevit , qui in cedros et arbusta quaeque desaevit ac redigit in favillas? *Montes sicut cera fluxerunt, ignis ante eum exarsit;* Ps. 95. Procerae quaeque arbores in ceram liquescunt, nec vim incendii sustinere possunt, et rhamnus aptissima ignis materia a tanto incendio laedi non potest? Quid mirum , si ignis in rubo non comburat, sed splendeat , radiisque blandiatur? Nimirum rubus Mariam innuebat; et quidem Deus in Maria, licet ignis, desaevire dediscit, ac amburere nescit, sed ceu iuvare, collustrare ac splendescere exambit. Adest Rupertus, lib. 1 in Exod., c. 12: *Totus hic ignis, subauditur Christus Deus et homo, novem in utero Mariae mensibus habitavit.* Ac inde illud ingenium hausit , ut nec stipulam urat , nec in peccatorum paliuros desaeviat. Solum collustrare suo lumine amat , ut merito dicat Simeon : *Lumen ad revelationem gentium*, Luc. 2.

Grande profecto mysterium, stupenda Mariae Virginis potentia ; ille enim , quem reverentur Angeli , qui terrore concutit orbem , mitis ac suavis in ipsius gremio conquiescit , totus melleus, totus dulcis: *Mitigasti omnem iram tuam, avertisti omnem indignationem tuam, ostendisti nobis misericordiam tuam , salutare tuum nobis dedisti , misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt.* Sed unde tam prodigiosa rerum immutatio? Haec profecto mutatio dextrae excelsae Virginis. *Etenim Dominus dabit benignitatem , et terra nostra dedit fructum suum.* Ex fructu Virginei ventris tot nobis bona derivata sunt. Unicornium ferocissimum quidem animal est, cornutaque fronte cuncta procul abigit animantia acuminati cornu sui terrore concussa, quod hoc unico modo facile venatores intercipiunt , ei Virginem puellam obiicientes , cuius conspectu immanis belluae ferocia infringitur ac cicuratur. Getulios homines colloquium blandum foeminae mansuefecisse , auctor est Plinius, lib. 8, cap. 16. Sed illud magis mirabile , si verum refert Pierius Valerius , lib. 1 , titulo *Dominatio*, quod scilicet ovis quaedam ex grege privati cuiusdam hominis, nomine Nicippi, in insula Coo leonem peperit , quo felici omine Nicippi dominatus, et imperium insulae illius, in quo statim evectus est, portendebatur. Simile quid vaticinatus est Isaias cap. 16 de Christo ex Beata Virgine: *Emitte Agnum dominatorem terrae de petra deserti.* Quae verba s. Hieronymus ita commentatur: *O Moab, in quam desaeviturus est Leo , habeto solatium hoc : egredietur de te Agnus immaculatus , qui tollat peccata mundi , qui dominetur in orbem terrarum, de petra deserti, hoc est de Ruth, quae genuit Obed, et Obed Iesse, et de Iesse David, et de David Christum.* Qui ergo olim terrificus Leo Iuda gentes territabat, nunc de Maria non Leo, sed Agnus editur orbis domitor , tartarei principatus dominator. Igitur Unicornii nostri rigor, ac furor huius pulcherrimae Virginis obiectu infractus fuit et interceptus; Leonis terror in mansuetissimi Agni mansuetudinem commutatus.

1295. Matth. c. 11, ait Christus Dominus: *Discite a me , quia mitis sum , et humilis corde.* Cum tamen omnium virtutum plenitudo, earundemque perillustria exempla hominibus exhibuisset. Cur ergo humilitatem potius mansuetudinemque nobis imitanda proponit? Non enim minus reliquae virtutes in Christo emicabant , quas hominibus ad imitandum proponere expediebat. Litem dirimat Ambrosius, lib. 2 in Lucam: *Vide humilitatem,* ait, *vide devotionem. Ancillam se dicit Domini , quae Mater eligitur : nec repentino exaltata promisso est; simul ancillam dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quae faceret quod iuberetur : mitem enim , humilemque paritura , humilitatem ipsa etiam debuit praeferre.* Quasi Chri-

stus Dominus qui est omnium virtutum meta, has duas speciatim virtutes, nimirum humilitatem, mititatemque nobis imitandas proponat: non utique quia reliquae necessariae non sint, et in se eadem perfectione omnes non cohibeat sed quia eius Diva Parens eas maxime praesetulit, utpote quae ipsum Humilem, Mansuetumque erat paritura: scilicet has duas virtutes, in quibus speciatim Virginem Matrem aemulatur ac refert, potius nobis specialiter a se adamatas, ut eas in nobis exprimamus, proponit; quia a Matre cum lacte eas hausit.

Et petra et saxum nuncupatur Christus Dominus, iuxta illud Deuteron. 32: *Constituet eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Ait autem Paulus: *Petra autem erat Christus.* Cur autem dum Christum Petram vocat, non meminit duritiei, sed solum quod mella fundat, quibus homines dulcorentur? Nempe quia Iesus meus ex Maria hausit, quod totus sit melle conditus, ac melleos rivos effundat. Dulciter rem tetigit Hugo Victorinus, ser. 22: *Petra et saxum Christum significant, sed petra significat Christum in sinu Matris, saxum significat Christum in dextera Dei Patris.* Quasi a sinu Patris durus ac pugnax debellator in orbem rebelles, et contumaces domiturus adveniat: at a sinu et gremio Matris totus lacteus ac melleus, mitis ac blandus in homines accedat. Huc respiciebat idem Hugo in miscel., num. 2, lib. 4 in titulo 26, dum ait: *Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius. Quam bene, quam recte dicitur flos, quia ex virga Virgine producitur: in flore itaque est mellificatio, ex flore fructificatio, ex flore favus et fructus; si parva sunt ista, addo quod et in flore medicamenta. Ex hac medicina sanitas sempiternae incorruptibilitatis.* Hausit Iesus a Maria quod sit Flos, ex quo favus et mella fabricantur, ex quo fructus dulcissimi enascuntur, ex quo denique medicamenta suavissima conficiuntur, quae omnem corruptionem longius propellant ac radicitus extirpent.

1296. Vidistine mare tumore superbum, robore et constantia fortissimum? Provincias integras haustu uno absorbet ac devorat, non montium imminentium timet molem, nec ingentium rupium fragorem adstupet, ad nullius creaturae pavet occursum; et tamen aliquando regius Psaltes, ferocissimum hoc elementum timore conterritum et consternatum, ac prae metu fugae se commendans adspexit: adeoque ipsum irridens ac subsultans in has voces prorupit, Psal. 113: *Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?* Cuius igitur timore sic percellitur ac concutitur, quod cum ursis ac tigridibus et cum scopulis bella movet, et omnia robusta et fortia ad singulare vocat certamen: videlicet Arcam Domini appropinquantem expavet, praesentit Numen Divinum inibi conclusum; et ad Creatoris praesentiam tremore concutiuntur undae; et ad tanti bellatoris adspectum maria contremiscunt. Quis mortalium sisti non refugiat, ac trepidet ante augustum et supremum illud Tribunal, ante quod totius orbis terrarum Imperatores ac potentes totis artubus contremiscentes trepidabunt? Verum o fortunatam nimis cultoris Beatae Virginis sortem! idem illud mare, quod ante Arcam timore correptum fugam meditatur, iam ante conspectum Christi, imo et totius Trinitatis praesentiam, immotum manet, ac Iordanis undae placidae, hilaresque consistunt, nempe cum Christus super maris aquas incedit, et cum a Ioanne ad ripam Iordanis Baptismate abluitur. Sed cur ita, nec maris fluctus, nec Iordanis undae non refugiunt? Nempe quia Christi humanitas, ex lacte et sanguine Mariae coagulata, Mariae ebibit indolem, Mariae mititatem redolebat, ac Matris mansuetudinem referebat; adeoque mare, quod ad conspectum Dei tonantis, fulgurantis retrocedebat terrore compulsum, ad conspectum Christi mitis ex mititate Matris, nec fugit, nec terretur, quia divinitas temperavit Maiestatem terrentem cum Christi Humanitate ex mitissimis Mariae visceribus deprompta. Huc advoco Cyrillum Hierosolym. catech. 12: *Ante carnis assumptionem mare vidit et fugit; Iordanis versus est retrorsum. Assumpsit corpus Dominus, ut mare videns sustineret, et Iordanis sine timore illum susciperet.*

Verba illa Psalmi 109: *Ex utero ante Luciferum genui te,* interpretantur de corporali Christi generatione ex Maria Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, et alii apud Lorinum, et illud *ex utero*, ait ipse Lorinus verti posse, *ex misericordia*, seu *miseratus*. Quasi Christus Dominus ex utero Mariano, quasi ex misericordia totus compactus prodeat et misericors, Matris pietatem ebibens et exprimens, et iam inde miserescens nostri, ita ut verius de Christo, quam de Iobo affirmari possit, ab infantia crevisse cum illo miserationem, et de utero Matris fuisse egressam. Quasi misericordia non solum Christo insederit ex huius virtutis studio, sed etiam ex innata naturae haustae a Maria propensione: et ut inquit Gregorius de quolibet iusto in cap. 31 Iob: *Electis, sed potius Christo, cum foris aetas corporis, intus crescit aetas virtutis.* A Patre Christus infinitam miserationem hausit, a Matre misericordiae indolem: et sicut Christus non solum ut Deus, sed etiam ut homo patrizabat, id est Patris aeterni mores referebat; ita etiam ut Deus et homo matrizabat, id est Matris divinos mores referebat. Ita ut verum sit affirmare de Maria quod ipsi Deo misericordiae indolem indiderit: a quo non abest Ambrosius, de institut. Virg., cap. 16, dum ait: *Eum* (nempe Christum) *concepit et peperit Maria, et coronam capiti eius aeternae pietatis imposuit.* Quasi Virgo Deipara in Christo benignitatis suae indolem expresserit, quam Christus sibi imposuerit in capite tanquam coronam.

1297. Ex hac ergo mititate Mariana, quam Christus cum lacte hausit, teneo D. Zenonem ser. 2 in Nativ. de Elisabetha verba facientem, et de Maria: *Illa*, inquit, *praeconem portat, haec iudicem. Exultate iam, foeminae, culpa deleta veteri.* Sed cur exultent, ubi praeconem et iu-

dicem audiunt ab Elisabetha et Maria nobis afferri? Si adest praeco, et imminet iudex, quid superest nisi tortor, gladius et funes et crux? Et tamen s. Zenon ad gaudium et tripudium nos vocat. Et quidem merito; licet enim Iudex advenit, tamen ex visceribus Mariae ipsiusque lacte altus, quid cum illo lacte ebibet, nisi mititatem? Quo respexit Hugo Victorinus, lib. 1 Miscel., tit. 85, dum ait: *Christus in coelo ex Patre sine Matre Deus; Christus in terra ex Matre sine Patre homo: in coelo qualis Pater, talis Filius; in terra qualis Mater, talis filius: in coelo cum Patre aeternus et immensus; in terra cum Matre incorruptus et mansuetus.* Ex lacte igitur materno mansuetudinem cum natura induit. In cuius rei symbolum Iosias rex iustus consuluit Holdam Prophetidem uxorem Sellum filii Thecuae, ut iratum Numen leniret. Anne deerant Prophetae sanctitate conspicui? cur foeminam prophetissam potius adiit consulturus? Nempe relictis Prophetis foeminam consulit, ut per foeminam, quae Mariam adumbrabat, Deum mansuefaceret ac clementiorem redderet, foeminae namque magis ad misericordiam proclives sunt: ita Nicolaus de Lyra. Quisquis ergo Deum iratum tibi clementiorem reddere satagis, Mariam interpone, per ipsam enim Deum mitiorem experieris.

CERTAMEN XIV

Nec urbana comitas, nec eutrapeliae virtus Virginem Deiparam dedecuit.

1298. Ex mititate, de qua hucusque egimus, proclive est urbanam Beatae Virginis comitatem ostendere. Quo enim magis sancti viri diros et austeros in seipsos se exhibent, eo magis comes et urbanos in alios se ostendunt. De Abraham ait sacer Textus, Gen. 18: *Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Urbanus ergo erga tres illos viros, qui ipsi se obvios dederunt, ostenditur Abrahamus, eos deducens ac comitans, ut mos percrebuit apud proceres et nobiles viros, qui ad aliquod itineris spatium hospites comitari solent. Nec enim dedecent sanctitate conspicuos homines huiusmodi urbanitatis leges; imo aversatur Deus, et exosos habet inurbanos et agrestes viros, ut bene expendit ad praedictum locum Geneseos Oleaster: *Sancti*, inquit, *viri non solum sancti sunt, sed etiam urbanitatem norunt: abhorret enim Dominus a sanctis incivilibus.* Huius urbanitatis leges, ac praescripta observarunt Paulus Eremita, et Antonius magnus, dum pia quadam et urbana contentione pene diem integrum luctati sunt, quisnam panem fracturus esset. Quam mutuam amborum comitatem eleganter describit Hieronymus in vita Pauli: *Quis*, ait, *frangeret panem, oborta contentio pene diem duxit in vesperum: Paulus more cogebat hospitis; Antonius iure repellebat aetatis. Tandem consilium fuit, e regione pane dum ad se quisque nititur, pars sua cuique remaneret in manibus.* Quam officiosam pugnam inter utrumque coortam eleganter pepigit Christianus Poeta:

Dum Coracis nigri portatum cruribus uncis
Pugnat, uter panem frangat, uterque senex.
Mirantur rupes, nemorum per inhospita lustra
Aularum ritus, munditiesque coli.
Ipse Deus pugnam circo despectat ab aureo,
Quo Phaeton gemmis sparsa vehicla movet.
Est tamen inventus modus in certamine; panem
Arripuere simul, dissecuere simul.
O nova res seclis! belli novus exitus orbi!
Victor uterque fuit, victus uterque fuit.

Imo ipsi aligeri Seraphini in decantandis Dei laudibus in seipsos reciproca urbanitate comes se exhibent, ac vicissim urbanitatis leges praescriptas apprime custodiunt. Ait enim Isaias 6: *Clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Non utique confusis vocibus intonant, neque inconditis clamoribus aethera fatigant: sed alternatim cantica pangunt, ac prius hic aliorum voces urbano auscultat auditu, comique praestolatur aure, sicque insequuntur alii, quoniam dramata et laus panegyris eo placidior Deo ac iucundior, quo urbanius et comius decantatur, dum reciproco honore ac mutuis officiis gestiunt alterius cedere laudibus. Rem tetigit s. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1, orat. 4 in Isaiam: *Os eorum plenum est faustis ominationibus, ac laudibus; gloriam enim decantant, idque alternis vicibus, non quia defatigantur, sed honore mutuo sibi cedunt, et vicissim doxologias, ac laudationes cantitant. Omnia enim superaordinate fiunt, ac decenter.* Bonus autem ordo in hac reciproca urbanitate ac mutua reverentia situs est.

1299. Huius sanctae comitatis ac politiae seipsum exemplar praebuit Christus Dominus, dum Iordanis aquis a s. Ioanne ablui deposcit ex ingenti animi submissione: cui Ioannes non inurbanus, licet agrestis, eremique cultor comiter occurrit. *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quae verba, inquit Abulensis in cap. 3 Matth., quaest. 76, Ioannes protulit ex urbanitate: *Quia interdum, qui sunt magis virtuosi,* ait ille, *deferunt honorem minus virtuosis, unde licet Iesus, quantum ad exteriora non videretur aequalis Ioanni in sanctitate* etc., *Ioannes ex urbanitate deferret ei honorem hunc, et diceret: Ego a te debeo baptizari.* Huius urbanitatis post Christum, clarum exhibuit exemplar Deipara cum accedit invisura Elisabetham. Cur regina Deiparens sibi inferiorem dignitate, tametsi propinquitate parem, non ad se accersit Elisabetham? Respondeo id ita fuisse ex quadam urbanitate; urbanius enim erat, quod ipsa Elisabetham inviseret, quam ut eam ad se vocaret: non igitur per internam inspirationem Virgo iam Dei Mater ad se allicit consanguineam, sed ad illam potius ultro et festinanter accedit, ut sanctae urbanitatis exemplar nobis ante oculos proponat in exhibendis et comiter praeveniendis mutuis officiis ac salutationibus, pia quadam concertatione, ut aiebat Paulus, Rom. 12, 10: *Honore invicem praevenientes.*

Aliud accipe huius urbanitatis specimen sin-

gulare a Deipara exhibitum a s. Augustino expensum apud Maldonatum in cap. 2 Luc. ad illa verba: *Pater tuus et ego dolentes* etc. Ubi modestiae et comitatis, ait, fuisse in Beata Virgine, quod non dixerit: *Ego, et pater tuus*, sed e contra. *Christum*, ait Augustinus, *peperat, Angelus ad eam venerat, et dixerat ei: Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis praeferebat, ut diceret: Ego et Pater tuus, sed: Pater tuus, inquit, et ego.*

At dicat aliquis, Virginem Deiparam huius sanctae comitatis ac politiae leges fuisse transgressam, cum salutanti Gabrieli nec obviam ivit, nec tantum nuntium honore praevenit, nec reciproca salutatione tantum hospitem excepit. De his enim nec verbum protulit Evangelista in longa tanti mysterii narratione ac serie; solum enim attexit, Deiparam respondisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et iterum: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Respondeo primo fieri potuisse, ut Beata Virgo mutuo Angelum resalutasset, ac comiter excepisset, prudenter tamen id siluisse Evangelistam, ut ad tanti mysterii propalationem properaret: plures enim Doctores asserunt, colloquium inter Deiparam et Angelum ad longam temporis intercapedinem fuisse dilatum: Evangelista vero solum, quae ad tanti Sacramenti evulgationem attinebant, recensuit, caetera silentio praeteriit. Vel dic Mariam tantae legationis pondere praeventam, solum mysterium ore Angelico prolatum attendisse; atque tantae rei magnitudine absorptam, solum de salvanda virginitate cogitationem omnem insumpsisse. Vel tertio dico salutantem Angelum tam insolito salutationis elogio non resalutasse, quia subdubitabat, an Angelus secum loqueretur, utpote ex ingenti animi submissione existimabat talem salutationem, non sibi, sed alteri competere. Quarto demum responderi potest Beatam Virginem Angelo dignitatem maternitatis Dei offerenti, nec verbum urbanum dedisse, nec gressum ullum fecisse ipsi occursuram; ne dignitatem tantam ambire, vel ultro et comiter excipere videretur: nec enim Virgo Beata assentatoriis verbis dignitatem aucupata est, nec pedem movit, ut illam obtineret. Hinc ter in Cantico ad sceptrum et regium diadema compellatur: *Veni, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Quasi non ultro dignitatem exambierit, sed invita, et per vim ad illam excipiendam traheretur.

1300. De eutrapelia autem, quam aliqui apud Aristotelem, lib. 4 Ethic., cap. 8, urbanitatem etiam vocant, alii facetudinem, dicendum est, esse virtutem omnibus animi relaxationibus, sive corporis etiam, modum ponentem, quippe assignanda est virtus, quae omni exhilarationi animi modum ponat. *Cum in vita*, ait Aristoteles, *requies etiam quaedam sit, in qua homines ioco utantur, videtur etiam hic esse congressio quaedam moderata, et dicendi ea, quae oportet, et audiendi. Differentia quoque in eo erit, ut et inter tales quosdam dicamus, et tales audiamus. Circa quae excessum etiam esse medii, et defectum, perspicuum est.* Quae ratio luculenter demonstrat virtutem aliquam statuendam esse, quae circa omnem animi relaxationem tanquam circa propriam materiam occupetur. Non enim solum verbis, sed et aliis rationibus animus relaxari potest. In quibus exhilarationibus excessus ac defectus, itemque moderatio et virtus cerni potest; et haec quidem virtus recte denominatur Dexteritas, nempe quia ingenti dexteritate opus est; ut quis verborum sales adhibens, medium et modum teneat.

Necessaria itaque est moderata aliqua remissio, et fessi recreatio, ut vegetior animus iterum laborem resumat; dummodo tamen id, ex quo recreatio illa assumitur, sit honestum opus, et omnibus circumstantiis requisitis ad honestatem vestiatur: tunc enim illa honesta recreatio, virtutis opus est. Bene Chrysostomus, homil. 11 in Genes.: *Erudiens nos omnium Deus, et per creaturas suas nostram harmoniam temperavit. Discere hoc licet a die et nocte, hoc est a luce et tenebris. Quandoquidem diem segregavit in opus humanae naturae, et noctem in requiem et remissionem laborum, mensurasque et terminos utrisque praefixit, unde nobis beneficia quaedam provenirent: nam et lux divinae operationis est tempus. De quo audi David dicentem: Egredictur homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam. Et bene inquit, usque ad vesperam: nam ingruente vespere lux abscedit, et succedentes tenebrae humanam naturam sopiunt, et corpus quod laboraverat, quiescere faciunt, ac sensus omnes remittunt, et quasi nutrix optima sensoriis omnibus quietem a laboribus, fatigationibusque concedunt. Cum vero mensura noctis impleta fuerit, appropians lucis adventus excitat, et facit, ut revigescentes, subtilioresque facti sensibus, ad solis radios ferventi et iuvenili quadam promptitudine consueta aggrediantur opera: illud etiam in anni versionibus, et partibus fieri cernimus. Hyemem enim excipit ver, et exactae aestati succedit autumnus, ut per vicissitudinem temporum, et mutati aeris quiescentia corpora nostra, neque frigore nimium congelata rumpantur, neque caloris vehementia nimium calefacta dissolvantur.* Idipsum communi sapientium voce, ac multiplici experimento constabilitur. Quod sonore pangebat Statius, lib. 4 Sylvarum:

> . . . . . Exue curis
> Pectus, et assiduo temet furare labori.
> Et sontes operit pharetras, arcumque retendit
> Parthus, et Eleis auriga laboribus actos
> Alpheo permulcet equos, et nostra fatiscit,
> Laxaturque chelys. Vires instigat, alitque
> Tempestiva quies, maior post otia virtus.
> Talis cantata Briseide venit Achilles
> Acrior, et positis erupit in Hectora plectris.
> Te quoque flammabit tacite repetita parumper
> Desidia, et solitos novus exultabis in actus.

Omnium praeterea rerum suae sunt vicissitudines: feriantur et agri, cessat terra novalibus, interdum flumina cursu suo consistere dicuntur,

ipse dies noctibus intermittitur, imo et musici solent chordas tradere quieti et desidiae. Si igitur ea, quae anima et ratione carent, aliqua quiete indigent, nihil utique a ratione alienum praestabimus, qui sumus animae et rationis participes, si laborem intermissione aliqua temperaverimus.

1301. Eademque ratione, eodemque consilio nobis Deus exhibet prospera adversis intermixta, ut per hanc reciprocam malorum et bonorum interpolationem, labori succedente requie et otio hanc vitam ducere possimus. Idipsum per somnum, Deum nobis providisse, auctor est Gregorius Nyssenus, lib. de hominis opificio, c. 13: *Somnus*, inquit, *continuas vigilias remittit, vigiliae quod laxatum est, vicissim tendunt: neutrum horum continue durat, sed alterum alteri mutuis vicibus succedit, natura seipsam huiusmodi vicissitudinibus instaurante. Si enim semper vires animalis contentae sint, frangi ac disrumpi tandem membra supra modum tenta necesse est: contraque corporis continua relaxatio, rei, quasi corruenti, ac dissolutae interitum affert. Usus autem utriusque tempestivus naturam conservat, quae in perpetua rerum sibimet adversantium permutatione nunc hac, nunc illac se recreat. Igitur cum per vigilias contentio virium corpus nonnihil debilitavit, somno laxatum reficitur; et ut equi post certamina quadrigis eximuntur, sic facultates sentientes lassatae aliquandiu a natura vicissim recreantur. Est enim pernecessaria res ad conservationem corporis, tempestiva remissio.* Praeclarum hoc consilium secutus Seneca, lib. de tranquil. animi, cap. ultimo, ait: *Danda est remissio animis; meliores, acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa foecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipient paullum resoluti, et remissi. Nascitur ex assiduitate laborum quaedam hebetatio, et languor.* Subditque ibidem plurima exempla cordatorum hominum: *Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni, ut dixi, viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem inter et otium et curas dividebant. Qualem Pollionem Asinium oratorem magnum meminimus, quem nulla res ultra decimam renuit: nec epistolam quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur; sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat etc. Miles vigilias dividit, et nox immunis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit.* Communi igitur sapientium calculo comprobatur, laborum intermissionem, honesta aliqua recreatione interposita, adhibendam esse. Nec quies et otium est omnimoda solum cessatio a labore, sed aliqua mollis occupatio, quae animum levet: hominum enim ingenia et indoles aliquid perpetuo cursat, neque cessare potest omnino ab opere et actione aliqua, quae animum avocet ab operosiore aliqua occupatione, quae suaviter demulceat, viresque restauret ad cursum, in quo quietem et otium et animi recreationem sitam esse existimamus. Harum autem honestarum recreationum syllabum dabit Seneca apud Raynaudum, lib. 6 de virtutibus et vitiis, sect. 11, cap. 10, num. 194. Hic nos aliquas numerabimus. Suavissima igitur, et animo recreando valde accommodata secessio rusticana, et in aperto campo inambulatio, ut coelo libero et multo spiritu augeatur, attollatque se animus; aliquando etiam mutata regio vigorem dabit. Quod suo suffragio firmat Seneca epist. 104: *Ut primum gravitatem urbis excessi, et illum nidorem culinarum fumantium, quae motae quidquid pestiferi vaporis obruerant, cum pulvere effundunt, protinus mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas attigi?* Ibi etiam avium garritus, nempe in rusticano secessu, et artificiosissimus citra artem concentus, ibi etiam florum picturae, aut in hortis frutices, partim culturae opera, partim naturae dona fragrantia. *Quam volupe est*, ait Sidon. lib. 2, epist. 2, *auribus insonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepusculo incumbente blaterantes, cygnos atque anseres surgentis aurorae facem consalutantes, diluculo autem philomelam inter frutices sibilantem, Prognem inter anseres minurientem. Cui concentui licebit adiungas fistulae septiforis armentalem camaenam, quam saepe nocturnis carminum certaminibus insomnes nostrorum montium Tityri exercent, inter greges tinnibulatos per depasta buceta reboantes.* Nec solum avium concentus, sed et cum eis lusitatio est pergrata: nam et s. Ioannes Evangelista, ut refert Cassianus, collat. 24, cap. 21, cum perdice lusitasse proditur.

De cantu, animi etiam remissio nascitur, ut fuse probat Fabius, lib. 1 instit. cap. 10: *Sed et Lycurgus*, ait, *durissimarum Lacedaemoniis legum auctor, musices disciplinam probavit. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse. Siquidem et remiges cantus hortatur. Nec solum in his operibus, in quibus plurium conatus, praeeunte aliqua iucunda voce, conspirat, sed etiam singularum fatigatio qualibet se rudi modulatione solatur.* Et probat Raynaudus ex Chrysologo et Chrysostomo agens de moerore, dist. 3, n. 274. Et ut ab hac honesta animi recreatione initium ducam, Beatam Virginem saepe cantu animum suum, et pueri Iesu exhilarasse certum puto. Carolus Scribanius, in suo divino amore, idipsum probat part. 1, cap. 7, et nos in superioribus id confirmavimus ex Christi exemplo.

1302. Quod autem modestae lusitationes ac ioci a morum gravitate, et a Virginea modestia ac decentia non omnino abhorruerint, docet s. Ambrosius, serm. 6 in Psalm. 118 Christi Domini sponsi exemplo. *Deinde*, ait Praesul Mediolanensis, *tanquam lascivienti ludens amore, quia vult pertentare sensus amantis, saepe egressus ut quaereretur a sponsa, regressus saepe ut invitaretur ad oscula, adstiterit post parietem, prospexerit per fenestras, eminens su-*

per retia, ut non totus abesset, nec quasi totus intraret, et ipse ad se sponsam vocaret, ut veniendi ad se invicem fierent gratiora commercia, amorisque vim mutuis adolerent sermonibus. In quibus verbis respiciebat Ambrosius ad illa Canticorum verba, cap. 2: *Ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Ubi sponsus, ut sponsam amore sauciam aliquo modo recrearet, quasi ludificationibus quibusdam ac iocis, modo se post parietem semitegebat, modo apud fenestras se conspiciendum exhibebat, modo per cancellos prospectabat sponsam, ut eius animum aliquantulum relaxaret. Si ergo a gravitate tanti sponsi eiusmodi lusitationes, amorisque fraudes non sunt arcendae; ergo neque sponsam B. Virginem modesti huiusmodi lusus, se ac Filium recreandi causa, non dedecerent: lusitationes ergo agitabat cum Filio, cum ipso colludebat, iocosque honestos instituebat, qui non omnino reverentem illam Maiestatem augusta gravitate plenam exuerent. Aliquid enim concedendum est naturae infantili, imo et cuiuscunque viri qualibet auctoritate praediti, cum homo sit. Qua de re videndus Cresolius in vacationibus autumnalibus, lib. 1, cap. 1, et mystagi lib. 4, cap. 14, sect. 1. In rem praesentem trahit noster Bonartius apud Sherlogum, tom. 2, fol. 636, num. 9, verba illa Ecclesiastici cap. 32: *Et hora surgendi non te trices: praecurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis, et verbo superbo.* Imo de Deo ait Moyses, Genes. 3, *deambulasse in paradiso ad auram post meridiem*, videlicet lentis passibus; ut qui animi relaxandi gratia in loco amaeno, ac per iucunda vireta ac pomaria discurrunt, et per delitiosa viridaria rusticantur: tantum abest, ut haec animi oblectatio quemlibet virum probum, imo neque ipsam Deiparam dedeceat; quae ait de seipsa, Prov. c. 8: *Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram ipso omni tempore; ludens in orbe terrarum.* Aliquos ex his lusibus recenset citatus Carolus Scribanius, cap. 6, dum Virgo Deiparens mellea labra labris, mollesque genas Gnati imprimeret genis; ait enim:

Nunc dextra cingens Virgine;
Nunc lacte pascens candido;
Nunc casto ludens lumine;
Nunc sinu fovens calido.
Mille configens osculis,
Plus osculis ter dulcibus
Caput obnubens parvuli:
Plus basiis quam vestibus
Corpus fovens tenelluli:
Nunc natum inter ubera:
Hic fronti frontem implicans,
Hic labra genis bellulis,
Vultuque vultum duplicans.
Nunc bina praebens ubera
Imbre coelesti rorida.
Hic natus labris imprimit
Pudicae Matris oscula
Hic natus manu tenera
Oreque suo masculo,
Ludebat inter ubera,
Pectus constringens osculo.
Hic Mater genas manibus,
Et colli nuda basiis.
Premit decoris nexibus,
Et osculis Virgineis.
Hic natus manu blandula
Blando laetoque vertici,
Matris inerrans tenerae,
Errore ludit unici.
Felices inter basia
Nati nexus purpurei:
Felices inter ubera
Matris nexus Virginei.

CERTAMEN XV.

Marianam animi demissionem extollit.

1303. Marianam animi demissionem, quae, ut ait Cassiodorus, libro 4, epistol. 4, tam pretiosa, quam rara est, hoc Certamine declarabimus, sive ea eadem sit cum magnanimitate, ut vult Martinus de Magistris, quaest. 1 de humilitate, Vasquius 1 part., disput. 235, cap. 4; Raynaudus citatus de virtut. et vitiis, lib. 6, sect. 2, cap. 16, cum aliis, quos ibi citat; sive cum magnificentia, ut probat idem cap. 17. Formalis igitur ratio et honestas humilitatis ac animi demissionis non sita est solum in qualicunque sui despicientia externa, sed essentialiter consistit in ea moderata gloriae et honoris appetitione, quae et excessum devitet, et a defectu refugiat. Namque gloria et honor legitime consequitur per opera virtutum, illustria praesertim: illegitime vero per eas actiones, quibus ex hominum abusu gloria comparatur. Verus igitur humilis honorem exquirit solum per virtutis opera, horum enim stipendium est honor: nec fertur in honorem seorsim sumptum, sed in opera, quibus honor verus nititur, tanquam bonorum operum foetus legitimus. Et quia recte videt quam sit exiguum, quod ipse contulit ad virtutis opera, merito omnem honorem aversatur; praesertim cum intelligat ab expeditione et consecutione honoris debiti facile prolabi ad expetendum indebitum honorem. Hinc verus humilis omnibus subiicitur, quia meliores et digniores deprehendit. Hinc etiam despicit quaeque externa bona, quae irritamenta videt esse appetitionis indebiti honoris.

Vera igitur humilitas non concluditur ea solum despicientia honoris, quo se homo indignum videt; sed protenditur etiam ad curam honoris debiti. Quamvis enim humilitas honorem non aucupetur praecisum a fundamento ipsius, id est ab honesta virtutum operatione, quia esset vitiosa honoris appetitio; honestum tamen est illum honorem curare debitum, nempe qui cum fundamento rectae operationis coniungitur. Haec autem honestas ad aliquam virtutem moralem attinere debet, quae nulla est praeter humilitatem; tametsi appellatio humilitatis potius ex fuga honoris indebiti desumpta sit: et licet duo actus inadaequati sub hac virtute contineantur; alter, quo honor indebitus respuitur; alter, quo debitus honor appetitur, haec tamen virtus ab eo potius actu suam sortitur denominationem, qui difficilior est nostrae

naturae, nempe a fuga honoris indebiti; quod non tollit quin etiam ad alium actum porrigatur, sicut virtus abstinentiae respicit appetitionem cibi moderati, et respuit omnem immoderatum esum. Fortitudo etiam respicit erectionem animi, et actum audendi, et ausus nimii displicentiam; eadem ratione dicendum de humilitate, licet nomen magnanimitatis ab appetitu moderati honoris debiti nomen sortiatur, nomen vero humilitatis a retractione ab indebito honore sumptum sit. Male igitur penes duos illos actus duplicem virtutem secernes, nisi de duplici virtute inadaequata unam totalem conflēs.

1304. Quocunque igitur modo sumatur virtus humilitatis in Beata Virgine, prodigiosa fuit, et verbis enim, et reipsa hanc virtutem exercuit tanquam humilitatis magistra: quo enim ab Angelo sublimius extollitur, et in fastigium Maternitatis Dei evehitur; eo magis ipsa deprimitur, dum Angelo respondet: *Ecce ancilla Domini. Quae est haec*, ait Bernardus, homilia 4 super *Missus est, tam sublimis humilitas, quae cedere non novit honoribus; insolescere gloria nescit; Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat? Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem: non magnum est esse humilem in abiectione; magna prorsus et rara virtus, humilitas honorata.* Iam effecta Deiparens, et Dei Filio foeta velut famularum minima in aedes Elisabethae adproperat, ipsi ministerium exhibitura, omnem a se laudem removens, in unum Deum derivavit aiens: *Magnificat anima mea Dominum... quia respexit humilitatem ancillae suae.* Deinde cum totius orbis ventre gestaret Dominum, Caesaris imperio parens censum pendit, et submississime antrum subiit et inter pecudes habitavit, quae quatuordecim Reges avos numeravit. Insuper peracto purissimo puerperio inter puerperas immundas a summo Sacerdote lustrandas se immiscuit: in numerum et ordinem aliarum, ac si nec purior, nec sanctior esset, redigi passa est. Fabrum lignarium velut familiae caput omni reverentia suspexit, ipsique proinde in omnibus obtemperavit. Post Domini ad coelos conscensum, in statione Caenaculi ultimo loco nominatur a Luca, ipsius Virginis Beatae ductu, Act. 1, 14: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu.* De quo facto fatus Gerson, serm. de Humilitate in Coena Domini, Alphabet. 40, lit. Z, ait: *Dicere aliquid grandius meditor: nescio si potero; iuvante me Deo, puto, imo certe credo, quod Maria Paulum in humilitate transcendit. Vellem ego scire, nunquid fuerit haec maior humilitas, ut Maria se tanto verius inter peccatores primos nominaret, quanto humilius a Deo in seipsam exiens suum imperfectum lucidius novit? Poterat ergo sic intelligi, et si non horrent piae aures, sic dici, non quidem de peccato contracto; absit: sed de labilitate ad peccandum; nam creatura rationalis quaelibet, seclusa Dei manutenentia speciali, et actuali, tanto labilior et pronior est ad casum, quanto in naturalibus, aut etiam in gratuitis superior est: quia nimirum plus habet creatura omnis de vanitate, et tendentia ad nihilum, quanto plus de entitate sortitur: hoc igitur sentiebat Maria eo profundiori humilitate, quo lucidius contemplabatur.* Ex hac eadem humilitate B. Virgo tam adversa, quam prospera summa aequanimitate toleravit. *Vere et corde humilis*, dicebat Ambrosius, *et in prece pauperis spem reponens.* Itaque in egenis omnem spem suam collocat Maria, qua omnium gentium et nationum spes innititur. Causam reddit Ludovicus Blosius in dictis Patrum de Mariana animi demissione disserens: *Intemerata Dei Genitrix*, ait, *Virgo Maria cum ab omni peccato sit a Deo praeservata, maiorem se humiliandi causam habet, quam Beata Maria Magdalena, quae divina bonitate a peccatis liberata fuit: maius enim beneficium est a vulneribus permanere illaesum, quam ab inflictis vulneribus sanari: itemque praeclarius est, et maiori dignum gratiarum actione, servari a peccatis, quam de admissis consequi veniam.* Et tamen, ut bene expendit Bernardus, ultimo loco post Magdalenam numerari voluit: *Ideo*, ait mellifluus abbas, *in Actibus Apostolorum legimus, quod redeuntes Discipuli a monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione: et cum ibi adesset Maria, non nominatur prima, quae super omnes est, tam Filii praerogativa, quam suae privilegio sanctitatis, sed recensetur post mulieres, quia se ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur, infra viduas et poenitentes, et infra eam, de qua eiecta erant septem daemonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat; merito igitur facta est omnium Domina, et super Angelos exaltata.* Ad haec ipsa Virgo post sponsum, honoris causa se nominat, Luc. c. 2: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* De quo sanctus Augustinus, serm. 65 de diversis, sic hortatur: *Non est praetermittenda, Fratres, maxime propter disciplinam foeminarum tam sancta modestia Virginis Mariae: meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima, nec se merito, nec in ordine nominis praeferebat, ut diceret: Ego et pater tuus; sed: Pater tuus, et ego; non attendit sui uteri dignitatem, sed ordinem coniugalem, quia caput mulieris vir.*

1305. In hoc demissionis centro quievit humillima Virgo: quod bene ponderat sanctus Bernardinus, tom. 2, serm. 51, cap. 3: *Mentem in abysso humilitatis fundavit, quod sicut post Filium Dei creatura nulla tantum ascendit in gratiae dignitate, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis.* Ad hanc etiam virtutem spectat memorem esse vilitatis propriae, in quolibet dignitatis fastigio: at Virgo Beata semper suae nihilitatis memor extitit; quod idem Sanctus confirmat citato loco, art. 3, cap. 2: *Affuit ei adspectus suae propriae nihilitatis, eo quod continue habebat actualem relationem ad divinam maiestatem, et ad suam nihilitatem.* Huc spectat Aristotelis pronunciatum illud: *Locus proportionari debet locato.* Duplex autem apud Philosophos admitti solet infinitum; positivum alterum, et aliud privativum. Positivum Deus est; privativum nihilum, seu non ens. Accipe

nunc admirabile artificium humilitatis Mariae: quid faceret, ut infinitum Deum capere posset totum, praecipue cum ipsa Virgo Beata ens quoddam esset finitum? O pulcrum inventum! induit se infinitate quadam privativa, suum agnoscit nihilum per animi demissionem, iuxta sanctum Bernardinum. Huc etiam advoco Vatablum, qui locum illum: *Quia respexit humilitatem ancillae suae*, sic transfert: *Quia respexit nihilitatem ancillae suae.* Vidisti arborem pomis odoriferis onustam, quae eo in terram pronior ramos demittit, quo fructibus ditior est? sic Maria arbor fructibus Spiritus sancti onustissima, sed quo magis fructibus et gratiae donis abundat, eo magis in terram et nihilitatem suam deprimitur. Huc traho, nec violenter, Hieremiam cap. 46 dicentem: *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* Certamen initum singulare Deum inter et Mariam: et quidem fortiter utrimque decertatum est; sed uterque concidit: Beata Virgo usque ad centrum nihilitatis suae, id enim sonant verba illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; Dominus autem Deus exercituum, Dominus potens in praelio delapsus e coelo in uterum Virgineum, solum unico colli crine, nempe humilitatis Virgineae, devictus. Ait enim Bernardus hom. 4 super *Missus est: Etiamsi ex virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit.* Pende quaeso particulam *ex*, quasi Mariana animi depressio fuerit materia, ex qua Filius progenitus fuerit, vices materiae subrogans; adeoque quasi humilitas sit mater Christum generans. Quod Beata Virgo innuit in Cantic.: *Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ac si humilitas esset materia, ex qua relatio maternitatis Beatae Virgini obtingeret, propter quam Beata erat ab omni generatione praedicanda. Se humilem cogitabat Maria, ut Filii forma similis omnino evaderet obiecto, sive conceptui, quem generationis tempore mente volvebat Maria Mater. Accipe Ambrosium: *Ancillam se dicit Domini, quae Mater eligitur: simul ancillam dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quae faceret quod iuberetur; mitem enim, humilemque paritura, humilitatem etiam debuit ipsa praeferre: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Verbo concepit Filium, canit Ecclesia: sed quo verbo? Illo videlicet: *Ecce ancilla Domini.* O verbum potentissimum humilitatis, ipsius Verbi Dei prolificum, Christi parens, seminalis virtutis vices gerens, virtuti generativae Patris aeterni coaequandum!

1306. Illud autem semper omni aevo mirabile, quod Beata Virgo grandior pene infinite effecta et ad dignitatem Matris Dei evecta, cum, inquam, ita creverit meritis et gratia sub Spiritus sancti umbra, ac luce demissior efficitur, cum tamen umbrae granditas ex granditate corporis cuius est umbra, semper augeatur. Archidami Agesilai filii fertur dicterium illud ad Philippum victoriae insolescentem: *Si tuam umbram metiaris, deprehendes, eam nihilo quam fuit ante victoriam, esse longiorem.* Ita Plutarchus in Apophtegmatis Laconicis. Profecto Virgo Deipara victoria a Daemone parta, sublimior effecta, grandior meritis, altior dignitate in nihilitate sua conquiescit, profundius demittitur, umbramque propriae existimationis contrahit obumbratione Spiritus sancti. Virgo ergo Deipara, quia infra omnes se deiecit, coelorum culmina superavit: *Inter omnes homines post Christum*, inquit Marsilius in 3 sentent., quaest. 5, art. 3, *Maria fuit humillima, quia nunquam super omnes coelicolas ascendisset, nisi mentis humilitate prius sub omnibus descendisset.* Et s. Ignatius, Epist. ad Ioan. Evang., ait: *Maria miseris et afflictis condolebat, humilibus devota, quae et devotis reverentius humiliaretur.* Virgo Maria humilibus devota dicitur: grande profecto elogium humilitatis; semper enim devotio nostra, et affectus tendit in magnum aliquem patronum, qui nobis praesto esse, opemque in qualibet adversitate nobis ferre possit; tanti ergo ducit Maria animi submissionem, ut sicut nos Mariae devotioni incumbimus, quia magnifica ab ea expectamus, ita Beata Virgo quia ab animi submissione grandia sperat, humilibus addicta ac devota nuncupatur.

Neque illud mysterio vacat, quod Beata Virgo Terrae nomine compellatur, Isai. 45: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Profecto terrae nomen abiectissimum, cur ita tantae Virgini defertur, cum sit inter elementa infimum, quodque hominum et animalium vestigiis teritur et conculcatur, ideoque vilitatem et abiectionem praesefert, cum tamen Marianum nomen Maiestatem regalem et imperatoriam secum adsportet? Sed merito terrae nomine donatur, quae cunctis animi demissione antistat: terrae utique omnia subserviunt, et quasi vectigal pendunt. Undae terram irrigant, ac fertilem faciunt; aer nubium influxibus impinguat; coelum et astra in eam modo calore, modo nobilissimis aliis qualitatibus influunt, eamque faecundant: homo ad terram excolendam natus, imo Deus ipse illam multiplici ac divite metallo, ac mineralibus, ac lapillis locupletavit: itaque uni terrae omnium elementorum abiectissimae, et humillimae universus orbis tributa solvit: ita etiam Mariae Virgini omnium humillimae res omnes creatae, omnes gratiae, ac praerogativae vectigal pendunt. Concinne Rupertus in cap. 2 Cantic.: *Cunctae virtutes, omnes gratiae, cuncta dona, quae Virginem exornabant, humilitati eiusdem tributa pendebant.* Tibi, o Virgo Beata, omnis humana natura tributa pendit; quia per te a Daemonum faucibus eripitur, Angelorum etiam respublica tibi addicta famulatur; quia illorum ruina per te in dies instauratur; universus orbis tibi tributa pensitat, quia per te in novum mundum assurgit: tibi denique omnes gratiae, dona ac Sanctorum privilegia vectigalia esse fatentur, quia per te illa omnia in ipsos derivata sunt: imo Deus ipse munificentissima liberalitate filiationis debita maternitati tuae cum foenore solvit.

1307. Ad hanc animi Mariani demissionem

spectat oblatio illa columbarum facta a Virgine Maria, quae propria erat feminarum inopum et abiectarum; quae enim nobiles, et pinguiori fortuna pollebant, agnum offerebant. Sed bene Chrysostomus ait, ex eo par turturum seu columbarum obtulisse, nempe *iuxta ea, quae habere poterat uxor carpentarii.* Itaque Beata Virgo paupertatis et humilitatis amans, tametsi ex regum donis auri summam sibi reservare potuisset ad coemendum agnum, quem posset offerre tanquam dives ac nobilis; maluit tamen haec nobis humilitatis documenta praebere: neque enim rectae rationi consentaneum videretur, si oblatio Beatae Virginis conditionem humilem et abiectam, quam praeseferebat, excederet; cum enim fastus sumptusque fortunarum vires et potentiam superat, sinistram et iniquam cuique suspicionem ingerit: ideo opus est, ut sumptus uniuscuiusque conditioni respondeat, et ut fastus et ambitio iuxta rei familiaris sortem moderentur. In cuius rei argumentum praecepit Deus Noe ut Arcam construat, in qua ipse et filii et uxores et animantia ab universali cataclysmo incolumes evadant; eique modum et ordinem indicit, quo omnia peragenda sunt; subditque: *Mansiunculas in arca facies*, vel ut habet lectio Hebraea: *Nidos ad arcam facies.* Quae verba premens Caietanus haec adiicit: *Ad significandum quod erant, tanquam nidi, sufficientes ad manendum tantum, non ad discurrendum.* Quippe Arca erat parva domus, quae tot hospites capere posset, quare vult Deus ut iuxta loci angustias se gerant et commorentur. Quo facto plane erudimur, ut tempori serviamus, et ut unusquisque iuxta suum statum et conditionem sumptus moderetur, resque suas componat, et ambitionem coerceat. Nonne sanctus Iob, regno deperdito, fortunis ablatis, deposita Maiestate regia, tonso capite Deum adorat? Nonne satius foret, ut comptus, pexus, ac comarum capillamento nitidus obsequiosum Deo cultum exhiberet? Cur incomptus et incivilis, ac tonso capite coram Deo sistit? Nempe quia in conditionem pauperem et abiectam redactus fuerat, ideoque demisse et abiecte se gerebat. Sciscitabantur tres illi Reges Magi: *Ubi natus est Rex Iudaeorum? vidimus enim eius stellam.* Si eiusmodi Reges infantem recens natum tanquam Regem regum, ac coeli et astrorum Dominum suspiciunt ac venerantur, ait Chrysologus, consultius dixissent: vidimus solem, lunam et astra, universamque coelorum supellectilem, cuius est Rex magnificus ac Dominus; non vero: *Vidimus eius stellam*, quasi tantae Maiestatis praecellentiam maculantes, eiusdemque potentiam imminuentes, eum unius stellae Dominum praedicantes. Ad rem Chrysologus serm. 156 respondet: *Vere, sicut dixit Apostolus, cum esset dives, pauper factus est, et habere coepit stellam unam, totam qui fecit et continet creaturam.* Contemplabantur Magi Deum sub infantis corpusculo recens natum, ac totam ipsius maiestatem augustam, in angustum tugurium ac vile praesepe redactam; adeoque consulto dicunt: *Vidimus eius stellam*, quasi uno solo lumine collustraretur ac splendesceret, ut exterior fastus et apparentia paupertatem redoleret, ac humili et abiectae conditioni conformaretur; quippe augustior apparatus, ac lucidior supellex dedeceret pauperculum specum ac vile praesepium: ideo Maria par turturum, aut duos columbarum pullos litat, iuxta ea, quae habere poterat uxor carpentarii, ut dicebat supra Chrisostomus.

1308. Iuvat autem hic in medium proferre singularem Adamantii Origenis opinandi modum homilia 14 in Lucam, ubi ait: *Novum quid forsan videor inferre, sed pro maiestate rei parum dignum: sicut nova fuit generatio Salvatoris, non ex viro et muliere, sed ex sola tantum Virgine; sic et par turturum, et duo pulli columbarum non fuerunt tales, quales oculis carnis conspicimus, sed qualis Spiritus sanctus in specie columbae descendit, et venit super Salvatorem: non erant volucres istae, ut hae, quae per aerem volitant, sed divinum quiddam sub specie columbae et turturis apparebat: ut non talibus victimis, qualibus omnes homines, ille, qui pro toto mundo nascebatur et pati debebat, coram Domino mundaretur.* Haec Origenes. Arbitror tamen contra ipsum, fide esse tenendum divina, aves illas, sive turtures, sive columbas, fuisse aves eiusdem naturae cum reliquis, quae ab aliis foeminis pauperibus offerri consueverant. Id enim satis luculenter expressit D. Lucas cap. 1, 24: *Ut darent hostiam, secundum quod scriptum est in lege Moysi, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Nec enim fas est, aut patitur sacrae Scripturae veritas, ipsius verba inflectere ad sensus metaphoricos et minus proprios. Et saltem ad minus sententia Origenis pugnat cum communi Doctorum, Patrum et Interpretum sensu. Videndus Suarius, tomo 2 in 3 partem, disputat. 16, sect. 1 in fine.

Obtulit ergo Beata Virgo iuxta unanimem Interpretum sententiam columbarum par, quae oblatio subrogabatur pro ipsa foemina, eiusque munditie, iuxta caput duodecimum Levitici. Nec mirum videri debeat, si columba pro Virgine Deipara munus obeat, ac vices agat, siquidem columba Spiritum sanctum semper adumbrat, ac si hostia, quae purgandae Mariae munus obibat, esset idemmet Spiritus sanctus; ac proinde nulla egere purgatione Mariam, qua nihil purius, nihil lucidius: pro qua ipse Spiritus sanctus personam agebat sub columbae specie. Nitidior sole Maria, quae Solem ipsum inaccessibilis lucis mundo edidit; cuius puritatem vel hinc poteris coniicere, quod Isaias ut illa verba ore solum proferret, videlicet: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium*, necessum fuit, ut ignito carbone a Seraphino labiis mundaretur, ut habes Isai. 6: *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum.* Num sat fuerat, ut ignitus Seraphim flammanti amoris ardore incandens labia Prophetae defaecaret? ut quid opus fuit, ut calculo ignito perpurgaret, igni ignem superaddens, ut labia Isaiae praefata verba prolaturi nitidiora redderet? Nempe ut Propheta purior ac dignior efficere-

tur, ut ore suo tantae Virginis puritatem inauditam evulgaret. Recte Chrysologus ser. 57: *Isaias post emundationem labiorum, ineffabilem partum Virginis est locutus, dicens: Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet Filium.*

Forsan iuxta hunc sensum explicabis Origenem, cum ait non fuisse veras columbas, quas Beata Virgo sacerdoti obtulit, sed divinitus ita efformatas, ut per illas Spiritus sanctus appareret, ut per auxesin puritatem Marianam magis exaggeraret? Sed, ut dixi, illae verae fuerunt columbae eiusdem naturae cum aliis quas videmus. Nisi dixeris Origenem adhaesisse Tertulliano, lib. *de carne Christi*, ubi subindicare visus est, Spiritum sanctum hypostatice quasi unitum fuisse illi columbae, quae in Iordane super Christi caput insedit, ait enim: *Qui Spiritus cum hoc esset, tam vere erat columba, quam Spiritus.* Quod si hoc intendat Origenes, omnino eliminandus cum Tertulliano; nisi velint probare veritatem columbae, non vero unionem aliquam inauditam hypostaticam cum natura columbae. Illud laude dignum in Origene, quod ut Marianam puritatem extollat, Spiritum sanctum in specie columbae oblatum fuisse ea ratione, qua super caput Christi Domini in Iordane descendit: sicut ergo Iordanis undis abluendus venerat Christus, quasi lavacro indigeret, qui omnium maculas proprio sanguine detersurus venerat, puriorque ac nitidior sole collucebat; in cuius signum Spiritus sanctus sub columbae forma super caput eius insedit; sic Beata Virgo ab omni originaria et actuali noxa immunis in Templum advenerat expianda, quasi indigeret purgatione, quae coelis ipsis mundior ac splendidior candicabat. In cuius rei attestationem Spiritus sanctus sub illa columbae specie offerebatur, ut Marianam puritatem ac munditiem contestaretur; cum illo tamen discrimine, quod columbas a Beata Virgine oblatas veras fuisse affirmemus, at columbam, quae super Christi caput descendit, vel verum columbae corpus non habuisse, ut plures volunt apud Suarium citat., section. 2, vel ut alii malunt, veram fuisse columbam, non tamen ministerio generationis, sed Spiritus sancti figulatione nova, ne libidinis pruritus maculasset avem, quam Spiritus sanctus delegit, ut in ipsa appareret, et ostenderet Christum sine ulla libidine conceptum. Hunc sensum amant verba Divi Augustini, lib. de Agone christiano, cap. 22: *Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum; sed amabo illa corpora vera esse credimus; sicut non oportebat, ut homines falleret Filius Dei, sic ut non falleret Spiritus sanctus; sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare; sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariae sine virili semine fabricare.* Idem docet s. Thomas 3 part. qu. 39, artic. 7.

—

CERTAMEN XVI.

Contra hanc Marianam animi demissionem proponitur argumentum et diluitur.

1309. Huic Marianae animi demissioni refragari videtur, quod affirmant aliqui bonae notae Doctores, nempe Virginem Mariam expetivisse enixe a Deo, Matrem Domini fieri. Quibus suffragatur Maldonatus in c. 1 Lucae, Paulus Sherlogus, tom. 2 in Canticum, folio 25, num. 12, et confirmari potest ex verbis illis sponsae ad sponsum Cantic. cap. 1: *Osculetur me osculo oris sui.* Ubi plures Patres exponunt ea verba de Incarnatione Verbi ab Sponsa concupita, ac si diceret: O utinam ad fastigium suae gloriae me eveheret, et aequali cum eo honore donaret! Osculum enim oris iuxta Sherlogum citatum summam aequalitatem innuit, teste Bernardo ser. 4 in Cantic.: *Cur*, inquit, *cum sufficere poterat dixisse simpliciter: Osculetur me, praeter morem tamen, usumque loquendi distincte, et signanter adiecit: Osculo oris sui; nisi ut ostenderet, ipsum quod petebat, osculum summum esse?* Suspiria, desideria, preces ac lacrymae, quibus Beata Virgo promissam a Deo divini Verbi Incarnationem iugiter deposcebat: *Defecit caro mea* etc. *Et pars mea Deus in aeternum*, Psalm. 72, idipsum satis innuunt; licet enim Beata Virgo animi demissione praedita fuit in summo, tamen Deo interius impellente, et futuri mysterii intermicantem aliquem fulgorem iaculante, ad haec verba repetenda identidem invitabatur, quasi praesentiens vim divini Spiritus, quo superveniente, caro et spiritus immenso gaudio perfruerentur; sola enim Beata Virgo dicere poterat: *Deus cordis mei, pars mea Deus in aeternum:* hoc est, homo-Deus fiet pars mea, caro de carne mea, os ex ossibus meis, sanguis de sanguine meo. Pro hoc ergo speciali dono ac honore suspiria pectore ab imo mittit Beata Virgo, non extorquens, aut imperans, aut absolute petens, sed rogans, sed desiderans, sed concupiscens, si Deo ita libuerit. Huic sententiae suum libens praebet suffragium Salazarius in expositione Hypermistica Beatae Virginis in cap. 1 Cant., tomo posteriore, et trahit ad suam sententiam Gersonem et Honorium, qui verbis illis Canticorum cap. 1: *Indica mihi quem diligit anima mea*, aiunt Beatam Virginem sinum Patris expetiisse, ut traheret ad se Filium. Huc etiam spectant verba Divi Bernardi, serm. de Assumptione Beatae Mariae: *Haec est enim, quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: Ne timeas, Maria, invenisti gratiam, utique quam quaerebas.* Ex quibus non operose elicies, Virginem Mariam enixe sibi postulavisse Maternitatem Dei; siquidem quaesivit utique a Deo gratiam Maternitatis, quam precibus adinvenit.

1310. Tametsi vero haec ita essent, de quo infra; nihil tamen Marianae humilitati detrahere possunt, iuxta ea, quae initio superioris Certaminis praemisimus; non enim vera humilitas

coarctatur eo honoris contemptu, sed etiam porrigitur ad curam honoris debiti, qui cum honesta virtutis operatione coniunctus est. Humilitas ergo, quatenus idem est cum magnanimitate, tenet medium in appetitione dignitatum et honorum, iuxta Aristotelem 4 Ethicorum 3, ubi magnanimo opponit pusillanimum, qui honorem debitum negligit, et eum, qui indebita capessit, quae sunt vitia humilitati opposita. Idem omnino sensisse videtur s. Thomas, secunda secundae, quaest. 131 et 233, ubi opponit magnanimitati, tanquam vitia per excessum pugnantia, ambitionem et inanem gloriam; quae procul dubio humilitati adversantur. Humilis ergo, prout idem est ac magnanimus, principaliter versatur circa honores secundum rectae rationis praescriptum, ne scilicet nimia sit honoris appetitio, aut ignominiae declinatio; illustris ergo virtus est magnanimitas, quae omnium virtutum opera ita exequi studet, ut praebeat magni honoris fundamentum: magnanimus itaque magnos honores, si exhibeantur, tanquam ipsi accommodatos admittit, deque eis mediocriter laetatur, imo licet non adaequent meritum, si tamen a viris probis deferantur, eos non respuit nec dedignatur: si ergo honor sumatur relatus ad nostrum vel aliorum commodum, et ut debitus virtutis operibus, sic obiectum honestum est, quia non appetitur honor plusquam ferant merita, sed servata proportione inter obiectum et appetitionem rationalem, cuius est in finem veri boni collimare, non in humanae laudis ventositatem, ut dixit Augustinus lib. 5 de civitate Dei, cap. 13. Tunc autem appetitio honoris tendit in finem veri boni, si referatur ad consequendum inde incrementum gloriae divinae, vel etiam ad commodum nostrum, vel aliorum in re virtutis, ac ut aequum virtutis stipendium, ut docuit Caietanus secunda secundae, quaest. 131, art. 1; subditque Navarrus in cap. *Cum minister*, num. 55, posse etiam honeste acceptari huiusmodi honorem, prout ab alio gratiose offertur. Fructum enim alienae voluntatis bonae acceptare, ne sit irritus, honestissimum esse videtur. Quae doctrina hoc discursu confirmari potest; nam expetere rem rationi rectae congruentem, honestum est, et omni vitio vacat; sed remuneratio virtutis per gloriam et honorem, est conformis omni rectae rationi; ergo eam expetere honestum erit, et vitio vacans. Praeterea id sibi quisque posset honeste expetere, quod honestissime idem expeteret alteri ex virtute operanti: in sacris etiam Voluminibus hoc virtutis calcar saepe admovetur, quo excitantur homines ad virtutum opera, proposito nempe adepturae gloriae et honoris stipendio.

1311. Cum ergo Virgo Deipara ab omni peccati macula prorsus immunis fuerit, ac omnium virtutum decoramento exornata, Incarnationem in se peragi non formidat; illudque oris osculum appetere non recusat, iuxta illud Hieremiae c. 31: *Foemina circumdabit virum*. Ubi alii exscribunt: *Foemina ambibit virum*. Ac si idem sit circumdare, atque ambire, vel per ambitionem quandam exoptare et expetere; ita ut sensus eius loci sit res profecto nova, et admiratione digna; quippe viri ambire et expetere foeminas semper consuescant; nunc vero nova et inaudita quaedam, Virgo virum ambivit et expetiit, scilicet precibus ac heroicis virtutum actibus; nam a primo sui conceptus instanti nihil non tentavit, ut virum Christum Dominum sibi Filium nancisceretur, ac universalem caeteris Redemptorem. Praestat Guarricum ser. 2 de Assumptione audire: *Dicam igitur*, (fatur Beata Virgo apud pium abbatem) *tamen ne iudicer temeraria, quod maiora me quaerere videor: Osculetur me osculo oris sui; si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalena osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum: sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus et conditor?* Quia igitur nostra Imperatrix Maria, nec ab originali labe maculata fuit, nec ab actuali vel levissima culpa taminata, proinde ipsi licuit optare osculum Verbi in se osculantis humanam naturam, illudque extorquere, pronuncians illa verba: *Osculetur me osculo oris sui*. Cui favet sententiae Philippus abbas in c. 1 Canticorum: *Volo enim*, ait, *ut in sinu Patris se diutius non abscondat, ut exinde aures meas verbosa nuntiorum frequentia non obtundat, sed diu sufferentem, nec sufferre diutius praevalentem, ampliori gratia me perfundat, et illapsu plenario totus meo gremio se infundat*. Subsidiatur Richardus de s. Laurentio, lib. 1 de laudibus sanctae Mariae, c. 5, ubi haec habet: *Tracta enim est Sapientia, quae est Filius Dei, de sinu Patris, de illis occultis, ad quae nulli creaturae patebat accessus, quasi quibusdam funibus, vel intimis desideriis, et suspiriis sanctorum antiquorum* etc.; *sed Maria, quae magis dilexit, profundius suspiravit, vehementius desideravit, ipsa fortius traxit dicens: Osculetur me osculo oris sui*. Et confirmari potest ex verbis Angeli: *Invenisti gratiam*, nempe maternitatis Dei, nam subdit: *Ecce concipies, et paries Filium*. Nullus autem invenit, quin prius quaerat, non enim casu invenit Virgo gratiam; ergo quaesivit desiderio maternitatis, quo exposcebat a Deo et animi gressibus in tam sublime fastigium conscendit, scilicet piis et ardentibus votis. Accinit Ambrosius, dum asserit illa verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, seu *contingat*, ut ipse legit, esse verba voti et desiderii; credebat enim, et simul desiderabat. Idemque sentit Euthymius, ac si diceret: Credo quod dicis, et desidero ac opto, ut mihi fiat. Bernardus item, homilia 4 in *Missus est*, dicit esse verbum orantis et deprecantis, quasi deprecata esset, ut tale mysterium in ea perageretur. Solet etiam sacra Scriptura eo uti verbo in significatione optandi et deprecandi, ut constat ex pluribus locis, ut docet Cardin. Toletus in Luc. ad praedicta verba, Annotat. 112. Laudanda igitur, et laudibus evehenda B. Virgo, quod Incarnationem sibi et naturae humanae commodo expeteret et ambi-

ret : non enim minori laude dignum putat Nazianzenus Isaiam, quod sese muneri a Deo delato obtulerit, cum dixit cap. 6: *Ecce ego, mitte me*, ac Moysem qui suae pusillitati praecavens, regendi munus detrectaverat. *Bonum est*, inquit Nazianzenus, *Dei imperium aliquantisper detrectare, ut Moyses ille ; et rursus ad vocantem prompte, atque impigre accurrere, quemadmodum Isaias.* Luculentius rem tetigit eius scholiastes Nicetas, dum ait: *Etenim Moyses impari metuens muneri, sibi, suaeque fragilitati prospiciebat refugiendo. Isaias autem cum remissis sibi peccatis audivisset, quis proficisceretur ad populum hunc ? atque existimaret, eam ob causam, nuntium quaeri, ut pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, prae animi laetitia seipsum offert, ut illis quoque peccata remitterentur: Ecce, inquit, ego, mitte me. Quare non sine ratione, et ille mandatam sibi provinciam deprecabatur, et hic cupide ambiebat.* Sic Beata Virgo ambit et expetit sibi Incarnationem Verbi Divini, ac sese offert in ministerium et commodum humanae naturae. Neque in eiusmodi ambitione aliquid arrogantiae, vel vanae praesumptionis involvitur, quod Marianae animi demissioni adversaretur ; potuit enim ita Deum alloqui modeste ac reverenter: O! si Deo placeret hanc ancillulam in tantum munus attollere, ut Mater aeterni Regis efficiar, ac de me carnem assumat, in meaque viscera illabatur. Deinde hoc votum erat utique de re optima per se, et ex obiecto, fine et intentione; nec ex aliqua circumstantia vitiabatur: ergo honestum erat, et Deo gratum, ac proinde a B. Virgine expetibile.

1312. Quocirca Beata Virgo non modo absque ullo vitio, verum etiam magna cum laude, ut Mater esset Messiae, a Deo optare, et exambire potuit: et quidem omnes puellae Israel, vel saltem omnes Virgines ex Davidis stirpe originem ducentes, dignitatem maternitatis Messiae expetere et sperare sine ulla reprehensione poterant: si enim Imperator aliquis hanc promulgaret vocem, se omnino velle sponsam adsciscere ex familia aliqua Valentinorum, sive Cantabrorum, Virginem honestam ; tunc profecto omnes Virgines nobiles ac nubiles ex illa familia ortae possent sine ulla reprehensionis nota, posita Imperatoris promulgatione, dignitatem illam imperatoriam optare et ambire. Sic Maria Virgo ex stirpe David orta hanc Maternitatis Messiae dignitatem sibi expetere, ac votis ardentibus poterat a Deo exposcere. Quod subindicasse videtur Angelus, cum dixit, *Dominus tecum*: hoc est votis ac precibus tuis annuit; quod igitur exoptasti et expetiisti, eveniet. Eadem enim loquendi phrasi usus est Angelus, dum alloquitur Gedeonem, Iudic. cap. 6: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Quasi diceret ; Deus annuit votis ac precibus tuis in liberando populo Israel. Alloquitur item Nathan Davidem iussu Dei, II Reg. cap. 7: *Fui tecum in omnibus ubicunque ambulasti.* Eodemque sensu Samuel ad Saulem ait, I Reg. 10: *Quando ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Itaque Deum esse cum aliquo, nihil est, quam precibus ac desideriis eius assentiri. Ad haec assolet Deus maxima et specialia dona non sine votis ac precibus praemissis elargiri : nihil ergo mirum, si tantam ac talem maternitatis gratiam B. Virgini largiturus, prius eam ardentibus votis ac ferventibus precibus ad tantum munus praemunierit. Non ergo insolens et arrogans videri debet Beatae Virginis hoc desiderium ; quod illustrari posset hoc exemplo; profecto ambitiosus dicitur, qui dignitatem aliquam praecipue sine aequalibus meritis exambit et extorquet ; at si talis dignitas proponeretur, ut qui eam nanciscetur, nullo unquam tempore peccatum aliquod esset patraturus, sed in maximam Dei gloriam, et animae suae salutem, aliorumque emolumentum esset eam obiturus, procul dubio nemo eum, qui eam dignitatem ambiret, ambitionis crimine sugillaret: sed talis fuit dignitas Matris Messiae, ad quam quae eveheretur, omni virtutum suppellectili decoraretur, et omnimodam impeccantiam sibi compararet ; nullo ergo ambitionis, praesumptionis, vel arrogantiae vitio Beata Virgo reprehendi posset, licet dignitatem Maternitatis Dei ardentibus votis a Deo deposceret, sibique expeteret.

1313. Huic tamen sententiae obstare videntur, quae Beata Virgo apud s. Birgittam fatur: *Ego*, inquit, *semper in corde meo optavi, ut viverem ad tempus Nativitatis Domini, si forte fieri mererer ancilla indigna Matris Dei.* Nonne haec profunda animi demissio Beatae Virginis allatae sententiae refragatur? Idcirco alii Doctores oppositae sententiae adhaerent cum Toleto supra citato, Lorca in 3 part. quaest. 2, art. 3, conclusione 3, ubi ait, longe a vero esse, Virginem sibi, quod Mater fieret Dei, postulavisse ; ubi enim, inquit, illa tam laudata animi demissio, ob quam Beata praedicanda in omnes generationes ; nonne satius foret Virgini, pedibus provolvi, vel manuum deosculationem ambire saltem, ut Maria Magdalena semper Christi plantas ambibat? Haec Lorca. Cui opinationi adfavet s. Bonaventura in meditat. vitae Christi, ubi ex persona ipsius Virginis haec habet : *Quinto petebam, ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quae debebat Filium Dei parere, et ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre; linguam, ut possem eam laudare; manus, ut possem ei servire; pedes, ut possem ire ad servitium suum ; genua, ut possem adorare Dei Filium in gremio suo.* Ioannes Picus Mirandulanus in eundem sensum exponit verba illa: *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret, ait ille, apud Salazarium ad praefata verba Cant.: *Unigeniti Filii Dei Genitrici ancillari desidero, non ipsum a me procreari volo, aut uniri : et ideo osculetur me, non ore suo, sed osculo oris sui, id est, particeps fiam osculi, quod praedictae Genitrici impressum fuerit; sat enim supra omnia, et mea, et parentum meorum vota intelligo, ut famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes Matris Domini mei; ergo in me osculum hoc non appeto, sed tamen omnium et meam salutem peto.* Confirmatur ex Amedaeo,

lib. revelat. cap. 9, § 30, ubi haec fatur Beata Virgo: *Utinam viderem illam felicissimam matrem! utinam ancilla ancillarum esse possem!* Cum autem nescio quae ex sociabus Virginem alloqueretur his verbis: Beata Maria, omnes sacerdotes et puellae sanctae, quae hic in Templo manent, et quae cognoverunt gratiam, quae data est tibi, dicunt te futuram Matrem Messiae; sic Virginem Beatam respondisse, ait Amedeus: *Cupere tantum donum cuilibet puellae, praesumptio est; habere illud, dignitas summa est; nulla est digna, ego aequaliter ex me indigna sum, ipse solus sibi dignam Matrem facere potest: sed utinam dignaretur ex minimis ancillis Genitricis suae alteram me facere.* Cum ergo Virgo Beata propter summam animi demissionem, ita de se demisse opinaretur, procul ab eius animo votum tantae rei ablegandum; quare merito ad tantam dignitatem, quasi per vim rapta dicitur per illa verba: *Trahe me post te*, seu *arripe me*, iuxta aliquorum interpretum sensum cum Salaz. Item eo conducit locus ille Cantic.: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Ubi ad coronam, sceptrum et maiestatem accita, quasi invita trahitur.

Nunquam ergo Beata Virgo potuit desiderio Maternitatis prae demissione flagrare, ac multo minus a Deo precibus postulare; cum Deo similitudinis prava cupido in tantum praecipitium Luciferum adegerit, ut e tam sublimi gratiae fastigio in profundum culpae chaos deturbaverit. Insigniter in hanc rem Simon de Cassia, lib. 2 de Beata Virgine cap. 4: *Quae mulier a saeculo praesumpsisset hoc inquirere, ut concipere ac parere potuisset hominum Salvatorem? Quae, inquam, sancta Virgo ab humilitatis terminis excessisset, ut in alto preces porrigeret, ut Filii Altissimi esset Mater? Non minor fuisset haec superbia, quam illa Luciferiana, quae Altissimo fieri similis satagebat; ac per hoc, si non quaesivit, quomodo invenit? An praeter intentionem fuit inventio? Sed quis invenit, quod non intendit?* Quasi Mariana merita eo devenerint, ut non intenderent, nisi in maternitatis Dei praemium. Pergit iterum idem Doctor: *Gratiam non invenit, quia ipsam in seipsa quaesivit, sed quia sibi prae omnibus digne ad hoc dicatae Deus obtulit, ideo invenit.* Itaque Maternitatis gratiam Virgo non quaesivit, nec ambivit tanquam dignissima tali tantaque dignitate. S. Gregorius Thaumaturgus, serm. 1 de Annunc.: *Convenienter*, ait, *sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit, nam prudens revera ac sapiens in cunctis erat: nec similis ei ex universis generationibus ulla unquam est reperta.* Itaque Maria Virgo eligitur et invenitur a gratia, nec potuit talis Virgo nisi a tali gratia eligi et inveniri. Quare censeo utrumque opinandi modum suis rationum ac Patrum inniti fundamentis, ac proinde sua probabilitate gaudere.

—

CERTAMEN XVII.

Marianam obedientiam evulgat.

1314. Quam summo in pretio fuerit penes Beatam Virginem obedientia, vel ex eo facile erui potest, quod gratior sibi quodammodo visa fuerit obedientia, quam dignitas Matris Dei; nam assensum praebens futurae in ipsius utero Incarnationi protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ac proinde Dei mater effecta, nihilominus ait in suo Cantico: *Quia respexit humilitatem ancillae suae:* non dixit utique humilitatem matris suae, tametsi nihil honorificentius, nihil grandius dici posset Maternitate Dei, *ut ostenderet*, ait Rutilius Benzonius Episc. Laur. lib. 2, c. 16, *se magis gloriari in obedientia, et paratissimo consensu, quem sine mora exhibuit Deo, quam in titulo Maternitatis.* Itaque Beata Virgo magni duxit, quod dignitate Maternitatis Dei condecorata fuerit, verum pluris fecisse obedientiam visa est; et merito, cum nulla dignitas, nec ulla virtus rationem, nomenque virtutis sortiri potest; si Dei praeceptum perrumpat, praescriptamque a Deo obedientiam infringat et violet. Huic obedientiae tantum detulit Filius Virginis, ut voluerit vitam ante dimittere, quantumvis peracerbis cruciatibus perfunctam, quam singula a Deo Patre per obedientiam praescripta integre et absolutissime non perficere: tunc enim dixit: *Consummatum est*; ac subinde, *inclinato capite emisit spiritum*, quasi obedientiam venerabundus suspiceret, ac subiectum caput inclinaret ac demitteret.

Ulterius quam fuerit divinae legis servandae studiosissima, patet ex D. Bonaventura in medit. vitae Christi c. 3, ubi ex quadam revelatione fertur petiisse Deiparam obediendi prompte donum mandatis et ordinationibus Pontificis. Huius insignis obedientiae specimen praeclarissimum exhibuit, cum legis onera, quibus non constringebatur, executa fuit, ut observat D. Thomas, 3 p., quaest. 37, art. 4; quippe communi Doctorum placito, unum si demas Abulensem in cap. 12 Levit. quaest. 3, Beata Virgo legi purificandi se, obnoxia non fuit, et tamen ipsi sponte se subiecit. Ad haec singulis annis a Nazareth cum Filio in Hierusalem in Paschate se conferebat non sine labore multo, cum viginti septem leucis distaret, qua lege non foeminae, sed viri tenebantur, Exod. 23, et Deuter. 16: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini.* Praeterea huius obedientiae singulare praebuit exemplum, cum non solum Dei nutui ac legi, sed Caesaris Augusti edicto lubens obtemperavit, non sine longinqui itineris labore, utpote 29 leucarum spatium praegnans emensa fuerit una cum Sponso, ut iuxta Caesaris edictum conscriberentur. Sine ulla excusatione partui vicina, Imperatori idololatrae arrogantia tumenti, censeri orbem volenti, promptissime paret tanquam Dei vices habenti. Sed quo properas, Virgo pudicissima, cum hyems rigeat, paupertas obstet? Quocunque namque iveris, excluderis; omnia ubique di-

versoria hospitibus paeventa reperies, cave ne in via pariendi tempus immineat, praecipue cum Caesareum edictum praegnantes, et puerperas non adeo urgeat. Sed quidquid hoc sit, Imperatori parendum est, aiebat Virgo Beata: hoc enim edictum ab aeterno decrevit Deus; hoc arroganti Augusti fastu usus Deus tanquam instrumento, ut describatur orbis, ac singuli in natale solum proficiscerentur, qua nacta occasione, Filius Dei Bethlehemi, iuxta Prophetae oraculum, nasceretur: ergo Imperatori tanquam Dei mandato obediendum. Huc quoque spectat, quod Iosepho Sponso, licet eum et gratia et dignitate longe superaverit, tamen ipsi tanquam capiti se submisit in omnibus, idque circiter annis triginta. Recte in Mariam flectes illud Cantic. 4: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Collum quippe ac cervix obedientiae signatissimum symbolum, quia obedientia flectitur in quamcunque partem, et premitur, ut praecepti onus admittat; quia vero in rebus arduis sese fortissimam ac constantem exhibuit Maria, iure Turris vocatur eburnea.

1315. Sed unde tanta Mariae voluntatis cum divina consensio? Nimirum, quia Mariae cibus erat voluntas Dei; sicut Christus de seipso affirmavit, Ioann. cap. 4: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Quemadmodum ergo cibus in substantiam aliti abit, suasque proprietates, et accidentia alito per nutritionem sigillat; sic etiam voluntas Dei, quae Deiparae cibus erat, quodammodo unum cum Deipara factum est, eamque ipsius anima, sanguis, caro ac sensus spirabant ac redolebant, ac velut tota in Dei voluntatem transformata et versa est. Alibi produximus verba Galatini, lib. 7 de arcanis cath. verit., cap. 5, quae hoc confirmant; ait enim: *Deiparae oculi nihil inhonesti, nihil illiciti adspexerunt; imo neque oculos unquam elevaverit, sed semper nisi Deum oraret, humi defixos tenuerit, atque inter caeteras perfectiones, eo spiritu prophetiae donata fuit, ut si forte aliquid illicitum, vel auditura, vel visura esset, illico eius aures et oculi clauderentur, ita ut non nisi voluntati divinae deservire viderentur.* Nonne vides non solum animam Deiparae, sed et corpus, et sensus divinam voluntatem spirasse? ita ut Deus vere dicere possit de Maria, Isai. 62: *Sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata.* Vel ut Vatablus et Pagninus habent, *maritata*, videlicet, quam sibi Deus desponsavit. Maria ergo iure dicitur voluntas Dei, idest beneplacitum et complacentia propter insignem et omnimodam Mariae obedientiam ad legem divinam, per quam Deum sibi maritavit: vel vocatur voluntas Dei, quia semper obsecuta fuit voluntati divinae, eam ad nutum exequendo, ita ut voluntas Mariana in divinam abierit, aut voluntas divina in Mariae voluntatem sit sigillata; ita ut Maria omnino voluntatem divinam exprimeret. *Etenim,* ait Guarricus, serm. 4 de Assumptione, *ipsa Virgo voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa praediceret Pater: Vocaberis voluntas mea.* Hinc s. Bernardinus, tom. 3, sermon. 11, art. 1, cap. 1, vocat Mariam rotam illam Ezechielis, de qua habes Ezech. c. 1: *Apparuit rota una super terram.* Audiendus est nunc Bernardinus: *Elevata fuit Beata Virgo per excellentiam conversationis designatam in elevatione rotae, de qua Ezechiel c. 1. Inaestimabiliter superavit omnem obedientiam Martyrum, et Confessorum, nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, et pronitas ad ipsum malum; in Virgine B. nullum fuit omnino retardativum: proinde rota volubilis fuit secundum omnem Spiritus sancti nutum.* Fuit ergo Maria rota volubilis, idest tota Maria rota sine obice agilis ad obsequium et Spiritus sancti nutum.

1316. Adeo paratissimas aures habuit Deipara ad Dei mandata excipienda, ut tota videretur auris; ideo corpus quod ex ea Verbum Divinum assumpsit, Auris nuncupatur, Psalm. 39: *Sacrificium, et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Alii vertunt: *Corpus perfecisti mihi.* Ita Paulus Hebr. c. 10: *Corpus autem aptasti mihi.* Sed quamnam similitudinem habet auris cum toto corpore? Crediderim, quia Deus Verbum factus homo ita paratus Divinae legi morem gerere, ac mandata divina opere exequi, ut non tam corpus ex Virgine Matre, quam aures desumpsisse videretur. Chaldaeus ita locum illum ad nostrum gustum transfert: *Aures ad auscultanda praecepta tua perforasti mihi.* Itaque filius naturam Matris redolebat, ita enim Virgo Maria obedientiae Divinae legis devoverat sese, ut tota auris videretur, et totum corpus audiendae legi divinae, eamque exequendae destinaverat; unde obedientiae fructum produxit, Iesum nempe, ut bene expenderat s. Ioannes Damascenus, orat. 2 de Assumptione: *Dei Patris obedientiae germen produxit.* Auris ergo tota Virgo, unde Filio tale corpus exhibuit, ut illud ex solis auribus compaginari videretur, adeo erat divinae legis obedientiae addictum. Hinc forsan nulli alteri rei comparat Sponsus aures Sponsae, quia obedientia ipsius ita fuit altioris ordinis, ut nihil sit in rerum universitate, quocum componi possit.

Disquirere aliqui solent non minus pia, quam curiosa vestigatione, quaenam videlicet fuerit prima animae Christi cogitatio immediate post creationem et animationem corporis; idemque vestigari posset de anima Beatae Virginis. Illi cum Salmerone non sine magno fundamento arbitrantur, primum animae Christi cogitatum fuisse obedientiae actum, quo se obtulit Deo Patri in oblationem et sacrificium pro hominum salute, quod nec incongrue deducunt ex Paulo ad Hebr. c. 10: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, et pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam.* Et quidem Divus Hilarius in illa verba Ps. 131: *Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob*, ait Christum Dominum votum de homine redimendo nuncupasse. Quod igitur illi de Christo dicunt, primum mentis cogitatum in Christo, fuisse obedientiae actum; idem de Beata Virgi-

ne arbitrandum, videlicet se totam Deo Patri devovisse in ancillae ministerium.

1317. Titus Bostrensis in illa verba, *Ecce ancilla Domini: Haec,* inquit, *sanctae Virginis oratio huc tendit: en tabula sum, quamvis scripturam excipere idonea; scribat in me Scriba ille, quodcunque visum fuerit.* Erat ergo Beata Virgo sicut papyrus mundissima omnino indifferens, ut scriptor Divinus, quam vellet scripturam, exararet, sive hebraeam, sive graecam, sive latinam, sive eloquentem, sive demissam, sive sententiis ac conceptionibus sublimem, sive humilem et infimam, sive rerum ac vocum pondere gravidam, sive exilem ac ieiunam: hoc est in quacunque orbis plaga illam Deus constitueret, ubi maius Dei obsequium foret id solum exoptans, nihil aliud, nisi in omnibus divinum beneplacitum exambiens: instar materiae primae nullam nobiliorem formam plus appetebat quam ignobiliorem, imo plus functionibus abiectis et infimis addicebatur propter innatam animi demissionem. Et sicut syllaba communis et indifferens, quae modo producitur, modo corripitur in carmine, iuxta illius magni Poetae, nempe Dei, arbitrium, qui orbem hunc instar poematis cuiusdam rotundi pepigit et efformavit; ideo ab Augustino dicitur Universus, quasi unus versus; imo D. Paulus ait Ephes. 2, 10: *Ipsius enim factura sumus;* graece, *poema.* Quod prae oculis habebat sanctus meus Parens Ignatius, dum ait in vestibulo Constitutionum, Reg. 4: *Ratio vivendi in exterioribus, iustas ab causas, maius Dei obsequium semper intuendo, communis est.* Quasi Societatis viri sint, instar syllabae communis huius versus mundialis, in quamvis mundi plagam ire parati, ad quodvis obeundum ministerium in animorum commodum, nunc cathedrae, nunc suggestui, nunc confessionibus, nunc carceribus, nunc xenodochiis addicti.

Aptissime in hanc rem Richardus Victorinus de gradibus charitatis versat verba illa Cantic.: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* In quae verba haec ille subdit: *Quemadmodum in liquidis, vel in liquefactis nihil duritiae, nihil firmitatis videmus inesse, sed duris omnibus ac rigidis sine difficultate cedere; et sicut in languidis videmus nihil proprii vigoris, vel nativae virtutis habere, sed totum ex alieno arbitrio pendere; sic qui amore profecerunt, nihil suo arbitrio relinquunt, sed divinae dispositioni omnia committunt. Cum ergo anima divino fuerit igne decocta, medullitus emollita, penitusque liquefacta, nihil superest, nisi ei proponatur, quae sit voluntas Dei* etc. *Sicut enim excusores liquefactis metallis, propositisque formulis, quamlibet imaginem pro voluntatis arbitrio excudunt, et vasa quaelibet iuxta modum congruum, formamque destinatam producunt; sic anima ita affecta ad omne Dei arbitrium seipsam accommodat, et iuxta divini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat: et sicut metallum liquefactum, quocumque ei via aperitur, facile ad inferiora currendo delabitur; sic anima ad omnem obedientiam se sponte humiliat, et ad omnem humilitatem iuxta divinae dispositionis ordinem libenter inclinat.* Haec omnia Richardus, quae recte in promptissimam Beatae Virginis obedientiam quadrant, dum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ferventi enim Dei amore succensa ac liquefacta, iuxta illud Cant. c. 5: *Anima mea liquefacta est*; et illud Psalmi 21, 15: *Cor meum tanquam cera liquescens*; ad quamlibet formam sibi imprimendam idonea efficiebatur, quod innuunt praefata verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

1318. Quod verbum *fiat* Virgineum efficacius multo fuit, quam illud divinum *fiat*, quo dixit Deus: *Fiat lux, fiat firmamentum.* Siquidem hoc Dei *fiat*, creaturam solum in lucem dedit: ab hoc vero Virginis almae *fiat*, Deus homo factus est. Per illud Dei *fiat*, seu *faciamus*, conditi sumus, postmodum iterum morituri: a Virginis *fiat*, aeternum victuri reficimur et instauramur. Quod bene ponderat s. Bernardus, homil. 4 super *Missus est: In sempiterno verbo Dei facti sumus omnes, et ecce morimur; in tuo brevi responso, scilicet fiat, sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* Et D. Anselmus de excellentia Virginis, cap. 11: *Cuncta quae Deus bona et utiliter fecit, in eo status, in quo condita sunt, esse destiterunt, et per hanc Virginem in pristinum statum revocata sunt, et restituta; unde vere et audacter ausim affirmare de Virgine quod Ioannes de Verbo: Et sine ipso factum est nihil; ita sine Virgine nihil esse refectum. Maius igitur aliquid attribuit Deus, Fiat Virginis, quam suo: sed cur ita? Quia scilicet, Fiat Dei imperantis erat, Virginis autem Fiat obedientis.* Quo nihil sublimius ad Marianam obedientiam commendandam dici potest: itaque nihil a Deo fit, quod non prodeat a Virgineo *Fiat*; nihil a Deo expeditur, quod prius Beata Virgo non subscribat per verbum *Fiat: Omnia*, ait Bernardus, *per manus Mariae; nec Deus quidem factus est homo, nisi Virgo diceret, Fiat.* Andreas Hierosolymitanus, serm. de Assumpt. Beatae Mariae: *Dixit Deus: Fiat lux* etc., *et facta sunt omnia. Dixit Virgo: Fiat mihi secundum verbum tuum, et factum est opus maximum: Dei Fiat, fuit imperantis; Virginis Fiat, obedientis: imperantis Dei Fiat secutum est coelum, obedientis Virginis Fiat, secuta est admiranda Verbi Divini Incarnatio.*

Huc omnes obedientiae filii oculos et animum advertite. Ah quantum, bone Deus, ab hac Virginea obedientia distamus! Siquidem rebus minimis tricamur, quot excusationes obtendimus, quot moras et tergiversationes interponimus, dum aliquid nostro commodo repugnans praecipitur; centum litigia eunt, mille murmurationes intercurrunt, querelae iactantur, antequam iussa opere exequamur: at Virgo Beatissima constantissime adversus omnem naturae sensum obedivit usque ad montem Calvariae, usque ad aram, usque ad cruciatus et tormenta, usque ad infamem crucem, usque ad cari Gnati mortem, non tergiversatur, non se excusat, non haeret, nihil moratur, omnem naturae sensum expugnat, ut Patris superi decreto obtemperet. Finem

faciat Bernardus serm. de obedientia, Abrahami obedientiam nobis ante oculos ad imitandum exhibens. *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praeripit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem etc. Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora; et difficile est, ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem : nubilosa corporis compositio, et facies tenebris tristitiae obfuscata devotionem ab animo recessisse signant.*

CERTAMEN XVIII.

Utrum in Beata Virgine eluxerit virtus pudicitiae.

1319. Duplici acceptione capi solet pudicitiae vocabulum. Primo, laxiori significatione, pro modestia et verecundia, quae pars quaedam est castitatis, et pudoris nomine donari solet. Altera acceptione sumitur pudicitia, nempe, qua distinguitur a castitate, de qua s. Thomas 2 2, quaest. 151, art. 4; ubi ait: *Pudicitia attenditur proprie circa venerea, et praecipue circa signa venereorum, sicut sunt adspectus impudici, oscula et tactus.* Unde pudicitia iuxta hanc acceptionem nihil aliud erit, quam quidam rubor, sive verecundia circa illa obiecta, de quibus praecipue homines rubore suffundi solent: sic autem presse accepta pudicitia a Deo amandatur, et a Christo ; nihil enim in illo reperiri potest, de quo ipsum pudeat.

Dubium ergo esse potest, utrum pudicitia sub hac significatione sumpta locum habeat in Virgine Deipara. Et quidem pro parte affirmante illud militat, nempe virtutem pudicitiae esse eandem cum castitate, addere tamen quandam circumstantiam; castitas enim effraenes lascivientis carnis motus edomat, appetitus libidinis coercet, prurientes titillationes veneris continet : eadem autem castitas prout pudicitia est, seu pudor, adspectus veneris anteambulones lenocinantes avertit; tactus et oscula impudicitiae praeambula et prologomena tanquam sibi exosa procul abigit: imo ipsas voces aliquid inverecundum resonantes abhorret et aversatur, et ad nudum illarum sonum verecundatur. Unde bene D. Thomas citatus addit: *Verecundatur homo non solum de commixtione venerea, sed etiam de quibuscunque signis eius, et Philosophus dicit in lib. Rhet.: Sicut sunt adspectus impudici, et quia haec magis solent deprehendi, ideo pudicitia magis respicit eiusmodi exteriora signa; castitas autem magis ipsam venereamcommixtionem, et ideo pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam; interdum tamen unum pro alio ponitur.*

Iuxta hunc igitur pudicitiae explicatum strictum, censeo nunquam in Beata Virgine pudicitiam locum habuisse. Quod ut melius perspiciatur, animadvertendum est, aliquas reperiri virtutes, quae aliquam imperfectionem vel supponunt, vel secum involvunt, ut puta poenitentia, quae culpam praemittit: continentia, quae pravos carnis insurgentes assultus supponit: verecundia, quae ex turpi qualibet actione vultum rubore colorat, et sic de aliis. Quae doctrina consonat D. Thomae, dum hominem in innocentiae statu describit, ablegat enim ab Adamo virtutes, quae aliquam imperfectionem secum deferunt quoad actum in illo fortunato statu. Haec enim habet 1 p., quaest. 95, art. 3: *Si imperfectio, quae est de ratione virtutis alicuius, repugnat perfectioni primi status, poterat eiusmodi virtus ibi esse secundum habitum, et non secundum actum, ut patet de poenitentia, quae est dolor de peccato commisso, et de misericordia, quae est dolor de miseria aliena. Perfectioni autem primi status repugnat tam dolor, quam culpa et miseria. Unde eiusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, et non secundum actum. Erat enim ibi primus homo sic dispositus, ut si peccatum praecessisset, doleret, et similiter si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret, sicut Philosophus dicit in 4 Ethicor., quod verecundia, quae est de turpi facto, contingit studioso solum sub conditione, est enim sic dispositus, quod verecundaretur, si turpe aliquod committeret.* Eadem ergo ratione de Beata Virgine loquendum, ac de Adamo in felicissimo innocentiae statu; cum ostenderimus in superioribus, illam pluribus, vel omnibus privilegiis quoad intrinseca, illius status gavisam fuisse: sicut ergo in Adamo innocente pudicitia quoad habitum insedit, non quoad actum, quia repugnabat innocentiae statui omne obiectum venereum, circa quod pudicitia versatur ; ita etiam idem proferendum de Deipara, quoad habitum pudicitiae floruisse, quia indistincta est virtus a castitate iuxta D. Thomam; non vero quoad actum, quia fieri non potuit, ut quae singulari Dei providentia protecta fuit, ab omni obiecto turpi et indecenti non procul semota esset. Huc spectat quod alibi protulimus ex Galatino, lib. 7 de arcanis Catholicae verit., cap. 5: *Tam fuit modesta*, inquit, *Beatissima Virgo, ut oculos nunquam elevarit, sed semper, nisi Deum oraret, humi defixos tenuerit. Et inter caeteras perfectiones, eo spiritu prophetiae donata est, ut si forte illicitum quid auditura, vel visura esset, illico aures et oculi eius clauderentur, ita ut non nisi voluntati divinae deservirent.* Singulari ergo Dei munere Virginei sensus omnes omni obiecto malo obstructi servabantur, ne quidpiam indecens, aut minus purum menti obiiceretur, quod pudicitiam in actum prosilire cogeret, vel ruborem ad genas respergeret.

1320. Huc refero insignem Tertulliani locum iuxta Latinii lectionem, qui nostrum sensum, omnem pudicitiae actum in Virgine Matre denegantem, valde confirmat. Ait ergo in Apologetico adversus Gentes, cap. 21: *Dei Filius non quidem ita genitus, ut erubescat in filii nomine etc. Caeterum Dei Filius nullam de pudicitia habet Matrem, etiam quam videtur habere, non nupserat.* Non me latet iam modo fere in omnibus exemplaribus verba illa : *Nullam de pudicitia habet matrem*, ita legi : *Nullam de impudicitia*

habet matrem. Verum Latinius de pudicitia legit: quae lectio pudicitiam hucusque a nobis explicatam amandat a Beata Virgine, neque in consortium reliquarum virtutum admittit. Auxilium praestat sanctus Chrysologus serm. 144 in illud, *Ne timeas, Maria: Timor non est,* ait, *ubi divinum est negotium, non humanum. ubi virtutis conscientia est, non pudoris.* Ubi a satellitio reliquarum virtutum pulcherrimo, quae in Beatam Virginem agmine facto conspiravere, pudorem propulsat; quia eo puritatis devenit, ut nullius obiecti minus pudici umbra, vel vestigium plusquam angelicam ipsius puritatem obscurare, aut maculare quoquomodo posset. Luculentius sensui nostro adstipulatur Dionysius Carthusianus, lib. 3 de dignitate Mariae, art. 13: *Pudicitia*, inquit, *a pudore nomen sortitur: pudor autem de re turpi est, de qua etiam homo amplius verecundatur, potissime vero de venereis. Quoniam ergo purissima, incomparabilisque Virgo a talibus cogitationibus immunissima ac remotissima erat, non indigne pudicissima perhibetur, simplicem utique et columbinum habens oculum, ab omni carnis contagione serenissimum.* En omnem pudoris materiam arcet a Beata Virgine, ac pudicitiam presse sumptam ab eadem propellit; dum autem eam pudicissimam appellat, maxima sub Deo puritate nitere, ab omnique libidinis specie vel umbra abhorrentem pronunciat. Eandem thesim illustrat s. Laurentius Iustinianus, ser. de Annunc.: *Fiat*, inquit, *mihi, ut concipiam sine semine, pariam sine dolore, permaneamque Virgo absque pudore.* His annecto s. Bernardinum Senensem, tom. 1, serm. 52, art. 1, cap. 1: *Fuit sine vae pudoris, quia eius conceptus fuit sine corruptione.*

Primi parentes, qui ante peccatum erubescere non poterant, statim post patratum delictum erubuere: at Virgo Deipara nihil est quod erubeat, cum primae noxae omnino insons concipitur; cumque reliqui Adae posteri maculoso originalis peccati rubore in primo conceptus momento inficiuntur, Beata Virgo rubro sanguine in generationem Filii destinato faciem tinxit, in primo illo Incarnationis instanti, quo ingruentem primorum parentum labem depulit; ex praeviso enim Filii sanguine pro nobis in ara crucis profuso, ab omni peccati debito immunis oritur, quo spectavit Amedeus homil. 2 de laudibus Virginis: *In ortus sui diluculo infecta murice verecundiae cum humilitatis venusto pallore.* Sed cur erubescat Virgo B. in ipso Conceptionis exortu, cum nulla peccati rubedine infecta in hanc lucem edatur; nisi dixerimus, quia Maria suo sanguine erat Deum progenitura, ex eo sanguinem illum in faciem insilire adversus peccatum originale dimicaturum? Primaeva igitur peccati macula venustam Mariae faciem verecundo sanguine suffusam prospectans, illam temerare non ausa est, sed omnino illam immunem facit, utpote Agni cruore signatam, ac Servatoris sigillo munitam; sic olim hebraea superliminaria Agni cruore tincta, intacta prorsus a percussione Angeli asservabantur, ut habes Exod. c. 12 *Transibat Dominus percutiens Aegyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et laedere.* Haec igitur intempestiva Mariae verecundia non accidit, quia vel alicuius culpae umbram subodoraretur, vel quia de malo quovis pudor aliquis in faciem conscenderet; sed quia iam specialis gratiae nitore micabat, in cuius signum gratia in vultu Virgineo vexillum extulit, ne ullus primi piaculi assultus in tantam Virginem ingruere praesumeret, eam videns gratiae singularis sigillo praemunitam, ac virtutum cohortibus, quarum erat vexillifera verecundia, obarmatam et circumscriptam.

1321. S. Gregorius Nazianzenus, orat. adversus foeminas ambitiosius se ornantes, in eo discriminat honestas foeminas ab inhonestis et petulantibus, quod hae ad nullam turpitudinem erubescant, illae vero statim rubore suffundantur. *Bonorum*, inquit, *genas rubore tinxit suffuso natura; at vero malis sanguinem condensavit. Hae ad nullam turpitudinem erubescunt; quo in nomine te pono, quaecunque mulier variis coloribus tincta es?* Ideo existimarim ob defectum verecundi ruboris in foeminis minium ac cerussam subrogata fuisse; ut hac cerussata, sive larvata facie, ait sanctus Doctor, liberius in omnem turpitudinem impingant. Olim rex Ozias, qui nimis inverecunde deliquit, ait sacer Textus II Paralip. 26: *Statimque orta est lepra in fronte eius.* Sed cur potius in fronte? Acute Chrysostomus homil. 4 de verbis Isai.: *Effloruit lepra in fronte illius, quia ubicunque est impudentia, illic est ultio.* Bone Deus! si quoties eiusmodi effrontes, sive foeminae, sive homines inverecunde agunt, ac pudicitiam exuunt, immissa lepra, inverecundiae poenas luerent, totus leprosis orbis scateret.

Praeeuntem ergo Mariam sequantur foeminae, quibus omnis pudor et honestas in votis est. De ea inquit Evangelista Luc. 1: *Quae cum audivisset, turbata est in sermone eius.* Qui sanguineus pudor prae verecundia cum ad faciem prosiliit, ac genas tingit, faciem venustat ac longe pulcriorem Deo exhibet. Verba illa Psal. 49: *Sacrificium laudis honorificabit me*, plures ex Intepretibus capiunt de martyrio, quo se martyres Deo litant in holocaustum fuso sanguine suo fidem divinam profitentes et contestantes. Sanctus Remigius ea adaptat Christi sanguini, in totius humani generis instaurationem ac redemptionem profuso. Nicolaus de Lyra cum Glossa ordinaria, ea de Sacrificio incruento in Eucharistia intelligit. Verum hebraea lectio affirmat ibi sermonem esse de sanguineo rubore per faciem suffuso prae verecundia; et ideo transfert: *Sacrificium, quod est super faciem, honorificabit me.* Quasi B. Virgo adeo gratum Deo offerret Sacrificium, cum prae verecundia sanguineo genas tinxit rubore, ut quodammodo cum sacrificio, quod pro genere humano Christus Patri oblulit in crucem actus, vel quod in Eucharistiae sacramento litamus; vel etiam cum martyrio, quo sanguinem profundunt mar-

tyres in fidei attestationem, pariari possit: et ut magis Dei amor in hanc Virgineam verecundiam eluceat, animadverte, noluisse Deum evehere Marianum sanguinem ad sublime Incarnationis Verbi Divini fastigium, ita ut deserviret organizationi corporis Christi, quin prius verecundiae Virginali subserviens per genas suffunderetur Mariae; ibique quasi erudiretur, et addisceret pro hominum salute in ara crucis effundi: ideoque turbata est in sermone eius, et sanguineo rubore suffusa.

1322. Huius autem verecundae turbationis in Maria novam auxesim audiamus ex Bernardo et Chrysologo: ait ergo Bernardus hanc Marianam turbationem ex verecundia ortam eo devenisse, ut opus fuerit, Gabrielem, hoc est Dei fortitudinem, illi animos indidisse: *Ut Virginem de suis laudibus pavidam confortaret*; inquit Bernardus super *Missus est*. Et quemadmodum Christus Dominus dum secum mente versaret infanda crucis tormenta et cruciatus, quos in Golgothaeo monte perpessurus erat, turbatus est, ac prae tristitia sanguineo sudore suffusus, ita ut opus fuerit, ut Gabriel ei novos animos ingereret: *Apparuit Angelus confortans eum*, Luc. 22; ita Maria obiecta sibi dignitate Maternitatis Dei, tanta turbatione concutitur, ut opus fuerit, ut idem Angelus eam animosiorem reddat; ea enim erat animi demissione praedita, ut honos et dignitas Maternitatis Dei ipsi spineum sertum, verbera, crux ac tormentum foret. *Auditis in Maria fragilem carnis nostrae naturam ad portandum totam Deitatis gloriam, Angelica exhortatione roborari.* Haec Chrysologus. Tota Dei fortitudine per Gabrielem roborari necesse fuit Beatam Virginem, ut tantum honoris culmum aequo animo ferre posset.

Si autem sermo sit de pudicitia, ut pars quaedam est castitatis et modestiae, sive verecundiae nomine donari solet; procul dubio affirmandum est, admittendam esse in Beata Virgine cum s. Patribus, passim pudicitiam Marianam praedicantibus. Obvius est inprimis Ambrosii locus, lib. 1 offic. cap. 18: *Verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere, etc.; eos solita virorum coetus invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia. Primus est pudor, qui in ipso cognitionis ingressu Domini Matrem commendat legentibus, et tanquam testis loculples dignam, quae ad tale munus eligeretur, adstruit, quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab Angelo tacet, et mota est in introitu eius, qaod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur adspectus Virginis; itaque quamvis esset humilis, prae verecundia tamen non resalutavit.* Ubi Mediolanensis Praesul commendat hoc vivum Dei palatium ab externa forma, ut ex aedium fronte interiora domus, venusta conclavia, pulcherrimas contignationes quivis vestigare possit; ipsa enim externa corporis species verecunda, simulacrum exstitit mentis, ac proinde si gratia ac sanctitas sibi aptissimam formam vellet assumere, hanc sine dubio Beatae Virginis effigiem assumpsisset. Expendo tamen alia eiusdem s. Ambrosii verba in 1 cap. Lucae: *Erubescebat ergo Maria: erubescebat etiam Elisabeth; et ideo videamus, quid intersit inter mulieris et Virginis verecundiam; illa de causa erubescebat, haec pro verecundia; in muliere modus pudoris adhibetur, in Virgine pudoris augetur gratia.* Erubescat Elisabetha, cui proles edita ex viri consortio: at Virgo Beata erubescebat non ob turpitudinis alicuius obiectum, sed ob honestatem ac pulcritudinem verecundiae, non ut puderet alicuius illecebrae prurientis, cuius impos erat, sed ut splendens in utero Gnatus micantes Virginitatis radios in vultum eiacularet, quibus amplius Mariana Virginitas eluceret; ut vere dicere possit s. Ildephonsus de Virginit. Mariae, cap. 2: *Hanc domum ingrediens non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritatem ditavit.*

1323. Accipe huius verecundae modestiae in Maria pulcrum testimonium apud Isai. cap. 7: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium* etc. Quae verba premens Hieronymus ad nostrum gustum sic scribit, lib. 3 in Isaiam: *Et revera Virgo hebraice Bethula appellatur, quae in praesenti loco non scribitur in Propheta; sed pro hoc verbo positum est, Halma. Porro Halma ambiguum est, dicitur enim et adolescentula, et abscondita: ergo Halma non solum puella, vel virgo, sed virgo abscondita dicitur, et secreta, quae nunquam virorum patuit adspectibus.* Vides quomodo apud Isaiam verecundia, quasi futurae Deiparae character praenunciatur. Parum foret in Maria esse simpliciter Virginem, maiori auxesi utitur Propheta, dum eam Virginem absconditam vocat; ideo *Halma* apposuit, quia Halma non solum puella, vel virgo, sed virgo abscondita dicitur, quae nunquam virorum patuit adspectibus. Quasi Maria fuerit virgo et mente et corpore, virgo oculis, virgo lingua et verecundia, et omnibus sensibus virgo; congruum ergo fuit, ut de testimonio verecundiae et secreti pudoris eius virginitas magis emicaret, ne oculis virorum patens aliquo modo publicitatis suspicio virgineum pudorem macularet. Siquidem Virgo, quae virorum adspectibus se prodit, verecundiam parvi faciens, ac modestiam, saltem specie tenus, hominum adspectibus quodammodo prostituitur.

Hinc est, quod Angelum velut inurbana consulto non resalutat. *Et ingressus Angelus dixit: Ave gratia plena* etc. *Turbata est* etc. Quare non resalutat Angelum? Anne Virgineus pudor incivilis et inurbanus est? vel quia iam Dei Mater, totius orbis Imperatrix, quasi fastu turgida non resalutat? Absit hoc a Maria in tanta animi demissione. Bene Ambrosius, lib. 1 Offic. cap. 18: *Quamvis esset humilis, prae verecundia tamen non resalutavit*, ut ab hoc Mariano Gymnasio reliquae Virgines erudirentur, prae verecundia huius aulicae civilitatis ac politiae esse omnino exemptas et exleges; ne nimiae urbanitatis offendiculo cespitet modestia, ac verecundia iacturam aliquam patiatur; eiusmodi enim reciproca Virginum cum viris urbanitatis officia verecundiam devenustant, pudorem fascinant. Disce,

virgo, a Mariana schola effugere eiusmodi mutuae urbanitatis obsequia, ne per reciprocarum salutationum rimulas sensim libido subrepat. Exemplum praebet Maria, quae quamvis humilis, nec Dei Angelum resalutat sub specie viri.

1324. Huius igitur modestiae ac verecundiae speculum lucidissimum statuimus Virginem Deiparam, quod hac optima et robusta confirmari potest ratione: ex tot enim centenis millibus, imo et millionibus foeminarum sive futurarum, sive possibilium, quae menti divinae obiiciebantur, Deus potestatem habuit, et optionem plenissimam, quamcunque vellet in Matrem eligendi, siquidem ab aeternitate singulas exactissime novit: ex his autem omnibus hanc sibi Virginem in Matrem delegit; ergo procul dubio omnium purissimam, verecundiae ac pudicitiae amantissimam, omniumque virtutum laude cumulatissimam. Hinc Chrysostomus, homil. in Dom. Hypap., illud elogii protulit: *Beata Maria ultra omnem humanae naturae modum, modestiam ac temperantiam excoluit, ac ob hoc universorum Dominum in utero portare promeruit: quod si quae Virgo alia maiori modestia, vel ampliori puritate praeter hanc exornata extitisset, illam sibi Dominus prae hac ipsa omnino in habitaculum elegisset.* Et Bernardus Virginis Divinae cultor integerrimus, epist. 174, ait: *Electa ex omnibus. Praedica reverendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque praecognitam, electam ex omnibus, praelatam omnibus, magnificam gratiae inventricem, mediatricem salutis, restauratricem saeculorum.* Conducunt valde huic instituto verba Esdrae sacerdotis, Sionis electionem praedicantis, quae typus Mariae fuit, III Esdrae, cap. 5: *Dominator Domine, ex omni sylva terrae et omnibus arboribus eius elegisti vineam unicam, et ex omni terra orbis elegisti tibi foveam unam, et ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum, et ex omnibus abyssis maris replesti tibi rivum unum, et ex omnibus aedificatis civitatibus sanctificasti tibimet ipsi Sion, et ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbam unam, et ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam.* Profecto sanctissima Dei Mater una fuit columba, lilium unum, ovis una, vinea una, quam sibi inter omnes delegit Deus. Huius ingenitae Beatae Virginis verecundiae exempla lucidissima nobis ad imitandum proponit Bernardus, serm. de verbis Apoc.: *Gratissima sane gemma in diademate micans, in capite stella, rubor in facie hominis verecundi: an vero quis putat, quod hac caruerit gratia, quae gratia plena fuit? pudibunda fuit Maria. Ex Evangelio id probamus, ubi enim aliquando loquax, ubi praesumptuosa fuisse videtur? etc. Sermo Virginis certissimus index ingenitae mansuetudinis et virginalis verecundiae fuit. Vae nobis, qui spiritum habemus in naribus! Vae qui totum proferimus spiritum, qui iuxta illud Comici: Pleni rimarum effluimus undique. Toties Maria Filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, sed discipulis seorsim regni Dei mysteria revelantem: vidit miracula facientem, vidit et ascendentem: sed in his omnibus quoties verecundissimae Virginis, quoties pudicissimi turturis vox memoratur audita? Obsecro vos, filioli, aemulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis; si contenditis ei placere, aemulamini modestiam eius.* Et quidem sanctioris vitae principia a verecundia ducenda sunt, auctore Divo Bernardo, lib. de ordine vitae, pag. 1116: *Ordo vitae tenendus est, et a verecundia prima quaedam fundamenta ducantur, quae socia et familiaris est mentis placidae, proterviam fugit, honestatem fovet.* Suis etiam coloribus depingit pudicitiam Valerius Maximus, lib. 4, cap. 5: *Parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiae, cara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem praeseferens vultum.*

1325. Liceat nunc altum ingemiscere. O christiani, quoties verecundiae leges transgredimur, quoties in pudicitiam turpissime delinquimus? Auscultent foeminae, Clementis Alexandrini, lib. 3, paedag. cap. 11 prope finem, optimum consilium: *Mulier tecta semper sit, nisi domi fuerit: est enim honestus habitus, et ex quo ninil possit offensionis suscipi; ipsa enim nunquam, si et verecundiam et vestem ante oculos posuerit, nec ad peccati lapsum, alium provocabit, dum vultum suum operit. Hoc enim verbum requirit, quandoquidem convenit eam tectam orare. Dicunt autem Aeneae uxorem Creusam propter insignem honestatem, ne cum Troia quidem caperetur, perterritam se detexisse, sed etiam dum ab incendiis fugeret, mansisse coopertam.* Haec praestitit foemina verecundiae amans, verae fidei luce destituta. Praeeat nobis exemplo foemina quaedam pudicissima. Factum obstupendum memorant Annalia Hispalensia, cuius etiam mentionem facit Ioannes Mariana, lib. 17 Historiae Hispalens., cap. 10, anno Christi 1367. Petrus Castellae Rex, Henrico fratre in bello devicto, Hispalim victor remeavit: inter alios, quos victoria insolentior interfici iussit, nobilissima Matrona, Gusmania Urraca Ioannis Alphonsi Gusmani mater fuerat, quam vivam comburi voluit in platea urbis celebri efferus Rex: aderat ibi famula Isabella Ubedia iuxta rogum; eumque Domina in igne ob acerbissimos dolores impatientius huc, illucque verteretur, ita ut vestis incomposita et pes nudus videretur, famula animos sumens fortitudinis plenos in rogum insiluit, disiectam vestem composuit, eamque tamdiu manu tenuit, donec ipsa simul cum Domina flammis exureretur. Fateor temerarium fuisse facinus, sed pudicitiae portentum adstupeo. Maluit haec Virgo flammis addici, quam minus verecunde Dominam morientem prospectare. Cui adnectenda celebris illa Eleonora Emanuelis Sosae coniux: factum refert Orlandinus in Histor. societ., Maffeius, lib. 16 Hist. Indicae, pag. 457. Haec cum marito et aliis comitibus naufragium passa, direptis opibus a piratis barbaris, iterum incidit in Aethiopes, quae vi nudata vestibus cum sociis, ne videretur, sese arenis tumulavit; quidquid corporis exstabat, solutis hinc inde, sparsisque crinibus obvelavit, in quo tumulo, quem ipsa sibi fabricaverat, tan-

diu permansit, donec fletu ac ieiunio iugi exhausta, iamque prius tumulata, quam mortua, postremum diem suum obiit: maluit invicta heroïs Eleonora vitam exuere, quam verecundiam.

Hic etiam locum habeat Martia Varronis filia, quae surget in iudicio, et reos aget, et condemnabit quamplurimos viros ac foeminas huius generationis. Haec sculpendi ac pingendi arte peritissima, nunquam virilem formam sculpsit aut depinxit, ne virginitatis decorem quoquo modo macularet, aut in minimo offendere posset. Huc adeste, o pictores, bone Deus! quoties verecundiae metas transilitis? quoties sacrae pudicitiae institutum perrumpitis, et naturae leges violatis, cum artis colore nudas foeminas, et investes homines spectatoribus exhibetis, ac impudicitiae aconita propinatis? Profecto scalprum inverecundum, ac pencillum impudicum, manum et animum omni pudicitia viduum arguit. Grande profecto malum, et in dies serpens; visuntur enim passim icones eiusmodi investes et nudae tum puellarum, tum adolescentium plenae turpitudinibus christianum candorem maculantes, quae spectatores suos ad obscaenos cogitatus instigant; quibus scatent conclavia, cubicula et contignationes primorum virorum, quorum aedes potius Heliogabali, sive alicuius ethnici Imperatoris domos esse dices, quam Principis christiani palatia. Quas ingeminaret voces Paulus, Hieronymus, aut Chrysostomus, si eiusmodi impudicas imagines adspicerent apud Christianos? quae fulmina ab oculis eiacularentur? quas iras conciperent? quas ignis scintillas ab ore evomerent, quod tam immane impudicitiae monstrum intra Christianorum domos nutriatur? imo et ipsi ethnici, si apud nos, quorum Religio castitatem ac pudicitiam profitetur, cernerent lascivas Veneres, investem Cupidinem, Aesculapios, Floras, aliaque impudica ethnicorum numina, iure quidem censerent, immerito Deum omnis puritatis amantem colere, eos, qui in suarum aedium ornatum ac sensuum oblectationem, impudicos Deos ac omnis verecundiae osores collocant. Hos acriter carpit ethnicus Philosophus, lib. 7 Politic., cap. ult., dum ait: *Omnino igitur obscoenitas verborum exterminanda est de civitate; ex turpiter enim loquendi licentia sequitur et turpiter facere: potissimum igitur statim a pueris neque discant, neque audiant quidquam turpe; cum vero dicere quidquam interdicimus, clarum est, quod et aspicere sive picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magistratibus, nullam, neque picturam, neque statuam esse talium rerum imitatricem.* Impiorum Iudaeorum annalia ecclesiastica testantur, eos ad obtegendum locum, quo Christi crux defossa erat, ne fideles eam religioso cultu suspicerent, in eodem loco Deam inverecundam Venerem simul collocasse; qua impudica imagine perterriti, a loco, ubi crux consepulta iacebat, procul arcerentur. Eadem arte usi sunt in Servatoris nostri sepulcro, iuxta quod lascivi Adonidis simulacrum constitutum fuit, adeo primi illi Christi fideles eiusmodi turpes imagines, et obscoena simulacra aversabantur, ut impii censerent Hebraei nullum aliud opportunius et efficacius remedium reperiri posse, ut Christianos a sacrorum locorum veneratione averterent, quam si ea loca impudicis imaginibus polluerent.

1326. Ingentem ergo hanc luem ac pestem bonorum morum corruptricem a nobis Deus longe propellat, intelligantque pictores ac domini, qui eiusmodi imagines depingunt, vel depingi curant, graviter delinquere, saltem peccato scandali activi; ansam enim praebent multis, ut illarum conspectu in plurima peccata prolabantur. Quod si ad edendos libros singulare tribunal constituitur, cuius interest semel et iterum eos ad examen vocare, et multipliciter praecavere, ne quid piarum aurium offensivum, vel quod bonos mores laedere possit, typis mandetur; eodem pacto, eademque praecautione constituendum esset tribunal ad examinandas icones ac picturas omnes, ne quis sculptor, aut pictor sculpere auderet, vel depingere imaginem sacram aliquam, vel prophanam, quae modestiam ac verecundiam christianam offenderet. Libri contra bonos mores ex eo prohiberi iubentur, nempe ob damnum quod saluti inferunt animarum, cum tamen illud non inferant, nisi cum actu leguntur; at multo maius emergit malum ex eiusmodi impuris imaginibus, cum omnibus semper pateant spectatoribus cum maximo Daemonum lucro. Merito, nec sine laude cautum in Portugalia, ne ullae picturae, nec Christi Domini, nec Sanctorum, exponantur venales, quin prius a sanctae Fidei quaesitoribus approbentur. Sanctissime vocantur eiusmodi impurae imagines a Patribus in Trullo coactis, oculorum praestigiatrices, mentis corruptrices, et sufflammationum ad turpes voluptates incitatrices: quod suo calculo firmat s. Augustinus, lib. 1 confess., cap. 16. Exemplo Careae apud Terentium ex obscoenarum picturarum adspectu in stuprum prolabentis; nec minus idipsum confirmat factum impurissimi Imperatoris Tiberii, de quo Svetonius in eius vita, cap. 43, habet: *Ut deficientes libidines excitaret, cubicula plurifaria disposita tabellis, et sigillis lascivissimarum picturarum adornavit.* Quintilianus, lib. 11, cap. 3, plus defert picturae ad permovendos animi motus, quam dicendi vi: *Pictura,* inquit, *tacens opus sic intimos penetrat affectus, ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur.* Plus addit Ioannes Molanus, lib. 2 histor. sanctarum Imagin., cap. 2: *Quis nescit obscoenas imagines iure naturae perinde prohibitas esse, atque libros, sive haereticos, sive obscoenos?* Cuius rei optimam exhibet rationem Gregorius Magnus, lib. 9 Registri, epistola 9: *Quia in illis legunt, qui literas nesciunt.* Quam gravis autem iniuria irrogetur Deo ex eiusmodi turpibus figuris, inde erui facile potest, quod Daemon valde succenseat eas obliterari. Inter miracula a s. Euthychio Constantinopolitano patrata, illud celebre fertur, quod manus pictoris cuiusdam grassanti cancro infecta in pristinum statum redintegrata fuerit; quod malum illatum fuit ab ipso Daemone, quia pictor ille poenitentia ductus obliteraverat Veneris im-

pudicae picturam ad venerem spectatores suos titillantem: *Cum igitur pictor*, ait vitae s. Euthychii auctor, *foedam impudicae Veneris historiam delevisset, Daemon, qui illi inhaerebat, artificis manum sic invasit, ut inflammata tumesceret, et gravi vulnere affecta necessario amputanda videretur.* Quod igitur legentibus scriptura, hoc ignaris praestat pictura cernentibus, quia in ipsa rudes homines et ignari vident, et prospectant quid sequi debeat; in ipsa legunt, qui literas nesciunt: unde et praecipue idiotis hominibus pro lectione pictura est. Quibus rationibus permotus Clemens VIII in Indice expurgatorio Romano, anno 1596, in regulis generalibus prohibuit omnes icones impudicas et inverecundas. Quae non sunt malae solum quia prohibitae, imo ideo prohibentur, quia malae ab intrinseco: tunc enim impudica aliqua cogitatio omnem suam exerit vim, et ad peccandum instigat, cum interius exprimit ac repraesentat, quod eiusmodi foedae imagines ante oculos inspicientibus proponunt, ita ut iure dixeris has spurcas picturas esse veluti tentamenta, ac suggestiones daemoniacas sensibiles et externas, quas ita fugere debemus, ac cogitationes impudicas, cum non minus ad peccatum proritent; imo Christus Dominus eodem supplicio afficit impudicum adspectum, ac ipsum peccati opus, ut optime expendit Hilarius canon. 5 in Matth.: *In Evangelio motus tantum incidentis oculi adulterio aequatur, et cum fornicationis opera punitur, illecebrosa transcurrentis visus affectio.*

1327. Quocirca censent peccatum esse grave ex suo genere Doctores et Scholastici, eiusmodi simulacra et investes figuras ac impudicas imagines depingere, easque omnibus domi patenter exhibere, vel in locis publicis collocare, ubi ab omnibus prospectari possint; quia est occasio proxima pluribus in peccatum prolabendi; illud enim dicitur proximum peccandi periculum, quod frequentius, et ut plurimum ad peccandum allicit, vixque sine peccato contingit, iuxta s. Gregorii canonem in capite *Negotium*, de poenit., dist. 5: *Sunt pleraque negotia, quae sine peccatis exhiberi, aut vix aut nullatenus possunt.* Profecto in eiusmodi imaginum prospectu, quorumlibet sensus periclitantur, et plurimi ex evidentia morali in apertum peccandi discrimen ibunt. Profunde Hieronymus in illud Ierem. Thren. cap. 37, *Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae*, haec habet: *Quia semel species formae cordi per oculos alligata vix magni luctaminis manu solvitur: nam quantalibet gravitate mens vigeat, carnales tamen sensus pueriliter exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi iuvenili quodam vigore refraenentur, ad fluxa quaeque et levia mentem enervem trahunt.* Et in speciali loquentes de damno ingruenti in populum christianum ob similes figuras, eas depingere, vel domi exponere indiscriminatim ut videri possint, peccati lethalis insimulant Thomas Sanchez, lib. 9 de matrim. dis. 45; Azorius, tom. 2, lib. 12, cap. ult., qu. 9; Buitron. disc. 4; Coninc. de scandalo, num. 65; Franciscus Arias, tract. de mortific. visus; Sayrus in clavi regia, lib. 8, cap. 7, dub. 11, n. 30; Bonacina, tract. de matrim. quaest. 4, pun. 9; Possevinus de picta poesi, cap. 25: qua de re videndus s. Augustinus, lib. 2 de civit. Dei, c. 7; Olaus Magnus, lib. 15, cap. 11, Theatrum vitae humanae, tom. 9; Fr. Iosephus de Iesu, et Maria, lib. de castitate; P. Roa libello statuum; Bernardinus de Villegas in vita s. Lutgardae. Idem ferunt iudicium Doctores Salmantinae et Complutensis Academiae super hac re consulti, Franciscus Corneio Primarius Theologiae Professor Salmantinus, Angelus Manrique, Iosephus la Cerda, Ioannes a sancto Thoma, Ioannes Sanchez, Fr. Petrus de Tapia, Didacus de Alarcon., Ioan. Antonius Uson, Petrus Gonzales de Mendoza, Gaspar Hurtado, Augustinus de Castro, Ludovicus de Torres.

CERTAMEN XIX.

Utrum in Virgine Deipara extiterit virtus Poenitentiae.

1328. Praemittimus assignandam esse quandam virtutem specialem, quae peccatum, quatenus Deum impetit, retractet, nec alteri muneri addicatur, sed peccatum prout iuris divini laesivum aversetur, cuius obiectum formale statuitur in resartione iuris divini laesi: nulla autem est alia virtus, quae eam cum iure divino aequalitatem et resartionem prosequatur, et, quae ab ea avertunt, refugiat sub ea consideratione, nisi poenitentia: recte ergo statuitur tale motivum esse speciale virtutis poenitentiae, cum eam specialem constituat, et ab aliis honestatibus rite secernat. Quaelibet enim culpa continet iniuriam in Deum, quippe qui sit supremus noster Dominus, cui plus obstringimur, quam heris mancipia. Laeditur ergo ius Dei ac violatur, quoties homo usurpat facultatum ac potentiarum usum suarum (quae omnes potiori iure ad Deum universorum Dominum spectant) contra ipsius Domini ac Dei praeceptum; haec autem usurpatio est vera in Deum per peccatum iniuria, quam nulla specialis virtus, praeter poenitentiam aversatur: sicut nulla alia virtus prosequitur ius illi iniuriae oppositum. Aliae enim virtutes intendunt bonum sibi propositum, nec fugiunt, nisi quod specialiter ei bono oppositum est. Praedictam igitur rationem communem cuivis peccato, merito alicui speciali virtuti deferimus, cum nulla alia virtus in hanc curam incumbat; et deinde idonea sit unius alicuius virtutis ratio motiva, eius nimirum, quae laesionem divini iuris, eiusque *ut sic* malitiam aversetur; et prosequatur remote quidem ius divinum integrum, et indemne sartum, proxime vero reparationem iuris divini laesi.

Veniam ad actus huius virtutis. Nam poenitentia sub eo motivo, quod assignavimus, potest circa materialia obiecta partim actibus prosecutionis, partim fugae versari. Tunc actus prosecutionis elicit, nempe si habeat simplicem voluntatem, sive amorem boni illius honesti, quod situm est in conservatione vel reparatione divini iuris. Itemque si eliciat eiusdem boni deside-

rium, vel propositum constanter permanendi in eo bono. Deinde si sibi complaceat in abstinentia a laesione Divini iuris, vel de eius iam violati reparatione: ac demum si velit pro iure divino laeso satisfacere, vel in seipsum saeviendo, vel alio quocunque modo. Actus autem fugae sunt absolutum peccati odium sub ratione formali assignata, detestatio etiam, sive desiderium, ne unquam peccatum adfuisset. His adnumerandus dolor de posita divini iuris laesione. Vides magnam actuum poenitentiae sylvam, ut est virtus specialis: et constat non bene Scotum in 4, dist. 24, quaest. 1 et 2, unicum huic virtuti actum adscripsisse, scilicet voluntatem subeundi supplicium, quod culpa anterior commeruit. Licet enim si vulgari poenitentiae voci haereamus, primarius sit ille actus, tamen alios, ut vidimus, sive prosecutionis, sive fugae elicere potest haec virtus sub propria ratione motiva formali sui ipsius.

Imo ex praedictis actibus videntur potiores et principaliores actus prosecutionis. Omnes enim virtutes, cum sint tendentiae et inclinationes in honestatem, videntur primario et principaliter ferri in aliquod bonum honestum, quod in quacunque virtute cernere licet; non ergo poenitentiae denegandum est, quod omnibus virtutibus congruit, cui placito plerique ex recentioribus subscripsere cum Caietano, 3 parte, quaest. 85, art. 2, et Durando in 4, distinct. 14, quaest. 1, num. 7, Raynaudo, lib. 4 de virtutibus, sect. 3, cap. 3, num. 368, qui ait, aliquam honestatem per se primo ac principaliter quaeri, et amari per poenitentiam, nisi velimus expungendam esse ex albo virtutum, de quarum ratione universaliter est, esse principium actus honesti ex primario et per se proprio virtutis conceptu, quin potius in actibus fugae huius virtutis non potest quis versari circa culpam eam aversando, nisi moveatur ab honestate virtutis poenitentiae proposita, quae est obiectum formale. Itaque amor illius honestatis, eiusque prosecutio est aliquid principalius, et per se primo prodiens a virtute.

1329. Quibus praemissis, censeo in Beata Virgine reperiri habitum Poenitentiae, eiusdemque aliquos actus. Probatur, quia poenitentia tendit ad destructionem peccati, quatenus est offensa Dei, nititurque efficere, ut Deus non sit ultra homini infensus, sed placatus, contenditque ius divinum illaesum custodire, ac semel per peccatum laesum resarcire. Sed haec omnia reperiri poterant in Beata Virgine; ergo et virtus poenitentiae quoad habitum, et quoad aliquos actus. Sed pergamus ad actus in individuo: potuit Beata Virgo habere odium efficax divinae offensae, et propositum efficax fugiendi peccatum propter malitiam offensae; qui actus eliciuntur, ut vidimus, a virtute poenitentiae: item habere potuit gaudium de carentia peccati, ne ius divinum laederetur, et propter bonum pacis et aequalitatis cum Deo, in quo situm est obiectum formale poenitentiae iuxta Cardinalem Lugo. Demum elicere potuit actus conditionatos eiusmodi: si peccarem, detestarer peccatum, nec acquiescerem, donec resarcirem ius divinum, pacemque cum Deo inirem firmissimam; et alios similes qui boni sunt ex obiecto, ac meritorii, et possunt esse supernaturales: ergo ab aliquo habitu infuso, et quidem in nobis ab habitu poenitentiae procedunt; ergo et in Deipara. Imo et in Christo Domino facile admiserim eiusmodi actus poenitentiae; ut cum vellet pro peccatis Deo satisfacere, et ius divinum reparare, nobisque media providere, quibus in posterum indemne servaremus ius divinum; cuius reparationis et indemnitatis intentio verus actus poenitentiae supernaturalis est, tametsi non soleat actus ille denominari poenitentiae actus, eo quod vox poenitentiae, secundum vulgarem et communem acceptionem, sonet propriae culpae detestationem et castigationem, quae culpa neque in Christum, neque in Virginem Matrem cadere potuit. Sicut ergo admittit Suarius, tom. 1 in 3 partem, disput. 19, sect. 1, in Christo poenitentiam ad actus, qui non dicunt imperfectionem, nimirum ad detestationem peccati simplicem, ut vitetur divinae iniuriae irrogatio: eadem ratione admitti debet poenitentia in B. Virgine, quoad eosdem actus. Subdit s. Antoninus nostram thesim confirmans; 4 part., titul. 15, c. 17, § 4, ex mente Alberti Magni poenitentiae virtutem perfectius insedisse in Deipara quam in aliis viatoribus, in quibus actus poenitentiae ordinem dicunt ad peccatum: at in Deipara actus poenitentiae exstitit sine ulla praevia culpa, quia extitit eiusdem naturae, sicut in Comprehensoribus, in quibus vera detestatio peccati reperitur, non proprii, sed ubicunque reperiatur, quatenus offensa Dei, et quia est reparatio iuris divini laesi.

Reclamat Petrus Lorca, in 3 partem, disput. 38, num. 18, et denegat Christo virtutem specialem poenitentiae, quia proprio non potuit inquinari peccato. Arguo tamen *ad hominem*: ipse enim agens de spe, ait posse nos eodem habitu spei, propriam et alienam sperare salutem: item eodem habitu amari possunt propria et aliena beatitudo, cum sint eiusdem speciei; fides etiam alienam et propriam revelationem uno eodemque habitu credit, quia utraque eiusdem est naturae: praeterea cognitio et complacentia a me elicita de meis actibus charitatis, et de alienis ab eodem habitu proficiscuntur; quia illi actus sunt eiusdem speciei. Cuius rei ratio optima in promptu est, quia sola distinctio numerica obiectorum non sufficit ad discriminandos specie habitus. Virtus igitur poenitentiae non dicit in suo conceptu formali actum detestationis proprii peccati, sed peccati ubicunque sit. Sicut ergo in primo homine ante lapsum admittit Suarez de opere 6 dierum, lib. 3, c. 11, n. 9, habitum poenitentiae non solum infusum, sed etiam acquisitum, ita in B. Virgine concedendus est: et revera actus poenitentiae elicere potuit Deipara; ut si peccarem, dolerem; actus item complacentiae circa honestatem obiectivam poenitentiae: et licet non posset detestari malum a se commissum, posset odio habere peccatum, quod offerebatur ut committendum. Et Petrus Hurtado admittit in Christo

actus poenitentiae, dum odio habebat peccata possibilia non aliena, sed propria, si ea potuisset committere: ita docet disputat. 99 de spe, § 45. Videndus Suarius de poenit. disput. 7, sect. 1, num. 10, qui lib. 5 de Angelis, cap. 4, num 13, censet eos non caruisse poenitentiae virtute, quia proprius actus, qui poenitentia vocatur, nempe retractatio prioris facti, vel satisfactio pro irrogata iniuria non est adaequatus actus poenitentiae; nam ad illam etiam spectat nolle Deo iniuriam facere, et omnem eius offensam cavere, qui actus potuit esse in Angelis: potuerunt etiam elicere simplices affectus ad talem honestatem supernaturalem propositam, sive per actus ex obiecto conditionatos, qui ad simplices affectus reducuntur, sive per voluntatem provocandi homines ad talium actuum functiones; non ex charitate solum, sed ex affectu ad honestatem illorum actuum ex proprio motivo: quae omnia recte applicari possunt Beatae Virgini.

1330. Oppones: in B. Virgine dari non poterat actus absolutus detestationis proprii peccati; ergo non fuit necessarius habitus infusus ad eum actum, sed ad alios quos elicere poterat; ergo alius habitus concedendus est B. Virgini distinctus ab habitu poenitentiae, qui in nobis reperitur; qui quidem nullam repugnantiam secum involvere videtur: nam sicut datur voluntas quae possit habere odium efficax peccati, non vero detestationem proprii peccati, ut patet in Deo; ergo poterit dari habitus infusus, qui ex se supponat impeccabilitatem, ut in Christo et Beata Virgine, et tamen possit elicere odium efficax peccati, non tamen detestationem proprii peccati. Quae ratiocinatio sua gaudet probabilitate; ipsique favere videntur Suarius, to. 1 in 3 partem, disputat. 19, sect. 1, et tom. 4, disput. 7, sect. 1; Becanus de Incarnatione, qu. 9; Tannerus, disput. 1 de Incarnation., quaest. 5, dubio 1; Bonacina, disput. 2, quaest. 7, part. 4.

Nihilominus dicendum est in Beata Virgine concedendum esse habitum infusum eiusdem rationis, ac nostrum. Ita Paludanus, in 4, distinction. 14, quaest. 4; Sotus, quaest. 2; Palacios quaest. 6; Ledesma 1 parte, quaest. 26, art. 3; Cardinalis Lugo, de Poenitentia disp. 6, num. 6. Probatur, quia ubi non repugnat ex natura rei actus poenitentiae absolutae, licet ratione alicuius circumstantiae repugnet, non repugnat habitus infusus potens elicere illum actum; siquidem habitus in aliquo subiecto solum respicit, quid possit simpliciter efficere tale subiectum, non vero quid possit praestare, inspectis omnibus circumstantiis: sed in Beata Virgine absolute dari poterat actus detestationis proprii peccati, quamvis ratione alicuius circumstantiae, hic et nunc repugnaret: ergo potuit esse habitus poenitentiae in Virgine Deipara. Prima propositio constat ex eo, quia quando baptizatur coecus, aut mutus, revera infunditur habitus ei temperantiae ad coercendos sensus omnes, sicut in aliis, licet oculis et lingua careat, quia infunduntur habitus in subiecto, habita solum ratione subiecti secundum se, licet hic et nunc ob aliquam circumstantiam operari non possit, nec exercere omnes actus, qui elici possunt ab aliis habitibus. Minor vero satis inclaret; quia non repugnabat Beatae Virgini secundum se detestatio proprii peccati, nihil enim repugnantiae obtendebatur, divinitus Christum progigni ex foemina post commissum aliquod peccatum; et tunc Beata Virgo posset elicere detestationem perfectam proprii lapsus: ergo per se non repugnat actus poenitentiae cum maternitate Dei.

Instabunt aliqui: in Beatis non admittunt Theologi habitum fidei, quia ratione illius status repugnat actus fidei, etsi ratione subiecti non repugnet: ergo eodem modo in B. Virgine habitus poenitentiae admitti non debet, quia quamvis ex parte subiecti poterat elicere actum detestationis proprii peccati; tamen hic et nunc, posito nempe statu impeccabilitatis extrinsecae, non poterat illum actum elicere. Sed neganda est paritas, quia in Beatis status ille ab intrinseco pugnat cum actu fidei, quia est clara Dei visio; in Beata Virgine non dabatur status intrinsece pugnans cum detestatione peccati, quia Maternitas Dei divinitus potest coniungi cum hoc actu, si praecessisset peccatum in B. Virgine: quod autem non praecesserit, valde accidentarium est: itaque Maternitas Dei non expellit habitum poenitentiae; at lumen gloriae habitum fidei propulsat, cum quo coniungi non potest. Quid, quod, quamvis actus detestationis proprii peccati reperiri non posset cum impeccabilitate Beatae Virginis, sat erat actum illum non repugnare subiecto secundum se, et praeterea inservire posset ad alios actus; quippe in Beata Virgine, ut vidimus, fuit odium peccati *ut sic*, tum et peccati alieni; fuit etiam voluntas satisfaciendi pro illo: ergo deferendus est Deiparae habitus poenitentiae, qui sit eiusdem speciei cum nostro; eiusdem enim virtutis est solvere debitum proprium, et alienum propter aequalitatem iustitiae: eiusdem etiam virtutis est, gaudere de eleemosyna facta a se, vel ab alio propter honestatem misericordiae: ergo eiusdem virtutis erit, velle satisfacere pro peccato proprio, vel alieno ob honestatem compensationis iuris divini laesi. Si vero poenitentia respiciat peccatum proprium, non dedecuit Beatam Virginem, quia eius habitus non habet solos actus fugae, sed etiam prosecutionis; atque adeo gaudet de carentia peccati proprii: elicit etiam actum efficacem non committendi, hi autem actus inventi sunt in Beata Virgine, et cum eadem ratione formali, atque in nobis: ergo admittendus est habitus poenitentiae in Beata Virgine. Falsum autem omnino est, necessum esse ad conservationem cuiuscunque habitus infusi, ut possit elicere omnes actus, quos respicit. Et firmari potest exemplis: habitus enim charitatis nequit in Beatis producere actum contritionis, cum tamen maneat habitus ad eliciendos actus alios, et habitus poenitentiae in eisdem nequit elicere actum doloris, quia tamen alios actus habere potest, adhuc in ipsis Beatis remanet Poenitentiae virtus.

Obiicies ultimo: in Beatis nequit dari doloris

actus, ergo superfluus erit ibi habitus productivus illius; ac proinde potius concedendus erit alius habitus, qui possit elicere alios actus in patria possibiles, quique ex sua natura nequeat efficere actum doloris. Verum haec instantia nimis probat; eadem enim ratione dicere aliquis posset, in patria nullum habitum infusum voluntatis permanere ex his, qui in via sunt: siquidem hi omnes in viatoribus productivi sunt actus doloris circa proprium obiectum, quem tamen elicere non possunt in patria: ergo similiter si vera esset instantia illa, loco horum habituum substituendi essent alii distincti habitus, qui non essent productivi doloris, quod falsum est, quia hi habitus sunt affectiones, vel proprietates ex gratia habituali dimanantes: ut autem detur talis habitus, sat erit, si gratiae secundum se non repugnet, esse principium illius doloris; accidentarium autem valde est, quod posita aliqua circumstantia, talis actus elici nequeat: nec ideo variari debet habitus, quoties aliquis actus ipsius nequit ex aliqua circumstantia produci. Quod videre est in nostra voluntate, quae licet nequeat producere aliquos actus, quos aliquando producere poterat, vel quia illos semel iam elicuit, nec potest eosdem iterum reproducere; vel quia nequit proponi idem obiectum eodem modo, quo alio tempore propositum fuit, v. g. actus tristitiae, sive gaudii, quos elicuit tempore pueritiae; quis autem dicat mutari ex eo in nobis potentiam volitivam in aliam, quae non sit productiva illorum actuum: sat enim est, si homo secundum se illos actus elicere potuit aliquando, ut asseratur ab anima educi potentiam ad illos, et in ipsa permanere: eadem ratione philosophandum de habitibus infusis, qui sunt tanquam proprietates a gratia resultantes. De habitu autem fidei, licet a gratia promanet, diversa valde est ratio; quia cum sit omnino superfluus et inutilis in Beatis ad omnes actus, qui ab illa proficisci possunt, omnino destruitur, adveniente clara Dei visione: frustranea enim esset potentia, quae nequeat ullum actum elicere.

1331. Iuxta hunc ergo sensum, quem probabiliorem esse censeo, habitus qui in nobis est poenitentiae, licet in nobis dicat aptitudinem ad detestandum proprium peccatum, absolute tamen et secundum se non coarctatur ad proprium peccatum solum; procul dubio enim habere potest alios actus, qui nullum in operante peccatum dicant, nec potentiam ad operandum, ut monitum est. Quare dicendum est, sicut in Virgine Deipara admittimus religionem, iustitiam, charitatem eiusdem rationis cum virtute religionis, iustitiae et charitatis, quae infunditur reliquis iustis; ita in Beata Virgine fuisse habitum poenitentiae eiusdem rationis, atque in nobis, licet in illa non fuerit sub imperfectione, quam in nobis connotat, nempe proprii peccati. Et quidem de Christo ita censet Suarius, tom. 1 in 3 partem, disputat. 19, sect. 1, cum Marsilio in 4, quaest. 20, Alex. Alensi 3 part., quaest. 12, membro 3: et favet D. Thomas in 3, distinct. 13, quaest. 1, art. 2. Et confirmari potest exemplis de libero arbitrio, quod eiusdem rationis est in Christo et in nobis, et tamen in Christo reperitur cum impotentia ad peccandum, in nobis cum potentia ad peccandum; idem dici potest de voluntate: item iustitia in nobis et in Christo diversam habet denominationem, siquidem in Christo habet rationem perfectae iustitiae ad Deum, non autem in nobis, quia in Christo dicit habitudinem ad circumstantiam talis personae: ergo pari modo dicere possumus, Beatam Virginem habere habitum poenitentiae eiusdem rationis cum nostro, licet in Beata Virgine non dicat habitudinem ad proprium peccatum.

Ab hoc poenitentiae habitu imperari poterant plures actus externi, quos exercuit Virgo Deipara; ait enim Divus Gregorius Turonensis se divino oraculo admonitum cognovisse, ex quo templum ingressa, sine cilicio beatam illam carnem pungente vixisse nunquam: ita refert Franciscus Ximenez, lib. 2 de vita Christi, cap. 47. Somnus etiam, addit Gregorius, ipsius semper humo nuda, vel duris tabulis adhaerebat, nullo instructa lecto. Hinc forsan sanctus Ignatius M. in epistolis vocat Mariam, verae poenitentiae Magistram. S. Ambrosius, lib. 2 de Virginibus, sic fatur: *Quid exsequor ciborum parsimoniam in Maria, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum vix naturae ipsi defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminati ieiunio dies: et si quando successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit.* Imo quotidie ieiunasse, pane de coelo delato, auctor est idem Gregorius Turonensis in manuscriptis Francisci Ximenez, lib. 2 de vita Christi, cap. 47: ubi haec habentur: *Nullo unquam tempore non ieiunavit, famem coelitus allato pane fugiebat.* Imo censeo cum Nicephoro lib. 1, cap. 7 de vita Beatae Virginis, Deiparam seipsam ablactavisse: *Infans a lacte materno*, verba sunt Nicephori, *iam abhorruit, et mammam attingere noluit.* Subdit in hanc rem Fulbertus in cap. 2 Matth. cuidam eremitae nomine Felici fuisse divinitus ostensum, beatissimam Virginem aliquibus diebus in hebdomada semel solum suxisse: unde merito Richardus de s. Laurentio, lib. 4 de laudibus Virginis, de illa fatur: *Maria non invenitur in terra suaviter, id est voluptuose et delicate viventium.*

CERTAMEN XX.

Utrum virtutes per se acquisitae sedem habuerint in Beata Virgine.

1332. His nominibus donari solent illarum virtutum habitus, quos acquirere solemus actibus naturalibus moraliter bonis, qualis est naturalis facilitas coercendi effraenes et immoderatas rerum turpium affectiones, quam sibi quis comparat actibus contrariis propter naturalem honestatem temperantiae, sive castitatis; in qua re magnam secum imperfectionem involvunt, adeoque neque in Beatis remanere, auctor est D. Thomas, in 3, dis. 33, quaest. 1, art. 4; et

illas arcent a Christo, idem s. Thomas Capreolus, et Richardus apud Suarium de Incarnatione disp. 19, sect. 2; Lorca item eas Christo denegat disput. 38, num. 22: ergo neque in Beata Virgine sunt admittendae. Secundo suaderi potest, quia hae virtutes potissimum inserviunt ad coercendos inordinatos animi assultus; atqui Virgo Beata placidissimis et ordinatissimis animi affectibus gaudebat, neque unquam rebellem aliquem, sive effraenem motum passa fuit; ergo superfluae omnino erant in Beata Virgine hae virtutes naturales acquisitae. Tertio, quia Virgo Deipara forsan nunquam operata fuit ex motivo solum naturali, siquidem semper perfectissime actiones omnes, et opera, ac cogitatus in Deum dirigebat ex fine et motivo supernaturali; ergo nunquam operata fuit actus virtutum acquisitarum; unde neque habitibus harum virtutum indiguit. Quarto, gratia Maternitatis per se conferre poterat quidquid perfectionis praestare poterant eiusmodi virtutum naturalium habitus; ergo tanquam inutiles ac superflui a Beata Virgine arcendi sunt.

Dico 1: Eiusmodi virtutum moralium naturalium habitus perfectissimi, et in gradu heroico in Beata Virgine sedem habuerunt. Sunt enim perfectiones valde naturam humanam exornantes, utpote facilitantes voluntatem ad actus honestos; nec secum imperfectionem involvunt, quae Virginem Deiparam dedeceat; quamvis enim coercere possint pravos animi motus, non eos tamen necessario supponunt: sic etiam habitus supernaturalium virtutum locum habent in Deipara, tametsi possint rebelles affectus in nobis assurgentes comprimere. Quod autem eiusmodi virtutes sint magna humanae naturae perfectio, constat: gratia enim quantumvis infinita non destruit naturae perfectiones: operari autem iuxta rationis naturalis praescriptum, magna quaedam est perfectio naturalis; imo D. Thomas, quaest. unica de virtutibus, art. 9, ad 7, docet virtutes acquisitas bonum esse in genere bonorum humanorum maximum. Deinde harum virtutum moralium habitus sedem habuerunt in Christo, et de facto reperiuntur in Beatis; ergo potiori iure admittendi sunt in Beata Virgine. Antecedens probat Suarius cit., quia hae virtutes nec pugnantiam dicunt cum unione hypostatica, nec repugnant perfectioni status beatifici, cum sint perfectiones naturales humanitatis; Christus autem assumpsit humanam naturam cum omni perfectione naturali, ut passim loquuntur Concilia et Patres; habuit enim omnes animae potentias in ordine ad omne bonum et finem, seu beatitudinem naturalem ac supernaturalem. Confirmatur secundo: ratio naturalis evidens, licet sit perfectio inferioris ordinis, fuit in Christo et Beata Virgine cum scientia adquisita, et cum scientia per se infusa: ergo idem proferendum est de virtutibus adquisitis, nempe simul fuisse cum habitibus virtutum supernaturalium. Tertio: hae virtutes naturales inditae fuerunt Adamo, auctore D. Thoma, 1 par., q. 95, art. 3; ergo et Beatae Virgini: quidquid enim perfectionis naturalis Adae collatum fuit, non est denegandum Beatae Virgini. Quod vero hae virtutes fuerint infusae in summo gradu, inde constat, quod erat debitum ratione Maternitatis Dei, ad quam fuit praeelecta, eratque maxima perfectio, ut summe disposita per hos habitus summa facilitate et promptitudine illos eliceret.

Opponit Lorca cit., quia Christus nihil potuit operari, nisi ex motivo formali charitatis; nam voluntas videntis Deum ita rapitur in eius amorem, ut nihil operari possit, nisi ex formali affectu ad ipsum: quod cum proportione dici potest de Beata Virgine. Sed denegandum est antecedens, alioquin frustra Christo et Beatae Virgini concederentur virtutum supernaturalium habitus. Et quidem s. Thomas pro contraria sententia adductus suam retractavit sententiam, auctore Suario cit.; ait enim s. Doctor in 1 2, quaest. 67, art. 1, in Beatis reperiri virtutes morales; imo et in solutione ad primum circa quaedam Aristotelis verba, admittit in Beatis eas virtutes, de quibus Aristoteles sermonem instituerat, qui solum utique de virtutibus naturalibus sermonem habere poterat.

1333. Dico 2°: Ab hoc virtutum acquisitarum albo immerito reiicies prudentiam naturalem: quare indita fuit haec virtus Beatae Virgini simul cum aliis virtutibus acquisitis, tametsi Vasquius reclamet, et deneget prudentiam naturalem in Christo. Probatur tamen assertum; siquidem virtutes morales rite exerceri nequeunt, neque in suos actus prorumpere, nisi prudentiae virtus eas moderetur, et regat. Nec dicas per prudentiam supernaturalem recte dirigi posse: quippe virtutes morales naturales, ut connaturali modo suos actus eliciant cum debitis circumstantiis, deposcunt regulam aliquam naturalem, seu rationis praescriptum, quod ut connaturaliter operetur voluntas, solum exhibet prudentia naturalis.

Dico 3:° Praedicti moralium virtutum habitus inditi fuerunt animae Deiparae per infusionem in ipso conceptionis momento. Suadetur a simili, quoniam Adamus eos accepit habitus simul cum gratia habituali in ipso primo formationis suae instanti; ergo et Deipara. Secundo, quia illos Deipara non habuit decursu temporis per infusionem, difficile enim assignari potest, in quo infundi potuerint; neque eos successive propriis actibus sibi comparavit, sic enim pluribus longo tempore caruisset, et multos etiam in statu imperfecto diutius habuisset. Cabrera de Incarnat., disput. 2, asserit in instanti conceptionis Christum Dominum eiusmodi habitus propriis actibus acquisivisse, quia perfectius est has virtutes propriis actibus comparare: idemque diceret de B. Virgine. Negari tamen potest perfectius esse has virtutes propriis actibus acquirere; nec ita facile poterat ex natura rei intellectus Beatae Virginis tot obiecta simul proponere; nec voluntas tantam actuum multitudinem simul elicere, praecipue cum illae virtutes debitae essent dignitati Marianae. Fuerunt ergo inditi eiusmodi habitus, ac per accidens infusi in primo suae conceptionis momen-

to, nimirum ut ipsorum actus facile posset elicere.

1334. Ex dictis corruunt argumenta in oppositum adducta. Primum convellitur ex dictis in prima conclusione. Resident quippe virtutes acquisitae in Beatis. Et ratio est, quia hae virtutes dicunt perfectionem naturae rationalis, nec claudunt aliquid imperfectionis pugnans cum statu Beatitudinis. Et patet a simili in cognitione naturali clara et evidenti, quae reperitur in Beatis; quae licet sit inferioris ordinis, simul tamen reperitur cum visione Dei, quod nemo eat inficias: ergo similiter operari secundum rectam rationem naturalem, et habere affectus illi conformes et ordinatos, perfectio quaedam erit naturalis, quae simul cum beatitudine stare poterit. Imo si ratio opposita vigorem aliquem haberet, evinceret, in Christo, tum et in Beata Virgine nullam resedisse virtutem voluntatis praeter charitatem, quod non solum absonum, sed aperte temerarium censeo; quod tamen ex discursu illo et ratiocinatione Lorcae clare deducitur. Quemadmodum ergo in Deo sedem habent reliquae virtutes a charitate secretae erga seipsum; sic etiam in Christo, in Virgine Matre, tum et in Beatis, reperiuntur alii virtutum habitus a charitate discreti erga Deum; quia nullam inter se pugnam ineunt, et magnam afferunt perfectionem. Sicut ergo Deus quidquid effecit, propter semetipsum operatur; quod tamen obstare non potest, quominus etiam ex misericordia, liberalitate, aliarumque virtutum affectu operetur: ita Christus Dominus, B. Virgo, et quilibet Beatorum, licet nullum actum eliciant sine formali motivo charitatis erga Deum, simul tamen aliarum virtutum actus producunt, nullam enim oppositionem involvunt cum illo.

Secunda ratio nihil probat; quamvis enim Beata Virgo omnes suos affectus rectae rationi conformes ac subordinatos haberet; opus tamen fuit, ut haec conformitas, motuumque subordinatio oriretur a causa proximiori et magis connaturali, quales erant virtutum moralium habitus intensissimi, quorum interest inclinare voluntatem, et appetitum ad parendum rectae rationi naturali. Qui effectus proprius est virtutis moralis acquisitae, nec competit per se alicui virtuti infusae, ut auctor est D. Thomas, 1 2, quaest. 65, art. 3: virtus enim infusa elevat potentiam in alium superiorem ordinem, non vero per se disponit potentiam intra ordinem naturae. Quid, quod hae virtutes morales in Beata Virgine ad eliciendos actus bonos moraliter intra ordinem naturae potissimum inserviebant? Nec enim Virgo Deipara intra ordinem gratiae solum perfectissime operabatur; sed etiam intra ordinem naturae actus bonos moraliter undequaque perfectos et honestos eliciebat: tametsi enim operata fuerit semper ex motivo et fine supernaturali, non tamen idcirco denegare debemus, saepissime exercuisse actus bonos moraliter a virtutibus acquisitis proficiscentes, cum simpliciter sint boni et honesti, et simul inesse poterant cum actibus a virtutibus infusis procedentibus: insuper ordinari poterant, et de facto referebantur ad finem supernaturalem, et a charitate imperabantur; ac proinde omnes in Beata Virgine gratiae et gloriae augmentum promerebantur. Nihil ergo nos cogit ad denegandos eiusmodi actus naturales, et ex consequenti neque harum virtutum acquisitarum habitus. Per quae corruit tertia in oppositum ratio.

Ultimo argumento facile satisfiet, si dixerimus gratiam Beatae Virgini debitam, aliaque privilegia ipsi collata ad exigentiam dignitatis Maternitatis Dei; licet admittamus miraculose potuisse supplere, quidquid efficere poterant habitus virtutum moralium naturalium, (Deus enim recte supplere potest quidquid causa efficiens operatur); gratia tamen et virtutes infusae, tum et alia privilegia in Deipara non poterant per se supplere hanc efficientiam, nec conferre perfectionem formalem, quam conferunt virtutum naturalium habitus, nempe inclinare potentias ad bonum naturale, ac illas rectae rationi conformare: poterat ergo Deus affectus in malum propendentes in Beata Virgine sine his virtutibus impedire, ne in actum secundum prosilirent in aliquem inordinatum motum, tamen in actu primo per se eiusmodi affectus non poterant coerceri ac temperari sine illis, cum sit proprius effectus formalis illorum habituum, qui sine propria forma suppleri non potest; quid, quod id non foret ita connaturale potentiae, sicut per proprios habitus? imo eadem ratione dicere aliquis posset, nec reperiri in Virgine B. habitus infusos; quoniam media gratia, et aliis privilegiis cum efficientia Dei et providentia speciali suppleri poterat omnis effectus a virtutibus infusis ortus. Et in Christo Domino nullum habitum infusum, nec gratiam accidentalem, nec scientiam adquisitam reperiri, quia Verbum Divinum humanitati unitum, et scientia beata cum gratia unionis supplere poterat omnem efficientiam et causalitatem ortam a scientia infusa et acquisita; tum et a gratia accidentali, et virtutibus infusis. Quod rectae rationi, et omnium Doctorum sensui adversatur.

CERTAMEN XXI.

Utrum Beata Virgo gratia auxiliante indiguerit ad eliciendos virtutum actus.

1335. Gratia auxilians est subsidium homini exhibitum a Deo liberali concessione ad eliciendos actus ipsius naturam superantes. Duplex admitti solet a Theologis gratia auxilians actualis: una excitans, nempe illustratio prima in intellectu, inspiratio, seu motio in voluntate: altera dicitur adiuvans, quae efficienter adiuvat, et influit cum illa ad eliciendos virtutum actus. Eadem ergo illustratio iuxta diversa munera movendi voluntatem, et cooperandi cum illa, nanciscitur nomen adiuvantis et excitantis gratiae. In dubium ergo vertitur, utrum Beata Virgo indiguerit auxilio, vel gratia actuali speciali, ut servaret praecepta et actus bonos eliceret. Et quidem certum arbitror, Beatam Virgi-

nem indiguisse ad supernaturales actus eliciendos, gratia Dei adiuvante et cooperante; non enim poterat in actus supernaturales prorumpere sine actuali Dei concursu supernaturali, sicut et in reliquis iustis accidit.

P. Didacus Ruiz de Providentia, disputat. 43, sect. 8, cum aliis censet Christum Dominum ad recte et supernaturaliter operandum, nullo modo indiguisse nova gratia excitante praeter scientiam infusam in intellectu, et beatam, et amorem in voluntate: idemque cum proportione diceret de Beata Virgine. Probarique potest, nam scientia infusa, qua donata fuit Deipara ab instanti Conceptionis, sufficienter repraesentabat omnia obiecta, et ad illa excitabat; tunc amor Dei ex tali scientia promanans inclinabat voluntatem ad quemlibet honestum et supernaturalem actum: ergo nulla alia gratia nova excitante indiguit. Secundo, praecipui virtutum supernaturalium actus sunt actus fidei, charitatis, temperantiae, iustitiae, religionis et similium virtutum; sed ad hos omnes actus semper excitabatur Beatae Virginis voluntas per actum charitatis erga Deum iugem ac constantem, et intellectus ad illa omnia obiecta cognoscenda sufficienter movebatur per actus scientiae infusae: ergo nullo alio stimulo opus habebat, quo permoveretur ad virtutum actus, quae charitati ancillantur, cum ipsa charitas sufficeret; ideo Paulus charitati attribuit reliquarum virtutum actus, cum ait I Cor. 13, 4: *Charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam.* Quare scientiae infusae actuali, et amori theologico concinne adaptabis definitiones gratiae excitantis, et adiuvantis: habuit ergo Deipara in hoc sensu omnem gratiam excitantem, nec opus habuit aliis illustrationibus, vocationibus, aut motionibus distinctis a scientia infusa et ab amore theologico. Hoc tamen non tollit, quominus dicamus in Deipara aliqua fuisse specialia auxilia excitantia, et Spiritus sancti motiones ad quosdam heroicos virtutum actus, cum haec etiam in Christo admittantur a Theologis. Videndus Martinus Perez de Incarnat., dis. 19, s. 1.

1336. Sed his refragatur P. Ripalda de ente supernaturali, disp. 106, sect. 8, ubi negat sufficere ad plures actus supernaturales subordinatos inter se unam tantum gratiam excitantem, quae possit excitare alios subordinatos primo actui; ut ex actu charitatis imperatur actus humilitatis, ex hoc, actus religionis, et ab actu religionis actus obedientiae; negat ergo ad hos omnes sufficere gratiam excitantem actum charitatis, ex quo alii actus sine novo auxilio elici, sive imperari possint. Probat suam sententiam primo, quia omnis actus conducens ad vitam aeternam supponit per se gratiam auxiliantem, quae intellectum illustret, excitetque voluntatem: actus autem humilitatis imperatus non supponit per se actum amoris, neque actus religionis actum humilitatis: ergo ad eos actus imperatos alia nova gratia auxilians necessaria est, quam illi actus per se supponunt. Secundo probat, quia ad actum humilitatis supernaturalis requiritur illustratio ex parte intellectus, et affectio ex parte voluntatis de supernaturali honestate humilitatis, ultra illustrationem et affectionem bonitatis divinae, quae solum movet et excitat ad actum charitatis imperantem; idemque dicendum de reliquis actibus imperatis: at illustratio et affectio supernaturalis alicuius honesti obiecti alliciens voluntatem ad ipsius amorem, gratia est auxilians: ergo praeter gratiam auxiliantem ad primum actum charitatis, necessaria etiam est alia gratia auxilians ad reliquos actus. Maior est certa, quia omnis affectus intrinsece supernaturalis vendicat per se illustrationem et affectionem supernaturalem obiecti, in quod collimat.

Quod si obiiciat quispiam, posse unum actum supernaturalem esse gratiam auxiliantem in ordine ad alium, qui per priorem moveatur, et excitetur ad suum obiectum; occurrit Ripalda: id licet verum sit, nunquam tamen illustratio et affectio abesse possunt, quia actus supernaturalis exposcit excitari per illustrationem et affectionem sui obiecti, quidquid sit de actu alio praecedenti, qui contingenter et per accidens solum supponitur. Crediderim tamen unam et eandem illustrationem et affectionem sufficere aliquando ad duos actus supernaturales, nempe quando virtute est multiplex. Exemplum sit in illustratione proponente simul bonitatem Dei, et malitiam peccati, quae ipsi adversatur: haec igitur illustratio excitat ad amorem Dei, et simul ad odium peccati. Eadem etiam illustratio supernaturalis proponere poterat Angelis, tum etiam Deiparae, honestates plurium virtutum. Dixi enim alibi, per unam cognitionem potuisse B. Virginem ferri in plures differentias rerum, quod verissimum est, quando per illustrationes scientiae infusae tendebat in obiecta: adeoque iuxta hunc sensum veram censeo sententiam Didaci Ruiz supra relatam.

Quae cum ita sint, dicendum puto primam Deiparae illustrationem et affectionem, collatam ipsi in instanti Conceptionis, non suffecisse ad omnes actus honestos supernaturales, quos totius vitae decursu operata est. Probatur, quia prima illa gratia excitans non continebat omnia obiecta honesta supernaturalia, in quae toto vitae tempore tetendit: ergo ad singulares actus supernaturales subsequentes necessaria erat singularis illustratio et affectio, quae proponeret honestatem obiecti particularis. Hinc obiecta Patris Ruiz facile dilues, quatenus nobis adversantur; illustratio enim et affectio bonitatis amoris Dei non continent honestates aliarum virtutum; quare opus erit, ut nova illustratio et affectio praecedat, quae excitet voluntatem et intellectum ad eliciendos aliarum virtutum actus; ut patet ex rationibus a P. Ripalda propositis.

1337. Secundo disquiri hic posset, utrum gratia auxilians, sive excitans B. Virginis specie distingueretur a gratiis auxiliantibus reliquoru miustorum. In qua re inprimis inficiandum non est, plures illustrationes et affectiones fuisse in Deipara eiusdem speciei cum reliquis iustis, quando ad actus virtutum infusarum com-

munium cum reliquis iustis movebant. Secundo, opinor cum Ripalda, tom. 2 de ente supernat., disput. 111, sect. 10, num. 106, plures gratias excitantes in B. Virgine fuisse specie dissitas a caeteris reliquorum iustorum gratiis excitantibus. Ratio est, quia in Deipara sunt virtutes infusae specie dissidentes a virtutibus reliquorum iustorum: ergo necessariae erant illustrationes, et affectiones specie differentes; ex eo enim, quod Angeli habeant virtutes infusas specie diversas a nostris, colligunt plures Theologi ipsos indigere illustrationibus et affectionibus specie diversis, de quo Ripalda citatus, num. 91, in Deipara; ergo est virtus pietatis, qua Deum ut Filium diligit, et colit ob motivum honestum filiationis, quae virtus specie differt a pietate reliquorum iustorum, sicut specie dissidet religio in Deum, a religione et observantia erga homines: ergo plura auxilia gratiae in B. Virgine concedenda sunt specie differentia ab auxiliis gratiae caeterorum iustorum. Deinde, ut alibi monui, Deipara operabatur in via ex cognitione scientiae infusae; ergo debebantur ipsi auxilia gratiae perfectiora specie, quam ea, quae reliquis iustis conferuntur, qui ex cognitione scientiae infusae non operantur. Praeterea, si Maternitas Dei esset forma sanctificans, iam deberentur Deiparae plura gratiae auxilia, quia gratiae sanctificanti ac virtutibus infusis debita sunt ex natura rei auxilia gratiae; sed si Maternitas Dei esset forma sanctificans, esset radix virtutum supernaturalium; ergo dignitati Maternitatis Dei plura supernaturalia auxilia erant debita specie differentia, ac multo excellentiora, quam auxilia gratiae communia cum reliquis iustis: tunc enim dignitati Maternitatis Dei adnecteretur impotentia ad peccandum, quae non est coniuncta cum gratia habituali; item cum dignitas Maternitatis esset inamissibilis, non posset consistere sine pluribus efficacissimis gratiae auxiliis ad recte operandum: status etiam sanctitatis inamissibilis eadem auxilia efficacissima deposcit.

1338. Tertio disquirat aliquis, utrum in Deipara fuerint aliquae gratiae excitantes mere sufficientes et inefficaces, sicut in reliquis iustis. Ratio dubitandi est, quia B. Virgini, qua Matri Dei, erat annexa impeccabilitas, ac proinde semper in bonum honestum tendebat: ergo omnes gratiae excitantes eam ad operationes honestas, suum sortiebantur effectum. Alio ex capite gratiae auxiliantes B. Virginem nequaquam praedeterminabant physice, sicut neque nos; ergo ex se voluntatem indifferentem ad utrumque extremum relinquebant; ergo pro libito potuit Deipara gratias illas excitantes inefficaces reddere; necessario enim admittendum est Deiparae voluntatem fuisse liberam ad duo extrema opposita, ne meritum ipsi adimamus; ergo alteri extremo ex duobus consensum praebebat, alteri vero non: vel ergo duplex gratia auxilians B. Virgini conferebatur ad duo extrema honesta; tunc autem una ex illis inefficax reddebatur, dum non cooperabatur cum illa: vel solum unica gratia auxilians ad quamlibet operationem honestam ipsi tribuebatur, ita ut ad oppositum maneret libera: tunc autem oppositum posset esse peccatum, atque adeo non esset impeccabilis.

Ut rem hanc definiam, animadverto voluntatem Deiparae dupliciter moveri posse gratia auxiliante ad eliciendum actum bonum. Primo per unicam illustrationem et affectionem proponens utrumque extremum honestum, et ad utrumque alliciens, ita ut quod maluerit eligat. Secundo per duplicem illustrationem et affectionem, ita ut una feratur in unum extremum, altera in alterum; vel una in consensum, altera in dissensum; honestum utrumque. De facto autem saepe, et forsan semper, voluntas Deiparae fuit excitata primo modo, unico scilicet gratiae auxilio: forsan etiam aliquando secundo modo, videlicet duplici gratiae auxilio: diximus enim alibi, cognitiones Deiparae, et consequenter idem dicendum de affectionibus, esse perfectas, eisque attingere posse plura obiecta. Iuxta haec igitur decidenda est disquisitio praesens; si enim unicum fuit auxilium movens sub disiunctione ad duo extrema opposita, semper reddebatur efficax per existentiam alterius, cum non moveat ad simultaneam existentiam utriusque, sed sub disiunctione ad huius vel alterius; cum ergo auxilia excitantia voluntatem B. Virginis semper sortirentur effectum, semper erant efficacia; nec ideo voluntas B. Virginis physice praedeterminabatur, aut libertas ipsius vim aliquam patiebatur, quia auxilia gratiae neutiquam cogebant voluntatem ad unum determinatum, sed indifferentem illam relinquebat ad duo opposita: si autem duplici illustratione, et affectione alliciebatur Deiparae voluntas ad extrema honesta et opposita, tunc aliquod auxilium gratiae in B. Virgine fuit inefficax, quia necessarium erat, ut alterum eligeret ex oppositis extremis, alterum respueret.

CERTAMEN XXII.

Utrum gratiae gratis datae B. Virginis animam exornarint.

1339. Gratiae gratis datae nuncupantur illae, quae non ad accipientis sanctificationem, sed ad aliorum emolumentum conferuntur, et novem numerantur a Paulo, I Corinth. cap. 12: nempe, sermo sapientiae, sermo scientiae, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum.

Vera sententia est extitisse in Beata Virgine omnem gratiam gratis datam: ita Suarius, to. 2 in 3 partem, disputat. 20, sect. 1 et deinceps. Probari potest, quia omnes hae gratiae valde conducebant ad commodum illorum, quibus B. Virgo aeternam salutem procurabat, et nulla illarum continet imperfectionem. Deinde plures interpretes ita exponunt illud Gabrielis, *Ave gratia plena*. Ad plenitudinem enim gratiae haec omnia spectant, et debebantur B. Virgini ob Maternitatem Dei: tum quia post Christum est universalis dispensatrix harum gratiarum in Ecclesia; ergo necessum fuit in se continere omnes

gratias, quas aliis erat distributura. Fuit etiam doctrix Evangelii, Apostolorumque magistra; hae autem gratiae sunt veluti ornamenta multum conducentia universali Doctori, et ad id fere ordinantur gratiae omnes gratis datae, ut constabit singulas explicatione percurrendo.

Sermo sapientiae nihil aliud est, quam facilitas ab Spiritu sancto concessa ad explicandas res fidei: sermo scientiae est facilitas ad explicandas res morum, iuxta D. Augustinum; vel certe nihil aliud sunt sermo sapientiae, et scientiae, quam vires et facilitates quaedam, seu auxilia ad explicandas facile, et confirmandas res fidei per causas et rationes superiores, vel inferiores: cum enim B. Virgo cum rudioribus et sapientioribus ageret, necessarium fuit, ut in rebus fidei intelligendis ac declarandis, omnibus modis instrueretur. Gratia fidei iuxta Chrysostomum est fiducia illa, qua opus est ad miraculorum patrationem, vel iuxta Ambrosium, est donum intrepide praedicandi fidem; vel est eximia intelligentia rerum fidei, quae in Evangelii promulgatione requiritur, ut existimat Toletus. Haec autem gratia fidei dupliciter exponi potest; primo, ut non tantum ad sermonem, sed etiam ad interiorem mentis actum referatur, et secum affert extraordinariam certitudinem in rebus fidei credendis, praecipue in ordine ad aliquid operandum; quo sensu certum est B. Virginem gratia fidei floruisse, quia omnibus modis habuit perfectissimam mentis fidem. Altero modo gratia fidei exponi potest, ut referatur ad sermonem, et nihil aliud est, quam speciale donum Spiritus sancti ad exponendas et explicandas res fidei modo accommodato hominibus rudioribus, cum primum ad fidem convertuntur; quo sensu etiam habuit hanc gratiam B. Virgo, cum omnium magistra fuerit ac doctrix. En tibi, tres gratiae, seu charites, quae B. Virginem exornant et coronant, iuxta Isaiae vaticinium: *Indumento iustitiae circumdedit me;* LXX vertunt: *Tunica laetitiae;* graece est εὐφροσυνῆς, quae est altera ex tribus gratiis; nunquam tamen sine duabus sororibus existit, ut bene adnotat Seneca, lib. 1 de benefic., cap. 3. Quare tres gratiae, et quare sorores sint, et quare manibus implexis, quare ridentes et iuvenes; ibidem tractat. Exornant B. Virginem gratiae tres: *Euphrosina,* quae significat gaudium et laetitiam, et innuit voluptates, ingentesque laetitias haustas ex sapientia: *Aglaia,* quae innuit splendorem ex ingenti scientiarum cumulo depromptum: *Thalia,* quae viriditatem sonat, conviviumque omnibus rebus abundans, ut denotet virorem immarcessibilem, ac gaudium ex gratia sermonis divini perpetuo in ore Mariano vernantis decerptum: vel, si mavis, tres gratias intellige tres Angelorum hierarchias, et tres choros Apostolorum, Martyrum ac Virginum, qui omnes Beatam Virginem laudibus exornant ac coronant.

Obstare tamen visus est D. Thomas, 3 part., quaest. 27, art. 5; ubi negare videtur, habuisse B. Virginem usum sapientiae in ordine ad docendum, hoc enim non expediebat sexui muliebri, iuxta illud Pauli, I Timot. 2: *Docere autem mulierem non permitto.* Verum hoc intelligendum est de usu docendi publice: privatim enim docere, vel instruere aliquem de rebus fidei, interdum etiam foeminarum interest; et quidem Apostolos in pluribus a B. Virgine edoctos fuisse alibi ostendimus.

1340. Insuper collata fuit B. Virgini gratia interpretationis sermonum: si enim haec gratia sita est in speciali dono et auxilio Dei ad veram Scripturae sacrae intelligentiam assequendam, saepius a nobis ostensum, quantum B. Virgo in hac cognitione omnes excelluerit. Quamvis autem haec gratia propter aliorum commodum potissimum conferri soleat, tamen ad propriam suscipientis perfectionem conducit; non solum quatenus intellectum illustrat, sed etiam quatenus ad stimulandam voluntatem ad bonum iuvat. Ex utroque vero capite opus fuit Beatae Virgini conferri, nempe propter propriam ipsius perfectionem, et ob aliorum commodum et profectum. Haec igitur gratia ad interpretandam sacram Scripturam, et fidelibus explicandam excellentissimo modo fuit in B. Virgine prae omnibus aliis; oportebat enim, ut id omne, quod multum conduceret ad maiorem Dei cognitionem et vestigationem, Virgini Deiparae concederetur; profunda enim sacrae Scripturae cognitio est medium opportunissimum, ac omnium efficacissimum, ut penitius Deum agnosceret, diligeretque.

Gratia discretionis spirituum, quatenus secernitur a prophetia, significat speciale Spiritus sancti donum ad diiudicandum, a quo spiritu bono, vel malo cogitatus interiores, ac desideria proficiscantur, tam in ipso, cui gratia haec confertur, quam in aliis. Certum autem est, Virginem Deiparam toto vitae suae tempore singulari Spiritus sancti subsidio donatam fuisse, ut certissime sciret omnes suos motus et affectus ab Spiritu sancto processisse, nullamque mentis cogitationem, aut motionem habere potuisse ab extrinseco instillatam, quae non esset a Spiritu bono, neque ab intrinseco cum caruerit fomite ad malum, et omni alia deordinatione internarum potentiarum. Censeo igitur ita fuisse a Spiritu sancto illustratam, vel per prudentiam infusam, vel per hanc discernendi spiritus gratiam, ut infallibiliter discerneret, et diiudicaret inter bonum et malum spiritum. Quod optime elici potest ex prudentissimo illo cum Gabriele colloquio, de quo ait Damascenus, orat. 1 de Assump. Virg., clare cognovisse, ac discrevisse prudentissime, Angelum lucis fuisse Gabrielem, additque: *Ut omnia verba eius a sapientiae thesauro profecta, et a Spiritu sancto dictata esse videantur.* Demum certum reor, Virginem Deiparam hanc gratiam habuisse singularem, ut clare aliorum spiritus discerneret, quo maxime indigebat, ut in absentia Christi Domini tamquam omnium magistra, et doctrix per rectum virtutis tramitem omnes posset dirigere: ad ipsam enim consilii causa, fideles tanquam ad veritatis oraculum confluebant, ut alibi monemus.

Linguarum donum fuisse B. Virgini conces-

sum in die Pentecostes, maiori plenitudine, quam reliquis Apostolis, affirmant Albertus Magnus in suo Mariali, s. Antoninus et s. Athanasius serm. de Virg. ait, Deiparam per adventum Spiritus sancti visibilem omnibus gratiis ac donis abundasse; et ita quidem oportebat; cum enim tot fideles ex variis mundi plagis ad B. Virginem confluerent, ut illam tanquam Spiritus sancti oraculum consulerent, opus erat, ut omnium linguas recte calleret; ut ipsis solatio esse posset, eorum dubia solveret, pleneque de fidei rebus informaret. Dices hoc donum solum conferri ad publicas functiones et conciones: ergo non fuit necessaria gratia haec B. Virgini. Dicendum tamen, gratiam, sive donum linguarum concessum ipsi fuisse, sicut et alias gratias; usamque fuisse illo, cum in privatis colloquiis sese offerebat occasio, ut dum exulavit apud Ægyptios, tunc enim usa fuit lingua distincta ab hebraea; vel cum loquebatur cum advenis alterius regionis, ut cum allocuta est cum Magis; vel etiam si aliquam epistolam ad aliquem alterius linguae, et non hebreae gnarum, ut ad B. Ignatium, scriberet.

1341. Duae illae gratiae, nempe operatio virtutum et gratia sanitatum, recte ad unam revocari possunt; nam gratia sanitatum conducit ad sanandum corpora per miracula; gratia miraculorum, sive operatio virtutum deservit ad manifestandam potentiam divinam per miracula. Hanc ergo gratiam, quae utramque complectitur, attribuunt B. Virgini Albertus Magnus, s. Antoninus, 4 part. tit. 15, cap. 19, § 5 et 6; Rupertus, lib. 3 in Cantic., neque enim ab Apostolis hoc dono superata fuit. Sed insurgit s. Thomas, 3 part., quaest. 27, artic. 5, ubi hanc miraculorum gratiam B. Virgini denegat; nam potestas miracula patrandi, ideo Apostolis concessa fuit, nempe ut doctrinam evangelicam, quam docebant, confirmarent, rebusque fidei novum robur adderent; atqui munus praedicandi B. Virginem non decebat; ergo neque gratia miraculorum ipsi collata fuit. Haec tamen ratio aeque probat de reliquis gratiis; hae enim omnes collatae fuerunt Apostolis, ut recte suum possent praedicandi munus obire, ad quod a Deo fuerant electi: at Deipara non fuit ad id munus destinata. Respondeo ergo duplici ex capite fuisse gratiam miraculorum, et reliquas gratias gratis datas, B. Virgini concessas. Primo, quia in omni gratiarum genere decebat ea gaudere plenitudine, quae ad Dei Matrem conducebant, ut omni gratiarum ac donorum reliquis iustis exhibitorum pulcritudine decoraretur, iuxta illud Ps. 44, 10: *Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Deinde quia futura erat Apostolorum, et Ecclesiae Doctorum magistra ac doctrix, non ex suggestu et cathedra, hoc enim munus proprium fuit Apostolorum; in quo sensu loquitur Apostolus, cum ait I Tim. 2: *Mulierem docere in Ecclesia non permitto.* Addit, *in Ecclesia*, quasi innuens munus publice docendi, ac praedicandi foeminis esse interdictum. Privatim tamen procul dubio docuit et instruxit Apostolos ac fideles, ad quod munus rite obeundum, decuit valde, ut dono linguarum praedita esset, ac gratia miraculorum polleret, quo melius, quod docebat, confirmare posset, et ut clarius virtus divina, quae ipsi inerat, omnibus patefieret, maiorque honos in Deum redundaret, et in Virginem Matrem reverentior cultus excitaretur. Inde tamen male quispiam eliciet collatam fuisse Beatae Virgini potestatem consecrandi, absolvendi, ac reliqua Sacramenta administrandi: ad docendum enim intra privatos parietes nulla erat incapacitas, seu inhabilitas, sive naturalis, sive moralis, bene vero ad munus sacerdotii, quaeque illius sunt propria. S. Basilius Seleucus, orat. de Annunc., stat aperte pro nostra sententia: *Quis ergo, ait, magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Quis quanto eos intervallo post se relinquat, quos Divorum loco habemus, non miretur? Si enim Christus servis tantam gratiam contulit, ut solo contactu, imo vero sola corporis umbra aegris praesidium afferre possent* etc.; *qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? An non multo maiorem, quam caeteris Christi imperio subiectis? Omnino res clara est.* Et merito, nullibi enim regina cum servis conferenda, neque privilegia aliqua ipsis concedenda, quae illa nobiliori modo non sortiatur. Equidem tamen fateor, antequam Filium conciperet, nulla Deiparam edidisse miracula, saltem id non constat: neque enim id tempus opportunum erat ad usum huius gratiae. Ab Incarnatione autem usque ad Christi ascensum, forsan nulla patravit miracula, saltem publica; plura vero ipsius Matris precibus Filius edidit. Dixi *publica*, quia arbitror valde esse probabile, aliqua secreta miracula ipsam operatam fuisse, prout opportunitas ac necessitas occurrebat, praesertim per tempus infantiae Salvatoris. De tempore autem post Christi ascensum, valde verisimile existimo cum Suario, tom. 2 in 3 partem, disp. 21, sect. 3, § *Tertio de tempore*, Virginem Deiparam plura perpetrasse miracula. Quamvis enim ipsius non interesset publice fidem edocere, tamen ad grande animarum lucrum et Ecclesiae profectum conducebat, eam tanquam Dei Matrem suspici. Dein si corpus Virgineum plura edidit miracula post mortem, tum et eius sepulcrum miraculorum effectione illustre fuit; cur cum vitam viveret, similia opera non efficeret? Nec ratio D. Thomae urget; quia etiam Beata Virgo fuit illo tempore magistra Fidei; cuius opera et miracula in Filii honorem et fidelium profectum redundabant. Qua de re videndus Petrus de la Vega in vita B. Virginis, cap. 27, § 6. De prophetia commodiori loco Certamine sequenti disputabimus.

1342. His igitur gratiis decoratam fuisse Deiparam a momento sui conceptus, docent plures cum Suario, 3 par., tom. 2, dis. 21, quia hae gratiae plerisque collatae fuere; ergo et Beatae Virgini. Sunt praeterea perfectiones quaedam, ac derivationes divinae virtutis, ac potestatis, a qua in homines dimanant; ergo non sunt denegandae Deiparae. Neque obstat, aliquarum usu

non indiguisse Deiparam; ad altiorem enim usum eas adeptam fuisse asserit s. Bernardinus, tomo 2, serm. 51, art. 3, cap. 1: *Licet*, inquit, *habuit omnia genera gratiarum, non tamen habuit illa ad quemcunque usum, sed ad usum altiorem et nobiliorem, et qui mulieri merito congruebat: sicut, verbi gratia, habuit donum sapientiae non ad usum publice docendi, vel praedicandi; sed habuit ad divina gustandum, et contemplandum: et sic licet ad quoscunque usus aliqua dona non habuerit, habuit tamen ea ad altiorem et nobiliorem actum.* Imo s. Thomas 3 p., q. 27, art. 5, haec habet: *Non est dubitandum quin Beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiae, et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae: non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus; sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius Virginis. Sapientiae enim usum habuit in contemplando secundum illud Luc. 2: Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Non autem habuit usum sapientiae, quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat sexui.* Iuvat etiam hic de linguarum dono s. Antonini citati verba referre: *Quia Beata Maria*, inquit, *fuit cum Apostolis, quando receperunt Spiritum sanctum, credendum est quod et hoc donum recepit cum eis. Quamvis non esset deputata a Deo ad discurrendum per mundum, ad praedicandum, sicut Apostoli; tamen ut nihil boni spiritualis et gratiae ei subtrahatur, decebat eam hac non privari; sicut nec Filius eius, quamvis non egeret habere donum linguarum, quia non praedicavit, nisi Iudaeis, non tamen hoc caruit: nec frustra ipsum habuit, quamvis eo non fuit usus, sed ad excellentiam eius. Praeterea ipsa Beata Maria, etsi non praedicaret, verisimiliter tamen credendum est, quamvis scriptum non sit, quod multi ex conversis ad fidem de diversis nationibus et linguis accedebant ad eam visitandam, venerandam et audiendam. Quibus, cum plena esset charitate, nec in loquela posset errare, loquebatur, consolabatur, respondebat, instruebat variis idiomatibus, in quibus illi nutriti et docti erant.*

Quod autem hae gratiae Deiparae in prima sua sanctificatione inditae fuerint, vel ex Divo Thoma coniectare licet; agit enim de prima in utero Matris sanctificatione, illamque versat quaestionem: num Deipara per huiuscemodi sanctificationem omnium gratiarum plenitudinem adepta fuerit. Et affirmanti suffragatur parti, ea ductus ratione, videlicet quia Virgo Deipara Filio in humana natura simillima futura erat, atque adeo omnium gratiarum plenitudine cohonestanda: et quanquam aliquae ex illis gratiis nulli prorsus usui tunc temporis forent, tamen ut illius augerent nitorem ac splendorem, opus fuit ut ipsi exhiberentur. Unde finem imponit cum Alberto Magno s. Antoninus: *Concludit igitur Albertus, quod universitatem gratiarum gratuitarum, et gratis datarum omnifariam habuit. Quamvis enim istae gratiae, praecipue gratis datae, communiter dentur ad utilitatem aliorum et sui profectum; B. tamen Mariae fuerunt collatae, etsi non habuerit ministerium in Ecclesia, ut Apostoli, ad decorandam potentiam, et nobilitandam naturam, et ad honorandam personam suam; et sic ad perfectionis et delectationis augmentum, in materiam laudis, et omnium bonorum spiritualium augmentum.*

CERTAMEN XXIII.

Virgo Deipara prophetiae dono floruit.

1343. S. Germanus, orat. de nativ. B. Virginis, vocat Deiparam, *Supplementum clarissimum totius prophetiae.* Dupliciter autem aliquis supplere dicitur: 1° quia rei inchoatae, sed nondum perfectae, adiungit quod deest: 2° quia loco alterius successit ad aliquid praestandum, ut cum quis praepeditus impedimento obeundi muneris, alium sibi subrogat; vel cum quis sufficitur in locum demortui ad certas functiones exercendas. Iuxta haec, B. Virgo potest dici Supplementum prophetiae; quia ei apposuit quod deerat, nempe executionem praenuntiationum et promissionum exhibitarum a Prophetis nomine Dei; edidit enim Christum, quem omnes illae vaticinationes et pollicitationes spectabant. At Christo producto, veritas per eum facta est, ut ait Ioannes, et prophetae fideles sunt inventi. Praeterea est etiam B. Virgo per Christum supplementum clarissimum prophetiae, quia in lege gratiae cessarunt umbrae propheticae, et prae illis temporibus dicere cum Apostolo possumus: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Verum tametsi haec vere dicta sint, hic tamen amplius inquirimus: an scilicet Virgo Deipara tanquam vera Prophetissa prophetiae dono, sicut de aliis gratiis superiori Certamine dicebamus, vere praedita fuerit.

Censeo esse de fide, B. Virginem esse veram Prophetissam. Patet ex Cantico *Magnificat*, ubi spiritu acta prophetico dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Huc spectat titulus ille *Evangelistae*, quo eam donat s. Ildephonsus serm. 2 de Assumpt. Et merito, quia pastoribus ac Magis Christum annuntiavit. Item post Christi obitum, officium Evangelistae recte adimplevit, quia sanctos Evangelistas pleraque edocuit: peregrinis item, a quibus invisebatur, Christi mysteria evulgabat. Isai. 40 ait: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.* Hebraea versio sic transfert: *Super montem excelsum ascende evangelizatrix Sion. Dic civitatibus Iuda: Ecce Deus vester.* Quod vaticinium cum aliis in Virginem Deiparam deflectit Paulus Burgensis, quae exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, omniumque prima evangelizavit Christum Zachariae, Elisabethae et Ioanni; ac proinde Angelis praeivit in evangelizando Christo in natali Christi, et D. Matthaeo in conscribendo omnium primo suo Evangelio; iamque omnium prima sacrum evangelistae nomen in seipsa dedicavit. O felix evangelizatrix Christum Deum annuntians, Evangelistae munere et Angelos et Evangelistas antevertens! Pro eodem autem il-

lephonsus sumit utrumque illum titulum, nempe Prophetae et Evangelistae, quia uterque a Spiritu sancto verba fundit. Verum, quia Lex et Prophetae usque ad Ioannem, cui Beata Virgo superstes fuit, maluit s. Doctor B. Virginem Evangelistam, quam prophetissam, vocare. S. Basilius exponens illud Isai. 8: *Accessi ad Prophetissam, et in utero concepit*, de B. Virgine intelligit per haec verba: *Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proxime per spiritus praenotionem accesserit Isaias, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariae, quae prophetico afflata spiritu elocuta est: Magnificat anima mea Dominum*, etc. *Quod si animum ad universa eius verba accommodaveris, non utique per dissidium negaveris quod fuerit Prophetissa.* Hieronymus in Isai. ait: *Quidam Prophetissam sanctam Mariam interpretantur, quam Prophetam fuisse non dubium est, ipsa enim loquitur in Evangelio: Ecce enim a modo beatam me dicent omnes generationes.* Augustinus, 17 de civit. Dei, cap. ult., eiusdem est sententiae; Rupertus, lib. 1 in Cant. vocat eam, *Prophetissam prophetarum*, quia et prophetas docuit, et de ipsa omnes prophetae prophetarunt. Idem docent alii Patres apud Spinellum, in Throno, c. 19 a numero 3; Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 20, sect. 1; Canisius, lib. 4 de Deipara, c. 2, § *Quod si Patres.* Et ratio generalis est, quia B. Virgo ita fuit plena gratiae, ut quidquid aliis per partes distributum est, id totum in Maria cumulate profudit Deus, sicut tantam dignitatem decebat.

1344. Hinc obiter inferes, B. Virgini collatum fuisse singulare donum illud, quod conferri solet Scriptori canonico ad sacram Scripturam conscribendam; quemadmodum enim Scriptori canonico divinus Spiritus instillat singula verba, sic Virgini Deiparae inspiravit et dictavit singula verba cantici *Magnificat*, quae omnia et singula, sicut ab ipsa B. Virgine prolata sunt, fideliter a s. Luca conscripta sunt: nec solum canticum illud est canonica Scriptura, quia Evangelista refert, Virginem Deiparam illud pepigisse; sed etiam per se, et ut ab ipsa prolatum est, quia singula verba fuerunt B. Virgini a Spiritu sancto dictata. Gratia igitur prophetiae non immutat rationem doni, sive conferatur ad loquendum, sive ad scribendum: utrum vero B. Virgo aliquid scripserit, certo non constat; quod si constaret Ecclesiae, aliquam epistolam, vel aliquid aliud eam scripsisse, inter canonicas Scripturas merito esset annumerandum, ut docet Suarius cit. Sciscitaberis, cur B. Virgo nullum librum canonicum, vel Evangelium conscripserit, praesertim cum Filii individua comes exstiterit in vita et morte? Sed eadem ratio, propter quam in testem resurrectionis Christi non fuerit vocata ab Evangelistis, quod scilicet testimonium maternum exceptionem apud exteros admisisset; eadem quoque ratio militat non expedivisse conscribi aliquod Evangelium a B. Virgine, neque librum canonicum, quia oportebat praeire mulieribus exemplo, ne doctrinae et praedicationis officium sibi assumerent.

Inficiari tamen quispiam posset Deiparam prophetiae dono floruisse, quia nulla scripta reliquit, neque enim sufficit aliquid a Deo revelari, ut quis inter Prophetas annumeretur; siquidem Pharao futura cognovit, Gen. 41; nemo autem Pharaonem prophetam dixerit: item Nabuchodonosor futuram regnorum mutationem in somnio hausit, et tamen propheta a nemine vocatur. Deinde quae per cognitionem propheticam revelantur alicui, publicum multorum commodum respiciunt, non particulare: ob hanc causam, licet Deus Abimelech revelaverit Saram Abrahami uxorem esse, Genes. 20, cum tamen revelatio privatam regis utilitatem solum respiciebat, nullo modo propheta compellatur Abimelech. Alii subdunt miraculorum patrationem semper coniungi solere cum prophetiae dono; at Deiparam nullum patrasse miraculum novimus: ergo rationi conforme non videtur, prophetiae donum B. Virgini deferre.

1345. Tanquam certissimum tamen tenendum est, Virginem Deiparam spiritu prophetico gavisam fuisse. Tria ergo s. Thomas, 2 2, quaest. 171, art. 1, deposcit, ut quis prophetiae dono decoretur. Primo, ut ea, quae in hominum intelligentiam non cadunt, coelesti revelatione consequatur. Secundo, ut quae a Deo per revelationem quis hauserit, Ecclesia manifesta faciat; in id enim prophetiae donum a Deo communicatur, ut patet in prophetis, et ex Paulo ad Ephes. 4, et I Cor. 12. Tertio, tanquam quid consequens est miraculorum patratio, quando veritas divina contra infideles confirmanda est. De prima prophetiae conditione, nullus ibit inficias resedisse in Deipara, praecipue cum pepigit canticum *Magnificat*, ubi plura futura cognitione habita per revelationem praecognovit; quae revelatio utilis admodum, ac proficua futura erat universo fidelium coetui. Tertia conditio, ubi refractarii homines non sunt, necessaria non est: unde Abraham, Genes. 20, propheta nuncupatur, nec ullum miraculum ab ipso factum refertur; imo neque sibi a Deo revelata, aliis manifestasse dicitur. Nec obest, quod B. Virgo nihil nobis scriptum reliquerit: saepe enim in sacris Voluminibus prophetae dicuntur, qui nulla scripta in posteros reliquerint. Vide Iudic. 6, et I Reg. 2. Nec Pharao autem, nec Nabuchodonosor dicuntur prophetae, et merito quia ad prophetiae donum non sat est divinum accipere oraculum, sed opus est illius significatum assequi; Pharao vero et Nabuchodonosor somnia sua nequaquam calluerunt, quousque Ioseph et Daniel illorum explicationem aperuerunt. Ex quo duo infero: primum, B. Virgini quamplurima arcana circa futurum Ecclesiae statum fuisse reserata, ut Apostolos ac Doctores de illis informare posset, a qua ipsi in ordine ad suum ministerium, tanquam a quodam sapientiae pelago inexhausto novam lucem haurirent, novas divinarum rerum revelationes depromerent: secundum, B. Virgini auxilium speciale, quod ab Spiritu sancto Scriptoribus canonicis tribui solet, collatum fuisse, ne in rebus, de quibus Apostolos, Praelatos ac quoscunque fideles instrueret, errare posset.

Imo hoc prophetiae Marianum donum ad Filii sui arcana penetranda porrigebatur, ut aperte ex illo Ioann. 2. Vix enim Christus dixerat: *Quid mihi, et tibi est, mulier?* Et protinus Deipara insonuit ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite:* ac si probe nosceret cordis Filii sui arcana. Quod subodoratus est Eusebius Gallicanus, serm. in Domin. 1 post natale Domini, per haec verba: *Filii sui cogitationes cognovisse, ex eo intelligere possumus, quod ad nuptias vocata, hoc quod ille facere disponebat, ipsa ut faceret admonebat, dicens: Vinum non habent. Cui cum ille responderet: Quid mihi, et tibi est, mulier? nondum venit hora mea; ipsa futura praenoscens ait ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite: hoc enim illa non dixisset, si cogitationes eius non cognovisset.* Quod firmat Apollinarius, cap. 3 Catenae graecae, in Ioann., ubi ait: *Noverat Mater Dominum sibi, ut Filium morem gesturum.* Et s. Antoninus, 4 part., titul. 15, cap. 19, § 4: *Ideo*, ait, *hoc dixit, quippe quia praescientia futuri miraculi sciebat, aquam in vinum convertendam.* Magna sane praerogativa Deiparentis Virginis, Dei-hominis cogitationes callere, cum nemo possit, nisi peculiari revelatione alterius cuiuscunque hominis, vel Angeli cogitatus, et sensa introspicere, nedum Dei; solus enim Deus hominum corda et renes scrutatur. S. Ignatius Martyr in epist. ad B. Virginem vocat eam, arcanorum Filii gnaram: refert hanc epistolam Castro, de vita B. Virginis. Et s. Bernardus epist. 77, et s. Anselmus lib. de laudibus Virginis fatentur, Deiparam maiori et excellentiori polluisse cognitione erga Christi Domini arcana mysteria, quavis alia creatura, quia quo Christo proximior et coniunctior, eo plus de ipsius donis, privilegiis, gratiis ac scientia hausit. Ex quo infert Ambrosius, lib. de instit. Virg., cap. 7, ex eo Ioannem Evangelistam prae caeteris altius scientia evolasse, sublimiori calamo scripsisse, quia familiarius egit cum Virgine Deipara, a qua profundissima hausit arcana. Itaque B. Virgo non solum futurum miraculum conversionis aquae in vinum, sed modum illud patrandi praenoverat; quorsum enim ministros praeveniret illis verbis: *Quodcunque dixerit vobis, facite*, si ignoraret futurum, ut Christus illis praeciperet, ut hydrias aquis adimplerent? posset Christus miraculum patrare, quin ministrorum opera indigeret: perspicue ergo elicitur, B. Virginem prophetico actam spiritu Filii sui arcana consilia cognovisse. Quod rite meditatus fuit s. Gaudentius tract. 2: *Nunquam*, ait, *Virgo mandaret ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite; nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam futuri ab eo tunc ex aqua vini universum ordinem praevidiset. Quid enim lateret sapientiae Matrem capacem Dei?*

1346. Hic quispiam scire aveat, utrum B. Virgo calleat diem iudicii, et numerum salvandorum, quod arcanum secretum sibi reservasse Filius videtur. Suarius, tom. 2 in 3 part., d. 53, s. 4, solum asserit: *Fortasse a B. Virgine cognoscitur dies iudicii;* cum id negaverit de reliquis Beatis, tom. de Incarnat. quaest. 10, art. 2 in comment. Granados in 1 part., d. 1, sect. 9, num. 54, ait ignotum esse diem iudicii Angelis ac reliquis Beatis, nisi alicui ob specialissimum privilegium concessum fuerit, ut B. Virgini, quod non est contra verba Christi Domini, qui solum locutus de Beatis, et aliis pro eo tempore, quo verba illa protulit Christus: Nemo scit diem iudicii; Beata autem Virgo multo post Deum vidit. Haec Granados. Equidem arbitror, Virginem Deiparam utrumque scire, nempe diem iudicii, et salvandorum numerum. Quia aliquod privilegium concedendum Reginae, quod nulli alteri ex famulis deferatur; imo rationi absonum videtur, ut secretum aliquod pertinens ad filios et servos tantae Reginae ac Matri tegeretur a Filio, praesertim cum id non dedeceat B. Virginem, nec repugnet sacrae Scripturae, Patribus, aut rationi. Et loca plura Patrum multa Deiparae privilegia conferunt, quia Dei Matrem decent, et confirmari potest, quia id spectare videtur ad statum beatificum Matris Dei, quae Mater est etiam omnium praedestinatorum: quae vero Mater, quae non cognoscat clare, ac distincte filios a se genitos?

1347. Quid, quod Abulensis in cap. 24 Matthaei, q. 209, affirmat Angelos scire diem iudicii, eos tamen nescire ad dicendum aliis? Sotus in 4, dist. 43, q. 2, a. 2, omnino id negat; uterque divinat: de quo Suarius cit. Res ipsa dubia valde est. Aliqui omnino negant Angelos id scire ex verbis Christi, Matth. 24, et Marc. 13: *Nec Angeli coelorum.* Sed hoc non cogit, nam etiam dicitur a Marco: *Nec Filius hominis.* Et tamen certissimum est Christum ut hominem scire diem iudicii, saltem per visionem Dei; unde exponi solet, non scire viribus naturae humanae, vel non scire ad revelandum, ut ait Petrus Dam.: *Non scit discipulis, licet sibi nihil ignoret.* Eadem ratione intelligi possunt verba illa: *Nec Angeli coelorum.* Licet enim id videant in Verbo, tamen vetitum est eis, ne id aliis revelent, nisi ex speciali Dei voluntate. D. Bonaventura, in 4, dist. 48, a. 1, q. 3, varias Patrum ac Theologorum sententias producit circa rem hanc; ipse autem censet probabilius, Angelos superiores videre in Verbo divino diem iudicii, alios vero inferiores illum ignorare: sed displicet haec distinctio; licet enim sint inaequales in beatitudine, sufficit tamen perfectio beatitudinis, ut in hoc obiecto valde secundario inferiores assimilentur superioribus, si verba Christi semel non obstant, quia id aequaliter attinet ad eorum statum. Ideo Richardus in 4, dist. 43, art. 6, q. 2, varios sentiendi modos adducens, de omnibus Angelis id affirmare videtur, referens D. Augustinum in Enchiridione, cap. 36, vel iuxta alios, cap. 62. Ubi docet, sanctos Angelos scire numerum hominum praedestinatorum; unde a fortiori sumitur argumentum, quia mysterium sublimius est praedestinatio hominum, quam iudicii dies: ergo si de primo edocti sunt a Deo, iuxta Augustinum; etiam de secundo. In hanc etiam partem propendet Caie-

tanus in c. 14 Matt. Addit enim particulae illi: *Neque Angeli coelorum;* id est notitia naturali; atque adeo alia notitia admittit Caietanus scire Angelos diem iudicii. Praeterea Angeli vident in Verbo nunc fidei articulum, quod scilicet aliquando veniet dies iudicii, non autem vident illum confuse, vel abstractive, sed intuitive, et in se; hoc enim magis consonum videtur statui Beatitudinis angelicae: ergo vident determinate et in individuo diem iudicii. At vero rationes, ob quas voluit Deus diem illum Ecclesiae militanti occultari, vim non habet in Ecclesia triumphante, si sibi solum illum diem sciant, non ut revelent aliis. Scio communiorem sententiam esse, Angelos nescire diem iudicii, ut ait Suarius, de Angelis l. 6, c. 5, n. 16; et inter expositores in Matth. et Marcum est magis recepta sententia.

1348. Verum rationes productae multo maiorem vim habent in B. Virgine, et licet de Angelis negemus id privilegium, non est tamen denegandum B. Virgini, cuius honos idem est cum Christo, et quidquid honoris et excellentiae Mariae detuleris, in Christum semper refunditur. Hinc forsan sponsus saepius compellet B. Virginem, Amicae nomine, quia ipsi sponsus cordis arcana detegebat, ipsamque tam in laeta, quam adversa fortuna sibi in arcanorum aerarium adscivit: ideo eam in foramina petrae, in cavernam maceriae invitare solebat, in vineas convocat, in villas compellat, in solitudinem allicit, ac gloriabunda in illa verba prosilit: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* At quid communius inter amicos, quam mutua secretorum reseratio? Ideo Aelredus, lib. 1 de amicitia, ait: *Porro amicus, quasi amoris, vel, ut quibusdam placuit, ipsius animi custos dicitur; quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi mei oportet esse custodem, ut omnia eius secreta fidei silentio servet.* Item Cassiodorus, lib. de amicitia: *Homo*, ait, *sine amico, non habet cui conscientiae suae sinum, cui solatium suum, aut aliquid de molestiis irruentibus evaporet.* Idem monitum fuit Senecae, epist. 3: *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Sed quia interveniunt quaedam, quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce.* Hinc imago iuvenis, quae amicitiae referebat naturam, latus habebat apertum usque ad cor, quod manu ostendebatur: et Christus ait discipulis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia nota feci vobis.* Videndus Sherlogus in Cantica, tom. 1, fol. 145, n. 43.

CERTAMEN XXIV.

An in B. Virgine resederint Spiritus sancti dona.

1349. Communi Theologorum consensu a primo conceptus sui momento haec dona Virgini B. delata fuisse censemus: ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 4, sect. 2. Quod innuit Ecclesia, cum Deiparae verba illa Eccli. 24 accommodat: *In me gratia omnis viae, et veritatis; in me omnis spes vitae, et virtutis.* Per quae verba, ea omnia comprehenduntur, quae rationali creaturae conducunt ad ultimum finem melius assequendum, quaeque ad rectam vivendi rationem capessendam scitu utilia, ac necessaria esse possunt. Septem numerantur Spiritus sancti dona ab Isai. cap. 11: nempe intellectus, sapientia, scientia et consilium, quae pertinent ad perfectionem intellectus: timor, pietas et fortitudo, quae voluntatem exornant. Sicut ergo in reliquis iustis reperiuntur haec dona, et comitantur gratiam, et infusa etiam sunt Christo Domino, ut fides docet Isai. 11; ergo non est cur B. Virgini denegentur. Deinde dona, quae intellectum expoliunt, ut plurimum includunt absolutum iudicium de agendis ex speciali Spiritus sancti instinctu, qui modus agendi est perfectissimus: ergo perfectiori modo tribuendus B. Virgini, quam Adae et aliis iustis. Donum ergo sapientiae ad id munus exhibitum, ut de rebus divinis iudicaret, quatenus dignae erant, quae totis viribus, et affectu diligerentur et crederentur. Per donum intellectus veritatis fidei penetrabat, non ex auctoritate loquentis, id enim ad fidem spectat, sed quoad sensum loquentis verum ac genuinum. Dono scientiae rimabatur conclusiones ex principiis fidei elicitas, hoc discrimine, quod scilicet sapientia circa illationes divinas, et supremi ordinis solum se porrigat; scientia vero circa veritates solum de rebus creatis protendatur, iuxta illud Augustini proloquium, lib. 13 de Trinitate, cap. 19: *Sapientia divinis et aeternis; scientia humanis et temporalibus attributa est rebus.* Per donum consilii interne iudicabat practice aliquid esse faciendum, quod secundum communes leges divinas non esset tunc exequendum opere, et nihilo secius tale iudicium practice verum et rectum est; quod iudicium differt ab omni iudicio prudentiae infusae; nec enim nititur principii ipsius, sed altiori fundamento fundatur: motio enim, et instinctus Spiritus sancti omnem legem praetergreditur. Hoc iudicio consilii, quod ad Spiritus sancti donum pertinet, permotae aliquae virgines, ut Pelagia, quae cum sociabus in flumen desiliit, ut virginitatem suam illaesam servaret; Apollonia item in rogum insiliit Spiritus sancti ductu.

Cum igitur haec dona, quae intellectum perficiunt, secum afferant absolutum iudicium circa agenda, ex speciali Spiritus sancti instinctu, qui modus agendi perfectissimus est; procul dubio B. Virgini deferendus: tum quia actus horum donorum conferuntur ad iuvandam et roborandam fidem divinam, qui licet in Beatis secundum hanc considerationem non admitterentur, neque etiam in Christo; quia dicunt obscuritatem quandam, quae neque in Beatos, neque in Christum quadrare poterat: at Mariae viatrici nullo modo adversabantur; imo dicunt per se perfectionem propter se appetibilem, et ad quamcunque abstractivam cognitionem de Deo valde conducentem; et in B. Virgine viatrice, cum admittamus scientiam abstractivam supernaturalium mysteriorum fidei, concedenda sunt etiam ipsi haec dona, quae ei maximo erant

adiumento. Quod vero discriminentur a scientia infusa et beata, probabilius censet Suarius, de Incarnat. disp. 20, sect. 1. Deinde secernuntur a fide; siquidem haec dona infunduntur simul cum gratia, atque adeo hac deperdita, illa deperduntur, fide remanente, et destructa fide in patria, adhuc remanent in Beatis. Indita autem fuisse haec dona B. Virgini ab instanti conceptionis constat, quia cum gratia simul infunduntur, illamque perpetuo comitantur; decebat enim, ut a primo suae conceptionis instanti Marianus intellectus omnibus virtutibus ac donis supernaturalibus decoraretur, praecipue cum ab illo instanti iam perfecto rationis usu polleret. Nec dicas, per scientiam infusam perfectissime cognovisse Deiparam omnia, ac proinde non indiguisse his donis intellectum perficientibus, quia haec dona includunt perfectionem per se expetibilem et distinctam a scientia infusa; et communi Theologorum consensu admittuntur in reliquis iustis et in Beatis, a scientia infusa distincta. Sicut enim quilibet homo est mobilis a Spiritu sancto altiori modo, quam possit ipse seipsum movere, etiam per virtutes infusas; ita etiam mensa et voluntas B. Virginis erat mobilis a Spiritu sancto per altiores regulas, quam ipsa posset se movere per prudentiam infusam, et per reliquas virtutes infusas, quia motio Spiritus sancti specialis non minus est altioris rationis respectu B. Virginis, quam reliquorum hominum. Quaelibet ergo creatura intellectualis, eo ipso quod subiicitur speciali motioni Spiritus sancti per altiores, et extraordinarias regulas, quam sint leges communes naturae vel gratiae, est capax donorum Spiritus sancti: unde cum Angeli et Virgo Deipara hoc modo Spiritus sancti motioni subiicerentur, horum donorum capaces omnino erant: ergo simul ac gratiam recepit B. Virgo, simul haec dona habuit, quae gratiam comitantur.

1350. De donis etiam quae voluntatem exornant, in B. Virgine in gradu perfectissimo extitisse, suadetur etiam, quia sunt perfectiones maximae voluntatis; quique ex illis operantur, ex particulari motione et instinctu Spiritus sancti operantur, praeter ordinarias regulas rationis tam naturales, quam supernaturales, quibus prudentia sive acquisita, sive infusa moveri solet. Et in speciali probatur, nam fortitudinis dono pericula quaeque, ac mortis discrimina aggredi parata erat ex instinctu ac motione speciali Spiritus sancti; eiusmodi computantur actus praefati in s. Apollonia et aliis: et hinc patet discrimen inter fortitudinem donum Spiritus sancti, et eam quae virtus infusa est, nempe quod motivum fortitudinis, quae donum est, sumitur in tali opportunitate per conformitatem ad altiorem regulam, quam sit communis regula, ac praescriptum rationis, sive naturalis, qualis reperitur in virtute naturali morali, sive infusa, quae reperitur in virtute supernaturali, videlicet ad specialem instinctum Spiritus sancti. Quae quidem doctrina aptanda est omnibus aliis donis; alioquin haec dona cum virtutibus similibus confunderentur. Addo modo, in patria adhuc permanere hoc donum quoad actus simplicis affectus, vel gaudii circa honestatem fortitudinis, seu de honeste factis in via, ex instinctu et motione Spiritus sancti. Per pietatis donum Virgo Deipara exhibebat honorem Deo et cultum, ut Patri, per peculiarem Spiritus sancti motionem, tum etiam Sanctis ac parentibus, quatenus ad Deum pertinebant; qua ratione pietatis donum a pietate infusa, religione et dulia secernitur, quarum actus a propriis virtutibus eliciuntur, non tamen ex speciali instinctu Spiritus sancti.

De dono timoris est maior difficultas, quia aliquo modo adversari videtur B. Virgini, eiusque in Deum amori perfectissimo; timor enim est fuga imminentis mali, qui cum animi tristitia et anxietate accidere solet, teste Aristotele 2 Rhetor. 5, et D. Thoma 2 2, quaest. 19, art. 11. At B. Virgo nullum malum culpae, quod vere malum est, formidare potuit, cum esset impeccabilis ex privilegio; ob quam rationem Abaylardus haereticus negavit in Christo et Beatis hunc timorem. Fide tamen tenendum est hunc timorem sedem habuisse in Virgine Deipara. Constat ex illo Gabrielis, *Ne timeas Maria*. In quae verba Ambrosius, lib. 2 de Virgine, ait: *Virgo quasi viri specie mota trepidavit.* Explicari autem potest hic timor in B. Virgine, sicut explicari solet in Beatis, et in ipso Christo, in quibus fides timorem admittit, iuxta illud Isai. 11: *Et replevit eum Spiritus timoris Domini;* et 18: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi.* Itaque timor hic in B. Virgine consistere potest in quodam affectu reverentiae ad Deum propter ipsius eminentiam; qui affectus actus timoris vocatur a D. Thoma, 3 part., quaes. 7, art. 6; siquidem timor respicit malum, quod ab alio provenire potest: ille autem, qui hoc malum invehere potest, superiori potestate gaudet in eum, a quo tale malum timetur; tametsi autem nullum timeatur malum ab eo, qui hanc praecellentem potestatem habet, semper tamen affectus ille reverentiae, timor appellatur. Qui explicandi modus consonat D. Thomae, 2 2, quaest. 19, artic. 11, et quaest. 67, artic. 2, et aliis, quos citat Suarius de Incarnat. d. 20, sect. 2, § *Primus modus.*

1351. Adversabitur aliquis dictis, quia de ratione timoris est, ut sit fuga mali: sed occurre ex D. Thoma, 3 p., quaest. 7, art. 6; et 1 2, quaest. 67, art, 4, donum timoris non solum respicere malum, sed etiam bonum: omne quippe donum, sicut et virtus per se respicit bonum, malum ex consequenti: unde timoris donum non solum versatur circa malum fugiendum, sed etiam circa praecellentem potestatem, quae quoddam bonum est illud revereri: vel etiam dici posset, admitti debere donum timoris in Deipara, iuxta explicationem s. Augustini, lib. 14 de civit. cap. 9, ubi ait: *Timoris casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse est nolle peccare, non sollicitudine necessitatis, sed tranquillitate charitatis.* Itaque fuga peccati a Deo separantis, quam habuit B. Virgo, dicitur Timor, et licet ipsa sciverit, se non posse pec-

care, tamen eius natura capax erat peccati: unde potuit habere fugam huius mali, tanquam sibi possibilis. Explicatur amplius iste actus; possumus ergo intelligere in B. Virgine voluntatis affectum subdendi se Deo, praeferentem in omnibus honorem divinum proprio, qui affectus ad humilitatem spectat, unde et ad donum timoris, si fiat ex speciali Spiritus sancti instinctu. Donum enim timoris, ait Augustinus, lib. de verbis Domini in monte, humilitati respondet. Rursus ex hoc affectu, alius subsequi potest, quo B. Virgo in conspectu eminentiae divinae ita se habeat, ut quasi non audeat ad Deum accedere, et omnino recuset usurpare in aliquo excellentiam eius, effugitque investigare mirabilia eius: qui quidem actus est timor reverentialis, iuxta Patres apud Suarium cit., § *Quocirca*. Per quae satisfit rationi oppositae; non enim repugnat B. Virgini timor hic, nam poterat illud malum considerare sibi secundum se possibile simpliciter, et illud fugere per actum respicientem executionem possibilem: unde talis actus secundum substantiam eiusdem rationis est cum timore, qui respicit malum futurum, vel imminens: impiissime autem Lossius Lutheri discipulus virus illud evomuit, nempe ex peccato B. Virginis in amissione Iesu, illam in extremos animi languores deductam esse, ita ut vereretur se huius peccati aeternas poenas iusto Deo daturam. Sed bene contra hunc impium nugatorem et alios invehitur Ambrosius, epist. ad Theophilum, aiens: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare convitio.*

Ex dono igitur timoris, reverentiali quodam affectu in Deum ferebatur Maria, ex quodam particulari Spiritus sancti motu; non tamen servili timore unquam mota fuit, quia licet alioquin timor iste bonus sit, non tamen speciale donum ex septem numeratis: est enim imperfectus, neque in Christo admittitur ab schola, et potius ad peccatores spectat; et licet in viris iustis reperiatur, nunquam tamen imperfectionem aliquam exuit; perfecta solum charitas foras mittit timorem utique servilem. De quo videndus Suarius, tom. 1 de gratia, lib. 2, cap. 21, n. 21. Hoc ergo timore reverentiali, Deipara liberali et ingenuo affectu Deo alacriter subiiciebatur, illiusque iussa non servili studio implenda capessebat.

1352. Nec ullo modo eiusmodi timor Virginem Mariam dedecebat, cum Christo Domino deferat eum Isaias, cap. 11, ubi recensens gratias, charismata ac dona, quae Deus in Christum liberali manu congessit, haec habet: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ubi ultimo loco ponit timorem, qui omnes animi ac corporis sensus, et facultates pervadit, quasi timor potius illud compositum informaret, quam ipse animus. Hebraea vox iuxta translationem Tigurinam sic habet: *Et faciet eum spirare timorem Domini.* Quasi per timorem Domini respiraret, ac viveret, et operationes omnes vitales exequeretur. Forerius cum aliis interpretibus ita legit: *Olfacere ipsius cum timore.* Ac si nec ullus halitus, nec verbum ab ore efflueret, quod prius a timore Dei non sigilletur, nec gradum faceret, non praeeunte timore, nec oculus vel leviter levabit renuente timore, quod iam pepigerat regius Vates, Psal. 8: *Videbunt iusti, et timebunt.*

De hoc timore festive ait Petrus Cellensis, lib. de panibus, cap. 14: *Quasi custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur. Habeamus bonas et pulcras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi paedagogi, scilicet timoris.* Ubi venuste componit virtutes ac Spiritus sancti dona, cum puellis pulcherrimis ac cum margaritis, vel lapillis magno pretio habitis, quorum custos fidelissimus constituitur timor Domini, sine quo maxima subeant discrimina necesse est. Apte in hanc rem scribit s. Hieronymus ad Eustochium: *Onusta incedis auro: latro tibi vitandus est.* Profecto omnia virtutum exercitamenta, frequens mentis ad divina secessus, iugis aeternorum contemplatio, sacra lectio, quotidiana Sacramentorum frequentia, effraenium assultuum repressio, corporis afflictio multiplex, obedientiae, et animi demissionis exempla, nihil aliud censentur, quam gemmae pulcherrimae, adamantes lucidissimi permagno a Deo habiti. Ne igitur aliquis inimicus praedo has gemmas a nobis extorqueat et suffuretur, illorum custodem sanctum Dei timorem adhibeamus, hoc enim veluti impenetrabili scuto pravos quoscunque motus, et suggestiones eludemus.

1353. Hoc Virgo B. impenetrabili scuto obarmata iam victrix ovat; ait ergo Cantic. 2: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*; sui Sponsi amoris specimina ostentat, fortunatam se praedicat, ad sponsi mutuos amplexus evectam asserit: itane sponsi laeva Marianum caput innititur, ac suffulcitur? fortunata quidem Mariana domus tali innixa fulcro, nullum unquam casum subitura. Verum adstupeo, quod se felicem iactet, quod manus sponsi sinistra caput suum sustineat, et in ea quasi in centro tuta conquiescat: siquidem a manu sinistra sponsi quis non timeat? quis non toto corpore perhorrescat? Ad sinistram enim depluent horrenda supplicia, fulminabit Iudex calamitates, et strages verbis illis insertas, Mat. 25, 41: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Quid igitur quasi gloriabunda fortunatam se dicit Maria? Quid sibi de felicitate gratulatur, quod sinistrae sponsi caput suum adhaereat? Verum merito aggaudet Maria, quia ex manu laeva Sponsi, quae tot timores incutit, fabrefiet scutum inexpugnabile, quo ignita hostium tela retundat. Ad rem Aponius, lib. 3 in Cantic.: *Laeva sub capite, fidei est scutum, quod pugnantis sinistra continetur manu, quo adversarius repellatur.* Ut hinc ediscas, timorem esse non solum incipientium, iuxta Origenem in capite 8 epist. ad Rom., ubi ait: *Parvulis paedagogus est timor.* Et s. Basilius et Nazianzenus, orat. 21, vocat timorem,

primum incunabulum, et Ephrem, orat. de timore, scholam puerilem. Itaque non solum timor est eorum, qui viam virtutis arripere incipiunt, sed etiam virorum perfectissimorum, qualis fuit Christus, et Maria, iuxta illud Eccles. c. 1: *Initium sapientiae timor Domini*; et paullo post: *Corona sapientiae timor Domini.* Quasi timor sit primum virtutis fundamentum, et aedificii coronis, sive principium et finis: quod in Deum cadit, qui compellatur a Ioanne: *Ego sum* A *et* Ω. Unde in sacris Litteris, timor Dei nomine nuncupatur. Genes. 31, ait Iacob: *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi.* Alii legunt, *Deus Isaac.* De Abrahamo habes, Gen. 22: *Transivit usque ad convallem illustrem.* Caietanus transfert: *Usque ad convallem timoris.* Licet enim Abraham esset omnium virtutum genere perfectissimus, ac conspicuus, semper Dei timore comitabatur, quia ut inquit Eccles. cap. 9: *Nescit homo, utrum odio, aut amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* In quae verba Bernardus addit haec, serm. 1 in Septuag.: *Quis potest dicere: ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, reclamante Scriptura: Nescit homo* etc.? Et serm. 2 de Ascens.: *Utrinque stat fixa sententia aeternitatis, et in his, qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Quis scit, si omnium vestrum, quos hic video, scripta nomina sunt in caelis, et in libro praedestinationis adnotata?* Verba etiam terrore plena sunt illa Augustini, lib. de ovibus, cap. 10: *Ovem te putas, hircum te forte novit Deus.* Tametsi instar solis virtutis radiis splendeas, adhuc in tuto res tua non est. Siquidem habes in Matth. 24, 29: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et virtutes coelorum commovebuntur.* Quae verba premens s. Paschasius, lib. 11 in Matth. ait: *Quod si sol, luna, et stellae, et Angelorum multitudines in adventu Christi in caliginem reputabuntur, quid putant, qui supercilio erecto se sanctos arbitrantur, et praesentiam tanti Iudicis, ac si securi de sua iustitia non formidant?* Quis non totis artubus contremiscat, cum adhuc stellae fixae securae non sint? cum dicat Ioannes, Apoc. 12, 4: *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat: et cauda dragonis trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram.* Quot viri sanctitate conspicui tanquam sydera splendentia micabant, et quia se timore Dei exuerunt, in horrendum vitiorum praecipitium prolapsi sunt? De quibus haec habet Augustinus, in soliloq. cap. 29: *Vidimus multos ex patribus nostris, quod utique sine magno timore non recolo, inter sydera nidum suum collocasse, postmodum cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse ab impetu ferientis caudae draconis.* Huc respiciebat Servator noster, Luc. 10, dum ait: *Et tu Capharnaum usque ad coelos exaltata, usque ad infernum demergeris.* Theophylactus in haec verba ait, Capharnaum adsignificare agrum Spiritus sancti; ac si dicat Christus, plures qui instar paradisi ac recreationis domus erant, ubi Spiritus sanctus hospitabatur, solatia captabat, poma ac fructus carpebat, ac delitiabatur tanquam in omnium virtutum centro, quia tamen a Dei timore recesserunt, in speluncam latronum, ferarum cubile, ac Daemonum spelaea, et haram turpissimam conversi sunt, demum in inferorum locum praecipites se dederunt.

1354. De his omnibus donis Beatae Virginis locutus Ildephonsus ait, serm. 2 de Assumpt.: *Spiritus sanctus eam replevit, et ornavit immensis largitatis suae muneribus.* Ubi non solum munera necessaria, ac conducibilia ad perfectam et absolutam vivendi rationem, sed etiam quae solum ad ornatum et splendorem spectare viderentur, Deiparae collata fuisse recenset. Plus addit ipsa Virgo Deipara apud s. Birgittam, lib. 1 Revelationum, cap. 42: *Primo facta sum angelis, et hominibus honorabilior, ita ut nulla sit virtus in Deo, quae non fulgeat in me.* Cum igitur Spiritus sancti dona sint iuxta D. Thomam, 1 2, q. 68, art. 1, habituales quaedam perfectiones intellectum ac voluntatem exornantes, quibus anima ad divinam sustinendam motionem, illiusque ductum sequendum, facilior ac promptior reddatur; necessario ipsi Deiparae indi eas oportebat. Quae quidem dona septem illis columnis, quibus sapientiae domus fulciebatur, adsignificantur, Prov. 9, 1: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Quae de Beata Virgine interpretatur Idiota de contempl. Deiparae, cap. 4: *Sapientia aedificavit sibi domum, id est te, Virgo Maria, ut in te habitaret per humanae naturae assumptionem. Septem columnae, quibus firma stetisti semper, sunt dona Spiritus sancti, quae requieverunt in te, et nunquam te deseruerunt, per quae stetisti firmiter et perseveranter in omni virtute* Quae dona eo in gradu superiori in ipsa consedere, quo eorum impetus et efficacia nulla prorsus externa vi retardari poterat, nec pugna aliqua, adversoque obice concuti. De quibus donis in Maria considentibus longum attexit sermonem s. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 18, ac demum finem dicendi facit ipse, et ego verbis Alberti Magni: *De omnibus*, ait, *donis loquendo, dicit Albertus, quod actus illorum donorum, quorum actus consistit in cognitione, et affectione, et dona sapientiae, intellectus, consilii et scientiae habuit excellentius omni viatore, medio modo inter statum viae, quantum ad actuum perfectionem, supra statum patriae, quantum ad merendi conditionem. Dona vero in actione consistentia, ut fortitudo, pietas, et timor, habuit per modum patriae, quantum ad actuum perfectionem: sed secundum statum viae quantum ad merendi conditionem.*

CERTAMEN XXV.

In Virgine Deipara fructus Spiritus sancti ac beatitudines sedem habuerunt.

1355. Fructus Spiritus sancti nomine designantur actus ultimi, seu virtutum opera, quae cum suavitate et voluptate perficiuntur, sumpta metaphora ab arborum fructibus, qui sunt ul-

timi effectus, qui ex arbore cum utilitate et voluptate decerpuntur. Illi ergo actus, qui cum voluptate et delectatione fiunt et procedunt ex operibus bonis, vel potius consequuntur, ex Spiritus sancti instinctu effectis, Spiritus sancti fructus dicuntur. Hos fructus recenset Paulus ad Galat. 5: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Sunt ergo fructus hi in B. Virgine actiones honestae, quae in ipsa et ab ipsa per afflatum Spiritus sancti fiebant, quibus actibus habitus proprii correspondebant. Solum in dubium revocari posset, an hi fructus Spiritus, sive actus novam actuum seriem distinctam ab actibus virtutum, ac donorum constituant, id enim innuit Albertus M. in 3, dis. 34, art. 2, quaestiuncula 3. Verum communis ac vera Theologorum sententia ait, fructus hos esse eosdem actus virtutum, vel donorum, quos Paulus per metaphoram fructus appellavit. Ita D. Thomas, Suarius, tom. 1 de gratia, lib. 2, cap. 22, n. 26. Nulla enim ratio excogitari potest ad novam actuum seriem instituendam, per quam novi habitus admittendi sint: quod enim Albertus ait, fructus Spiritus denotare actus, ut reficiunt et oblectant possessorem gustu ac voluptate spiritali, nihil obstat; hic enim gustus et delectatio reperitur ex genere suo in quolibet virtutum, seu donorum actu: solum ergo per metaphoram hi virtutum actus fructuum nomine donantur, quia suavitatem ac delectationem praeseferunt: quod praecipue habent in statu virtutis perfectae; unde perfecti virtutum actus praecipue nomine *fructus* nuncupari possunt: at in Virgine Deipara, cum in omnium virtutum actione maximam perciperet oblectationem, omnes in ea virtutum actus, recte fructus Spiritus dici possent. Solum autem numerantur duodecim fructus a D. Paulo, non quia non sint plures, sed quia illi utiles et sufficientes visi sunt ad oppositionem inter spiritum et carnem declarandam. Quos omnes fructus in Virgine Deipara vere fuisse, pluribus probat s. Antoninus, 4 part., tit. 15, cap 26, § 1.

1356. De beatitudinibus pariter censendum existimo in Beata Virgine fuisse omnes: cum enim nihil aliud sint iuxta meliorem Theologiam, quam actus virtutum, sive donorum optimi et praestantissimi, adeoque non nisi ab speciali gratia promanantes; cumque in Beata Virgine excellentius, quam in pura aliqua creatura, hi actus reperirentur, asserendum est, his beatitudinibus B. Virginem fuisse praeditam. Dicuntur autem illi actus beatitudines, non quod in eis formaliter beatitudo sita sit; sed quia per illos vera consequitur beatitudo. Ex quo elicies ut cum una tantum beatitudo formalis sit, videlicet in termino; at via qua itur ad beatitudinem, multiplex a Christo Domino proponitur, quia illi actus, tanquam causae dispositivae, ad veram beatitudinem disponunt, atque perducunt, ideoque beatitudines compellantur. Quod autem hi beatitudinum actus non constituant diversam seriem, et ordinem a virtutibus reliquis ac donis; constat, quia non apparet ratio aliqua distinctionis, qui est communis Theologorum sensus cum s. Thoma, 1 2, quaest. 69, art. 1; Suario, tom. 1 de Gratia, lib. 2, cap. 22, num. 2; et ostendi potest, si unamquanque beatitudinem explicaverimus.

Prima est paupertas spiritus, de qua idem s. Thomas, 2 2, quaest. 19, art. 12, ait nihil aliud esse quam *inanitionem inflati et superbi spiritus, cum abiectione rerum temporalium ex instinctu Spiritus sancti.* Qui actus vel prodeunt ab animi submissione, vel a rerum temporalium despicientia, adeoque ab ipsis virtutibus infusis, et Spiritus sancti donis non differunt. Quod autem haec beatitudo in Beata Virgine sedem fixerit, vel ex eo constare potest, quod paupertatis votum nuncuparit, eamque dum vixit perpetuo comitem habuit, ut alibi probandum suscipimus. De mititate ac mansuetudine, quae affectionem irae moderatur, et placida mente ac tranquillo animo omnia suffert, diximus iam speciali elucubratione. Tertia beatitudo continetur verbis illis, Matth. 5, 4: *Beati qui lugent.* Illi scilicet, qui aerumnis pressi, quia virtutem assectantur, quasi naturali sensu lugent ac tristantur, ac proinde in Christi cruce sufferenda beatitudo haec sita est; crux autem diu nequit ferri sine gemitu et dolore, nam et Christus illam conscendit post mille sanguineos dolores: quare beatitudo haec non in actu unius, vel alterius virtutis, sed in plurimorum aggregatione posita est, unde et in B. Virgine pluribus icta doloribus, sive de Christi perpessione, sive de hominum flagitiis, et erga Deum ac Filium ingrati animi crimine, beatitudo haec sedem habuit.

Quarto loco, iustitiae ac virtutum omnium sitis, de ferventissimo iustitiae actu, quae hominem iustum ac sanctum reddit, intelligenda est; unde per illam omnium virtutum actuum collectio commendatur: haec fames ac sitis non aliunde saturari potest, nisi multifariis religionis, poenitentiae, charitatis, mansuetudinis ac reliquarum virtutum actibus, eorundemque frequentia. At quis inter homines unquam plus hanc iustitiae sitim et esuriem passa fuit et explevit, una Virgine Deipara, quae sine ulla, nec somni intermissione, iugi desiderio ad meliora semper charismata hiantibus votis aestuabat, et in ferventiores in dies virtutum actus prorumpebat? Quinta deinde beatitudo traditur, dum ait Christus Matt. 5: *Beati misericordes.* Quae verba de quibuscunque misericordiae actibus capi possunt, sive beneficentiae, sive dilectionis erga proximum; sive corpus, sive animam respiciant; sive aliquid boni conferendo fiant, sive mala et illatas iniurias condonando; qui actus eliciuntur a propria uniuscuiusque virtute, et illos a B. Virgine exercitos indagine speciali demonstravimus. Subdit Christus loc. cit.: *Beati mundo corde.* Haec autem cordis mundities, omnium virtutum exactissimum usum, absolutamque perfectionem deposcit, ipsorumque repetitam frequentiam, ac subinde statum quendam perfectum et in virtutum excitatione consummatum; haec enim cordis mundities, et

omnis culpae carentiam connotat, et pacatam animi tranquillitatem absque ullo pravo effraenium affectuum assultu: quam cordis munditiem solum in Virgine Deipara pro hoc viatorum statu, adinventam toto vitae tempore; in aliis autem solum ad tempus, certum reor, quia sola Maria ab instanti Conceptionis fomite ad peccatum caruit.

Subiungitur septimo loco: *Beati pacifici.* Hi autem sunt, qui non solum pacem cum omnibus servant, sed etiam qui inter discordes pacem conciliant, dissidia arcent, odia restinguunt, inimicitias e medio tollunt, concordiam firmant; vel etiam qui peccatores Deo reconciliant, peccata avertunt. Haec autem pax, effectus, seu actus charitatis est, quae beatitudo in summo gradu in Virgine Deipara resplenduit, ut ex operibus misericordiae ab ipsa praestitis constare potest. Quam Deus ideo sibi praeelegit, quia Princeps pacis: *Factus est in pace locus eius... Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum*; Psal. 75.

1357. Mos percrebuit antiquitus in Ecclesia, dum dissidia inter Graecos et Latinos exoriebantur, vel cum per schismata et Antipapas fidelium concordia dissecabatur, instantibus Virginem Deiparam sollicitare precibus ac votis, ut depulsis dissidiis, pax amica redíret, quae fidelium animos associaret. Sic habes apud Concilium Basileense, sess. 43: *Cumque sint ubique divisiones, et bella per humani generis hostem introducta vigeant, ut ipsa etiam Ecclesia militans non mediocribus agitetur procellis; dignum esse iudicavit, ut solemnitatem hanc, etc. Ut honorata in hac solemnitate, per pias, et devotas fidelium mentes, Mater gratiae pacem et unitatem fidelibus largiatur.* Item Synodus Constantinopol. in epistol. ad Hormisdam Papam haec habet: *Ecce intercessione Sanctissimae Virginis olim, quae fuerant membra divisa, per Spiritus sancti gratiam ad unitatem et charitatem perfectam sunt redacta.* Haec autem concordia et pax apud antiquos firmabatur, hausto vino mixto invicem ab inimicis ex eodem cratere; qui mos viguit etiam apud eosdem, cum plures in idem consilium conspirabant: quo de videndus Tertullianus in Apolog. Cuius ritus ratio ea esse videtur; sicut enim mixtio illa dissidentium liquorum per adversas, ac sibi invicem infensas qualitates, illos in unicam societatem et unionem arctissimam cogebat; ita plurium dissidentium animorum in mutuam concordiam, coniunctorum pacem adumbrabat. Accedat ergo Maria, quae pacem inter se confligentium firmet ac roboret per vinum mixtum in cratere. De ea enim habes, Prov. 9: *Miscuit vinum suum.* Cum in aureo uteri sui cratere Divinitatis vinum, aquae humanitatis sese admiscuit, non per utriusque substantiae confusionem, sed per unitatem Personae; ita ut dicat coelestis sponsus de ea Cant. 7: *Umbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis.* Virginea Alvus, sciphus aureus plenus mero mixto, quo nobis Deum ebibendum propinavit, non tamen merum, ut olim, cum homines solo sternebat; sed humanitatis aqua dilutum, mititate plenum, mansuetudine temperatum; ac proinde aptissimum ad sedanda dissidia, pacem firmandam, sodalitates invehendas, ac dissimiles dissidentium mores componendos. Huc adeste, inimicitiarum fautores, simultatum proseminatores, pacis osores, antequam mutuis odiis ac dissidiis ad invicem discerpamini: ex hoc aureo cratere, vel unicum haustum praelibate, et protinus, me iudice, in mutuam animorum concordiam conspirabitis, statimque in reciprocos amplexus ruetis. *Quia per Evam potus mortis, ac dissidiorum porrigitur*, ait Petrus Damianus, serm. 3 de nativ., *per Mariam vitae, et pacis poculum exhibetur.*

1358. Arcam Noe vocat Mariam s. Bernardus, serm. de B. Virgine: *Arca Noe significavit Arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae; sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit; istam Christus, qui est pax nostra, et requies.* De arca Noe sic habes Genes. 8: *Egredere de arca tu, et uxor*, etc. *Cuncta animalia educ tecum.* Bone Deus! Deus saepius inculcat, ut omnes simul egrediantur ex Arca. Quod recte expendit s. Isidorus apud Glossam ibidem: *Egredere*, inquit, *de Arca*, etc. *Iuncti exeant; qui disiuncte intraverunt.* Vides qua ratione cohabitatio in Arca Maria simultates diversae indoli adgnatas, et innatas tollat, ac universale periculum odia restinguat. Profecto Arca haec dissidia abigit, et amicam concordiam facit, et importat.

Quam pacem, et animorum concordiam in sibi addictis Virgo B. permagno ducit: de qua inquit sponsus Cant. 7: *Venter tuus sicut acervus tritici.* Haec tritici grana sunt Mariae addicti, quos suis visceribus complectitur: sed cur non conferuntur cum spicis, sed cum acervo tritici ab omni pulvere et palea semoti? Anne quia omni imperfectionum palea mundi futuri sunt? Vel quia coacervata tritici grana, unionis ac concordiae symbolum praeseferunt? Cum autem ante messem in agro consistunt, sunt inter se divisa, imo et obarmata aristarum lanceis, ac clypeis protecta, velut in certamen praemunita, et in hostes congressura: in acervo autem unita inter se, et penitus exarmata iacent, quae sinu fovet suo Deipara, ac gremio complectitur. Qui autem pacem hanc inimicam habet, grandi tormento est Matri Mariae, dum illum ventre fert. Non aliter duo gemelli fratres colluctabantur in utero matris Rebeccae, de quibus conquerebatur mater: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Genes. 25. Grande malum, si Virgo Beata conquesta in has voces prorumpere cogeretur, ait concinne Guerricus abbas, ser. 3 de Annunc.: *Si de aliquo nostrum sic conqueri contigerit viscera matris nostrae, timeo ne melius fuisset, si conceptus non fuisset homo ille.* Et merito; dicebat enim Ioannes Evangelista, 1 Canonica, cap. 5: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Sed quodnam hoc piaculum, quod hominem praesciti sigillo subsignat? Apposite s. Augustinus respondet, lib. 1 de ser. Domini

in monte, cap. 22: *Peccatum fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini Iesu Christi quisque oppugnat fraternitatem.* Discordiarum inter fratres disseminatio, sigillum est ac nota condemnationis: sicut ex opposito, nota characteristica praedestinationis, discordium reconciliatio, inimicitiarum interemptio, simultatum destructio, foederis ac concordiae prosecutio. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres:* ait Ioannes 1 Canon. 3. Quasi in album praedestinatorum recenseantur tanquam beatitudinis Candidati, qui pacem firmant, concordiam assectantur. Ideo coelorum valvae ex margaritis fabrefactae dicuntur, quae uniones item appellantur: quasi per periphrasim diceret Ioannes, animorum unionem concordem coelorum fores reserasse, aditumque in beatitudinem hominibus aperire. Ex adverso, foederum ruptio, discordiarum disseminatio, iter ad inferorum loca aperit. Disquirunt Doctores, cur Deus secundam creationis diem nequaquam benedixerit, aliis a se benedictis? Respondent Rabbini apud Galatinum: *Quia Deus sanctus et benedictus in secunda sabbati creavit ignem, qui non extinguetur in aeternum.* Alii aiunt ex eo Deum benedictionibus suis secundam diem defraudasse, quia exstitit principium discordiae; unitatem enim dispulit, et in hac die divisae sunt aquae superiores ab inferioribus. Sed cur statim atque nata est in mundo discordia et divisio, simul infernus nascitur? Videlicet quia illa est origo ac principium, et radix gehennae; huic enim monstro infernus praecipue praestruebatur.

1359. Ultimo loco apponitur beatitudo, quae sita est in tolerandis laboribus, ac calamitatibus aequo animo sufferendis propter fidem, iustitiam ac sanctitatem, cum perseverantia usque in finem; includit autem haec beatitudo plurium actuum seriem ac collectionem fortitudinis, patientiae ac longanimitatis, quae omnes virtutes cum suis actibus in Virgine Deipara toto vitae tempore emicuerunt, ut late probat s. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 24, § 1. Haec autem beatitudo non solum viam praemunit ad veram beatitudinem; sed ipsa in praesenti vita, hominem in quo reperitur, beare dicitur; sic enim habes Mat. 5: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Reliquae beatitudines viam praeparant ad futuram beatitudinem adipiscendam; at vero persecutio ac labor aequo animo toleratus, iam hominem in praesenti vita beat, ac beatum facit. Quod sic ostendi potest. Tria enim ad veram beatitudinem desiderantur iuxta D. Thomam: visio Dei, quod principalius bonum est, deinde amor, et fruitio, seu gaudium. De visione Dei patiens Iobus id attestatur in sterquilinio iacens, pauper ac dolens, ac sanie et putredine undique oppletus: *Auditu auris,* inquit, *audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Quasi diceret, cum sceptri regnum tenerem, fide solum Deum agnoscebam; nunc autem pauperie ac dolore confectus, sanieque obductus propter Deum, ipsum Deum facie ad faciem conspicio, ac clara Dei visione fruor: sic explicant verba illa Dionysius Carthus., Isidorus, Titelmannus. Suo quoque suffragio confirmat Stephanus lapidibus a Iudaeis appetitus et obrutus: *Ecce video coelos apertos, et stantem Filium hominis ad dexteram virtutis Dei* etc.; Act. 7. Quod de clara Dei intuitione capiunt s. Maximus, et s. Augustinus. His subsidiatur Iacobus colluctans cum Angelo, dum enim sic fortiter decertat, inquit: *Vidi Deum facie ad faciem;* Gen. 32. Quod autem amor beatificus, et charitas consistat apud tribulationibus actos, suffragatur Paulus, II Cor. 6: *In multa patientia, in tribulationibus, in charitate non ficta.* Quae sine dubio est amor perfectissimus, qualis inest Beatis. Gaudium et delectatio, quibus afflicti potiuntur, explicari nequit. Hinc Paulus, II Cor. 1: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Ita abundat consolatio nostra,* ait alibi, *ut possimus consolari eos, qui in omni pressura sunt. Momentaneum, et leve tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis;* II Cor. 4. Grande profecto miraculum, si ex grano tritici adamantium spica progigneretur: sed longe mirabilius est, cum ex tribulatione et felle amariori aeternum gloriae gaudium patienti importatur. Sed quali virtute id fiat, subdit Apostolus: *Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur.* Haec profecto miracula adspectus in res coelestes operatur. Subeat nobis in memoriam, candidas Iacobi oves, nativa vi maculis adspersos agniculos concepisse, quia conceptus tempore illae decorticatas virgas oculos intendebant. Si igitur animalis adspectus nativa vi id potest efficere, multo potiori iure afflictionibus agitati, divina operante virtute, in aeternum illud Beatorum gaudium fixis oculis collimantes, per laborum amaritudinem, aeternam gloriae dulcedinem in praesenti vita sibi parient. Quod in B. Virgine videre est, cum ait Cant. 1: *Osculetur me osculo oris sui.* Quod de visione Beata interpretatur Gregorius Nyssenus in eum locum. Disquirit modo s. Asterus Episcopus Amasaeae in Cant. ad ea verba: *Quod os,* ait, *habet Sponsus, o sponsa, ut osculetur te? nisi illud, quod vidit Ioannes in Apoc. Emittens gladium ex utraque parte acutum.* Qui igitur fieri poterat, ut Sponsa ad os Sponsi accederet, ad basia capienda, quin prius gladii acumine transadigeretur? Ita sane est, quippe B. Virgo cum persecutionum gladio, ac dolorum ensibus transverberabatur propter Deum, eo gaudio et oblectatione fruebatur, ut iam ad Sponsi oscula raperetur, ac coelesti beatitudine donaretur. Nec enim, nisi qui effraenes animi concupiscentias, ac pravos motus afflictionum mucrone transfodit, ad oscula sponsi ac beatitudinis gaudia pervenire poterit.

PALAESTRA DUODEVICESIMA

De sanctissimo et augustissimo Nomine Mariae.

1360. Opportune quidem praemissis Marianis gratiis, virtutibus ac privilegiis, eiusdem Mariae Nomen declarandum suscipimus; Gabrielis exemplo, qui B. Virginem proprio nomine minime salutavit, quousque gratiarum exuberantiam praemitteret: *Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Hucusque Mariae nomen subticet; postmodum autem illud adiicit: *Ne timeas, Maria.* Acute Albertus Magnus in cap. 1 Lucae, ea verba edisserens, ait: *Omittit Angelus interponere nomen,* Maria, *quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiae eius erant explanatae, sine quibus tam plenae significationis nomen non intelligeretur.* Consulto Angelus Mariani Nominis prolationem distulit, donec gratiae et privilegia praeirent, tanquam anteambulones quae illius praestantiam publicarent: quo facto ostendit Angelus, ait Richardus de s. Laurentio, lib. 1, hoc Nomen multum habere gratiae, et altius memoriae commendandum, et diligentius investigandum. *Da igitur mihi, Virgo B., virtutem, ingenium et sermonem,* verba sunt s. Bernardini t. 3, serm. 1, *ut fidelibus et devotis tuis valeam nuntiare gloriam Nominis tui; non quantum est, aut quale; sed ut tantillum ego parvulus tuus laudibus tuis immensis enunciem ad gloriam tuam et devotionem meam.*

CERTAMEN PRIMUM

Quo die a nativitate, et a quo inditum fuerit Nomen B. Virgini.

1361. Ingenti opus est iudicio ac sapientia ad agendum de sanctissimo Nomine Mariae; et quidem necessarius esset alius Adamus sapientia divinitus inspirata praepollens, in rerum cognitione apprime eruditus, ac felici innocentiae statu gaudens; nec satis id esset ad huius nominis impositionem ac declarationem. De Adamo habes, Gen. 2,19 *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius.* Divisum orbis condendi imperium cum Deo Adamus habet. Nam Deus res omnes condidit, Adamus rebus nomen imponit, utpote qui rerum naturas optime calleret ac introspiceret, quod opus est et quasi cognitione anatomica penetrare illas, iuxta Philonem, lib. de Agricultura, ad imponendum rebus nomen. *Qui res velut per anatomiam considerant, facile assequuntur appellationes earum proprias.* Eleganter in hanc rem Basilius Seleucus, orat. 2, sub Dei nomine fatur cum Adamo: *Esto, Adam, nominum artifex, quando rerum esse non potes: formentur a me, nominentur a te quae procreata; me cognoscant Artificem naturae lege: te dominum intelligant appellationis nomine: inde nomen, quibus ego essentiam.*

At deperdito innocentiae statu per transgressionem, nullus invenitur Adamus, qui hac notitia imponendi rebus nomina gaudeat, vel cui potestatem faciat Deus nomina procudendi; hinc inducta nominum corruptela, ut per fallaciam appellationis, ut dixit idem Basilius, orat. 27, plerique facinora simulent, virtutes mentiantur. Sapienter Tertullianus optabat consilium nominis, vel, ut alii exscribunt, concilium, nempe ut quemadmodum in Regum curia institutum est Concilium rei familiaris, rerum Indicarum, rei bellicae, ac rei politicae ad causas graves peragendas; sic ad cognomina imponenda, detrahenda, vel moderanda decerni oportebat concilium nominis, quod in tanta nominum corruptela recte provideret, et cuique suum inderet nomen iuxta cuiusque mores et ingenium. Nam plures sibi nomen usurpant insolenter, illudque adulterantur, quia neque morum praestantia, neque vitae integritate id praestant, quod nomen aut cognomen sonat; idcirco Rupertus, l. 1 in Ioannem, sententiose admittit nominis adulterium. Quibus apposite Basilius Seleucus, orat. 9, illud exprobat: *Cur appellationi, cuius virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen, quod personae probro fit? factis appellationem impugnas, et calumnia nomen tuum afficis.* Plerosque videas grandia cognomina ambire, cum re nominis omnino sint destituti, et cognominum rebus praeclare gestis sint vacui, turgent augustis appellationibus, et reipsa per nomina adumbrata prorsus inanescunt: in quo maxime depraedicandus Traianus, de quo sic fatus Plinius in suo panegyri: *Nomen illud,* ait, *quod alii primo statim principatus die Imperatores, ac Caesares receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus aestimator, iam te mereri fatereris.*

1362. Idcirco Christus Dominus Regis nomen refugit, dum apud nos vixit: ipsumque acclamantium Regem manibus se subducit, regiam protelat appellationem. Caeterum die ultimo cum iudiciariam exercebit potestatem, tunc sibi Regis nomen adaptat, habes enim Matth. 25: *Tunc dicit Rex iis, qui a dextris eius erunt.* Et iterum in eod. cap.: *Et respondens Rex dicit illis.* Nempe quia regio munere iam functus erat, iam felleum tormentorum pelagus traiecerat, iam homines a dira Cacodaemonum tyrannide redemerat, et electos in regnum coeleste adsciverat: ideo iam regali appellatione dignus censetur. Succurrat Hugo Charens, ad praefatum locum: *Tunc dicet Rex iis, qui a dextris eius erunt, Rex Regum, et Princeps Regum terrae, qui dilexit nos in sanguine suo, et fecit nos Reges.* Itaque licet iure naturali Christus Rex esset, et totius orbis regnum et imperium nancisceretur,

regale tamen nomen renuit, regium stemma protelat, donec regiis facinoribus ac effusi sanguinis meritis Regis nomen promereatur.

1363. Multus est Tertullianus, lib. de Pallio, c. 3, in describendo animalculo exiguo, exsangui et exsuccido, hebete ac tardo, cui de vento cibus; et tamen audito eius nomine perhorresces ; ait ergo doctus Afer: *Sed nomen grande, Chamaeleontem qui audierit, haud ante ignarus iam timebit aliquid amplius cum leone: at cum offenderis apud vineam, ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam.* Sic plerique grandi cognominum supellectili gaudent, ac superbiunt, turgidis appellationum titulis cognominantur, quibus de vento cibus est; et tamen optimorum facinorum praestantia omnino destituti, quorum recte facta ferme sub pampino tota, quia fere nulla.

Opus est ergo ut nomen auspicium sit rei, ut bene Cassiodorus, l. 5, epist. 3, et ut nomen, omen sit futurorum eventuum. Marianum nomen eventus felicissimos auspicatur, omnemque felicitatem praesagit. Rectius in Mariam deflectes, quod Theodoricus rex apud eundem Cassiodorum, l. 8, epist. 10, de suo Felici protulit: *Sumpsisti nomen ex meritis: custodi, ut semper laeteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, et aliud dici, quam possit in moribus inveniri.* Mos inolevit apud priscos fideles, ut infantibus nomina inderent, accensis prius cereis, in unoquoque alicuius Sancti nomine inscripto; qui vero diutius flammam produceret, eius inscriptum nomen infanti imponebatur, tanquam auspicium longius vitae producendae, auctore D. Chrysostomo in epist. ad Corinthios: *Nomen*, inquit, *Sancti imposituri, cereos quamplurimos accendebant, suum cuique nomen assignantes, atque eius demum, qui caeteris extinctis supervixerat, nomen quasi longioris aevi arripientes, puero imponebant.* Longioris vitae spem a cereo, qui diutius vitam, vel lumen produceret, auspicabantur. Quem morem secutus Petrus Aragonum Rex VIII (teste Marinaeo Siculo, lib. 10 de rebus Hispaniae, cap. 13, ad ann. 1196), antequam filio nomen imponeret, duodecim cereos albos eiusdem longitudinis ac ponderis, ante aram iussit apponi in honorem B. Virginis, et duodecim Apostolorum, quorum singula nomina singulis cereis inscripserat, prius nuncupato voto, se illius Apostoli nomen filio impositurum, cuius cereus, reliquis absumptis, longius perdurasset: cumque cereus, cui inscriptum erat Iacobi nomen, reliquis supervixisset, ideo infans Iacobi nomen sortitus est. A quo nomine res praeclare gerendas, robur ac fortitudinem, et felicissimos eventus praesagiebat.

Marianum nomen in se cohibet quidquid virtutis, quidquid pietatis et gratiae, quidquid potentiae et excellentiae in B. Virginem Deus contulit. In rem nostram fatur Simon de Cassia, lib. 2, c. 3: *Nomen Virginis Mariae sibi congruit, et mysterio adaptatur: etenim Filius nomen habuit competens actionibus suis; sic et Matrem talem habere voluit, ut nomen, et gesta in unum concentum concurrerent in unum conflata, unum ens virtutis immaculatum efficerent, unum vas ederetur, in quo reponerentur divina mysteria.* Quare nullus Adamus quantalibet scientia infusa praeditus, et innocentiae statu donatus sufficeret, ut nomen hoc inderet, sed opus ut de coelo delaberetur, et solus Deus illud indere potens fuit. Ita Richardus de s. Laurentio de laudib. B. Virginis: *Notandum quod Angelus salutans Virginem primo tacuit proprium nomen eius, scilicet Mariae: ut hoc ipso ostenderet, se ei novum imponere nomen, id est, gratia plena ; unde praedixerat Isaias quasi loquens ad Mariam: Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini, id est Angelus, vel Filius Dei, qui est os Patris per Angelum nominavit: postea vero nomen Mariae expressit.* Et Fulbertus Carnotensis, 1 de Nativ. Mariae: *Haec itaque electa, et insignis inter filias, non fortuito quidem, aut solo placito parentum, ut plerique; sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa vocabuli sui figura magnum quiddam innueret.* Subscribit Gregorius Nyssenus: *Nomen quidem imposuit Deus, Mariam, ut etiam per nomen impositum, divinitus datum munus significaretur.*

1364. Varius fuit apud varias nationes ritus indendorum infantibus nominum, fere enim unaquaeque gens suum habuit solemnem ad nominis impositionem diem, quam licet Tertullianus, lib. de Idololatria, vocet *Nominalium solemnitatem;* cum tamen augustissimum Mariae nomen mysteriis scateat, non solum hic de nomine, sed de re significata incidet sermo. Athenienses quinto post partum die nomina infantibus indebant, vel iuxta Hesychium, septimo die. Turcarum mos invaluit ut ipso natali die nomen imponatur. Marcus Antonius stabilivit, ut intra tertium diem a partu nomen infanti imponeretur. Apud Romanos iuxta Festum, nonum pueris, octavum foemellis nominandis diem indictum fuisse refert Pineda, de praevio Salomone lib. 1, cap. 16. Graecia decimum diem huic nominis impositioni constituit, si danda est fides Alexandro, lib. 2, c. 25. Agareni die septimo indunt nomina, qui tamen dies puero ominosus est, auctore Aristotele, 1 de natur. animal.

Constat autem apud Hebraeos morem inolevisse, octavo die infantibus nomen imponere, quo die iuxta legem circumcidebantur : de foeminis autem nihil certi reperitur, forsan enim octavo quoque die ipsis nomen indebatur ; qui mos percrebuit apud Romanos, teste Plutarcho in problem. Rom. c. 102; Macrobio, lib. 1 Saturn. c. 16. Cui existimationi subsidiantur ritus aliquarum Ecclesiarum in Hispania, nempe Toletanae, Conchensis, et aliae in Castella, quae diem 15 Sept. vel quia hic impediri solet, 17 diem Septembris auctoritate Pontificia Mariani Nominis impositioni dedicarunt. Vel etiam die 10, ut apud Graecos de more fuit. Alii opinari possent, tunc foeminis nomen apud Hebraeos indi quando sacramentum veteris legis recipiebant, loco circumcisionis, quo a peccato originali expiarentur. Aliqui in ea sunt sententia, ut asse-

rant, sicut maribus transactis septem immunditiae diebus, octavo die, quo circumcisio fiebat, nomen imponebatur: ita similiter post duas hebdomadas, quibus immunda erat mater, iuxta ritum menstrui, ut docet Moyses Levit. 12: *Mulier*, ait, *si suscepto semine foeminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus;* foeminis infantibus nomen indebatur: ita P. Adrianus Lyraeus in Trisagio Mariano, lib. 2, modo 3. Statuit itaque haec sententia, B. V. inditum fuisse nomen quintodecimo a nativitate die, ac proinde 22 Septemb., feria 2, sub aequinoctium, quando lux solis ac calor tepescit. In hac re nihil certi hucusque reperire potui. S. Antoninus, 5 p., cap. 13, de Angelica salutatione, haec habet: *Satis verisimile, quod cum mulieres non circumciderentur, sed mares: in qua circumcisione octavo die nativitatis suae celebrata, imponebatur ei nomen, foeminis ipsis die suae nativitatis imponeretur; et sic die qua nata est, impositum est ei nomen, Maria, a parentibus secundum angelicam revelationem.*

Illud vero certissimum reor, Mariae nomen iam antiquitus praefiguratum, et multo antequam imponeretur fuisse praecognitum. Rabbi enim Haccados Hebraeorum doctissimus, teste Galatino, lib. 7 de arcanis, c. 13, in responsione 7 ad Antonium Consulem ait, Mariae matris Messiae nomen contineri illis verbis Isaiae, c. 9: *Et multiplicabitur eius imperium.* Et apud ethnicos sybilla Erythraea, lib. 8 Oraculorum, cum plura de Messia praediceret, subdit de ipsius Matre:

> Et brevis egrediens Mariae de Virginis alvo,
> Exorta est nova lux.

Anno etiam Domini 1220, Imperii sceptrum tenente Friderico II, ac Ferdinando Castellae Rege, ait Rodericus Sanctius in Historia Hispanica, parte 2, c. 40: *Huius gloriosi Ferdinandi Regis tempore quoddam mirabile ad catholicae fidei nostrae defensionem accidisse fertur. Nam cum apud Toletum quidam Iudaeus gratia ampliandi vineam suam rupem comminuisset, in medio saxi concavitas reperta est, ubi liber erat folia lignea habens, descriptus tribus linguis, hebraeis, graecis, et latinis; scriptura vero quasi unius Psalterii videbatur. Hic liber de triplici mundo disserebat ab Adam usque ad Antichristum. Principium vero tertii libri incipiebat a Christo sic exordiens: In tertio mundo Filius Dei nascetur in mundo ex Virgine Maria, patieturque pro hominum salute.* Quam historiam desumptam crediderim ex Martino Polono in suo Chronico c. 187; videndus Canisius, l. 2 de B. Virgine. Cedrenus item in compendio suae historiae refert Templum ab Argonautis magnificentissime extructum, ab eisque consultum oraculum cuinam dicandum foret, responsumque per haec carmina:

> Assidua virtute decus sublime parate,
> Atque unum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat,
> Caelesti residens solio colite, atque timete:
> Illius aeternum, atque ante omnia saecula Verbum
> Nescia Virgo viri nostras emittet in auras:
> Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,
> Edomitum reddet divino munere mundum.
> Huius, cui Mariae nomen, sanctissima Mater
> Agnoscet templum proprium sibi rite dicatum.

Quae carmina Argonautae aereis litteris in marmore insculpta pro forium fronte transcripta posteritati commendarunt. Quod Templum decursu temporis Zenone Imperatore Dei Genitrici fuit consecratum: cuius historiae meminit s. Procopius apud Surium, t. 4, die 28 iulii in eius vita. Non ergo casu a parentibus Mariae nomen impositum B. Virgini, neque humano consilio, sed divino, ut testatur liber de Nativitate B. Mariae Virg. inter D. Hieronymi opera, et innuit Ambrosius, de instit. Virginis cap. 5, et s. Antoninus, 4 part., tit. 15, cap. 14. Plus addit P. Adrianus Lyraeus, lib. 1, sono 35, s. Ioanne Gorbrando lib. 31 Chronolog. cap. 26, nempe anno 1374, cum christiani artifices obtenta licentia a Soldano in valle Iosaphat altius terram foderent; tumulum ex lateribus constructum invenere, in quo cadaver mirae magnitudinis repositum erat cum prolixa barba, atque capillis, ovina pelle obvolutum, ad caput cuius aderat tabella, cum hac inscriptione litteris hebraeis: *Ego Seth tertio genitus filius Adae, credo in Iesum Christum filium Dei, et in Mariam Matrem eius de lumbis meis venturos.* Sed displicet quidam Petrus Loyerus, l. 5 in *Magnificat.* cap. 7, dum docet, sanctum Mariae nomen a poeta Virgilio fuisse expressum carminibus illis ex Sybilla Cumae relatis, Ecloga 4:

> Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo:
> Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
> Iam nova progenies coelo demittitur alto.

Ait igitur praefatus Doctor: *Incipio a duabus prioribus litteris quae primum versiculum inchoant, faciuntque,* Ma: *transeo porro ad sequentem versum, cuius secundum verbum prioribus iunget,* R; *atque hinc ad tertium venio, cuius primum verbum prioribus litteris annecto, habeoque,* Maria. Sed haec, merae nugae sunt viro docto indignae.

1365. Cuius autem fuerit munus nomini indendi infanti, an patris, vel matris, vel alterius, vel utriusque simul, res est dubia, tum de B. Virgine, tum de aliis infantibus. Arias Montanus in illud Isaiae vaticinium, c. 9: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, affirmat ab Eva usque ad Elisabeth perantiquum esse morem, qui matribus, non patribus munus imponendi nomina infantibus, deferat: subsidiantur Montano plurima in sacris Voluminibus exempla. Gen. 4, Eva indidit nomina Cain, et Abel; et Gen. 19, filiae Loth nomina imposuere filiis suis Moab, et Amon. Lia his donavit nominibus, Ruben, Simeon, Levi, Iudam filios suos, ut habes Genes. 29. Rachel imponit nomen Ioseph, Gen. 30, et Benoni, Gen. 35. Praeterea mater vocat Samson nomine suo, Iudic. 13. Noster Maldonatus in illud Luc. 1: *Vocabis nomen eius Iesum*, contendit nullam viguisse apud Iudaeos consuetudinem, ut potius matres, quam patres nomina infantibus inderent; siquidem frequenter ut vi-

dimus, matres suis donarunt nominibus filios: non raro id patres praestiterunt. Exempla habes, Gen. 4, 5 et 20. Favet Abulensis, Matth. 1, q. 59; Iansenius c. 1 Concord. Evang.; Galatinus lib. 3, c. 18; noster Pererius, t. 3 in illud Gen. 10: *Peperit Agar Abrahae filium, qui vocavit nomen eius.* Item auxiliantur huic parti Viegas in c. 12 Apoc., sect. 19, Toletus in 1 Luc. annotat. 124; adfavet Chrysostomus, homilia de ferendis reprehensionibus, et conversione Pauli, t. 3, ubi haec habet: *Nominum impositio dominium testatur, atque olim talem fuisse morem.* Id adstruit s. Damascenus, l. 2 de fide orthodoxa, c. 3: *Nomen*, inquit, *imponere maiestatis ac dominii est; nomen vero accipere subiectionis ac servitutis.* Ideo potius potestas haec ad patres devoluta, quam ad matres videtur. Et probatur ex Gen. 3, ubi Adamus constitutus dominus omnium animantium, unumquodque suo donavit nomine. Filii autem potius paternae, quam maternae potestati subduntur; ergo ad patres potius illud munus attinebit. Huc facit illud Platonis in Cratylo, dum ait, ad virum non ad mulierem spectare munus imponendorum nominum. Aliquando autem patrem simul, et matrem nomina imposuisse habemus, Gen. 35, et Luc. 1; sic impositio nominis Iesu, et B. Virgini et Iosepho demandatur; ait enim Angelus B. Virgini, Lucae 1: *Vocabis nomen eius Iesum.* Iosepho vero idem intimatur, Matth. 1. Et de Ioanne Baptista, inquit Lucas c. 1, respondisse matrem eius: *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes*, et ibidem de Zacharia patre dictum: *Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius.*

Nihilominus verius censeo cum nostro Pineda, de praevio Salomone l. 1, c. 16, n. 5, potestatem ac munus indendi nomina infantibus penes patres fuisse, ita ut matres nunquam nomina imponerent, quin prius consulerent viros suos. Cuius asserti coniectura multiplex est, siquidem non solum B. Virgini, sed etiam B. Iosepho munus imponendi nominis caelitus demandatur, Matth. 1. Item Gen. 16, tametsi nomen Ismael revelatum fuit Agar matri, eidemque praecipitur ut filio nomen imponat; tamen eodem cap. asseritur Abraham imposuisse nomen Ismael. Davidi etiam facta fuit revelatio nominis Salomonis, II Reg. 7. Verum Bethsabee mater nomen imposuit, II Reg. 12. Quare matres a viris nomen filiis imponendum accipiebant; ipsae primae vocabant constituta a maritis nomina. Nec semper verbum, *Vocare*, referri solet ad primam nominis impositionem: siquidem usu sacri sermonis, etiam vocatur nomen infantis ab iis, qui nullo gaudent iure imponendi nominis, ut patet ex Luc. cap. 1; ubi cognati et amici vocabant infantem nomine patris sui, Zachariam. Ubi verbum, *Vocabant*, Toletus, Maldonatus et Salmeron ex proprietate graeci temporis interpretantur: incipiebant, aut volebant vocare, vel de imponendo nomine agebant; non tamen ex potestate propria.

Cum autem matres primario filiis nomina indebant, arcana aliqua et specialis aderat ratio, ut in B. Virgine quae sine viro concepit; ac proinde merito illi potius, quam Iosepho, nominis imponendi cura demandatur, Luc. c. 1: *Vocabis nomen eius Iesum.* Et licet Matth. 1, dicatur Iosepho: *Vocabis nomen eius Iesum*, tunc iam praedictum fuerat nomen B. Virgini tanquam primariae Filii sui nominis impositrici; ideo Isaiae c. 7: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, in Hebraeo autem est, *Vocabit*, et est verbum foeminini generis; ac si diceret, ipsa Virgo Mater vocabit nomen eius. Cum vero Agar pulsa domo dicitur, Gen. 16: *Paries filium, vocabisque nomen eius Ismael*, utpote quia pater aberat. Filiae Loth filiis nomina imponunt, quia ipsae ex patre ebrio filios sibi procreaverant. Eva, quia sibi existimabat factam fuisse promissionem, vocavit Cain, dicens: *Possedi hominem per Deum*, Gen. 3; et nimium dolens de morte Abel: *Vocavit nomen Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.* Itaque nullibi mater nomen imponit, nisi ubi specialis causa subest, quae matrem potius quam patrem respiciat. Quod manifeste constat in Bethsabee, de qua habes, II Reg. 12: *Quae genuit filium, et vocavit nomen eius Salomon.* Verbum, *vocavit*, est in hebraeo foeminini generis, adeoque ad Bersabee refertur: licet autem Davidi primum revelatio nominis facta fuerit, non tamen illi iniunctum ut ipsi nomen imponeret. Quae vero specialis ratio subesset, ut Bersabee potius, quam David nomen filio inderet, erui potest ex promissione divina de suscipiendo filio Salomone ex Bersabee, et ex praestito iureiurando de Salomonis assumptione in regnum, III Reg. 1. Cum ergo Bersabee totis viribus contenderet filium Salomonem in regnum sufficere, rem propriam agebat, ut illi suggessit Nathan: *Salva animam tuam, filiique tui Salomonis.* Iure ergo filio nomen imponendi matri potius, quam patri, committitur.

1366. Hinc elicies, cui potius demandata fuerit cura nomen augustissimum Mariae imponendi B. Virgini: cum enim nulla peculiaris causa fuerit, cur magis Annae id demandatum fuerit munus, potius ad D. Ioachimum id attinuisse dicendum est, saltem ex primario et legitimo iure; habito autem per divinam revelationem nomine Mariae ab utroque parente Ioachimo et Anna, uterque nomen indidit B. Virgini, licet aliqui Patres a D. Anna nomen B. Virgini inditum fuisse contestentur. Gregorius Nyssenus, orat. in Nativ. Domini: *Quamobrem*, ait, *cum voti compos effecta Anna filiam suscepisset, eam vocavit Mariam.* Id docet Simeon Metaphrastes in oratione de vita et dormitione Mariae. Nicephorus, l. 1 Histor. ecclesiast. cap. 7: *Sed enim divino motu ad eam, quam petierat gratiam, Anna confirmata, postquam puella ex maternis prodiit locis, Mariam eam statim nominavit.* Ubi innuit nullam moram inter nativitatem B. Virginis, et nominis impositionem intercessisse.

Verum Mariani nominis auctor unus fuit Deus, qui solus tanti nominis praestantiam ac dignitatem intime penetrabat, et exactissime internoscebat, ac plusquam cognitione anatomica, ut supra dicebat Philo, Mariae naturam, proprie-

tates et merita introspiciebat: imo, teste Idiota, tota Trinitas nomen hoc indidit B. Virgini: *Ne timeas, Maria*, inquit ille lib. de contempl. Mariae, cap. 5; *dedit tibi, Virgo Maria, tota Trinitas nomen, ut in nomine tuo omne genuflectatur, caelestium, terrestrium et infernorum*. Subdit Card. Petrus Damianus, serm. 2 de Annuntiatione, ad verba illa Isaiae, cap. 16: *Emitte Agnum* etc., tres divinas Personas veluti concilium cogere de restauratione rerum omnium, ac hominum redemptione per Christum et Mariam: siquidem instantibus votis deposcebat a Deo Propheta, ut emitteret Agnum Dominatorem terrae de petra deserti ad montem Filiae Sion; et postmodum adnectit Isai. 16: *Ini concilium, coge concilium*. Sed quid tandem in illo Trinitatis concilio decisum fuit, ubi de totius orbis reparatione peragebatur? Profecto nihil aliud factum, nisi de Divinitatis aerario, ubi infiniti divitiarum thesauri sapientiae et scientiae Dei, ac reliquarum perfectionum et attributorum asservantur, Mariae nomen evolvere, et extrahere, ac in terras demittere, et virgunculae imponere: quo uno elementa renovantur, homines in pristinum statum reddintegrantur, res conditae reparantur, et universus orbis sua vetustate fatiscens instauratur. Audi purpuratum Patrem iam citatum: *Cogit concilium, facit sermonem cum Angelis, et de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, et statim de thesauro Divinitatis Mariae nomen evolvitur: atque adeo qui ei naturam dedit, dedit et nomen: indidit Deus, edidit Angelus, homo vocavit*. Vides quanti sit valoris nomen Mariae, cum inter thesauros Divinitatis, ac proinde valoris infiniti, repositum fuerit per totam aeternitatem? Itaque sanctum Mariae nomen, antequam apud nos personaret, iam a diebus aeternitatis in supremo sanctissimae Trinitatis consilio insonuit: et merito a solo Deo nomen imponitur B. Virgini; si enim nominis impositione innuitur rei possessio et dominium, non utique decebat ut B. Virgo ab ullo, nisi a Deo, nomine suo donaretur; ne mortalium quispiam, vel etiam Angelorum in Virginem tantum ius praetendere posset.

CERTAMEN II.

De multiplici sanctissimi nominis Mariae significatu.

1367. Scite ad rem praesentem Richardus de s. Laurentio, lib. 1 de laud. Virg., cap. 2, Mariani nominis arcana mysteria perscrutans fatur: *Roganda est igitur assiduo Maria, ut nomen suum, quod est Domina, interpretetur in nobis*, quasi Mariae nomen mysterii refertum, sub quo, tamquam sub aenigmate peracuto, pleraque Sacramenta delitescant, indigeat interprete divinitus illustrato. Ideo Nicephorus, lib. 1 Histor., cap. 7, de Deipara verba faciens, haec attexit: *Postquam puella e maternis prodiit locis, statim eam Mariam nominant, aenigmate latente, acceptam gratiam declarante*. In hoc ergo Congressu aggredimur huius aenigmatici et arcani nominis interpretationem, eadem Maria ductrice, doctrice et opitulatrice. Opportuna autem s. Bernardini vox est alibi a me producti: *Sicut Deum ipsum non uno tantum nomine nominamus, sed multis, ut sic eius incomprehensibilitatem enunciemus; ita et gloriosam Virginem multis nominibus designamus, nunc Lucem, nunc Solem nominare solemus, ut sic ad sublimitatem eius cognoscendam veniamus*. Plura ergo nomina sub una voce Maria latent, quibus melius B. Virginis excellentia manifestetur.

Optime Plato in Cratylo animadvertit, sapientis esse nomina rebus imponere, quae rerum naturis congruant, qua de causa sacrorum Voluminum interpretes aiunt, Adamum utpote rerum omnium scientissimum, Gen. 2, nomina cunctis animantibus indidisse propria, quaeque ipsorum naturam exprimerent. Sacrum Mariae nomen, ut statim monebimus, mysteriis scatet, illudque B. Virgini divino consilio fuit inditum: opus ergo fuit, ut Deipara undequaque perfectissime sui nominis notitiam adaequaret. Exemplo Filii sui, qui in nostrum exemplum titulum illum, *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*, in cruce, non vero in sepulcro affigi voluit; tametsi mos inoleverit ut in sepulcro, potius quam alibi, epitaphia inscriberentur; nimirum quia recte perspiciebat Christus Dominus se reapse in cruce pereuntis orbis instauratorem existere; sepulcrum vero locum esse quietis, ubi corpora, ut ait Hieronymus, nihil agunt, sed quiescunt: adeo Christus adhuc nec parvo tempore voluit a proprio nomine discrepare, et alius esse, aut vocari ab eo, qui actu esset. Non sic plures, qui nomen nudum virtutis habent, sed mente dissident, aliis moribus, alia mente praediti, ut eos percellit Cyrillus. Longe ab iis abfuit virgo nomine *Digna*, de qua Eulogius l. 3, cap. 7, *nusquam se appellare Dignam patiebatur, dicebatque cum lacrimis: Nolite me Dignam vocare, sed magis Indignam, quia cuius merito sum, etiam nomine debeo insigniri*.

1368. Observant autem plerique Mariae nomen esse Tetragrammaton seu quadrilitterum, sicut Dei nomen; quod ad eius praestantiam valde conducit: siquidem nomen quadratum B. Virginis gratiam quadratam, hoc est perfectam, et numeris omnibus absolutam adumbrat; in qua explicanda multus est Salazar de Concep. c. 3. Ioannes Picus animadvertit, in quatuor praedictis litteris, quatuor elementa cohiberi, ex quibus corpus coalescit, quod ex B. Virgine Filius Dei sibi assumpsit. Et sicut Adam quadrilitterus quatuor sibi initiales litteras quatuor partium orbis assumpsit, quia eas omnes infecit inobedientiae delicto; veniat Maria, et quatuor litteris easdem quatuor etiam mundi partes una cum Filio redintegret et instauret. Sicut ergo nomen Dei tetragrammaton ineffabile propter eius reverentiam Hebraeis erat; ita et nomen Mariae non sine magna reverentia efferendum est, ut docuit s. Gerardus Episcopus in Hungaria, et Martyr, qui prohibebat, ne Mariae nomen quisquam sine magna capitis submissione proferret. Ad huius etiam Mariani nominis commendationem spectant, quae Canisius lib. 1 de

B. V., cap. 1, affert: nempe Hebraeos inter arcana sua celeberrimum ducere, unam inter omnes creaturas longe perfectissimam esse; ipsi autem *Mitraton*, hoc est Principem facierum appellant, quia semper stet ante faciem summi Imperatoris, et ius habeat ad ipsius praesentiam caeteros inducendi. Animadversum autem est ab eruditis, Mariae nomen cum illo *Mitraton* haud perperam convenire, cum numerus et litteris collectis respondeat, et supputanti summam efficiat nongentorum nonaginta novem. De quo Georgius Venetus in Harmonia mundi, Cant. 1, t. 5.

Quod arcanum sic explicari posset cum Spinello in suo Throno, cap. 4, num. 20. Sicut ergo numerus bestiae apud Ioannem, Apoc. 17, constat ex sexcentis sexaginta sex: at numerus senarius apud sacros interpretes innuit afflictiones et labores, in quos incident quicunque Antichristum assectabuntur; senarius autem triplicatus insignem laborum segetem indicat, afflictionemque solidam et aeternam, utpote trina dimensione constantem ominatur. Et quemadmodum sanctum Iesu nomen, teste Beda in Luc., apud graecae linguae peritos constat numero octingentorum octoginta octo, ut patet supputanti eiusdem nominis litteras, quod praedixerat Sybilla Cumaea carminibus illis:

> Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
> In terris similis natus Patris Omnipotentis
> Corpore vestitus; vocales quatuor autem
> Fert, non vocalesque duas, binum geniorum,
> Sed quae sit numeri totius summa, docebo:
> Namque octo monades, totidem duabus super ista
> Atque hecatontadas octo infidis significabit
> Hominibus nomen: tu vero mente teneto.

Quorum carminum sensum explicatius tradit Beda citatus, per haec verba: *Huius sacrosancti nominis Iesu non tantum etymologia, sed et ipse qui literis comprehenditur numerus, perpetuae salutis nostrae mysteria redolet, qui profecto numerus, nempe octingentorum octoginta octo, figurae Resurrectionis adgaudet. Octavus enim numerus in sacris Litteris Resurrectionis gloriae convenit, quia Dominus octava die, hoc est post septimam sabbati, resurrexit, et ipsi post sex saeculi huius aetates, et septimam sabbati animarum, quae nunc interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore surgemus.* Itaque numerus octonarius ad resurrectionis gloriam spectat: triplicatus autem ostendit solidae resurrectionis gloriam per aeternitatem duraturam. Sic etiam numerus nominis Mariae nongentorum nonaginta novem magnam praesefert excellentiam: siquidem novenarius numerus qui ex ternario coalescit, et divinis Personis aptari solet, numero perfectissimo ter repetito constat, ac triplici Angelorum hierarchiae attribuitur, in Dei Trini et Unius honorem, ex Dionysio Areopagita, c. 6, caelestis Hierarchiae; quasi innuat Deiparam totam caelestem et Angelis superiorem esse: triplicatus autem numerus novenarius Marianam praestantiam, ac sublimitatem solidam, et aeternum duraturam significat.

1369. Augustissimum ergo Mariae nomen vel ex chaldaea origine, vel ex hebraea desumi potest: sunt enim qui existiment magis esse chaldaicum nomen, quam hebraeum, quia impositum fuit B. Virgini quo tempore hebraeum idioma iam ad desuetudinem iverat, et solum apud Hebraeos chaldaeus sermo vulgaris erat. Alii malunt nomen Mariae esse hebraicum, unde ex hebraea origine eius etymon venantur. Hunc sensum assectantur s. Hieronymus, lib. de nominibus hebraicis, Bernardus, serm. 6 in vigilia Nativit., Rupertus, in commentar. in Exodum, lib. 1, cap. 8, et alii plures apud Salazar, in Cantic. tom. posteriori, fol. 98, deducuntque a radice hebraea, *Azor*, quae lucem et splendorem significat, atque adeo aiunt Mariam significare *Stellam maris*. Accinit s. Ildephonsus, ser. 1 de Assumpt.: *Ipsa*, inquit, *Stella maris, quam hodie coelum suis recipit sedibus, appellatur, quia secundum versum hebraicum, Maria ita interpretatur. Hinc agite, dilectissimi, ut Lucifer ille, qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc saeculo estis, nam mare prorsus saeculum est, stella autem B. V. Maria, de qua ortus est ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc securius accedite ad laudem Virginis, et illuminamini, quoniam ipsa est, per quam vera lux in mare huius saeculi refulsit.* Sed luculentius et fusius s. Bernardus stellae maris proprietates Virgini adaptat, et quidquid de stella maris in Maria quadrare potest, dulci calamo perstringit, hom. 2 super *Missus est: Maria, quod interpretatum Maris stella dicitur, et Matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime syderi comparatur, quia sicut sine corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui laesione Virgo parturiit Filium: nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Filius Virgini suam integritatem. Ipsa est nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor et praefulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos ab huius syderis fulgore, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras in scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam: si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres orationis eius auxilium, non deseras conversationis eius exemplum: ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis,*

ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: et sic in temetipso experieris, quia nomen Maria, *idest Stella maris.* Absolvat rem Bernardus, serm. de nativit. Virg.: *Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum; ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi; quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, et densissimae tenebrae relinquuntur?* Et s. Thomas opusc. 8: *Dicitur Maria stella maris: sicut navigantes ad portum diriguntur per stellam, ita christiani diriguntur ad gloriam per Mariam.* Videndus etiam s. Antoninus, 4 part., tit. 15, cap. 14, § 2, ubi ea, quae tradunt Astrologi de stella polari, B. Virgini adaptat: est igitur propinquior polo, imo sumi solet loco poli, nunquam visui nostro occidit, attrahit ad se vi quadam nativa magnetem, ferrumque ipso magnete oblitum, navigantes in portum dirigit; sic Virgo Deipara Maria, Christo Domino omnium propinquissima, saxea ac ferrea peccatorum pectora, nativa sua indole ad se allicit; navigantes homines per hoc mare magnum, in caelestem portum evehit. Cui sensui auxilium fert s. Ambrosius, lib. de Virg.: *Maria,* ait, *interpretatur Stella maris; nautis enim mare transeuntibus, aspicere opus est maris stellam, a supremo coeli cardine refulgentem, et ex respectu illius dirigere cursum, ut possint portum destinatum apprehendere. Simili modo, fratres, oportet universos Christicolas inter fluctus huius saeculi, Mariam suspicere, quae in supremo rerum cardine, Deo proxima est, et respectu exempli eius vitae, cursum dirigere: quod qui fecerit, non iactabitur vanae gloriae vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed perveniet ad quietis secundae portum.* Huic significatui consonat quod Hieronymus, Bernardus, Bernardinus, Bonaventura, et alii, ex eadem radice hebraea vertunt, Mariae nomen, *Illuminatricem,* seu *Illuminatam:* quod etymon venuste componit s. Bonaventura in Spec. lect. 3, cum columna nubis, quae Israelitas per desertum ductabat: *Maria ergo,* ait, *columna nubis est illuminata a Deo et illuminans mundum, multis misericordiae et charitatis suae beneficiis. Quid nos miseri obtenebrati, ageremus in nocte huius saeculi, si tam lucidam, tam luminosam columnam non haberemus?* Videndus s. Bernardinus, tom. 2, serm. 1 de glorioso nomine Mariae. Huc respicit aliorum interpretatio, vocant enim Mariam, *maris Flammam,* quasi Maria sit navis sive triremis primaria quae aliis ducatum praebet, pharum in caliginosa nocte splendentem aliis exhibens. Profecto Maria Deipara recte navim praetoriam dixeris, quae ducem ac huius maris Principem secum adsportat, iuxta illud Prov. 31: *Navis institoris de longe portans panem;* quam primariam navim reliquae omnium praedestinatorum insequuntur, illam primariam tamquam lucidissimam pharum prae oculis habentes, sive flammam maris splendidissimam, quam adspicientes reliquae, huius salsi maris syrtes declinent, piratas aufugiant, omniaque pericula avertant, portum denique teneant. Quo forsan respiciebat Isaias, dum ait c. 60, 9: *Insulae expectant, et naves maris in principio:* vel ut alii transferunt ex hebraeo: *Naves maris venient post primariam, sive praetoriam.* Nisi velis per *flammam maris* accipere faces illas, quae celebri plurium gentium ritu in portubus ex editioribus locis noctu accendi solent, ut nautae eas eminus aspicientes, naves suas in portus appellant secundo cursu: ideo s. Ephraem, serm. de laud. B. V., sic eam salutat: *Ave clarissima lucerna, quae graece pharus dicitur, tu portus naufragantum tutissimus: Ave lumen lucidissimum.* Quae verba faces et pharos, quae praeferri solent in portubus nautis viam ad portum praemonstrantibus innuunt. Demum piscis reperitur in mari, qui *maris lucerna* nuncupatur, a Graecis *lampas,* seu *empyros,* sive *flamma maris.* De illo haec scribit Plinius: *Est piscis appellatus lucerna, quia lingua ignea per os exorta tranquillis noctibus relucet.* De illo pepigit Gregorius Theologus in praeceptis ad Virgines:

> Empyrus est piscis, qui numquam absumitur igne,
> Verum ardens mediis effulget in aequoris undis.

Iuvat Mariam maris lucernam, seu lampadem compellare, cuius in Deum et homines charitas nunquam extincta fuit; sed quo magis ingruunt procellae salebrosi huius maris, magis ardet ac splendet in caliginosa mundi huius ac tribulationum nocte, qua luce nos navigantes recreat, iter demonstrat, cursumque dirigit.

1370. Alii ex eadem radice hebraea Mariae nomen reddendum arbitrantur, *maris Magistram,* cum Rabbi Haccados in responsione ad petitiones romani Consulis: at maris magister dicitur proprie nauclerus ad clavum sedens. Audiamus Salomonem, Proverbiorum c. 8, ubi ait de Maria iuxta Ecclesiae sensum: *Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, et mea est fortitudo. Per me reges regnant, legum conditores iusta decernunt.* Pro *consilio* apud hebraeum est vox *clavum,* seu *gubernaculum* significans, ita ut sensus sit: Mihi est consilium, sive gubernaculum; ac si diceret B. Virgo: Ego navis Ecclesiae clavum teneo, adest mihi peritia ad gubernandam ac regendam navim, imo ingentia navigia huc illucque impello tamquam maris huius Magistra. Concinne in rem praesentem Plutarchus in Politicis monet: *Optimus Novarchus ille foret, qui, si fieri posset, omnia maria percurrisset, omnes peregisset navigationes, et portus omnes adiisset.* Maria huius mundialis maris optima magistra ac gubernatrix, quae omnes maris vias, id est agendae vitae rationes optime novit ac percurrit; permansit enim Virgo, Mater simul extitit, ac coniugata, marito viduata, pauper ac dives, Regina et ancilla, inter prospera et adversa navigavit, actionis ac contemplationis vias emensa est, ac proinde optime Magistrae maris munus obit, quae omnes huius vitae cursus ac navigationes peregit, unde et nostra navigia, fluctus omnes, syrtes ac scopulos praetervecta, ad aeternae felicitatis portum appellit. Eleganter ad rem nostram Fulgentius, serm. de laudibus Mariae: *Venite,*

virgines, ad Virginem; concipientes, ad Concipientem; matres, ad Matrem; lactantes, ad Lactantem. Venite, iuvenculae, ad Iuvenculam; coniugata, ad Coniugatam; viduae, ad Viduam: ideo enim omnes istos naturae cursus Virgo Maria in Domino nostro suscepit, ut omnibus ad se confugientibus subveniret, et sic restauraret omne genus foeminarum.

Noster Petrus Canisius, lib. 1 de Deipara, c. 1, ait, nomen Mariae perinde esse, ac *maris Pluviam.* Quemadmodum ergo ex pluviis caelestibus pisces plurimum recreantur, quia algae et aliae marinae herbae, quibus pascuntur pisces, pluviis excrescunt; ostreae item et margaritae pluviis e coelo deciduis concrescunt; ova concepta a piscibus iis aquis pluvialibus foventur, ac melius in lucem eduntur; imo aquae maris salsae et crassissimae per pluvias caelestes quasi liquefiunt, et ad navigationes multo aptiores redduntur: ita etiam per Mariam tanquam per pluviam e caelo defluentem fidelium pisces recreantur, foventur, caelestia vota concipiunt, et in lucem edunt, et in vitam aeternam enutriuntur. Rursus, imber iste Virgineus in universam Ecclesiam, quasi in mare quoddam spatiosum, instar nubis roridae perpluit, Doctores foecundans praeclaris conceptionibus ut plebem instruant et informent. Virginum margaritae et uniones hoc Virgineo rore concrescunt, ita ut Christum sponsum sua pulcritudine ad se alliciant, Martyrum corallia augentur et purpurantur, cuncti denique spiritales fidelium pisces hoc coelesti rore augentur et multiplicantur. Et sicut pluvia in mare demissa aquas salsas liquefacit, ut facilius ingentia quantumvis navigia tranare possint; sic etiam Marianum auxilium defluens in tribulationum ac laborum aquas salsas, eas liquidiores reddit, ac mansuefacit, ut cuiuslibet animae rates faciliori et velociori cursu in portum provehi possit.

1371. Alii cum Rabbi Salomone observarunt Mariam *maris Iaculatricem* restitui posse: ita Canisius, lib. 1, cap. 1, de B. Virgine, Salazar tom. poster. in Cantic., Lyreus C. 1, modulatione 11, ex hebraeo fonte. Sic olim veteres Palladem, vel Dianam Iovis filiam arcu et sagittis insignem effigiabant, feras assidue in sylvis et lucis ferientem; ideo illam Graeci ac Latini *Iaculatricem* compellarunt. Huius umbrae veritas est Maria, quae immania monstra ac haereticorum feras missilibus confodit: bene de illa Sponsus, Cant. 4, ait: *Collum tuum sicut turris David, mille clypei pendent ex ea.* In quae verba praeclare ad rem nostram haec subiungit: *Ad Mariam haec spectant; collum est eminentia sublimitatis eius, et est sicut turris David fabricata, ut peccatoribus esset refugium et munimen. Propugnacula huius turris sunt virtutes, gratiae, et praerogativae, quibus peccatores protegit, et inimicum expugnat. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; et quaenam illa? Dicent LXX interpretes, qui verterunt: Omnia iacula potentium.* Haec Card. Hailgrinus in praedicta verba. D. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 14, § 6, ait de B. Virgine: *Ipsa est iaculum capiti serpentis infixum, de qua dictum est: Ipsa conteret caput tuum.* De Daemone ait Iobus, cap. 40, sub nomine Leviathan in huius mundi mare cubare: *Nunquid*, ait, *extrahere potes Leviathan hamo?* Intelligit per Leviathan cete grande, seu balaenam. Mos est autem piscatoribus confossam pluribus iaculis hanc bestiam exanimatam extrahere in arenam funibus et harpagonibus. Subdit Iob: *Nunquid illudes ei quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis?* Salazar ait, verti posse, *Ancillae tuae*, quasi diceret Deus Iobo: Nemo ita robore praestans et viribus est, ut cete vastissimae magnitudinis, quasi aviculam caperet, ac iaculis transfixum, et enectum ad manus ancillae traheret, cum vix id liceat harpagonibus a robustissimis viris agitatis: quod ergo humanae potentiae et industriae denegat, factum per Mariam fatetur, quae Iaculatrix maris ac Dei Ancilla cognominatur. Maria igitur Leviathan cete grande, diabolum, inquam, suis confossum iaculis (sic enim habes Gen.: *Ipsa conteret caput tuum*) prorsus exanime, ac viribus suis destitutum, ad littus extra Ecclesiae mare eduxit, ac nobis illudendum proponit. Maria etiam iaculatrix amica, quae amoris iacula in algentia viscerum nostrorum praecordia contorquet, ut divinum illum amoris ignem accendat: quo igne et amoris sagitta prius ipsa vulnerata, iuxta illud Cant. 2, secundum versionem LXX: *Quia vulnerata charitate ego sum*, eadem amoris spicula in nos tanquam amoris sagittaria iaculatur; ut verissime iam dicere possit Ticitiensis abbas in illud Cant.: *Adiuro vos, filiae Ierusalem* etc. nempe ait, *ut percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater filias, salubriumque suorum vulnerum experimentum efficiat, ut audientes filiae vel sentientes in Matre tantum vitae futurae, quae non videtur, desiderium in mente praesentiant, et ipsae talem esse dilectum, ut iure propter eum fastidiat quivis hoc praesens saeculum.* Haec spicula vocat Augustinus, in Ps. 143: *Iacula salutis, iacula felicitatis aeternae.* His sagittis praebe feriendum cor tuum, iis iaculis terebranda corda obiice. *Praebe igitur te*, ait Origenes, homil. 2 in Cant, *iaculo formoso, etenim Maria sagittaria est.* Sydus est in coelo coalescens ex quinque stellis, quod nuncupatur ab Astronomis Sagitta, quia effectus suos summa celeritate, tamquam sagitta emissa producit: ita nomen Mariae quinque litteris coalescit, et divini amoris sagittam construit, qua divini amoris flamma animae succenduntur: audito enim hoc nomine pectora amore exaestuant, totus homo flammanti charitatis ardore ustulatur.

1372. Luisius ab Alcazar, in cap. 12 Apoc., interpretatur Mariam, *stillam maris*, et ad Marianam animi demissionem, vocem deflectit; licet enim vastissimum gratiarum pelagus in se cohiberet, aestimatione tamen sua, stilla seu gutta maris reputabatur, quia cum immensa Dei maiestate composita, merito sicut stilla ex infinito illo Divinitatis oceano hausta existimabatur. Vel etiam loco stillae, distillatio verti posset, quae ex herbis salubribus igne admoto per vas sublimatorium educi solet. In hac ergo si-

gnificatione Maria erit maris distillatio; sic enim ignis herbis applicatus instillatas ac salubres aquas educit; ita sol ex aquis salsis, maris vapores excitat, nubes producit, et salsas aequoris undas in pluvias dulces ac salubres cogit, easque super terram instillat, ut eam irriget ac foecundet. Quid vulgarius apud Patres, quam *nubem* Mariam vocare, quae salsas huius mundi aquas in praedulces transtulit? Adde vastissimum hoc mare, si fieri posset, ut in vase sublimatorio per plures fusiones instillaretur, id est ex cunctis amaritudinibus, afflictionibus, doloribus, veluti, ut dici solet vulgo, *quinta essentia* exprimeretur dolorum omnium; longe profecto maior fuit dolor ex Christi patientis adspectu conceptus in V. Maria. Martyrum omnium cruciatus multiplices, creaturarum omnium dolores ac perpessiones tecum mente coge; his profecto omnibus doloribus maior esset unicus Mariae dolor; de Martyrum cruciatibus ait Anselmus, lib. de excell. Virg.: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione passionis tuae.* Qua de re memini me alibi fusiori calamo pertractasse. Huc etiam spectat alia nominis Mariae etymologia; idem enim sonat, ac *mare amarum*, aut *maris amaritudinem*, apud D. Ambrosium, Hieronymum, Bonaventuram, et alios; cuius etymologiae aliam subdit rationem s. Antoninus 4 p., tit. 15, cap. 13, § 2: *Fuit etiam*, ait, *B. Virgo Maria mare amarum in conversatione amara, scilicet in perfecta sensuum mortificatione. Nulla enim pura creatura mortificavit ita sensus suos, sicut Maria.* Sed inspiciamus, ac premamus ulterius causam naturalem salsedinis huius, et amaritudinis aquarum in mari, et ad sensus spirituales amaritudinis B. Virginis transferamus. S. Bernardinus ex Aristotele huius rei causam indagans ait: *Maris amaritudo naturaliter accidit, quia per solis calorem partes subtiliores, et dulciores separantur, et extrahuntur in vapores nubesque abeuntes; illae vero crassiores, quae subtilioribus expressis remanent, adductae circa littora conspissantur; ac demum istae quemadmodum adductae sunt, assidua fluctuatione miscentur, et sic totum mare salsum, amarumque redditur.* Mariae mare salsum et amarum reddidit subtilioris substantiae avulsio, id est praesentiae Filii sui subtractio, qua nihil iucundius esse poterat; cum igitur Christus Dominus per mortem ab ea avulsus fuit, quasi per separationem subtilioris humoris effecta est Maria *mare amarum*. De qua protulit Hieremias: *Magna est velut mare contritio tua.* Et Ruth 1, ait eadem Virgo: *Ne vocetis me Noemi; sed vocate me Mara, hoc est amarum, quia amaritudine replevit me Omnipotens.* Vel etiam mare amarum fuit Maria, quia in illam omnium afflictionum flumina, omnes dolendi causae et circumstantiae ac rationes confluebant, ut bene expendit citatus Bernardinus, serm. 1 de nomine Mariae: *Quando*, inquit, *B. Maria haec omnia perspexit, et apud se de omnibus istis contulit, nempe de cunctis rationibus et causis dolendi; nunquid non summam amaritudinem habuit? Iure igitur mare amarum Maria, in quam tot fluctus et flumina amarissima intraverunt. Nam singularis quaecunque circumstantia passionis flumen singulare doloris* etc. Sicut autem flumina, quae aquas dulces et salubres afferunt, intrant in mare, statimque amaritudinem induunt, ita solatia habita dum in convictu Filii sui vixit, ex familiari usu et praesentia ipsius, quae per flumina dulcia innuuntur, nempe colloquia dulcia cum illo, mutuus adspectus, reciproca familiaritas, et alia huiusmodi; cum ad passionis ac tormentorum oceanum deventum est, haec omnia solatia iam transacta in mentem amaritudinibus repletam refluebant, adeoque ipsius salsedinem et amaritudinem statim ebibebant, et in undas amaras vertebantur. Quippe affligentium se passio, est praeteritorum recordatio, et quidquid tunc antiquae iucunditatis memoriae occurrit, afflictionem adauget. Ad rem nostram s. Augustinus dolore affectus ob amici mortem memoria versans solatia, quae aliquando sibi periucunda visa fuerant, suum ex illis moerorem excrescere aiebat per illa verba: *Erat mihi patria exilium, paterna domus mira infelicitas; et quidquid cum illo placuerat, sine illo in cruciatum vertebatur.* Quod potiori iure unigeniti Filii Dei-hominis contigit Parenti carissimae.

1373. Si autem vestiget aliquis, qui fieri potuit, ut Maria, amarum mare tot dolorum fluctibus exagitatum, non fuerit repetito tot dolorum ictu peremptа? ut puto, eaedem causae illam a morte immunem fecerunt, quae subsunt in mari, ut eius lymphae a putredine et corruptione immunes serventur. Praesto nobis sit Aristoteles causas vestigans, cur aquae stagnantes passim corrumpantur; non autem undae marinae. Tres autem causas tradunt philosophi cum ipsorum Principe huius praeservationis, et immunitatis ab omni corruptione in mari: videlicet salsedo, ingressus fluminum dulcium, et ventorum iugis flatus ac reflatus, quibus aquae marinae agitantur, et perpetuo moventur, quippe inertia ac quies nimia aquarum dulcium corruptionem importat. Salsedo igitur maris aquas a putrefactione praeservat, sicut carnes sale conditae a corruptione et vermibus praeservari videmus. Sal autem apud prophanos et sacros scriptores, sapientiae symbolum est, cuius proprium leniendi doloris rationes menti subministrare: ingenti sapientiae Marianae vertit Gerson, tract. 9 super *Magnificat*, Alphabeto 90, lit. X, quod Maria ingenti dolorum ictu percussa iuxta crucem non interierit, vel saltem exanimata non corruerit: *Stabat*, inquit, *iuxta crucem Iesu Mater eius: stabat Virgo sapiens, quia animus multis considerationibus moerorem lenientibus confirmatus, fide quoque ac spe erectus, corpus stare faciebat.* Rursum fluminum aquarum salubrium ac dulcium in mare illapsu, aquae marinae temperantur et corriguntur, ne in corruptionem eant: sic etiam plurimarum salubrium ac dulcium considerationum illapsus in animam B. Virginis vim dolorum et amaritudinum temperabat, moerorem lenibat, ac vim

omnem corruptivam et interemptricem procul arcebat. Opportune Abulensis, in cap. 9 Deuteron. q. 4: *Erant*, inquit, *in Maria simul dolor et gaudium, utrumque magnum, sed satis unum alteri concordabat.* Et Albertus Magnus in Mariali, c. 123: *B. Virgo habuit amaritudinem passionis in summo, et siceram consolationis in summo.* Nempe humani generis a dira Daemonum servitute libertas ac redemptio, sedium Angelorum restauratio, Martyrum inconcussa fortitudo, Virginum victoria, omniumque praedestinatorum Beatitudo, uberem gaudendi segetem animae Marianae suppeditabat. Demum sicut tertia incorruptionis causa in mari provenit ex ventorum flatibus, ita hoc mare Marianum ab omni exanimatione ac morte incorruptum servarunt Spiritus sancti iugis impulsus, et adflatus. Memini me alibi adduxisse illa sancti Anselmi verba, lib. de excell. Virg.: *Pia Domina, non crediderim te ullo pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitae, Spiritus consolationis, Spiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, teque intus doceret, non esse mortem, sed magis triumphum omnia ei subiicientem; quod in ipso fieri coram te moribundo videbas.* In eandem significationem recidit alia etymologia Mariae, videlicet *Myrrha maris.* Hieronymus enim, Epiphanius, Editio Complutensis, et alii Hebraei, Mariam maris myrrham convertendam esse censent. Opinatur etiam Editio Complutensis cum aliis Mariam perinde esse, atque *Exaltatam:* quia sicut super omnes creaturas ingentes dolores passa est, ita super omnes exaltata fuit. Tum quia, ut bene argumentatur s. Bernardinus, tom. 1, serm. 1 de nom. glorioso Mariae: *Quod Maria sit omnium creaturarum altissima, patet, quia illa creatura in dignitate est altior, quae est in gradu bonitatis sublimior*, etc.

1374. Quotquot autem augustissimum Mariae nomen ex chaldaeo fonte hauriunt, idem aiunt esse, ac *Dominam maris:* ita Damascenus, l. 4 de fide orthodoxa, Isidorus de ortu et obitu, PP., Epiphanius de laudib. Virg., t. 8 Biblioth. ss. Patrum, Beda in cap. 1 Luc., Chrysologus serm. 146. Dicitur autem maris huius mundialis Domina, quia portuum omnium dominium habet, nemo quippe portum beatitudinis attingere potest, ipsa non permittente. Deae Amphitrite, seu Thetidi maris Deae, Portumnae nomen inditum fuit; quia portus omnes maritimi numinis sui ditioni subdebantur. Addit D. Augustinus, de civit. l. 6, c. 22, vocari solitam ab Antiquis, *Salacia*, et *Venilia:* Salacia, quia praeerat mari benigno ac pacato; Venilia, quia etiam praeerat eidem fluxibus ac refluxibus ferventi, ac procellas agenti. Quae omnia, si christiana trutina expendas, recte in B. Virginem deflectes; ipsa enim huius mundialis maris vortices regit ac temperat, intumescentes divinae indignationis fluctus coercet, Dei iram continet, ad misericordiam lenit, et compellit. Deinde tanquam maris Dea Amphitrite, quae super marinos vortices, tanquam per solidissimum pavimentum inambulabat, ita Virgo Deipara in fluctibus maris ambulavit: cum in Passione Christi maris rubri altitudo, ac tempestas discipulorum navim ad scopulos ac syrtes impactam, ac fluctibus obrutam submersit; Maria Virgo super fluctus inambulans stabat iuxta crucem malo navis adhaerens omni tempestate maior.

1375. Alia etiam ex chaldaica radice etymologia exoritur, ita ut Maria dicatur *Domina diei.* Quadruplex autem diei acceptio reperitur apud sacros interpretes. Prima est beatitudinis dies, quam Paulus ad Hebr. 4, et Prov. 4 Salomon vocant sabbatum et perfectum diem. Secunda, vita nostra fragilis, cui nox mortis atra succedit: de qua ait Christus D., Ioann. 11: *Siquis ambulaverit in die, non offendet;* et c. 12: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebrae vos comprehendant.* Tertia, dies vulgaris, quae sole exoriente oritur, ipsoque occumbente occidit. Quarta, prospera ac iucunda fortuna, dies etiam dici solet, iuxta Gregorium Magnum ad illa verba: *Diem hominis non desideravi.* Virgo igitur Deipara dicitur horum omnium dierum Domina ac Regina. Dies enim ille beatitudinis et aeternitatis, sub eius ditione est; illa siquidem mediatrice et adiutrice, omnes beatitudinem nanciscuntur, ut alibi fusius demonstrabimus. Sicut ergo sine Virginis meritis, nulla gratia in viatores derivatur; ita sine eisdem nulla gloria sive essentialis, sive accidentalis in Beatos defluit. Ad haec, B. Virgo etiam est Domina vitae huius mortalis, imo vita ipsa nuncupatur; *Mater misericordiae, vita, dulcedo.* In quae verba subdit Bernardus, super *Salve: Te dominam mentis visceribus amplectamur, quia tu es vita vera, quae mortem superasti, et nobis vitam impetrasti. O certe vita amabilis, vita desiderabilis, vita quae cibis tuos celestibus alimentas!* Insuper diei vulgaris acceptio est pro die naturali, quae solis periodo constat, cuius etiam est domina Maria. Alii Sancti proprios sibi vendicant dies, nempe, quos Ecclesia illorum natalitiis colendis consecrat; in quibus tanquam sydera benigna benevolos iufluxus in homines derivant. At Maria Virgo omnes sibi dies adsciscit, suaeque ditioni subiacent: ideo s. Epiphanius, serm. de laudib. Virg., septem planetarum orbes, a quibus septem hebdomadae dies sua nomina acceperunt, Virgini Mariae tribuit. *O Virgo*, inquit, *quae coelum es septem circulis constans!* etc. *O uterum septem coelis sublimiorem atque latiorem! O uterum habentem inextinguibile lumen semper lucentis gratiae!* Merito Mariae Virgini septem planetae adscribuntur, ut sciamus nullum praeterire diem, qui Marianae ditioni non subiiciatur, in quo videlicet tanquam sydus candidissimum suos benignos gratiarum affluxus in homines non derivet. De quo consulendus Salazar, ad c. 8 Prov. c. 31. Ad extremum, bonam fortunam, quae quarta erat diei acceptio, etiam Mariae Virgini adscribimus, utpote quia omnis secundae fortunae regimen ipsi attribuitur. Siquidem omnem humanam prosperitatem, sive honoribus, sive divitiis, sive voluptatibus constantem, suo dispensat arbitrio, o-

mnemque felicitatem, quae cum virtute agnationem habet, ab eadem B. Virgine nemo non hausit: qua de re abunde suppeditabit tibi probationes Palaestra Prooemialis.

1376. Ulterius ex syriacis thematibus nomen Mariae, *Dominam cribri* significat. Quadruplicem autem cribri significationem in sacra Scriptura reperimus. Primo apud Amos 9: *Ecce ego mandabo, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet lapillus super terram.* In quae verba D. Hieronymus arbitratur per cribrum adumbrari eo loci Dei praedestinationem et reprobationem; cuius cribri Maria domina merito vocari potest, vel quia ferventior in Mariam amor, ac cultus inter principalia praedestinationis signa a Patribus recenseri soleat; vel quia per merita Mariana congrua, post Christi merita, omnium iustorum ad gloriam adscriptio peracta fuit, ut alibi serio peregimus. Secundo s. Cyrillus Alexandrinus in praedicta verba Amos ait, cribrum eo loco punitionem Dei, quae non ad obstinationem, sed ad correptionem, et resipiscentiam peccatorum conducat, innuisse. Dei igitur misericordiam adumbrat, quae peccatores sceleribus obduratos perire non vult. At quid iucundius Mariae, quam Dei misericordiam in peccatores etiam obduratos, suis sollecitare precibus? Unum ex quampluribus testem affero D. Bernardum, qui serm. 1 super *Salve*, ait: *In hoc convenienter vocatur Regina misericordiae, quod divinae pietatis abyssum, cui vult, quando vult, et quomodo vult, creditur aperire; ut quivis enormis et obstinatus peccator non aperiat, cui Sancta sanctorum patrocinii sui suffragia non praestat.* Tertia cribri acceptio nobis offertur, Eccli. cap. 27: *Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aperiam homines in cogitatu illius.* Quae verba de motu poenitudinis, ac doloris de peccatis exponunt aliqui interpretes. Huius etiam spiritualis cribri domina Maria praedicatur, dum peccatores, ceu cribrum, ad poenitudinem movet ac versat, ut cunctis huius vitae honoribus, divitiis ac gaudiis, tanquam furfuribus, quisquiliis, seu reiectamentis abiectis, ac despectis, ea solum grana remaneant, quae veram secundum Deum voluptatem pariant. Quarto accipitur cribrum pro tentationibus, quibus iusti expurgantur ac emundantur, sicut ex cerniculo aut cribro: de hoc cribro fatus Christus Dominus, Luc. c. 22, ait ad discipulos: *Ecce satanas expetivit, vos ut cribraret sicut triticum.* Ubi interpretes docent Apostolos a Daemone concutiendos, tentationibusque agitandos ac expurgandos. Huius cribri Domina nuncupatur Maria, de syriaco fonte hausta etymologia; quia sibi addictis nullam iacturam, imo proventus maximos ex tentationibus provenire parat. O quoties homines pravis a Daemone suggestionibus agitati, ac concussi malo cederent, ac infami praecipitio corruerent, nisi a B. Virgine constabilirentur, ac ipsius precibus in bono persisterent!

1377. Sed aliam singularem nominis Mariae significationem nobis suppeditavit Ambrosius, lib. de institut. Virginis, cap. 5, ubi scribit: *unde speciale Maria Domini Mater hoc nomen invenit, quod significat, Deus ex genere meo.* Maria igitur iuxta Ambrosium componitur ex *Iah*, quod est *nomen Dei*, et ex *Mar*, quod ad radicem, *harah*, revocat quae vox *generare* significat: unde *Mariah* perinde erit, ac *genus meum Deus*, seu ut Ambrosius vertit, *Deus ex genere meo.* Quod quidem nomen sublime munus, ad quod evecta fuit, nempe Maternitatis Dei, iam praeseferebat. Si ergo Deus Optimus Maximus ex Virgine Maria genus suum hausit, nullus erit ambigendi locus, nihil prorsus a Deo praetermissum esse, quod ad honorem ac decus sui generis conducere posset: quare omnia privilegia, cunctas gratias et excellentias in unam Mariam profudisse, et merito, coram Angelis efferre posset, se genus ducere, adhuc secundum humanam naturam, a tali stirpe, quae Deum ipsum nobilitare et amplificare posset.

Ultimo non est praetermittenda alia nominis Mariae acceptio apud Epiphanium, tract. de laudibus Virg., ubi ait: *Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam Spem; peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi.* Forsan Epiphanius hanc adduxit etymologiam ex radice, *Iara*, quae frequentius *timere* sonat: aliquando autem iuxta LXX interpretes, valet idem, ac *sperare.* Vide Interpretes in Sophoniae c. 3, num. 17, et in I Reg. 17, num. 3. Ex hac ergo radice oritur vox *Mara*, id est *Spes;* et merito, quia B. Virgo est nobis Spes, canit enim Ecclesia: *Spes nostra salve.* Quasi Maria sit nostrae spei anchora firmissima tenaciter coelo adhaerens. Profecto qui hac Mariana anchora innituntur, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ac celeri volatu ad superiora conscendent, nec deficient donec pascantur ex medulla Libani. O vos mortales, qui omnem spem vestram, in honores, divitias ac voluptates mundiales contulistis; quid mirum, si huc illucque agitati marinis undis consepulti obruamini? quippe eiecistis anchoram spei vestrae innixam foeno; omnis quippe caro foenum, parum foeni est omnis mundialis felicitas. Omni ludibrio et irrisioni exponerentur nautae, qui oneraria navigia foeno, ac deciduo flori iuxta littus nascenti, quasi anchorae firmissimae alligarent; at maiori ludibrio digni censendi sunt homines, qui, hac Mariana anchora abiecta, omnem spem suam ac confidentiam in homines deiiciunt et conferunt. Resipiscite ergo, mortales quotquot ab spe vestra excidistis, et omnem vestram spem in una Maria reponite; sic mihi credite, eius patrocinium experiemini, ac firmissima hac anchora constabiliti, aderit vobis spes vestra contra spem, fiducia contra diffidentiam, nec unquam ab spe vestra excidetis.

Denique non est praetereunda observatio s. Antonini, 4 p., tit. 15 cit., c. 14, ubi ex quinque litteris, quibus Mariae nomen latinum constat, quinque alias praerogativas B. Virginis venatur: videlicet, Mater universorum, Arca thesaurorum, Regina coelorum, Iaculum inimicorum, Advocata peccatorum. Ex quibus omnibus quam

sit mysteriis gravidum augustissimum Mariae nomen elicies, ac proinde iure quidem optimo de multiplici et arcano ipsius significatu peculiarem hoc loco Congressum a nobis fuisse institutum.

CERTAMEN III.

An Mariae nomen efficacius sit ad bona consequenda, quam augustissimum nomen Iesu.

1378. Peridonee Chrysologus, serm. 146, ait nomen Mariae esse prophetiae germanum, non solum quia iuxta sui etymologiam, divinam Maternitatem auspicatur, cum idem sit, ac *Deus ex genere meo*: sed etiam quia illud obsequioso cultu proferenti, illiusque laudes elucidanti vel verbo, vel scripto, fausta praedicit, illudque sero invocanti est prospera fortuna, fortunatos eventus prophetans, quod decursu huius et sequentis Certaminis palam constabit.

Nullum hic exoritur dubium de praestantia et dignitate divini Iesu nominis; cum constet et dignitate et excellentia ac virtute longo intervallo Mariae nomen superare. Solum vertitur in dubium, utrum in actu exercito, ut loquitur schola, vel in actu secundo, nomen Mariae efficacius operetur, quam nomen Iesu. Nec alicui infensus videri debeat titulus Certamini praefixus, cum ipse Dominus Iesus ansam nobis praebuerit ad quaestionis enodationem; ait enim Ioannis cap. 14: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.*

Ad cuius quaestionis enodationem animadvertendum est, universum Dei imperium hoc duplici cardine inniti ac circumvolvi, videlicet, potentia, et misericordia: his duobus limitibus incircumscriptum ipsius dominium, ac regnum circumscribitur, ac coercetur, nempe clementiae, et iudiciariae potestatis: quod innuit David Ps. 61: *Duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* Verum quia divisum imperium cum Matre Deus habet, eique dimidiam partem principatus contulit; clementiae ac misericordiae attributum in Mariam veluti transfudit. Quod eleganter expenderat Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson, tract. 4 super Magnificat: *Magnificata est hodie,* ait, *B. Virgo, ut regina coeli, imo et mundi, iure vocetur; habens praeeminentiam et virtutem influxivam super omnes, principatum habet dimidii regni Dei, si sic dici potest sub typo Esther, et Assueri: Regnum quippe Dei consistit in potestate, et misericordia: Semel locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia; potestate Domino remanente, cessit quodammodo misericordiae pars Christi Matri, sponsaeque regnanti; hinc ab Ecclesia tota Regina misericordiae salutatur.* Quo praemisso; asserendum puto, maiora ac velociori tempore patrari a Deo mirabilia, invocato nomine Mariae, quam nomine Iesu. Hanc partem sustinent gravissimi Doctores apud Mendozam in Viridario, lib. 2 de floribus sacris, problemate 2, et apud Aialam in suo Horto, laureola 2, et arom.

13. In cuius rei symbolum, luna, quae soli lucem debet acceptam, et efficacius ac potentius influit in sublunaria, quam ipse sol, ut bene expendit Galenus, lib. 3 de diebus decretoriis: *Sol*, inquit, *velut rex quispiam maximus est; luna vero, ut princeps non mediocris inter illum et nos medius constitutus, terrestrem regionem merito gubernat, non potentia caeteros planetas, sed vicinitate exsuperans.* Luculentius Ioannes Geminianus, et aptius ad rem nostram ait: *Luna ex sua virtute movet omnia humida, et ex lumine a sole mutuato, quasi quidam secundus sol breviter agit, et explicat in istis inferioribus operationes solis; et dico breviter, quia quod sol facit in anno secundum variationem humoris et caloris, luna facit in mense.* Haec ille lib. 1 de coelo et elem. cap. 3, ubi habes, lunam velocius cursum suum peragere, et suos effundere influxus in hunc orbem inferiorem, ipso sole. Licet ergo nomen Mariae augustum, quidquid virtutis habet, a Iesu hauserit, efficacius tamen ac velocius, utpote hominibus vicinius operari poterit. Merito ergo lunam sub pedibus terit Maria, quasi lunae sandaliis calceata, hoc est lunaribus adeoque citissimis gressibus cursum suum conficit, in hominum auxilium involat. De Christo Domino ait hebraeus Psaltes, Psalmo 18: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse, tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Giganteis passibus tanquam sol nostris calamitatibus opem laturus accedit. At vero idemmet qui solis quadriga vehitur, in alvo Virginea non iam solis passibus, sed lunae velocioribus gressibus in hominum auxilium involat: *Luna sub pedibus eius: et habens in utero.* Sic olim duce Iosue, sive Iesu, populus hebraeus per Iordanem sicco vestigio festinus transivit. Habes enim Iosue 4: *Festinavit populus et transiit.* Ast qui Arcae foederis, umbrae Mariae, proximiores erant, non solum festinis gressibus, sed celeri volatu praecesserunt, et ad ripam Iordanis appulerunt, auctore Abulensi, q. 20 in c. 4 Iosue, qui ait: *Elevata est arca in sublime, et volavit super Iordanem portans secum portitores suos: et non solum volavit super aquas, sed et transivit super totum populum, ut transiret ad duo millia cubitorum ultra, quia supra iussum fuerat, ut praecederet arca populum duobus millibus cubitis.* Reliqua populi turba festinabat, utique sub duce Iosue; verum arcae portitores praepeti volatu reliquos supergrediebantur. Ut hinc ediscas, eos qui Arcae, Mariae, proximius et intimius adhaerescunt, non iam solum festino gressu, sed celeri volatu ad portum pervenire, superatis maris huius undis; et ab ipsa Maria nobis celerius, quam ab ipso Iesu, venire salutem. Et patet: cum Maria Ioannem invisit, *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione*, Luc. 1; festinus in Matre Christus Ioanni auxiliaturus accessit, qui tamen non dicitur festinasse ad Ioannem in Iordane baptizantem: *Vidit Ioannes Christum venientem ad se*, Ioan. c. 1. Quod expendit Origenes apud D. Thomam: *Iesus, qui in utero illius erat, festinabat adhuc*

in ventre matris Ioannem positum sanctificare: unde sequitur cum festinatione. Licet Iacob luctatus fuerit strenue cum Esau in alvo materna, tamen primatum amisit: at adultus, quia diligebatur a matre, sic enim habes, Genes. 25: *Isaac amabat Esau, Rebecca diligebat Iacob*, et tamen praefertur Esau in benedictione patris: *Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti et vini, et serviant tibi populi, et adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum*, Gen. 22. Non vides quam facile sit adeptus ingenio matris, quod in illo praeduro luctamine consequi non potuit? Utique quia Iacob tenerius a matre diligeretur, et matri ipse addictior, quam Esau, et ideo fortunatior in benedictione praeripienda. Itaque qui Mariae se totum devoverit, cuius typum gerebat Rebecca, reliquos omnes benedictionibus caelestibus ac temporalibus antecellet, et Mariani suffragii compendio optata facilius ac celerius consequetur. Huius autem rei nulla alia ratio assignari potest *a priori*, nisi ipsius Filii voluntas: si enim antiquitus decretum fuit a Deo plus efficaciae indere, quando Deus Abraham, Isaac et Iacob nuncupabatur, quam si nuda Dei appellatione a suis invocaretur, ut monet Origenes, lib. 5 contra Celsum: sol item lunae subsidio suffultus, efficaciores influxus in arbores, elementa, et animantia eiaculatur, quam ipse solus: ergo similiter potuit Deus maiorem efficaciam indere nomini Mariae a fidelibus invocato, quam nomini Iesu. Quae ratio firmari adhuc potest: plus enim inest efficaciae ac virtutis in actu secundo augustissimo nomini Iesu, quam aliis Dei nominibus, quod soli voluntati divinae tribuendum est; ergo potuit etiam ipse Deus maiorem indere virtutem, et efficaciam nomini Mariae, licet multo inferiori, quam ipsi nomini Iesu.

1379. Secundo suaderi potest assertum, quia invocato nomine Iesu, et patrem et iudicem in medium producimus, atque adeo nec decet, nec rationi congruum videtur, ut statim postulata nanciscamur, sed merito differuntur, et Iudicis aequitas id exposcit incorrupta. At cum Mariae nomen Deo obiicimus, ac Christi Domini oculis praesentamus, ipsius Matrem ac nutricem carissimam producimus, et merita exponimus: cum ergo nihil sit, quod postulata retardet, velocius in nostrum auxilium convolabit, ac gratiam, quam exposcimus, dilargietur. O vere fatuae virgines illae, et quia dum sponsum praestolantur somno se dederunt, et quia oleo destitutae, quo lampadum suarum lucem nutrirent, otiabantur ignavae, socordia ductae; fatuae insuper quia repulsam passae ab sponso, non sponsae, nempe Mariae, patrocinium implorarunt, sed ad sponsi nomen confugerunt: *Domine, Domine, aperi nobis*, Matth. c. 25. Sed quid inde? Profecto merito quae iudicem implorant, iudicem experiuntur integerrimum, respondit enim Dominus: *Nescio vos.* Satius illis fuisset ad sponsam confugere, nomenque ipsius ingeminare, *Domina, Domina:* si protulissent, procul dubio ad primam nominis prolationem exauditae praesentissimum auxilium expertae fuissent.

Huius rationis robur ex s. Anselmo, lib. de excel. Virg. c. 6, depromitur: *Velocior*, inquit, *est nonnunquam salus memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Domini Iesu unici Filii eius: et id quidem ideo non fit, quod ipsa maior et potentior eo sit, neque ipse magnus, et potens est per eam; sed illa per ipsum. Quare ergo potentior salus in recordatione eius, quam Filii sui saepe percipitur? Dicam quid sentio: Filius eius Dominus est, et Iudex omnium, discernens merita singulorum; dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id iuste facit: invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* Ubi expende illud, *iuste facit*: instar aequissimi Iudicis. Totum ergo Mariae nomen misericordiam halat, pietatem redolet, severitatis expers, terroris nescium, at Iesu nomen pietatem simul cum Iudicis terrore praesefert, exacturi quippe rationem de quolibet verbulo quod exciderit otiose; ideo homo, qui iustitiae severitate terretur, animosius Marianum nomen implorat, quam Iesu. Perbelle s. Germanus apud Canisium, l. 5 de Deipara, c. 17, Mariam allocutus ait: *Quo modo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita sanctissimum nomen tuum, quod in ore servorum tuorum versatur, in omni tempore assidue, loco et modo non solum laetitia et auxilii est signum, sed etiam ea procurat et conciliat:* quasi efficaciori quadam virtute nostra salutis remedia nanciscatur Marianum nomen. Cui cogitatui subscribit s. Bonaventura in speculo, ubi ait: *Deus iudicium tuum Regi da, et misericordiam tuam Reginae Matri eius.* Quasi totum iustitiae et aequitatis tribunal Christo a Patre delatum fuerit: at clementiae et misericordiae uni Mariae tributum. Sed sibi obiicit Petrus abbas Cluniacensis, serm. 3 de annunciat. haec interserens verba: *Si nomen Domini sit terribile peccatoribus, quomodo nomen Dominae erit mansuetum, et pium eis? Fortiusne est nomen Mariae? estne efficacius? estne robustioris virtutis? Quid erit quod spe istius consequitur, quod alterius denegatur? Licet scribatur Prov.* 18: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam confugiet iustus, et salvabitur; et in Psalmo: Domine, refugium factus es nobis; tamen quem ponebant tunc refugium, etiam nec loquentem poterant audire. Non loquatur, inquiunt, Dominus nobis, ne moriamur, Isaiae* 21. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, et gravis ad portandum. Horrenda quidem dulcedo nominis tanto furore respersa; ideo David ait: Sanctum et terribile nomen Domini: et ulterius dato quod Turris sit nomen Domini et refugium, sed cuius? Ad ipsam, inquit, currit iustus, et salvabitur. Quod ergo relinquitur peccatori refugium? Sed certe turris fortissima nomen Dominae, ad ipsam curret peccator et salvabitur. Si enim peccator es, frustra ascendis in Galaad, frustra tibi multiplicas medicamina, ac per hoc sanitas non erit tibi, Ieremiae* 46. *Ad Mariae nomen confugias; ipsum solum sufficit ad*

medendum: nulla pestis tam efficax, quae non continuo ad Mariae nomen cedat. Si tentatus ultra vires timeas insidias, recordare quod turris fortissima nomen Dominae. Quid aptius et opportunius ad rem nostram excogitari poterat? Nihil ergo mirum, si Christus iudicis munere functus, hominum merita, sive demerita aequa severitatis lance trutinans, aliquando postulantis rogatibus non annuat, vel tardius exaudiat, ac lento passu in dolentis et flagitantis opem deveniat: at Dei Genitrix Maria, quia misericordiae et clementiae imperium nacta est, involat in miserorum levamen, quia tota blandiens, nec tam postulantium merita intuetur, quam indole propria adacta: quare velocior occurrit afflictis succursura: ac proinde nihil est, quod miremur ad Matrem potius densior miserorum numerus, quam ad Filium accedat, miseriarum levamen consecuturus; quia Deus veluti abdicavit se regni parte, quae in misericordia sita est, et ad Matrem devoluta. Hinc s. Augustinus pie accipi potest, dum prius se ad Mariam vertit; et ea interveniente ad Christum cum quadam animi perplexitate, et veluti in bivio haerens inter Christum et Mariam constitutus ait: *Positus in medio, quo me vertam nescio; hinc lactor ab ubere, hinc pascor a vulnere.* Opportune sane Seraphinus Firmianus ex D. Anselmo et Bernardo ait: *In Virgine a Filio derivatur divina potestas absque ullo iustitiae terrore: at in Filio licet attrahat pietas, terret tamen quod scriptum est, Iudicem eum esse adeo severum, ut rationem sit exacturus de omni verbo otioso. Quid autem mirum, si magis praesidat reus in sola pietate, quam in ea iustitiae coniuncta, quando eadem est divina pietas, in utroque et Filii et Matris tribunali?* Ex quo Hostiensis in c. 2 de celebratione Missarum, et Gregorius Lopez, lib. 2, tit. 28, part. 7, aliquorum rudium et imperitorum ignorantiam excusant, qui arbitrantur plus se delinquere, si in Beatam Virginem delinquant, quam si in ipsum Deum.

1380. Accipe celebre huius rei testimonium in luctamine illo Iacobi cum Angelo, vel cum ipso Deo sub Angeli persona: exoptabat iam Deus ex Iacobi manibus elabi, et ait Gen. 32, 26: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Sed cur Deus renascente aurora congredi renuit? in aurora adumbratam volunt plures interpretes, Mariam: ita Augustinus, Ambrosius, Bernardus, Hieronymus. Unum producimus Richardum a s. Laurentio, lib. 7 de laudibus Deiparae sic fantem: *Iam ascendit Aurora, idest, lux illa nascitur, quae vobis pariet verum Solem.* Ait ergo Angelus, Dei personam induens: Quid mecum, o Iacob, luctam aggrederis, precibusque fatigas? Auroram exorientem inspice, ad Mariam confuge, velocior tibi per eam salus occurret, celerius tuis postulatibus annuet, et quidquid exoptas, illa interveniente, ocyius consequeris: ipsius quippe est omnes humanas lites dirimere, omnium postulata expedire. Mariae omnium rerum ac negotiorum absolutio ac diremptio demandata est; adeoque quisquis adveat eventus rerum suarum felicissimos, Mariam adeat, eius aras sollicitet, precibusque ac votis eam defatiget; sic prospera cuncta pro voto succedent. Ita citatus Richardus: *Per Angelum significatur Christus, qui forsitan data nobis Matre videtur dicere se oranti: Dimitte me, iam enim ascendit Aurora: quasi dicat, non iam pulses ad me primo loco, sed vade ad Matrem meam. Sicut aliquis rex iuvenis ad honorem matris suae Reginae, remittit ad eam negotium regni: et ideo forte dirigitur sermo ille Sapient.* 16 *ad patrem: Oportet praevenire solem; idest prius ad Mariam venire, quam ad Solem Iustitiae, ad benedictionem tuam obtinendam, et ad ortum lucis adorare te, idest gratias agere de ortu Mariae, per quam illuminatus est mundus.* Ipsi Angeli citius in nostrum auxilium involant per Mariam, quam sine illa. Accesserunt Angeli lentis passibus sub peregrinorum habitu, et ad speciem ab itinere fessi ut iustum Lothum a sulphureo Sodomorum incendio eriperent: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere,* Gen. 19. Verum Isai. 6 habemus: *Volavit ad me unus de Seraphim* etc. Illic Angeli veluti testudineo gressu adventant in Lothi auxilium; hic autem Seraphim praepetibus pennis involat Prophetae labia emaculaturus: cur ita? Sed advertas obsecro, e quo loco mittatur Seraphim; nimirum a Dei solio ac throno, *Vidi Dominum super solium excelsum et elevatum:* in quo Deiparam Virginem adumbrare constans est interpretum censio. *Per illam apparitionem in effigie hominis sedentis significabatur Deus humanandus in persona Filii:* aiebat Lyranus inibi. Nihil ergo mirum, si Angelus celerius volet in hominum auxilium, cum de throno materno Mariae opem nobis allaturus delabitur. Ad Mariam ergo recurrat quisquis gratiam quamlibet sibi citius adipisci exambiat, quia in misericordiae tribunali praeses effecta est: ideo plures B. Virginis gratiam ambiunt, adamant, subornant, et extorquent postulatibus, quam Gnati Mariae: ergo veluti effusa clementia a Filio bene perspecta, Matrem quasi increpat in nuptiis Cana, veluti eius postulatibus abnuens verbo, ne, si homines intelligerent, quidquid a Filio deposceret Mater, sine repulsa obtinendum, abuterentur utique tanta clementia, ac scelera sceleribus accumularent, Dei Genitricis mititate innixi: ergo ut tantam compescat hominum proterviam, Matris postulata, severiori vultu, et asperiori responso excepisse visus est. Marianum igitur nomen pietate tinctum misericordiam sonat; nihil in Deipara austerum, nihil durum. Quod si vel minimum indignationis signum unquam occurrerit in Maria, de caetero suspecta tibi sit, et ad ipsam accedere abnue.

Ait Christus Dominus, Matth. 13: *Simile est Regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo* etc. *vendit universa quae habet et emit agrum illum.* S. Gregorius in praedicta verba ait: *Quem Thesaurum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renunciat, et terrena desideria per caelestis disciplinae custodiam calcat.* O nimium quaestuosa nun-

dinatio, per quam rebus perituris aeternum duratura, terrenis coelestia mercamur! Verum hunc thesaurum Christum intelligimus cum aliis, agrum Mariam cum Epiphanio, serm. de laudibus Mariae: *Ipse est ager minime cultus.* Sed cur homo invento thesauro illum venditis omnibus non emit, sed agrum? nisi forsan ut citius, melius ac firmius possideat thesaurum, nempe Christum: cum suorum omnium bonorum dispendio agrum emit, scilicet Mariam sibi comparare studet, obsequiis subornare satagit; nimirum quia, ut ab Anselmo erudimur, citius quaeritur, ac securius possidetur Christus nomine Mariae invocato, explicat Richardus de s. Laurentio, lib. 10 de laudibus Virg.: *In nido*, inquit, *ponit et fovet avis sua ova, et pullos: sic vir iustus opera, et bonos actus in Maria: Maria nidus columbae, idest receptaculum Spiritus sancti.* Quisquis ergo amat bonos virtutis actus, ac opera sua adolescere, ac in fructus uberrimos multiplicari, hoc unum studeat, ut in nidulo Mariae illa deponat, ipsius gratiam enixe sollicitans; sic utique foecundo foetu et plurimis gratiae auctibus in vitam aeternam succrescent. Vis ergo sponsum firmiter, ac perseveranter, et omnino secure tenere, ita ut nunquam a te elabatur? Dicito cum sponsa Cant. 3: *Tenui, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae.* Quia igitur anima introducit sponsum in domum Matris suae, nempe Mariae; ideo eum firmiter et secure tenet. Hinc bene monet D. Bonaventura in speculo, c. 6, ut qui Christum florem quaerit, illum quaerat in virga Maria: *Quicunque septiformem Spiritus sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus sancti in virga quaerat: per virgam enim ad florem, et per florem ad Spiritum in eo requiescentem pervenimus. Per Mariam ad Christum accedimus, et per Christum, gratiam Spiritus sancti invenimus.* Flos a virga revulsus bene quidem redolet; verum fructum nullum affert; quare si cupis habere fragrantem, et fructificantem, eum in virga quaere, alioquin tibi forsan infoecundus erit, ac fructibus viduus.

1381. Sedula illa Ruth reiectaneas colligens spicas, et in Boozi area reponens, Mariae umbram praeferebat. Ruth, teste Bonaventura in speculo, *Festinans* interpretatur, seu *Videns.* Maria statim atque cuiuslibet afflictionem viderit, accelerato gressu, ac festinis passibus in remedium occurrit. O quoties Deus paterfamilias, Dominus huius mundanae messis, et Filium suum, et Apostolos ac Doctores mittit, qui solerter Dei novalia demeterent; quorum messorum oculos plures praetervolant spicae, aeternis arsurae flammis, nisi solers Ruth Maria rationabiles has spicas in horreum congregaret! Succurrat D. Bonaventura citatus: *Ruth in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, idest animas, a messoribus derelictas colligere ad veniam possit. Qui sunt messores, nisi Doctores et Rectores? O vere magna Mariae gratia, qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui a Doctoribus, et a Rectoribus tamquam incorrigibiles derelinquuntur!* In cuius confirmationem advoco testem Ecclesiam, quae pangit de Maria: *Intrent ut astra flebiles, caeli fenestra facta es.* In quae verba Augustinus sic habet: *Facta est Maria fenestra caeli, quia per ipsam Deus verum saeculis lumen dedit: sicut enim in cubiculis domorum, pro maiori luce ac illustriori claritate, fenestrae aperiuntur; sic facta est in coelo fenestra Maria Deipara, ut per eam maior nobis claritas illucescat.* Sed commodius ad nostrum intentum flecti possunt praedicta verba. Cum igitur permagno tibi conducit domus cuiusdam ingressus, si aditus interdicitur, foresque concluduntur, nullum aliud superest remedium, nisi adhibita scala per fenestram tibi aditum aperire. Permagno quidem interest nostrum omnium caelestem Beatitudinis domum ingredi, cuius ostium Christus Dominus, Ioan. 10: *Ego sum ostium, per me siquis introierit* etc. Sed forsan peccator tanti ostii maiestate terretur, vel, quod verius est, suis sceleribus hoc ostium quasi ferreis repagulis interclusit: quid remedii superest, nisi adhibere scalam illam Iacob, quae coelum usque pertingit, Mariam scilicet, quae eadem facta est coeli fenestra, ipsaque ita interveniente, quilibet quantumlibet sceleribus oppressus caelorum palatia conscendit, verumque evadet effatum: *Intrent ut astra flebiles, caeli fenestra facta es?* Quo spectabat Bernardus, serm. de Nativit. Mariae, dum ait: *Forsitan in ipso (nempe Christo) maiestatem vereare divinam: quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatam habere vis ad ipsum? Ad Mariam recurre.*

1382. Et quod magis est, ipse Christus Dominus ab aeterno Patre subeundae morti opem efflagitans, Matris suae merita ante oculos proponit: *O Domine, quia ego servus tuus sum, et filius ancillae tuae*, ait ex ore Davidis, Ps. 115, 16. Sanctissimae ergo Mariae merita aeterno Patri praesentat Christus D., ut postulatis annuat; ac si diceret: Fac, Pater omnipotens, ne me tot, tantisque doloribus cinctum peracerbae mortis derelinquas, tuam quippe mereor opem, utpote verus et unicus Filius Mariae Virg., quam mihi inter omnes foeminas in Matrem ab aeterno delegisti: tanta ergo Mariae gratia in Deum, tanta potentia, ut etiam ipsemet Deus homo illius promerita coram aeterno Patre proponat, illorumque suffragio a Deo praesidium ac robur impetrare confidat. Quo facto nos admonet, quam sit tutissimum ac validissimum subsidium nominis Mariae invocatio, praesertim in extremo mortis discrimine. Unde merito quidam ex antiquis Patribus inclamare consueverat, Mariae nomen esse portarum Paradisi reseramentum, hoc est, clavim magistram coelestium forium, quae pro diversis uniuscuiusque praedestinati meritis diversae etiam sunt; alia martyri, alia confessori, alia virgini ad caelorum ingressum: sed reserandis omnibus una Mariani nominis clavis magistra a divino Artifice fabricata.

Maria itaque quasi praepetibus pennis, alisque celerioribus euro, in nostram advolat salutem; ita ut, si fas sit dicere, ipsum Spiritum

sanctum, ut velocius in nostrum commodum occurreret, in Maria veluti in rheda velocissima adveniret, nostram salutem operaturus. Mentis oculos converte in illud primum orbis nascentis exordium, et huius rei umbram inspice: ait sacer Textus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: profecto insolens isthaec super undas rates; et quidem hic lis esse potest, quisnam velociori cursu incedat, ventus, an unda. Hucusque ventus semper palmam in celeriori cursu ab aquis reportavit, siquidem ipse undas ciet, aquas commovet ac concitat, pelagique latera assiduo verbere quatit, calcaribusque adhibitis stimulat, ut cursum acceleret: nunc autem, id est in primo illo mundi natalitio, pro aquis stetit victoria, dum undae spiritum ferunt, cient, ventum impellunt admotis aquarum undantium calcaribus. Perpulcrum, mehercle, spectaculum, inspicere aquas, ventosque, duo nobilissima elementa pugnam adoriri aemula concertatione, ac de celeritate cursus contendere. Cursum itaque arripiunt veloci pede, imo praepetibus alis, aemulo nixu, ancipiti victoria; mox tamen priores cursum conficiunt undae, metamque contingunt, ventumque ad terga relinquunt, quasi creberrimo anhelitu defatigatum. Sed o velox Maria, tua est victoria et triumphus, tibi undae applaudunt, tibi victoriam adscribunt; vel ipse sacer Spiritus sub venti nomine adumbratus cursum continet, ut tu celerius in animarum emolumentum involes, ut velocius in hominum commoda incumbas. Ferebatur Spiritus divinus super aquas, et aquarum congregationem appellavit maria, non sine grandi mysterio, ut vel etiam a tui nominis syllabis aquae velocitatem auspicarentur. *Spiritus sanctus*, ait Amedaeus, homil. 3 de laudibus Virg., *super aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius et mirabilius, quam cum ferebatur super aquas a principio, et materiam creationis in distinctionem formamque produceret.* Spiritus s. nominis Mariae lecticam, ac vehiculum affabre elaboratum sibi assumpsit, ut velocius in hominum commoda accurreret: ideo in prima orbis genesi aquis equitatur, et super maria incedit, ut iam quasi in hastiludio experimentum capiat, quo modo labentibus annis in Maria adventaturus esset, ut hominum saluti prospiceret, non tardo pede, sed velocibus gressibus, celerique volatu.

1383. Gaude igitur anima tanto felix nomine, insonet illud auribus tuis, inhaereat cordi, infigatur pectori, altas agat radices imis in visceribus, palato adhaerescat, ori adglutinetur, nulla te dies, nox nulla, hora nulla sine hoc comite. Aves dulcedinem? melle et favo est dulcius: *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua eius*, Cant. 4: imo ausim dicere cum Richardo a s. Laur. l. 1 de laudibus Deiparae, c. 2: *Sicut nomen Iesu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus; sic et nomen Mariae, et etiam amplius, si dicere audeamus. Iesus enim quasi superbum nomen est, et nimium potens, nostrum humilius nomen decet affectus; ut si in Iesu aut Deitatis, aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum suspectum: Mariae nomen muliebre est, mansvetudinem praeferens, et commendans; quod si sexum verearis pro eo quod et sibi et aliis fuit in ruinam, Virgo est* etc. *haec est enim quae Iesum peperit, remedium attulit, salutem propinavit.* Venaris odores? Odorifera exhalat aromata fragrantiora unguentis optimis. *Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum: odor unguentorum tuorum super omnia aromata*; Cant. 4. Vina te delectant? Audi intonantem: *Quoniam meliora sunt ubera tua vino. Introduxit me Rex in cellaria sua: Exultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum*, Cant. 1. Et iterum propinantem: *Bibite, et inebriamini carissimi*, Cant. 5. Iterumque: *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum.* Alliceris pulcritudine? habes iamdiu decantatam: *Pulcra ut luna, electa ut sol.* Amas modulatas voces? Ausculta et ad canendum provoca cum Sponso, Cant. 2: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Vis hoc nomen robore plenum, et adversarias phalanges debellans ac terrafaciens? *Turris est David, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Et iterum: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Vis omnis sapientiae et eruditionis anacephaleosim? *Sapientia aedificavit sibi domum in Maria, excidit columnas septem.* Id est totidem gymnasia, quae si avide frequentes, quantumvis scientiarum omnium avidissimus, famem saturabis, sitim extingues: ab huius enim nominis divite vena Doctores omnes, quotquot novimus, quidquid illis inerat sapientiae et eruditionis hauserunt. Ambis nobilitatem, regiumve nomen? Audi inclamantem: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Demum quidquid optaveris, in hoc uno nomine reperies, imo plus quam vovere possis. Maria insideat cordi, Maria tecum excubias agat, indormiat tecum. Incedis? dirigat illa gressus Quiescis? muniat illa latus. Studes? illa te instruat, illam magistram intuere. Loqueris? labris insidens verba instillet. Taces? illa te casta silentia edoceat. Scribis? Maria calamum moveat, ac moderetur. Operaris? manus admoveat, et regat. Oras? illa preces ad Deum tanquam precum lectica adsportet, et procul dubio postulata consequeris. Amas? nullo alio permitte amore te succendi, nisi ab eius pharetra eiaculato. Merito ergo venerabilis P. Petrus Canisius, l. 1 de Deipara, cap. 1, agens de hoc nomine ait: *Si ullum aliud venustum, praeclarum, et gratiosum nomen ulli contigit mortalium, quod scribi, legi, decantari, pingi, sculpique mereatur, id Mariae nomen videri potest; dignum sane quod in omnium oculos, aures, et mentes incurrat, magnaque cum reverentia, et privatim, et publice nominetur.* Finem faciat Certamini piissimus Idiota, lib. de Contemp. V. M. c. 5, ubi haec habet pluscula verba: *Vocabitur tibi nomen novum, o Beatissima Virgo Maria, quod os Domini, scilicet, Filius Dei, qui est os Patris per Angelum nominavit, videlicet, Gratia plena: po-*

stea vero nomen Mariae expressit dicens: Ne timeas Maria, dedit enim tibi Virgini Mariae tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti Filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, uti manifeste patet, coelestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiam et virtutem. Non enim est in ullo alio nomine, post nomen superbenedicti Filii tui, tam potens adiutorium; nec est aliud nomen datum sub coelo hominibus, post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia Sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat coecos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, et iugum diaboli extrudit. Fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria, prius clausa fuit, quandiu in mundo morata fuit, sed post Assumptionem tuam in coelum, divulgata super omnia mundi climata: nam in praedicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus tui sanctissimi nominis, et manifestum toti mundo factum est. Tantae virtutis et excellentiae est tuum sanctissimum nomen, quod ad invocationem ipsius coelum ridet, terra laetatur, Angeli congaudent, Daemones contremiscunt, et infernus conturbatur. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, o Maria, quod mirabiliter emollit, et penetrat duritiem cordis humani. Ideo scribitur Lucerna Domini, Spiraculum hominis, quae investigat omnia secreta mentis; sic etiam dicere tibi possumus, Lucerna Dominae, id est Mariae, quae doctrix et magistra maris interpretaris; spiráculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniae et gratiae, quae investigat, idest investigare facit omnia secreta mentis. Confidenter igitur dicere quivis poterit cum doctore religiosissimo Laurentio a Ponte, t. 2 in lib. Sapientiae, c. 14: *Si Maria propter peccatores, scilicet propter me, meique similes, facta est Dei Mater; quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit, ut eorum veniam desperem? Quare si ipsa omnium Mater, specifice tamen peccatorum.* Addit nescio a quo fonte: *Unde in coelo, ni fallor, non solum Christiferi, sed et Marianitae dicemur, nec solum in fronte signum T, sed et Mariae circumferemus, utpote praecipue salvati ab ea, praecipueque sui.*

CERTAMEN IV.

Utrum sanctum Mariae nomen ex opere operato aliquid operetur.

1384. Hic praelibandum est, aliqua esse sacramentalia ex institutione Ecclesiae, ut aqua benedicta, panis benedictus, benedictio episcopalis, et alia eiusmodi. Alia vero sunt sacramentalia ex voluntate Dei, in quibus est annumeranda crux, iuxta plures; quibus favet Augustinus, lib. Quaest., q. 79, cuius haec sunt verba: *Nec mirum quod haec signa valent, cum a bonis christianis adhibentur; quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.* Quod idem est ac dicere, *ex opere operato* crucem operari. Plures etiam sustinent, sacramentalia ex institutione Ecclesiae operari ex opere operato. Ita Bellarminus, l. 2 de imaginibus, c. 30; Valentia, t. 4, d. 7, q. 4, p. 1; Suarius, 3 in 3 p., disp. 15, cap. 4; Tyrraeus, l. de daemoniacis, n. 611. Scio oppositum tenere plures Doctores. Videndus Azorius. At vero sacramentalia ex institutione Christi operari ex opere operato, communi Doctorum calculo comprobatur.

Censeo 1.° sanctissimum Mariae nomen nihil operari ex natura sua, neque ex institutione Ecclesiae: nihil enim tale reperitur, quod ad id asserendum nos cogat. Quod aiunt aliqui Doctores de nomine Iesu, vel etiam Mariae, ex natura rei, sive ex naturali potestate, Daemones e corporibus expellere, omnino reiiciendum est: pro quo stare videtur Burgensis, I Reg. 16, qui musicae et quibusdam aliis qualitatibus naturalibus eam vim tribuit: quod longe a veritate videtur abesse; siquidem substantia spiritualis Daemonis non apparet, qui possit aliquid pati a qualitatibus naturalibus naturali modo operantibus; quare nec cogi poterit, ut prolato vocis sono, nativa vi a corpore humano discedat et abigatur; nec poterit impediri, ne hominem obsideat, et vexet. Deinde id fieri nequit per efficientiam aliquam physicam, saepe enim nullus intervenit effectus, qui per physicam actionem producatur; hic enim effectus nullus apparet in homine obsesso, neque in ipso Daemone praeter motum localem, quia compellitur illinc recedere; quod tamen non semper accidit, cum solum interdum impediatur, ne noceat, etiamsi loco recedere non cogatur; tunc autem concipi nequit, quisnam effectus physicus in Daemone producatur, aut quomodo per aliquam actionem physicam impediatur; sed solum virtute aliqua divina interveniente, quae illum cogat, ut subtrahat concursum; fit ergo effectus ille non physice, sed moraliter.

Per haec Zoar, et alii circulatores superstitiosi vanissimi exploduntur, qui litteris ac syllabis quandam inesse sympathiam cum caelestibus corporibus fabulantur. Aiunt enim Adamum non quascunque literas sine delectu assumpsisse, cum nomina brutis et aliis rebus indidit, sed eas solum selegisse, quae sympathiam et consonantiam dicerent cum syderum influxibus, et re denominata ad plura quaedam, et magna perpetranda. Quas superstitiosas nugas, et fabellas concilium Antiochenum sub anathemate damnavit: eodemque gladio iugulata manet huic adsimilis opinio Origenis, lib. 1 contra Celsum, c. 5, Alexandri Tralliani, lib. 11 et 12, c. 7, Pauli Grillandi, Georgii Veneti, Alphonsi Mendozae quaest. 10 Polit.; quae adstruit, nomina sive per se sumpta, sive in aliorum verborum compositione sumpta, ratione soni aut pronunciationis, aliquam habere efficaciam ad aliquos effectus. Ac proinde consequenter diceret, sanctum Mariae nomen ratione syllabarum, vel literarum, effectus aliquos producere, vel praecise ob litterarum numeros, quos continet; vel ob sympathiam, sive cognationem cum

astris. Haec, inquam, omnia et alia eiusmodi deliria merito exploduntur, et sub anathemate interdicuntur.

1385. Censeo 2°, ex pacto, sive institutione divina nomen Mariae plura operari *ex opere operato*. Cui assertioni succurrere videtur s. Augustinus citatus: nec enim mirum videri debet, quod Marianum nomen tantum efficaciae contineat, cum a fidelibus profertur, quando etiam cum usurpatur ab extraneis, et nostrae fidei infensis, propter honorem tantae Imperatricis ad plures effectus producendos valeat. Favet Delrius, lib. 6 disquis. mag., c. 2, sect. 3. Sapiens Idiota, lib. de contempl. V. M., cap. 5: *Tantae virtutis, et excellentiae est tuum sanctissimum nomen, Beatissima Virgo Maria, quod ad invocationem ipsius, coelum ridet, terra laetatur, Angeli congaudent, Daemones contremiscunt, et infernus conturbatur.* S. Bonaventura in speculo, cap. 3: *Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum aciem copiosam, sicut aereae potestates Mariae vocabulum?* Clarius s. Bernardus, deprecatione ad Virg. huic censioni adstipulatur: *O multum amabilis Maria*, inquit, *tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectum diligentium te: tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita memoriae portas ingrederis.* Ubi nomini Mariano ex divina virtute dulcedinem quandam inesse censet. Plures alii Patres referendi auxilium ferunt. Et Canisius, l. 1 de Deip., cap. 1, suo suffragio confirmat: *Proprium*, ait, *Deiparae nomen ad tantae Matris honorem, et sanctitatem relatum, ac pie reverenterque prolatum, multis saepe prosit, et singularem quandam energiam divinamque virtutem continet.* Saepe autem expedit hominem malis exerceri, et calamitatibus urgeri, ne aut arrogantia intumescat, aut ut ad meliorem vitam, nempe caelestem inquirendam vehementius excitetur, aut ob alias urgentes causas, et tunc effectus illos non operatur prolatio huius sanctissimi nominis, Deo id ita iubente; quod tradit Chrysostomus, homil 9 in epist ad Coloss. de sanctissimo nomine Iesu sermonem instituens: *Morbis imperans terribile est hoc nomen: et si non abegeris morbum non hinc est quod infirmum sit hoc nomen, sed quod utilis sit morbus.* Probari potest assertum ratione ducta a simili; invocatio nominis Iesu operatur aliquos effectus ex opere operato, quia a pravis hominibus prolatum adhuc est efficax, ut ponderat Origenes contra Celsum lib. 1; multi enim, ut inquit Christus Dominus, dicent in die illa: *In nomine tuo daemonia eiecimus, et virtutes fecimus.* Sed pari ratione Mariae nomen a pravis invocatum, saepe operatur effectus mirabiles, ut constat experientia, et veterum monumenta passim scriptis commendarunt; ergo nomen Mariae ex opere operato aliquos effectus mirabiles operatur, instar sacramentalium, ex institutione divina. Et firmari potest, quia signum crucis hos effectus ex opere operato producit, ergo et nomen Mariae: nihil est enim cur sacro crucis signo id competat, et Mariae nomini denegemus. Antecedens probat Gretserus, lib. 4 de sancta Cruce, cap. 44, et deinceps. Serarius in cap. 2, Iosue, qu. 14. *Sicut Christus*, Lactantii verba sunt, lib. 4, cap. 27, *cum inter homines ageret, universos Daemones verbo fugabat; ita nunc sectatores eius in nomine Magistri sui, et signo passionis eius, eos ab hominibus excludunt.* Eadem ratione ait Idiota, lib. de Virg. Maria, c. 5: *Mariae nomen est quoddam sacramentale ex institutione divina, et prolatum, seu scriptum quasi ex opere operato miros effectus producit.* Deinde orationes Ecclesiae esse Sacramentalia quaedam, aiunt Caietanus, Ledesma, Lopez, Corduba, Medina citati a Sanchez, Consilior. lib. 7, c. 2, dub. 10. Ulterius clausulis sacrae Scripturae, sive scriptis, sive prolatis, similis efficacia tribuitur ex opere operato a D. Chrysostomo, hom. 3 de Lazaro, et hom. 36 in Ioann., ab Hieronymo etiam, epistola 34 ad Iulianum, a Iustino orat. 2 ad Graecos, ab Ambrosio in c. 4 Lucae, ab Antonino, tit. 11 de sacrae Scripturae utilitate, c. 2, § 2. Ergo cum Mariae nomen sit ex praecipuis partibus novi Testamenti, similes effectus ex opere operato producet.

Hinc Albertus M. in cap. 1 Lucae, vocat Mariae nomen, velut alterum Baptismum, ait enim: *Si illecebrae carnis te trahant, et superantes iam ad illicitas delectationes te propellant, baptiza te in amaritudine maris, et nomina Mariam, et sic pro certo in te experieris, quod iuste vocatum est nomen Virginis, Maria.* Itaque ex mente Alberti ex infideli Baptisma fidelem facit; sic Marianum nomen ex turpi, hominem continentem reddit. Dices; ergo invocatio nominis Mariae erit verum Sacramentum, quia ex opere operato suos causat effectus, sicut Sacramentum. Sed latum est discrimen inter nomen Mariae et sacramenta; haec enim producunt gratiam sanctificantem tanquam immediata instrumenta: at nomen Mariae producit tanquam instrumentum immediatum plura effecta, ut dicam statim, non tamen effectum gratiae sanctificantis saltem immediate. De sola invocatione s. Ioannis Baptistae, ait Theodorus Studita apud Metaphrastem, orat. de natali Praecursoris: *Servile reddentes debitum, et iussum implentes spiritale, et tanquam qui simus sanctificandi ex sola Praecursoris commemoratione, nostram ostendimus audaciam.* Quasi diceret, solam Ioannis commemorationem, et sui nominis invocationem habere virtutem ad sanctificandum; quod non ita intelligas, ut immediate Ioannis nomen sit instrumentum gratiae sanctificantis productivum; sed alicuius sanctae motionis, per quam homo vere conteratur, et ad meliorem frugem traducatur: quod multo melius in augustissimum Mariae nomen quadrat. Huc spectat Methodius, orat. in Hypapan., cum ait: *Dei Genitricis nomen divinis benedictionibus, et gratiis omni ex parte refertum est.* Et D. Bonaventura in Speculo, cap. 8: *Denominari non potest Maria sine nominantis utilitate.* Et Canisius, lib. 1 de B. V., cap. 1: *Mariae nomen singularem energiam, divinamque virtutem continet.*

1386. Censeo 3.° effectus, quos efficit Mariae nomen ut plurimum, hi sunt; nempe fugare Dae-

mones praesertim mortis tempore, pudicitiam animo ingerere, spiritualem quandam dulcedinem immittere, timorem expellere, securitatem imprimere, et animum moerentem recreare ac permulcere. De primo effectu ait s. Germanus, orat. de Zona Deiparae: *Invocatione tui nominis, nequissimi hostis invasiones repellis.* Idem docet s. Bonaventura in Psalt. Virginis: *Ab invocatione nominis tui trepidat spiritus malignus.* Quod potest contingere apprehenso nomine Mariae tanquam obiecto valde Daemoni disconvenienti: sicut ipsa animalia proposito obiecto sibi difformi, ad illius propositionem perhorrescunt, instinctu quodam naturali, statimque diffugiunt, hoc est speciebus sibi immissis de disconvenientia talis obiecti; sic obiecto nomine Mariae Daemoni, sibique ante oculos mentis proposito, contremiscit, et procul abigitur; siquidem excitantur species foeminae, per quam sibi perditio omnis, ac ruina invecta fuit. Quod firmari potest doctrina illa aliquorum Theologorum asserentium non aliter torqueri Daemones ab igne tartareo, nisi apprehensione vehementissima illius ignis sibi maxime disconvenientis; ex quo obiecto sibi validissime proposito validissimus cruciatus subsequitur, illos potentius, quam mille aliis tormentis excrucians. Quare bene vocatur sacrum Mariae nomen, armatura invicta contra Satanam, timor daemonum, gladius ipsorum et flagellum, vexillum contra Diabolum, trophaeum clementiae, hasta qua Diabolus lethale vulnus accepit, vallum sacrosanctum et inexpugnabile, linguae decus, munimen vitae, triumphalis vox, praestans adversus peccata medicina.

Libet hoc confirmare ex iis, quae narrat P. Hadrianus Lyraeus in suo Mariano Trisagio, lib. 3, tono 8. Prope urbem Neomagum, in oppido quodam degebat sacerdos rure, pius, ac timens Deum, nomine Gilbertus, cum quo aderat neptis nomine Maria, rebus domesticis incumbens, quae ab avunculo Neomagum mittitur coemptura quae opus erant domui: accepto mandato, et si forsan serius factum esset, pernoctaret in urbe apud amitam quandam, die sequenti bene et honeste comitata domum rediret. Petiit ergo Neomagum Maria, ac rebus emptionis rite absolutis, iam sol in occasum tendebat; ne ergo sola per tenebrosam noctem domum remeare cogeretur, libuit iuxta avunculi praescriptum ad amitam divertere; quae rixata cum muliere vicina, furore percita, ac nimis commota bilem in neptem innocentem evomuit, probris lacessivit, hospitium denegavit: consilii inops Virgunicula, quo se vertat, et divertat prorsus ignorat; ab amita dimissa, nocte adventante, urbe egreditur moesta, omnique solatio destituta, ac demum iuxta moenia prope sepem afflicta consedit; ubi variis desperationum assultibus quatiebatur, ac tandem ab illis demolita, et superata non Deum, eiusque Divam Parentem, non Divos ut antea, sed Daemonem in auxilium vocat, ut vel laqueo vitam finiat, vel in praecipitium se dedat, vel aquis se submergat. Cum subito ille medici circumforanei personam agens, illac forte transiens, Mariam alloquitur moeroris causas perquirens, auxilium, opemque large pollicetur, eventum felicem spondet; ac sibi res fore laetissimas, suis solummodo consiliis acquiescat: attentas dabat aures desolata, ac moerens puella, iamque in astutissimum colubrum affectus post auditum transibat; cum ecce Daemon, ut nomen suum abdicet, quod iam casu extulit, enixe persuadet; et in aliud grandius ac melius commutet; sibi enim exosum semper fuisse, et ominosum Mariae nomen, quo velut aqua iniecta frigidissima, suus iam grandis in eam affectus ac propensio necessario tepesceret, et prorsus evanesceret. Illa ex adverso non parum his territa, respondit, illud quidem nomen sibi semper iucundissimum fuisse, ac in deliciis habuisse; cuius Dominae auxilium saepissime experta fuerat, et a teneris annis plurima ab ea beneficia acceperat. Hic Momus (hoc enim se nomine compellaverat Daemon sub persona medici) frendere coepit, ac illud vocabulum tanquam propudiosum execrari, ac maledictis impetere; imo discessum ab ea e vestigio minabatur, nisi nomen illud in aliud mutaret, et crucis signaculo non se muniat in posterum. Cui respondit puella: Crucis signum libenter omittam, verum Mariae nomen nunquam dimittam, quia medullitus affixum inhaeret, cuius nomenclatura gaudio perfundor, ac moestus animus exhilaratur. Dissecabatur ad haec furore percitus ille Momus: sed ne captam unguibus praedam relinquat, viam mediam capessiit. Agedum, inquit, cum adeo tibi sit in amore putidium hoc nomen, illoque te exuere non pateris, saltem contenta sis, ut primam initialem litteram retineas, reliquas missas facias; ac deinceps vocari poteris *M*, seu *Emme*, loco *Mariae*. Acquievit consilio Momi misera puella, licet nondum omnino miserrima, quod Mariani nominis affectum satis indicarat; eiusque cultum saltem vel uno pendentem licio, nempe priori elemento teneat. Quid plura, bone Deus! quibus se sceleribus attaminaverit haec puella tali comitata socio, quis prodat? illo siquidem tanquam marito utebatur; flagitiis obrutam nefariis, turpissimisque facinoribus infamem vitam traduxit Antuerpiae, et alibi; sed demum *Emme*, sexto iam anno labente, iam scelerum ipsorum taedio affici coeperat, procul dubio Virginis Deiparae beneficio, ut par est credere, erga suam cognominem quondam. Suadet illa suo coniugi Momo, ut Neomagum ad urbis festa proficisci per se liceat: precibus tandem, ac querelis id impetrat, sed cum hac pactione ut ambo proficiscantur. Gaudet plurimum *Emme*, sic enim existimarat abdicatis flagitiis in meliorem frugem se posse recipere. Itaque Neomagum cum Momo, ipso ss. Trinitatis festo ingreditur sub meridiem, ubi in foro dialogus peragebatur de pia Matris Dei misericordiae apud Filium suffragatione, quo audito, *Emme*, veteres pietatis scintillas, si quae demum in cinere superessent, excitare satagebat; et paullatim anteactae vitae omni scelerum colluvie contaminatissimae pudore affici, dolore conteri, lacrimis exundare coepit. Quod Momus videns eam ad disces-

sum modis omnibus sollicitabat, sed incassum; quo ira excandescens, deposita, quam hactenus sustinuerat, persona, coniugem *Emme* ex ipsa orchestra, quae secum considebat, arripit amplexu suo, atque in sublime coram omni theatro actam in terram deturbat, in certam, ut ipse reputabat, stragem ac necem. Sed favente Maria a collisione et casu incolumis servata est. Accidit autem, ut ibi praesens adesset inter tumultuantem turbam unus e numero spectantium avunculus Gilbertus, qui neptem suam agnoscens, apud se recepit, eamque spe maxima, et fiducia adversus daemonis Amasii fallacias, et desperationum suggestiones corroboratam, ad vicinam Sacerdotis domum detulit, ut animo et corpori medicinam afferret. Verum cum tot ac tanta flagitia audiret sacerdos, maioris medici manum exposcere visum fuit; quare ad vicinio-rem episcopum adducta fuit: qui adhuc ausus non fuit manum medicam adhibere tanto morbo, adeoque ad romanum Pontificem curandam remisit. Quis autem explicet, quantis infernalis ille Momus iter hoc insidiis praepedire tentaverit? sed incassum: tum quia sacerdos avunculus decenti in theca sanctissimam Eucharistiam secum assumpsit, tanquam viaticum in via adversus tantum hostem; olim enim ita factitatum, ait Angelus Rocca in peculiari commentario de hoc ritu: tum quia poenitens *Emme*, iam *Maria*, patronam Mariam saepius implorabat, saepius nomen Mariae invocabat. Tandem uterque peregrinus, avunculus ac neptis, Romam appulerunt, ubi, facta flagitiorum confessione coram summo Pontifice, in poenam tantorum scelerum ac in expiationem peccatorum suscepit, ut tribus annulis ferreis collum ac brachium utrumque tandiu constringeret, donec vel attritu vel Dei manu aliquando dissolverentur: quam poenam hilaris ac gaudens suscepit, omnem suam spem in unum Deum, et misericordiae Matrem reponens, cuius auxilio et suffragatione tantorum criminum abolitionem sperabat. In patriam ergo ambo remearunt, ubi conversis illis ac poenitentibus mulieribus, quae illic sub invocatione s. Magdalenae Deo famulabantur, enixe nomen dedere poposcit: atque illis aggregata magnos in virtute progressus in dies facere conata est: iam decimusquartus annus vertebatur, ex quo isthinc commorabatur, cum, dum nocte quiesceret, tribus illis circulis ferreis ab Angelo disruptis, iam se omnino Deo conciliatam cognovit; postea biennio supervixit, et anno altero optato fine animam Deo reddidit.

Ubi vides vel nominis Mariani unicum elementum, quantum valeat ad Daemonem superandum: sicut ergo Deus litteram nominis sui Abraham addidit, ut ostenderet eum ad amicitiam suam peculiariter advocare, et ut ampliora coelestia dona promereretur; ita etiam vel unica littera nominis Mariae apud nos servata, Diaboli technae aperiuntur, insidiae prorsus evanescunt, et adversus omnes eius versutias munimur. Apte Thomas a Kempis, serm. 4 ad Novitios: *Expavescunt*, inquit, *coeli Reginam spiritus maligni, et diffugiunt audito nomine sancto eius, velut ab igne; horrent sanctum et terribile nomen Mariae, non audent apparere; nec possunt sua ludibria exercere, ubi noverint nomen clarere sanctae Mariae: tanquam ad tonitruum de coelo factum, sic prosternuntur ad sanctae Mariae vocabulum, et quo saepius illud profertur, ac desiderabilius invocatur, eo citius et longius ipsi fugantur.*

1387. In tartara ergo detruduntur Daemones, pavidique aufugiunt, invocato nomine Mariae: si ergo exoptas illa mortis hora, discissis hostium telis, confractis Daemonum armis, elusis eorundem technis, debellatis tartarorum phalangibus, ovare victor, ac triumphum agere; Mariam saepius invoca. Audiamus Bernardum, quem refert Bonaventura in Speculo, lect. 2: *Non sic timent hostes visibiles hostium multitudinem copiosam, sicut aereae potestates Mariae vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt, et refluunt, et pereunt, sicut cera a facie ignis, ubicunque inveniunt crebram huius Nominis invocationem.* Ideo sapiens et pius Idiota de laudibus Virg., cap. 5, ait: *Super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat caecos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, et iugum Diaboli extrudit fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria.* Igitur iuxta hunc Doctorem, ad ultima illa mortis subeundae certamina, ad illos superandos agones, oleo Mariani nominis effuso ungi debet quilibet christianus athleta, quo eius imbecillitas firmetur, omnique excusso terrore luctam adorietur, aereasque potestates superabit: sic firmi ac constantes stabunt, quotquot in mortis discrimine hoc Mariae nomine muniuntur: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Cur ita? Procul dubio, ut quemadmodum nos in Christo, huic vitae mortali peperit, ita et in morte nos in vitam immortalem ederet; adest Christi Filii morti, ut ex tunc doceamur, illam morti reliquorum filiorum in posterum affuturam: ob id ergo Filio nascenti et morienti Maria adstat, ut erudiremur, Matrem pientissimam filiorum Dei genesim exoptare, maturare ac fovere, tum et nostrae morti assistere, suum auxilium praebiturum, animosque corroboraturam, ut in meliorem vitam Deo renascamur. Ideo Christus Dominus sibi in morte sociam ac comitem adscivit Matrem, ut et postremus eius halitus verbis Mariam sonantibus in Patrem Superum abiret. *Mulier*, Matrem alloquitur Io. 19, *ecce filius tuus*: Matris vocabulum personant ultima Christi verba, nos utique edocens, ut, si velimus feliciter brevem huius vitae periodum absolvere, ac faustis auspiciis cursum peragere, postremos halitus vitae cum nomine Mariano commixtos edamus, Maria socia ac comite, ac veluti in eius ulnis occumbamus, sicut Christus: id enim sonare videntur verba illa Ioannis 19: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Caput in terram flectit, ubi aderat Maria, dum moritur Christus. Verum, o Domine mi, caput in coelum attolle, ad Patrem profecturus, animos erige in astra conscensurus! Profecto sertum ac diadema discrimen subibit, ne in terram

abeat, dum caput sic in terram demittis; hoc autem diademate aculeis intertexto, omne nostrum imperium ac regnum innititur, quare caput eleva, et in altum contende. Verum merito Christus caput versus terram vergit, ubi adest Maria, quasi ad eius ulnas demissus, et inter eius brachia ultimum reddere spiritum exambiat, et sub Matris nominis invocatione ac praesidio, quantumvis diadema et sceptrum totius orbis periculum subeat casus; pluris enim erat apud Christum mors sub Mariano patrocinio, quam totius mundi principatus ac imperium. Adsint huic sensui auxiliaturi Hugo, qui ait: *Inclinato capite ex parte Mariae;* luculentius Philippus abbas, lib. 1 in Cantic. cap. 25: *Vidit Iesus stantem iuxta crucem Matrem, et discipulum, quem dilexit, et super istos, quos Spiritus sanctus obumbrabat, eo gratius, quo suavius requievit, et sole foris aestuante, cuius rabies eum implevit, et inclinato capite ad istam, tradens spiritum obdormivit.* E Mariano gremio in paternum sinum abire concupivit, ne quisquam in posterum audeat manus cum morte congredi, cum gehennalibus hostibus luctamen aggredi, quin prius Mariani nominis munimine protegatur, ac tantae Matris patrocinio praemuniatur.

Novitus assertum roboratur quoad hanc partem, eventu illo a Bernardino de Bustos comprobato, part. 12 de corona Mariae. Cum enim virgo quaedam B. Mariae addictissima passerculam quandam per multos dies edocuisset pronunciare, *Ave Maria;* iam satis edocta avicula frequenter praedicta verba proferebat, non sine audientium admiratione ac plausu. Quadam die accipiter rapacibus unguibus aviculam apprehendit, et in altum sustulit eam devoraturus, interim capta avis voces illas ingeminabat, *Ave Maria.* Mirum dictu! Accipiter verbis illis quasi iaculis confusus emortuus corruit in terram, avicula autem laeta, ac garriens de adsportato triumpho, in manus iuvenculae se dedit. Profecto si rationis impos avicula nuda Mariani nominis enunciatione ab unguibus accipitris immunis evasit; potiori iure qui pie ac reverenter et animitus Marianum nomen protulerint, a tartareis illis vulturibus in mortis discrimine triumphum reportabunt. Obsignet hunc effectum s. Bonaventura verbis illis, quibus s. Doctor enixe interpellabat Mariam, eius patrocinium ad postremum mortis discrimen implorans: *In exitu animae meae de hoc mundo, occurre illi, Domina, et suscipe eam, consolare eam vultu sancto tuo, ut adspectus Daemonis non conturbet eam: esto illi scala ad regnum coelorum, et iter rectum ad Paradisum Dei: sustine tibi devotos ante tribunal Christi; suscipe causam eorum in manibus tuis.* Sic ergo Mariae nomen praesidium, ubi fideles in mortis discrimine conquiescant. *Neque enim,* ait s. Germanus in Encomio de dormit. Deiparae, *tantum animae haustu respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur; neque enim vita, neque salus, neque reparatio sine Mariae nomine hominibus adest.*

1388. Alter effectus nominis Mariae est, pudicitiam animae ingerere; ideo vocat eam Chrysologus, serm. 146, *Virginitatis insigne, Nomen hoc renascentibus salutare: virginitatis insigne, pudicitiae decus.* Huc rovoca Albertum Mag. supra laudatum, et s. Bonaventuram in Spec. c. 7: *Plenum,* inquit, *mare audiamus contra vitia tonare, tonet ergo Maria, et plenitudo eius; tonet plenum mare contra luxuriam, castitatem proponendo; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et subdit septies in Evangeliis dulcissimum Mariae nomen insonuisse; nimirum quia in Mariano nomine adversus omnia septem capitalia vitia antidota reperiuntur. Maria ergo sanctitatem halat, carpit vitia, ac cunctis sceleribus abluendis fontem perennem exhibet. *Peccator es?* ait Richardus de s. Laur. lib. 1 de laudibus Virg. *Ad Mariae nomen refugias, ipsum solum superest ad medendum: nulla enim pestis tam efficax, nulla sic haeret, quae ad nomen Mariae non cedat continuo. Iustificatus es, sed forte tentaris supra vires, eo amplius tentatoris times insidias, quanto te ab eo expugnatum aliquando recordaris? Recordare quod Turris fortissima nomen Dominae nostrae; ad ipsum confugiet peccator in tentatione, et salvabitur.* Audistine, Luc. 7, mulierem illam, de qua inquit: *Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix,* nulla proprio gaudere nomine? et statim cap. 8 subdit Evangelista: *Et factum est deinceps, et Iesus iter faciebat per civitates, evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres aliquae ..., Maria quae vocatur Magdalene, et Ioanna* etc. Quare quae nuper sine ullo nomine profertur proprio, proprio nunc donatur nomine, et dicitur Maria? Utique eadem profecto erat, sed turpitudinibus dedita, omnino nomine Mariae indigna habita, communi mulieris vocabulo compellatur, postmodum peccatorum maculis abluta, *Lacrimis enim coepit rigare pedes eius, et capillis suis tersit;* quibus veniam sceleribus extorsit a Christo. Quod enim nomen per effraenem libidinem perdiderat, per poenitudinem iterum acquisivit. Grande profecto Mariani nominis elogium, quod sine dubio virginitatem halat, castitatis decus confert, neque insonare potest, ubi luxuria sedem habet; castitatem enim redolet, virginitatis insigne refert. Concinne Richardus lib. 1, cap. 2: *Ita enim nomini Mariae virginitas et sanctitas inseparabiliter sunt adiuncta, quod cum agit B. Lucas c. 7 de poenitentia Magdalenae, propter huius nominis reverentiam non ausus fuit Mariam, sed mulierem, nominare: et paullo post (scilicet cap. 8), cum dicit eam iustificatam a Domino, de suis facultatibus illi ministrare, vocat Mariam.* Apposite Marianum nomen cum cedro compones in Ecclesiastico, c. 24; de quo Petrus Cluniacensis abbas, ser. 4 de Conceptione: *Videmus in operibus naturae, quod basiliscus suo solo respectu hominem occidit. Igitur Maria (adderem sui nominis prolatione) peccati vires et libidines non occidet? Videmus enim in quibusdam lapidibus pretiosis, quod quidam eorum naturaliter commovent ad delectandum. Ideo gratia ista transfusa est in Mariam quasi quoddam spiramentum odoris ce-*

rini ad occidendum in intuentibus eam (adde t nomen eius enunciantibus) carnales concupi-centias. Odor enim et succus cedri fugat et ex-inguit serpentes. Merito Maria lilium inter spi-as decantatur, Cant. 2: *Quamvis enim*, ait Dio-ysius Richelius, *fuerint multae virgines san-tae, tamen respectu Mariae quasi spinae fuis-e videntur: quia quamvis fuerint in se mundae, liis vero spinae fuere, qui ex earum intuitu con-upiscentia pungebantur. At Maria se intuentium orda sic penetrabat sua castitate virginea, quod nullo potuit concupisci, imo extinxit eorum li-idinem.* Bene Maria amarum mare dixeris; uia, ut ait Albertus, *nostras delectationes no-as, ut mare amarum abundanter amaricat.* Et quia subdit Richardus citatus: *Mundum per atiam suam amaricat nobis, et universas mun-i delicias convertit in amaritudinem de se fide-er cogitanti.* Ut et hinc elicias absurdissimum sse, maximamque irrogari iniuriam sanctissi-no Mariae nomini, quotiescunque foemina hu-us nominis baiula peccatorum sordibus obvo-uta iacet, ac turpitudinibus conspurcata: iure b iis et similibus foeminis Marianum vocabu-um penitus abolendum et abradendum erat. ic Lucas a muliere illa peccatrice Mariae no-nen abrasit, ipsique denegavit, donec sordes luit, lacrimisque ac vera poenitudine omnis urpitudinis maculas abstersit: poenitendo igi-ur nomen recuperat, quae delinquendo illud a-miserat; quodque a se nomen sceleribus abole-it, per Virginem continentiam iterum in se re-culpsit. Aristogiton tyrannos a republica Athe-iensi dispulit, et patriam a servitute liberavit: n praemium tanti collati beneficii, lege cautum st, ne servus ullus Aristogitonis nomine dona-etur. Eadem ratione nulli foeminae sub pec-ati foeda servitute detenta honorificentissimum Mariae nomen haudquaquam imponendum es-et, impositum autem penitus abolendum. Fuit uondam miles animi dejecti et vilis, nomine Alexander, in quem verba detorquens imperator Alexander ait: Aut spolia te nomine Alexandri, ut te indue magnanimitate ac fortitudine tanto omine digna. Idem intorquendum in omnes foe-minas Mariae nomine nuncupatas, quae Virginis Mariae pudicitiam non aemulantur, sed longe bsunt ab eius pudore: aut tanto Mariae nomine mnino nudentur, aut eius modestiam et puri-atem induant.

Vidistine consulto Lucam, c. 1, in suae nar-lationis prooemio Marianum nomen subticuis-se? *Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gra-ia plena.* Simon Cassianus, lib. 2 de Virg. Ma-ia, cap. 4, ait ex eo subticuisse Mariae nomen, quia tanti nominis prolatione se putabat indi-gnum, donec trepidatio Mariae ipsum ad prola-tionem Mariani nominis adursit. *Nam prius-quam Angelus experiretur, quid humilitatis es-set in Virgine, cum ad Theotoconium nosceret as-sumptam, ex eo quod ab omnipotenti Deo in le-gationem acceperat, veluti alte dignam ipse in-signior nominare ipsam veritus est. Nunc vero ipsam considerans verborum novitate timentem, tantim ad propellendum dubium et timorem, ipsam iterum allocutus est dicens: Ne timeas, Maria.* Sed aliorsum equidem deflecterem hanc Angeli cunctationem in prolatione nominis Mariae, adiecit nomen patriae, et sponsi, et Angeli nunciantis, cunctatur vero nomen Virginis proferre: cur ita? Procul dubio ut aditum praemuniret ad venerabile nomen Mariae, praemittens virginitatem, quae tanto nomini insita est. *Forte*, ait Bernardinus, t. 3, serm. 1 de B. V., *non nominavit eam, potius eam volens venerari silentio, quod non potuit exprimere eloquio.* Praestruat viam Evangelista ad augustissimi nominis venerationem, praemittat virginitatem, subiungat gratiarum cumulos, quas omnes Marianum nomen imbibit, et praefert quasi sui appendices. Egregie Richardus id expenderat loco citato: *Et nomen Virginis Maria. Bene autem immediate iungitur Mariae virginitas, eo quod non solum nomine praeferat, sed et aliis praebeat gratiam castitatis; ita enim nomini Mariae virginitas et sanctitas inseparabiliter sunt adiuncta.* Tantum sanctitatis, et virginitatis, et gratiarum omnium nomini Mariae caelitus delatum est, ut existimaverit Evangelista intempestive Mariae nomen proferri, donec gratias, virtutes et reliqua charismatum dona, quae sunt veluti Mariani nominis anteambulones, praemitteret. *Omittit*, aiebat Albertus Mag. in c. 1 Lucae, *Angelus interponere nomen Mariae, in aliud tempus nominandum, postquam gratiae eius erant explanatae, sine quibus tam plenae significationis nomen non intelligeretur.*

CERTAMEN V.

Superioris Certaminis thesis novitus firmatur.

1389. Alium effectum praemisimus asserto tertio oriri solitum ex nominis Mariae enunciatione, nempe spiritualem quandam dulcedinem immittere, ac moerentem animum recreare. Multi sunt sancti Patres ac Doctores in Mariani nominis dulcedine saccharea detegenda. Praeeat s. Bernardinus, serm. 3 de nomine Mariae: *Testis*, ait, *conscientiae meae est Dominus, quia si aliquando coelesti gratia largiente, exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis Mariae valeo vel per horam occupari, tanta mentis laetitia saucior, tantaque interius suavitate perfundor, ut cunctis mundi vanitatibus, et concupiscentiis conculcatis, nihil aliud appetam* etc. *Quandoquidem in sordibus carnis adhuc, et mundi luto degentibus, tam laeta contigit in eius nominis contemplatione sentire. Ad ipsum denique Mariae nomen iterum contemplandum, iterum atque iterum descendere libet.* Singularia sunt verba s. Germani in encomio de dormit. Virg., ubi ait: *Neque tantum coeli haustu animae nostrae respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.* S. Antonius Paduensis, Dom. 3 in Quadrag., haec habet verba: *Nomen Mariae iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.* Alcuinus, homil. de Virg. Nativit.: *Tu nec nominari quidem potes, Maria, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te.* Sane dum eorum, quos multum amamus, nomina efferun-

ur, dum absunt, nostrum leniunt dolorem ac ristitiam, moeroremque ex illorum absentia haustum temperant: sic David post obitum Saulis et Ionathae vehementi affectus moerore, eorum nomina efferebat, doloremque lenibat. *Saul et Ionathas amabiles, et decori in vita sua,* II Reg. 1; in quae verba Chrysostomus sic fatur: *Quoniam praesentia illorum corpora non licuit amplecti, nomina illorum coniuncta complexus est, suum dolorem hisce modis, quatenus licuit, leniens, et calamitatis magnitudinem mitigans.* Quid mirum, si suavissimum Mariae nomen auribus insonans, quamlibet amaritudinem sua dulcedine temperet, dolorem leniat, moerorem abigat, funestaeque mortis acerbitatem in dulcorem suavissimum transmutet? ut habes a mente Methodii martyris invicti, homil. de Purificat. in illud, IV Reg. 4: *Mors est in olla. Te quoque,* ait, *Eliae successor Eliseus a sapiente magistro sacris initiatus, tanquam iam existentem, quae tamen nondum existebas, praefigurans supra naturam, signis quibusdam rerum earum, quae postea futurae essent, veris indicibus auxilium medicinamque indigentibus attulit: nunc vero per novam hydriam salutare in se sal continentem, aquas exitiales sanans; ad ostendendum, mundum per Sacramentum in te iam editum recreandum. Partim vero farina azyma partus tui immunis typo rei respondente mortis acerbitates a cibis profligans.* Ideo monet Richardus, lib. 1, cap. 2, citatus: *Tristatur aliquis? Continuo ad nomen Mariae cedit nubilum, serenum redit. Ecce quomodo illuminat oleum istud.* Apte Marianum nomen cum cinnamomo componitur, cuius est, confectiones omnes dulci sapore condire, cibos insipidos et insulsos, suaves reddere, ita ut appetitum quemlibet titillent, et alliciant: ita et prolatio nominis Mariae quemlibet amarorem sua dulcedine perfundit. Audi Petrum abbatem Cluniac. serm. 3 de Annunciatione: *Nomen Mariae dulce est, et saporosum.* Post beneficium incarnationis nihil sapidum, nec sermo, nec oratio, nisi nomine Maria misceatur, Eccli. cap. 49: *In omni ore quasi mel indulcabitur memoria illius... et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi.* Nihil in hac vita amarum, nihil insipidum, si Mariae nomine sacchareo condiatur, si tali cinnamomo perfundatur. *Cur ergo,* ait mellitus abbas Bernardus, serm. de verbis Apocalypsis, *illam ipso dulcedinis nomine non cohonestemus? Cur etiam tantae voluptatis cupidi ad illam cum Ecclesia suspirando non dicamus: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum: Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua tua?* In cuius rei typum, aquae ex natura sua salsae et amarae, simul atque Paradisum ingrediebantur, dulces reddebantur. Audiamus Rupertum eleganter de coelesti paradiso disserentem: *Aquae,* ait l. 4 in Cant., *suapte natura salsae erant et amarae, ascendendo autem per illam terrae mammam, scilicet paradisum, versae sunt in dulcedinem, ut dulces atque potabiles irrigarent terram, et facerent habitabilem seminumque feracem.* Nihil in paradiso salsum, nihil amarum, nihil asperum: sic a Maria omnis exulat amaritudo, omnis abest rigor, quidquid in Maria coelesti paradiso reperitur, id totum melleum est, sacchareum est, ita ut possit quaecunque aspera, quaecunque salsa, quantumvis amarissima, si hoc nomine Mariae respergantur ac condiantur, dulcissima reddi. *Per hoc nomen,* inquit s. Bernardinus, serm. 1 de nomine Mariae, *purgatur cor, mens refulget, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, et decoratur aspectus.*

1390. Quid cruce Christi salsius? Quid eius tormentis asperius? Quid ipsius felle amarius? Haec autem omnia solo Mariae nomine audito dulcescere poterant. Nudus in ligno duris suffigitur clavis Christus Dominus, sicque in crucem actus, Matrem alloquens ait: *Mulier, ecce filius tuus,* Ioann. 19. Cur eam proprio nomine non compellat? Forsan quia Mariano nomine plus eius viscera torquerentur, ut inquit Chrysostomus: *Ideo factum esse arbitror, ne materno nomine amplius dolor excitaretur. Non enim tunc tempus erat, Matrem dulciter alloquendi, nec nomen Matris exprimendi.* Ex quo deprompsit Baptista Mantuanus eundem sensum:

Talibus, et monuit Matrem sine nomine Matris,
Ne materna pium laniaret viscera nomen.

Sed ad rem nostram commodius Mariani nominis reticentiam flectat quispiam: nimirum Christus Dominus Passionis suae tormenta, ludibria, acerbissimos cruciatus ambibat, et ardenti desiderio saturari doloribus expetebat; ideo medios inter angores aiebat: *Sitio,* ac si diceret, si credimus Ambrosio, adhuc atrociora tormenta, acerbioraque vulnera cupio. Quare nihil, quod hos lenire posset dolores, aut minus acerbiores redderet cruciatus, in remedium afferre volebat: cum autem Marianum nomen ex opere operato dulcedinem secum praeferat, ita ut eius prolatio omnes cruciatus crucis ac tormenta absorberet, ac dulcia redderet; consulto a Mariae nomine abstinuit, ac carere voluit hoc solamine, quod haurire huius nominis prolatione poterat; ut cumulatiori passione affligeretur, ac ne videretur ex prolatione nominis Mariae, fellis amaritudinem temperare, praesertim quo tempore potum omnigenae acerbitatis sitiebat. Consulto ergo a materno nomine abstinuit, ne, quo tempore vitam omni solatio carentem subibat, aliquid sibi levaminis afferret ex prolatione materni nominis. Aberant tunc omnia paternae benevolentiae signa, quod ostendit per illa verba: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Myrrhatum vinum propinatum in dirae mortis aliquale levamen abiecerat, cavit ne maternum nomen ore assumeret, ne maximo omnium solatio tot tristia et amara compensare videretur, horrendis in Deum ludibriis ac blasphemiis ipsius aures quatiebantur in cruce pendentis, noluit Materni nominis harmonia omni musica suaviori, adeo inconditos et amarulentos clamores temperare, aut cor tam multiplici cuspide punctum vel tantillum sublevare, materni nominis nomenclatura, quod *Cordis iubilum* a ss. Patribus compellatur, quodque reficit lassos,

fessos recreat, animumque hominis dissolutum, ac doloribus oppressum colligit ac levat.

S. Hermannus quotiescunque Mariae nomen insonabat, se humi prosternebat; cumque a quodam familiari suo rogaretur, cur ita faceret, praeter consuetum ordinis sui morem, respondit: *Ecce quoties ad nomen sacrae Virginis humi me abiicio, odor omnium florum et aromatum, tanta suavitatis copia e terra influit in nares meas, ut semper illic haerere vellem, si liceret: spe ergo recreationis huius ad prostrandum festinus sum, sed quia aegre tanta privor delectatione, tardus sum ad surgendum.* Ideo Mariae nomen aliqui a radice hebraea, *Mordoror*, ortum ducere autumant (sed, ut puto, levi ducti fundamento), quod *Succinum* sonat. Subeat in memoriam illud elogium Iosiae, Eccli. cap. 49: *Memoria Iosiae in compositionem odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, et ut musica in convivio vini.* Quae verba urgentiori ratione de dulcissimo Mariae nomine proferri possunt; cuius rei evidens testimonium est factum praefati Hermanni, cuius cor ea suavitate Marianum nomen permulcebat, e cuius prolatione tantus odor, ac fragrantia aures eius impleret: vere dixeris; memoriaMariae in compositione odoris facta,opus pigmentarii, in omnium ore quasi sacchari ac mellis dulcedo indulcabitur eius memoria; et ut concentus et vocum harmonia in convivio personabit. Quasi florum calathus in diebus vernis, et quasi thuris, ambari ac moschi suaveolentia effunditur: ut et hinc colligas, omnia nominis Mariae elementa, syllabas et accentum inter rosarum liliorumque nitorem placidissimum efflare odorem. Haec tamen odorum fragrantia procul abest a flagitiorum teterrimo foetore; non enim inter se cohaerere potest florum Mariani nominis calathus suaveolens, cum libidinum spurca voragine, turpitudinum gurgite graveolenti, sordescentium delictorum foeda colluvione. Quinam ergo nominis huius fragrantiam percipient? Profecto Mariae cultores, quique eius puritatem aemulantur, hi inundationes maris quasi lac sugent; quidquid est insulsum et insipidum et asperum, tanquam confectiones conditas, et veluti bellaria degustabunt. Succurrat Richardus de s. Laurentio, l. 2 de laudib.V., c. 3: *Maria,* inquit, *amarum mare, eo quod universas mundi delicias convertit in amaritudinem de se fideliter cogitanti, et mundanas amaritudines suis imitatoribus dulces fácit reputari. Deuter. cap.* 33: *Inundationem maris quasi lac sugent, scilicet Imitatores Mariae.* Nihil tam acerbum in hac vita, nihil tam amarum, quod Mariani nominis dulcedine non possit condiri. Nihil tam graveolens, amoto peccato, nihil tam insuave naribus, quod suavissimo Mariani nominis odore respersum, odorem ac fragrantiam non emittat; ideo in myrrha et thure, et omni pulvere pigmentario, cunctisque aromatibus nomen Marianum adumbratur. Quo prolato Deus ipse, caelites, ac pii viri ac integerrimae vitae, longe suavissimo odore terrenis omnibus permulcentur. Quaenam, amabo, quamplurium florum et odoramentorum artificiosior, suavior, aut excellentior fragrantia fingi potest, quam Mariani nominis compositio? Nomen ergo Virginis myrrham, thus, lilia, garyophilla, rosas, violas, ambarum, moschum, et succinum suaveolentia longe antecellit. Opus autem est saepius hoc nomen dentibus terere, versare lingua, accentu contundere, ut melius eius fragrantissimus odor praesentiatur.

1391. Disquirit Petrus Cluniac. abbas, quare media syllaba nominis Mariae producatur, praesertim cum maria, id est congregationes aquarum, a quibus Mariae nomen ortum duxisse in confesso est apud omnes sacros interpretes Bibliorum, mediam syllabam brevient. Quaestionem acute solvit: *Nomen tuum,* ait, *in desiderio animae: sapor autem specierum non perfecte perpenditur, nisi species diutius masticentur; ideo media nominis huius, Maria, longa est, ut in eius nominatione diutius immoretur. Sed dum aromaticum quid masticatur, os debet claudi, ne incaute aromatica dulcedo amittatur. Sed si plene desideras istarum deliciarum dulcedinem degustare, os clausum habe ad turpia, et per regulare silentium pone custodiam ori tuo.* Merito *longatur* Mariae nomen, accentusque producitur, ut diutius in eius prolatione cunctemur, eiusque syllabis dentium contusione labiorumque verberatione contritis vehementiorem odorem halent, instar aromatum, quae quo magis teruntur, et contunduntur, eo fragrantiorem suaveolentiam efflant. Favet huic sensui Richardus de s. Laur., lib. 12 de laudibus Virg.: *Ideo,* ait, *huius nominis, Maria, media syllaba longa est, ut in eius nominatione diutius immoremur, ac maiori dulcedine perfundamur.* Quo quidem nomine solo apud nos relicto, tota Deipara, anima et corpore in coelum translata, aspera quaeque huius mundi dulcorari possunt: Sic capio mentem Bernardi in nativitate Mariae, serm. de aquaeductu: *Foecundae Virginis amplectitur coelum praesentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic tenuis quaedam libatio primitiarum: ibi res, hic nomen: caelum praesentia gaudet Virginali, et ipsa, praeclarum gloriae sanctorum existit ornamentum; at luti nostri gloria remanebit nomen eius, hoc est vocabulum.* Solo apud nos personante nomine Mariae, luctus abibit, luti nostri foetor amandabitur, quaecunque aspera et amara dulcescent.

Magdalena Magistri videndi desiderio succensa, illum mortuum quaeritans, feliciter vivum invenit, Ioann. 20: *Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti illum, et ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni.* Mirum profecto videri debeat alicui, cur, cum oculis Iesum praesentem vidit, et vocem eius audiit, nunquam Christum agnoverit; cum autem Mariae nomen insonat, depulsis tenebris, eum recognovit, recedunt luctus, lacrymae exsiccantur, evanet omnis dolor, gaudium succedit. *Tunc cognovit:* aiebat Chrysostomus, homil. 85 in Ioannem: *Ista non visus,*

sed vocis fuit cognitio. Non visus, aut aspectus Christi, sed Mariae vocabulum omnem amaritudinem dispulit a Magdalena; Mariae nomen collyrium fuit oculorum, quod omnem amovit caliginem, lucemque restituit; grato lenocinio gratos efflavit odores, dulcedines mille spiravit. Egregie rem meditatus fuit Origenes, homil de Magdalena: *Dicit ei Iesus: Maria* etc. *Ubi Maria audivit* Maria, *praesensit in nomine quandam vocationis singularem dulcedinem, et per eam cognovit ipsum, a quo vocabatur, esse Magistrum suum: tunc revixit eius spiritus, et reversus est sensus eius. Cumque Iesus vellet adhuc adiungere, non potuit haec Maria patienter exspectare, sed prae nimio gaudio interrupit ea, dicens: Rabboni.* O magna nominis Mariae vis, et energia ac potentia, admirabiles effectus sola prolatione producens, omnem cordis amarorem exterminans, ac mira dulcedine perfundens, caliginem abigens, mentemque coelesti lumine collustrans! Quis igitur mihi det hoc nomen Mariae insculpere in medio cordis mei aeterna memoria? tunc non timebo tentationum assultus, nec periculorum ingentem multitudinem habebo in corde, versabo in ore, intus solabitur animum meum, foris meos terrebit et fugabit hostes.

1392. Praeter assignatos effectus, alii plures assignari solent a Doctoribus, quos potentissima Mariani nominis invocatio edere solet instar sacramentalis cuiusdam. Tales sunt timoris expulsio in quolibet discrimine, securitas ac praesidium, animique corroboratio, ut in posterum nemo miretur, quod dixerit Petrus Blesensis, serm. 28: *Non frustra consuevit Ecclesia intercessionem B. Virginis affectuosius caeteris implorare, ita quod audito eius nomine genua terrae affigat, imo pro nominis reverentia quasi mare confragosum sonant vota populorum.* Nec mirum, quia hoc Marianum nomen est Christianorum spiraculum, seu respiratio. De hoc nomine interpretatur Idiota, lib. Contemp. de Virgine Maria, c. 5, verba illa Prov. c. 20: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quae investigat omnia secreta ventris.* Rabbi David ex hebraeo pro *spiraculo*, transfert *sermonem;* at quis hic sermo, qui spiraculum hominis nuncupatur, vita, seu respiratio? Ait citatus Doctor esse Marianum nomen: *Sic etiam tibi dicere possumus: Lucerna Domini est Maria, quae Doctrix et Magistra maris interpretatur. Spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniae et gratiae.* Mariae nomen est nobis sicut respiratio, quae vitam efficit ac prorogat; illud enim nobis vitam efficit spiritualem, nam per Mariam in spe vitae aeternae respiramus: et sicut deficiente respiratione, manet emortuum cadaver, ita sine Maria veluti evanidum cadaver manet homo in re virtutis. Sit igitur nobis Mariae nomen vivifica respiratio, quae spem nostram alat, fiduciam firmet, imbecillitatem roboret et metum abigat, animos erigat ad coelestia: nulla respiratio eat sine huius nominis respiratione, quae medullitus conviscerata effluat: ideo sancte nos monet s. Germanus, serm. de Zona B. Virg.: *Si tu nos deseris, quid de nobis fiet, o sanctissima Deipara, spiritus et vita Christianorum? quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctissimum tuum nomen, Virgo Beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco et modo, vitae, laetitiae, et auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat, et conciliat.* Habes supra in hanc rem, ex Origene Mariae nomen Magdalenae spiritum, et halitum sive respirationem restituisse. Hausto igitur a Maria spiritu, sive vigore vitali ad omnium virtutum operationes, exilis reddetur animus, ac corpus ad vitia.

Inspecto a Iosepho uteri tumore in sponsa Maria, rei sollicitior factus, anxius ac dubius haeret: *Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quasi nullum formidandum a Maria malum, nihil mali metuendum: vel sola nuda nominis Mariae prolatio securum reddet, incolumem servabit, animos addet, timorem propulsabit. Audis Mariae nomen, insonat tuis auribus; ergo tantum nomen a te metum omnem abigat, anxietatem dispellat, suspicionem omnem sinistram excutiat: in Mariani nominis asylo securus conquiesce, ibi te tanquam in munitissimo quodam praesidio adversus zelotypiae cuneos obarma.

Accipe novum huius rei fulcimen, tum Lucae 1: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae* etc. *Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quid inde? profecto quot verba protulit Angelus, tot timores Beatae Virgini incutit; habes enim: *Turbata est in sermone eius.* Tremit Virguncula, turbatur, multusque pavor incessit: quam ut securam reddat, illiusque animos erigat ac roboret, subdit Angelus: *Ne timeas, Maria;* adiecit Angelus Mariae nomen, quo suo sermone turbatam erigeret, ac metum omnem propelleret. *Mariae nomen adiecit, ad maiorem propulsationem timoris, et fiduciam habendam,* inquit Caietanus hic. Quasi nullo alio tutiori praesidio eam posset communire, ac securiorem reddere, quam in munitissima nominis sui turri. Dilucidius rem expenderat Simon de Cassia, lib. 2 de B. Virg., cap. 4: *Nomen Virginis exprimitur, quod in prima salutatione tacebatur. Nam priusquam Angelus experiretur, quid humilitatis esset in Virgine, Ipsa indignior, nominare Ipsam veritus est: nunc vero ipsam considerans verborum novitate trepidantem, statim ad propellendum dubium et timorem, Ipsam iterum alloquutus est, dicens: Ne timeas, Maria.* Ac si diceret: Si te, o Virgo praestantissima, tanti Sacramenti novitas, ac insolita legatio terruit; si dignitatis sublime fastigium, ad quod proveheris, tibi horrorem incutit, ac trementem reddunt tot tantaque in te beneficia ac privilegia a Deo congesta; sub tui nominis editissima turri sedem fige, ibi securitatem omnem nancisceris, omni timore fugato, omni turbatione semota.

1393. Singulare profecto Mariani nominis praeconium est illud Chrysologi, serm. 146: *Ma-*

riae nomen prophetiae germanum est. Sed cur Mariae nomen dicitur prophetiae germanum? an quia incognitum ab hominibus, siquidem Beatam Virginem quasi absconditam nullus hominum reperiret, solus Angelus tamquam Dei nuncius eam scire posset. An prophetiae germanum, quia Dei Maternitatem praesagit, teste Ambrosio, de institutione Virginis cap. 5: *Iuxta praesagium*, inquit, *nominis sui, significat, Deus ex genere meo.* Vel melius dices esse Prophetiae germanum Mariae nomen, quia omnibus hoc nomen pie proferentibus prospera quaeque praedicit, omnem felicem fortunam praesagit, ac fausta quaeque spondet: imo ex opere operato tanquam verum sacramentale, effectus multiplices producit. Altius igitur hoc nomen memoriae commendandum, et diligentius investigandum, ut monet Richardus a s. Laur. l. 1, quia vel ipse nudus syllabarum sonus gratias adspirat, fausta pollicetur, ac fortunatissimos eventus operatur, aliquo Mariani nominis si non Sacramento, bene tamen Sacramentali. Huc spectabat Nicephorus, l. 1 Hist. c. 2, dum vocat nomen Mariae, *Aenigma latens acceptam gratiam declarans.* Quae autem gratiae, quinam effectus in Mariano nomine tamquam in aenigmate pulcro delitescant, tenui stylo tota hac Palaestra perstrinximus.

1394. Nunc censeo 4, aliquam requiri dispositionem, ut hoc Marianum nomen praedictos effectus operetur, nempe vel precationem adiunctam cum prolatione Nominis; ita subindicat s. Basilius Seleucus loquens de nomine Iesu, orat. 42, ubi et prolationem nominis Iesu, et simul precationem adiunctam postulat ad consequenda postulata. Sufficere autem hanc dispositionem ad aliquos effectus, et non esse necessariam gratiam sanctificantem, ex eo suaderi potest, quod prolatio huius nominis sit instar Sacramentalis mortuorum: unde sunt verba illa s. Birgittae, l. 1, c. 9 de nomine Mariae: *Nullus est tam frigidus ab amore Dei, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc nomen hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo diabolus statim, et nunquam amplius revertatur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi lethaliter.*

Alii maiorem dispositionem exposcunt, qualem exigit signaculum crucis ad effugandos Daemones, nempe ut sit in gratia, et a vitiis abstineat. Ita D. Augustinus, serm. 215 de tem., et s. Eligius ait: *Magna res est signum Christi, et crux; sed illis solum prodest, qui faciunt mandata Christi.* S. Bernardinus, t. 2, serm. 49, deposcit quatuor conditiones, ut fructum percipiamus ex prolatione nominis Iesu. Primo, quod per se petat. Deinde, quod necessaria petat. Tertio, quod petat pie. Denique, quod perseveranter petat. Easdemque conditiones pro nomine Mariae potiori iure postulabit. Nunc adhuc explicare oportet modum et radicem huius efficaciae moralis existentis in nomine Mariae, quae triplex assignari potest. Prima est veluti connaturalis, positis divinae fidei mysteriis, siquidem Daemon potentiam ac virtutem Dei Genitricis Mariae, vel invitus agnoscit, seque a B. Virgine devictum non diffitetur: quare quasi ex natura rei fit, ut audito nomine Mariae horripilet, et torqueatur. Secunda est vis impetrandi innixa non solum sanctitate ministri illud nomen proferentis, sed etiam totius Ecclesiae, in cuius persona saepe minister orat. Tertia potest esse specialis virtus a Christo Domino exhibita nomini Mariae ad imperandum daemonibus, et ad alios effectus supra memoratos producendos; quae virtus elici videtur ex praefatis Patrum testimoniis. Quod si quaeras, cur hoc nomen, sicut etiam et nomen Iesu, et alia sacramentalia non semper sortiantur effectum, nec sit efficax in actu secundo, satisfacit Augustinus, l. 83 qq., q. 79: *Cum autem non cedunt his signis huius mundi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum atque utile iudicat, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi; vel ad movendos bonos, ut proficiant in fide; atque ista non iactanter, sed utiliter prosint; vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiae.* Ac proinde eiusmodi effectus non est a Deo promissus, nec virtus huic nomini indita, quin unquam impediri possit, sed semper in actum prodeat: Cum enim hi effectus non spectent ad gratiam gratum facientem, sed vel ut homo sit immunis ab aliqua poena, vel ut aliquod aliud bonum temporale nanciscatur, non solum per obicem alicuius peccati, sed etiam ob maiorem animae profectum, vel in aliorum exemplum, vel ob aliam privatam seu publicam causam impediri poterit a Deo.

Praeter assignatos alii etiam effectus plures numerari possunt, quos perstringit s. Bernardinus, ser. de nomine Mariae: *O nomen*, ait, *gloriosae Virginis suavissimum, nomenque iucundissimum! Per te, o Maria, franguntur vincula, solvuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, recuperantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, incepta promoventur, infecta perficiuntur, perfecta conservantur, daemones fugantur, purgatur cor, mens refulget, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, et decoratur adspectus.* Fusius autem hos effectus recenset ipsa Deipara apud s. Birgittam, l. 1 revel. c. 9, ubi B. Virgo, haec de suo nomine pandit ipsi Birgittae: *Filius meus quantum etiam honoravit nomen meum, audi: Nomen meum est Maria. Hoc nomen cum Angeli audiunt, gaudent in conscientia sua* etc. *Illi, qui in Purgatorio sunt, ultra modum gaudent, tanquam aeger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatii, et quod ei placet in animo, quo statim exultat. Angeli etiam boni audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam etc. Omnes etiam Daemones verentur hoc nomen et timent, quia audientes hoc nomen, Maria, statim relinquunt animam de unguibus, quibus tenebant eam: sicut enim avis, quae in praedam ungues et rostrum habet, si audierit sonum aliquem relinquit praedam, et cum nihil operis sequi videt, statim revertitur ad eandem: sic Daemones, audito nomine Mariae, statim relinquunt animam,*

quasi territi; sed iterum advolant, et revertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc nomen hac intentione, ut nunquam revertere velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim diabolus, et nunquam amplius revertitur ad eum; nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. Tamen quandoque permittitur ei, turbare eum, propter maiorem remunerationem eius, sed non possidere. Quibus verbis quidquid fuso calamo hoc Congressu disseruimus de hoc sanctissimo Mariae nomine, recensetur et confirmatur. Quare qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea; nempe supernam civitatem illam Hierusalem incolent; vel etiam in hac vita mortali huius divini nominis cultores sub tutissimo ac potentissimo Virginis Deiparae patrocinio, tanquam in urbe munitissima, omnibusque bonis affluente, vitam ducent placidissimam. P. Hadrianus Lyraeus C. 2, modo 32, multus est probando, nomen Mariae inter omnes B. Virginis reliquias principem locum obtinere: quod sine erroris periculo et absque ulla nota, et scripto et voce publicare liceat. Sed de his nihil hoc loco, quia iam egi peculiari Palaestra.

CERTAMEN VI.

Utrum sanctum Mariae Nomen in coelis aeternum duraturum sit.

1395. Antequam rem definiam, alia quaestio praemittenda est, ex cuius resolutione facile Congressus huius titulum aperiemus. Disquirunt igitur Doctores apud Barradam, t. 2 in Evangel. 17, ad illa verba Luc. 8: *Legio mihi nomen est,* utrum Angeli et Daemones propriis gaudeant nominibus, sicut homines apud nos. Partem negantem sequitur Viguerius, institut. cap. 20, § 9; ubi ait: *Expositores dicunt, quod Angeli in coelo carent nominibus propriis, quia quemadmodum illa civitas non eget sole, neque luna, sic neque aliquo adminiculo ad cognoscendum; nam quilibet per propriam personalitatem cognoscitur: sed si aliqua nomina horum reperiuntur in Scriptura, per illa declarantur opera ministerii ad quae mittuntur.* Quibus consonat Iansenius in locum praefatum Lucae, ubi habet: *Interrogat Christus de nomine, non quod singuli daemonum habeant speciale nomen sibi proprium.* Favet Nicolaus Lyranus ad illa verba Angeli ad Iacobum, Gen. 32: *Cur quaeris nomen meum? Ac si diceret,* inquit Lyra, *frustra quaeris, quia ego et alii Angeli in ministerium missi non habemus nomina fixa et stabilia, sed diversa sortimur nomina secundum legationes ad quas mittimur.* Quibus adstipulatur Abulensis in cap. 8 Matth., quaest. 110: *Non habent,* inquit, *Daemones, nec Angeli; nec etiam Daemon respondit Christo proprie de nomine, cum ab eo quaesivit: Quod tibi nomen est? sed de numero; nam respondit: Legio; quia multi sumus.* Idemque confirmat idem auctor in cap. 13 Iudic., q. 33: *Angeli in particulari non habent aliqua nomina, sive ponatur quilibet continere unam speciem, sive multi in una.* Idemque adstruit in Matt. 25, q. 405. Cui sententiae suffragium suum fert s. Gregorius Magnus, hom. 34 in Evang.: *Angeli,* inquit, *idcirco privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant: neque enim in illa sancta civitate, quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perfecit, idcirco propria nomina sortiuntur, ac si eorum personae sine nominibus sciri non possint; sed cum ad nos aliquid administraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt.* Quod extendit Abulensis ad Beatos homines, Iudic. 13, quest. 33: *Cum fuerimus,* ait, *in beatitudine, non cognoscemus Angelos nominibus, quia nulla habent; neque etiam tunc imponentur. Etiam nos, qui nunc nominibus utimur, ibi non distinguemur nominibus; sed quilibet alium sine nomine cognoscet, sicut seipsum cognoscit sine nomine.* Subsidiantur huic sententiae aliqui Doctores apud Magistrum sentent., dist. 10, § *Et putant,* qui opinantur nomina illa, Michael, Gabriel etc. non esse nomina propria aliquorum Angelorum; sed nunc huius, nunc illius, iuxta uniuscuiusque ministerium: unde quisque Angelus alicui medicinam allaturus adveniens, Raphael apte diceretur; et de aliis eadem ratione loquendum.

Oppositae sententiae adstipulantur alii. Barradas, t. 2 in Evang., lib. 5, cap. 17, § *Aliquot.* Et ibi Dionysius Carthus. haec scribit verba: *Est Angelorum nomen hominibus mirabile, non quasi penitus ex sua natura omni menti creatae incomprehensibile, quod Deo est proprium; sed quasi non plene cognoscibile in hac vita viatoribus, sunt aliqua fixa Angelorum vocabula.* Nos autem tribus assertis, quae nobis probabiliora visa sunt, proferemus, et simul quaestionis nodum dissolvemus.

1396. *Assertum primum.* Neque Angeli, neque homines in coelo indigebunt nominibus propriis, ut per ea ab aliis dignosci possint. Quod solum intendit D. Gregorius verbis allatis. Probatur, quia ibi se invicem perfecte cognoscunt quoad substantiam, individuationem, proprietates et accidentia; ergo nomine non indigent, ut alii ab aliis cognoscantur.

Assertum secundum. Tam Angeli, quam homines beati propriis nominibus gaudent, quibus utantur, cum sibi mutuo alloquuntur. Huic asserto adfavent Nicolaus Serarius in cap. 13 Iudic., quaest. 14; Iustinianus in cap. 1 epistolae ad Hebraeos, vers. ultimo; P. Hadrianus Liraeus in suo Trisagio Mariano, lib. 1, sono 4, qui pro hac sententia adducit Platonem in Cratylo, qui de Angelis sub Deorum nomine sic scribit: *Si sanae mentis iudicio praediti essemus, certissimam illam atque praeclarissimam regulam commode diiudicandi de Deorum nominibus statueremus, nihil nos videlicet de Diis, idest de ipsorum natura, et nominibus nosse, quibus se ipsi vocant: perspicuum enim est, illos veris se nominibus nuncupare.* Suaderi potest hoc placitum 1°, quia cum beati homines sibi post iudicium corpora resument, ore corporeo ac lin-

gua utentur, qua media alii de aliis beatis hominibus, atque etiam de Angelis invicem colloquentur; ergo necesse est, ut utantur nominibus hominum, et Angelorum, quae inter loquendum de aliis distinctionem usurpent. Idemque dicendum de anima separata, et de Angelis, qui suos etiam intermiscent sermones, et colloquia spiritualia, iuxta Paulum: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum.* Ergo pari ratione alii de aliis sermones miscebunt; ad quod utique nominibus indigebunt propriis, quibus Angeli et animae ab aliis significentur in collocutione, et internoscantur. 2° Probari potest ex Scripturis, quae Angelos nominibus propriis et peculiaribus nuncupant, nempe Michaelis, Gabrielis, Raphaelis etc. Et in vita s. Ioannae a Cruce, nomine proprio donantur plures Angeli: ergo eadem erit ratio de omnibus Angelis, quorum nomina sibi invicem erunt nota. Deinde Angeli inter se secernuntur, et ab aliis rebus discriminantur per uniuscuiusque differentiam specificam, et etiam individualem, ut nunc pono; ergo hac differentia cognita poterunt propriis suis nominibus nuncupari. Angeli ergo sua nomina habent, quae in sua prima conditione a Deo acceperunt; et suaderi potest ex Paulo ad Eph. 1: *Suscitans eum* (nempe Christum) *a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum ..... et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Quae verba sic versat Theophylactus: *Hinc discimus nomina quaedam Angelorum ac spirituum caelestium nobis hic esse incognita, quae in coelis revelabuntur; quod me, et natura eorum, et finis ad quem conditi sunt, tuto faciunt arbitrari.* Haec Theophylactus. Et quidem recte argumentatur Eucherius in Lucam. Si Ismael, Isaac, Salomon, Ioannes suis fuerunt nominibus compellati, antequam in hanc lucem prodirent; *Quare*, inquit, *hoc Angelis negabimus*? Et firmari potest, quia, ut refert auctor vitae s. Ioannae de la Cruz, cum a Deipara saepius postulasset, ut scire posset nomen proprium sui Angeli Custodis, tandem ab illa hausit, illud esse Zaruel.

Roborari potest eadem ratio, quia novem Angelorum chori discernuntur a nobis per peculiaria nomina: alii enim Seraphim, alii Cherubim, alii Dominationes dicuntur, et sic de aliis; ergo etiam singuli Angeli suo peculiari nomine gaudebunt. Firmatur ex verbis illis Christi Domini, Lucae c. 8. Ait ad Daemonem Christus: *Quod tibi nomen est*? Ergo iam daemones nomina sibi peculiaria vendicant, alioquin Christus Dominus supervacanee petiisset: *Quod tibi nomen est*? Nec obstat, Daemonem respondisse, se dici Legionem: legionis autem nullum est proprium nomen. Hinc enim non fit, Daemonem illum caruisse suo nomine, sed ducem illius legionis non aperuisse proprium nomen; quia non solum hominem illum occupabat, sed alii plures cum eo; ac proinde nomen Legionis aperuit, ut ostenderet plures ibi daemones adesse.

Huic nostro asserto auxilium fert Iacob, Gen. 32; ubi ab Angelo, quocum luctam inierat, nomen extorquet, aiens: *Dic mihi, quo appellaris nomine*? Item Iudic. 13, Manue Samsonis pater sciscitatus est ab Angelo: *Quod est tibi nomen? Cui Angelus: Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?* Ubi tanquam certum ponebat Angelus, nomine sibi proprio vocari: idemque dicendum est de aliis Angelis. Quare perperam Doctores illi apud Magistrum citatum, nomina illa Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, aiunt esse nomina communia, nunc huic, nunc illi Angelo; sed dicendum est esse nomina singularia tribus tantum Angelis propria; quod patet ex communi fidelium sentiendi modo, et ex Ecclesiae ritu, tres enim certos spiritus sub illis nominibus imploramus in sacris Litaniis.

Nobis adversatur Alphonsus Tostatus in c. 3 Iudicum, q. 33, ubi omnino negat nomina Angelis, quibus utantur. Eius tamen momenta non urgent. Illud magis urgere poterat, quod afferri solet ex Concilio romano, cui praesidebat Zacharias Papa; in quo cum cuiusdam Adelberti oratio recitata fuisset, in qua haec Angelorum nomina exprimebantur: nempe angelus Uriel, angelus Raguel, angelus Tubuel, angelus Michael, angelus Adimis, angelus Tubuas, angelus Sabaoth, angelus Simibel; quibus auditis, Zacharias Pontifex ad suos Assessores oculos intendens ait: Quid ad haec, Fratres, respondetis? Tunc Episcopi et Presbyteri responderunt: Quid aliud agendum est, nisi ut omnia, quae coram nobis lecta sunt, igni concrementur, et auctores eorum anathematis vinculo percellantur; quia octo nomina Angelorum, quae in praefata oratione Adelbertus produxit, non Angelorum, dempto Michaele, sed magis Daemonum nomina censenda sunt, quos ad praestandum sibi auxilium invocavit: Nos autem, ut a nostro sancto apostolatu edocemur, et divina tradit auctoritas, non plusquam trium Angelorum nomina noscimus, id est Michael, Gabriel, Raphael. Cui sententiae tum alii omnes, tum ipse Pontifex subscripserunt. Sed neque haec militant adversus nostrum assertum: siquidem hoc concilium non negat nomina Angelis, sed illa nomina dicit non esse Angelorum, sed Daemonum. Itaque aio cum nostro Cornelio a Lapide in prooemio ad librum 3 et 4 Esdrae, Ecclesiam tria illa Angelorum nomina solum ex sacris Voluminibus agnoscere; alia tamen non damnare, nisi ab haereticis et magis commenta, qualia reputabantur ea, in quae ibi Concilium agit. Neque item obstat Chrysostomus, cum homil. 2 in cap. 1 Epist. ad Hebraeos ait: *Quid mirum est, si nec Dei vocabulum index propriae constet essentiae, cum neque in Angelo proprium nomen invenias, quod eius essentiam declaret? Arbitror autem, quia neque animae reperta est propria denominatio.* Haec, inquam, non obstant; licet enim non assequamur nos Angelorum et animarum nomina; non ideo asserendum est, nulla habere nomina, cum dicat Christus, Lucae 10: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in coelis.*

1397. *Assertum tertium.* Virgo Deipara aeternum in caelis sanctissimo Mariae nomine

nuncupabitur. Christus etiam Dominus sacro Iesu nomine, Beati etiam omnes sive Angeli, sive homines peculiare sibi proprium nomen sortientur. Ita Barradas citatus. Prima pars suadetur ex eo, quod nullum appareat fundamentum ad id negandum. Praeterea nomen Iesu et Mariae utique ab aeterno est in Praedestinationis libro adnotatum; ambo tanquam praedestinatorum primipili; ergo tanquam caelestia nomina aeternum in coelis permanebunt: quorum enim nomina scripta sunt in libro vitae, nunquam abolebuntur; ergo aeternum durabunt. Singillatim autem de Mariae nomine ait Card. Petrus Damianus, ser. 1 de Annunciat.: *Facit sermonem cum Angelis* (scilicet Deus) *de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione; et statim de thesauro Divinitatis Mariae nomen evolvitur.* Ubi in tota aeternitate nomen exaratum, et quasi convolutum in Dei thesauris, affirmat purpuratus Pater. Hinc etiam suadetur secunda pars asserti; ait enim Christus Dominus de Apostolis: *Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in coelis.* Et Paulus ad Philip.: c. 4: *Quorum nomina sunt scripta in libro vitae.* Si ergo praedestinatorum nomina sunt in libro vitae exarata ab aeterno *a parte ante*, ut loquitur Schola; ergo etiam in totam aeternitatem *a parte post* erunt duratura. Utrum vero sortientur in coelis Beati alia nomina praestantiora, unusquisque sibi assumendo peculiare aliquod nomen aliud honorificentius, non constat, id probabile duco: dummodo tanquam certum statuamus sanctissimum Mariae nomen aeternum in coelis permansurum, illudque saepius per Beatorum ora ingeminandum.

Quod autem Mariae nomen modo in patria personet, et frequentius audiatur, asserunt plures Patres. Piissimus Idiota, lib. de Contemplat. Deiparae, cap. 5, ita fatur: *Tantae virtutis et excellentiae est tuum sanctissimum nomen, o Beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius ridet coelum, terra laetatur, Angeli congaudent.* Profecto risus novitus ortum gaudium ac laetitiam annunciat; quid ergo, nonne Beatitudo, est status omnium bonorum aggregatione perfectus? qui ergo fieri potest, ut novum illic gaudium accrescat? Videlicet, ea est Mariani nominis iucunditas, ut adhuc coelorum incolis, perenni beatitudine fruentibus, eius prolatio novam gaudendi materiam suppeditet. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*; aiebat Isaias, c. 62. Arbitrantur autem hoc nomen novum esse Iesum s. Thomas, et s. Cyrillus apud Cornelium ad eum locum: sed Richardus a s. Laurentio, lib. 1, cap. 2, in sanctum Mariae nomen transfert verba praefata. Sed quare nomen Mariae novum nuncupari potest, cum iam ex thesauro divinitatis, in quo asservabatur, iamdiu fuerit depromptum, ut supra monuimus cum Petro Damiano? Deinde hoc nomine, Moysis soror compellata fuit; nihil ergo de novitate blandiri sibi potest hoc nomen, cum sit vetustissimum. Dubium eleganter dissolvit Franco abbas, de Grat. novi Testam. tract. 6: *Nomen*, ait, *Mariae, mirum quid suave atque divinum in se continet, ut, cum sonuerit amicis cordibus, amicae suavitatis odorem spiret. Et mirum illud est de nomine Mariae, et valde mirum, ut millies auditum, semper audiatur quasi novum.* Nomen Mariae semper novitatem halat, semper illius novum pronunciandi desiderium ingerit, quasi ipsi visioni beatificae cognatum et adsimile existat, quae ita animum exsatiat, ut semper quasi novitus exhilaret. Marianum nomen quamvis antiquum, et quod cum ipsa aeternitate de vetustate decertare possit, semper tamen novitatem praesefert: quoties enim apud Superos insonat, novis eos iucunditatibus replet, semper novis gratiis exundat, et millies repetitum, quasi novum canticum plausibus excipitur a caelitibus. Profecto ea est rerum humanarum conditio, quamtumvis iucundissimarum et concupitarum ardentibus votis, ut eius frequentia nauseam provocet, fastidium pariat, eiusque nimietas interitum afferat. Accipe perpulcrum huius rei symbolum apud Danielem, cap. 4; ubi visa est in somnis a rege arbor ramosa ac procera, cuius fructus uber ac multiplex foliorum numerositatem aequabat. Apte quidem quod a somno proveniant ea bona, quae cum viridantibus foliis ad certamen veniunt. Huius arboris radices in terra: hoc per se patebat. Sed non ita; ad instar prodigii enim haberi debet, quod adhuc ligna hic radices agant: *Ecce arbor in medio terrae.* Videsne quia nec per somnum velle Deum in Regum palatiis adesse personarum acceptiones? Hinc nata regni amplitudo, novi provinciarum auctus, ac prospera in rebus omnibus fortuna, fortunatique eventus. *Magna arbor et fortis, et proceritas eius contingens coelum: adspectus illius erat usque ad terminos universae terrae:* cuius fructibus pascebantur animantia quaeque terrestria, alebantur eisdem alites coeli, ac cuncta viventia ibi generali victu fruebantur: *Et esca universorum in ea.* Deus bone! quid inde consequitur? *Succidite arborem, praecidite ramos eius, et excutite folia eius.* O gaudium mundi, quam cito evanescis! Bona temporalia quam cito pereunt! Omnis humana iucunditas protinus disparet! quam celeri gressu omnis felicitas funebre nobis exhibet spectaculum! Sed in quo deliquit arbor ista pulcherrima, dives fructibus et opima? Anne quia procera, et eius altitudo in coelum usque protendebatur? An quia foliis venusta et oculis gratissima? vel quia fructibus onusta et uberrima? Nihil horum: sed quia eius magnitudo nimium excrevit; et eius fructus, quia nimius, fastidium peperit, et ad interitum usque arborem perduxit. *Altitudo eius nimia, et fructus eius nimius.* Et ecce protinus securim experta est, et interitum passa, quia cuiuscunque boni nimietas ac frequentia eiusdem boni finem auguratur, ac rei abundantia ipsius ruinam meditatur: quando de raritate merces suum pretium ac valorem augent. *Hoc fortassis*, inquit Richardus Victorinus, lib. 2, c. 14, *de eruditione interioris hominis: in hac descripta arbore reprehensibile fuit. Haec fortassis succisionis causa exstitit, quod eius altitudo nimia fuit etc. et hoc ei exsti-*

tit causa ruinae. Hoc singulare fuit Mariani nominis privilegium, ut nulla ipsius prolationis nimietas nauseam moveat, fastidiumve pariat audienti; neque eius magnitudo ad interitum ducat, aut casum timere possit; imo vitam aeternum duraturam auspicetur, et absque ullo taedio instar beatitudinis, de arcana novitate per aeternitatem illud proferentes, et audientes beare possit.

1398. Ideo Angeli avide non semel sciscitantur, Cant. 3: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi?* etc. Nam iuxta Theodoretum, Nyssenum et Ambrosium, Angelorum vox illa est. Sed mirum merito videri debet, coelites percontari, quaenam sit coelorum Regina: anne suam Imperatricem ignorant? Cur ter ad minus de nomine Mariano inquirunt Angeli in Canticis? Scilicet, ex eo Angeli solerter perquirunt, *Quae est ista?* non quod suam Reginam ignotam habeant; sed quia Mariani nominis dulcedine capti, saepius illud suis auribus insonari percupiunt, ac devoto obsequio et festivo cunctorum coelitum gaudio Mariae vocabulum frequentius ingeminari expetunt; quasi in illo beatitudinis pelago, in quo bonis omnibus ubertim exundant, non sat plene cumulati omni felicitate viderent, si post dulcissimum Iesu nomen, sanctum Mariae nomen per omnium aures in aetherea illa regione non personaret: ideo ultro citroque, ac reciproca interrogatione alii alios sollicitant, et urgent rogantes: *Quae est ista?* ut interrogationi succedat frequens ac repetita responsio, nempe Maria, quae omnium animos exhilaret, ac suavissimo imbuat gaudio, novaque perfundat laetitia. Hunc sensum amant verba Richardi a s. Laur., lib. 1 de laudibus Virg. cap. 2, in praedicta verba illa: *Quae est illa? Forsitan quia dulce Mariae nomen, sibi desiderant responderi. Sicut enim antiquis Patribus, Isaiae, et caeteris nomen Domini in desiderio erat, ut scilicet inter homines nominaretur Christus, qui notus erat in coelo, et nomen, quod claudebatur in coelo, effunderetur in terris: sic et Angeli Mariae nomen desiderabant nominari, et in notitiam effundi, ut non intra terrae terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in coelis.* Quasi inviderent Angeli quod tantum nomen omni suavitate refertum, nempe Mariae, intra terrae terminos clauderetur; quare illud in coelis repetitis vocibus ingeminari cupientes, saepius interrogant, iterum atque iterum quaerunt: *Quae est ista?* ut in coelis frequentius personans, coelites accidentali quodam gaudio perfundat ac beet. Quod gaudium a caelitibus haustum ex prolatione nominis Mariae ipsa B. Virgo sanctae Birgittae patefecit, lib. 1 revel. cap. 19, per haec verba: *Filius meus quantum honoravit etiam nomen meum, audi: Nomen meum est Maria; hoc nomen cum Angeli audiunt, gaudent in conscientia sua, et regratiantur Deo, qui per me, et mecum talem gratiam fecit, et quod vident ipsi humanitatem Filii mei in Deitate glorificatam.* Monuimus in II Congressu huius Palaestrae, Mariam perinde esse ac *Stellam;* et merito, quia sicut stella non solum infima perlustrat, sed etiam coelos suo fulgore recreat; sic Mariae nomen non solum terras radiis suae dulcedinis perfundit, sed coelites ipsos suis fulgoribus illustrat, ac novis laetitiae incrementis cumulat. Opportune s. Antoninus ait: *Ipsa namque est nobilis illa Stella orta ex Iacob, cuius radius totum orbem illustravit; cuius splendor etiam praefulget in supernis, inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens mentes magis quam corpora, fovet virtutes et excoquit vitia.*

Huc flecti potest illud Ecclesiastici 42: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius.* Per solem, Mariam intelligit s. Bonaventura in Speculo, lect. 3: *Maria per omnia illuminat coelum per lucidissimam gloriam suam, sicut sol mundum, et ita sol illuminans, et opus Domini excellentissimum est Maria.* Sed qui potest Marianus sol coelum empyreum radiantibus suis fulgoribus illustrare, cum dicat D. Ioannes lucernam eius esse Agnum, ac Dei claritate aetheream illam regionem splendescere? Anne lucescente sole, Marianum sydus praefulget, et ad meridianos Solis aeterni radios, non solum syderis huius fulgor non obtenebrātur, sed lucem ipsam Solis adauget? Ita plane, iuxta mentem D. Bernardi, serm. 1 de Assumpt.: *Mariae praesentia totus illustratur orbis; et ipsa caelestis patria clarius rutilat Virgineae lampadis irradiata fulgore.* Quasi nominis Mariani prolatio adhuc beatifica visione fruentibus novum gaudium afferat, novam dulcedinem ingerat, ideoque a celestibus agminibus identidem decantatur, auctore Athanasio apud Canisium, lib. 3 de Deipara, c. 9: *Gabrielis istud praeconium, Ave Maria, non hominum tantum, sed etiam Angelorum tali Reginae gratulantium est proprium; quod partim in terrestri, partim in coelesti Ecclesia suum habere usum debet: ac tres quidem Angelorum hierarchias, non sine magna et sonora voce iis verbis decantare scribit.* Haec Canisius ex Athanasio. Huius nominis dulcedine allecti Angeli illud saepius intonant, ut gaudium beatitudinis compleant, ac per totam aeternitatem in coelis personabit, ut semper novum gloriae accidentalis augmentum accrescat. *Et nomen Virginis, Maria,* ait Bernardus, *nominat Virginem:* Sed cur nomen Mariae intonat? Respondet mellifluus abbas, serm. 2 super *Missus est: Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, et cordis decore praefulgida, specie sua, et pulcritudine sua in caelestibus cognita caeli, civium in se provocavit adspectus.*

1399. Sydus ergo hoc Marianum coelos exornat, ac luce sua adspectui longe pulcriores reddit, iuxta illud Ecclesiast. 43: *Spes caeli gloria stellarum.* Deus ergo stellas condidit ut splendescerent in firmamento coeli, eiusque pulcritudo magis emicaret; sic hoc sydus Marianum empyreum coelum venustat, eiusque absentia non ita conspicabile foret Beatis, ac sine nomine Mariae aliquid pulcritudinis et gloriae desideraretur. Quod ingenue fatetur Sponsus, Cant. 2 verbis illis: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni: iam hiems transiit, imber*

abiit, et recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra. Haec sponsus ad Mariam, iuxta plures interpretum, quos non lubet referre, ne morosus sim: sed cur coelestis hymnodia sub lugubri voce turturis auditur, et sub funesto gemitu instar turturis intonat, quae deserta loca amat, amoena fugit, caeterarum avium coetum fugat, consortis deplorans absentiam? Anne in coelo solitudo reperitur, vel gemitus audiri possunt? ibi solum concrepat dulce melos, modulantur aligeri spiritus, laetissima intonant cantica, dulcisque psalmodia omnem recreat auditum: ergo illinc longe exulat lugubre carmen, nec ulla vox turturis, concentum interturbat, sicut anser inter olores. Profecto absente Maria, suspiria ac gemitus personant apud coelites: coelum hoc sydere Mariano viduum, quasi devenustatum queritur; coelestis curia hoc privata nomine, quasi in solitudinem versa, instar turturis gemit, ac nescit nisi lugubre carmen ingeminare, suspiriaque imo a pectore mittere. Praeclare Hugo de s. Victore, ser. 2 de Assumpt., in rem praesentem ita fatur: *Vox turturis amori canit, et dilectioni, et habet singularem dilectionem turturis cui canit, vel praesenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, et non novit aliud praeter amorem turtur,* etc. *Surge velociter et egredere ad illum, scilicet, in gloria Christum, ut videas faciem eius: exspectat te, qui natus est ex te; illuc praecessit te; illic est filius tuus, qui vocat te, qui invitat te, qui venientem de Libano praecedit te, et exspectat te super montes aromatum.* Cuncti ergo Coelicolarum cunei, audito augusto Mariae nomine, procumbunt, excipiunt plausibus, tripudiis exultant, ac canticis harmonicis concelebrant, ut bene meditatus est Bernardinus de Bustos, serm. 2 de Mariae nomine: *Gloriosae isti Dominae,* ait, *omnes creaturae reverentiam exhibent, et faciunt illud, quod de filio suo Apostolus praecipit ad Philipp. II: In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. In nomine igitur Virginis Mariae dicuntur flectere genua coelestia agmina; Angeli enim nomen eius maxime venerantur, et eam reverenter adorant, et ipse Filius Dei Matrem suam veneratur.*

Hoc igitur Marianum nomen Angelorum aemulatores pluribus veneremur obsequiis, ac frequenter per omnium ora ac corda percurrat, hoc enim iaculo tartareas phalanges fugabimus, quinque huius nominis litteris, veluti quinque lapidibus gigantem Goliath, nempe Daemonem debellabimus. Hac Virga Iesse, nempe Maria, et quinque eius nominis litteris, quae tot sunt limpidissimi lapides, Diabolum expugnabimus, et omnes hostes profligabimus, ut patet in victoria illa reportata ab ingenti Turcarum et Maurorum classe: funda enim globorum precariorum, ac lapidibus nominis Mariae instar globorum aeneorum universa hostium classis funditus eversa est, quia ipsa Deipara nominis sui lapide hostium capita contrivit. Vis ergo in extremo mortis discrimine adversus callidissimos daemones communiri? Iis lapidibus te obarma, huius nominis patrocinio te protege; sic, mihi crede, inimicas acies superabis, saevientes hostium insultus eludes. Ait enim Amos, cap. 6: *Nunquid currere queunt equi in petris?* Quinam equi per petrosa iter ac cursum aggrediantur, alioquin caespitabunt, ac corruent? Hi equi, si sanctum Hieronymum consulamus, armatae daemonum acies sunt: vis ergo illarum cursum praepedire, imo acies evertere? Hos lapides congere Mariani nominis, repetitis vocibus hoc nomen enuncia; sic viam sternes lapidibus, quibus inimicarum acierum cursum retardabis, profligabis, evertes. *Petra*, inquit Hieronymus in praedicta verba, *Christus est, qui donavit Apostolis suis, ut ipsi quoque Petrae vocentur. Tu es Petrus, et super hanc petram* etc. *Qui in istis petris fuerit, adversariae potestates, quae appellantur equi, persequi eum non poterunt, cursibus praepeditis, et per singulas petras corruent.* Ex adverso autem hi quinque litterarum lapides nominis Mariani, quibus acies inimica devastatur, sunt quinque gemmae, seu lapilli mirae pulcritudinis, qui eorum, qui Mariae obsequio se devovent, diadema illustrant et exornant. Fert primas, *M*, margarita seu unio, gemma pulcherrima ac fulgentissima, vim purificandi ac expurgandi continens, et cor debile corroborans. De Maria D. Cyrillus, orat. contra Nestorium, fatur: *Tu enim pretiosa es margarita orbis terrarum.* Hac igitur inventa pretiosa margarita, opus est omnia mundi lucra abiicere, cuncta terrena despicere, ut hanc margaritam nobis comparemus, qua una ditiores facti, nulla alia re indigemus. Secunda littera, *A*, adamantem praesefert, reconciliationis gemma vocatur, quia ad dilectionem et amorem allicit virtute nativa: sic Maria humanum genus Deo reconciliavit, ac divino foedere divinam humanamque naturam copulavit. Tertio loco, *R*, rubinus seu carbunculus sequitur, cuius splendore demulcentur homines, dicitur carbunculus quasi *carbo ignitus*, lucet in tenebris: Maria etiam in passionis ac tormentorum nocte semper lucebat, ac radios fortitudinis, spei, et amoris evibrabat. Gemma haec in pulverem redacta, cuilibet vulneri medendo aptissima: Mariae nomen dentibus tritum, cuiuscunque animae vulneri curando opportunissimum. Quartum elementum nominis Mariae est *I*, et iaspidem laevissimum denotat, qui febrim propulsat, hydropem sanat, oculos purgat: Maria libidinis ardores extinguit, delictorum febres propellit, superbiae hydropem, animi demissione frangit et extenuat, ac mentis oculos collustrat. Quod si iaspis inter pericula facit hominem tutum, iuxta Geminianum l. 2, c. 13, Maria hominem corroborat ac communit adversus quaecunque vitae discrimina. Bernardus, serm. 1 de B. Virgine: *Oportet universos Christicolas inter fluctus huius saeculi navigantes attendere hanc maris stellam, quae supremo cardini, id est Deo, proxima est: quod qui fecerit non iactabitur vanae gloriae vento, nec frangetur scopulis adversariorum, nec absorbebitur syrenea voragine voluptatum;*

sed prospere veniet ad portum quietis aeternae. Ultima littera Mariani nominis est, *A*, et signat allectorium lapidem, quia allicit et ad se trahit, nescio qua insita et occulta vi, ferrum. De hoc lapide ait citatus Geminianus, c. 14: *Magneti assimilatur humilitas, quia magnes habet virtutem attractivam; sic Maria per humilitatem Deum ad terram attraxit, sicut ipsa de se testatur: Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Huius animi demissionis pulcritudine captus et illectus Deus ad nos descendit, unde pulcre Card. Hailgrinus ad illa verba, *Vulnerasti cor meum*, sic habet: *Huius mulieris speciem sic concupivit Dominus, et ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus est Omnipotens.*

Et quia hic de globulis precariis B. Virginis incidit sermo, placuit hic, haec inserere. Ingeniose quidem Basilius Magnus, epist. 149 de rosa verba interserens, haec habet: *Audivi quod rosarum amatoribus, natura spinas, quasi quaedam amatoria illectamenta, isti flori affixerit, ut stimulis aegre contactum admittentibus ad maius desiderium provocent colligentes.* Aculeatae itaque spinae non solum rosae pulcritudinem non deturpant, imo eam pulcriorem reddunt, eamque tanquam reginam custodiunt, atque suspiciunt. Quaenam haec rosa pulcherrima, nisi Maria, rosa Hiericuntina: *Sicut plantatio rosae in Hierico?* Rosa inter spinas tot Maurorum in bellum illud navale apud Lepantum coeuntium adversus nostrorum aciem, globulis sanctissimi Rosarii B. Virginis obarmatam, ac maxime praemunitam a summo Ecclesiae Pastore Pio V, et quidem tot Turcarum ac Maurorum phalanges tanquam spinarum aculei rosarium hoc exornarunt, eiusque pulcritudinem auxerunt: siquidem eo magis victoria a nostris parta, ac triumphus reportatus emicuit, quo turpius ac foedius tot Maurorum atque Turcarum myriades devictae ac funditus eversae corruerunt. Quo respexit Sapiens, Eccli. 24, cum ait: *Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Hierico.* Sed quae connexio reperiri potest inter palmam et rosam? illa sed enim super cedros extollitur altissimas; haec vix a terra caput erigit: illa duratione reliquas omnes arbores facile antecellit; rosa autem ipsa una die oritur, et occidit. Sed apte quidem inter se palma cum rosa connectuntur: quippe per hanc rosam, Mariam, eiusque globulos precarios insignis illa victoria per palmam adumbrata per nostros parta fuit a Turcis, eorumque duce et imperatore Selim, eversa hostium phalange, eorundemque classe in mari submersa. Quod olim vaticinatus fuerat Solymaeus rex, Ps. 73: *Tu confregisti capita draconis in aquis.* In cuius rei confirmationem, cum Turcarum labarum ad summum Pontificem Pium V deferretur, illud pedibus proterens et conculcans, illum Ps. 90 versiculum protulit: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* In quam victoriam visus est mihi oculos intendisse sponsus, cum B. Virginem alloquens ita fatur, Cant. c. 1: *Muraenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento;* vel, ut Rupertus transfert, *in similitudinem serpentis, vel draconis.* De quo plura habes num. 223, et 1518. De quo triumpho applaudit idem Sponsus, Mariae, Cant. 4, cum ait: *Veni de Libano, sponsa, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, et de montibus pardorum.* Quorum verborum sensum in rem praesentem erues ex numeris 104, 922 1120, 1300 et 1787. Hoc sertum, quo Deiparae Virginis Mariae caput redimitur, est compactum ex rosis iuxta Episcopum Crotonensem, tom. 3 suae epitomae, rosis, inquam, ex sacro Rosario depromptis; in cuius rei fidem subdit ipse: Non semel visa est Virgo Deipara tot decerpere rosas, quot salutationes angelicas proferebat, qui globulos precarios B. Virginis devota mente recitabat; quibus caput suum tanquam serto floridissimo exornabat. Corniculans autem luna, quam sub pedibus Mariae vidit Ioannes, dum ait: *Luna sub pedibus eius*, adumbrabat utique Turcarum cuneos, qui semper in labaris lunam decrescentem ferunt, quam pedibus proterit Maria, ut iam inde praediceret Ioannes hanc nostrorum a Turcis partam victoriam suffragatione et interventione Mariae, eiusdemque globulorum precariorum virtute, tanquam globulorum aeneorum displosione. Ergo iure quidem optimo omnis fidelium coetus cum foemina illa de Evangelio edocta, Mariam semper Virginem plausibus et acclamationibus concelebrent ac concinant: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, siquidem per Maternitatem Dei hanc sibi gloriam ac potentiam nacta est. Alii aiunt eiusmodi rosas, sive stellas, quibus caput Virgineum redimitur, nihil aliud esse, quam B. Virginis in suos clientes subsidium ac munimen. De quo plura toto hoc opere sevimus. Nunc solum adiiciam unam aut alteram historiam, quibus Marianum confirmem patrocinium in suos clientes, qui suos globulos precarios frequenter percurrunt. Ergo proficiscens Vincentiam Antonius e D. Francisci instituto, ut refert Chron. Minor. p. 3, lib. 1, c. 36 et 37, in mediis agris largissimo deprehensus est imbre; cum nihil occurreret, quo se tegeret, rosarium suo capiti imposuit, deprecans Virginem Deiparam, ut a se pluviam arceret. Res mirissima! Vix protulerat verba, et ecce velut si rosarium in tectum amplissimum solidissimumque conversum fuisset, ita eum texit ac protexit, ut ad urbem usque progressus sit, nec levi quidem pluviae gutta respersus. Alani item e sacra Dominicanorum Familia, eo magis publicanda sacrorum globulorum Rosarii Mariani devotio, quo in pluribus periculis praesentaneum illi B. Virgo patrocinium praestitit: ergo antequam s. Dominici Ordini nomen daret, ut auctor est idem Chronic. rosarium B. V. permagno ducebat, illudque singulis diebus devote ac reverenter recitabat haud exiguo fructu. Quippe cum miles dimicaret contra haereticos Albigenses, et ab hostibus undequaque cinctus in ingenti versaretur discrimine, adstitit illi visibili forma Vir-

go Deiparens, et centum quinquaginta lapides ipsa sua manu in hostes proiecit, magnamque eorum stragem fecit, reddiditque victorem clientem suum. Nec hac contenta victoria Deipara, iterum cum idem Alanus naufragium fecisset, ac in mediis fluctibus grande subiret discrimen; subito Virgine auxiliatrice e profundo emerserunt longa serie ad littus usque centum quinquaginta monticuli, per quos ad oras maritimas liber et incolumis evasit; quasi centum quinquaginta Rosarii globuli in totidem lapides, sive tormenta bellica, et postea in totidem colles transferrentur.

PALAESTRA UNDEVICESIMA

De Votis a Beata Virgine nuncupatis.

CERTAMEN PRIMUM

B. Virgo omnium prima Virginitatis vexillum, nuncupato voto, extulit.

1400. Virginem Deiparam omnium primam Virginitatem vovisse spontaneam, nullo Dei praecepto coactam, unanimi Patrum ac Theologorum consensu plures ex recentioribus serio probant. Unus Sherlogus plusquam septuaginta Doctores adducit pro hac nostra sententia, tom. 2 in Cant, vestigat. 20, sect. 2. Non est hic autem sermo de virginitate coacta ex Dei praecepto, vel hominum, et necessitatis violentia: neque loquimur de integritate perpetua sine voto; sic enim nonnulli filiae Iephte, Heliae, Ieremiae, et aliis perpetuam virginitatem attribuunt. Vasquius, in 3 p., disp. 124, c. 5, expendens unanimem Scholasticorum sententiam, docet hoc assertum esse verissimum. Probarique potest plurium Doctorum suffragio, ante B. Virginis votum, nullum aliud virginitatis votum praecessisse. Suadetur etiam auctoritate eorum, qui docent in veteri Lege matrimonii dignitatem praelatam fuisse virginitati, adeoque nihil mirum, si nullus noverit eam. Alii confirmant, quia in veteri Lege ignominiosa fuit perpetua virginitas; unde nulla laus redundabat antiquitus ex virginitatis virtute; et consequenter inter Hebraeos virginitas minus bona reputabatur, quam nuptiae, atque adeo virginitatis votum non erat de meliori bono. Imo subdunt aliqui tunc virginitatem esse prohibitam, ac tempore Deiparae adhuc ipsius prohibitionem de iure divino permansisse. Fulcitur eadem veritas ex Patribus adstruentibus virginitatis votum ante Deiparam fuisse impossibile; quis enim statum, ac vivendi normam maledictioni obnoxiam voto consecraret? Roboratur ex aliorum Doctorum placito asserentium virginitatem esse discrimen ac notam, qua Lex evangelica a caeteris secernitur; et vix, ac ne vix quidem, aliquis ex Patribus et Doctoribus, annis mille et quadringentis post ortum Christi, docuisse reperietur, fuisse virum aliquem, vel foeminam, quae perpetuam virginitatem voverit, antequam Deipara illam voto nuncupaverit.

Qui vero in contrariam sententiam adduci solent, vel loquuntur de virginitate iussa magis, quam sponte oblata, ut docet Guilielmus abbas s. Bernardi discipulus; vel sermonem habent de virginitate praecepta, ut aliqui docent de Iosue, Elia, Elisaeo, Ieremia; vel solum intelligendi sunt de castitate coniugali, aut viduali post liberorum susceptionem; vel de virginitate non perpetua, sed solum ad tempus. Imo incertum est de nonnullis, qui numerantur inter virgines in veteri Testamento, an vere fuerint virgines. Nam Maria soror Moysis dicitur nupta, et nomen viri, *Ur*, a Iosepho nuncupatur, lib. 3 Antiquit. Baronius assentitur in apparatu c. 45, et Vasquius in 3 p., disp. 124. Ieremias a nonnullis cum Paraphrasi chaldaica putatur pater Ezechielis. Eliam ante propheticum munus obitum, ex matrimonio filios suscepisse, opinantur aliqui, qui cum Petro Damiano asseruerunt Eliam fuisse Phinees, de quo constat ex Scriptura liberos habuisse. Daniel ideo coelebs, quia eunuchus, ut aliqui docuere allegati a Gaspare Sanchez in prolegom. huius Prophetae. De Abele Salianus noster, an. mundi 80, subdubitat, an fuerit uxoratus. Si vero opponat quispiam Chrysostomum, hom. 4 in Marc. (quae in nonnullis editionibus est hom. 4 in vigilia Epiphan.), docere aliquos veteris Testamenti castitatem vovisse; responderi potest primo, eundem Chrysostomum, hom. de poenitentia, stare pro nostra sententia: deinde ex Bellarmino, de scriptoribus Ecclesiasticis, eas homilias in Marc. non esse D. Chrysostomi, sed hominis alicuius ariani. Tertio exponi posset de voto castitatis coniugalis, aut vidualis; idemque dici posset de verbis Damasceni, lib. 4 de fide, cap. 24: *Nonne*, inquit, *lex magnum votum castitatis appellavit*? Addit Sherlogus cit. fortassis mendum irrepsisse, et loco *Nazaraeatus*, vox *Castitatis* apposita. Nullibi enim reperitur in sacris Voluminibus veteris Testamenti, eiusmodi votum castitatis; solum enim ait sacer Textus, Numer. 6: *Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino, et omni, quod inebriare potest, abstinebunt*, Ubi lectio LXX Interpretum sic habet: *Vir aut mulier quicunque voverit votum purificandi puritatem Domino, a vino, et sicera tempera-*

bit. Ubi solum sermo est de voto Nazaraeatus, ut ibi interpretes: nemo autem ignorat Nazaraeos uxores duxisse, ut constat in Samsone et Samuele, quos perpetuos Nazaraeos fuisse certum est, et tamen uxorati fuere.

Maius litigium esse potest de Hesenis, qui coniugia recusasse dicuntur. Verum si loquamur de Hesenis quibusdam ante Christum, ait Iosephus, lib. 2 de Bello, cap. 2, ideo illos respuisse coniugia, quod crederent, nullam foeminam uni viro fidem servare: nam ex alio capite turpitudinibus ac impudicitiis vacabant, ut ait Nilus in Ascetico; et Bellarminus, lib. 2 de monachis, cap. 5. Si vero sermo sit de Hesenis novi Testamenti, concedimus illos esse christianos, et virginitatem vovisse, utpote veros novae legis evangelicae religiosos. De quo videndi Spinellus in suo Throno, cap. 32, num. 23 et deinceps, Carthagena, lib. 3 de Praesentat. Virg. Antiquitus magnus honos ipsis deferebatur.

Quae autem opponi possunt contra hanc nostram sententiam, deprompta ex Ioanne Hierosolym. Antistite huius nominis 44 tractatu de instituit. Monachorum, tum ex historia prophetica: nihil obstant, ut erudite probat Sherlogus citatus, et verba illa praedicti Ioannis cap. 34 nulla ratione admittenda sunt, sed omnino obliteranda; ait enim: *B. Dei Genitrix praeputium impudicitiae exemplo Heliae a se penitus circumcidere elegit prima foeminarum, et propter Deum in Virginitate perpetua vivere*. Siquidem Virgo Deipara, nec ab Helia, neque ab alio quopiam virginitatem vovere edocta fuit, quia prima voti virginitatis inter foeminas et viros vexillum extulit. Quisnam autem fuerit hic Ioannes Hierosolymitanus, et utrum ab eo scriptus tractatus ille de institut. Monach. solerter probat Sherlogus; et quidem haeresis arguitur a D. Hieronymo: unde Fr. Ioannes Maria Brasich sacri Palatii Magister, tom. indic. expurg. librorum, pag. 291, iubet auferri praefixum *Divi* titulum; quia inquit: *Qui res huius Ioannis, cui saepius cum s. Epiphanio, et Theophilo Alexandrino altercationes fuere, probe cognoverit; iudicabit utique quam indignus nomine Sancti, aut Divi extiterit*. Videatur etiam Baronius, t. 4 Annal., an. Christi 386 et 393, et tom. 5, an. 399, et ann. 415 et 417.

1401. In hanc nostram sententiam conspirant fere omnes vetusti Patres, quos videre poteris apud Canisium, l. 2 de Deipara, c. 13, a quibus passim omnium virginum Primipila, Primiceria, Caput, Princeps, Magistra ac Dux nuncupatur. Richardus de s. Laur. lib. 4 de laudibus Deiparae, ait: *Maria dicitur Virgo virginum; quia, sicut dicunt sancti, prima inter caeteras Virginitatem vovit, ideo virginitatis signifera est, et exemplar*. Tu toto nisu contende ad hoc signum properare, et sub tanto vexillo militare, auge numerum. Hugo Charensis in cap. 1 Luc. vocat Virginem virginitatis Primiceriam, utpote quae omnibus praeivit in virginitate vovenda. Sapiens Idiota virginitatis Primipilam. Hanc quaestionem docte exagitat Mendoza in Viridario, lib. 2 de floribus sacris, problem. 6. Omnium tamen validissime hanc controversiam dirimit pro nostra sententia, eamque stabilit ac roborat Petrus Hurtado, tom. 2 de vita Christi, qui lucem exspectat adversus Historiam propheticam. Videndus etiam Novarinus in umbra Virginea excur. 11, Carthagena lib. 3 de Praesent. B. Virg., hom. 5, § *Ad rem tamen nostram*. Huc respiciebat s. Germanus, cum vocat Mariam virginitatis typum, qui enim Virgines sunt, ex hoc praelo et typo prodiere excusi: ipsa vero solum in typo ac praelo Virginitatis totius Triados excusa fuit, iuxta illud Nazianzeni: *Prima Trias Virgo est*. Ab hoc ergo praelo suam virgines impressionem sortiuntur. Apte in rem praesentem Albertus Magnus in Mariali: *Maria initium fuit beatitudinis virginitatis, et sic est Virgo virginum, quae sine consilio, sine exemplo, gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, et per sui imitationem omnes virgines Virgo germinavit*. Nec solum Maria virgines format et excudit, sed etiam est typus virginitatis, iuxta s. Germanum. Itaque ipsa puritas ac virginitas in abstracto, qua nihil purius, nihil perfectius; volens formam omnibus suis numeris absolutam nancisci, ut esset post Deum primum exemplar, et idea perfectissima totius puritatis ac virginitatis, ab omni terrenarum affectionum mole, ac corporis corruptibilis et impurioris gravedine defaecata, ac nitidissima; in B. Virginis praelo, sub eiusdemque typo amat excudi, ac imprimi. O tu, quisquis aves ac satagis virginitatem in te purissimam excudere et transferre, opus est, ut in hoc Mariano praelo excudaris, et sub hoc virgineo archetypo reformeris: *Una est forma virginitatis in Maria, cui vos omnes ut imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculptura Spiritus sancti*, aiebat s. Germanus. Quasi virginitas in Maria esset quoddam exemplar integritatis, ac idea Platonica puritatis; siquidem B. Virginis caro ita fuit ab omni faeculenta faece defaecata ac expurgata, tantamque praesefert puritatem, ut purior in Maria ac nitidior eluceat, quam in caelitibus omnis materiae viduis. Quamvis enim B. Virgo naturam a parentibus corruptioni obnoxiam receperit et hauserit; tamen in Maria hoc vitium deposuit, quia in Matrem Dei destinata; itaque eadem natura B. Virginis, qua a parentibus hausta probro, corruptioni et aliis contumeliis subiiciebatur in actu primo, qua vero ab ipso Deo conferebatur, ab omni corruptionis macula immunis erat quasi in actu secundo. Eodem pene ingenio locutus Ephraemus Syrus de margarita pretiosa: *Produxit*, ait, *Deus Virginis naturam labori atque molestiae obnoxiam, et ipsa laboris, corruptionisque expertem recepit*. Itaque in eadem natura duplicem contemplatur respectum sanctus Ephraem, nempe ad Deum conferentem illam, et ad B. Virginem recipientem. Dedit naturam Deus quando Anna Mariam concepit, eiusdem naturae cum nostra, aerumnis subiectam, passionibus obnoxiam, corruptioni subditam. Verum B. Virgo illam recepit illibatam totius impudicitiae extorrem, omnis corruptionis expertem, ac omnino defaecatam: cum enim Beata

Virgo esset veluti forma puritatis in abstracto, attactu suo eam limpidissimam reddidit: idcirco lunam pedibus terere dicitur Deipara, quia luna occiduo, redivivoque lumine defectionis, et corruptionis symbolum est. Quare ait Bernardus de verbis Apoc.: *Nam et defectus omnis sub ea, et quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prae caeteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus eius luna esse dicatur.*

1402. Olim summus honor habebatur illis, qui primi rerum aliquarum inventores existerent. Sic Veneti, ut auctor est Blondus, magno in honore habiti, quod primi bellica tormenta invenerint. Lacedaemones, quod enses primo elaboraverint. Anaximenes, et Anaximander plurimi habebantur, quod horologia primi in lucem protulerint. Carpenta, Arcadiae Dea, mater Evandri, summis honoribus decorata, quod carpentorum, curruumque, ac quadrigarum inventrix fuerit. Verum B. Virgo prae omnibus efferenda est laudibus, quod scilicet virginitatis votum in mundum prima invexerit, quae instar tormenti bellici, Venerem omnis impudicitiae matrem prosternit; instar ensis acutissimi, omnes carnis illecebras resecat; instar horologii, pravos ac inordinatos animi motus componit; ac velut currus triumphalis, ad caelum usque homines provehit. Quisque primus alicuius artis inventor apud gentes, in Deorum album referebatur, erecta ipsius statua aris imposita. Sic Mars primus armorum inventor Deus habitus. Mercurius scientiarum inventor ad Divinitatis fastigium evectus. Orpheus primus musices auctor, tanquam Deus cultus. Ergo et Virgo Deipara, tanquam prima quae Baptismi undas aperuit, quaeque virginitatis votum adinvenit, divinis honoribus suspicienda; quia in qualibet re, maxime virtutis, primas ferre, Dei solius est eminentia. Vestigat Clemens Alexandrinus, cur Deus noluerit Abraham exequi Isaaci filii necem, iam iam districto mucrone in ipsum minitante, cum ipse Isaacum mortuum facillimo negotio ad vitam exsuscitare posset. Respondet autem id ita contigisse, ne Verbo divino in patiendo primatum praeriperet. *Iure*, inquit, *Isaac passus non est, quia primas passionis partes Verbo cessit.* Merito Isaac non moritur eiusmodi violentae necis genere, quia passionis primatus Verbo asservabatur; solius enim Dei est primas in re virtutis ferre. Cum ergo Deipara omnium prima Virginitatis votum nuncupaverit, iure ipsi Deitatis iura deferenda aliquo modo, ac divinae eminentiae tribuendae.

In quaestionem adducit Moyses Barcephas, cur Eva primum ante esum pomi non invitaverit Adamum, ut prius ipse tanquam Evae caput ac vir fructum praegustaret. *Cur*, inquit, *non vocavit Adam, ut ipse prior ederet?* Ne videlicet in Deitatis iure antecederet Adam; sed ipsa Divinitatis primatum sibi arrogaret: *Nimirum*, addit ille, *transformari ipsa prior cupiebat, et Divinitate praeire.* Si enim via aliqua reperitur ad Divinitatis culmen attingendum, ea dubio procul est, qua quispiam primus rem arduam aggreditur, multiplici difficultatum monstro superato, pugnaci robore, ingenti animo, toto nisu ac nervorum contentione. Cum igitur Virgo Deipara, quae, iuxta s. Damascenum de dormit. Deiparae, est primigeniae Evae matris correctio, omnium prima arboris paradisiacae fructum praegustaverit, nempe Virginitatem prima emisso voto servaverit, iure Deitatis eminentias sibi aliqualiter arrogare poterit.

Quod primum ad perfectum orbis ornatum condidit Deus, lux utique fuit: *Dixitque Deus: Fat lux, et facta est lux.* Fatigantur interpretes, eorumque desudant ingenia, cur Deus a luce eiusmodi orbis ornatum inchoaverit, non ab alia re. S. Ambrosius, s. Augustinus cum s. Basilio in Hexameron, hanc adhibent rationem; quia nempe lux Dei similitudinem praesefert, in eo, quod: *Lux*, ait Ambrosius, lib. 1 Hexameron, cap. 9, *coelum, terram, maria illuminat in momento temporis; sic Deus nullo adversante contrario operatur.* Est igitur lux Deitatis scintilla: hinc Deus Pater luminum nuncupatur, quasi lux sit filia, et proles ipsius Dei: idcirco primo conditur, quia primatus existentiae, vel Deo, vel rei, cui aliquid inest divinum, asservatur; quicunque ergo primatum in re virtutis consequitur, Deitatis eminentiam nanciscitur: atque adeo iure quidem optimo Deipara, quae omnium prima virginitatis vexillum extulit, sibi Deitatis eminentias hac in re vendicat, et instar lucis in momento temporis pietatis suae radios in sibi addictos effundit. *Adducentur regi virgines post eam*, inquit Psalmographus. *Post eam*, subdit Bernardus serm. 7 de B. Virg., *non ante eam, quia primatum sola vendicat sibi.* Ideo vocat s. Ephraemus Mariam, Aaronis virgam, quae amygdalina erat; ait enim sacer textus Numer. 17: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Amygdalus ergo omnium arborum prima flores expandit, erumpit in fructus, frondibus virescit tanquam primus veris paranimphus: ideo Virgo Deipara Aaronis virga vocatur, quia inter omnes prima evangelicae legis flores produxit, dum prima sacros baptismi latices epotavit, et omnium prima virginitatis votum nuncupavit. *Adducentur regi*, inquit s. Bernardinus Senensis in praefata Psalmi verba, *scilicet Christo, virgines post eam, id est post Reginam, quae prima summo Regi dicavit virginitatem; proximae eius, idest viduae et continentes quae virginibus proximae iudicantur, afferentur tibi, scilicet Christo; in huius mysterium sumpto tympano, id est carnis suae mortificatione, a Maria egressae sunt multae mulieres post eam in tympanis, et choris.* Nemo ante Mariam cum tympano, id est virginitatis voto, egressa est; Maria exstitit omnium primipila et antesignana, dum prima suam Deo virginitatem consecravit.

1403. A Iesu et Maria virgines egrediuntur; ideo ante sponsum Christum, eiusque Parentem Mariam nunquam visae sunt virgines prodiisse. Exierunt obviam sponso et sponsae, ut ostendatur ab his nuptiis virgines progigni. Ideo vocat Damascenus Mariam, orat. 1 de nativ., *Virgi-*

nitatis feracissimam plantam per quam Virginitatis pulcritudo latissime se diffudit. Quaecunque florent Virgines toto terrarum orbe, ab hac feracissima planta enascuntur. In quam rem merito inquirat aliquis, quomodo vera sit Iesu patientis propositio ad Matrem de Ioanne: *Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua:* siquidem Ioannes, qua homo, non fuit a B. Virgine carnali generatione progenitus; verum qua virgo erat, Ioannes spirituali virtute dicitur a Maria generatus: cuius cogitatus auctorem do Galfridum apud Tilmannum in Allegoriis: *Quo modo Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit; cuius illa, si non carnem, carnis tamen integritatem edidit; illumque si non hominem, tamen virginem genuit. Caeterum, quam multos hodie parit sanctissima illa fecundissimaque virginitas! Quam felix eiusmodi generatio, suo equidem modo foecunda quidem, et incorrupta posteritas!* O vos felices virgines! vos, alloquor, agnoscite matrem vestram Deiparam, licet enim non carnem vestram, integritatem tamen, et virginitatem edidit. *Transite inquit illa, ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini*; Eccli. cap. 24. Sed quaenam sunt hae B. Virginis generationes? Respondet ipsa ibidem: *Ego quasi vitis sanctificavi.* Quae verba sic premit Hugo: *Sicut vitis aquam convertit in vinum, quod laetificat cor hominis, et germinat virgines.* Ab hac vite virgines germinantur, quia ipsa edidit vivificum illud vinum germinans virgines.

1101. Igitur Virgo Deipara primatum virginitatis tenuit inter omnes virgines, sive in virginitatis perfectione, sive quoad intensionem actus, sive quoad tempus vovendi, sive quoad immobilitatem, sive quoad intentionem, et omnes alias circumstantias, quae virginitatis votum comitari solent. Quae omnia probantur per partes. Et primo, quoad intentionem, quia eius animus et intentum perpetuam servandi virginitatem eo fuit efficacius et vehementius, quo ex maiori gratia et amore in Deum oriebatur. Dein quoad tempus vovendi, litigium est inter Doctores, quo tempore B. Virgo hoc votum nuncupaverit. S. Augustinus, et s. Thomas, duo lumina Theologiae, aiunt id fuisse praestitum ante salutationem angelicam: alii, dum in Templo degeret, virginitatem vovisse ferunt. Lessius, opusc. de bono castitatis in saeculo, cap. 2, docet B. Virginem se voto castitatis obstrinxisse ante matrimonium; et probat ex illis verbis: *Quoniam virum non cognosco,* cum Athanasio, Nysseno, Augustino, Bernardo: et manifesta ratio convincit, quia alioquin obiectio B. Virginis fuisset prorsus inepta, diceret enim Angelus: licet hactenus virum non cognovisti, iam cognosces, ut concipias: unde illud, *Virum non cognosco,* idem valet ac dicere: Non possum cognoscere. Ut cum quis vovet abstinentiam carnium, aut vini, invitatus dicit: Non vescor carnibus, vino non utor.

Censeo cum Suario, tom. 2 de Relig., l. 1 de voto, ubi verba faciens de tempore requisito ad deliberandum de voto, et utrum in instanti possit votum emitti cum plena deliberatione, haec habet: *Hoc censeo verum, si de Angelis esset sermo, vel de hominibus divinitus elevatis, ut fuerunt Christus Dominus et B. Virgo, de quibus verisimile est in primo instanti conceptionis suae votum aliquod emisisse.* Magallanes in Cant. Moys. l. 3, s. 8, n. 216, ait in instanti Conceptionis B. Virginem elicuisse actum amoris erga Deum, deinde perpetuae virginitatis emisisse votum, subditque: *Fuit haec non improbabilis quorundam sententia, ut Iacobus Christopolitanus affirmat super Magnificat. Dicunt, ait, viri contemplativi, quod Virgo illico post sanctificationem fecit votum perpetuae Virginitatis in utero matris.* Idem docet Spinellus in throno, c. 32, n. 26; Barradas, l. 6 concord. c. 3; Novarinus in umbra Virg. n. 1521. Quod placitum eadem ratione fulciendum, qua probat Suarius tom. 2 in 3 part., disp. 6, sect. 1, B. Virginem a principio usus rationis habuisse absolutum propositum servandi perpetuam virginitatem, et in eadem sect. dissolvit argumenta, quae adversari videntur huic sententiae. Eandem sustinet Zamoro Capucinus, l. 3 de perfect. Deiparae, cap. 22, n. 31. Et ratio esse potest, quia in primo conceptionis momento se Deo meliori modo, quo potuit, devovit; decebat enim, et Filio eam assimilari: nam ipse vota sua a primo Incarnationis instanti nuncupavit, ut colligit Sherlogus ex illo Pauli ad Hebr. c. 10: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi. Tunc dixi: ecce venio.* Hanc sententiam tenet Moralez in c. 1 Matth., lib. 2, tract. 6, num. 12. Et quidem Virgo Deipara, quae a Spiritu sancto ad omnium virtutum actus ferventissimos excitabatur a primo sui conceptus momento, procul dubio noluit, nec per instans differre id quod ad consummatam virginitatis perfectionem, quale est votum eiusdem, conducere valde perspiciebat, praecipue cum nexus hic sit quasi vinculum spiritualis coniugii inter Deiparam et Deum; hoc igitur virginitatis voto nuncupato maritata fuit Deo Virgo Deipara omnibus humanis amplexibus procul abactis, quod connubium exambibat cum Iesu Maria verbis illis: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino;* ac si diceret: multo suaviora, ac in infinitum iucundiora sunt oscula, et amplexus castissimi cum sponso Christo, per virginitatis votum, quam carnalium connubiorum voluptates. Quod opponit Christophorus Castro in Hist. Deiparae, votum hoc non venire in aetatem infantilem, nihil obstat, cum Deipara in instanti Conceptionis perfectissimum rationis usum fuerit adepta; quare displicet Vasquius in 3 p., disput. 124, c. 4, n. 82, dum ait: *An vero fuerit primum momentum usus rationis, in quo castitatem voverit, quo pacto definiri queat, ignoro: neque enim omnia opera virtutum in primo illo momento cogitationi occurrere possunt; potius existimo, maturiori aetate in cogitationem virginitatis Mariam incidisse, et de ea deliberasse.* Si enim, ut ex plurium Doctorum calculo ostendimus, animi Mariani puritas in gratia confirmata fuit a primo conceptionis instanti, eadem ratio-

ne corporis Mariani puritatem, quae in virginitate sita est, asserere possumus, fuisse confirmatam ac roboratam per votum virginitatis in ipso conceptionis instanti emissum.

Praeterea primatum etiam tulit virginitatis Deipara quoad immobilitatem, quia habuit B. Virgo propositum servandae virginitatis voto confirmatum. Tum et quoad intensionem, quia ex perfectissimo Dei amore et puritatis id praestitit. In executione autem ita stricte illud servavit, ut omni, vel levissimo, motu contrario fuerit libera; splendescit etiam virtutum comitatu in gradu excellenti, quae virginitatem multum iuvant et exornant; qualis est temperantia, modestia, animi submissio, iugis sine ulla intermissione in Deum amor.

Sed insurgat aliquis adversus dicta. Perfectior est castitas, quae voto solemni Deo sacratur, quam illa, quae voto simplici; atqui Deipara habuit solum votum simplex virginitatis, non solemne; ergo virginitas plurium Religiosorum solemni voto consecrata perfectior erit. Maior propositio ex eo patet, quia votum virginitatis solemne multo perfectius est, quam votum simplex alicuius virginis saecularis, caeteris paribus; quia est Deo gratius, firmius ac immobilius secundum se. Minor probatur, quia B. virgo per votum virginitatis non est facta inhabilis ad contrahendum matrimonium; siquidem de facto illud contraxit: tum praecipue, quia solemnitas votorum in Lege veteri nulla apparet; post Christum enim summi Pontifices illam invexerunt, atque adeo Ecclesiae auctoritate introducta est, ut videre est apud Doctores.

Respondeo tamen distinquens maiorem. Perfectior est castitas, quae voto solemni Deo sacratur, quam quae voto simplici per se loquendo, *nego maiorem*; per accidens, et inspecta humanae naturae mutabilitate, *concedo*. Haec igitur solemnitas non est necessaria per se loquendo perfectioni virginitatis, sed ex suppositione imperfectionis et mutabilitatis hominum, qua posita fuit valde utilis, imo necessaria illis, qui ad perfectionem contendunt, ne retrocederent, sed firmius Deo per votorum solemnitatem adhaerent: at vero B. Virgo, quae semper animum in virtute constantissimum et immobilem habuit, non indiguit illa extrinseca solemnitate; nec fuit in Deipara necessaria, quippe matrimonium contrahere oportuit, quod nihil de virginitatis perfectione detraheret; imo ipsi adiumento esset. Henricus, quodlib. 9, quaest. 11, docet, ex parte B. Virginis votum de servanda virginitate fuisse solemne, non tamen absolute fuisse solemne, quia nondum solemnitas ab Ecclesia fuerat invecta. Idem docent quoad hanc partem Vasquius cit. cap. 5; Suarius, tom. 2 in 3 part., disp. 6, sect. 2. Explicata autem distinctione voti solemnis et simplicis, perspicue elicitur votum de servanda virginitate non fuisse solemne in B. Virgine, nondum enim erat statuta solemnitas; quidquid alii contendant in veteri Lege veros fuisse religiosos, qui tria substantialia vota solemnia emitterent, adduntque B. Virginem eorum religioni addictam: quod merum commentum arbitror.

Deinde intra voti metas, Marianum votum omnium extitisse perfectissimum certum est, quia ex omnium maximo ac ferventissimo in Deum amore fuit emissum: de quo videndus Vasquius cit. n. 95. Quid, quod caeteris paribus eiusdem sunt rationis et meriti solemne votum, ac simplex? Addit Baronius ex consensu suorum parentum virginitatis votum emisisse. Illum vide in apparatu ad Annales. Quod innuit Vasquius disp. 124, c. 4, num 82; contradicit Suarius cit. disp. 6, sect. 2, et merito: quid enim opus esset parentes consulere circa praedictum votum, quae Spiritu sancto duce ac motore regebatur? Nec arbitror parentes B. Virginis post eiusmodi voti emissi cognitionem absque utriusque consensu, potuisse vel licite, vel valide illud irritare, cum prudenter iudicare possent, illud votum a filia singulari Dei nutu, ac speciali Spiritus sancti motione fuisse nuncupatum. Quaeri etiam solet, utrum hoc votum fuerit absolutum, vel conditionatum. Qua de re videndus Vasquius, tom. 2 in 3 part., d. 124, cap. 4, num. 65, et deinceps, et nos aliqua alibi dabimus.

Quaerat aliquis, quamnam vovendi formulam secuta fuerit B. Virgo, cui quaestioni respondet Canisius, lib. 2 de Deipara, cap. 14, § *Roget fortasse*, ex Abdia, lib. 8 de vita s. Bartolomaei, ita referente ex D. Bartholomaeo: *Haec Virgo cum execraretur omnem virum, prima Deo omnipotenti vovit. Primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio saeculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Haec Virgo prima inter foeminas constituit in corde suo, ut diceret: Domine, offero tibi virginitatem meam, cum hoc a nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo.* Amedaeus autem in suis revelationibus c. 9, § 30, affirmat, B. Virginem in ipso Templi aditu coram summo Sacerdote hanc expressisse formulam: *Voveo perpetuam Deo, coram te, Pater, tot testibus hic adstantibus, virginitatem; ut enim eam voveam, ipse inspiravit me.* Ubi aliqualem huius voti solemnitatem prima B. Virgo alios edocuit. Ex verbis prolatis D. Bartholomaei eliciunt aliqui, ex Apostolorum traditione dimanasse, et Virginem omnium primam virginitatis votum nuncupasse.

1405. Plausibus igitur omnes virgines Mariam virginitatis primatum tenentem inter omnes concelebrent. Quod iamdiu praedixerat Isaias, cap. 11: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendit.* Ubi per radicem adumbrari Mariam monet Bernardus, serm. 2 de Annunc. Sed statim admiratio mentem pulsat, quod truncus, non vero rami florem edant. Quaenam tellus arbores usque modo germinavit, quarum rami viduentur floribus, horridus vero caudex floribus circumornetur? Sed haec in sensu mystico explicari debent. Est ergo radix Maria, virga Christus ex Maria ortus, flos vero, virginitas; quid enim tritius, quam per florem castitatem adsignificari? Virginitas ergo ex radice Maria primum exoritur, quamvis enim Filii virginitas longo intervallo Marianam pudicitiam superet, utpote quae a Deo-homine principium ducat; verum Mariana virginitas vexillum extulit prima, quia antequam Christus Dominus in

hanc lucem ederetur, iam illa virginitatis votum nuncupaverat. Exerat ergo radix florem, et Maria omnium prima virginitatem voto constabilitam colat, innuptarumque cuneos cogat, quae Agnum sequantur quocunque ierit; ut ostenderet Isaias illa periphrasi Mariam virginitatis primipilam et antesignanam inter omnes virgines futuram. *Dixisse poterat*, (ait Bernardus lib. 5 de considerat.) *Et flos de virga; sed maluit de radice; ut, unde virga, inde florem duxisse originem demonstraret.* Christus itaque virginitatis dignitate prior existit: Mariae vero virginitas tempore antecedit. Ideo crediderim Deiparam antonomastice dici Virginem, quasi nulla alia virgo existeret in rerum natura, nempe reliquae virgines ut essent, Deiparae beneficio obtinuerunt, quae Castitatis vexillum inter innumeras tam hominum, quam innuptarum legiones erexit.

Simile quid habes in Exodo, c. 3, ubi Deus ait ad Moysem: *Ego sum qui sum.* Sed quae nota ista, ut Deus ab infidelibus incredulis cognosci possit, ac Moysis legationi fides habeatur? Bene Hieronymus ait in c. 8 ad Galat.: *Nunquid solus Deus erat, et caetera non erant? Utique coelum, et terra, vel maria, et ipse Moyses cui Dominus loquebatur, et Israel, et Aegyptii ad quos mittebatur, erant.* Sed quia totius esse scaturigo solus Deus est, a quo reliqua entia creata, quidquid sunt hauriunt, ideo Deus solus, qui est, absolute pronunciari debet. Subiungit Hieronymus: *Illa, ut diximus, causa, quia caetera ut sint, Dei sumpsere beneficio.* Sic non dissimili ratione, cum Deipara virginitatis Deo sacrae inventrix prima exstiterit, ab ipsaque reliquae virgines castitatis servandae exempla deprompserint, belle Virgo per antonomasiam nuncupanda est; quia caeterae virgines, ut essent, Deiparae sumpsere beneficio. Simili ex causa Abel iusti nomine condecoratur, non Zacharias, non alii martyres, ut habes apud Matthaeum ex ore Christi: *A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae.* Quia nempe Abel martyrum reliquorum primipilus fuit, ideo reliquos inter athletas Christi, iusti gloriosa appellatione donatur, non Zacharias, licet martyr alioquin, et iustus; non alii, qui suum pro Christo sanguinem profuderunt. Sic fatur auctor de mirabilibus sacrae Scriptura inter D. Augustini opera: *In eo*, ait, *quod dicit: A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae, et non addit*, iusti, *ostendit quia Abel in iustitia hominum primatum tenuit, eo quod primus martyrum iustus fieri meruit.* Nuncupetur Iustus Abel, quia in iustitia primatum tenuit, viamque primus martyribus stravit. Et Deipara, *Virgo* pleno ore vocetur, quia prima coelibem vitam, Deoque sacratam virginitatem instituit, ac reliquis innuptis viam aperuit ac demonstravit, perpetuaeque castimoniae inventrix fuit, nec ad certam aliquam annorum periodum suam Deo obtulit pudicitiam, sed donec vita superesset.

Per quam B. Virginis virginitatem voto Deo litatam, Angelorum numerus auctus est, qui per peccatum Luciferi fuerat imminutus; per virginitatem enim Deiparae tanquam per inhibitam generationem carnalem, plures Angeli fuerunt effecti, sicut enim per naturalem generationem homines augentur, sic per virginitatem Angeli multiplicantur. Ideo forsan Georgius Nicomediensis, orat. de oblat. Deiparae, vocat Mariam, *Angelorum parentem*, dum ait: *Quotidie videbatur ei Angelus loqui, et quasi carissimae sorori, vel potius tanquam communi Matri obtemperabat ei.* Sororem vocat, quia virgines sunt Angelorum fratres: Matrem etiam, quia per virginitatis votum exstitit ductrix, ut alii eandem virginitatem Deo dicarent, et Angelis pariarentur, adeoque exemplo Angelos generavit.

CERTAMEN II.

Adversus ethnicos et infideles in conceptu et partu stabilitur Mariana virginitas.

1406. Hucusque communibus virginitatis Marianae distenti praeconiis humili repsimus stylo: nunc altiora petimus, asserimusque eo puritatis devenisse Virginitatis primiceriam Mariam, quae ad superni Patris aemulationem caput attollit. Maria itaque virginitatis persona, vel subsistens puritas, alicui videri possit. Novum sane elogium, quod verbis s. Ioannis Damasceni fulcitur, orat. 2 de nativ. Mariae: *Praeponitur*, inquit, *tanquam thalamus quidam Annae cubiculum, liberorum procreationis, simul ac virginitatis personam delineans* Quasi non foret virginitas in Maria accidens ipsius inhaerens, et adveniens substantiae perfecte constitutae, sed forma per se subsistens, ac continens personam Marianam. Grande profecto praeconium solus enim Deus gaudet virginitate subsistente; cum id totum, quod in Deo reperitur, sit eadem cum Deo substantia, ab ipsius personalitate indistinctum. Ideo subdit Damascenus: *Virginitatem Mariae humanae Christi creationis partum modo quodam natura praestantiori susceptum esse aliquando.* Itaque Mariana virginitas aeterni Patris puritatem generantem virginee Verbum divinum aemulatur, et sicut Patris foecunda Virginitas, ac subsistens persona incorrupte producit Verbum: ita Maria, Patris superi aemula, quasi per subsistentem virginitatem, virginee et incorrupte Verbum hominem factum in lucem edidit: ita ut idem fuerit Mariam concipi, ac edi virginitatis personam in mundo, quae virgineam Patris, ac subsistentem puritatem vivis coloribus exprimeret. Vel, si mavis, voca Mariam, ipsam Virginitatem in abstracto, per se tamen existentem, et omnem puritatem creatam supergredientem, et Patris aeterni subsistentem virginitatem ad vivum effigiantem. Quare corpus Marianum intra Annae viscera fabricatum, non solum ab omni impuritatis faece elutum compingitur; sed quasi ipsa puritas in abstracto subsistens, ac substantialis efformatur: non tanquam accidens quod possit adesse et abesse absque subiecti corruptione; sed tanquam subsistens substantia, quae nec destrui nec deficere possit, nisi destructa personalitate et subsistentia Mariae. Quocirca quoties hanc Marianam virginitatem impetere sata-

gunt sive impii Iudaei, sive luce veritatis destituti ethnici, sive nefarii et impudici nebulones haeretici; toties in totam Mariae personam ac substantiam blasphemae linguae iacula intorquere conantur; quos omnes libet brevi stylo perstringere ac revincere.

Et primum iuvat Gentiles adoriri, qui cum sine Deo, sine lege, sine Evangelio in cimmeriis tenebris delitescant, nihil supra naturam et sensum sapiunt, soloque humanae rationis lumine nixi ratiocinantur, adeoque absurdum putant Mariam a reliquis praegnantibus eximi, et virginitate salva foetum suum concepisse ac peperisse, atque adeo solemne fuit inter ethnicos proverbium, *Cum Virgo peperisset*, videlicet ad eam rem designandam, quae nullo unquam tempore contingere posse videretur. Unde ferunt aliqui, Romanum imperium vix tum inchoatum fuisse, cum templum Pacis fuit erectum, quod vulgo aeternum fore crediderunt oraculi promissione; tamdiu scilicet illud duraturum donec Virgo pareret; quod fanum, statim atque Maria Virgo Christum enixa est, solo aequatum est. Scio aliter censere Baronium, tom. 1 Annal., ann. 1. Et teste Martino Polono lib. 4 Chronici, Romae aurea statua a Romulo in palatio fuit erecta cum hac inscriptione: *Non cadet, donec Virgo pariat*; corruit autem ubi primum Maria Christum peperit. Addit s. Petrus Damianus, epist. 4, cap. 12: *A nonnullis intra Romana moenia celebris fama vulgatur, quod Romulus, qui conditor Urbis asseritur, cuius parietes licet semiruti, ex magna adhuc parte cernuntur, in hanc vocem quasi de firmamento operis eruperit: Certum est, et immobiliter fixum, quia, ni Virgo pepererit, domus ista non corruet. Idque vaticinium rei probavit eventus; nam nocte corruit palatium, qua Salvator ex Virginali alvo processit.* Itaque omnino incredibile semper visum fuit ethnicis, Virginem partum edere posse.

Adversus hos ergo non alia, quam de poetarum ethnicorum pharetra spicula deprompta contorquebimus; nec enim firmius, aut fortius testimonium est ad probandam veritatem, quam illud quod ab ipsis perhibetur inimicis. Siquidem ad celebriorem victoriae laudem reportandam, ab arroganti graecismi et gentilismi Gigante, et a reliquis id genus immanibus Ecclesiae hostibus, utique eos suo proprio gladio iugulabimus. Magna ergo fuit quondam sibyllinis oraculis habita reverentia apud ethnicos. Harum igitur fatidicarum foeminarum carmina ingens nostrae causae adversus Gentiles munimentum afferunt. Ait enim Sibylla Persica:

> Virgine Matre satus, pullo residebit asello
> Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

Delphica sic cecinit:

> .... Qui Virginea conceptus ab alvo
> Prodibit sine contactu maris, omnia vincit
> Hoc naturae opera. At faciet qui cuncta gubernat.

Samia Sibylla sic praedicit:

> Ecce dies, nigras quae tollet lacta tenebras,
> Mox veniet, solvens nodosa volumina vatum
> Gentis Iudaeae, reseret ut carmina plebi,
> Hunc poterunt clarum vivorum tangere Regem,
> Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit:
> Annuit hoc coelum, rutilantia sydera monstrant.

Cumana sic fatur:

> ..... Castam pro Matre puellam
> Deliget: haec alias forma praecesserit omnes.

Erythrea idem firmat:

> Virgine Matre satus.

Cimmeria sic vaticinatur:

> Militiae aeternae Regem sacra Virgo cibabit
> Lacte suo.

Et lib. 8 Oraculorum, sic demum praedicitur:

> . .... Puer inde creatus
> Virgineo partu. Mira est mortalibus haec res?
> Sed res nulla Deo Patri, Natoque stupenda.

Haec igitur Sibyllarum oracula, quae tanti apud ethnicos habita sunt, graphice depingunt Virginem Mariam. Veteres ergo Theologi, Eusebius, Arnobius, Lactantius, Augustinus lib. 18 de civit. Dei, cap. 13, imo et recentiores ut Canisius, et alii quoties in ethnicos certamen ineunt, ab his sibyllinis oraculis arma depromunt: et merito, cur enim intemeratae Mariae virginitati non assentiantur, quam ipsorum fatidicae Sibyllae semper Virginem ac Matrem decantant. Primores autem ethnicorum philosophi ita sophisticantur, et Marianam virginitatem oppugnant: *Si Maria peperit, concubuit; sed peperit; ergo concubuit, et Virgo esse desiit:* cum enim solo rationis naturalis lumine niterentur, invictum ac omnino robustum existimabant hoc argumentandi genus. Bene tamen Cardinalis Petrus Damianus horum versutias retundit, epist. 4, cap. 10, similibus argumentis: Si lignum ardet, ergo uritur; sed rubus ardet; ergo comburitur. Cum tamen Moyses, Exod. 3, viderit ardentem rubum non comburi. Deinde lignum praecisum nullum florem ac fructum affert; sed praecisum est; ergo nullum fructum, nec florem affert. Cum tamen Aaronis virga inverso naturae ordine praecisa amygdalas subito produxit, pleraque alia exempla produci possent: huius autem ratio est, quia totius naturae auctor praescriptas naturae leges ad nutum immutat, et invertit.

Sed proferamus in medium exempla poetica ab ipsis Gentilium monumentis extracta, quae apud ipsos fidem de Virgine Matre probabiliorem efficere possint. Nonne ipsi comminiscuntur, ac religioso cultu suspiciunt Minervam Iovis sobolem ex patris cerebro sine matre natam; ex eiusdemque Iovis crure Bacchum ortum, Deum item Vulcanum ex Iunone sine patre progenitum fuisse? Nonne rationi conformior Mariana virginitas cum maternitate coniuncta, quam eiusmodi chimaerica monstra, quae fabulosa finxit antiquitas? Bene horum dementiam coarguunt Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 12; Ruffinus in exposit. Symb. Apostolorum. Haec sunt fere Ruffini verba: Mirandum, cur hoc Gentilibus adynaton videatur, videlicet, Mariam Virginem simul et Matrem esse; cum ipsi suam Minervam de cerebro Iovis natam esse profitean-

tur. Quidnam enim creditu difficilius? aut quid magis naturae adversatur? Hic foemina est, hic naturae ordo servatur; hic, nempe in Maria, conceptus et partus temporibus suis editur: ibi nusquam foemineus sexus, sed vir solus et partus. Qui illa credit, cur ista miretur? Sed et liberum de foemore eius adstruunt natum: Ecce aliud portenti genus, et tamen creditur. Venerem quoque, quam Aphroditen vocant, de spuma maris, sicut ipsum nomen ostendit, credunt esse progenitam: de ovo natos Castorem Pollucemque confirmant: ex formica Myrmidones; et alia mille sunt figmenta rerum naturis adversantia, quae ipsis tamen credibilia visa sunt; ut Deucalionis, et Pyrrhae lapides iactos, et hominum ex his segetem natam: cumque tot ac talia commenta crediderint, unum eis Verbum impossibile videtur, quod adolescens foemina, Divinum germen, non hominis vitio, sed Deo inspirante conceperit. Maria verior ac melior Penthesilea, melius enim nobis praestitit quidquid de sua Penthesilea ethnici tradiderunt: illa confingitur furens, truculenta, ac sanguinaria: haec autem mitis, humana, pacifera, salutem universo orbi invehens.

1407. Rebus etiam, et exemplis eos, qui partum Virgineum veluti incredibilem obiiciunt, ex animantium natura desumptis modo convincere mens est, Patrum vestigiis inhaerendo. Ex ipsa igitur rerum natura complures praemonstrantur viae, quibus, quantumvis homines increduli, ad divina rimanda mysteria quasi manuducantur. Sapienter monet Lactantius, lib. 4 de vera sapientia, c. 12: *Sancta Virgo divino spiritu hausto repleta concepit, et sine ullo attactu viri, repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quaedam vento, et aura concipere solere omnibus notum est; cur quisquam mirum putet, cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem*? Ruffinus item in Symbolo Apostolorum docet phoenicem nasci sine concubitu maris et foeminae; apes caste vivere, et tamen generare: *Quid mirum*, ait, *si Virgo conceperit, cum Orientis avem in tantum sine coniuge nasci, vel renasci constet, ut semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat? Apes certe nescire coniugia, nec foetus nixibus edere omnibus palam est. Sed et alia nonnulla deprehenduntur uti huiusmodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur divina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium nativitate cernuntur*? Ambrosius etiam, lib. 4 Hexam., c. 21, laudibus evehit apes, quod communis sit omnibus corporis integritas virginalis, et partus, quoniam neque ullo concubitu miscentur, nec libidine resolvuntur; nec partus quatiuntur doloribus, et subito maximum filiorum examen emittunt. Et Virgilius, poetarum princeps, de eisdem apibus pepigit:

> Illum adeo placuisse apibus mirabere morem:
> Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
> In Venerem solvunt, aut foetus nixibus edunt.
> Verum ipsae, foliis natos, et suavibus herbis
> Ore legunt.

Huc spectat illud Ecclesiae canticum:

> Orto Dei Filio
> Virgine de pura,
> Ut rosa de lilio,
> Stupescit natura.
> Ut vitrum non laeditur
> Sole penetrante;
> Sic illaesa creditur
> Virgo post, et ante.

Licet ergo haec divina mysteria nequeant iuxta naturales rationes trutinari, quia omnem supergrediuntur naturam; tamen ex eo creditu facilia sunt, cum similia quaedam in naturalibus rebus fieri conspiciamus. Rosa enim, lilia, ac plerique alii flores prodeunt ex caulibus suis sine earum laesione. Deinde compertum est solis radios penetrare vitrum pellucidum absque ulla crystalli fractione. Qui ergo foetus apibus sine coitu concessit, primosque parentes sine aliis condidit, cur de carne Virginea, sine ullo viri attactu, Christum Dominum efformare non posset? Vulturum etiam exemplo s. Ambrosius, lib. 3 Hexamer., cum Basilio ethnicis illibatam Mariae virginitatem persuadere conatur: *Negantur*, inquit, *vultures indulgere concubitui, et coniugali quodam usu, nuptialisque copulae sorte misceri; atque ita sine ullo masculorum concipere semine, et sine coniunctione generare, natosque ex his in multam aetatem longae vitae procedere, ut usque ad centum annos vitae eorum series producatur*. Postmodum ad virginitatem Mariae gradum faciens, eam confirmare contendit, subdens: *Quid aiunt, quod Virgo generavit, et impossibilem innuptae, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negatur*? *Avis sine masculo parit, et nullus refellit; et quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quaestionem*? *Nonne advertimus, quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla praemisit, quibus susceptae Incarnationis decorem probaret, et adstrueret veritatem*? Quaedam etiam alia et avium et piscium genera sine utriusque sexus mixtione gignuntur; neque insecta miscentur ad procreandum, iuxta plurium Physiologorum sententiam; equas in Cappadocia ex vento concipere docet Augustinus, lib. 21 de civit. Dei, cap. 5, et Petrus Damianus, epist. 4, cap. 11; in quibus omnibus mirabilibus, summa credendi ratio est omnipotentia Creatoris, ut docebat Augustinus cit. cap. 7. Multus est Evodius, epist. 3 ad Aug., in roboranda hac veritate deductis pluribus exemplis ex rerum inferiorum naturis: sed enim semina sponte e terra proveniunt, vermibus nullus assignatur parens, a quo progigni possint; de cinere gallinae; de aqua, anates, ac plura alia animantia sine maris coitu foetus proprios educunt: et quod magis mirere, Matthias a Michon, lib. de Sarmatia Asiana, et Europ., c. 16, tradidit a Mauris nullum putari miraculum, puellas innuptas et virgines absque viris concipere. Inter ethnicos itidem Aegyptii, superstitione et impietate primi, Virginem concepturam ac parituram quibusdam caeremoniis

visi sunt adumbrasse, teste Epiphanio in vita Ieremiae prophetae, et Dorotheo in Synopsi. Hi igitur vaticinio de conceptu et partu Mariae sino ullo virginitatis praeiudicio tantum detulerunt, ut apud ipsos mos pervetustus increverit, Virginem quandam in lecto cubantem, et infantem in praesepio iacentem collocare, ut hoc solemni ritu Marianam virginitatem in conceptu et partu contestarentur. Demum si ethnicorum Astronomi praestantiores consulantur, quorum primi Chaldaei et Aegyptii numerari solent, nostrae catholicae adfavent veritati, dum dicerent cum Albumazare, in prima facie signi Virginis orituram in terra Virginem mundam, puellam immaculatam, corpore decoram, vultu venustam, habitu modestam, crine prolixam, in Iudaea nutrientem puerulum. Quod testimonium affertur a Dionysio Carthus., lib. 1 de laudibus Virg, art. 30, et a Petro Canisio, lib. 2 de Deipara, cap. 7, qui se vidisse testatur illud in vetusto quodam opere Albumazaris lib. 6, in introductorio maiori. Facessant ergo veterum poetarum figmenta; pereant ethnicorum deliramenta ac superstitiosi errores, qui eos tot saeculis turpiter dementarunt; ac tandem cervices evangelicae veritatis iugo submittant, quae Deiparam Virginem occluso semper virginitatis claustro verum Deum-hominem utero concepisse ac peperisse profitetur.

CERTAMEN III.

Propugnatur eadem veritas adversus Iudaeos.

1408. Exhorret animus, pudet linguam, horripilat calamus, quae maledicta congerunt Iudaei in B. Virginem, ac probrosa convitia in eandem iactata referre, quibus ad Immaculatae Mariae virginitatem insectandam turpissime abuntur. Nec mirum, cum enim in Christum Dei Filium ore sacrilego et blasphemo debacchati sunt; etiam impiae doctrinae virus et toxicum in Virginem Deiparam disseminarunt, blaterantes Deiparam nec ante partum quidem mansisse Virginem, sed ex Iosepho suum sustulisse filium: quibuscum consentiunt impius Ebion et Cherintus, eademque dementia exagitavit Carpocratem: eandem occinunt cantilenam hebraeae gentis rabbini; hi omnes horrendis probris tum Christum Dominum, tum sanctissimam eius Parentem impetunt; appellitant enim Iesum *Ieschenozere*, hoc est, Seductorem; et *Hannido*, hoc est spurium et ex adulterio natum. Anne minus contumeliosis convitiis incesserent purissimam eius Matrem Mariam? Illam vocant impii hi blaterones ac imperiti rabbini *Thlua*, id est Carnificem, quasi carnificis uxorem. Item compellant eam *Sono*, quasi publicam peccatricem, vel *Thmea*, id est meretricem. Hinc Albigenses haeretici horum rabbinorum nefandi discipuli satanico furore ducti, Mariam Virginem, o scelus diabolicum! meretricem omnis libidinis coeno volutatam impuro et grunnienti ore calumniari non erubuerunt. Quam verissime protulit s. Bruno, serm. de Anun. B. Mariae: *Nulla creatura est, quam sic Iudaei habeant odio, sicut Matrem hanc et Filium. Neque enim Matrem diligere possunt, qui tam iniquo odio Filium prosequuntur.* Ideo inviolabili lege sanxerunt, ut qui velint apud ipsos esse Abrahae filii, in divinum Eucharistiae sacramentum, et B. Mariam Virginem quotidie maledicta coniiciant, ut auctor est Mathias Tiberinus in vita Simonis pueri Tridentini; atque ter unaquaque die fusis ad Deum precibus Christianos omnes diris devoveant, et execrationibus in eos invehant, ut habet liber Thalmud tertius ex horrendis erroribus, et igne piandis haeresibus conflatus.

Hos igitur errorum magistros, eiusque asseclas veteris Testamenti testimoniis urgebimus ac revincemus, utpote qui Testamento novo et Apostolorum traditionibus nullam fidem praebeant. Hi ergo cum admittant communem humanae conceptionis modum, tum Adamum ex limo terrae formatum; Evam item ex Adami latere eductam, et in muliebre corpus efformatam, verbis nempe Moysis convicti; nolunt autem nobiscum sentire in generatione Christi ex Matre Virgine sine ullo viri attactu progeniti, certos veluti limites divinae Omnipotentiae rudes et ignari circumscribentes. Potuit Deus primum hominem, eiusque consortem, semine patris ullius deficiente in lucem edere, et non posset Christum e sola Virgine sine viro procreare? Itane Deus suam virtutem subduxit, suam potentiam enervavit? Verum has non aegyptias, sed iudaicas tenebras Ecclesiae micantia lumina propulsent, et in aeternum illud chaos detrudant. Irenaeus Virgineum partum ex ipsa primi hominis formatione sic revincit: *Sicut Adam solo Dei verbo de rudi terra, eaque virgine formatus est, quam nec imber attigerat, neque manus hominis subegerat; sic et Mater Domini sine viri commercio, et per virtutem Spiritus Adam secundum produxit, nulla ex parte corrupta virginitate, quae semper illibata permansit.* Eodem exemplo Tertullianus, lib. de carne Christi, et lib. 3 contra Marcionem, Iudaeos insectatur: *Virgo erat*, inquit, *adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus a Deo in animam vivam: igitur si primus Adam ita traditur, merito sequens vel novissimus Adam, perinde de terra, id est de carne, non generatione resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus.* Horum vestigiis inhaeret s. Maximus bellum iniens cum Iudaeis: *Non putas, Deus, novum puerum in alvo Virginis potuisse formare, qui cum primum conderet hominem nec semen patris nec viscera materna quaesivit? Dic itaque, quicunque es supernae dispensationis arbiter et discussor, quae tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse Virgini, aut perfectum hominem creasse de terra? Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostrae sine viro puella asseritur concepisse, cuius, quaeso, naturae est quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quae est illa ratio, imo quam caeca contentio, ut non credatur Deus facere hominem posse de foemina, quem credi-*

tur fecisse de pulvere? Iuxta horum igitur Patrum sententiam, primorum parentum formatio fuit velut typus et umbra, in qua Deus praeluserat Marianam in partu virginitatem. Nunc vero Cyrillum Hierosolym. praestat audire ex veteris Testamenti pharetra iacula depromentem, ac Iudaeos ita ferientem, Catech. 18: *Perquire utrum est difficilius senem et sterilem, muliebribus iam deficientibus parere, aut virginem iuvenem generare*? *Sterilis erat Sara, et deficientibus iam muliebribus praeter naturam peperit. Igitur cum et sterilem, et virginem parere sit praeter naturam, aut utrumque nega, aut utrumque concede; idem enim Deus utrumque operatus est: neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. Et rursus, quae natura manum hominis una hora in diversas species mutare potest, et rursus restituere*? *Quomodo igitur Moysis manus sicut nix alba apparuit, et rursus statim albedine illa destituta est? Sed dices, quia Deus voluit, mutata est; illic Deus volens potuit, hic autem nunquid non potest*? *O Iudaei! utrum autem difficilius est Virginem parere, aut virgam in animal mutari? Confitemini quod tempore Moysis rectissima virga serpentina specie facta est, et horrenda fuit etiam proiicienti illam. Et qui antea tenebat virgam, paullo post fugiebat illam tanquam draconem: de virga itaque oculi draconis pullularunt; et de utero Virginis puer non nascetur? Taceo hic, quod et virga Aaron, quod reliquae arbores per annos plures faciunt, hoc per unam noctem fecit Qui igitur virgae propter typicum summum Sacerdotem praeter naturam fructum contulit: nunquid Virgini, ut verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret*?

1409. Eruamus ulterius alia tela ex propheticis oraculis, quibus horum perfidorum Iudaeorum crassum cerebrum transadigamus. Nonne mare vidit, et fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt, Psalm. 113, contra nativam undarum propensionem? Cur ergo incredibile ipsis videri debeat, si, consuetudine naturalis originis reclamante, Maria Virgo peperit? Nonne petra deserti in latices purissimos scaturivit? et in vastissimi montis speciem maris undae instar fortissimarum rupium solidatae sunt? Recte Augustinus hanc caussam adversus Iudaeos suscipiens, eos his verbis convincit, serm. 14 de natali Domini: *Ipsa lex, quam quotidie legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Lege, et intellige quod panem in eremo terra produxerit, cuius semen arator nullus induxit. Virga etiam Aaron annis siccata plurimis, sine aqua revixit, in templo floruit, nuces produxit: ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu sancto; et qui produxit panes in eremo sine aratione, ipse impraegnavit Virginem sine corruptione; et qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filiam David sine semine generare.* Dicat ergo nobis Iudaeus contumax ac rebellis, quomodo virga arida fronduit, ac floruit, ac nuces subito protulit; et dicemus ei, quomodo Virgo conceperit, ac pepererit. *Nec virgae virorem floris laesit emissio, nec Virginis pudorem sacri partus editio*, aiebat Bernardus homilia 2 de B. Virgine. Merito haec virga Aaron foecundam Mariae virginitatem portendebat, quae neque ulla hominis manu attacta, neque aliquo terreno humore irrigata, et coelitus concipiendo floruit, et sine ullo dolore ac ruptione pariens fructum salutarem cunctis edidit. Deinde quid rubus ille Moysis praefigurabat flammis undique cinctus, et ardens, et incombustus permanens, nisi Mariam illaesa semper integritate parientem, nullamque ruptionem, nec dolorem praeseferentem? *Admiranda utique omnino visio, rubus ardens sine ulla combustione: Magnum plane signum, mulier illaesa manens amicta sole;* aiebat Bernardus, serm. de verbis Apoc. Ad haec, niveum Gedeonis vellus Marianam illaesam integritatem nonne adumbrabat, quae ab omni viri attactu immunis, ac caelesti rore totius Triados ope perpluta sanctissimam prolem Virgo permanens ventre concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo permansit? Concinne Ambrosius, serm. 13 de natali Domini: *Quid tam silenter, et sine strepitu fit, quam cum imber in lanae vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis adspergit, sed sine inquietudine hominum imbrem per multiplices effusum partes, toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens solida mollitie plures praebens meatus, et quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quae ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam: de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus Maria est: siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui et ipse Matris lanicium, hoc est carnem, gestans molli vellere cunctorum operit vulnera peccatorum.* Praeterea Isai. 53 sub venusta similitudine eandem Mariae virginitatem illaesam demonstrat, ait enim: *Ascendit sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti*; hoc est Christus instar stolonis elegantissimi e Virgine Maria nullo virili semine irrigata pullulans, virgultum sane pulcherrimum, nec aratro scissum, neque rastro vexatum, nec sarculo defossum, nec manu hominis disseminatum, florem salutiferum animarum medicamentum afferens. Ob eandem rationem ait Psaltes sub Christi persona, Psal. 21: *Ego autem sum vermis, et non homo.* In quae verba haec subdit Origines, hom. 4 in Luc: *Ex mare et foemina homo nasci solet: ego vero non ex masculo, et foemina secundum ritum humanum, atque naturam; sed in exemplum vermis, natus sum, cuius non est aliunde semen; sed in ipsis, et ex ipsis, in quibus coalescit corporibus, virgo est.*

Caeterum ex Ezechiele propheta Iudaeos luculentius redarguemus, cap. 44: *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per illam, eritque clausa principi.*

Ubi non sine mysterio ter clausam hanc portam a propheta praedicitur, nempe quia Dei Matrem ante partum, in partu et post partum Virginem permansuram significabatur a Propheta. *Quid est*, ait D. Augustinus, serm. in natali Domini, *porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transivit per eam, nisi quia Ioseph non cognovit eam? Et quid est, quod Dominus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus impraegnavit eam? Et quid est, clausa erit in aeternum, nisi quia Maria Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum?*

1410. Verum enimvero, quia perfidi Iudaei Ecclesiae Doctores ac Patres parvi faciunt, ipsorum magistros adeamus, rabbinos scilicet, qui etiam huic Marianae virginitati subsidiantur, siquidem rabbi Berachias Messiam absque viri semine, nempe de matre sine patre, procreandum serio tradit: et huc transfert plura sacrorum Voluminum testimonia; quale est illud Zachariae 6: *Ecce vir, Oriens nomen eius, et subter se* (id est per se) *germinabit;* illud Isai. 53: *Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix ex terra sicca*, nullo, ut supra dicebamus, virili semine praerigata. Deinde in annotationibus rabbi Moysis Hadursan, et rabbi Ieden aiunt nativitatem Messiae futuram prorsus disparem aliis. Rabbi Kimhi docet, Messiam de muliere absque viro nasciturum. rabbi Haccados ad Messiam vertit illud Ieremiae 3: *Creavit Deus novum super terram: Mulier circumdabit virum.* Nulla enim novitatis ratio appareret, nisi Messias a foemina Virgine utero circumscriberetur. Huius etiam sententiae est rabbi Hunna. Eandem virginitatem attribuunt Matri Messiae rabbi Simeon Beniohai. Notandum insuper id quod traditur in libro, cuius titulus est, *Midras Theilim*, id est, Expositio Psalmorum, super illud Psalmi 2: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* In quae verba sic ibi scribitur: *Narrata sunt mysteria regis Messiae in scriptura Prophetiarum, atque Agiographorum; sicut dictum est Psal.* 110: *De matrice ex aurora tibi ros nativitatis, dixit rabbi Hunna*, etc. *ad me spectat, ut creem novam creaturam.* Ubi asseritur perspicue Messiam, non sicut reliquos homines, sed novo quodam modo concipiendum ac generandum: tum ubi nos habemus: *Ex utero ante Luciferum genui te*, hebraicus textus sic habet: *De matrice ex aurora*, vel *de matrice aurorae tibi ros nativitatis tuae.* Quae verba de Messia capiunt passim rabbini: quare per matricem aurorae, uterum intelligunt B. Mariae, quae ipsum divina virtute progenitura, et in lucem editura erat sine viri ullius ope, salva semper virginitate; sicut enim aurora solem excipit, ipsumque enititur sine ruptione, vel corruptione aliqua; matrix autem aurorae, sive uterus, dicitur interstitium illud inter terram, sive mare horizontis nostri adspectus, qua sol seipsum effert, et evehitur, ac sursum ascendit; ros vero nativitatis est prima hominis conceptio in utero, quae non inepte ros vocatur: sicut ergo sol ex aurora sine ullo educente exoritur, sic Verbum Dei homo factum sine viro generante, aut cooperante in utero Virginis B. conceptum, salva semper ipsius virginitate, ex alvo egreditur instar lucis. Qua de re videndus Galatinus, lib. 8, cap. 2. Veterum praeterea Thalmudistarum testimonia idipsum passim confirmant: primo ex illo Levit. 12 *Mulier, quae susceperit semen, et pepererit masculum, immunda erit.* Cum itaque naturae viribus nulla mulier sine semine virili parere aut concipere possit, textus autem dicat: *Mulier, quae susceperit semen, et pepererit masculum*: infertur inde foeminam aliquam sine suscepto virili semine aliquando parituram. Haec autem alia futura non erat nisi mater Messiae. Iterum rabbi Hadarsam in expositione libri Genes. cap. 41, ait Rabbi Iehosuam filium Levi ita ad verbum dixisse: *Veni, et vide, quia non est mos Dei sancti et benedicti, sicut mos carnis et sanguinis. Caro et sanguis vulnerat subula vel novacula, et curat emplastro: Deus vero sanctus et benedictus huiusmodi artem non habet; sed eisdem, quibus vulnerat, medetur, et sanat; ut habetur Ierem, cap. 30: Quoniam obducam cicatricem tibi, et ex vulneribus tuis curabo te. et sic etiam invenies in Israel. Eadem enim re, qua vulneravit eos, sanavit illos. Nam peccaverunt in Virgine, et consolatus est eos in virgine, sicut habes Ierem. 31: Deus creavit novum super terram, mulier circumdabit virum. rabbi Hunna in nomine rabbi Idi et rabbi Iehosuas dixerunt, quod hic est rex Messias, de quo Isai. 62. ait: Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non silebo, donec egrediatur ut splendor Iustus eius, et salvatio eius ardeat ut facula.* Haec et plura alia apud Galatinum, lib. 7, c. 14.

Demum deveniamus ad Isai. testimonium, qui adversus Iudaeos perspicuis verbis Mariae Virginitatem simul cum Maternitate probat: *Ecce*, inquit, *Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quae verba, iuxta translationem LXX, eadem esse videntur, quibus Gabriel Mariam fuit allocutus. Nec mysterio caret quod Isai. non simpliciter Virgo, sed praeposito articulo, ac si diceret: Ecce Virgo illa concipiet, quod bene adnotarunt LXX Interpretes, qui ita vertunt locum illum. Ut autem impudentissimi haeretici aliqualem suae adversus Virginem impietatis fucum praetexant, coarguunt hos LXX Interpretes, tametsi magistros suos, qui ex hebraea voce, *Alma*, graece verterint ἡ παρθένος quia non virginem, sed iuvenculam et adolescentulam adsignificare contendunt vocem illam, *Alma:* cui delirio patrocinantur Theodotion, et Aquila, Ebionitarum duces, ac Iudaei proselyti de quibus ait Hieronymus in apolog. adversus Ruffinum, eos multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celavisse. Sed contendunt Iudaei vocem, *Alma:* sumi pro *adolescentula*, sive virgo, sive corrupta sit; quare propheta, si de Virgine sermonem proponeret, non vocem, *Alma*, sed *Bethula*, apposuisset, quae virginem significat. Verum insigniter errant hoc loco Iudaei; nomen enim *Bethula* adolescentem foeminam, licet aliquando corruptam,

indicat: *Alma* autem, virginem, et nunquam adolescentulam semel defloratam innuit. Unde Gen. 24, sermonem instituens sacer Textus de Rebecca virgine ad hauriendam aquam egressa, prius eam *Bethulam* hebraice vocavit: sed ea voce non contentus, quia non solum virginem, sed etiam adolescentulam defloratam designat, ideo eam *Alma* nomine vocavit, simulque subdidit: *Vir non cognoverat eam.* Quod vero spectat ad proprietatem vocis *Bethula*, Ezechiel. 23, utitur ea voce ubi sermo est de meretricibus, quae in prostibulo quaestum corporis turpissime faciebant; tantum abest, ut ea vox solum ad virgines referatur. Apud Ioelem etiam c. 1 dicitur: *Plange sicut virgo accincta sacco super virum pubertatis suae.* Ubi *Bethulae* vox apponitur, et designat adolescentulam viduatam marito. At nihil tale de voce *Alma* in sacris Voluminibus nobis ostendent Iudaei, sed semper ad Virginem vox haec spectat. Miror itaque agrestes ac pervicaces Iudaeos tam temere ab ipsis suis magistris ac rabbinis discedere, solum ut obstrepant Marianae Virginitati. Quare non sunt audiendi Novatores hoc loco, qui in explanatione huius loci Isai. iudaismum redolent, verumque Scripturae sacrae sensum corrumpunt. Unde Oecolampadius transfert locum illum ita: *Ecce adolescentula illa praegnans, et pariens filium.* Castalion: *Ecce puella praegnans filium pariet.* Calvinus et Erasmus oleum camino addunt, dum aiunt, nomen *Alma*, de puella sive virgine, sive viro cognito accipi solere. Quos omnes recte confutat Irenaeus, lib. 3, c. 24, contra Valent. dum ait: *Non vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: Ecce adolescentula habebit in ventre, et pariet filium.* Quem latini Patres omnes assectantur. Graeci autem, ut Chrysostomus, Eusebius, Basilius et alii interpretationem LXX mordicus tutantur. Imo Ionathan Usielis filius, Paraphrastes chaldaeus, quem ipsi Iudaei maxime suspiciunt, ita locum reddit: *Ecce Virgo concipiet*; sicut modo legit Ecclesia. Praeterea Deus, ut verbis suis fides habeatur, novum et insuetum prodigium, quod facti magnitudine ac rei novitate omnibus mortalibus admirationem pariat, utique spondet. At quid insuetum, vel quod prodigium esset iuvenculae non Virginis praegnatu et partu Emmanuelem nasci? Ergo in signum illustre non vulgare, sed inauditum ponitur Virgo, quae salva virginitate conciperet ac pareret Emmanuelem. Quod recte expendit Origenes, lib. 1 contra Celsum: *Age*, inquit, *ex ipsis verbis consideremus sententiam. Dominus scribitur dixisse ad Achaz: Pete tibi signum a Domino Deo tuo; ac mox subditur: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium. Quale autem signum esset, adolescentulam non Virginem parere? et utri magis conveni gignere Emmanuelem, quod est, Nobiscum Deus; mulierine coitum passae, et more foeminarum gravidae; an purae et castae Virgini? Certe hanc decet parere talem prolem.*

His finem imponat rabbi Haccados, quem ipsi Iudaei Magistrum nostrum sanctum appellitant, illorumque obstruat ora; is ergo in libro, cui titulus, *Revelator arcanorum*, ad secundam Antonini Consulis verbis Romae petitionem, quam explanationem deposcebat loci illius Prov. c. 30: *Tria sunt mihi difficilia, et quartum prorsus ignoro; viam aquilae in coelis, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in Alma, seu Virgine*; in quae verba, haec adicit Iudaeorum ille magister: *Magnam rem quaesisti, sed quia dictum est Prov.* c. 11: *Qui abscondit frumentum, id est doctrinam, vel expositionem legis, maledicetur in populis; tibi dicam rem admodum sublimem. Via aquilae in coelis est Messias rex, qui post passionem suam ascendit in coelum; quemadmodum dictum est Amos c. 9: Qui aedificat in coelo ascensionem suam. Via navis in medio maris. Hic itidem est rex Messias, cuius vita sicut navis in medio maris agitabatur, sicut dictum est Ierem.* c. 30: *Quare vidi manus omnis viri super lumbos suos. Et via colubri super petram. Hic est etiam rex Messias qui se faciet ut colubrum, quem Moses super petram posuit, ut duceret filios Israel in terram sanctam. Rabbi autem Iodam dixit: Et via colubri super terram. Hic est rex Messias, qui transibit per petram postquam sepultus erit, et ab ipsa egredietur, nec videbitur qua transierit, sicut dictum est, Exod. 33: Ecce est locus apud me, et stabis super petram: cumque transierit gloria mea, ponam te in foramine petrae. Via viri fortis in Alma, seu Virgine. Hic quoque est Deus amans filias Hierusalem, ut generetur Messias ex una earum. Concipiet autem, et pariet, remanebitque Virgo, sicut dictum est, Ierem.* 31: *Quia creavit Deus novum super terram; foemina circumdabit Guever, id est virum fortem.* Haec omnia rabbi Haccados; quibus Iudaeorum pervicaciam optime retundit. Nos autem hic pedem sistimus, ne tempus ulterius teramus, et in nos illud flectatur, *Aethiopem dealbas*, hoc enim nomine Amos 9, et Hierem. 13, illos compellant: utique tam immedicabili mentis nigredine laborant!

CERTAMEN IV.

Mariana Virginitas vindicatur adversus haereticos.

1111. Relictis Cerinthianis, Ebionitis et aliis iudaico fermento corruptis hominibus, qui primum Marianae Virginitati bellum indixerunt; accessere Iovinianus, qui Mariam, virginem non exstitisse in partu, ore turpissimo effutivit; et Helvidius, qui post partum B. Virginis integritati insultans, eam a Iosepho alios habuisse filios, virginitate deperdita stupido errore disseminavit. Hos Epiphanius, haeres. 48, et Damascenus, lib. de haeresibus, Antidicomarianitas appellant. His omnibus peior exstitit Lucas Stembergerus, Satanae portentum in extremas mundi partes deportandum: hic putidissime blasphemavit, dum mentitus est Christum non Dei, sed Iosephi veri patris, et Mariae matris esse filium, imo ex eodem Iosepho alios sustulisse filios. In eandem Marianam virginitatem caninos dentes infigunt Apollinaris, Valentinus, Macedonius, Dioscorus, Waltherus Loldardus, qui o-

mnes articulum illibatae virginitatis in Apostolico symbolo contentum rabiosis morsibus proscindunt.

Veritas autem catholica est adversus gentiles, haereticos, ac Iudaeos ab Ecclesia definita, B. Virginem, non opera viri, sed Spiritus sancti virtute concepisse; ideoque in ipsa conceptione Virginitate salva Christum concepisse. Quam sententiam ad fidem pertinere catholicam; et oppositam, haeresim esse, docet universa Theologorum schola cum s. Thoma, in 3 p., q. 28, a. 1, et perspicue reperitur in sacra Scriptura, Mat. 1: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et de Iosepho subditur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Idipsum definitum fuit in concilio Lateran. 1, consultat. 5, can. 3, et in symbolo Apost. et alibi saepe, ut infra.

Ex eo autem Iovinianus, Gualterus et alii haeretici denegabant Mariae Virginitatem in partu, quod hallucinarentur, non posse alio modo defendi, Christum esse verum hominem, et non phantasticum, et verum Mariae filium, nisi modo naturali, sicut alii, natus esset; at, inquiunt illi, naturali modo nasci non potuit, nisi uteri virginalis claustra reseraret, alioquin sicut aqua tantum per canalem derivaretur, eiusque egressus ex utero vera nativitas dici non potest. His haereticis consensit Erasmus in Annotationibus in illud Luc. 2: *Omne masculinum adaperiens vulvam*, ubi indicat B. Virginem reserato claustro virginali, et cum dolore Christum peperisse; quae verba iam expuncta sunt ab eius libris. Nec dissentit Origenes, hom. 14 in Lucam; ait enim: *Omne masculinum, quod aperit vulvam. Quemcunque enim de utero effusum marem dixeris, non sic aperuit vulvam matris suae ut Dominus Iesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat: Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo et partus editus: quia sanctum uterum et omni dignatione venerationis venerandum ante nativitatem Christi masculus omnino non tetigit.* In quibus verbis cum admittat eandem factam fuisse reserationem in vulva Virginis Mariae, quae fieri solet in aliis per viri coitum, aperte adhaeret sententiae illorum, qui ruptionem aliquam et dilatationem admittebant. Non abfuit ab hoc errore Durandus in 4, d. 44, q. 6, n. 7 et 11; ait enim B. Mariam permansisse quidem Virginem in partu et post partum, sicut antea fuit, non solum quia non fuit experta delectationem, per quam existimat Virginitatem proprie deperdi, sed etiam quia semper retinuit integritatem absque ulla ruptione: inde tamen non sequi in nativitate Christi duo corpora invicem penetrata fuisse, quia id servata integritate fieri potuit, nempe facta dilatatione meatuum naturalium, sine ruptione aliqua: sicut docet Augustinus, 14 de civit., c. 26, futurum in statu innocentiae, Adamo non peccante; tunc enim, ait Durandus, sine dolore filii nascerentur, siquidem dolor in partu per peccatum inductus fuit: eo quod tunc ipse maturi foetus impulsus foemineam vulvam laxaret. Subditque hanc sententiam, salva fide, defendi posse, in quam ipse propendet. Dissentit autem Durandus ab haereticis nostri temporis; quia hi affirmant Deiparam aperto utero peperisse, sicut reliquae foeminae. Ita Petrus Martyr in c. 2 epist. ad Rom., Adamus Reinsener, Bucerus, et Molinaeus in 8 p. Unionis Evang., Beza lib. de omnipotentia carnis Christi, ubi ait partes uteri Virginei tempore partus fuisse divulsas, rursus tamen brevissimo tempore coaluisse, unde licet Virginitatem per breve tempus amiserit, iterum in integrum eandem recuperavit.

1412. Adversus hos omnes haereticos stabilit fides catholica, B. Virginem non tantum in conceptione Verbi divini, verum etiam in ipso partu Virginem permansisse, et illibata virginitate peperisse; atque proinde uterum B. Virginis in Filii partu nullo modo fuisse reseratum, sed absque ulla ruptione, sive dilatatione Christum ex Virgine natum fuisse. Ita definivit Martinus V in Concilio I Lateranensi, consultat. 5, can. 3: *Siquis*, ait, *secundum sanctos Patres, non confitetur proprie et secundum veritatem; Dei Genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum, absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, et post partum eiusdem virginitate; condemnatus sit.* Si autem Virginitas semel fuisset deperdita, neque semper Virgo permansisset, nec virginitas indissolubilis diceretur. In Concilio item V Constantinop. generali, consultat. 8, can. 6, Deipara semper Virgo nuncupatur, et in aliis Conciliis passim haec veritas catholica potius supponitur, quam de novo sanciatur. Quod vero uterus B. Mariae in partu non fuerit reseratus, nec dilatatus, constanter docet Ecclesiae traditio, ut expresse docet s. Thomas, 3 p., q. 35, a. 6, et s. Ildephonsus, lib. de illibata Virginitat. Mariae, c. 1, tom. 9 Biblioth., ubi eos erroris insimulat, qui aiunt in partu B. Virginis uterum fuisse vel ruptum, vel dilatatum, sicut adstruentes absolute B. Virginem in partu Virginem non permansisse, quia videlicet virginitatis integritas non solum per viri admixtionem, sed etiam per uteri laxationem vel dilatationem deperdi potest. Quare eisdem verbis, quibus carpit Iovinianum, et asseclas virginitatem Mariae in partu denegantes, contendit etiam eos, qui eiusmodi uteri laxationem admittebant. Verba autem Ildephonsi cit. contra Iovinianum haec sunt: *Audi tu, percipe tu, Ioviniane, corde sapito fatue, praecordio cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostrae Virginis corruptum partu causeris; nolo integritatem decerpas; nolo Virginitatem per exitum nascentis scindas; noloque Virginem Genitricis officio prives.* Ostendit ergo Ildephonsus toto illo libro hoc pacto, scilicet, facta ruptione, vel dilatatione uteri, veram B. Mariae virginitatem in partu propugnari rite non posse. Eandem veritatem tradunt plures Patres apud Vasquium, disp. 121, 3 p., cap. 4. Clarius

autem idipsum docet Ambrosius, lib. de institut. Virg., c. 7, per haec verba: *Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia Virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine.* Augustinus, epist. 30, quae est ad Volusianum, ita loquitur: *Ipsa virtus, nempe Dei, per inviolatae Matris virginea viscera membra infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra iuvenis introduxit.* Et iterum ser. 7 de nativ. ait Christum mirabili modo esse natum, *Ut cum hominem testaretur partus humanus, et Deum probaret aeterna Virginitas.* Et Ambrosius, lib. de institut. Virg. c. 5, praeponit miraculum nativitatis ex Virgine miraculo Resurrectionis Christi; ergo sicut egressus est de sepulcro, et ingressus est ad discipulos ianuis clausis, non transiliendo, nec dilatando, aut immutando, sed simpliciter penetrando corpora interiacentia; ita etiam sine ulla Virginei corporis apertione, vel dilatatione egressus est ex claustro virginali. Nec enim opus fuit ut Spiritus sanctus claustrum Virgineum disiungeret, aut dilataret, ut opus suum perficeret; non enim utitur corporeo organo, ut aliquid operetur, cum sit virtus eius ubique praesens intime, et possit ibi opera perficere, sine ulla corporis intermedii divulsione.

1113. Ad haec, sententia Durandi magnum praeiudicium parat Marianae integritati; cum tamen Patres in universum non modo imminutam non esse dicunt per partum, imo potius adauctam serio affirment. Gregorii Nysseni in vita Mosis verba sunt illa: *A Virgine Deitatis lux, assumpta carne, illuxit hominibus, eamque omnino incorruptam servavit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata.* Plus addit Augustinus, ser. 15 de tempore: *Crevit in eius partu integritas corporis potius quam decrevit, et virginitas ampliata est potius quam fugata.* Et Chrysologus, ser. 142: *Qui egreditur, et ingreditur, et introitus sui et exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus: in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata.* Aptius ad intentum nostrum Guarricus, hom. 2 de laudibus Virg.: *Nequaquam rex gloriae vincula laxavit, aut dilatavit.* Proclus Zicicenus, hom. de Christi nativit. in Concil. Ephes. tom. 6, c. 7: *Naturae portas reseravit Emmanuel ut homo, sed virginitatis claustra non violavit, neque perrupit ut Deus; ita enim ex utero est egressus, sicut per aurem ingressus; ita natus, sicut conceptus; qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus.* Quod si obieceris naturales illos meatus adeo esse constrictos, ut nequeant capere corpus pueri quantumvis pusilli, nisi vel illae partes laxentur, vel corpus egressurum comprimatur, aut propriarum partium penetrationem subeat: haec autem obiectio potius urget Durandum, quam nos; vix enim percipi potest, quomodo corpus grandiusculae quantitatis transire possit per poros alterius interiacentis corporis propter solam dilatationem, non interveniente aliqua divisione, vel aliquarum partium penetratione. Nos autem non urget argumentum, qui asserimus potuisse Christum aliqua mirabili ratione nobis ignota, sui corporis partes intra illos angustos meatus inferre nulla facta dilatatione: tum intercedere potuit aliquarum partium corporis Christi penetratio inter se; ita tamen ut saltem ex parte per viam naturalem egressus fuerit. Temerarium enim arbitror Abulensis assertum, dum Paradox. 1, c. 68, arbitratur per umbilicum et ilia egressum fuisse Christum; nisi velit in sensum commodum venire, nempe ut ex parte exierit per viam naturalem partus, ita tamen, ut id quod via illa capere non poterat, per alias partes proximas facta penetratione prodierit: itaque Mariana integritas in partu longo intervallo superavit integritatem, quae reperiretur in parientibus in statu innocentiae, si perdurasset. Supponimus autem partum in illo statu futurum per dilatationem meatuum naturalium. At Mariana integritas in partu permansit sine ulla virginitatis iactura, sine ulla virginei claustri dilatatione, per subtilitatis dotem, ita ut Christi corpusculum in egressu cum corpore Virgineo se penetraverit: ut bene Molina, tom. 2 in 1 p., tract. de opere sex dier., disp. 29, alias 28, § *Quod vero attinet.* Quod assertum commune est Theologorum, ut attestatur Suarius, tom. 2 in 3 part., disp. 5, sect. 2. Et quidem suaderi potest, quia Patres miraculum Virginei partus multum exaggerant, quod non ita esset, si per solam partium dilatationem contigisset; tunc enim modum nativitatis in statu innocentiae in foeminis parientibus non excederet; quare aut parvum, et vix aliquod miraculum agnosceremus. Antecedens constat, quia s. Augustinus, epist. 3 ad Volusianum, ita habet: *Nasci de virgine, tale miraculum fuit in Christo, ut maius a Deo exspectari non potuerit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus, tota ratio est omnipotentia facientis.* Ambrosius item, lib. de institut. Virginis, cap. 5: *Virginem parturire, maius est miraculum, quam mortuum reviviscere.* S. Petrus Damianus, in vita Dominici Loricati: *Maria in Virgineo suo partu, quem edidit, Sanctorum omnium virtutes ac signa praecelluit.* Theophylactus: *Maius miraculum est Christum ex Virgine nasci, quam a mortuis resurgere.* Origenes homil. 39 de diversis: *Quis unquam ista audivit? quis vidit talia? et quis cogitare potuit, ut Mater Virgo esset, et intacta generaret, quae Virgo permansit et genuit?* Mulieres ergo pariturae in statu innocentiae sine dolore, si in partu uterum dilatarent, virginitatem amitterent. Bene tamen virtute doni innocentiae, et originalis iustitiae omnis imperfectio in coitu cohiberetur: nam ante copulam non antecederet motus involuntarius, aut impudicus membrorum, sed ex motione voluntatis honestae, et propter finem optimum sine ardore libidinis talis motus assurge-

ret: et similiter in ipsomet actu Deus excessum libidinis temperaret, et solum delectationem convenientem ad perfectionem actus permitteret; unde talis solum, ac tanta esset, quae mentem non perturbaret, et absorberet rationis usum, vel impediret. Videndus Suarius de opere sex dierum, lib. 5, c. 1, n. 13.

1414. Opponunt haeretici primo; si enim B. Virgo mirabili et insueto modo Christum peperit, ergo nequit dici Mater naturalis Christi, nec Christus naturalis eius filius: quippe ut foemina naturalis mater alicuius proprie dicatur, non solum illum concipere, utero portare, ac nutrire per aliquot mensium periodum; sed opus etiam est naturaliter illum parere; alioquin, aut phantasma haberetur, ac per uterum Virginis Mariae sicut aqua per canalem elapsus videretur, cum Manichaeorum errore, iuxta Augustinum, serm. 186 de tempore. Si enim B. Virgo Christum non fuit enixa more aliarum foeminarum; ergo Christus per corpus Virginis B. non naturali modo, adeoque non tam per proprium corpus Matris, sed tanquam per alienum egressus est. Respondent aliqui cum s. Ildephonso cit., legem, sub qua nunc foeminae suos partus edunt, vere non esse legem naturae, sed maledictionis et culpae; nisi enim Adamus peccasset, nemo nasceretur in peccato. Displicet responsum, quia non solvit omnino argumenti vim; licet enim Eva propter transgressionem, maledictionem illam subivit, nempe: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos, in dolore paries filios;* hic tamen pariendi modus naturalis est, sicut etiam in quovis alio animantium genere. Ideo autem ex maledictione ortum duxisse dicitur, quia in poenam peccati ablatum fuit donum iustitiae originalis, ac proinde foemina relicta fuit in sua natura, quomodo in pura natura, scilicet absque peccato et sine ullo dono iustitiae originalis, omnes foeminae foetus suos eniterentur, ad eum modum quo alibi locuti fuimus de morte, quae ex se a natura advenit homini; eodemque modo propter peccatum ac Dei maledictionem in orbem terrarum invecta est. Videndus Vasquius in 3 partem, disput. 121, cap. 5, num. 83.

Quare fatemur naturalem esse modum pariendi cum laxatione uteri et dolore, licet in poenam peccati inductus fuerit. Christus autem hoc modo natus non fuit, sed modo supra naturam: hoc tamen nihil obstat, quominus sit vere filius naturalis B. Virginis; quia, ut quis sit filius naturalis alicuius foeminae, opus non est, ut ex illa secundum naturalem legem nascatur; ut si quis matris mortuae scisso ventre in lucem ederetur, filius utique naturalis diceretur illius mulieris, et tamen nativitas illa non esset secundum communem et naturalem modum nascendi; quia relationes maternitatis et filiationis, non in partu, sed in actione generativa fundantur; unde foemina, dum in utero foetus delitescit, vere mater est, eiusque foetus filius proprie ipsius ante partum; parum igitur interest ad filiationem naturalem, quod foetus modo naturali, vel praeternaturali edatur in lucem. Male igitur et inepte inde inferunt haeretici Christum Dominum sicut aquam per fistulam, seu canalem, per uterum Virginis prodiisse; aqua enim nullam a canali, qua transit, originem naturalem trahit, neque ab illa generatur; Christus autem ex Maria, tanquam ex vera Matre progenitus, naturalem originem trahens, in similitudinem naturae oritur suo tempore.

Opponunt deinde Calvinus eiusque sectatores aliquorum Patrum testimonia, ut probent B. Virginem aperto et laxato utero peperisse. Tertullianus, lib. de carne Christi, cap. 32: *Quis vere sanctus quam Dei Filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit?* Deinde eodem libro, num. 174, ait de Deipara: *Et Virgo quantum a viro, non Virgo quantum a partu.* Ubi clare sentit a partu integritatem amisisse. Subdit deinde: *Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit: caeterum omnibus nuptiae patefaciunt?* Clarius num. 175: *Et quid ultra de hac re tractandum est, cum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertae vulvae nuptialem passionem?* Verum fateor Tertullianum plus excessisse in hac parte, quam plures haeretici, qui, ut vidimus, asserebant B. Virginem secundum legem communem foeminarum peperisse; adstruebant tamen, ut vidimus, virginitatem in partu non amisisse. Tertulliano adhaesisse opinatur Vasquius Origenem, hom. 14 in Lucam, dum ait: *Omnium mulierum, non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat, Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo etiam partus editus.* Sed praeter Tertullianum et Origenem sunt alii Patres, qui aiunt Christum D. nascendo vulvam Matris aperuisse; quod speciale fuisse in B. Virgine opinantur, quia aliis foeminis aperitur vulva, dum concipiunt foetus; at B. Virgini, in partu; quomodo interpretantur verba illa Exodi 13, et Num. 8: *Omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* Quae capiunt praecipue de Christo: ita Epiphanius haeresi 78: *Hic est,* inquit, *qui vere aperuit uterum matris.* Eodem ferme modo loquuntur Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Amphilochius homiliis de occursu Domini, Theophylactus in 2 c. Luc., Ambrosius, lib. 2 in Luc. quorum verba videri possunt apud Vasquium cit. et apud Carthagenam, lib. 7, hom. 13 de expectatione partus. Respondeo 1°, *claudere vulvam* in sacra Scriptura proprie designare sterilem et infoecundam reddere, ut videre est, Gen. 28, 29 et 30, et I Reg. 1; ac proinde *aperire vulvam* significat idem ac foecundam reddere. 2.° Dici posset ibi apud cit. Patres sermonem esse non de apertione uteri, sed de effectu apertionis, nempe de egressu ab utero materno; itaque Patres citati solum intendunt per apertionem vulvae, Christum Dominum ex clauso Matris utero prodiisse, non minus ac si illam reipsa aperuisset. Eadem ratione Matth. 3 asseritur: *Et ecce aperti sunt coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.* Nec enim reipsa opus erat, ut coeli aperirentur

et frangerentur; sed ita Spiritus Dei de coelo descendit, ac si reipsa coelos aperuisset. Item de D. Stephano ait Lucas, Actuum 7: *Video coelos apertos, et Iesum stantem a dexteris virtutis Dei.* Non ita ut in coelis facta fuerit divisio aliqua, seu fractio; sed quia Christum stantem in coelis conspexit, ac si coeli reserarentur. Iterum Marc. 7 de surdo dicitur: *Apertae sunt aures eius*, quia bene audiebat: quorum locorum interpretationem ad praesens intentum trahit Hieronymus, lib. 2 contra Pelagium: *Solus*, ait, *Christus clausas portas vulvae Virginalis aperuit, quae tamen clausae iugiter permanserunt.* Intelligendus ergo est, ita aperuisse, et tamen clausas semper exstitisse, non quia reipsa illas portas aperuit, sed quia prodiit, ac reliqui infantes, qui vere Matris vulvam aperiunt ac perfringunt. Quod bene exposuit Amphilochius cit. In hunc sensum inquit Euthymius in c. 2 Luc.: *Solus Christus nondum apertam vulvam supernaturaliter aperuit, et clausam naturaliter conservavit.* Sed quid intendit Proclus Zicicenus supra adductus, dum ait: *Naturae portas reseravit Emmanuel ut homo, sed virginitatis claustra non violavit*? Equidem censeo ita esse capienda, non quod virginea signacula perruperit Matris nixus, naturaeque violentus impulsus; sed quod sacer foetus per consuetam semitam fuerit egressus per divinam omnipotentiam sine fractione aliqua: itaque reseratio illa apud Proclum fuit egressus, non fractio, fuit penetratio, non violatio.

Fateor verba Tertulliani supra relata, tum et Origenis maiorem difficultatem ingerere; imo plures Doctores cum Vasquio cit. illum haeresis nota inurunt quoad hanc partem: dici tamen posset, Tertullianum illo loco agere mordicus contra Marcionem negantem B. Virginem peperisse Christum; contendit ergo Mariam ita esse virginem, quod tamen Christum pepererit: quare cum ait, non esse Virginem a partu, solum intendit in sensu formali, quasi diceret: Maria non per rationem formalem, qua est Virgo, est Mater; nec e converso: a virginali enim claustro est Virgo formaliter, a conceptu et partu Mater formaliter existit; ac proinde in hoc sensu vere affirmatur a Tertulliano non esse Virginem a partu, scilicet a maternitate; non autem it inficias, Mariam esse Virginem in partu et post partum. Perspicue enim docet, lib. de carne Christi, perpetuam Mariae Virginitatem; et lib. de velandis Virginibus, haec habet: *Mariam Virginem utique constat fuisse, licet Ebion resistat. Agnosco et angelum Gabrielem ad Virginem missum; sed cum benedicit illam inter mulieres, etiam Virginem deputat: Benedicta tu inter mulieres. Sciebat et Angelus mulierem, etiam Virginem dici: quod si ex Virgine natus est Christus, licet ex desponsata tamen integra; agnosce mulierem, etiam Virginem, etiam integram dici.* Ex quibus verbis plane eruitur, sensu a nobis explicato intelligenda Tertulliani verba supra recensita; cum constet, perpetuae Marianae virginitatis contra Ebionem acerrimum extitisse defensorem.

1115. Maneat ergo tanquam indubitatum fidei dogma, Mariam in partu virginem permansisse, atque adeo uterum B. Mariae, dum peperit Filium, nec ruptum, nec dilatatum fuisse; quia ut bene docet Vallesius, lib. de sacra Philosophia, cap. 25, et cum eo peritissimi medici et anatomici, contingere potest violatio virginitatis sine ulla corporis, sive pelliculae ruptione per solam partium Virginei sigilli dilatationem. Adversus Vallesium opponi solet illud Deuteron. 22, ubi Deus praecipit, ut si quis maritus uxorem repudiaturus ei obiiciat, quod in primo coitu eam virginem non adinvenerit etc. Cui obiectioni optime satisfacit Vasquius in 3 part., disp. 121, cap. 3, et Luysius Turrianus in selectis, part. 2, disput. 23, dub. 1; ergo virginitas hanc etiam integritatem deposcit: dum igitur Concilia et Patres docent, Deiparam semper Virginem exstitisse, hanc omnimodam integritatem intendunt; adeoque haec pars sine haeresi et errore inficiari nequit, utpote contra Concilia et Patres, quos abunde producunt Vasquius cit., et Suarius tom. 2 in 3 p., disput. 5, sect. 2.

Quod autem aliqui relati a Durando in 4, dist. 41, quaest. 6, num. 11, opinantur Christum prodiisse in nativitate, salva B. Virginis integritate, non transeundo per medium, sed de extremo ad extremum, extra uterum ex utero, id divina operante virtute. Is quidem sentiendi modus refragatur similiter Patribus ac Conciliis, ut patet ex Concilio Ephesino in confessione fidei, in principio, dicente: *Filius Dei nativitatem nostram sustinuit, ex vulva homo de muliere procedens.* Et infra cap. 3: *Verbum similiter ac nos, hominem ex muliere processisse.* Ergo luculenter ostendit per medium claustrum Virgineum transiisse: nec aliter recte salvari posset ratio nativitatis in Christo ex B. Virgine, nec ratio veri partus in Deipara.

Alii aiunt, ut refert Abulensis, Parad. cap. 64, Christum processisse ex B. Virgine per naturalem viam, integro manente virgineo claustro, quia in nativitate et egressione ex utero, Christus modum quantitativum exuit, induitque modum indivisibilem, ad eum modum, quo existit in Eucharistia. Contra tamen, quia hic sentiendi modus est contra communem Patrum et Theologorum sensum, asserentium ita Christum ex utero Virgineo egressum, sicut in anastasi prodiit ex sepulcro; tunc autem cum omni quantitate, qua in sepulcro iacebat, de sepulcro prodivit. Nec ita mirabilis praedicaretur Christi nativitas, si modo indivisibili existens ex utero virginali egrederetur: nec iste modus Patrum et Conciliorum locutionibus ita consonat, ut videre est in verbis Concilii Ephesini memoratis. Eadem ratione respuenda est aliorum sententia, qui docent Christum Dominum sine violatione claustri Virginei processisse, ex eo quod ita divina potentia coarctavit, et in tam subtilem figuram redegit corpus suum, ut sine ulla dilatatione, vel apertione claustri per illud prodierit; quia in claustro Virgineo datur naturalis aliqua, licet minima, apertio. Haec tamen sententia similis est praecedenti, nec salvat mira-

culosum Christi partum, ac nativitatem; facta enim illa corporis compressione, et in tenuem sc subtilissimam materiam redacto corpore, sine ullo miraculo egredi posset ex utero: nativitas autem et partus in illa egressione consistunt: tum is sentiendi modus inauditam et valde indecentem figuram Christi corpori adaptat.

Verus igitur ac germanus sentiendi modus in hac re est assignatus a Patribus ac Theologis, D. Hieronymo super Isai., cap. 7; Gregorio M. hom. 26 in Evang.; Augustino lib. de civit. Dei, cap. 8; Chrysostomo, hom. 2 de symb.; Theodoreto, Dial. 2; Euthymio in Mat. 28; Beda hom. in Pascha; Nazianzeno, hom. de Christo; Maximo, hom. 2 de Cruce; D. Thoma in 4, d. 44, quaest. 2, art. 2. Aiunt igitur Christum Dominum ex utero Virgineo egressum, integerrima virginitate per penetrationem sui corporis cum claustro virginali, et cum partibus proximioribus, quae opus erant ad egressionem totius corpusculi. Nec mirum, cum Christi corpus quatuor gloriae dotibus, veluti transeunter dum vixit, praeditum fuit; agilitate, dum super aquas ferebatur; claritate, ut in Thabore, cum facies eius resplenduit sicut sol; impassibilitate, in Eucharistia donatus fuit; subtilitate, in egressione ex utero Virgineo.

Sed ibis obviam hinc deduci B. Virginem non concurrisse effective ad suum partum, quod repugnat rationi partus, ut patet in aliis foeminis, quae active concurrunt ad egressum prolis. Illatio ex eo probatur, quia Christus virtute divina se penetravit cum Virgineo claustro, ac proinde seclusa omni vi impulsiva Matris, solum ex vi penetrationis prodiit, quia propria virtute divina penetrabatur, ac proinde in lucem egrediebatur. Aliquis forsan occurret argumento, dicens sufficere B. Virginem passive solum concurrere ad partum, non autem opus esse, ut active influat: sicut ad veram generationem non opus est ut foemina active concurrat, sed sufficit, ut passive solum, ut plures docent cum D. Thoma, et ad lib. de generatione ostendimus. Praeterea responderi potest, B. Virginem active concurrisse ad emissionem prolis, sine ullo tamen nixu, labore ac dolore; haec enim omnia procul abfuerunt ab hoc partu gaudiis redundanti; concurrit ergo B. Virgo ad emissionem prolis, quae divina virtute cum claustro Virgineo penetrata fuit.

CERTAMEN V.

Mariana virginitas post partum adversus Antidico-Marianitas statuitur.

1416. Helvidius quidam homo turbulentus vix primis literis tinctus, primus post Apollinarem, B. Mariam in conceptu et partu Virginem agnovit, post partum vero, viri admisisse concubitum, sacrilege protulit. Huius erroris sectatores ab Epiphanio, Augustino, Damasceno Antidicomarianitae nuncupantur, quorum vox blasphema illa erat: *Maria postquam genuit Salvatorem, viro copulata est. Virgo fuit ante partum, non post partum.* Sepultos horum haereticorum cineres excitarunt, ac sparserunt Petrus quidam martyr non Dei, sed Diaboli, Lucas Stembergerus, aliique novatores, quos optime confutat Canisius noster cit. cap. 10 Horum autem nugatorum obiecta infra refellemus.

Dicendum ergo est, B. Virginem perpetuam virginitatem coluisse. Ita docet fides catholica: ita perpetua Ecclesiae traditio, consensus Patrum, ac Conciliorum definitio in V Synodo, can. 6, et VI Synodo Act 11, ubi dicitur Mariae virginitas ante partum, in partu et post partum intemerabilis. Item in VII Synodo, Act. 3, in Confessione Tarasii, et in Concilio Lateran. sub Martino I, can. 3: idem tradit Siricius Papa in concilio Romano in epist. decretali, ut habetur tom. 1 Conciliorum. Fortiter Epiphanius intonat adversus omnes haereticos, haeresi 78: *Quis unquam, aut quo saeculo, ausus est proferre Mariae nomen, et interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus, etiam virtutis signa elucent.* Eodem sensu habetur in symbolo Apostolorum: *Natus ex Maria Virgine*, id est in partu, ante partum, et post partum. Efficacius haec eadem veritas demonstratur ex synodo Thelensi confirmata a Siricio Papa; tum ex Ecclesia universali, quae pangit adversus infidos Mariae virginitatis impugnatores: *Beata es, Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem mundi, genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo*; et alibi passim in Antiphonis et Hymnis: sic etiam frequenter Patres loquuntur. Solum producam D. Augustinum in lib. de Ecclesiae dogmatibus, cap. 69: *Firma*, inquit, *fide credendum est, nec blasphemiae Helvidii acquiescendum.* Huius veritatis congruentias affert Suarius, tom. 2 in 3 p., disput. 5, sect. 3: illa est optima Siricii Papae: incontinentis enim et ingrati animi signum fuisset, divinitus conservatam virginitatem prodere, et thalamum Christi polluere.

Huius etiam Marianae virginitatis primus acerrimus defensor fuit Zacharias, Ioannis Baptistae parens. Variae enim sunt Doctorum sententiae, quinam fuerit Zacharias ille, de quo Christus loquitur in Evangelio, cum ait, ad Iudaeos sermonem intendens: *Quem occidistis inter templum et altare.* Nunc magis in illorum sententiam propendemus, quae adstruit illum fuisse Zachariam Baptistae patrem, qui primum Virginitatis Deiparae patrocinium suscepit, ob idque mortem subivit violentam. Ita sensere plures Patres. Origenes, tract. 23. in Matth.: *Venit*, ait, *ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus consistere licet, et orare Deum; expertae autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. Maria autem, postquam genuit Salvatorem, ingrediens adorare, stetit in illo virginum loco, prohibentibus autem eis, qui noverant iam eam filium genuisse. Zacharias stetit, ac dixit prohibentibus eam: Quoniam digna est virginum loco, cum sit adhuc Virgo. Ergo quasi manifestissime Zachariam adversus Legem agentem, et in loco virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum et altare viri generationis*

llius. Et paullo superius dixerat, Zachariam unc parentem fuisse Ioannis. S. Basilius, orat. le humana Christi generatione, adhaeret huic ensui, ait enim: *Zacharias, Mariam post Domii conceptionem in virginum loco constituens, i Iudaeis inter templum et altare interfectus st, a populo namque accusatus, quod rem inauditam prodigiosamque praedicaret, Virginem idelicet parientem citra virginitatis corruptioem.* Accinit Gregorius Nyssenus in orat. in iem Nativit. Christi: *Zacharias divino numine d occultorum cognitionem ductus, cum virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo Virginem Matrem a loco irginibus per legem assignato non semovit; Iudaeosque docuit, naturam humanam una cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, et Regi ita subiectam esse, ut arbitratu suo eam ipse reciperet. Iudaei metuentes ne Regi subderentur, sacerdotem, qui haec de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificantem interfecerunt.* Idem docet Cyrillus Alexandrinus, lib. adversus Anthropomorphitas, cap. 27. Theophylactus in cap. 23 Matth.: *Alii aiunt hunc Zachariam esse patrem Praecursoris Domini: cum igitur esset Pontifex, postquam Deipara Christum peperisset et statuisset illam in loco illo, indignati sunt contra eum Iudaei, et occiderunt eum, quod cum virginibus collocasset mulierem quae peperisset.* Euthymius eiusdem est sententiae in 23 Matth.: *Plures dicunt Zachariam patrem Baptistae, qui, quod Dei Matrem non eiecit ex loco virginibus deputato, post partum dicens Virginem esse, occisus est.* Fateor Chrysostomum et Hieronymum huic sententiae refragari. Verum cum tot Patrum testimoniis fulciatur, maximam probabilitatem ingerit, quam tutatur ac roborat Christophorus de Castro in Hist. Deip. cap. 11, n. 12.

1417. Adversus hanc veritatem sic 1° urgebat Helvidius ex Matth. 1: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Sed occurritur ex Patribus, per illa verba solum negari quod eo tempore factum non erat, nihil vero affirmari, quod posteriori tempore factum sit; itaque illud, *Antequam convenirent*, idem valet ac dicere, sine eorum coniunctione, ut si quis diceret: Antequam sacrum audirem, navim conscendi; non denotat postea sacrum audisse, nec animum audiendi habuisse. Sic habes apud Matth. 5: *Scit Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis*, hoc est, vobis non petentibus. Ita D. Thomas, et s. Hieronymus apud Suarium, disput. 5, sect. 3. Urgebat 2.° idem haereticus ex eodem Matth. cit.: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Quae verba eundem sensum amant. Tametsi verbum *Cognoscendi*, bifariam accipiunt aliqui, nempe vel pro simplici cognitione, vel pro congressu viri cum uxore. Primo modo capiunt memorata verba aliqui Patres, s. Hilarius citatus a s. Thoma in Catena, tom. 15, cuius haec sunt verba: *Propter sanctissimae Mariae glorificationem, a Ioseph cognosci non potuit, donec peperit: Dominum enim gloriae habens in utero quomodo cognosceretur? Si Moysis cum Deo colloquentis adeo glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israel; quanto magis Maria agnosci, vel intueri non poterat, quae Dominum potentiae in utero habebat? Post partum autem a Ioseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis.* Et Auctor operis imperfecti super Matth. eodem modo interpretatur verbum *cognosco*, ait enim: *Vere non cognovit eam ante, cuius fuerat dignitatis, quae Unigeniti Dei facta fuerat Mater; sed postquam peperit tunc cognovit, quod speciosior et dignior facta fuerat quam totus mundus. Nam quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum uteri sui sola suscepit*, etc. *Quidam ex hoc verbo, secundum Eunomium, putant quod Ioseph, donec peperit quidem non illam habuit in consortio, post ea autem cognovit eam et filios peperit, unde et Christum primogenitum dicit, quem alii fratres sequuntur. Insanus neminem intelligit esse sanum; quia illi, qui ausi sunt hoc dicere de illa, putant, quia et Ioseph hoc ausus fuit facere; hoc enim quod fieri potuit, dicit Evangelista, quia factum non est: illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit dicere, factum non est? Nam sunt quaedam, quae naturaliter possunt fieri, sunt autem quae impossibilia sunt per ipsam naturam. Volo tibi referre: ille nescio quis cum illo, litem commisit, et donec vixit, non est cum eo locutus: ex eo non significavit, quia post mortem locutus est, quod fieri non potest. Illud enim quod fieri potest, dixit, quia factum non est. Quid autem opus habuit exponere, quia nec post mortem illi locutus est, quod fieri non poterat? Sic et Ioseph ante partum credibile fuit, ut cognosceret eam, quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem: postquam cognovit, quia facta est Unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare, quod antea facere noluit vir religiosus exspectans nuptias suas, quas postea facturus erat, ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret?* Haec omnia Auctor imperfecti, hom. 1, tom. 2 operum D. Chrystomi, Epiphanius item, haeresi 78, verbum, *Cognosco*, non ad coniunctionem et copulam refert, sed ad agnitionem excellentiae et dignitatis Mariae Virginis. Glossa etiam Ordinaria in hunc locum Matth. ita habet: *Dicitur, quod Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam Spiritus sanctus a conceptione impleverat penitus, et ideo non cognoscebat eam facie ad faciem, quam desponsaverat, donec uterus evacuaretur.*

Verum enimvero licet verbum, *Cognosco*, sumatur hoc loco pro opere nuptiali, et hominis congressu cum uxore, quo sensu sumi solet in Scriptura, ut Genes. 4: *Adam cognovit uxorem suam*, tum et B. Virgo dixit: *Quoniam virum non cognosco*, Luc. 1, et alibi saepe; inde tamen male et turpiter Helvidius infert, quod postquam B. Virgo peperit, Ioseph cognoverit eam; quem erudite et eleganter coarguit D. Hieronymus in Helvidium, tom. 2 in initio: *In quo primum*, inquit, *adversarius superfluo labore de-*

sudat, Cognoscendi *verbum, ad coitum magis, quam ad scientiam esse referendum; quasi hoc quisquam negaverit, et eas nuptias quas redarguit, aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde vult docere, quod* Donec, *sive* Usque *adverbia, certum tempus significent, quo completo fiat, quousque ad illud temporis quod praescriptum, non fiebat, velut in praesenti, et non cognoscebat eam, donec peperit filium. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem Filii tantum differebat generatio; et ad hoc approbandum congerit de scripturis exempla quamplurima* etc. *Ad quae nos breviter respondemus, et non cognoscebat, et Donec, et ad sermonem Usque, in Scripturis sanctis dupliciter intelligi. Et de eo quidem quod scriptum est, non cognoscebat, ad coitum esse referendum ipse disserunt, nullo dubitante, quin ad scientiam saepe referatur, ut ibi remansit puer in Hierusalem, et non cognoverunt parentes eius. Sic etiam Donec in Scriptura, saepe certum tempus, sicut ipse disseruit, significat; saepe infinitum, ut est illud: Donec consenescatis, ego sum. Nunquid postquam illi senuerint, Deus desistet? Et Salvator in Evangelio Matth.* 28: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi; ergo post consummationem saeculi a discipulis abscedet? Et* I. *Cor.* 15. *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis. Nunquid postquam illi sub pedibus erunt, regnare desistet? Intelligat ergo ea, de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, signari caetera vero nostrae intelligentiae derelinqui. Iuxta quod Evangelista illud indicat, de quo scandalum poterat moveri, non eam cognitam esse a viro usque ad partum: ut multo magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum.* Similia exempla producit Auctor operis imperfecti in Matth., quale est illud Pauli Timot. 4: *Donec venio, attende lectioni.* Quod non ita intelligendum, quasi diceret: Dum venio, quidem attende, cum venero autem, neglige. Et Psal. 111 de iusto ait David: *Non commovebitur in aeternum, donec despiciat inimicos suos.* Et Psal. 70: *Usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me: Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quae ventura est.* Sensus quippe esse non potest, quod devictis hostibus, tunc iustus commovebitur. Nihil ergo obstare potest particula *Donec*, perpetuae virginitati Mariae Virginis.

1418. Sed adhuc superest explicare, cur Christus Dominus dicatur Primogenitus, haec enim vox, ut argumentatur Helvidius, dicit ordinem ad sequentes fratres; ac proinde Mariam cognitam a Ioseph post partum sacrilege inferebat. Sed quod D. Matthaeus vocet Christum Primogenitum, nulla ratione haereticis favere potest, cum vox haec ibi solum negative sumatur, videlicet quatenus importat negationem prioris filii; non vero illic sumendus Primogenitus positive, prout dicit relationem et ordinem ad secundum et sequentes filios. Et patet exemplo, siquidem in lege veteri praecipiebat Deus sibi primogenitum offerri, et tamen procul dubio unigenitus nomine primogeniti veniebat, sin minus lex nullum parentem constringeret unigenitum Deo devovere, donec secundogenitus oriretur, quod est aperte contra verba Scripturae. Nam Exodi 13, praecipitur primogenitum pecorum offerri, et primogenitos hominum redimi; si tamen solus ille censeretur primogenitus, quem alii filii subsequerentur, nunquam appareret primogenitus, donec haberet alios fratres; cum tamen indixerit Deus, Exodi 22, octava die sibi offerri primogenita pecorum: et Levit. 12, ut mulier cum pareret primogenitum, post quadraginta dies offerret illum Domino, et quidem post quadraginta dies a partu, nondum scire poterat, an esset alios filios progenitura, quorum respectu ille diceretur primogenitus. Deinde nomine Primogeniti venit Christus, non in ordine ad alios fratres carnali propagatione progenitos, sed comparatione illorum, quos adoptiva et spirituali generatione tum Deus, tum B. Virgo coelo parturivit. Quae est s. Epiphanii interpretatio, Haeresi 76: *Primogenitum inquit, quia Primogenitus est priusquam essent creaturae, et Primogenitus inter multos fratres iuxta Apostolum; non iuxta eum qui est a Maria, vel ut alii sint ex ipsa, sed inter eos, qui digni facti sunt accipere per ipsum adoptionem in filios.*

Sciscitaberis quo sensu in Evangelio dicantur aliqui fratres Domini; ait enim Ioannes, c. 7: *Nec enim fratres eius credebant in eum*; et Matth. 12: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes loqui tibi.* Aliqui ex Patribus opinati sunt D. Iosephum alios liberos habuisse, non ex Deipara, sed ex alia uxore. Ita Origenes in cap. 13 Matth.; Chrysostomus, hom. de Annunciat. B. M.; Eusebius, lib. 2 Hist., c. 1; Epiphanius, Haeres. 28 et 78, et in Anchorato; Nicephorus, lib. 1 Hist. cap. 21, et lib. 2, c. 3; Euthymius in c. 12. Matth.; Hilarius, canone 1 in Matth.; Augustinus, in c. 1 ad Gal.; quam sententiam amplexi sunt, ut commode verba Scripturae intelligerent, ubi fratres Domini quidam vocantur. Verissima tamen sententia, et omnino tenenda est, quae docet B. Iosephum cum sola Deipara matrimonium iniisse. Quos autem fratres Domini Scriptura appellat, id utique praestare iure solum cognationis. Haec sententia est D. Hieronymi in opuscul. contra Helvidium, Bedae in cap. 6 Marci, et plurimorum Patrum, interpretum ac scholasticorum. Et ostenditur ratione, quia, si cum alia matrimonium iniisset, utique cum Maria Iacobi, haec enim mater fuit illorum, qui in Evangelio vocantur fratres Domini, adeoque id fatentur adversariae partis Doctores; sed non potuit Iosephus hanc sibi uxorem adsciscere; ergo nullam praeter Virginem Deiparam. Assumptum probatur, quia si illam sibi in matrimonium prius copulavit, necessario ea defuncta, B. Virginem sibi despondit, quod fieri non potuit, nam quo tempore Christus mortuus est, aderat Maria Iacobi, ut meminit Matth. 27, et Marc. 15; nefas enim esset dicere, Iosephum simul duas uxores habuisse. Quod autem Chrysostomus, si ipsius est illa Homilia citata, docet, Iosephum, priori uxore repudiata, cum Virgine

Beata iniisse matrimonium, est libere dictum.

Reliquum est, ut explicemus quo iure propinquitatis quidam in Evangelio fratrum Domini nomine donentur. Praemittit autem Hieronymus opusc. contra Helvidium, tom. 2 in principio, apud sacram Scripturam quadrupliciter fratres sumi, ut supra meminimus, Palaestra de nobilitate Mariana, Certamine IV, n. 929: videlicet natura, gente, cognatione et affectu. Natura dicuntur fratres, qui ex eodem parente ortum habent. Gente, cum idem gentilitium stemma ducunt; sic Iudaei appellantur fratres, unde habes Genes. 25: *Non foenerabis fratri tuo ad usuram.* Et iterum: *Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebraeus, et sex annis servierit tibi, dimittes eum liberum.* Et rursus: *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Deuteron. 17. Et Paulus ad Rom. 9: *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae.* Cognatione vero illi sunt fratres, qui sunt de una familia. Unde Genes. 13, Loth vocat Abraham fratrem suum: *Fratres enim sumus*, et paullo infra: *Divisique sunt alterutrum a fratre suo*, et tamen Loth filius erat Aran fratris Abrahae; et Genes. 14, iterum habes: *Cum audisset Abraham, captum videlicet Loth fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo.* In hoc igitur sensu dicuntur tres Apostoli fratres Domini. Affectu vero fratres dicuntur, qui se invicem amant, ac mutuis charitatis officiis se invicem prosequuntur, iuxta illud Psalm. 132: *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum!* Et Luc. 17: *Si peccaverit in te frater tuus.* Aliqui ergo arbitrati sunt, fratres Domini nuncupari in Evangelio Christi consobrinos ex Mariae Virginis sororibus progenitos. Ita auctor Glossae Ordinariae in illud ad Galat. 1: *Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Tenet etiam hanc sententiam Hugo Victorinus, quaest. 5 in Epist. ad Gal. Echius serm. de s. Anna. Subsidiatur Beda in c. 1 Actuum. Favet Hieronymus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis. Haec tamen sententia a me explosa fuit alibi, eamque fuse confutat Vasquius in 3 part., disp. 12, c. 3.

Quatuor autem viri dicuntur in novo Testamento fratres Domini, nempe Iacobus, Iosephus, Simon, et Iudas, Matt. 13, ad Gal. 1, Act. 1: duae autem vocantur sorores B. Mariae, speciatim Maria Cleophae, Ioan. 15: de pluribus autem fit mentio, Matth. 13. In hac re amplectenda est Hieronymi sententia apud Vasquium cit., cap. 4, explosa singulari Cardinalis Baronii sententia. Assignat ergo Hieronymus matrem et patrem eorum, qui nominatim fratres Domini dicuntur, ea ratione, ut mater eorum fuerit Maria Cleophae, pater Alphaeus; Mariam vero fuisse cognominatam Cleophae, vel quia fuerit filia ipsius, vel ex familia, aut marito Alphaeo, qui vocabatur Alphaeus Cleophas, quod binominis esset. Ait ergo s. Hieronymus, in c. 12 Matth., de omnibus fratribus in universum, nullius nomine expresso, inquit fuisse filios Mariae Cleophae, et ex hac parte consanguineos Christi; quo autem consanguinitatis gradu B. Mariae coniuncta esset Maria Cleophae, ratione cuius ipsa soror Virginis, et filii eius fratres Domini dicerentur, res est incerta. De quo videndus Suarius, to. 2 in 3 p., d. 5, sect. 4, § *Quarto ergo dicendum.*

1119. Haereticorum ergo ora obmutescant, linguaeque fatiscant, qui sacrilego ausu plures filios B. Virgini adscripsere post sacrum puerperium, quos fratres Domini evangelistae compellant. Adversus quos vexillum ac labarum extollit Evangelista Ioannes, Apoc. 12, dum ait: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Insigne profecto, ac clarissimum virginitatis perpetuae Mariae pro omni differentia temporis, nempe ante partum, in partu et post partum, emblema: quippe haec omnia luminaria voluit rerum omnium molitor Deus in coelis statuere, ut suo perenni motu ac circumlatione signa indefectibilia forent annorum, mensium ac temporum, ne Maria pro aliqua temporis differentia virginitatis luce viduaretur: Solis igitur splendore vestitur: luna crepidarum loco subrogatur Mariae, sydera sacrum caput coronant; ut haec signa totum tempus universamque durationem innuerent, et omnis temporis differentiam complecterentur, et nunquam virginitatis theristro fuisse nudatam Mariam. Ergo in coelo perspicitur mulier amicta sole, habens in utero, vera aeterni Patris aemulatrix; solus enim Pater aeternus in coelis habitans, lumine amictus sicut vestimento, lucemque inhabitans inaccessibilem, habet in utero Verbum, illudque progenerat. O singularissimum Marianae integritatis privilegium! quippe Maria inaccessam solis, lunae ac stellarum lucem inhabitans, utero gestat Verbum Dei hominem factum, ac in lucem edit, aeternae generationis superi Patris aemula. Opportune in rem praesentem fatur s. Thomas, 3 p., q. 28, art. 3: *Derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam Unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius; ita decuit ut esset Unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen eius.* Quasi diceret: sicut Verbum divinum est Filius Unigenitus, quia infinitus simpliciter in essentia, ac proinde totius intellectus aeterni Patris foecunditatem exhauriens; ita idem Verbum humanitate indutum, est Filius unigenitus Mariae, quia infinitudine sua omnem B. Virginis foecunditatem exhauriens et exsatians. Ad haec, quemadmodum Pater coelestis ait in Psal.: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quia aeternam sobolem aeterne progenerat; sic de Maria fatur Ioannes, Apoc., 12: *Habens in utero*, quasi semper de praesenti utero foetum gestaret adhuc in coelis existens, quae in terris semel conceperat et pepererat, quasi alteri soboli in alvo Mariana aditus intercluderetur. In quem sensum flecto verba s. Hieronymi de vita Clericorum ad Nepotianum, tom. 2 oper. suorum, de vera sapientia intermiscens: *Amplexetur me modo Sapientia, et Abisag nostra, quae nunquam senescit, in meo requiescat sinu: impolluta est, virginitatisque perpetuae et quae*

in similitudinem Mariae, cum quotidie generet, semperque parturiat, incorrupta est.

Ex his germanum sensum elicies verborum s. Ildephonsi, lib. de virginit. B. Mariae, cap. 10, ubi vocat Deiparam, foeminam, quae concipiendo virgo est reddita. Ubi certum est, noluisse insinuare, eam prius passam fuisse violationem aliquam, cum toto illo opere acriter aeternitatem virginitatis, ut ipse vocat, propugnet; non, inquam, innuit Deiparae claustrum aliquo modo violatum, et Spiritus sancti ope integritati restitutum, ut ethnici commenti sunt de Iunone, quae ex lotione in aquis Canathi fluvii quotannis virginitatem deperditam redintegrabat. Imo aliqui, tametsi sine ullo fundamento, adstruunt naturaliter fieri posse per herbam vivam, ut vocant, virginitatem amissam reparari posse. Consule generalem historiam Plant. lib. 18, cap. 143. Fundamento etiam caret quod Leonardus de Utino, tract. de sanguine Christi, cap. 21, dub. 7, affirmat, Magdalenam post perditam virginitatem, divinitus etiam corpore virginem redditam, et ad suum sensum trahere contendit s. Thomam. Sed est merum commentum; licet verum sit, semel corruptam, divinitus reparari corpore posse, quod solum docet s. Thomas, et contra praetensam D. Hieronymi contrariam sententiam pugnat Petrus Damianus, opusc. 36, Rupertus lib. de laes. Virgin., c. 11, Petrus Cellensis, lib. 6, Epist. 33, Augustinus de Ancona, lect. 17 super *Missus est*, ques. 5. Sensus ergo s. Ildephonsi solum est, B. Virginem conceptu ac partu permansisse corporis integritate nitentiorem ac splendidiorem, adaucta nimirum gratia sanctificante; corporis item integritatem munitam fuisse, ac velut sigillatam, ut loquitur Hesychius hom. 2, et Petrus Dam. serm. 11, id est per conceptum accepisse confirmationem in dono virginitatis, et factam fuisse virginiorem, ut ait Amadeus Lausanensis Episcopus, hom. 4. De quo videndus Raynaudus in Diptychis, ubi agit de Virginis B. puerperio.

1420. Virgo igitur Deipara ex conceptu et partu, virginitate floridior permansit, quia intensive crevit et aucta est. Ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 5, sect. 2; Viegas in cap. 12 Apoc. comm. 3, sect. 1, n. 2. Quandiu enim Virgo viatrix fuit, dona ac virtutes semper adauxit: ergo auctis donis, auctisque virtutibus, accrescebat similiter virginitas per novae intensionis augmentum. Quomodo explicandi Patres supra memorati, dum aiunt Virginitatem Mariae post partum et in partu potius accrevisse, quam aliquod decrementum passam, quia etiam caro Virginea sine ulla violatione in duas personas protensa est; caro enim filii eadem cum matre censetur; ac proinde quasi alterius nobilioris generis censeri debet Mariana Virginitas, cum imperium suum usque ad Deitatis fines protenderit, nempe usque ad substantiam Verbi divini, quae humanitatem et carnem terminat in Christo; iam igitur sacratior post partum manet Mariae virginitas, sanctior ac floridior, usibus solum divinis destinata. Recte Guarricus abbas, ser. de Purific: *O Mater immaculata*, exclamat, *Mater intacta, nonne tuae tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit.* Succedat D. Bonaventura in speculo c. 4, in Marianis laudibus decantandis nulli inferior; aitque Deiparae virginitatem Maternitate fuisse consecratam, approbatam, et glorificatam, et alia Virginitatis Marianae elogia agglomerat his verbis: *Ex quo Maria Virgo de Spiritu sancto divina est prole foecundata, nequaquam virginitas eius tali ex prole est vitiata, sed mirabiliter est in tanta prole glorificata; nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, et dotata, et consignata et confirmata est tua virginitas, o Maria.* Dicitur Mariana virginitas ex prole glorificata, quia nullum aptius ac dignius praemium Virginitatis Marianae reperiri potuit, ipsa maternitate Dei; quodcunque aliud praemium longe inferius censetur, dicitur etiam approbata Virginitas per Maternitatem, quia unde periculum timeri poterat, inde luculentior approbatio eiusdem virginitatis emicuit. Additur, dotata, et ditata virginitas ex partu divino, quia dos virginitatis, divitiae, et arrhae est Dei Maternitas; grande profecto virginitatis elogium. Demum subdit, consecratam fuisse virginitatem Mariae in prole divina; quod idem protulit Guarricus verbis illis: *Integritatem suam sacravit.* Quasi dixeris, Marianam virginitatem ante conceptum Filii Dei fuisse veluti castitatem puellae, quae nondum virginitatem suam Deo nuncupato voto consecraverit intra Religionis claustra; at post conceptum et partum virginitas illa, quia Matris Dei, multo nobilior, ac sacratior exstitit, quia tota Dei usibus mancipata, ac totius puritatis fonti proximior. *Sola mulier*, ait Ephraemus de Margar. pret., *absque viro genuit, nam corruptionis expers erat, qui generabatur; virgo peperit propter eum, qui castitatis et puritatis fons erat.*

Aliarum foeminarum conceptus ac partus integritatis sigilla perfringunt, virginitatis claustra signata perrumpunt: verum in Maria virgineus partus virgineum claustrum novitus obsignat, denuo pudicitiae claustrum occludit, ac sigillat, iuxta Ennodium l. 1, carm. Hym. 10: *Dei Mater, et Virgo, precor, quisnam te claudit exiens? Arctantur exta foetibus; vinclum pudoris natus est.* Itaque foetus in Virgineo partu pudorem non solvit, imo strictiori vinculo arctavit; integritatis claustra non perfregit, sed novo castitatis signaculo sigillavit. In rem praesentem apte Guarricus, ser. 2 de Annunc., vocat Christum Sigillum obsignans denuo integritatem Mariae Virginis: *Si verbo Dei apta es, tu demum non modo clausa, sed et signata es: Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum plane et munimentum est inviolabile castitatis sponsae suae, et eo ipso, quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.* Duo praestat sigillum, et custodis vices gerit alicuius secreti, et excudit formam suam: sic Christus Dominus in partu ceu sigillum, integritatem Marianam custodivit, ipsique formam Deitatis impressit, ut dicat Au-

gustinus: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Itaque caro virginea Mariae, virginitatis sigillo munita in natura pudica, iterum sigillo Verbi Divini subsignatur, ut virginior, floridior et sacratior existat. Rem egregie tetigit s. Athanasius, ser. de Deipara: *Non enim evariat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseverat iuxta sculpturam annuli, sive in cera, sive in auro signaculum illud effigiatum sit, pro ratione regii numismatis; ita quoque divinus character Filii substantiae Patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiae suae, secundum suum ipsius exemplar, carnique suae, quasi cerae cum typum, formamque impressit.* Ecce qua ratione, ex mente Athanasii, virginee carni Divinitatis sigillum imprimitur, ut formam divinam exprimat, ita ut iam in posterum integritas ac puritas Mariana, aeterni Patris annulo signatorio praemunita, ac sigillata permaneat, quasi subscriptione sua, ac signo firmans, confirmansque Mariae carnem virgineam, et integram iam Dei totam esse, usibusque divinis addictam. Hunc sensum sigillet ac muniat D. Bonaventura, serm. 2 Domin. in Pas.: *Consuetudo*, inquit, *in epistolis, quae ex regis nomine mittebantur, et illius annulo signatae erant, nemo audebat contradicere. Digitus Dei Spiritus sanctus dicitur; annulus ergo huius digiti donum est Spiritus sancti, quo impressa est virginitas Mariae.* Quid opportunius ad nostrum sensum confirmandum? Antequam Maria Virgo sacrum foetum conciperet, erat ipsius Virginitas naturae integrae sigillo obsignata, ac clausa in conceptu ac partu altius evecta, aeterni Patris sigillo ulterius subsignatur, ut quae erat Virginitas solius foeminae, iam ad fastigium Deitatis conscendat, in se Spiritus sancti puritatem excudens. Id sapiunt verba ex Ioanne Geometra in Catena Graeca in Luc. ad illa verba: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ubi sic habet: *Invisibilem suam formam in te umbratice depinget, et ad nostram similitudinem in te formabitur: vel etiam ipsum Spiritus sancti sigillum in te exprimetur. Amat Filius Dei et Mariae semper oriri ex sigillato claustro, sive ex tumulo immortalis prodeat, sive ex materna vulva nascatur.* Audisti Matt. 27, quomodo *illi abeuntes munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus.* Inutilis prorsus, ac supervacanea videri possit alicui lapidis ista sigillatio. Quid enim opus erat sigillo, ubi saxum ingens praemuniebat sepulcrum, ac militum statio, et custodia monumentum custodiebat? Nimirum, quia sepulcrum illud Virgineum, utpote in quo nondum quisquam positus fuerat, Marianam alvum repraesentabat, quod in lucem editurum erat Christum D. resurgentem: iure igitur praeter sepulcralem lapidem, duplicantur custodiae, ac denuo sigillo saxum obsignatur, ut ostenderet, eum ipsum, qui e sepulcro signato prodiit saxo integro, etiam e materna vulva egressum fuisse, illamque solidasse, ac novo signaculo integritatem ipsius obfirmasse. Argute satis observat Chrysostomus, hom. 5 in Matthaeum, nusquam ab hoc Evangelista Mariam nuncupari Virginem, nisi quando Dei Mater nominatur. Sic. Matt. 1, referens illa Isaiae verba: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium.* Cur ergo de virginitatis bono Matthaeus tunc primo blanditur Mariae, nempe quando Mater praedicatur, et non antea: praecipue cum multo ante iam Virginitatem suam emisso voto Deo dicasset? Nisi ut intelligeremus Marianam Virginitatem tam longe abfuisse, ut conceptu ac partu prolis divinae iacturam aliquam subierit; quin potius purior scintillaverit, et ampliata fuerit, ut verbis utar Augustini, ser. de Nativ.: *Crevit enim in eius partu corporis integritas potius quam decrevit, et virginitas ampliata est.* Ideo consulto Matthaeus nunquam Mariam, Virginem vocat, quousque Mater nominatur, licet aliquando Mariae nomen in eius insonet Evangelio, quia eius virginitas a conceptu et partu purior et splendidior apparuit. Huc flecto illud Cant. 8: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Tria hic oportet animadvertere: quodnam sit eiusmodi signaculum, quis imprimat illud, et quaenam sit forma sigillata et impressa. S. Athanasius opinatur, Spiritum sanctum esse qui sigillat, epist. ad Sera. de Spiritu sancto: *Spiritus*, inquit, *et sigillum est, in quo sigillat verbum.* Luculentius explicat Ioannes Geometra, dum ait: *Spiritus sanctus superveniet, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, invisibilem suam formam in te umbratice depinget, et ad nostram similitudinem in te formabitur: vel etiam ipsum Spiritus sigillum in te exprimetur.* Itaque Spiritus sanctus in Incarnatione Verbi divini illam obumbrans in Maria suam formam sigillavit; unde nihil mirum, si Maria ipsam Spiritus sancti formam, puritatem ac sanctitatem praeseferret, unde apte dicere poteris cum Augustino de Maria: *Si te Spiritus sancti formam appellem, digna existis*, cum in te suam formam expresserit invisibilem.

CERTAMEN VI.

An teneantur fideles explicite credere virginitatem perpetuam B. Virginis.

1121. Hic audiendi non sunt haeretici, ut vidimus praecedentibus Certaminibus, qui nolunt ex virginitate Mariae dogma construi catholicum, cogens omnes ad eam credendam, ut sunt Brentius, Helvidius, Ebion, Petrus Martyr, et alii. His igitur explosis, exagitatur inter Doctores, an debeant fideles singuli explicita fide credere perpetuam, id est ante partum, in partu et post partum, Virginitatem Deiparae. Plures enim Theologi id negant, Azorius, tom 1, lib. 8 instit. mor., c. 6, Sanchez in Decalogum, lib. 2, c. 3, n. 17, quod probabile indicat Suarius, de Fide disp. 13, sect. 4, n. 9. Hanc sententiam potiori iure defendunt, qui censent fidelibus rudibus ac simplicibus non esse necessarium aliquid explicite credere de Incarnationis ac Trinitatis mysterio, sed tantum in genere, quae Ecclesia tenet. Hi autem sunt apud Suarium cit. n. 1, Innocentius, Hostiensis, Panorm., Rosellus

Guilielmus Parisiensis, Altisiodor, Tannerus, in 2, disp. 1, q. 7, dub. 2, Laym. in Theol. Mor. l. 2, tr. 1, c. 8, Sotus in 4, distinct. 5, q. unica, tr. 2, Villalobos in Sum. tom. 2, tr. 1, diffic. 3, n. 6, Sa verbo *Fides*, n. 1, Ludovicus Torres in 2 2, dist. 27, dub. 4 et 8, Gaspar Hurtado de Fide disp. 8, diffic. 8.

Censeo 1.° cum Suario cit. et Card. Lugo, de Fide disp. 13, sect. 4, n. 17, perpetuam Deiparae Virginitatem ex praecepto Ecclesiae ab omnibus fidelibus esse credendam explicite: et probatur ex symbolo Apostolorum, ubi hoc expresse traditur, *Natus ex Maria Virgine*. Sensus autem horum verborum est, Mariam semper Virginem exstitisse iuxta mentem omnium Patrum et Doctorum, ut ostendimus tota hac Palaestra: itaque verisimilius est, in verbis illis perpetuam Mariae Virginitatem profiteri ante partum, in partu et post partum; cum enim supra ostenderimus, de fide divina esse perpetuam Mariae virginitatem ante partum, et in partu, et etiam protendi ad Virginitatem post partum, alioquin non satis hanc veritatem proposuisset symbolum Nicaenum, quod canitur in Missa: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*. Quae verba solum loquuntur de Christi conceptu, non de eius nativitate, et partu: fieri autem non potest, omissam fuisse in eo symbolo hanc veritatem, quae aperte traditur in symbolo Apostolorum, videlicet virginitatem Mariae in partu; unde dicendum est verba illa, *ex Maria Virgine*, non limitanda esse ad conceptionem et partum, sed etiam ad omnem temporis differentiam. Hic etiam sensus latet, quoties a Christi fidelibus Deipara, Virginis nomine nuncupatur: imo Virginis compellatio nemini ex sanctis virginibus attribuitur, nisi semper Virgo permanserit. Nec sat est dicere, sufficere solum eo tempore Virginem permansisse, quando accidit id quod refertur, quo possit Virginis cognomine compellari, et quidem luculenter ostenditur ex verbis illis Ecclesiae de B. Virgine pangentis: *Conceptio est hodie sanctae Mariae Virginis; hodie concepta est Virgo Maria*. Quis enim dicat sensum horum verborum esse, Mariam solum Virginem fuisse quando concepta fuit, sed quae semper Virgo permansit, tunc conceptam fuisse. Si igitur, quando dicitur: *Hodie concepta est B. Virgo*, oportet intelligi de Virginitate consequenti; etiam quando Symbolum ait: *Christus conceptus, aut natus ex Maria Virgine*, non de virginitate solum tempore conceptus, aut partus, sed de virginitate perpetua pro omni differentia temporis, quae est virginitas simpliciter et absolute prolata. Asserendum ergo est, in verbis illis: *Natus de Maria Virgine*, contineri articulum de inviolabili virginitate Deiparae pro omni differentia temporis ab omnibus fidelibus explicite credendum; et quidem fuit valde rationi conforme, ut post Deum et Christum Dominum debitam de sanctissima eius Parente redemptionis humani generis cooperatrice, existimationem in signum gratitudinis homines praeseferrent. Notanter Epiphanius, Haeresi 78, ait: *Quis unquam, aut quo saeculo ausus est proferre Mariae nomen, et interrogatus non statim intulit Virginis vocem?*

Huic tamen asserto obstare putant aliqui verba quaedam Basilii Magni, hom. 25 de humana Christi generatione; ubi refert eorum sententiam, quam supra refellimus, quae adstruebat B. Virginem post Christi partum a Iosepho fuisse cognitam, et ab ea alios filios suscepisse; subdit autem haec verba: *Non vero, licet nihil hoc doctrinae pietatis officeret: nam donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat virginitas: quod vero postea sit factum ad mysterii huius doctrinam, non anxie coniungendum est. Verumtamen ne hoc eorum, qui Christum amant, ferre cogantur aures, quod Genitrix Dei aliquando desierit esse Virgo, has rationes sufficere putamus.* In quibus verbis innuit s. Doctor, hanc veritatem de virginitate perpetua Deiparae non esse necessario credendam: mens tamen Basilii solum erat agere circa occurrentem controversiam, videlicet Christum Dominum ex Maria Virgine sine viro solum de Spiritu sancto conceptum, et ex Maria Virgine natum, ad quam veritatem credendam opus non erat ille alius articulus de perpetua virginitate eiusdem post partum; alioquin verba s. Basilii etiam obstarent illi alteri veritati, nempe virginitati Marianae post partum, quod divina credendum est inter omnes catholicos; nec solum probarent non fuisse necessariam fidem explicitam huius veritatis.

1122. Verumtamen arbitror sententiam oppositam eorum, qui dicunt non esse ex necessitate praecepti credendam explicite perpetuam B. Mariae virginitatem, sua probabilitate gaudere, tum ob tantorum Doctorum illam sustinentium auctoritatem; tum ab intrinseco ob rationes ab illis adductas, quae videri poterunt apud Sanchez citatum. Et confirmari posset, nam Apostoli symbolum fidei, si fides est habenda Cardinali Baronio, to. 1 Annal. ad an. 44, hoc eodem anno illud confecerunt, quo tempore Virgo Deipara adhuc apud nos degebat, si verum est illam e vivis discessisse aetatis suae anno 63, vel 72, quae est communior sententia. Difficile autem cuilibet esse videatur ab Apostolis fuisse propositum in symbolo tantum articulum credendum, nempe B. Mariae Virginitatem perpetuam fuisse usque ad eius obitum, ita ut includerent tempus futurum; ac proinde verba fidei symboli illa, *Natus de Maria Virgine*, intelligi oportet de virginitate Mariae usque ad illud tempus quo symbolum fuit ab Apostolis compositum. Deinde aliqui Doctores nomine symboli intelligunt, quod nos vulgari idiomate vocamus articulos fidei, et proponi solent in Hispania pueris, et aliquo modo differunt a communi symbolo Apostolorum; iuxta quorum quatuordecim articulorum textum plures Doctorum praesertim in Hispania, exponunt fidem explicitam necessariam omnibus fidelibus ex praecepto ad credendum. Ita Sanchez tom. 1 in Decal. l. 2, c. 3, n. 6, ubi haec habet: *Quarta sententia, quae plus caeteris mihi placet, ait teneri omnes explicite credere, ac conse-*

quenter scire omnes quatuordecim fidei articulos in puerorum Catechismo contentos. Ducor, quia si attente res haec inspiciatur, omnes hi solemniter celebrantur, seu publice circumferuntur in Ecclesia. Et quidem Ecclesia hos articulos ex symbolo Nicaeno et Apostolico extractos ita distincte proponit, quasi ab omnibus explicite credendi sint, et quidem quando dubium grave exoritur circa ea, quae explicite credenda sunt, aliqua assignari debet regula; nulla autem facilior inveniri potest, quam ea quae exhibetur in quatuordecim articulis memoratis. Assentior tamen Card. Lugo, de Fide, disp. 13, s. 4, n. 63, ubi ait extra Hispaniam id, quod Sanchez tradit de quatuordecim articulis, non esse in usu: et in Catechismo iussu Concilii Tridentini et Pii V edito ad Parochos, ut pueros et rudes instruant de rebus fidei, solum symbolum Apostolorum continet; tum et in alio Catechismo brevi pro pueris instruendis, Clementis VIII iussu edito a Cardinali Bellarmino, solum proponitur idem symbolum Apostolorum: standum autem potius est pro Ecclesia Romana, eiusque consuetudine aliarum Ecclesiarum in Hispania. Fateor pro sententia Sanchez stare Suarium de Fide, d. 13 s. 4, n. 6, et deinceps, Granado de Fide, tr. 10, d. 3, s. 2, n. 6.

Ad id autem, quod pro sententia Sanchez et aliorum adduximus, nempe Apostolos symbolum composuisse adhuc vivente B. virgine, adeoque solum proposuisse explicite credendam virginitatem Mariae non includendo tempus futurum usque ad ipsius obitum; responderi utique posset pro sententia Card. Lugo, quam amplexi sumus, valde dubium et incertum esse tempus et annum, quo B. Virgo ex vita discessit, ut videre est apud Baronium, Suarium cit, et alios praecipue apud Christophorum de Castro. Sat enim communis est etiam sententia illorum, qui aiunt B. Virginem aetatis suae 59 extremum clausisse diem, id est anno undecimo a morte Christi, et a Christo nato 44, quando Apostoli symbolum fidei condiderunt, iuxta Chronologiam Baronii supra adductam: quod si res ita se habet, recte poterant Apostoli post B. Virginis mortem symbolum illud conficere, antequam ipsi in varias mundi regiones discederent; imo ipsemet Suarius censet D. Petrum a Iudaea non discessisse, antequam B. Virgo ad coelos abiret; siquidem eo ipso anno Romam primum appulit, scilicet anno secundo imperii Claudii, si danda est fides Eusebio in Chronicis, et D. Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis.

Sed permittamus adversariis B. Virginem aetatis suae 72 anno obiisse, ac proinde symbolum Apostolorum conditum fuisse anno 44 a Christo nato, multo tempore ante mortem B. Virginis; adhuc asserendum puto cum eodem Lugo cit., n. 75, in verbis illis: *Natum ex Maria Virgine*, expresse contineri perpetuam virginitatem Mariae, fidelibusque proponi expresse credendam, ideoque Apostolos per verba illa intellexisse virginitatem Mariae non solum usque ad tempus illud quo illa proferebant, quod profecto necessarium erat, ut absolute et simpliciter appellaretur Virgo; sed etiam sub eadem verborum formula symbolum fidelibus proposuisse futuris temporibus; nam Spiritu sancto dictante, optime callebant Deiparam, Virginem in perpetuum permansuram: imo ipsamet Virgo de hac veritate, sicut de pluribus aliis potuit Apostolos edocere; unde absque ullo falsitatis periculo, potuerunt Apostoli Virginitatem perpetuam sub illis verbis manifestare, tanquam veritatem a Deo revelatam, quemadmodum Isaias multo ante hanc eandem veritatem, Spiritu sancto afflante, praedixit per illa verba: *Ecce Virgo concipiet, et pariet*, ut omnes catholici admittunt: imo in eodem symbolo profitemur resurrectionem mortuorum, extremum iudicii diem, et Christi iudicis adventum futurum. Tradiderunt ergo Apostoli sub illis verbis Virginitatem perpetuam Mariae, quibus fideles, quocunque tempore proferretur symbolum, firmissime crederent ea esse verissima verba, et sub illis explicite profiterentur hanc veritatem.

Censeo 2.° Licet persistamus in sententia Suarii et Lugo in prima conclusione asserta, et teneamus opus esse, ut credamus fide explicita virginitatem Mariae perpetuam ex praecepto Ecclesiae; tamen plures inveniri homines adeo rudes, ut nequeant sub propria aliqua notione concipere hanc veritatem: hi autem quoad hanc rem cum infantibus et fatuis componendi sunt. Et ratio est, nam plures Doctores asserunt hodie quoad homines rudes, et hebetis ingenii, non esse medium necessarium ad salutem fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis, quia cum sint tardioris ingenii, verum conceptum de his nequeunt efformare, et ex consequenti explicitam de illis fidem nequeunt habere: quod etiam contingere solet cum mutis et surdis a nativitate, a quibus Trinitatis et Incarnationis mysteria vix percipi possunt. Ideo Hosius in Confes. Fidei, cap. 2, recte docet, distinctionem personarum, et unitatem substantiae, si qui sunt rudiores, quamvis aliquo modo percipere possint, non tamen adeo esse necessarium ad salutem omnibus, explicite credere, ut, si quis minus haec fuerit assecutus, de eius salute dubitandum sit. Multo ergo urgentiori ratione dicendum idem erit de veritate perpetuae Virginitatis Mariae, nempe respectu hominum rudium, et puerorum, non esse necessariam fidem explicitam huius mysterii, sed implicitam sufficere. Et ratio *a priori* est, quia non est credibile, Deum a quoquam exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus sui consequi possit.

CERTAMEN VII.

Utrum B. Virgo pluris habuerit virginitatem quam Dei Maternitatem.

1123. In primis certum videri debet, B. Virginem, si ipsi daretur optio, electuram sine dubio id quod sciret Deo esse gratius, sive illud foret sibi ipsi melius, utilius, aut honorificentius, sive non: nullo autem modo eligeret peccatum, aut id quod minus gratum Deo foret. Quod tanquam certum supponitur, quia Deo tota dedita,

et in bono confirmata erat, ac voluntati divinae tota addicta. Dubium autem hinc exoritur, utrum si aeque grata Deo esset, sibique aeque meritoria electio huius, vel illius, nempe Virginitatis, aut Maternitatis Dei, quod quidem fieri posset, cum ex eadem charitate, eodemque voluntatis conatu posset hoc, vel illud eligere; si ergo a Deo daretur optio B. Virgini, quid horum praeeligeret, quidve gratius foret ipsi? Haec autem controversia exagitatur, cum in utroque eventu caetera essent paria, hoc est si tantam gratiae portionem, non maiorem, neque minorem, et sic de caeteris virtutibus, ac donis esset habitura cum Virginitate sine Maternitate Dei, quantam cum Maternitate Dei sine Virginitate; inspectis his duobus donis per se sumptis, videlicet ut Virginitas est tantum virtus, seclusis aliis donis ac virtutibus vel etiam cum tanta charitate, gratia et aliis virtutibus comitantibus; et Maternitas Dei solum ut est dignitas supra omnes alias dignitates creatas, seclusis aliis donis, vel etiam cum tanta charitate, et aliis donis annexis de lege Dei, ut sunt cooperatio Redemptionis mundi, Mariani corporis puritas, et alia privilegia dignitatem Maternitatis Dei comitantia. In quo sensu praesens controversia procedit.

In qua re aliquorum potest esse sententia, B. Virginem pluris habuisse Virginitatem quam maternitatem Dei. Ita P. Hieronymus de Florentia, ser. 1 de Expectatione B. Virginis, et ser. 1 de Annunciat., explicans illa verba: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*? Ubi ait, B. Virginem pluris fecisse virginitatem prae maternitate Dei, cum tamen haec dignitas omnem aliam creatam supergrediatur, utpote quae contineat in se infinitudinem quandam: grande profecto Virginitatis elogium, ubi Virgo Deipara maximam in animis innuptarum aestimationem virginitatis infigit, et quod pluris illam ducat, quam totius orbis dominium ac principatum. In cuius rei symbolum, super binas Templi columnas, quae *Firmitudo ac Fortitudo* dicebantur, duo globi insidebant, qui totum terrarum orbem praefigurabant, super quos lilia candida Virginitatis hieroglyficum sedem habebant; ut hoc symbolo intelligeremus, pluris Virginitatem habendam utroque orbe; nec vult B. Virgo dignitate Maternitatis Dei donari cum Virginitatis discrimine. Assentitur Florentiae Hieremias Drexelius, tom. 2, fol. 788, § 2, ait enim: *Nimirum haec illa Virgo Virginum est, quae castimoniae sublimitatem adeo aestimavit, ut maluisset dignitatem Matris non admittere, quam decus Virginitatis deperdere.*

Censeo tamen, B. Virginem simpliciter et absolute praeelecturam Maternitatem Dei potius quam Virginitatem in illo eventu. Probari potest, quia maius bonum et praestantius est Maternitas Dei, quam Virginitas: ergo potius illam quam istam praeeligeret; quod melius sibi ac praestantius erat, hoc utique secundum rectum rationis praescriptum praeeligendum erat a B. Virgine, quae semper secundum rectam rationem operabatur. Quod autem Maternitas Dei sit bonum praestantius et melius Virginitate, facile suaderi potest, praecipue in nostra sententia, quae affirmat Maternitatem Dei esse formam sanctificantem; tunc enim procul dubio Maternitas Dei esset bonum longe excellentius formaliter, et eminenter Virginitate, sicut gratia de facto praestantius longe bonum est, quam Virginitas, et haec postponenda utique foret Maternitati Dei.

Sed sermo sit in sententia, quae docet Maternitatem Dei non esse formam sanctificantem, adhuc in hac sententia probatur nostrum assertum: tametsi enim bonum illud, quod non est virtus, excedi soleat ab eo, quod bonum virtutis est, aliquando tamen ratione alicuius circumstantiae, seu rationis annexae, nempe ratione necessitatis, utilitatis, aut magnitudinis, seu finis, id bonum, quod non est virtus, potest esse praestantius bonum ac melius huic personae, quam bonum virtutis alicuius. Quod colligitur ex Aristotele, 1 Ethicor., tract. 4, cap. 1, ubi haec habet: *Felicitas summa, et summa excellentia divina, vel summum bonum, licet non sit virtus, neque bonum laudabile, est tamen honorabile, et praestat ipsi virtuti, per quam acquiritur a nobis.* Et l. 3 Topic.: *Melius est simpliciter philosophari, quam ditari; sed aliquando, scilicet indigenti, melius est ditari, quam philosophari, quamvis philosophari, seu contemplari virtus sit intellectualis.* De quo videndus D. Thomas, n. 2, q. 182, a. 1 et 2. Praeterea, quamvis simpliciter, absolute melius sit, et honorificentius dignitatem nancisci, ac gloria potiri apud Deum ex meritis propriis et virtutum operationibus, quam sine meritis, videlicet ex mera gratia et dono largientis; melius tamen est ac longe excellentius ipsi Deo, habere suam gloriam ex propria natura sine ullis meritis: tum honorificentius fuit Christo Domino gloriam obtinuisse simul cum aliis donis, et excellentiis ab instanti sui conceptus, propter unionem humanitatis ad Verbum ex dono et gratia. De quo videndus Scotus in 3, d. 18, videlicet ratione magnitudinis et excellentiae ipsius doni, vel personae. Ad haec, melius fuit Christo Domino et B. Virgini, nancisci Virginitatem, aliasque virtutes in gradu summo ex dono et gratia, ac sine merito proveniente ex laudabili pugna ac difficultate, quae ex suggestionibus daemonum, aut ex vitiata natura oriri posset, quam ex merito et iugi luctamine carnis, caeterorumque pravorum affectuum, licet simpliciter sit magis meritorium ac melius, caeteris paribus, virtus, quae acquiritur difficultate multiplici superata, propter operum arduitatem, vel ex parte obiecti, vel etiam ex operantis temperamento et complexione. Demum licet bonum famae et honoris praestet divitiis, aliquando tamen ingens divitiarum cumulus antistat alicui bono famae et honoris, vel ratione necessitatis, utilitatis, aut magnitudinis: hinc semper fit condigna compensatio in divitiis pro laesione honoris et famae. Aurum etiam, et gemmae ex suo genere nobiliores sunt, ac praestantius bonum argento et aere, tamen ratione quantitatis, finis, vel

alterius circumstantiae, aliqua argenti sive aeris quantitas praestat alicui auri sive gemmarum portioni: ergo licet Virginitas sit bonum virtutis, Maternitas vero Dei non sit virtus; nihilominus poterit Maternitas Dei esse bonum praestantius et excellentius virginitate, sive ratione finis, sive ratione obiecti, sive ratione rerum, ipsam Maternitatem Dei comitantium.

1424. Nunc autem oportet ostendere Maternitatem Dei ratione finis antistare virginitati; nam Redemptio mundi, ac generis humani exaltatio, ad quam maternitas Dei a Deo praeordinata fuit, secundum se et simpliciter maius et universalius bonum est bono Virginitatis, tum mundo conducibilius, ac ipsi B. Virgini multo honorificentius ac praestantius, quia Virginitas secundum se et immediate solum proderat ipsi Virgini B., videlicet ut integritatem illaesam conservaret: bonum autem Maternitatis est maioris emolumenti, quam bonum non solum Virginitatis, sed etiam cuiuscunque alterius virtutis ad salutem non necessariae, quia ex illa non provenit tantum emolumentum, quale est nostrae Redemptionis, et exaltationis totius generis humani, quae ex Maternitate Dei immediate subsequitur. Dein ostenditur, quia propter bonum commune pacis, aut alicuius regni ad meliorem frugem conversionem, iustissime per summos Pontifices dispensatur in nuncupato Virginitatis voto, ita ut possit quis uxorem ducere: ergo multo melius pro totius mundi redemptione inde subsecuta, recte posset B. Virgo nubere. Et ratio est, quia finis illius coniugii, aut Maternitatis illius, nempe redemptio mundi, longe superaret finem et bonitatem virginitatis; ergo Maternitas Dei, cui ex Dei decreto est annexa mundi redemptio, maius ac praestantius bonum et universalius secum involvit, quam Virginitas. Quare si B. Virgini a Deo daretur optio, sive Maternitatis Dei, sive Virginitatis, tametsi certa redderetur, Deum electurum aliam sibi in Matrem in mundi redemptionem, si ipsa non eligeret esse Mater Dei cum virginitatis dispendio, tunc assero, B. Virginem praeelecturam esse Matrem Dei, Virginitate postposita, quia bonum Maternitatis Dei ratione finis, nempe redemptionis mundi, ad quam ex Dei decreto dirigitur, est praestantius et universalius et multo conducibilius ipsa Virginitate.

Suadetur idem assertum, nempe ex ratione obiecti bonum Maternitatis Dei longe antecellere bono Virginitatis; sicut enim ratione obiecti infiniti, nempe Dei, virtutes theologicae antecedunt aliis virtutibus moralibus, tum et operationes humanae sunt magis meritoriae, ac meliores moraliter, quia in Deum diriguntur, opera etiam Christi Domini ratione personalitatis divinae, a qua proveniebant, fuerunt infinite meritoria, utpote Theandrica: ergo etiam ratione personae divinae Christi Domini, qui est obiectum materiale Maternitatis Dei, per quod ad personam divinam in utraque natura existentem dirigitur, ac tendit ipsa Dei Maternitas, ipsamque obiective respicit, erit utique Maternitas Dei longe praestantior ex obiecto, includetque bonitatem longe praestantiorem, ac dignitatem et honorem supra omnem puram creaturam; et ex consequenti, bonum Maternitatis Dei longe praestabit bono Virginitatis, et alterius cuiusque virtutis, dummodo ad salutem non foret necessaria.

Quod ut penitius introspiciatur, conferamus adinvicem bona, quae reperiuntur in virginitate, cum bonis Maternitatis Dei. Tria autem sunt in virginitate, ad quae reliqua omnia huius virtutis bona reduci possunt, nempe obiectum formale ipsius virginitatis, ex quo ipsa suam sortitur bonitatem moralem, et laudabilitatem; hoc autem nihil aliud est, quam bonitas, quae reperitur in immunitate ab omni actu et delectatione venerea, ad vacandum divinis. Aliud est obiectum materiale virginitatis, ex quo integratur completa ratio virtutis, et nihil aliud est, quam carnis integritas, decor seu puritas corporis, et consequenter animae puritas et decor inde proveniens. Tertium est finis, ad quem ipsa Virginitatis virtus dirigitur, propter quem laude digna efficitur, nimirum liberior contemplatio divinorum. Quis autem non videat, haec tria bona longe excellentiori et eminentiori modo reperiri in Maternitate Dei? Et patet quoad primum, nam affectus servandi se immunem ab omni experimento actus, et delectationis venereae, recte componi posset cum Maternitate Dei, et verissime reperiretur in B. Virgine, sicut et de facto repertus fuit, longe excellentiori modo, quam in reliquis omnibus virginibus. Deinde quoad obiectum materiale Virginitatis suadetur, quia integritas carnis, licet tunc non adesset formaliter in Matre Dei, foret tamen eminentiori quodam modo; quippe adesset corporis puritas excellentissima immunis a fomite ac libidine, caeterisque motibus fomiti annexis: decor item corporeus ac nitidus, et omnia reliqua bona corporis, quae modo admittuntur in corpore Matris Dei, non ratione virginitatis, sed ratione Maternitatis Dei conferuntur: quippe ex eius carne Verbum divinum corpus sibi assumpturum erat; qua ratione ducti Doctores ac Patres praedicant Deiparae carnem super omnia Sanctorum ac Virginum corpora puriorem ac digniorem esse: unde ex decore et puritate corporis Deiparae, puritas ac decor nitidus animae resultaret. Luculentius autem id ostenditur quoad tertium, cum enim Deipara utero gestaret Filium Dei, ipsum lactaret, amplecteretur, sinu foveret, sermones assiduos cum ipso misceret, in ipsius assiduo convictu degeret, illum comitem semper haberet; profecto multo aptior in dies redderetur ad divinarum rerum contemplationem, quippe longe familiarior ac propinquior facta fuit Deo ratione Maternitatis, quam ratione Virginitatis. Ex quibus aperte elicies bona omnia, quae in virginitate clauduntur, propter quae ab omnibus laudibus evehitur, excellentiori modo reperiri in Maternitate Dei ratione eius, seclusa virginitate; quam in virginitate, seclusa Maternitate. Huc respexit Ecclesia, dum pepigit: *Felix es, sacra Virgo Maria, et*

omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster.

Roboratur assertum, quia potest aliquis secundum rectam rationem pro salute corporali, quae virtus non est, postponere aliquando virtutem aliquam, seu gradum heroicum ipsius ad salutem non necessarium, videlicet magnificentiam, excellentem abstinentiam, contemplationem, seu divinarum Scripturarum iuge studium, cum contingeret esse valde vitae ac saluti nocivum: imo liceret ipsam virginitatem posthabere, si multum conduceret imperii conservationi ac paci stabiliendae, ut aliquis princeps uxorem duceret: tunc enim rectae rationi consentaneum foret, ut ille praeeligeret statum matrimonii, aut abstinentiae corporis nocivae remissionem, tum et contemplationis, posset etiam magnificentiam omittere; haec enim omnia non sunt necessaria ad salutem: ergo potiori iure idem fieri posset pro nanciscendo bono Maternitatis Dei. Et confirmari potest ex eo, quod virginitas simpliciter non est praestantior aliis virtutibus; multae enim virtutes antecellunt virginitatem, iuxta D. Thomam 2 2, q. 152, a. 4: nempe fortitudo, et martyrium, iuxta eundem ibid. q. 132, a. 12; magnificentia etiam secundum aliquos; iustitia item auctore D. Thoma, 2 2, q. 58, a. 12; et animi submissio iuxta eundem, ibidem q. 161, a. 5. Si ergo B. Virgo magnificentiam, aut animi submissionem aliquam, seu gradum excellentem earum non necessarium ad salutem, iuxta rectae rationis praescriptum, posthabere posset bono Maternitatis Dei; ergo etiam ipsam Virginitatem. Quod quidem adhuc verum esse autumo, licet ex ea non speraretur mundi Redemptor nasciturus, aut futura orbis Redemptio; ut puta si homo non peccasset, et adhuc Deus homo fieret, non quidem ut mundum redimeret, sed ut humanam naturam ad Divinitatis fastigium eveheret in Christo, tunc enim adhuc B. Virgo potius Maternitatem Dei sibi praeeligeret, quam Virginitatem, facta sibi utriusque optione, quia ratione obiecti, nempe Filii Dei, cuius esset Mater futura, excederet utique bonum Maternitatis Dei, bonum Virginitatis. Nec obstat quod dixerit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*? Solum enim per haec verba suum Angelo animum patefecit, quo ostenderet Angelus modum, quo Deus in ea homo fieri volebat: unde paratum animum exhibuit voluntati divinae, cui submisse se subiiciebat, adhuc Virginitate postposita, quam ipsi devoverat, et tanti illa ducebat, si Deo ita placeret.

1125. Obiicitur primo: hinc enim fieret, Deiparam carere corporis integritate, et virginitatis laureola, atque adeo non diceretur excedere omnes Sanctos in hac puritatis excellentia: quod est contra communem Patrum ac Doctorum sensum, qui docent, Matrem Dei ea puritate nitere, qua maior sub Deo intelligi nequeat; siquidem omnium Sanctorum dona ac privilegia in B. Virginem Deus liberali manu profudit, tanquam Maternitati Dei debita et annexa: unde Virgo nullo modo posthaberet Virginitatem Maternitati Dei, sed e contra. Sed facile huic obiectioni occurritur, si dicamus, tunc non decere Matrem Dei esse Virginem; tunc enim, ut supponimus, componi non posset Maternitas Dei cum Virginitate, quae in illo eventu non esset Maternitati Dei debita et annexa, immo ipsi opponeretur. Doctores autem, ac Patres, secluso illo eventu, loquuntur et de Matre Dei ac de Virgine, sicut de facto contigit. Vel etiam dicere possemus, tunc nullum fore inconveniens, Matrem Dei carere Virginitatis virtute et laureola formaliter, quae tamen eminenter contineretur in Maternitate Dei cum eius puritatis decore et affectu, et animo prono ad Virginitatem, si componi posset cum Maternitate Dei, ad eum modum, quo in Imperatoria dignitate honor ac dignitas marchionis, ducis ac comitis continetur. Et quidem de facto ab omnibus admittendum est, B. Virginem, neque dum viveret, nec modo in caelis Beatitudine donatam gaudere formaliter pluribus excellentiis, gratiis ac donis, seu gradibus ecclesiasticae perfectionis, neque praemiis formalibus ipsis debitis, cum iuxta D. Thomam 2 2, q. 124, a. 4, non fuit proprie et formaliter Martyr, cum non fuerit violenter perempta in testimonium fidei, quod opus erat ad veram rationem martyrii, eiusque laureolam, et tamen eminentiori quodam modo Martyr exstitit, adeoque eminenter martyrii praemio gaudet, ac martyrii laureolam eminenter nacta fuit, licet non formaliter. Deinde desiderabatur in ea perfectissima Magnificentiae virtus, quoad plenam rationem eius et actus externos huius virtutis, nam iuxta D. Thomam 2 2, q. 134, a. 1 et 3. Magnificentia magnos sumptus deposcit insumendos in rebus et operibus magnis, quae omnia in B. Virgine pauperem vitam agente desiderabantur; cum tamen praedita fuerit virtute Magnificentiae in gradu excellentissimo quoad eius formale obiectum in animi praeparatione, iuxta eundem D. Thomam cit. et q. 129, a. 3. Item eminenter hanc eandem virtutem continuit B. Virgo in magnifica suiipsius exhibitione, qua seipsam obtulit, ut esset Mater Verbi divini per illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Habuit praeterea animum promptissimum ad magna opera aggredienda, ubi expedire iudicaret. Insuper B. Virgo formaliter et proprie caruit gradibus, et statu ecclesiastico; non enim Ordinum gradus suscepit, quorum incapax fuit, ut alibi moneo, neque Apostoli, ac Iudicis potestate decorata fuit, ac per consequens desiderabantur in ea dona formaliter, ad actus horum graduum formaliter exercendos, cum tamen eminenter praedicta omnia cohibita fuerint in statu et dignitate Maternitatis Dei; tum et in aliis donis, ac privilegiis sibi divinitus collatis, ac Maternitati Dei debitis. Non igitur mirum videri debeat, si in illo eventu desideraretur virtus Virginitatis formaliter, cum eam, eiusque praemium et laureolam eminentiori modo in dignitate ac diademate Imperatorio Maternitatis Dei contineret. Quis enim inficias ire possit, B. Virginem longe puriorem esse, qua Mater Dei est, quam ob insignem eius Virginitatem?

Obiicies secundo: illud bonum longe excel-

lentius, melius censeri debet, quod maiori laude et commendatione dignum est; atqui virtus virginitatis maiori commendatione digna est Maternitate Dei, cum sit virtus illa, haec autem solum dignitas, et quidam honor, ideoque ex se nulla laude digna: siquidem per virtutum operationes, Deo gratos nos exhibemus, ac merita consequimur et praemia, non autem per dignitatem et honores, ut habet D. Augustinus in illa Luc. verba: *Beatus venter, qui te portavit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud:* in quae verba haec subdit s. Doctor: *Beatior fuit Maria Christum in mente, quam in ventre concipiendo, atque portando.* Ergo virginitas longe praestantius bonum est, et commendabilius Maternitate Dei, ac proinde potius B. Virgo virginitatem praeeligeret, quam Dei Maternitatem. Maior autem propositio simpliciter falsa censenda est: solum autem est vera intra genus laudabilium, quales sunt virtutes, quae ad honeste vivendum quoquomodo conducunt; nam inter virtutes illa est melior, quae laudabilior, et per quam rectius operamur, et magis Deo placemus: falsitas autem illius maioris propositionis ex eo patet, quia multa reperiuntur bona, quae virtutes non sunt, et tamen praestant virtutibus, praecipue illis, quae ad Dei gratiam ac beatitudinem obtinendam non conducunt, ut constat ex I Ethic. tr. 4, c. 1, ubi haec habet Aristoteles: *Constat, virtutum, non autem optimorum, esse laudem, sed maius aliquid, praestabiliusve. Nam et Deos beatos, felicesque dicimus, et virorum etiam eos, qui maxime sunt divini, et rerum bonarum simili modo. Nemo namque felicitatem laudat, aut iustitiam, sed ut divinius, praestabiliusve rem dicit esse beatam: perspicuum est ergo felicitatem ex his esse, quae honorabilia sunt, et perfecta.* Ex quo fit, non esse laudabile, sed honore dignum, et bonum quoddam praestantius, et multo excellentius, videlicet esse beatum ac felicem, et esse Deum summum bonum, et esse filium Dei, ac esse Matrem Dei, et habere unionem humanitatis ad Verbum, et ex consequenti gloriam sibi debitam, quam eam habere ex meritis partam, et quam sit bonum virtutis Virginitatis; ideoque excellentius esse praestantissimum bonum Maternitatis Dei omnem aliam creatam dignitatem exsuperans, licet non sit bonum laudabile ac meritorium, quam sit bonum Virginitatis, quamtumvis sit laudabilis ac meritoria. Quae autem virtutes sunt necessariae ad gratiam Dei obtinendam ac beatitudinem, qualis est fides et charitas, ex decreto Dei, ratione necessitatis ad salutem nanciscendam, maius quiddam bonum est, quam Maternitas Dei, si semel admittamus, hanc reperiri posse sine amicitia Dei, quod nos alibi denegamus; in illo autem eventu illae virtutes praeeligerentur a B. Virgine, quia iuxta rectum rationis ordinem praestarent Maternitati Dei: siquidem bonum, quod secum affert amicitiam Dei, longe superat quodcunque aliud bonum, quod non importat eandem Dei amicitiam. Certum ergo arbitror Virginitatem, tametsi ex genere suo et absolute sit bonum virtutis, tamen esse minus bonum, vel minus praeeligendum dignitate Maternitatis Dei: alioquin quaelibet virtus, ex eo praecise quod sit virtus, antistaret omni alteri bono, quod non est virtus, ac proinde inde fieret ieiunium, peregrinationem, aut eleemosynam, vel quamlibet aliam operationem virtutis antecellere Maternitatem et filiationem Dei; unde B. Virginem potius electuram eleemosynam, vel ieiunium, quam Maternitatem Dei, si illi daretur optio; eadem enim est ratio de his ac de virtute Virginitatis, comparatione Maternitatis Dei.

Tertio arguitur adversus nostrum assertum: licet enim Maternitas Dei sit absolute melius ac praestantius bonum Virginitate, ipsi tamen B. Virgini melior est Virginitas. Siquidem unicuique id melius et eligibilius est, quo ipse melior efficitur simpliciter bonitate morali, et Deo gratior, ut patet ex D. Chrysostomo in illud Matt.: *Nescitis quid petatis*, ubi haec habet: *Potius de meritis, et quoquo modo bene pugnetis, et agatis, quam de praemio, atque corona vobis curandum est.* Sed per virtutem virginitatis, quilibet simpliciter fit melior, quam per dignitatem et honorem, qualis est Maternitas Dei: ergo virginitas melior est et eligibilior ipsi B. Virgini, quam Maternitas Dei. Respondeo, falsam esse minorem; licet enim per Virginitatem efficiatur quis melior *secundum quid*, id est moraliter tantum, et quoad recte et laudabilius agendum, et ad merendum in statu meriti: at vero per melius bonum simpliciter, efficitur etiam simpliciter melior quoad esse; siquidem per Beatitudinem, quae per virtutum actiones intenditur, efficitur quis simpliciter melior, quam per virginitatem: sic etiam per Maternitatem Dei, quae est melior simpliciter in se, ipsique eam habenti, quam Virginitas. Et patet, quia si absque nullis meritis gratiose alicui Beatitudo daretur, utique melius ac praestantius bonum ipsi esset, quam virtus virginitatis: ergo similiter maius bonum esset alicui Maternitas Dei, licet non sit bonum morale, quam virginitas, per quam homo redditur moraliter melior.

Quare concludimus, si caetera essent paria quoad omnes virtutes, dona et praerogativas alias ac gratias, seclusa Virginitate et Maternitate Dei, ita ut tantam gratiam, non maiorem, neque minorem, et sic de caeteris virtutibus ac donis, esset habitura B. Virgo cum Virginitate sine Maternitate Dei, quantam cum Maternitate Dei sine Virginitate; in illo eventu, quo Filius Dei ex ipsa, vel ex alia foemina assumpturus esset humanitatem, sive ad humani generis redemptionem, sive solum ad exaltationem ipsius, si tunc ipsi optio daretur, praeeligeret utique Maternitatem Dei prae Virginitate, tum ratione Redemptionis, tum ratione finis, nempe exaltationis humanae naturae, tum ratione obiecti, sive materiae, nempe Filii Dei. Quocirca quando Angelus annunciavit B. Virgini Filii Dei incarnationem, si ei daretur optio, utique praeeligeret Maternitatem Dei prae Virginitate, quia

talis Maternitas coniuncta erat cum omnibus donis ac virtutibus, dempta Virginitate, qua ratione longe superabat Virginitatem, licet esse coniuncta cum caeteris virtutibus ac gratiis et donis, dempta Maternitate Dei, ut supra late ostensum est. Addiderim de facto B. Virginem, quando Maternitas Dei ipsi per Angelum a Deo oblata fuit, obligatam fuisse eam acceptare, etiamsi inde detrimentum Virginitatis accederet; tum quia perspecta illi iam erat Dei voluntas; tum quia ad mundi Redemptionem non nisi ex ipsa Dei Filius humanitatem assumere in votis erat.

CERTAMEN VIII.

De paupertate Virginis Deiparae.

1426. Certum imprimis arbitror, omnia bona sive immobilia, sive mobilia, et se moventia suorum parentum iure haereditario acquisivisse sibi Deiparam. Quod docuit expresse Eusebius Emissenus, homil. de nativ. Virginis: *Manifestum*, ait, *est Beatissimam Virginem Mariam nobilissimam haeredem parentibus suis in haereditatem successisse, siquidem nec fratres habuit, nec habuisse legitur.* Ideo s. Vincentius, serm. 2 de nativ. Virg., eam divitem, et unicam parentum appellat. Et primo Ioachimum et Annam pascuas sylvas possedisse pro certo tenendum est; ait enim Hieronymus, Historia de ortu Deiparae: *Ioachim ad pastores, qui cum pecudibus erant, in pascuis suis secessit.* Ubi non solum pecudum greges, sed ipsa pascua loca inter Ioachimi bona adnumerantur. Deinde plura habebant domicilia, nam Abulensis in 2 Matth. quaest. 91, ait, Virginis parentes Sepphori habuisse domicilium: et Salmeron, Proleg. 41, docet Sepphorum patriam existimatam a plurimis ipsius Ioachimi. Favet Brocardus itinerario 5. Aliud item erat domicilium in Nazareth, iuxta Ildephonsum, serm. 5 de Assump.: *Quando Angelus*, ait, *a Deo mittebatur ad eam, erat in domo parentum.* Quod confirmat Ludolphus de Saxonia p. 1, c. 5, ubi ait duas esse Ecclesias in Nazareth: *Altera, ubi erat domus, in qua Angelus Mariam salutavit, in qua exaedificatum est altare B. Virginis, ubi preces fundebat, cum Angelus eam allocutus est: item altare aliud extructum est in honorem Gabrielis, ubi Annunciatio peracta est. Altera, ubi domus fuerat, in qua Dominus nutritus est, dum infans erat.* Haec praedictus auctor. Addit Nicephorus, in civitate Bethleem, domicilium habuisse Mariam et Ioseph: *Congruebat*, inquit, *ut ad domicilium suum in Nazareth redirent, propter eam, quae tunc eis erat ibi, substantiam et possessionem; utrobique enim habitabant, quod utroque loco proventum aliquem, ut coniicere licet, haberent.* Quod domicilium forsan fuit Annae, quae Bethleemita fuit, atque adeo ad Virginem pertinuit. Sed refragatur Maldonatus in cap. 2 Lucae: *Quomodo*, inquit, *non erat eis locus in diversorio, si domum propriam habebant, quomodo recens natus Christus in praesepio positus est?* Sed 1° responderi potest, iam tunc a B. Virgine per paupertatis votum, illud domicilium abalienatum fuisse, ac divenditum, eiusque pretium pauperibus erogatum. Respondeo 2°, potuisse Iosephum et Mariam domum illam locare, ut innuit Eusebius Emissenus, hom. de nativ. Deip., quare domus aliena perquirenda erat. Tribuit aliud domicilium Deiparae s. Damascenus, lib. 4 de fide, cap. 15, Hierosolymis: *In lucem*, ait, *editur Virgo in domo probaticae Ioachim.* Ex antecedentibus autem verbis et consequentibus eruitur, sermonem ibi esse de domicilio Hierosolymis habito. Favet Ioannes Zeverius Vera in itinerario Hierosolymitano, cap. 9. Succurrit Vitriacus cap. 59, et aliqui, qui aiunt prope domum Annae Pontificis fuisse s. Annae domicilium, ubi uterque Deiparae parens obiit, adeoque in honorem s. Annae ibi templum erectum. Rursus Anna dicitur hortum habuisse et praedium in oppido Nazareth, cuius meminit s. Germanus in encomio de Virginis Praesentatione: *Ego cum essem*, ait nomine D. Annae, *sub dio in meo horto oculos in coelum tollens*, et s. Antiochus hom. 107: *Anna Ioachim uxor flens in horto suo.* Iure ergo concludit Eusebius Emissenus cit.: *Quomodo sine haereditate esse poterat Maria, quae ex tam nobilissimis parentibus orta erat?* Ex quibus constat, utrosque Mariae parentes honestos fuisse patresfamilias ac locupletes, et veterum Patriarcharum exemplo magnam rei familiaris partem in pascuis, armentis ac ovium gregibus collocasse, partem aliam in agricultura, his autem omnibus per colonos ac pastores occurrebant. Quod autem haec bona se moventia, videlicet armenta, ovium et caprarum greges possederint, certum est, nam s. Hieronymus de ortu Deiparae, plures pastores pro pecorum cura Ioachimo tribuit, et confirmat illa substantiae partitio, ac fortunarum distributio, qua in tres partes dissecabatur a parentibus Deiparae, una Templo addicebatur, altera pauperibus erogabatur, tertia victui ac vestitui ac domesticis usibus adiudicabatur. Ex quibus omnibus solus bos et asinus remanserunt, hic pro deportanda B. Virgine, ille pro sumptu itineris ac censu solvendo asservabatur.

1427. Cum igitur tot bonis abundaverint parentes Deiparae, unde Mariae egestas contigit tam subita; licet enim non temerata Moysis lege, potuerit mobilia parentum bona, imo et se moventia in pauperes distribuere: at vero immobilia, qualia erant pascua et domicilia, de quibus dictum est, cum nec vendi, nec in alios transferri possent, utique apud Deiparam semper remanserunt. Habes enim Exodi c. 17, nulla ratione haereditatem transmissam ad filios, ad exteros transferri posse, et indemnem in posteros custodiendam. *Lege in Levitico*, inquit Eusebius Emissenus cit., *et invenies, quod nemo haereditatem suam ex toto vendere poterat, et si usum eius vendere potuisset, veniente namque Iubilaeo omnis haereditas ad proprium dominum revertebatur.* Dici autem non potest, Virginem Deiparam hanc legem perfregisse, nec violasse ius sanctum, quo consanguinei Annae et Ioachimi sibi comparare ea bona poterant.

Haec autem difficultas facile superari potest, si dixerimus, Virginem Deiparam cessisse iuri haereditario horum bonorum, in commodum propinquioris consanguinei: quod fieri poterat in Lege Moysis, non tamen si renunciatio fieret in remotum aliquem ex consanguineis, relicto propinquiori; et quidem tunc nullum detrimentum alicui obvenire poterat ex eo, quod quis actionem omnem in proximum haeredem renunciaret. Vel dici potest, omnia bona mobilia, aut se moventia in pauperes distribuisse; domos vero, pascua et hortos locasse usque ad annum Iubilaei, pretium autem pauperibus erogasse: imo forsan Ioachimus neque fundos, neque praedia, nec pascua ulla in tribu Zabulon, ubi situm habet Sepphorus, et Nazareth, habere potuit, utpote tribu aliena; sed ad tempus solum ad pascendos greges sibi usque ad annum Iubilaei locasse. Deipara autem fundos, domicilia ac dona reliqua vel locavit, vel renunciavit, vel in usum pauperum alienavit; unicum duntaxat parentum pignus sibi reservavit, videlicet eorum sepulcrum: cuius rei ingens argumentum est, quod B. Virginem hoc ipso in loco ab Apostolis tumulatam fuisse deprehendimus: itaque nullam aliam supellectilem sibi retinuit mundi Domina, praeter unum sepulcrum; domus, quae ipsi haereditate paterna obtigerat, in usum pauperum vendita fuit, solum sepulcrum sibi reservare voluit.

Ut autem in hac rerum omnium abdicatione perfectissimum omnibus exemplar se exhiberet, Deo votum paupertatis emisit. Ita Picus Mirandulanus apud Salazar, tom. poster. in Cant., et alii plures bonae notae Doctores subscribunt; imo eadem Virgo id s. Birgittae revelavit, lib. 1 revelat. c. 10: *A principio*, inquit Virgo Mater, *vovi in corde meo, si esset Deo acceptabile, observare Virginitatem, nihil unquam possidere in mundo.* Hanc paupertatem coluisse Deiparam docet s. Antoninus, 4 p., tit. 15, c. 24, n. 1. Si ergo beati pauperes spiritu, iuxta Christum D. Matth. 5, sine dubio Virgo Deipara Beatissima ab omnibus praedicanda, quae per rerum omnium abdicationem perfectissimam paupertatis voto se Deo dicavit: quod in B. Virgine, maiori quidem laude dignissimum, utpote coeli terraeque Regina, atque adeo iure ac dominio et usufructu gauderet, si vellet, in rebus Filii sui. Et quidem Albertus M. apud s. Antoninum cit. ex novem gradibus paupertatis, quos ibi fuse enumerat, octavum attribuit B. Virgini, et in eo situs est, quod quis ab omnibus se abdicet, seque ipsum relinquat, ac de substantia corporis sui ad animarum refectionem proximis distribuat, quod perfectissime praestitit Deipara, et quidem sola post Christum, siquidem de carne purissima et sanguine, viaticum nobis subministravit, panem vivum, qui de coelo descendit, quem toti mundo mendico obtulit in salutem.

Beata igitur Virgo satis conscia futuri Regni Christi Domini in hoc mundo, absque ullo divitiarum ac potentiae humanae splendore, sine ullo armorum strepitu, ac militum comitatu, et ulla mundana pompa, adeoque temporali dominio, vel usu destituti; neque ignara, Filium non exambiturum regnum humanum, aut dominatum, nec terrenis bonis inhiaturum, ac superbo mundanorum fastui; imo paupertati ac rerum omnium despicientiae incubiturum, ut nos divitiis cumularet, et ad caelestia nudos eveheret: huius paupertatis amans, ac divitiarum neglectus aemula, apud se firmiter statuit spontaneae paupertatis voto se adstringere, eandemque rerum omnium indigentiam Iosepho sponso suadere. S. Thomas, verba faciens de perfecta trium regularium votorum observatione, ait eam in Christo perfectissime exordium, sed iam in B. Virgine aliquo modo initium habuisse. Hoc igitur votum nuncupavit B. Virgo paullo ante ipsius partum: non tamen in ea sum sententia, ut asseram id votum emissum a B. Virgine ea solemnitate, quae modo in Regularibus viget; tum quia ea solemnitas non ita antiquior, sed novior, et ab Ecclesia, labente tempore, instituta; tum quia sine illa solemnitate hoc votum in Deipara eadem perfectione ac praestantia floruit, qua vota nostri temporis: haec enim solemnitas votorum illustrior ac congruentior est illis, qui in imperfectiori statu et conditione vitam transigunt; at vero non ita decet eos, qui ad perfectionis culmen sunt evecti, quod patet in Episcopis, qui sine romani Pontificis facultate, nulla Religiosa solemni professione adstringi possunt; imo Regulares in episcopali dignitate constituti, nullo obedientiae voto praelatis nuncupato tenentur. Cum ergo Virgo Deipara summum perfectionis apicem attigisset, non decuit ipsius vota eiusmodi solemnitate gaudere, qua alterius subiectioni subigeretur. In veteri Testamento nulla clavium potestas, aut iurisdictio reperiebatur ad acceptanda vota cum formula aliqua, qua status aliquis permanens assumeretur, iuxta communem Theologorum sententiam; ac proinde vota tunc nulla cum solemnitate offerebantur; sed Virgo Deipara trium votorum vinculo se Deo adstrinxit, maiori qua potuit perfectione. Vidimus supra, aliqua remansisse bona apud utrumque sponsum a parentibus haereditario iure devoluta, quae omnia ante Christi natalem vel pauperibus erogata fuere, vel inter consanguineos distributa, utroque iam paupertatis voto constricto: cum vero tunc haudquaquam liceret inter pauperes fundos et praedia distribuere, nec propria, nec haereditaria, ea tamen renunciare consanguineis propinquioribus licebat. Iuxta quem ritum potuit Maria cum Iosepho his bonis cedere, utpote non ignara, Filium strictissimam professurum paupertatem; alioquin nec valida, nec licita esset eiusmodi bonorum abalienatio in aliis parentibus filium haeredem habentibus, quia ille futurus erat consanguineus propinquior, quo stante, haereditas in alium sanguine distantiorem devolvi non poterat. Immobilia igitur bona Deipara et Iosephus vel Ioachimo et Annae, si vita superstites erant, reliquerunt, vel aliis consanguineis immediatius ius in illa retinentibus. Quia tamen haec bonorum abalienatio contra ius futura videri posset, quia iam tunc B. Virgo sacro foetu

gravida appareret, adeoque proles haeres institui oporteret; ideo haec bonorum cessio prima vice publicis et authenticis testimoniis confecta fuit solum usque ad annum Iubilaei: at vero in intentione, in perpetuum B. Virgo his omnibus bonis cessit tanquam impedimentis futuris in altissimam, ac supremam perfectionem progredientibus. Bona vero se moventia in pauperes erogata sunt, solum suo usui servato domicilio in Nazareth, reliquis relictis, quae Sepphori et Bethlehem possidebant, ac Hierosolymis. Maiorum vero sepulcrum sibi tanquam rem sacram asservarunt. His bonis omnibus et aliis abalienatis, paupertatis voto nuncupato, uterque sponsus manuum labore victum sibi comparabat, mechanicis artibus dediti; hinc Deipara domesticis ministeriis addicta, abiectissima quaeque officia domi exercebat: dum vero peregrinabantur in Bethlehem, evangelicae paupertati tributa pendebant, sine famulis, sine comitatu ullo, omni naturae commoditate destituti, omni antiquo maiorum splendore indigi. Huius paupertatis perfectissimae effectus fuit in pauperes elargitio propera bonorum omnium, quae a Regibus liberali manu oblata fuerunt: hinc tempore Purificationis, non agnum, divitum munus, sed vel turtures, vel columbas egenorum donum obtulerunt. Bos vero, et asinus, ad quorum halitum natus est mundi Servator, incertum est, utrum fuerint Deiparae et Iosephi bona, vel aliorum confluentium peregrinorum: nec vero, licet peculium foret utriusque, aliquo modo paupertatis splendor obnubilaretur. Quippe alter ad tributum Caesari pendendum asservari potuit: iumentum vero, ut illo Deipara veheretur; crudelitati enim verteretur Iosepho, si Sponsam puellam utero gravidam, hyberno tempore pedibus incedentem ferret.

1428. Sicut ergo, ut monuimus Certamine I huius Palaestrae, B. Virgo omnium prima Virginitatis vexillum extulit emisso voto; ita in Paupertatis voto principatum obtinet inter omnes: si ergo pauperes spiritu in iudicio iudiciaria potestate donandi sunt, merito Virgo B. inter eos primas feret. Ad rem Dominicus Soto in 4, dist. 47, q. 1, a. 2, ait: *In hoc iudicantium ordine, omnes professione pauperes utriusque sexus includuntur, in quo sacratissima Virgo Maria principatum obtinebit. Omnes, inquam, etiamsi in Sanctorum album non fuerint per Ecclesiam adscripti, dummodo instituta suae Religionis legitime servaverint, vel si pro humana fragilitate lapsi fuerint, per divinam clementiam fructus egerint poenitentia, et tandem in sua professione vitam absolvant.* Itaque quemadmodum Virginibus, Martyribus et Doctoribus, laureolae conferuntur; sic voluntarie pauperibus iudicandi praerogativa adiudicatur. Quae est sententia plurium Patrum, Augustini, Bedae, Gregorii Magni, Glossae Ordinariae, Origenis, D. Thomae, quos citat, et sequitur Barradas, tom. 3 in Evang., lib. 5, c. 10, § *Dubitatur sexto.*

Disquires hic, utrum B. Virgo ita pauperem vitam egerit, ut emendicato vitam duceret, sive ostiatim stipem emendicaret. Atqui enim haeretici huius temporis affirmativam partem tutantur. Sed dicendum arbitror, B. Virginem nulla ratione vitam ostiatim emendicando traduxisse. Primo, quia dedecebat Virginem pudicam ac sanctissimam talis egestatis modus, neque ad perfectissimam Deiparae paupertatem fuit ullo modo necessarius, aut aliqua ratione congruus. Secundo, quia, ut ex Scriptura constat, Iosephus fabrilem artem exercuit; artifices vero ex suo labore sumptus ut plurimum necessarios victui comparant. Hinc manent explosi insani et impii calumniatores qui B. Virginem vilem ac despectam foeminam ganniunt. Calvinus vocat eam contemptam, nec ullius coram mundo pretii. Lutherus eam inopem, vilem, despectam, quae in summa vilitate vixerit, atque permanserit, et quae inanis et vacua bonorum omnium fuerit. Brentius depingit Deiparam mulierem longe omnium abiectissimam, et cunctorum ludibrio expositam, quae ante Christum natum vitam nullo pene loco securam agere potuit, et durissimam sustinuerit egestatem. Videndus Canisius, l. 1 de Deipara, c. 3, § *Sunt qui.* Horum omnium occludit nefanda ora Eusebius Emissenus, hom. in Evang. de nativit. Mariae, ubi haec habet: *Parentes Virginis eam haeredem instituerunt, quae cum nullos habuerit fratres, in bonis parentum successit, suamque possedit haereditatem, praesertim quia cautum erat lege, ut parentum possessiones ad alienos non transferrentur, sed in eadem familia haeredibus obvenirent: quomodo ergo,* ait ille, *sine haereditate esse poterat, quae ex nobilissimis unice fuit orta parentibus?* Quod autem has possessiones ac bona omnia immobilia sponte propinquioribus consanguineis renunciaverit propter Deum, prave ab haereticis vilitati ac despectui attribuitur, imo maximae ipsius B. Virginis laudi ac honori tribuendum.

Siquidem haec voluntaria paupertas, ac rerum omnium nuditas ad iustitiae originalis statum Mariam traduxit; cuius primaevae felicitatis recordatus Iobus bonis omnibus nudus, sic animos sustollebat, c. 1: *Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc.* Quae verba nequaquam sunt hominis infelicem sortem suam deplorantis, sed hominis victoriam ac triumphum decantantis, per quem ad illam beatam nuditatem evectus est, qua primi parentes ante transgressionem gaudebant in felicissimo innocentiae statu, quod recte meditabatur Chrysostomus ad Olympiadem: *Nudus,* ait, *egressus sum de utero, et nudus revertar illuc. Sed cuius tandem uteri meminit? nempe primi illius opificii, suaeque e terra coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus e terra divino munere conformatus sum, minime fucatus, nulla re supervacanea oneratus; ergo nudus quoque revertar illuc, quo? nempe ad locum plangore liberum.* En tibi in rerum omnium sequestratione, ac renunciatione Maria Virgo pristinum innocentiae statum sibi nanciscitur. Rem eleganter expendit s. Nilus in Ascetico, dum Iosephum pallio vestitum, adeoque periculo ca-

stitatis amittendae expositum contemplatur; ait ergo: *Quare si nudus fuisset Ioseph, non reperisset Aegyptia, quo illum apprehenderet; ergo pudicus athleta cum animadvertisset ex his etiam, quae corporis usui necessaria sunt, se per vim ad voluptatis amplexus trahi, relicto pallio aufugit, et egressus est foras, in virtutis paradiso nudus ambulans, primum illum parentem nostrum imitatus, qui praeclarum nuditatis munus a Deo concessum obtinuit. Quandiu enim restitit adversariis suadentibus, ut Dei mandatum violaret, nudus ut luctator in stadio stetit: victus vero, et servus effectus, deposita simul cum certandi habitu nuditate, indutus est.* Quasi in castitatis luctamine, non solum a supervacaneis, sed etiam ab his, quae corporis usui necessaria videntur, abstinere oportebat; nempe in esu, potu, vestitu ac somno. Dum enim Adam innocentiae statu in paradiso gaudet, nudus incedit: statim atque a paradiso exulavit, vestibus cooperitur. Paradisus solos pauperes ac nudos amat et fovet: vestitus ergo signum partae a Daemone victoriae fuit: divites et opulentos iam suos, sibique addictos habet malus daemon, adeoque cum eis congredi opus non est. Profecto mundus latrocinium reputat, quoties quis alterum vestibus exuit: at in domo Dei praeclarum est nuditatis munus, quoties Deus re familiari, ac rerum omnium onere nos levat, procul dubio nos tunc ad innocentiae statum redigere tentat, et tanquam paradisi incolas habet. Per hanc ergo rerum omnium nuditatem voto confirmatam Virgo Deipara ad innocentiae statum evehitur, et paradisi accola efficitur. Hinc pronum est deducere rationem cuiusdam rei sane mirabilis a pluribus observatae, nempe a D. Hieronymo, tom. 9 ad Praesidium; s. Isidoro l. 12 Origin. c. 4; Ruperto, l. 3 de Trinit. c. 20; videlicet serpentem, licet cum homine semper inimicitias agentem, ac in eum omne venenum evomentem, tamen cum illum nudum viderit, eum aggredi non audere. Quod si huius rei causam vestigare velimus, ea procul dubio est, quod homo nudus imaginem innocentis hominis praesefert, ac felicem illum statum paradisi repraesentat ante transgressionem; idcirco eum reveretur: cum autem vestitum conspicit, eum adoritur, quia eum signo mancipii obaeratum intuetur. Hic fuit s. Augustini sensus apud Sanchez nostrum in c. 3 Gen. Verba Augustini ea sunt: *Illum enim nudum in paradiso novit ante lapsum, propterea nudum hominem etiam hodie non audet attingere.*

1429. Dictis autem adversari videtur, quod Christus Dominus ostiatim aliquando emendicaverit, iuxta D. Bonaventuram, opusc. de Christi paupertate. Idem tenet s. Bernardus, hom. infra octavam Epiph., quos citat Morales in Matth. l. 4, tr. 12, n. 4; et l. 5, tr. 8, refert pro hac sententia s. Basilium, Alexandrum Alens., s. Thomam, et probari potest ex Paulo II Cor. 8: *Qui pro nobis egenus factus est, cum esset dives*, ubi in graeco est, *mendicavit*. Vide Cornelium a Lapide in hunc locum. Barradas, tom. 1 concord. l. 10, c. 15, hanc sententiam acriter propugnat. Vualdensis l. 4 doctrin. fidei antiquae, c. 3 et 4; Catharinus, l. 2 contra Caiet.; Sixtus Senens. l. 6 Bibliot. Annot. 118 et 137. Favet Augustinus, ubi docet actum petendi potum a Samaritana fuisse actum mendicandi. Cui sententiae magis adhaeret Suarius, to. 2 in 3, disp. 28, s. 2 in fine; et quidem verisimile non est, ut in tanta egestate degenti Christo semper illi oblatas res omnes necessarias fuisse, ipso non petente; longe ergo probabilius videtur interdum sibi necessaria postulasse; tametsi enim legamus in Evangelio mulieres ipsum sequentes, eum suis facultatibus sustentasse, non tamen semper illum assectatae sunt, praecipue in principio suae praedicationis, cum de discipulorum delectu agebat. Deinde Matt. 21, habemus Christum aliquando venientem Bethania Hierosol. in itinere esurivisse, et ad ficum accessisse ut reficeretur; ergo tunc non aderant foeminae, quae illum sustentare possent. Similem inopiam et egestatem saepissime in tot itineribus, ac peregrinationibus procul dubio sustinuit; nisi ad miracula confugiamus: quare emendicato sibi subvenire opus erat, tum et sociis Apostolis, praesertim cum tantae paupertatis fuerit, ait Hieronymus in Matth. 21, et ita nulli adulatus sit, *ut interdum in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem, et oportuerit eum redire Bethaniam, ut domo Lazari hospitio reciperetur.* Oppositam sententiam tuentur Caietanus in c. 5 Matt. et Medina in 3 p., q. 40, a. 3, Castrus l. 10 adversus haeres., verbo *Mendicitas*. Quia nunquam legimus Christum mendicasse: petere autem a Samaritana aquae potum, non fuit mendicare, illud enim divitibus ac nobilibus evenit. Neque in triduo illo, quando apud Doctores in templo remansit, emendicato vixit, nam Sacerdotes et legis Doctores ipsius sapientia ac prudentia permoti, certatim unusquisque in domum suam ducere peroptabat; sicut in virili aetate libenter publicanorum, et peccatorum hospitia admittebat; cur puer seniorum ac Doctorum convivia renueret? Lex autem lata in Deuteronomio, quae prohibebat valetudine pollentes mendicare inter Hebraeos, in divites lata fuit, ut inopum necessitatibus anticipata liberalitate praevenirent; tum in ipsos inopes, qui, quotiescunque labori incumbere possent, otium ac desidiam a se procul arcerent. Quidquid autem sit de Christo; de B. Virgine dicendum arbitror, nequaquam ostiatim mendicasse propter dicta.

CERTAMEN IX.

Utrum B. Virgo voverit obedientiam, et an fuerit alicui subiecta.

1430. De Marianae obedientiae virtute fuse egimus Palaestra XV, ubi de eiusdem virtutibus. Nunc inquirimus, an obedientiam nuncupato voto professa fuerit, non enim apparet quaenam fuerit huius voti obedientiae materia. Sed dicendum est, Virginem Deiparam non solum castitatis et paupertatis votum nuncupasse, sed etiam obedientiae. Suadetur, quia fuit

in perfectionis apice constituta, ita ut fuerit Apostolis ac reliquis omnibus Sanctis omni perfectionis norma et idea; ergo in consiliis servandis se Deo voto obstrinxit. Probatur consequentia, quia perfectius multoque magis meritorium est aliquod opus ex voto efficere, quam solum ex consilio, ut constat ex D. Thoma 2 2, q. 88, a. 6. Sed Virgo Deipara opera exequebatur perfectiori, quo poterat, modo; ergo ex voto. Confirmatur, quia Apostoli tria religionis vota substantialia Deo nuncuparunt, ut tradit Hieronymus, l. 1 contra Iovinianum in illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia. Perinde*, ait Hieronymus, *ac si diceret: Non modo bona, verum etiam uxores propter te dimisimus; et adiecit: Secuti sumus te; hoc est omnis vitae nostrae cursum per obedientiam ad te direximus.* Et Augustinus, l. 17 de civit., c. 4, ait de Apostolis: *Dixerant potentes: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Hoc unum potentissimi voverant.* Et s. Thomas 2 2, q. 88, a. 4: *Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.* Quod fuse probat Alvarus Pelagius, l. 2 de planctu Ecclesiae, c. 56. Modo sic: Virgo Deipara multo perfectiori modo operabatur, quam Apostoli; ergo per obedientiae votum, quod perfectius et acceptius Deo reddit opus. Votum ergo obedientiae prudenter emisit iuxta Dei beneplacitum ex Spiritus sancti instinctu: aliqui bonae notae auctores adstruunt B. Virginem in templo degentem votum obedientiae nuncupavisse Pontifici ac sacerdotibus, qui per ordinem vicis suae templo assisterent, cui voto non obstabat, quod Virgo Deipara haberet dominium superioris ordinis super omnes homines per potestatem excellentiae.

Quoad secundam Certaminis partem, nempe an B. Virgo alicui subiecta fuerit, adeoque capax alicuius praecepti humani: certum imprimis est vere et proprie Deo fuisse subiectam, quia est pura creatura; ergo subiecta Creatori; illud enim dicitur subiectum quod est sub potestate alterius: quid autem magis sub alicuius potestate, quam creatura sub Creatore, a quo in existentia, eiusdemque conservatione dependet? Deinde vere et proprie fuit Christo Domino subiecta; quatenus est caput corporis mystici, ac Redemptor: nam vere, imo specialius fuit Deipara Christi sanguine redempta, et longe inferior Christo, atque adeo ipsi subiecta. Insuper fuit subiecta viro suo, nempe D. Iosepho, quia erat verus ipsius maritus, ac per consequens iure ipso naturali ipsi subiiciebatur: dixerat enim Deus Evae: *Et sub viri potestate eris.* Quamvis enim haec lata fuerit sententia in transgressionis poenam praecepti divini in prima foemina, adhuc tamen in felici innocentiae statu futuras foeminas viris suis subditas, non subiectione quasi servili, ut modo, sed subiectione quasi inferioris ad superiorem quoad directionem et oeconomiam domesticam, sentiunt communiter Doctores; et hac subiectione Virgo Deipara s. Iosepho subdebatur. Praeterea aeque certum reor B. Virginem parentibus fuisse subiectam; a natura enim ita comparatum est, ut filius parentibus subiiciatur, ipsique omnem honorem et observantiam exhibeat.

1431. Nunc assero 1°, B. Virginem obligatam fuisse omni praecepto divino, quo in universum omnes devinciuntur. Probatur, quia vere Deo subiiciebatur, ergo poterat obligari praeceptis eius. Deinde in Virgine Deipara inerant virtutes infusae et adquisitae, quae connotant superiorem; qualis est religio, oratio, animi perfecta demissio, obedientia, observantia, timor; ergo obediebat praeceptis Dei: vera enim obedientia non est, ubi non potest intervenire praeceptum. Tenebatur ergo Virgo Deipara praeceptis diligendi Deum illumque colendi, et reliquis praeceptis primae et secundae tabulae. Quod si dixeris, omne praeceptum supponere vim coactivam in Superiore praecipiente, alioquin non poterit praeceptum imponere; quo sedenim modo subditum cogere posset ad praecepti observationem exactam, si nullam vim cogendi subditum haberet? Solus ergo ille est capax praecepti, qui vis coactivae est capax: atqui B. Virgo non erat capax vis coactivae; ergo neque praecepti. Minor suadetur, quia obligatio praecepti secum defert comminationem illam, si praeceptum transgrediaris, eris inimicus ac infensus Deo: B. autem Virgo moraliter saltem Dei inimica fieri non poterat, quia erat impeccabilis; ergo erat incapax vis coactivae, adeoque et cuiuscunque praecepti. Respondeo per se et simpliciter in subdito solum requiri, ut faciat actu virtutis praeceptae, quod pertinet ad vim directivam: at vero vis coactiva quatenus connotat comminationem poenae, non est simpliciter necessaria ad praeceptum, sed solum iuxta qualitatem personae, cui imponitur praeceptum: quod patet in Christo, qui praeceptum habuit a Patre, et tamen incapax prorsus fuit virtutis coactivae: patet etiam in Principe, qui obligatur suis legibus in ordine ad vim directivam, ut tenet communis Doctorum sensus, non tamen in ordine ad vim coactivam.

Assero 2°: Virgo Deipara obnoxia fuit aliquibus veteris legis observantiis: ita Suarius, to. 2 in 3 p., disp. 16, s. 2, § *Reliquum est.* Nulla enim est ratio, propter quam eam eximamus ab omni legis veteris observantia, etiam post Filii conceptionem aut partum; non ex dignitate Matris Dei, nec enim id sequitur, nec id ad dignitatem hanc interest: nam lex illa cum esset divina, Matrem Dei non dedecebat, et praeterea omnibus in universum proponebatur. De lege autem Purificationis late alibi nostrum sensum produximus. D. Thomas, 3 p., q. 37, a. 3 et 4, solum negat, Virginem Deiparam fuisse obnoxiam veteri legi in ordine ad ea, quae ad Filium attinebant. Iansenius, cap. 10 Concordiae apud Suarium cit., oppositum tenet, nempe legi non fuisse obnoxiam; licet autem ille de lege Purificationis sermonem attexere videatur: rationes tamen si aliquid probant, aeque de omni veteri lege revincunt. Ait enim ex eo esse immunem B. Virginem a legis observatione, quia peperit sanctitatis Auctorem, ac ipsum Deum, qui o-

mnem superat legem. Verum quod filium peperit Deum omni lege superiorem, non probat, ideo matrem esse exemptam a lege, vel dicendum esset B. Virginem fuisse liberam omnino a totius veteris legis observatione, quod sine ullo firmo fundamento diceretur.

His adversaberis, quia praeceptum datum Adae pro se et posteritate sua in illo, tanquam in capite incluso, non comprehendebat Deiparam, sicut nec peccatum illius, quia Virgo B. non continebatur in Adamo secundum illam legem, sed solum secundum corpulentam substantiam: ergo idem dicendum de lege populo imposita Hebraeorum pro se, ac pro sua posteritate. Neganda tamen est consequentia, est enim dispar utrobique ratio. Plures enim rationes nos cogunt Virginem Deiparam a prima illa lege lata in primum parentem eximere; nil autem nos cogit eam a communi lege Iudaeorum excipere, cum illam non dedeceat in pluribus saltem. Instas: si B. Virgo legem veterem observavit, qui contraxit affinitatem cum utraque tribu Iuda et Levi? Cautum enim erat lege, ut constat Num. 36, ut matrimonium contineretur intra limites unius tribus; et tamen Maria Virgo nobilitatem utramque, regiam scilicet, et sacerdotalem, contraxit, ut alibi monuimus. Huic tamen obiecto cumulate satisfacit Canisius, lib. 1 de Deipara, cap. 3, § *Quid igitur*: et nos etiam satisfecimus, cum de Mariana nobilitate agebamus.

1132. Assero 3°: B. Virgo obnoxia fuit legi evangelicae, atque adeo omni praecepto ibi contento, ut praecepto Baptismatis, Communicandi, et similium. Probatur quia Christus Dominus Superior erat B. Virginis; ergo tenebatur tanquam inferior legibus sui legitimi Superioris: nec ulla apparet ratio per quam sit eximenda B. Virgo, ut in simili dictum est paulo ante Quod si obieceris Baptisma fuisse a Christo Domino institutum in remedium originalis culpae, qua caruit Virgo B.; ergo non tenebatur eiusmodi praecepto: respondeo Baptismum non solum institutum ob originale peccatum, sed etiam ut esset signum membrorum Ecclesiae medio charactere, et ut gratiam conferret, vel primam, vel ut illam augeret: quae omnia in B. Virgine contigerunt.

Assero 4°: B. Virgo tenebatur lege Matrimonii obedire viro suo D. Iosepho tanquam vero marito, ea obsequia illi exhibendo, quae solent uxores viris suis exhibere, praecipue quando paupertate laborant; ea enim obsequia debentur viro, et ad ea per matrimonium fuit devincta: ac proinde B. Virgo s. Iosepho inserviebat et ministrabat, et alia obsequia domestica exhibebat, quae solent exhibere uxores pauperum, iuxta ea quae tradunt Doctores apud Sanchez, l. 6 de matrim., disp. 6, n. 13 et 14: ideo s. Iosephus dici potest aliquo modo caput et superior B. Virginis; ait enim Apostolus I Cor. 11: *Caput mulieris, vir;* et D. Petrus, I epist. c. 3: *Mulieres subditae sint viris suis;* ergo B Virgo reverebatur Sponsum suum tamquam caput suum. Nec refragari potest in Iosepho mariti ius fuisse in sponsam Mariam; ius, inquam, illud, quod a natura procedit, non quod a transgressionis poena inflictum, quod in eo situm erat, nempe quod placida submissione, pacata, nec reluctante subiectione, ipsa se foemina, licet innocentiae statu potita, sponso suo obedientiae alacris, et amoris nexu constringeret: subiectionem autem illam, servilemque conditionem, virique dominantis despoticam censuram, acreque dominium a praevaricatione mulieris primae in reliquas mulieres invectum, omnino in nostra B. Virgine renuo. Huc adduco Cypr.: *Non sustineret iustitia ut illud Vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quod plurimum a caeteris differens, natura communicabat, non culpa.* Pro nobis stat etiam Augustinus de Assump. Virg. c. 4: *Aerumnam Maria passa est, cuius animam gladius passionis Christi pertransivit, sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri, id est mariti, potestate deguit, quae integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit.* Idem autem est apud Augustinum non cognovisse virum, et non cognovisse caput, ex eo enim Virgo B. non fuit subiecta Iosepho tanquam capiti, sicut caeterae uxores, quia ex illo non concepit; ideo addit Augustinus: *Quae de Spiritu sancto Christum suscepit, et virginitatis integritate* manente, *Virgo permansit.* Bene quidem, et merito quae viri amplexus longe a se pepulit, sub capitis alicuius censu renuit supputari. Quando autem apud Patres Virgo B. sub Iosepho tanquam sub capite censetur eo sensu capiendum, quo supra explicuimus: sic Isidorus de Isolanis est intelligendus 1 p., c. 16: *Ipse enim sua promeruit iustitia, ut Virgini B. in arca Noe praefiguratae sponsus et caput esse meruit.*

Dices: B. Virgo immunis fuit a poenis latis ob peccatum Evae: atqui una ex his poenis fuit haec subiectio respectu viri; ait enim Deus post peccatum commissum, Evam alloquens: *Sub viri potestate eris.* Quare D. Augustinus, opusc. de Assump. Virginis, c. 4, docet B. Virginem exemptam fuisse poena verbis illis contenta. Respondeo adhuc in statu innocentiae futuram subiectionem mulieris ad virum, non quidem quasi servilem, ut modo est, ut plures docent Iurisperiti apud Sanchez citatum, sed subiectionem ingenuam, qualis est quae reperitur inter filios in ordine ad parentes, et inter inferiores in ordine ad superiores. Beata igitur Virgo non incurrit poenam illam Evae et reliquis uxoribus latam, nempe subiectionis servilis, sed tantum subiiciebatur viro suo subiectione ingenua, quae adhuc in statu innocentiae reperiretur.

Addit s. Thomas, et Suarius cum eo, to. 2 in 3 p., disp. 8, s. 1, § *Quarto tandem*, in his rebus, quae ad mysteria supernaturalia, ipsorumque cognitionem conducebant, et ad privilegia gratiae suscipienda, nulla ratione oportuisse Deiparam a viro dependere, nec sub illius esse potestate. Solum ergo in re domestica, et in aliis pertinentibus ad cohabitationem, peregrinationes, domusque gubernationem, fuit viro subiecta, ut patet in eo quod Iosepho facta fuit revelatio peregrinationis in Aegyptum, et illinc reditus. Sic intelligendus Salmeron to. 3, tr. 29,

§ *Quod ergo*, ubi ait Virginem Deiparam non fuisse subiectam illi maledicto: *Multiplicabo aerumnas tuas, et sub viri potestate eris. Haec*, ait, *omnia Virginem non attigerunt.* In huius rei typum, rapior in admirationem, dum audio, Gen. 21, Deum Abrahamo sic fantem: *Omnia quaecunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Profecto mandatum nimis arduum, et quidem homini veterano, Patriarcharum principi, quod subdatur foeminae vir, uxori maritus, et ut obtemperet in quacunque materia sine ulla exceptione: nonne maritus familiae, et uxoris caput, et a natura ipsa constituitur. Paulo teste I Corin. 11? Quis iste rerum inversus ordo, ut Sara dominatrix sit, Abrahamumque sub sua cohibeat potestate, et quidem Dei iussu? Si vero dicas id factum, quia Abrahamus iam centenarius et quasi decrepitus senex, adeoque gubernationi domus ineptus ac familiae regimini; sed it obviam Sara etiam nonagenaria, citius autem in foemina et corporis virtus decrescit, et mentis vires deficiunt. Verum sicut Isaac typus fuit Christi Domini, ita Sara Virginem Mariam adumbrabat, quia in pariendo adversus naturam ivit, quia iam nonagenaria partubus finem imposuerat: Abrahamus autem Iosephi viri Mariae umbram prae se tulit. Hinc ergo disces cur potiora fuerat Sarae deferenda, dominiumque ac regimen in ipsam devolvendum: praesit ergo Sara Abrahamo, quia typus fuit Virginis B. quae superior exstitit Iosepho et meritis et dignitate. Subsidietur huic cogitatui s. Hieronymus, epist. 140: *Defecerunt itaque Sarae muliebria, et ideo Abraham ei subiicitur, et dicitur ad eum: Omnia quae tibi dixerit Sara, audi vocem eius: sexus devoratur a Virgine, Christum portat in corpore.* Quia Sara licet a longe valde utero Christum in umbra adsportabat, Abrahami dominatrix constituitur a Deo; potiori ergo iure Maria, quae verum Christum in vulva ferebat, Iosepho superior asseritur; a Sara igitur, in maritum dominium quasi devoratum, ac deglutitum est, quia ex quo ei muliebria defecerant, in B. Virginem transformata est.

1433. Assero 5°: B. Virgo parentibus suis obedire tenebatur ipso naturae ductu, ipsisque omnem debebat observantiam, quam reliqui filii suis parentibus exhibere solent. Probatur, nam dignitas Maternitatis Dei illam ab eiusmodi lege naturali non exemit, nec enim dedecebat B. Virginem Deiparam eiusmodi reverentialis observantia erga suos parentes: sicut non dedecebat ipsum Christum erga Matrem omnem reverentiam et observantiam praestare, imo fuit rationi valde consonum: et oppositum, ipsi naturae et rectae rationi maxime adversaretur; ac proinde quandiu parentes B. Virginis vixerunt, ipsis obedientiam praestitit ipsorumque mandata prompte exequebatur; quae etiam intellige in rebus externis, et quae ad mysteria supernaturalia ipsorumque cognitionem, revelationem, et ad gratiae privilegia non spectabant.

Assero 6°: B. Virgo nullis humanis legibus subiiciebatur. Probatur, quia B. Virgo habebat dominium super omnes homines et creaturas, ut alibi a nobis ostenditur: ergo nullis tenebatur legibus humanis; sicut nequit Regina obligari legibus latis ab aliquo sibi subdito. Huc vocari potest illud Matt. 17, ubi ait Christus ostendens se non teneri aliqua tributorum lege: *Ergo liberi sunt filii.* Ex quo colligunt Theologi apud Suarium, de Incarnat. disput. 43, sec. 2, § *Dico* 2, Christum D. non fuisse subiectum regibus temporalibus. Consulantur Divus Thomas in 1, dist. 44, q. 2, a. 2; Bonaventura ibid. a. 3, q. 1; Sotus in 4, dist. 25, q. 2, a. 1; Turrecremata, lib. 4 sum. p. 4., c. 37; ubi rationes, quae pro Christo afferuntur, cum proportione B. Virgini adaptari possunt. Neque obstat B. Virginem tanquam membrum Ecclesiae respexisse caput, nempe D. Petrum, licet enim reapse B. Virgo Petri fuerit domina, ipsoque superior et dignitate et meritis; at vero ut ovis erat Christi, pastorem aliquem in terra agnoscebat, scilicet Christi Vicarium D. Petrum; imo D. Ioannem tanquam ordinarium, seu privatum et specialem Episcopum, sive mavis vocare Parochum, B. Virgo quoad receptionem Eucharistiae venerabatur. In hunc sensum accipiendus Ernaldus in illud Ioannis, *et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, citatus a Tilm.: *Petro*, inquit, *commendatur Ecclesia, illi Maria; illi tumultuosa negotia, huic negotia, sed quieta; illi atria et vestibulum, et altaria sanguinum; huic commendatur altare incensi, et sancta Sanctorum: ad culmen ministerii sui nullus secum admittitur, solus illi assistit propitiatorio, solum illud vas aureum continens manna illud divinae legis scrinium Pontifex destinatus observat.* Quae non ita intelligas ut B. Virgo Ioannem tanquam Pontificem haberet, non vero D. Petrum.

Verum sciscitabatur aliquis, quid opus fuit tot votorum ac praeceptorum vinculis B. Virginem adstringi, cum Adamus unico solum praecepto coerceretur: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas*; inquit Deus Adamo. Itaque qui late dominabatur super omnem terram, unico constringitur praecepto, ne in tanta felicitate lasciviret superbiens; fraeno eum praecepti coercuit Deus, ne in tanta bonorum opulentia infraenis ab innocentiae statu corrueret; ac nec sic quidem eius licentia fraenata fuit, sed praeceps in peccati barathrum ruit. Veniat igitur Maria innocentiae gratia ac virtutibus suffulta, sed non uno duntaxat praecepti vinculo in tam felici statu alligata, sed multiplici voto ac praeceptorum nexu constricta; ne in tanta virtutum opulentia quasi discrimen apud nos subiret: ideo de ea Deus ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, Gen. 3; ubi acute Caietanus ponderat pluralem numerum, nempe inimicitias, non unum bellum indicens cum serpente, sed multiplex: *Non sufficit*, ait, *inimicum esse Diaboli quoad ea, quae sunt fidei, aut spei, sed oportet inimicum esse secundum omnes partes, secundum ea quae sunt castitatis, abstinentiae, misericordiae, et reliquorum sanctorum officiorum.* Ergo Adamus uno solum praecepti vinculo coercetur; Maria sponte pluribus voto-

rum funiculis vincitur. Adamus in tanta rerum amoenitate unius praecepti fraeno male coercitus se non continuit, quin a tanta felicitate deturbaretur : Maria ne aliquo pacto periculum subire videretur in tot tantisque praerogativis, arctissimis plurium votorum vinculis adstringitur, sciebat enim quanti ponderis sit haec votorum ac praeceptorum multiplex alligatio, ut vitae integritas absolutissima perseveret; non unica igitur inimicitia Mariae cum diabolo indicitur, sed multiplex pugna et conflictus.

1434. Forsan opinaretur aliquis mitius se Deum gessisse cum Adamo, quam cum Maria; quia Adamo unicum solum praeceptum imposuit, Mariam ad plurium votorum arctitudinem vocavit et induxit. Sed in eo Deus sibi omnium esse carissimam Mariam prae Adamo luculenter ostendit: quod patet ex imprecatione illa Abigail, I Reg. 25; sic enim ait Davidem alloquens: *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te et quaerens animam tuam, erit anima Domini custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum tuum; porro inimicorum tuorum anima rotabitur in impetu, et circulo fundae.* At quis non potius sibi seligeret lapidis iacti conditionem, qui e funda eiaculatus gaudet libero coelo, varios telluris tractus invisit, aquarum ac fluminum fluenta perlustrat, quam fasciculi alligati, qui vinculis continetur? Ita quidem est: verum animadverte disparem utriusque exitum, siquidem inaequalem conditionem vidisti: lapis semel a funda rotatus ac proiectus, forsan vel aquis immergitur, vel igne comburitur, vel coeno ac sterquilinio consepelitur, et flocci penditur: at fasciculus, quia carior possidenti, custodiae traditur, vinculis coarctatur: ergo Maria pluribus votorum ac praeceptorum nexibus vincta, custodiae tradita, domi reclusa, ceu fasciculus Deo carissimus, melior iustorum portio, electorum Primiceria, praedestinatorum Antesignana; non est ergo cur lapidi fasciculus invideat, tametsi lapis libero eat caelo, per aera evehatur, nullis legibus adstrictus, nullis vinculis alligatus, sed tandem praeceps abit, et in loca horrida solitudine, vel faetore plena semper permansurus irruit. Huius generis sunt plures exleges, rectore carentes, sui iuris homines, qui per amoena vitae huius vireta spatiantur, libero vivendi modo se dedunt, effraenes voluptati addicti, sed demum praecipites aguntur in loca horrore et squalore obsita. Pulcherrima igitur similitudine, iustorum ac reproborum conditionem secrevit Abigail; sive Adami in Paradiso constituti, et Virginis Deiparae; haec enim viventium pars est optima, ille spirituali morte praeventus; Mariam cum fasciculo, Adamum cum lapide fundae recte componit: fasciculus adstringitur, ut conservetur; lapis in funda rotatur, ut proiiciatur: Maria multiplici votorum alligatione vincitur, ut arctius Deo adnecteretur; Adamus quo liberius per amoena paradisi viridaria spatiabatur, eo longius a Dei consortio et amicitia aberravit. Finem faciat Picus Mirand. in Cant. apud Salazar, tom. post. in Cant., ad illa verba: *Trahe me post te,* ubi sic fatur: *Quidnam praetendit isthaec orationis instantia, ut post Sponsum trahi peroptes, cum ais: Trahe me post te? Quid demum te currentem currentibus inseris, quae praecurrens bravium praedicaris apprehendisse, cum dicunt: Post te curremus? Cur te paupertatem sine consilio, virginitatem sine exemplo, evangelicae obedientiae sublimitatem sine praecepto ante Evangelium, Christo nondum illapso, exhibuisti? ut proinde in his ducem te potius mirari debeamus, quam comitem aliorum.* Ubi paupertatis et obedientiae signum aliis extulisse B. Virginem, ait Picus, et alii bonae notae auctores subscribunt: emisit ergo votum paupertatis Deo, obedientiae vero sacerdoti, qui per ordinem Templo inserviebat. Videatur Luysius Turrianus, select. disp. Theolog. p. 2, d. 24, dub. 1 et 2.

His ibis obviam, hinc videlicet inferri perfectionem absolutam evangelicorum consiliorum inchoatam esse a B. Virgine; siquidem iam ante Christi Incarnationem virginitatem voverat, obedientiam et paupertatem, ut praemisimus: illatio autem adversatur perspicue Patribus ac rectae rationi, cum a Christo Domino omnis evangelica perfectio exordium habuerit. Respondetur cum D. Thoma, 3 p., q. 28, a. 4, observationem consiliorum absolutissimam, quae per Dei gratiam exhibetur, perfectissime quidem a Christo D. initium duxisse; verum iam inchoatam fuisse a Virgine Deipara ex Christi gratia; sicut, ait ille, gratiae plenitudo cumulatissime exstitit in Christo, cum tamen aliqua gratiae plenitudo praecesserit in Maria, id Gabriele attestante: *Ave gratia plena.*

CERTAMEN X.

Utrum B. Virgo religiosam vitam professa fuerit, et an ab Elia ortum duxerit monachatus.

1435. Viam aperit quaestioni propositae Dionysius Carthusianus, in 1 sent., disp. 16, qu. 2, ubi haec habet: *Quotidie quoque, seu tempore opportuno, edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti virginum eius obsequio, ac regimini deputatarum.* Asserit ergo Hierosolymis constructum fuisse Collegium sub peculiari Virginis Deiparae institutione. Nec mirum videri debeat, quippe statim atque divinus Spiritus in Apostolos visibili forma descendit, religiosus status duxit initium ab ipsismet Apostolis: quod in paupertate evangelica perspicue apparet, siquidem in Actibus Apostolorum c. 4 ait s. Lucas: *Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed illis erant omnia communia*: de quo videndus Bellarminus, controv. 2, lib. 2, c. 5. Unde D. Hieronymus, epist. 8 de Anania et Sapphira: *Ideo*, ait, *condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, et non eius cui semel ea voverant, partemque sibi iam alienae substantiae reservaverunt.* Cassianus item Collat. 18, c. 5: *Coenobitarum*, inquit, *disciplina a tempore Apostolicae praedicationis sumpsit exordium.* Et iterum: *Pauci in primordiis fidei sed probatissimi Monachorum nomina censebantur, qui Alexandriae a B. Marco normam susce-*

pere vivendi. Imo Philo Iudaeus apud Spinellum, c. 37, n. 18, ait: *Virorum et mulierum religiosarum separatim a viris degentium habitacula, quae vocat Monasteria, memorat plurima fuisse per universum orbem*. Et s. Hieronymus, de viris illustribus, in Philone ait, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi nituntur esse, et cupiunt. Nihil ergo mirum quod Virgo Deipara, quae virginitatis vexillum extulit, religiosae etiam vitae exemplar exstiterit Hierosolymis, et tanquam bonorum morum Magistra plures alias Virgines instrueret; cum supra, Apostolorum et Evangelistarum magistram fuisse ostenderimus. Quare non videtur a veritate alienum affirmare in exordio evangelicae praedicationis Hierosolymis praecipue complures in unum Virgines convenisse, ut vitam religiosam simul profiterentur, et Deiparam adhuc in terris superstitem, non solum ut Dei Matrem habuisse, sed ut morum Magistram, quae eas in via perfectionis instrueret et informaret. Si enim puellula in Templo degens caeteras virgunculas exemplo, et verbo in via virtutis dirigebat; potiori iure post Christi Domini ascensum in coelos, plures Virgines ad omnia pietatis ac virtutum opera instruxisse dicendum est. Quid, quod in veteri Testamento plures foeminae ad Templum excubias agebant, ut videre est Exod. 32, et I Reg. 2, tum et virgines clausae in Templo educabantur, ut patet ex II Machab. 1? ergo opus erat in lege evangelica, ut virgines etiam in unum locum cogerentur, et virginitatis consilium a Domino traditum, et sufficienter ab Apostolis promulgatum sub Deiparae disciplina et magisterio perfectissime custodirent. Quod iam olim in Maria sorore Moysis adumbratum fuit, quae aliarum foeminarum coriphaea tympanum assumens aliis praeibat praecinens: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* etc., Exod. 15. Post Christi ergo in coelos ascensum, confractis Daemonum viribus, in Passionis Christi mari sanguineo submersis hostibus, melior alia Maria in tympano, quod virginitatem adumbrat, Apoc. 14, iuxta Spinellum c. 32, aliis comitata virginibus, novum Canticum praecinit, videlicet castitatis votum edocet verbo et exemplo. Ex cuius tyrocinio s. Martha religionem edocta, eandem religionis professionem in Gallia propagavit et auxit, et s. Ignatius Apostolorum discipulus antiquissimus, epist. 5 ad Philip. ait: *Saluto congregationem virginum*; signum quidem maximum, quod ab Apostolis, praecipue vero a B. Virgine, eiusmodi collegia, ubi virgines religiosam vitam profitebantur, fuissent erecta et instituta. Hinc forsan D. Bernardus, hom. in illa verba, *Simile est regnum coelorum*, Matth. 13, Virginem Deiparam reputat veluti religiosam monialem, quae optimam partem sibi elegerit; nec enim poterat Deus decentius nasci de Matre alia, quam de Virgine abscondita, solitaria et religiosa, quae primum ac sacerrimum de sua domuncula fecerat Parthenonem; et hanc Dei Matrem semper Virginem, et virginitatis obstrictam voto, omnes sacrae Virgines Parthenicae suae vitae auctorem haberent.

His nixi fundamentis aliqui Doctores in eam sententiam iverunt, ut dicerent, Virginem Deiparam omnia perfectissimae monialis munera obiisse: et quod magis mirere, Fr. Alegre in suo paradiso docet, Virginem Mariam in Coenobio 120 monialium Carmelitanarum munera Abbatissae, seu Priorissae obiisse, ex Guilielmo Spira Centur. 1, eiusdemque coenobii monialem facit D. Martham. Itaque Alegre fol. 143, et f. 131, vocat B. Virginem monialem Professatricem, ac Rectricem, et imitatricem Eliae, additque Eliam inter homines primum, et B. Virginem primam inter mulieres voto se castitatis adstrinxisse. Subdit praefuisse in illo praefato coenobio Carmelitano B. Virginem, simulque in eadem observantia Sororem extitisse, et habitu grisaei coloris et albi indutam fuisse.

1436. Deinde liber quidam inscriptus, *Elucidationes variae antiquitatis Carmelitanae*, auctore Fr. Emmanuele Rom. in lucem editus an. 1628, plures profert propositiones matura discussione dignas. Pag. 1, incredibilia quaedam tractanda aggreditur, quorum plura expurgata sunt a sancto Inquisitorum Tribunali in Historia Prophetica, de qua infra; tamen affirmare audet, ea solum ab invidis denegari, et ab incredulis parum in historiis versatis; quae propositio iniuriosa nimis videri debet tum incorruptis sanctae inquisitionis Iudicibus, tum plurimis ac gravissimis Doctoribus, qui rebus adeo perspicue falsis adversantur. Pag. 2, Eliam omnis religiosae disciplinae Ecclesiae universalis, ac sacrorum Ordinum universalem Magistrum constituit; quae propositio ablata fuit in sensu ab illo intento, ab Expurgatorio an. 1632 edito. Fol. 3, ait Religionem ab Elia erectam tria vota substantialia continuisse, quod effatum post diligens examen damnatum fuit in Historia Prophetica. Fol. 10, B. Virginem adhuc puellam fratribus Carmelitanis plurimum addictam constituit, eiusque eisdem devotos comminiscitur: fidemque habet fabulae Paleonydori, sicut et Fr. Alegre cit., qua B. Virginem sororem Carmelitanam confingunt. Quae omnia merito abradi debent, vel censoria virgula notari; sicut prohibentur in sancta Romana Ecclesia aliquae Historiae Ecclesiasticae, ridicula aliqua ac falsa, nullo fundamento innixa continentes, quia auctoritatem historiarum authenticarum enervant, et ansam praebent haereticis, aliisque Romanae Ecclesiae hostibus irridendi. Nec fidem ullam his fabulis praestare potest Trithemius ab ipso auctore citatus fol. 15 et 16, cum fuerit vir ita credulus, ut librum ediderit, quo medio possent absentes per medias cogitationes seseipsos adinvicem intelligere, qui merito prohibetur ab Expurgatorio.

Haec autem omnia et alia quamplurima continentur in novem libris historiae cuiusdam propheticae elapsis annis editae, apud Inquisitores sacrae fidei iam delatae ob similes propositiones supra relatas, in quarum propositionum expurgationem duo decreta providit supremum sanctae Inquisitionis Tribunal: alterum editum fuit 11 aug. an. 1636, alterum 9 decem. an. 1639;

quorum robur aliqui enervare contenderunt, sed incassum; nullam enim inter se oppositionem dicunt, neque postremo loco editum aliquo modo corrigit primum, eiusque robur infringit. Primo igitur historia prophetica haec habet, pag. 4 et 5, et c. 10, n. 1, pag. 66 et 67, in veteri Testamento veram Religionem tribus votis substantialibus constantem fuisse cum solemnitate requisita, et potestate clavium in Synagoga, ita ut nullum discrimen reperiretur inter statum religiosum veteris legis in Synagoga, et inter statum religiosum legis evangelicae in Ecclesia, sicut modo non differt Nilus a seipso, qui in mundi primordio fluebat. Verba autem decreti Inquisitionis supremae editi ann. 1636, hanc doctrinam damnantis, sic se habent: *Reformanda est doctrina illa, quae docet in veteri Lege verum monachatum exstitisse, tribus substantialibus votis constantem, cum omnibus requisitis quoad essentiam et substantiam, quae modo in Lege evangelica reperiuntur.* Id ipsum autem damnant verba decreti eiusdem supremae Inquisitionis editi an. 1639: *Dummodo declaretur in lege scripta Monachatum non fuisse cum eadem solemnitate, perfectione ac potestate clavium, qui modo in Lege evangelica reperitur.* Quae doctrina reformari iussa est in praedicto decreto in locis pluribus historiae propheticae, nempe pag. 19, n. 3, pag. 22, n. 2, pag. 339, n. 1, pag. 378, n. 6, usque ad n. 15 inclusive, pag. 737, 743, 749, 755, n. 1, pag. 770, n. 5. Per idem decretum abolendae sunt ab eadem historia prophetica illae propositiones ab eodem decreto relatae his verbis: *Item reformari debent propositiones, quae cum his coincidunt, ut pag. 64, n. 5, pag. 155, n. 1, et alibi repertae; Monachatum videlicet Carmelitanum esse de iure divino: quod si reliquae Religiosorum familiae velint eiusmodi approbatione gaudere, eam in Elia apud montem Carmelum ab ipsis adinveniendam. Quod etiam in veteri Lege potestatem fuisse acceptandi vota ad verum Monachatum constabiliendum, quae penes Eliam Pontificia fuit.* Ita habetur pag. 156, n. 2, pag. 157, n. 3, pag. 775, n. 21. Item consilia evangelica sine votis custodita constituere veros Religiosos pag. 391, n. 4. Reformandae insuper propositiones, quae censura aliqua notant communem opinionem affirmantem ante Christi adventum nullum verum monachatum adinventum fuisse, quales sunt pag. 27, num. 1, p. 61, n. 16, p. 658, n. 18, p. 735, n. 5, p. 757, n. 25, p. 764, n. 4, p. 704, n. 11, p. 754, n. 20 et 21, et alibi. Praeterea in duplici illo decreto iubentur abradi illae propositiones, nempe nullum maius fundamentum adesse ad monachatum invehendum in lege evangelica votis tribus constantem, quam ad astruendum monachatum Legis veteris sub Elia: nec maiori fundamento inniti votum Virginitatis B. Mariae, quam vota tempore Eliae, pag. 744, n. 7, pag. 751 et 732, n. 8, pag. 392, n. 5: tum et aliquos invidere Synagogae monachatus praerogativam, ut deferant legi evangelicae, pag. 733, n. 2, et qui vota Eliae, eiusque Familiae denegaverit, videlicet paupertatis, castitatis et obedientiae, opus est, ut ea deneget et legi evangelicae, pag. 749, n. 15, pag. 750, n. 16, pag. 753, n. 19, et saepe alibi. Addit Ionadad fuisse Priorem Generalem monachatus prophetici uxoratum ex dispensatione Elisei pag. 756, n. 21. Quae omnes propositiones admittunt monachatum perfectum in lege veteri, quemadmodum in lege evangelica potestatem etiam clavium in Synagoga apud ipsius ministros ad erigendum monachatum perfectum cum solemnitate requisita, cum auctoritate et iurisdictione ad acceptandum tria vota, et compellendum subditos ad eorundem observantiam; ac proinde decretum an. 1636 eas abradi iussit, ac novitus decretum an. 1639, idem ratum voluit ac confirmavit. Et quidem gratiae a nobis agendae his Doctoribus, quod altius non sumpserint votum castitatis, nempe ab Adamo; cum illud nonnemini licuit scribere, nulli cordato credere; scilicet Adamum, viso Abele mortuo, cum mortis tyrannidem antea ignorasset, castitatem vovisse: ita refert noster Drexelius de castitate B. Virginis ex Leonardo de Utino, lib. de legibus, serm. de poenitentia, quem laudat Didacus de la Vega in psal. 5 Poenit.

1437. Ad haec, Decretum supremae Inquisitionis editum an. 1636 iussit abradi ab historia prophetica propositionem sequentem, nempe B. Virginem Mariam non extulisse primam vexillum Virginitatis nuncupato voto: ita habetur p. 738, n. 10, usque ad finem capitis, pag. 662, n. 5, pag. 729, a n. 1 et deinceps, pag. 752, n. 17, cui censurae nullo modo contradicit decretum 2 eiusdem supremae Inquisitionis editum an. 1639, dum permittit affirmari posse in veteri lege fuisse votum virginitatis perpetuae. Siquidem veritas huius propositionis sufficienter salvari potest, si intelligatur de virginitate externa et communi. Ad cuius rei explicationem penitiorem, duplex est distinguenda virginitas: alia est virginitas theologica interior et exterior; altera est virginitas exterior, lata et communis. Haec secunda virginitas ab Ecclesia in pluribus virginibus colitur, ad quam opus est, et sufficit, nunquam nupsisse, neque in aliquam culpam externam sponte incidisse. Nam die 21 octobris solemni cultu festum peragit Ecclesia undecim millium virginum, quas tanquam virgines colit, licet animo nubendi proficiscerentur, ut constat ex Annalibus ecclesiasticis. Huius generis plures virgines reperiuntur in Martyrologio 1 septembris, 24 decembris, 22 septembris, et alibi, quas non colit Ecclesia tanquam virgines virginitate theologica ac stricta; haec enim constare non potest Ecclesiae in unaquaque earum; sed solum coniugia repudiasse, nec defectum ullum externum in hanc virtutem admisisse, quod sufficit ad virginitatem externam latam et communem. Quod solum probat defensorium sacrae familiae Carmelitanae discalceatae, inter virgines adnumerans Eliam, Danielem et alios veteris Testamenti. Sed disputatio non est controversa circa virginitatem huius generis, quam etiam admittit decretum supremae Inquisitionis an. 1639 in aliquibus iustis veteris Testamenti. Nec fuit controversia

circa Virginitatem perpetuam a Deo praeceptam, vel inspiratam aliquibus, ne nuberent; vel circa iuramentum praestitum castitatem servandi, vi, et hominum coactione, ut volunt aliqui in filia Iephthe. Imo apud ethnicos iuxta plurium sententiam, virgines Vestales ad id iuramentum praestandum de servanda virginitate in honorem illius Deae compellebantur. Nemo igitur denegat in veteri Testamento virginitatem perpetuam externam et communem in aliquibus praecessisse; tametsi falsum censeamus illam nuncupato voto ab aliquo fuisse in veteri lege servatam et professam; tamen tanquam probabile ducimus, id sine gravi aliqua censura affirmari posse. Verum hac de re non fuit exorta controversia; licet enim per Decretum an. 1639 permittatur propositio illa, nempe in lege veteri votum virginitatis et castitatis exstitisse; non tamen ideo enervatur vis ac robur decreti an. 1636 praecipientis abradi propositionem illam, nempe B. Virginem non extulisse vexillum omnium primam Virginitatis nuncupato voto. Siquidem propositio illa permissa sufficienter salvari potest, si intelligatur de virginitate externa et communi, B. Virgini deferendo virginitatem strictam et theologicam. At historia prophetica asseveranter tuetur virginitatem eo modo, quo a B. Virgine nuncupata fuit ac servata, praecessisse etiam in pluribus veteris Testamenti, eadem perfectione et emisso voto: quocirca historia prophetica denegat B. Virgini virginitatis primatum; quo quidem sensu merito Supremum sanctae Inquisitionis Tribunal illam praedictam propositionem decreto an. 1636 aboleri praecepit, neque hanc censuram revocavit vel temperavit per decretum secundum editum an. 1639.

1438. Ad cuius rei veritatem revincendam communi omnium Theologorum consensu supponimus cum s. Thoma 1 2, q. 64, et 2 2, q. 152, et q. 155, affirmantium ad virginitatem theologicam haec omnia concurrere debere. Primum, necessaria est integritas corporis physica, sicut ea quae inest in corpore infantili, ita ut nullo unquam tempore laesionem passa sit spontaneam, quae enim vi et coactione fit cum limitationibus a D. Thoma adhibitis in 4, dist. 14, q. 1, a. 5, et dist. 38, q. 1, a. 5, nihil obstat. Deinde ad virginitatem theologicam exigitur electio libera, et constans permanendi toto vitae tempore cum illa integritate physica, ab omni prorsus libidine licita vel illicita animum avocando. Praeterea necessarium est, ut virgo nulla se culpa gravi externa se attaminaverit in re venerea. Insuper ut nunquam apud se statuerit matrimonium contrahere consummatum. Haec virginitas, his omnibus circumstantiis comitata, vocatur virginitas rigorosa et theologica interior et exterior; quam cum omnibus suis partibus essentialibus et integrantibus vovit sanctissima Virgo, ac fide certissima credendum est hanc virginitatem perfectissime ante partum, in partu et post partum a B. Virgine toto vitae tempore fuisse servatam. Huius virginitatis theologicae primatum tenuit B. Virgo et tempore et dignitate, communi omnium Patrum et Scholasticorum suffragio: haec virginitas est propria solius legis evangelicae, quam nuncupato voto Deo litant Virgines perfectissimae novi Testamenti B. Virginis aemulae, iuxta illud Davidicum: *Adducentur Regi virgines post eam.*

Quod si quis refragetur asserens, veteres Patres, qui censuerunt Eliam, Ieremiam, Danielem et alios veteris Testamenti, perpetuam virginitatem asservasse, stare pro contraria sententia; respondeo praedictos Patres ac Doctores locutos non fuisse de virginitate theologica a nobis asserta, sed solum de virginitate communi, lata et externa: nec enim de alia loqui potuerunt; cum ut id affirmarent, nullo alio solido nituntur fulcro, nisi quia in Scriptura sacra nulla fit mentio nuptiarum, cum de illis est sermo; cum tamen aliorum coniugia perspicue referantur, ut bene expendit D. Thomas in 4, dist. 49, q. 3, a. 1: *Ut creditur de Elia, et Ieremia, quorum coniugia non leguntur*; cum tamen Scriptura id non excludat, aut deneget. Nec oppositae doctrinae asseclae aliud probant, ut patet ex eorum argumentis. Primo enim arguunt ita: Elias, Ieremias, Daniel et alii viri iusti veteris Testamenti nunquam nuptui vacarunt, nec filios reliquerunt; ergo virgines permanserunt, et virginitatis votum emiserunt. Argumentum sane inerme, cum fiat de minori ad maius affirmando, quod nihil urget. Deinde argumentantur: Elias, Ieremias et alii virginitatem emisso voto servarunt, ac professi sunt; ergo alii plurimi sine numero in lege veteri eandem virginitatem ex voto Deo litarunt. Argumentum hoc non magis urget, quia fit a paucis ad multos, aequivalet autem argumento quod fieri solet a particulari ad universale, quod in re contingenti nihil probat, ut aiunt Dialectici. Tertio sic urgent: in lege veteri innumerabiles exstitere; qui virginitatem voverunt ac professi sunt; ergo Virgo B. primatum non habuit virginitatis voto Deo dicatae. Profecto illatio pessima, ex praemissis malis ac debili fundamento subnixis. Hoc argumentandi genere adeo inefficaci auctor Historiae Propheticae, eiusque sectatores primatum Virginitatis a B. Virgine surripere contenderunt, ita ut affirmare ausi sint propositionem supra relatam, nempe nullum maius fundamentum inveniri ad asserendum B. Virginem virginitatem vovisse, quam Eliam et alios veteris Testamenti; quae merito aboleri iussa est decreto an. 1636, quia Virginis Deiparae excellentia valde minuitur et extenuatur, si ab ea hanc gloriam demamus, videlicet exstitisse primum exemplar et ideam omnium, qui post illam, Virginitatem professi sunt: iniuria item Patribus ac Doctoribus irrogatur, qui hanc Deiparae gloriam communi omnium plausu uni B. Virgini detulerunt. Et quidem timeri potest, ne super hunc virginitatis primatum delatum B. Virgini unanimi Doctorum consensu et ab Historiae Propheticae fautoribus denegatum, altera suboriatur contentio simillima controversiae immaculatae Conceptionis; in qua profecto Patres sacrae Familiae Discalceatorum, s. Thomam patronum habere non pote-

runt; neque ipsis auxilium praestabunt virorum peritorum consensus et suffragia ; quin potius hac in re Patres ac Doctores omnes sibi infensos habebunt; tum populorum , ac vulgi iniquo animo ferentis gloriam Virginis Deiparae aliqua ex parte labefactari ac diminui , in se tumultus et seditiones concitabunt.

1439. Ad extremum , praefata doctrina de monachatu veteris Testamenti omnino adversatur s. Thomas pluribus in locis; ait enim s. Thomas 3 p., q. 28 , a. 4: *Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse*, cum tamen Historia Prophetica affirmet plures veteris Testamenti votum absolutum perpetuae virginitatis emisisse, p. 737, 632, 729, 752, et alibi saepe. Cum tamen s. Thomas adhuc in B. Virgine non admiserit votum virginitatis, nisi conditionatum ante nuptias, in 4, dist. 49, q. 3, a. 3, ait s. Doctor : *Nec tali proposito , nempe virginitatis speciale praemium redderetur*. Loquitur autem de virginitate perpetua in veteri Lege , nullum videlicet speciale praemium, vel laureolam ipsi deferendam. Oppositum tradit Historia Prophetica locis proxime allegatis, easdem praerogativas, eademque praemia deferens virginitati veteris legis , quibus virginitas legis evangelicae gaudet. Addit D. Thomas in 2, dist. 20, in litera , si non peccasset Adamus, tunc non futuram perfectiorem Virginitatem coniugali continentia; cuius oppositum manifeste docet Historia Prophetica pag. 729. Legem Moysis non permisisse perpetuam virginitatem, tradit s. Thomas, 3 p., q. 28, a. 4; cui opponitur Historia Prophetica, p. 23, 24 et 25, et pag. 729 usque ad 737, ubi conatur ostendere eiusmodi statuta et leges nusquam inveniri, quibus virginitas prohiberetur; imo tunc ita invaluisse sicut modo in lege Evangelica. S. Thomas in 4, dist. 49, q. 3, a. 3, q. 1 , docet solum esse credibile Eliam et Ieremiam perpetuo virgines permansisse, nullo emisso voto: *Ut creditur*, inquit, *de Elia et Ieremia, quorum coniugia non leguntur*. Et quidem aliqui Doctores cum Cardinali Petro Damiano, lib. 1, epist. 6; s. Hieronymus in traditionib. Hebr. in Paral., censent Eliam uxorem duxisse, filiosque procreasse: et alii cum Paraphrasi chaldaica idem adstruunt de Ieremia, ac progenuisse Ezechielem prophetam. Historia vero Prophetica non credulitatem solam, sed certitudinem invehere vult , nempe Eliam virginitatem vovisse, pag. 22, n. 2, 3 et 4. Idem s. Doctor, 3 p., q. 28, a. 4, sermonem habens de regulari trium votorum observantia , speciatim autem de castitate haec habet: *Perfecte quidem incepit in Christo , sed aliquo modo fuit inchoata in B. Virgine*. Historia vero Prophetica, pag. 4, et 5, et 66, et 67, docet non solum inceptam in veteri Lege aliquo modo , ut loquitur D. Thomas de Beata Virgine, sed omni sua perfectione praecessisse in veteri Testamento. Idem s. Doctor de lege Moysis sermonem agens in 4, dist. 49, q. 3, a. 3, quaestiuncula 1, ad 3, ait: *Non erat omnino laudabile a commixtione carnis abstinere*. Oppositum docet Historia prophetica pag. 23 , 24 et 25. Docet etiam s. Thomas, 2 2, q. 152, a. 3, et q. 155 , a.... et 1 2, q. 64, a. 1, virginitatem esse specialem virtutem adhuc sine voto ; at defensorium primum fratrum Discalceatorum Carmeli, pag. 56, n. 38, tum et defensorium 3, p. 12, n. 68, ut propugnet Historiam Propheticam, probat virginitatem voto non confirmatam virtutem non esse.

Rursus Historia Prophetica negat Christum Dominum addidisse veteri Legi consilium , vel votum paupertatis, quia eam paupertatem professi fuerant Elias , Eliseus et alii veteris Testamenti religiosi: ita habet pag. 632, n. 2, pag. 625, n. 7, pag. 648, n. 14, pag. 628, n. 15. Quae doctrina directe opponitur sancto Thomae, 1 2, q. 107 , a. 2 , asserenti : *Adimplevit Dominus praecepta legis superaddendo quaedam perfectionis consilia ; ut Matt. 19: Vade , et vende omnia quae habes*. Idem 2 2, q. 188, a. 7, de paupertate evangelica verba faciens , docet eam in ordine ad statum religiosum ab Apostolis initium duxisse. *A discipulis*, inquit, *omnis religio sumpsit originem, et pretia praediorum conservabant , et distribuebant illa prout cuique opus erat*. Eadem repetit Quodlib. 4, quaest. 23 ad 2, et in II Cor. cap. 16 , lect. 1: cum tamen asserat Historia Prophetica pag. 648, num. 8, et pag. 249, novi Testamenti Religionum patriarchas et fundatores , non inventores et auctores dicendos, sed paupertatis et poenitentiae veteris Testamenti moderatores. Subdit sanctus Doctor , 1 2, q. 108, art. 4 , inter consilia legis evangelicae paupertatem annumerandam , quae in veteri non cognoscebatur. Contrarium affirmat Historia Prophetica, pag. 623, n. 2.

Ulterius s. Thomas in 4, dist. 19, q. 1, a. 1 , cum aliquorum opinionem retulisset adstruentium penes Synagogam fuisse potestatem clavium, licet imperfectam; subdit s. Doctor: *Haec videtur esse contra intentionem Apostoli in epist. ad Hebraeos. Unde patet quod potestas illius sacerdotis non se extendebat ad caelestia , sed ad figuras caelestium, et ideo secundum alios dicendum, quod non habebant claves, sed in eis figura clavium praecessit*. At Historia Prophetica pag. 755, n. 21, penes Synagogam vult fuisse potestatem stabiliendi et acceptandi vota, cogendi concilia, et definiendi: et pag. 391, n. 4, admittit in Eliseo potestatem clavium ad dispensandum, et de facto Ionadab , obtenta dispensatione , uxorem duxisse , vel obtinuisse dispensationem, ut iam coniugatus ad supremum Generalatus totius Ordinis Carmelitani fastigium assumeretur. Admittit ergo saepe in veteri lege claves scientiae et potestatis; cum tamen unanimi Doctorum et interpretum consensu , haec potestas in D. Petro initium sumpsit, iuxta illud Christi Domini: *Et tibi dabo claves regni caelorum*. Clavis quidem scientiae, non penes Synagogam, sed in Prophetis et in Tabernaculo aderat, et in rebus dubiis ad illos adire oportebat (a). Toto etiam a. 3, q. 188, 2 2, probat s. Thomas,

(a) Quod hic ab Auctore asseritur, Scripturae testimoniis adversatur, et praesertim Deut. 17, 8 et II Paral. 19. In dubiis enim praeceperat Deus adire, non prophetas, sed *Sacerdotes Levitici generis qui indicabunt judicii veritatem....Qui au-*

Religionem militarem tanquam propriam solius novi Testamenti ad divinum cultum propagandum, et ius uniuscuiusque illaesum servandum adinventam. At Historia Prophetica pag. 21, Nazaraeos veros religiosos militares constituit, adeoque uxoratos, tametsi inferiores Regioni Eliae. Illa praeterea verissima sunt verba D. Thomae, 1 2, q. 91, a. 5: *Lex perfecte omnes ad salutem inducens dari non potuit, nisi post Christi adventum; antea vero dari oportuit populo, ex quo Christus erat nasciturus legem praeparatoriam ad Christi susceptionem, in qua quaedam rudimenta salutaris iustitiae continentur.* Cui contradicit Historia Prophetica pag. 23 et 24, n. 4, cum probat professionem obedientiae, paupertatis, et castitatis a Moyse non incepisse, sed esse opus Christi, et summam Evangelii perfectionem verum initium duxisse nongentis annis ante Christum in Elia. Tum s. Doctor, 1 2, q. 108, a. 4, haec habet: *In lege nova, quae est lex libertatis, supra praecepta sunt addita consilia, non autem in lege veteri. Haec autem consilia reducuntur ad paupertatem, castitatem et obedientiam.* Contrarium tuetur Historia Prophetica pag. 20, n. 15, ubi ait Religionem ab Elia erectam ad culmen perfectionis maximae pervenisse. Ad extremum s. Thomas 2 2, q. 186, a. 6, haec habet: *Ad statum perfectionis requiritur obligatio ad ea, quae sunt ad perfectionem, quae quidem Deo fit per votum. Manifestum est autem ex praemissis, quod ad perfectionem christianae vitae pertinet paupertas, continentia et obedientia.* Historia Prophetica p. 20 et 21, n. 15, docet consilia evangelica absque voto servata constituere veros religiosos; quare vota solum esse partes integrales religiosae professionis.

CERTAMEN XI.

B Virgini, non Eliae, virginitatis primatus defertur.

1440. Verum enimvero, ut falsitas plurium propositionum Historiae Propheticae clarius appareat, placuit nobis hic catenam attexere Doctorum adstruentium ac deferentium primatum virginitatis Virgini Deiparae. Et primo hic producam auctores, qui constanter propugnant, B. Virginem fuisse omnium primam tempore, quae votum virginitatis emiserit. Et quidem a tempore Apostolorum videtur haec invecta traditio, iuxta quam, hanc assectatur sententiam Ambrosius, Deiparam enim meritissimo Virginitatis voto confirmatae auctorem suspiciens: *Maria*, inquit, *signum sacrae Virginitatis extulit, et intemeratis Virginibus pium Christi vexillum levavit.* Id Hieronymus confirmans ait: *Igitur Christus et Virgo Maria utriusque sexus virginitis dedicavere principia.* Quos refert, et sequitur Hieremias Drexelius, tom. 2 de castitate, p. 1, cap. 10, § 1; Rupertus lib. 3 in Cantica, in illa verba: *In uno crine colli tui;* Bernardus, hom. 4 super *Missus est;* Arnoldus tract. de laudibus Virginis; Hugo de s. Victore, to. 3 libelli de Mariae perpetua Virginit.; Philippus abbas, l. 2 in Cant. c. 9; Guilielmus apud Delrium ad caput 3 Cant.; Richardus de s. Laur. lib. 3 de laudibus Virginis, § *Duodecimum privilegium*, et lib. 6, tit. *Maria filia*; Bonaventura in opusc. Pharetrae, lib. 1, cap. 5; Albertus Mag. super *Missus est*, c. 182; s. Antoninus 4 p. summae, c. 20, § 10, et 1 p. Historial., tit. 4, c. 1, § 11; Vincentius Beluacens. in speculo morali, l. 1, dist. 96, p. 3; Petrus de Natalibus in mense Septembr. cap. 51; Dionysius Carthus. in Psal. 44; Incognitus ibidem; Ludolphus Carth. in vita Christi, p. 1, cap. 2; Lanspergius, ser. 2 in festo Annunciat.; Ioan. Picus Carthus. lib. 1 in Cant. cap. 11; Abulensis q. 12 ad cap. 30 Numer.; Bernardinus de Bustos, 4 p. Marialis, ser. 4 de virtutibus Virginis; Sancius de Porta olim Magister sacri Palatii, ser. 2 de Incarnat. p. 4; Ioannes Raulim, p. 1, ser. 3 de Annunc.; Ludovicus Clictovaeus, to. 2 hom. ser. de Praesentat.; Ioannes Ekius, to. 3, hom. 1 de Annunciat.; Ioannes Garcia Episcopus Barcin. ser. 5 de Transfigurat.; Ludovicus Granata, to. de Sanctis, conc. 2 de Annunc. et in Medit. de vita Christi, cap. 2; Alphonsus de Orozco, Declamatione in festo Annunc.; s. Thomas de Villanova, Archiepisc. Valentinus, conc. 8 de Annunc.; Ioannes Viguerius instit. Theolog. cap. 20; Dominicus Soto in 4, d. 30, q. 2, a. 1; Bartholomeus Medina, 3 p., q. 28, a. 4; Basilius Legion. l. 1 de matrim. c. 19; Didacus Stella in cap. 1 Luc. in illa verba: *Quoniam virum non cognosco.*; Gislerius, in illud Cant. 1: *Iam hyems transiit*, exposit. 4; Iansenius in Concord. c. 3; Rutilius Benzonius, l. 2 in *Magnificat*, c. 17; Ioannes Lopez, epit. Sanct. to. 3 de Annunc. in 4; Ferdinandus de Oiea, tom. de adventu Christi, l. 1, c. 14; Iangues ser. 1 de s. Iosepho; Angelus de Paz, l. 2 in Luc. cap. 31; Ioannes de Carthagena, to. 1 Homil., l. 3, hom. 5; Chrysostomus a Praesentat. l. 1, c. 11 et 13 de verbis Dominae. Montal. in Chronic. Cisterc. l. 1, c. 2; Fonsec. de vita Christi, to. 1, l. 1, c. 8; Rodericus Portello de Christo et Virgine, tr. 3; Melchior Cast., de encomiis Virginis, l. 2, c. 7; Suarius, to. 2 in 3 p. disp. 6, s. 3; Vasquius to. 2 in 3, d. 124, c. 5; Canisius l. 2 de Deipara, c. 14; Salmeron, to. 3, tr. 4; Henriquez l. 2 de matrim. c. 5, Barradas, to. 1 concord. l. 7, c. 8; Ludovicus a Ponte, to. 1 in Cant. l. 3, exhort. 25; Petrus Moral. in cap 1 Matt. 11 tr.; Vincent. Regius, to. 1

tem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio... morietur homo ille. Deut. loc. cit. Neque tantum hic agitur de dubiis circa praecepta legalia, sed etiam circa caeremonialia et moralia, ut clarius eruitur ex cit. loc. Paral. ubi legitur: *Ubicumque quaestio est de lege, de mandato, de caeremoniis, de iustificationibus* etc. Vide haec fusius pertractata apud Becanum *Analogia novi et vet. Test.* Cap. XI, quaest, 1 et 2. Prophetarum vero primarium officium, ut ostendit ipse Becanus op. cit. Cap. VIII, quaest. 2, erat docere, instruere, reformare populum in cultu veri Dei. Huic primario officio annexa erant tria alia. Primum est arguere, reprehendere et obiurgare eos, qui vel a vero Dei cultu, vel ab aliqua alia divina lege recederent. Alterum est praedicere futura. Tertium est secreta, seu occulta cognoscere. Et ratio per se patet; siquidem dirimere quaestiones requirit auctoritatem permanentem et certam qualis erat illa Sacerdotum, non vero officium, quod pro rerum circumstantiis a Deo ad tempus constituebatur, quale erat illud prophetarum. Demum apud eundem Becanum, op. cit. Cap. VI, quaest. 2, invenies demonstratum Synagogam nunquam errasse, vel a fide defecisse. *Nota Edit.*

in Evang. l. 1, c. 5; Christophorus de Castro, Hist. Deiparae, c. 3; Tannerus to. 4, d. 2, q. 1, dub. 5; Delrius in illud Cant. 2 *Vox turturis*; Cornelius a Lapide in c. 12 Apoc.; Ribadeneyra, in vita Virginis; Coster med. 4 de vita Virg.; Vincent. Brun. medit. de Incarnat. p. 2; Lucas Pinellus in Hist. desponsationis; Franciscus Arias de imitat. Virginis, c. 26; Spinellus in suo Throno, cap. 23; Benedictus Fernand. tom. 2 in Gen. cap. 29. Ex his autem Doctoribus inficiantur votum castitatis in Elia et Eliseo, Sotus, Carthagena, Vasquius, Henriquez, Puente, Ribadeneyra, et alii, locis citatis.

1441. Secundo loco subiicimus catenam Doctorum, qui aiunt, Virginem Deiparam omnium primam vovisse sponte virginitatem ob huius virtutis amorem absque ullo praecepto: iuxta aliquorum enim opinionem Elias ac filia Iephthe virginitatem servarunt ex Dei praecepto, vel voto coacto. Quoad votum Virginis Deiparae, assertio est expressa D. Thomae, 3 p., q. 28, a. 4, et in 4, dist. 30, q. 2, a. 1, q. 1, ubi ait: *B. Virgo fuit confinium veteris ac novae legis, sicut aurora diei ac noctis; ideo votum eius sapiit novam Legem in quantum virginitatem vovit, et veterem in quantum conditionem apposuit. Ad 2 dicendum, quod perfectio consiliorum quantum ad consummationem incipere debuit a Christo, sed quantum ad aliam inclinationem convenienter a Matre eius incepit.* S. Bonaventura in 4, d. 30, a. 1, q. 2, ait B. Virginem vovisse virginitatem, ut esset mulieribus virginitatis exemplum. *In lege siquidem veteri repugnabat hoc votum,* ait ille; *at B. Virgo quia non erat sub Lege, potuit virginitatem vovere; nam quomodo sub Lege erat, quae Legis genuit Auctorem? Et rursus si illi qui Spiritu Dei aguntur non sunt sub Lege, cum haec esset plena Spiritu sancto non pertinebat ad Legem, sed ad Evangelium.* Haec omnia Bonaventura cit. Paludanus, in 4, d. 33, q. 2: *Tempore,* ait, *gratiae semper licuit, et licebit Virginitas, Maria Primiceria Virginitatis fuit: inde adducentur Regi Virgines post eam.* Loquitur autem de Virginitate voto confirmata. Capreolus in 4, dist. 30, q. 1, eadem inculcat, ac D. Thomas. S. Antoninus, 3 p. tit. 2, c. 1, ut sua sumit Paludani verba. Dominicus Soto in 4, dist. 30, q. 1, a. 1, ait: *Quocirca sicut antea multi ob alios fines virginitatem servassent, tamen id sub voto verae Religionis a B. Virgine ortum habuit.* Michael Palacios in 4, dist. 30, disp. 4, et d. 1 adhaeret huic sententiae. Thomas Uvaldensis, Carmelit. to. 2 de sacr., c. 130: *Prima foeminarum tanta se virtute Virginitatis mancipare curavit, in re singulari prae caeteris foeminis beatitudine meruit excellere.* Quod firmat ex Ioanne Hierosolymitano de sacramentalibus, tr. 9: *Quae prima Virgo foemina propheta in Virginitatis perpetuo voto successit.* Bartholomeus Medinas, 3 p., q. 28, a. 4, nullum admittit in Lege veteri virginitatis votum, quia videbatur votum Virginitatis in Lege veteri esse prohibitum, et in republica illa minime consuetum. Dionysius Carth. ut sua habet verba s. Thomae supra relata. Consentit Bellarminus, l. 2 de Monachis, c. 22, et ex Beda probat Virginem Deiparam primo virginitatem vovisse: ita etiam Suarius, to. 2 in 3 p., d. 7, s. 3; Vasquius ibid. disp. 124, c. 5, ubi ait hanc fuisse communem omnium Scholasticorum sententiam ante Supplementum Gabrielis dist. 30, q. 3, quia opinati sunt interdictam fuisse Iudaeis virginitatem, vel minus bonam matrimonio. Gabriel igitur omnium primus inter Scholasticos docuit Virginitatem licuisse in veteri Lege. Albertus Magnus super *Missus est,* c. 118: *Beatissima,* inquit, *Virgo, regina Virginum, et hoc sibi convenit; ipsa enim sola a maledicto legis, quasi a servitute carceris, et captivitatis virginitatem liberavit, et eam liberam et gloriosam reddidit.* Ubi B. Virginem vocat virginitatis redemptricem, castitatis assertricem. Sancius Porta magister sacri Palatii, ser. 2 de Incarn.: *Non erat status virginitatis in Lege approbatus, sed improbatus et maledictus; quia maledicta erat omnis mulier infoecunda; quia igitur iste status incepit in Virgine gloriosa, quia virginitatis votum emisit prima, ideo conveniens fuit ut Angelus Gabriel virgo ad Virginem mitteretur.* Bartholomeus Posanus in Mariali, l. 2: *Maria fuit prima ab Adam ad ipsam, quae voverit virginitatem.* Barradas to. 1, l. 6, c. 8, Canisius, l. 2 de Deipara, c. 12, Baronius in apparatu c. 43, stant pro hac sententia. Incognitus Carmelitanus in Psal. 44, haec scribit: *Gloriosa Virgo Maria fuit inter mulieres prima, quae in Ecclesia Sponsa Christi votum virginitatis emisit, et suam virginitatem Deo consecravit.* Lorinus in Psal. 44 idipsum plurium Patrum calculo confirmat, sicut et Cornelius a Lapide in c. 12 Apoc. Christophorus de Castro pro hac sententia allegat s. Bartholomeum Apost. apud Abdiam in hist. c. 8. Subscribunt Origenes in c. 13 Matth., s. Ambrosius, l. de instit. Virginis, c. 5. S. Hieronymus, epist. 22 ad Eustochium, verba faciens de Testamento veteri: *Invenitur,* inquit, *in viris tantum hoc continentiae donum,* etc. *Virginitatis donum fluxit in foeminas, quia coepit a foemina: statim ubi Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in coelis, haberet Angelos et in terris.* Idem stabilit intentum Hugo de s. Victore, l. 2 de Mariae Virginitate; Guilielmus abbas in c. 3 Cant. n. 6; Blesensis ser. 28 de Assump.; s. Thomas a Villanova, ser. 2 de Annunc.

1442. Tertio loco ponimus catenam Doctorum eorum, qui affirmant in lege veteri ante Virginem virginitatis votum a nemine fuisse emissum: ita Abdias, c. 8 Histor. Apost., ubi refert de s. Bartholomeo dixisse: *Prima Virgo inter foeminas hoc constituit in corde suo, ut diceret: Domine, offero tibi virginitatem meam: cum haec a nullo homine, vel verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem invitata fuisset.* Quem citat s. Bonaventura, l. 1 Pharetrae, cap. 5, Christophorus Castro in Hist. Deip., c. 3, Canisius l. 2, c. 14; idem asserit s. Bernardus, hom. 3 in *Missus est,* ac D. Bartholomeus qui non bene Marianam virginitatem extolleret, si in veteri lege tot religiosorum coenobia praecessissent, in quibus iam virginitatis votum vigeret.

Ex Doctoribus modernis aiunt a B. Virgine virginitatis votum initium duxisse, ideoque in veteri lege a nemine fuisse nuncupatum, Sotus in 4, dist. 30, q. 1, a. 1; Medina, 3 p., q. 28, a. 4; Suarius, to. 2 in 3 p., disp. 7, s. 3; Vasquius ibidem, disp. 124, c. 5; Bellarminus, l. 2 de monachis, c. 22; Cornelius, Lorinus, Ribadeneyra citati.

Auctorum autem catenam, qui ante B. Virginem a nemine emissum votum virginitatis aiunt, ita perfecte sicut a Virgine Deipara hic apponam: at B. Virgo, ut plures docent Theologi, votum virginitatis emisit, non absolutum, sed conditionatum; quare si verum esset, quod adstruunt citati Doctores in Historia Prophetica, nempe ab Elia et aliis montis Carmeli monachis virginitatis votum absolutum emissum fuisse, necessario admittendum esset illorum votum multo perfectius exstitisse, quam votum virginitatis Virginis Deiparae. Quod autem B. Virgo solum voverit conditionate virginitatem, affirmant s. Thomas, Caietanus, Medina, Capreolus et alii allegati: iniquum autem esset in hac parte plus deferre Eliae, et aliis veteris Testamenti, quam ipsi B. Virgini. In illa autem lege nemini in mentem veniret virginitatis votum, tunc enim tanquam minus bonum reputabatur, quam matrimonium. Ait enim s. Gregorius Nazianzenus cit., pluris ab Hebraeis haberi nuptias, quam virginitatem. Quod autem praecederet in veteri Testam. coniugium virginitati, probat s. Augustinus, l. de bono coniugali, c. 19, 20 et 21, et concludit sermonem his verbis: *Non est impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias; et in Abraham, qui filios generavit; et illius enim coelibatus, et istius connubium pro temporum diversitate Christo militarunt.* Et c. 21 ait de Abraham: *esse castus sine coniugio potuit, sed hunc non oportuit.* Ubi late probat, tunc laudabilius ac melius fuisse matrimonium virginitate. S. Hieronymus, l. 1 adversus Iovinianum, fuso calamo idem intentum confirmat, ac virginitatem fuisse a Moyse aliquo modo maledictam, quia nuptiae ipsi praelatae fuerunt. Gratianus 32 q., 4 c. recurrat: *In Lege,* inquit, *dicebatur maledicta sterilitas, quae non relinqueret semen suum super terram; hinc etiam sacerdotibus coniugia decreta sunt.* S. Thomas in 4, dist. 30, q. 1: *Pro tempore illo matrimonium virginitati praeferebatur propter expectationem benedicti seminis.* S. Bonaventura in 4, dist. 33, a. 2, q. 2: *Secundum tempus Legis status continentiae coniugalis omnino praefertur statui virginitatis.* Idem docent Durandus in 4, dist. 33, a. 4; Paludanus supra cit. S. Gregorius Nazianzenus in exhortatione ad Virginem: *Tunc primas ferebant nuptiae velut adhuc pueriles.* S. Hieronymus l. contra Elvidium latissime. Guilielmus in 3 Cant.: *Maledictus qui non fuerit semen in Israel, illis solum exceptis, quos huic maledicto mandatum speciale Domini exceperat. Proinde parum est, quod dixi Virginitatem tunc temporis non fuisse rem consilii, erat enim res maledicta.* Idem attestatur Arnoldus Carnotensis, l. de laudibus Virginis; Petrus Blesensis, ser. 28 de Assump., s. Thomas a Villan. ser. 1 de Annunc. Alii aiunt apud Hebraeos fuisse probrosam virginitatem: ideo vocat eam Albertus M. in veteri Lege *Maledictum legis.* Sancius Porta, supra relatus, ait tunc fuisse improbatam et maledictam. Richardus de s. Laur.: *Hoc opprobrium, hunc contemptum Maria contempsit.* Canisius supra: *Virtus invisa primis, et horrida Iudaeis.* Bernardus, hom. 3 in *Missus est: Haec maledictio, quid aliud, quam hominum exprobratio? Nec aliud sane dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio et contemptui sit habenda, tanquam inutilis et infructuosa.* Paludanus supra, servare virginitatem non laudabatur, imo filia Iephthe flevit virginitatem, et maledictus erat non relinquens semen, nisi consilio Spiritus sancti ut Elias. Idem habet s. Antoninus, 3 p., tit. 2, c. 1. S. Thomas 3 p., q. 28, denegat votum virginitatis absolutum in B. Virgine, quia *accipere Sponsum*, ait ille, *exigebant leges illius temporis.* S. Hieronymus, l. contra Elvidium, omnes in veteri Lege ad nuptias accedere propter maledictum: quod firmat Serarius Divi Chrysostomi verbis.

1443. Exhibeamus modo catenam Doctorum denegantium veteri Legi monachatum. Ita Suarius, to. 3 de Relig., l. 3, c. 1; Hieronymus Plati l. 2, c. 29; Bellarminus praefatione ad l. 2 de monachis, et c. 5; Henriquez, l. 2 de matrim. c. 5; Basilius Legion. 1 p. variarum q. 3 Scholastica c. 2; Iacobus Latomus l. de institut. monasticis, c. 2; Alanus Copus Dialogo 6, c. 6; Clictovaeus, l. 3 de votis monasticis, c. 5; Dominicus Soto in 4, dist. 30, q. 2; Bartholomeus Medina, 3 p., q. 28, a. 4; Possevinus, l. 5 Bibliothecae, c. 49; Magallanes in explicatione textus 1 Iudicum; Azorius l. 11, c. 13, q. 8, to. 1; Menochius l. 1 institutionis Oeconomicae, c. 5; Richardus Italus l. de proprietate monachorum, c. 3; Fr. Mendoza in c. 1 Reg. v. 11; Abulensis, q. 4 sup. c. 30 Num., et in IV Reg. c. 18, q. 19, et in Matth. q. 205, et Paradox. 1, c. 20; Vasquius to. 2 in 1 2, disp. 165, c. 5. Idem docet Philippus abbas de continentia Clericorum, c. 78; Aug. Triump. de potestate Papae, q. 84, a, 1; Ioan. Busaeus l. de statibus hominum, titulo de statu monachorum, c. 7; Ribadeneyra de instituto Societatis notab. 10 prooemiali; Anton. Caracciolus in Synopsi veterum religionum; Antonius Perez ad regulam s. Benedicti c. 1, n. 5; Petrus a s. Andomaro l. 1 institut. monast. c. 7; Hieron. Romanus to. 1 reip. mundi, l. 6, c. 1. Et animadversione dignum est quod scribit Basilius Legionen. l. 7 de matrim., c. 2, rem hanc esse gravissimam, Doctores autem oppositum affirmantes, et quidem parvae auctoritatis, ac proinde illorum sententiam gravi nota inurendam, Christum videlicet natum non fuisse auctorem primum trium votorum essentialium religionis. Fr. Ludovicus de Miranda to. 1 regularium Praelatorum, q. 3, a. 2, vocat eam opinionem vulgi errorem, nec affirmari posse in veteri lege reperta fuisse, nisi vestigia quaedam ac symbola status monastici. Hic autem videtur communis omnium Doctorum sensus, auctore

Fr. Magistro Arauxo primario Theologiae Professore apud Salmanticenses in 1 2, q. 99, disp. 4, s. 3, n. 29, ubi haec habet gravissima verba: *Prima sententia affirmat monachatum incepisse ante Evangelium apud Patres veteris Testamenti, quam propositionem, ut novam et temerariam et scandalosam, tum novissimus Index expurgatorius, tum sanctissimum supremae Inquisitionis tribunal sapientissimorum Salmanticensium magistrorum, et meo calculo damnavit, et ab isto libro explosit.*

Maneat ergo tanquam firmum ac ratum apud omnes, B. Virginem fuisse omnium primam, quae nuncupato voto virginitatem servaverit, ac vitam religiosam quoad tria substantialia vota professa fuerit: semper enim id credidit, semper id docuit atque confirmavit antiquitas, quod apud Damascenum legimus Christum virorum, Mariam vero foeminarum caput esse, ait Canisius quoad votum virginitatis: et licet Ovandus in 4, dist. 29, proposit. 8, asserat probabile esse Virginem Mariam non fuisse omnium primam, quae virginitatis votum emiserit; nam Nicolaus de Lyra, Vatablus et Arias Montanus in cap. 11 Iudic. affirmant filiam Iephthe virginitatem vovisse; nihilo secius gravi est adnotanda censura haec opinio; nam Lyra ingenue fatetur adversari omnibus catholicis Doctoribus. Abulensis ergo in cap. 11 Iudicum, fuse probat opinionem Lyrae temerariam haberi aliquo modo, et Historiae Propheticae. Rupertus supra allatus ait nostram sententiam esse omnium B. Virginis familiarium, tum et illorum omnium, qui aiunt interdictum esse votum virginitatis tempore B. Virginis ante Incarnationem: quod ex professo probat Hugo Victorinus, l. 2 de Mariae Virginit. cap. 1; Guilielmus in cap. 3 Cant. v. 6; Arnoldus initio tract. de laudibus Virginis; Petrus Blesensis, serm. 28 in Assump.; Gratianus 32, q. 4, c. *Recurrat*, et 27, q. 1; s. Augustinus de bono viduitatis c. 8, et de s. Virgine c. 4; s. Hieronymus, lib. contra Elvidium; s. Epiphanius haeresi 78; Nyssenus de Christi nativit. Solus Gabriel in Supplemento dist. 30, q. 2, a. 2, Scholasticorum primus defendit inter Hebraeos virginitatem licuisse. Plures probant fuisse prohibitam in lege naturae per illa verba: *Crescite, et multiplicamini:* in quibus praeceptum agnoscit Pereira, cuius argumentis utitur Vasquius disp. 124 cit., cap. 2. Quae lex abrogata non fuit per Moysen.

1444. Quocirca sententia admittens verum et perfectum monachatum in Lege veteri iniuriam irrogat, et quidem maximam reliquis omnibus religionibus novi Testamenti, cum Carmelitana religio multo antiquiorem originem sibi arroget in suo instituto tribus votis substantialibus perfectissime constituto. Status item clericalis iniuriam patitur, et Apostolicus, cum monachatus Carmelitanus ipsi tempore longissimo praeferatur, scilicet nongentorum annorum in Elia, cum omni perfectione religiosi status. Iniuriosus praeterea est talis monachatus D. Thomae, eiusque scholae sustinenti in veteri Lege nullum praecessisse votum virginitatis, ut vidimus. Insuper adversatur haec opinio religioni universae Carmelitanae observantiae, qui cum Vualdense prudenter antiquitatem suae religionis in Elia, quasi per umbram absque votis essentialibus, ac veluti infantiam suae religionis subodorati sunt, ut patet ex huius religionis Doctoribus: nunc autem sacra Discalceatorum familia per Fr. Thomam a Iesu, per Fr. Hieronymum Vualstero, per Fr. Franciscum de s. Maria, per Fr. Thomam de Aquino, superaddit votorum essentialium perfectionem; reclamantibus tot Patribus ac Doctoribus scholasticis, ut constat ex productis catenis. Demum quis non videat, hoc perfecto monachatu invecto in Lege veteri, evangelicae Legis praestantiam diminui ac labefactari, cum ei non plus perfectionis deferatur, quam veteri Synagogae? Specialissima Apostolorum praerogativa extenuatur, dum Eliam cum Apostolis in perfectione componunt. Gloria item maxima Christo Domino detrahitur, nempe quod per seipsum praecipuus auctor omnis perfectionis religiosae extiterit, ut hanc gloriam sublimem uni deferant Eliae.

Facessat ergo, ait Cardin. Baronius in Annal. ad an. 444, *eiusmodi de monachismo Cyrilli fabella, sicut illa huic haud impar, qua traditur et Ioannes Hierosolymorum episcopus fuisse etiam monachus Carmelita; sicut enim haec leviter effinguntur, ita et facile refelluntur: flagrans enim cupido nobilitatis avitae coegit interdum homines delirare.* Haec Baronius, de quo videndus Petrus Redanus in com. in lib. Machab., lib. 1, cap. 2, vers. 42 a num. 140.

Quod autem magis urgere debet, ut haec opinio de monachatu perfecto in Elia omnino a scholis exulet, illud potissimum est quod a B. Virgine immerito virginitatis primatus abripiatur, et quod vexillum virginitatis voto confirmatae inter omnes extulerit; siquidem iuxta sententiam Historiae Propheticae, virginitatis imperium multo ante Elias invexerat nongentorum annorum spatio ante Virginem Deiparam. Communis est omnium Scholasticorum vox ante eam nullum virginitatis votum praecessisse. Nec enim solus D. Thomas, eiusque schola, 3 p., q. 28 cit., sed etiam universa s. Francisci familia, dempto Lyra, sibi tanquam propria assumit verba illa s. Bonaventurae in 4, d. 30, a. 1, q. 2: *Ad illud quod obiicitur primo, quod non debuit Virgo vovere, quia hoc spectat ad Evangelium; dicendum quod Virgo sanctissima non erat sub lege: cum esset plena Spiritu s., non pertinebat ad legem, sed ad Evangelium.* Quod Carthusianus in 4, dist. 30, q. 2, bene confirmat, dum ait: *Propter quod votum Mariae sapuit novam Legem et veterem in quantum adiecit conditionem.* Cui adstipulatur Hugo de s. Victore, tom. 2 lib. de Mariae virginitate perpetua, c. 1: *Sola singularis laudanda, quae prima Legis verba, non carnaliter sapienda considerans, elegit abiectionem plebis in terra fieri.* Adfavet Bernardus, ser. in Signum mag., rationem exhibens, cur Maria inauditum in veteri Lege virginitatis votum nuncupaverit, ait ergo: *Quod videlicet in*

libertate spiritus, legis Mosaycae decreta transcendens, illibatam Deo corporis et spiritus sanctimoniam vovit. Petrus Canisius, qui omnium veterum monumenta in B. Virginis laudem edita diligenti indagine evolvit, tanquam certum statuit solos haereticos virginitatis primatum B. Virgini detrahere, ne tenerentur asserere legem Moysis transgressam fuisse, et quoad hanc partem insipientis et hebetis ingenii sugillat. *Falluntur*, inquit, *crassi homines, quod Mariam ignorent Virginem sub Lege viventem, et supra Legem tamen philosophantem, quae et spiritu et carne, sancta, id est prorsus Evangelica iam tunc esse cepit; cum Evangelium a populo nondum auditum, nec ab Apostolis scriptum usquam exstaret.* Hunc loquendi modum Hugonis, videlicet *unice laudanda*; D. Bernardi, *propositi novitatem*; s. Thomae et Carthusiani, *inchoatam perfectionem*; P. Canisii, *sine exemplo*, et s. Bartholomei iuxta Abdiam, omniumque Patrum ac Doctorum, contendit sacra Discalceatorum Familia communem esse innumerabili veteris Testamenti multitudini. Ioannes Hierosolymit. toties ab ipsis laudatus, in suo illo tractatu, maiori honore suspexit Virginem Deiparam, cum saltem ei inter foeminas virginitatis primatum detulit. Verum s. Hieronymus et inter foeminas et inter homines eundem primatum attribuit, epist. ad Eustoch.: *Mihi*, ait, *virginitas in Maria dicatur, et Christo.* Haec autem prima virginitatis consecratio in Christo Domino et in Maria Virgine consistere nequit, si vera profert Historia Prophetica cum Fr. Thoma a Iesu, et Hieronymo Vualstero et aliis. Matura igitur discussione et examine indigent quoad hanc partem, quae in historia Prophetica proferuntur: sed enim pervetus est rabbinorum solertia, veteris Legis excellentiam ac dignitatem extollere ex prophetarum sanctitate sublimi, teste s. Gregentio, tom. 4 Bibliothecae Parisiensis, an. 1598. Ubi rabbi Herban suae Legis dignitatem ac primatum probat, et evehit ex Eliae dignitate ac perfectione: *Moses*, inquit, *et Elias, non per hanc imperfectam Legem nostram visi sunt perfecti Deo praeclare, et beneplacentes? Iuam igitur ob causam Legem imperfectam dixisti? Elias non ignem e coelo eduxit* etc.

Mehercle Elias magnus quidem exstitit, et maximus ante Christi tempora, longe tamen inferior Apostolis, ac primis illis Religionum evangelicae Legis fundatoribus et auctoribus, videlicet Antonio, Benedicto, Basilio, Dominico, Francisco, Ignatio; cuius rei argumentum efficax habemus, Luc. c. 9, cum Christi discipuli, Eliae spiritu perculsi in ultionem inurbani, ac incivilis hospitii ignem e coelo descendentem, ac Samaritanos devorantem petierunt; quibus Christus ait, eos redarguens: *Nescitis cuius spiritus estis.* Quasi diceret: mei Discipuli non spiritu Eliae ducuntur, sed spiritu lenitatis et mansuetudinis. D. Thomas, 2 2, q. 174, a. 4, tanquam certum ponit Mosem longe superiorem fuisse Elia, subditque: *Et licet quantum ad aliquid aliquis alius Prophetarum fuerit maior Mose, simpliciter tamen Moses fuit omnibus aliis maior.* Suarius tom. 2 in 3 p., disp. 34, s. 3, allegat s. Cyrillum Hierosolymitanum, qui iuxta Patres Carmelitanos fuit eiusdem Familiae, haec fantem: *Etiamsi Eliam Thesbiten dixeris in coelum esse assumptum, attamen non est hic maior Ioanne; Enoch translatus est, sed non est maior Ioanne.* S. Gregentius in Dialog. cum Herban hebraeo, licet non insimulet culpae zelum Eliae, addit tamen non esse Elianam virtutem supremae classis. *Cum nihil*, ait, *iratus proficeret Elias ad execrationem convertitur, et immanitatem induit, et contra creaturam pergit, ac primum quidem de coelo ignem decidere postulat.* Qui sentiendi modus est s. Dionysii Areop. ep. 8, quae est ad Demophilum Monachum; ubi coarguens huius monachi nimium zelum ac rigorem Eliae zelo simillimum, subdit: *Nostrum Pontificem Christum Iesum non duci Eliae spiritu: quare non recipimus tuos non zelabiles motus, sed nec si millies resumas Phinees et Eliam; hi enim audienti Iesu non placuerunt, tunc mitis et boni spiritus non participes discipuli: etenim divinissimus noster sanctitatis perfector in mansuetudine docet resistentes doctrinae Dei.* Rabbi Lein allegatus a Glossa Ord. in III Reg. 19, ingenue fatetur Eliam rigore ac zelo nimio ductum, absque culpa tamen. Titus Bostrensis in c. 9 Luc. docet eiusmodi ultrices rigores Eliae zelo similes, ortum non habere ab heroica et magnanima virtute. S. Augustinus, conc. 2 in Psal. 30, Eliam tanquam hominem suspiciosum sugillat. Animarum fructus ab Elia depromptus parvus, ut ipse fatetur: quare in populi rebellis et ingrati ultionem, supplicia e caelo, strages, fames, sterilitates deposcebat; per montes et speluncas a Reginae potentia profugus oberrabat. At Apostoli copiosissimas animarum messes in Ecclesiae horrea intulerunt; sese sponte tyrannis ac carnificibus discerpendos, excoriandos, ac mille suppliciorum generibus torquendos offerebant, nullo timore perculsi, nullo pavore perterriti, ut Elias; sed constantes, intrepidi, fortes ac alacres in mortem ibant. Elias mittetur in postremis mundi diebus Iudaeos in meliorem frugem conversurus; verum licet eos omnes in veram fidem redigat, longe tamen amplior animarum messis per Apostolos decerpta; siquidem a primo nascentis Ecclesiae exordio, usque ad Eliae adventum, omnes quotquot, depulsis errorum tenebris, verum fidei lumen receperunt, fructus quidem sunt Apostolorum labore parti.

1445. Alia est propositio examine digna in Historia Prophetica l. 3, c. 29, n. 11, ubi dicit disiungi non posse moraliter inter se virginitatem perpetuam ab ipsius voto perpetuo. In qua re, in illum magnum nostri temporis Doctorem P. Franciscum Suarium contumeliosus est; ait enim nunquam D. Hieronymum sese obtulisse ingenium adeo subtile, quod posset distinguere virginitatem perpetuam ab ipsius voto: ideo magno communis boni dispendio eiusmodi effata subtilia invehuntur, quae haereticis patentem aditum praebent ad enervanda testimonia divina: his probrosis verbis proscindit Suarium Hi-

storia illa Discalceata; pleraque alia calumniantur in illo, quibus finem ponit Historiae. Oppositum tamen, cui adeo subsultat Fr. Franciscus de s. Maria, est expressa s. Thomae sententia in 4, dist. 49, q. 5, a. 3, q. 1; ubi docet laureola Virginum decorandos esse, qui perpetuam virginitatem servaverunt, sive absque voto, sive cum voto; ergo ante Suarii subtile ingenium, subtilius s. Thomae distinctionem virginitatis perpetuae sine voto, vel cum voto adinvenit, cuius haec sunt verba: *Aliquis ex pari voluntate potest servare virginitatem non vovens, sicut alius vovens: illis tantum virginibus laureola proprie debetur, quae propositum habuerunt virginitatem perpetuo servandi, sive hoc propositum voto servaverunt, sive non.* Ex quibus aperte constat, tam Doctores, quos ibi impugnat s. Thomas, quam ipsum s. Doctorem adstruere distinctionem illam virginitatis sine voto cum solo proposito illam servandi in perpetuum, et virginitatis cum voto perpetuo. Idem docet Paludanus, in 4, dist. 33, q. 2; s. Antoninus, 3 p., tit. 2, c. 1, § 6. Idemque aperte colligitur ex subductis Doctorum catenis, quorum plures docent in veteri Testamento aliquos perpetuam virginitatem servasse, sine voto tamen, speciali Dei instinctu. Itaque Historiae Propheticae fautores calumniantur sententiam communem Patrum ac Scholasticorum, quae etiam reperitur in Cap. *Nubendi*, 27, q. 1, quod ex D. Augustino depromptum fuit. Ad haec, omnes Theologi unanimi consensu deferunt laureolam omnibus, qui perpetuam virginitatem servaverunt nuncupato voto; at plerique laureolam denegant his, qui perpetuo virgines permanserunt sine voto, quamvis s. Thomas contrarium defendat: quare manifeste contra communem Scholasticorum sententiam, distinctionem illam impugnant nimis illis subtilem visam. Sed ne auctor Historiae Propheticae eam nimiae subtilitatis coarguat, sanctissimum Idiotam producimus, nempe B. Ioannem Dei (ut vulgo dicitur), qui fraternitatem quandam instituit curandis infirmis incumbentem in xenodochiis, statuitque perpetuam castitatem sine voto tamen, multo enim post ipsius mortem in illa fraternitate castitatis votum invectum est; cur ergo incredibile videbitur auctori Hist. Propheticae, illam subtilem distinctionem, ut ipse ait, in mentem D. Hieronymi venire potuisse?

Imo ipse auctor Historiae propheticae sibi ipsi contrarius est, fatetur enim ipse Iosue perpetuo virginem extitisse, cum autem virginitatem perpetuam sine voto nullatenus admittat; ergo in Iosue virginitatis votum admittere necesse est: quod si Iosue virginitatis votum iam emisit; ergo male constituit etiam virginitatis voto confirmatae principem et auctorem Eliam, cum pluribus retro annis Iosue illam invexit; et licet nullum huius veritatis testimonium haberemus, solo rationis ductu huius opinionis falsitas revinceretur. Si enim quis propositum habeat servandi virginitatem perpetuam nullo emisso voto, si postea delinquat contra castitatem, nemo erit qui asserat hunc deliquisse contra religionem aut votum, sed solum contra temperantiam; nec ullus confessarius aut poenitens censet aliud maius peccatum perpetrasse quam in sextum mandatum: si autem physice, vel moraliter coniungerentur propositum perpetuum servandi virginitatem cum voto ipsius perpetuo, nihil aliud opus esset in confessione, nisi manifestare efficax propositum servandi virginitatem, seu castitatem perpetuam; per id enim propositum intelligeretur votum factum; quod tanquam temerarium explodendum est, quia contra communem omnium Scholasticorum et fidelium sensum. Deinde declaratur amplius huius doctrinae veritas; qui enim simplicem fornicationem, vel adulterium confitetur in Sacramento Poenitentiae, necessum est, ut propositum efficax eliciat nullo unquam tempore in similia peccata relabendi; quod si postea relabatur, utique non peccat contra virtutem religionis et voti, neque propter hoc efficax poenitentium propositum quisquam asserat omnes poenitentes votum castitatis absolutae, sive coniugatae emisisse. Roboratur denuo: si enim aliquis propositum efficax elicuisset virginem permanendi, quod nunquam infringeret usque ad senectam, postea contrahat matrimonium et consummet, hic profecto non peccaret: si autem tale propositum moralem connexionem haberet cum voto virginitatis, sacrilegium committeret iuxta omnes. Ratio autem theologica *a priori* est, quia propositum ac votum duo sunt actus reapse discreti, neque ullam necessariam inter se habentes connexionem.

1146. Ut autem clarius constet de huius doctrinae falsitate, quae in Historia Prophetica toties inculcatur de antiquitate voti virginitatis, pensanda est et ad examen vocanda ratio, qua nituntur praedicti Doctores: nam si aliquid probat, utique etiam probat, virginitatis votum antiquius duxisse principium, quam ab Elia; quare Eliam nulla ratione ipsius auctorem exstitisse. Arguit ergo sic Historia Prophetica: Eliae tempore aderat virginitas, tum et votum; ergo et votum virginitatis; quis enim unum ab alio discrevit? aut quaenam maior difficultas adest, seu concipi potest in servanda virginitate cum voto coniuncta, quam sine illo? Rite sciebat Elias, opera ex voto proficiscentia Deo multo esse gratiora. Aliae praeterea virtutes sublimiores sedem fixerant in Elia, quales sunt theologicae; nec alicui evangelicae legis iusto fuit aliqua virtus possibilis ex Christi gratia, quae ex eadem gratia competere non posset Eliae. Haec omnis argumentorum vis Historiae Propheticae ut probet virginitatis primatum in Elia, eandem autem exerunt vim in Iosue et Maria sorore Mosis, ambo enim virgines permanserunt iuxta Historiam propheticam. At suo tempore multis retro saeculis ante Eliam virginitas exstitit in aliquibus, tum et votum; ergo votum virginitatis iam exstabat tempore Iosue: quis enim potuit disiungere virginitatem a voto? Quae maior difficultas inesse potuit in servanda virginitate cum voto, ac sine illo? Probe sciebat Io-

sue, et Maria soror Mosis opera ex voto promanantia Deo esse multo gratiora; inerant in ambobus altiores virtutes et illustriores, nempe theologicae; nec illis aliqua virtus inaccessibilis erat ex gratia divina, ex illis quae inerant in Elia: cur ergo potius Eliae virginitatis votum attribuendum, quam Iosue et Mariae prophetissae? Alia ratio, qua nititur Fr. Franciscus de s. Maria, desumitur a Doctore Hieronymo, Eliam virginem compellante Messorem, Principem nostrum, congruentius adaptari potest Iosue, quem idem s. Doctor cit. loco vocat Virginem non *Messorem*, sed *sectorem nuptiarum; et nuptiarum glutinum dissecantem:* quod si Eliam principem Virginum vocat; Iosue ducem et Imperatorem constituit, qui primus Virginitatis labarum extulit? et quidem gratiae habendae auctori Historiae Propheticae, quod s. Hieronymum in Carmelitarum album non redegerit ob praedicta verba: cum levioribus fundamentis innixus, vix prophetam aliquem, vel virum iustum reperies in veteri Testamento, quem in hunc Carmelitarum syllabum non retulerit. Sic Ezechielem prophetam inter monachos Carmelitas annumerat, l. 2, cap. 39, 40 et 41, Oseam etiam lib. 2, c. 21, Danielem lib. 2, c. 42 et deinceps, Ionam lib.2,c.18,Ioelem lib. 2, c. 29, Amos lib. 2, c. 22, Nahum lib. 2, c.30, et ibidem Sophoniam, necnon Aggaeum lib. 2, c. 46, Malachiam lib. 2, c. 47.

Postremo in ultimis foliis Historiae Propheticae inter alia probra in P. Suarium iactata, non ultimum tenet locum, illud, nempe quod docuerit agens de votis perpetuis veteris Testamenti, in illa lege non fuisse in usu; ingentem vocat errorem primae sane magnitudinis,quem amanuensi vel impressori attribuit, lib. 3, c. 29, n.17. Verum est aperta calumnia, nusquam enim denegavit Suarius vota perpetua in veteri Lege, unam si demas virginitatem ac monachatum, ut constat ex tom.3, de Relig., lib. 3, c.1, n. 6; solum ergo ibi sermonem attexit de votis substantialibus status religiosi, de quibus merito ait, nullo fundamento affirmari posse illa vota fuisse in usu in Lege veteri, quibus personae fierent inhabiles ad Matrimonium contrahendum; haec enim vota propria sunt Ecclesiae Christi; nec dari potest aliquod exemplum, sive antiquitatis vestigium, quo ostendatur illa fuisse. Quod affatim confirmant Pontifices, dum aiunt hanc solemnitatem ab Ecclesia invectam fuisse. Itaque P. Suarius solum contendit unum monachatum in veteri Lege non fuisse institutum tribus votis substantialibus Religionis constantem; quae doctrina, ut vidimus, Patrum ac omnium Scholasticorum suffragio comprobatur.

His addenda quae ingerit probra Fr. Nicolaus a Iesu et Maria, Carmelita discalceatus, sui arctioris instituti prorsus immemor in sua Apologia, in Doctorem Franciscum Suarium, et in universam Societatem Iesu, proposit. 8, a quibus abstineo, ne lectorem candidum offendam. His non contentus, proposit. 36 illudit eidem Suario, et Societatem Iesu irridet versu *Hinc etiam.* Cum autem doctrinam Patris Suarii de verbo ad verbum transtulisset proposit. 71, in eum aculeatis verbis ne, an venenatis spiculis invehitur ausu temerario. Ulterius progreditur in proposit. 78 et in Suarium, Psalmum 49 detorquet, tanquam in hominem haeresiarcham Ioviniano, aut Luthero parem. Quamquam autem in Praefatione praemittat sibi prorsus ignotum esse Theologum, in quem tot satyrica scomata evomuerit: suimet tamen oblitus cum non semel perspicuis verbis, quasi digito intendat in Societatem Iesu, et in eius Doctorem Suarium. Verum equidem, ut puto, auctor discalceatus Apologiae, quam vocat *Propugnaculum Religionum*, ignorabat prorsus, in quem aculeata verba contorserit: si enim omnigenam ipsius sapientiam perspexisset, doctrinamque ab omni mala suspicione liberam in 24 iustis voluminibus traditam perpendisset, eiusdemque vitae integritatem, modestiam, candorem, religionem ac pietatem rite calluisset, numquam in eum tot convitia iactasset. Sed parco homini ignaro, dummodo gratanter audiat, et attenta mente perpendat, quisnam fuerit Doctor Franciscus Suarius; id ex sequenti Elogio depromet, quod ex variis sapientissimorum hominum, ac celebriorum Academiarum totius Europae, tum et ipsius Pontificis Pauli V encomiis, quibus Doctorem Franciscum Suarium in caelum usque evehunt, compactum, in lucem dedit P. Paulus de Baias optimae litteraturae vir, et ob doctissima commentaria in Cantica affatim notus.

Elogium Doctoris Francisci Suarii, societ. Iesu, ad cathedram, in qua vivens docuit, appendendum.

« Hospes quisquis intrasti haec limina, pauca « haec lege: Hancne Exedram vides? Tripodem « puta, unde olim oracula Doctor Franciscus « Suarius sacer Pythius, fundere solitus. Quem « Granata genuit mater, Salmantica nutrix aluit, « Societas Iesu sinu exceptum suo complexa, « pietate excoluit, sapientia imbuit, Orbi uni- « verso ut Magistrum daret. At quantum rogas? « Pinciam, Complutum, Conimbricam, hanc Sal- « manticam ipsam, inter claras Orbis urbes non « secundas interroga. Interroga Romam, arcem « illam Religionis, Sacri Imperii supremam se- « dem: quae accedentem grata excepit, Docenti « saepius plausit, invehenti in errores haere- « sesque grande illud ac laetum cecinit: *Venit*, « *vidit, vicit* novus Caesar. Quem Paulus V Do- « ctorem eximium praedicavit. Mirabitur sera « posteritas, et vix credet, in unius sinum fon- « tes sapientiae omnes confluxisse: perque ca- « nales bis duodenos, (totidem dico iusta Vo- « lumina) irrigandae toti Ecclesiae, derivata « fluenta.

« Sed fuit supra sapientiam pietas, modestia, « candor, religio, singularis ac fervens in B. « Virginem Deiparentem affectus.Favit Alumno « Christus in imagine cruci affixus, emissisque « late radiis circumplexus, adhuc in vivis ver- « santem, inauguravit ad gloriam. Cum ille in- « terim terras pertaesus caelum suspiceret; se- « quente fugientem, seu volantem animum,

« mole corporea ad duos cubitos sublimi, velut « aeternitatis candidata. Hic tantus ac talis vir « vivere aeternum dignus, vivere tamen desiit, « ne diutius a caelo abesset. Conimbrica pa- « rentavit magno Doctori suo, Praeeuntem haud « fictis lacrymis secuta Gymnasia quotquot in « orbe sunt Sapientiae domicilia, verisque en- « comiis bene de omnibus meritum ornavere. « Una vox compellantium *communem christiani « orbis magistrum*, sui saeculi Augustinum. Cor- « pus demortui terrae mandatum. Animus trium- « phans caelo exceptus, stipantibus pompam, « hinc fide, doctrina, sapientia: inde pietate, re- « ligione: pone sequentibus captivis agminibus « ignorantia, errore, haeresi, aeterno carceri « mancipandis, dum ille cum Deo aeternum re- « gnat ».

Quem igitur Doctorem communem orbis Magistrum cuncta Gymnasia, Academiae universae, Doctores omnes suspiciunt ac venerantur; imo quem ipse Paulus V, Pontifex Maximus, Doctorem eximium compellavit; solus Discalceatus quidem audet in eum invehi, linguam evibrare, illumque probrosis verbis proscindere.

Sed ad nostrum institutum noster se vertat interruptus sermo. Quare licet, ut monuimus, B. Virgo tria vota substantialia religiosi status emiserit, vitam tamen religiosam minime professa est; quia B. Virgo fuit in statu perfectissimo, adeoque rectae rationi consentaneum non erat, ut alterius obedientiae per professionem religiosam subderetur; ac proinde, neque ut in religione solemniter voveret, neque perfectioni meriti ipsius B. Virginis hoc aliquo modo derogavit, ait bene Vasquius, tom. 2, in 3 p., d. 124, c. 5, vel propterea minus perfecta censeri debent vota B. Virginis quam religiosorum nostri temporis, qui in communitate solemniter profitentur; quia professio vitae et status religiosi, ac votorum solemnitas magis propria est imperfectiorum hominum, qui ad perfectionem ascendere conantur. Illi vero, quorum interest alios informare ac perficere, ut puta Episcopi, non sic: unde Episcopi sine summi Pontificis facultate et rationabili causa nequeunt suum munus relinquere, ut vitam religiosam profiteantur: imo et religiosi, qui ad Episcopatum assumuntur, non manent sub obedientia Praelati nisi Papae. Cum ergo B. Virgo statum omnium perfectissimum sortita sit, nihil mirum quod vitam religiosam professa non fuerit. Si autem votum intra naturam voti spectetur, eiusdem speciei et perfectionis omnino est, sive sit simplex et emissum in particulari, sive solemne et in communitate fiat: cum autem B. Virgo intensiori affectu voverit, sine dubio vota in ipsa maioris longe meriti fuerunt. Si vero inspiciamus id quod perfectionis est in statu religionis, et sanctimonialem eam vocemus, quae se totam ab affectu humanarum rerum avocavit, ac divino cultui perpetuo per tria vota religionis substantialia immobiliter se addixit, ac consecravit; hac ratione certum reor Virginem Deiparam professam fuisse vitam eminentiori modo continentem quidquid perfectionis reperitur in monachatu, seclusis omnibus imperfectionibus. Quippe status religionis solum est via ad perfectionem; B. autem Virgo nunquam fuit in via perfectionis, semper altissimae perfectionis terminum tenuit. Alii votis alligantur, quibus suae vitae ratio stabilis ac firma perseveret in statu religionis: at B. Virgo ita erat in bono confirmata, ut semper quod perfectius erat, facillime et cum voluptate operaretur. Ablatis ergo imperfectionibus in Virgine Deipara, summa fuit perfectio paupertatis, castitatis et obedientiae ad Deum iure et facto; ad homines usu et facto ipso. Habuit etiam in gradu heroico et summo charitatem, ad quam illa omnia referebantur: in se ergo complexa est eminentissimo modo quidquid perfectionis in religiosorum coetibus, et in quolibet alio perfections statu inesse potest.

CERTAMEN XII.

Utrum B. Virgo voto parentum fuerit templo consecrata, et an Nazareatus votum nuncupaverit.

1447. Ratio dubitandi ea est, quia novum et inauditum videatur, puellam consecrari ut vitam in templo perpetuo degeret; nihil enim simile scriptum in Lege veteri reperitur de foemina aliqua, licet de Samuele doceat id sacra Regum historia. Ut veram sententiam aperiam circa primam partem tituli Certaminis, triplex consecrationis genus respectu hominum ex sacra Scriptura deductum animadvertere oportet. Primum habetur Exod. 13, ubi haec habes: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, mea sunt enim omnia.* Et ibidem ver. 12: *Quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino;* ex qua lege solum deducitur consecratio primogeniti maris, qui templo destinabatur per oblationem die quadragesimo a nativitate; quam legem adimplevit B. Virgo cum obtulit puerum Iesum in die Purificationis, Luc. 2. Et hac quidem ratione non fuit oblata B. Virgo, nec templo consecrata, sicut nec reliquae foeminae offerebantur. Secundus offerendi modus, seu consecrandi reperitur Levit. 12, ubi primogenitus debitor erat legi, sicut et quivis alius, ut hostia pro illo offerretur, quae oblatio pro parientis purificatione, quam pro filii redemptione fiebat. Tertium sanctificandi genus erat omnino spontaneum, et ex voto parentum, seu ex proprio. Quidam ergo seipsos offerebant Deo, non in perpetuum, sed sub redemptione, ut habes Levit. 27: *Homo, qui votum fecerit, et spoponderit Domino animam suam, sub aestimatione dabit pretium.* Quo genere offerendi se Deo tam inter mares, quam inter foeminas consuetudo inolevit, ut constat ex cit. loco. Alii vero vel per seipsos, vel ex voto parentum Deo consecrabantur, ac perpetuis divini cultus usibus addicebantur, ita ut nunquam pretio aliquo redimi possent, ut constat ex Levit. cap. 27, v. 28: *Id omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit; quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino.* Hoc vo-

tum nuncupari solebat ex pacto seu conditione; si mihi filium donaveris, si victor evadam, offeram, seu consecrabo tibi filium in perpetuum. Qua ratione dux Iephthe, Iudic. 11, vovit Deo: *Quicunque*, inquit, *primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Amon, Domini erit, offeramque illum in holocaustum.* Plures enim opinantur, filiam consecrasse templo in Dei cultum et obsequium, perpetuo virginitatem servaturam. Sic Elcanae uxor Anna obtulit templo filium, I Reg. 1. Eadem ratione Ioachimus et Anna Deo filiam consecrarunt, in cuius promissionis executionem in templum adducitur, Deoque addicitur B. Virgo triennis: sic Iephthe filiam suam iuxta probabilissimam opinionem Deo in Silo devovet, ut in perpetuum Deo inserviret templi ministerio addicta.

Opponet aliquis id refragari sacro textui Exodi 38, et I Reg. 2; ubi et mulieres et virgines a Templi et Tabernaculi ingressu interdicebantur, solum ad Tabernaculi ostium permittebantur consistere. Quod confirmat Iosephus, lib. 6 de bello Iudaico, cap. 6, qui ait mulieres arceri solitas non tantum ab oraculo, sed etiam a templo, imo et ab atrio interiori, in quo erat ara holocaustomatum; ait enim templum et aram fuisse cinctam ex pulcherrimo saxo, lorica gratissima usque ad cubitum exsurgente, quae populum a Sacerdotibus secernebat, quem limitem nec virginibus transgredi licebat. Veritati etiam dissentaneum videtur, quod Beatae Virgini pateret ingressus in Sancta sanctorum adhuc summo Sacerdoti inaccessibilis; solum enim semel in anno illuc pedem inferre ipsi licebat, luna 10 mensis Tirsis: tum quia foeminae interdicebantur ingressu in Levitarum atrium; multo ergo potiori iure interdiceretur ingressus in sanctum illum secessum. Imo licet id per sacerdotes liceret B. Virgini, et eam in templum admitterent, tanta erat in ea modestia, animi submissio cum eximia verecundia coniuncta, ut ingentem hunc honorem rumori obvium detrectaret.

Huic obiecto satisfiet, si animadverterimus, tabernaculum sive templum tripartitum fuisse: quod recte colligi potest ex c. 26 Exod. et III Reg. 6. Prima pars continebat adytum, seu oraculum, sive Sanctum Sanctorum, ubi asservabatur Arca, in quod solus summus Pontifex semel ingredi poterat solemniter, nempe die 10 septembris, qui dies dicatus erat festo Expiationis, ut oraret pro populo, uti constat ex Paulo ad Hebr. 9. Secunda pars ante adytum continebat tabernaculum, seu templum, in quo erat versus austrum candelabrum aureum, versus aquilonem mensa aderat panum propositionis; in medio autem altare thimiamatis eminebat, seu incensi, in quo Sacerdos adolebat thimiama unaquaque die bis, mane ac vespere, ut habemus Exod. 3. Tertia denique pars erat ante templum, scilicet atrium quoddam amplum sub dio divisum in duas partes: in atrio interiori sacrificia a Sacerdotibus ac Levitis peragebantur; in atrio exteriori, septo quodam ab interiori diviso, consistebat populus, ita tamen, ut muro quodam viri a mulieribus secernerentur, ut ait Ioseph, l. 6 de bello Iudaico. In eo item loco, qui mulieribus erat destinatus, aderat locus separatus solis virginibus ad portam septentrionalem ad laevam altaris holocaustorum, quod erat in atrio interiori. Verum igitur est nulli licuisse ingredi Sancta sanctorum, nisi summo Sacerdoti, cum solemniter res divinae peragerentur: transacto vero tempore illius solemnitatis, licebat omnibus ingredi qui sanctitate erant apud omnes conspicui; ut clare constat ex c. 16 Levit., ubi haec habentur verba: *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo coetu Israel, donec egrediatur.* Constat etiam ex Egesippo l. 5, Eusebio l. 2 Hist. Ecclesiast. c. 23, Epiphanio haeres. 78, soli Iacobo fratri Domini fuisse concessum ingredi Sancta sanctorum; poterat ergo etiam licere B. Virgini illuc ingredi, preces fundere, vel etiam vitam degere, quae vitae sanctitate, omniumque virtutum decoramento omnibus anteibat. Item prodigia in B. Virginis ortu patrata sat divulgata erant; esseque progenitam ab sterilibus et senioribus parentibus, lactatam ab Anna aetate iam senili ac provecta: miracula non parva, quae in ipsius praesentatione pluribus stupentibus contigere, omnibus expectationem maximam rerum sublimium circa talem puellam ingesserunt. Eius enim vivendi ratio vires omnes humanas supergrediebatur: ieiuniorum rigores, corporis afflictiones, vigiliae assiduae, iugis in Deum contemplatio, eleemosynarum erogatio, convictus cum ingenti sanctitate et humanitate coniunctus, frequentia cum Angelis colloquia, alimenta in eius sustentationem a caelitibus deportata, omnium virtutum harmonicus concentus, vultus gravitatem praeseferentis maiestas, verborum matura consideratio, ac multiplex reliquorum donorum excellentia, in admirationem ac stuporem rapuerunt, non solum reliquas socias Virgines, sed et Sacerdotes ac reliquos templi ministros; cuius gloriosum nomen per universam Palaestinam evulgatum fuit, indeque per reliquas provincias excurrit. Quare Andronicus princeps nobilissimus, teste Alexandro ad Parthenium Patriarcham Alexandrinum, Antiochia Hierosolymam proficiscitur, tam ingens gratiae caeterarumque virtutum prodigium invisurus. Hinc videri mirum nemini debet, si sacerdotes talem ac tantam Virginem saepius in Sancta sanctorum introducerent. Quod Ecclesia graeca confirmat ecclesiastico officio praecipue in pervigilio Praesentationis a Clemente VIII approbato, ubi fertur B. Virgo apud Sancta sanctorum per aliquot annos vitam egisse; cui adstipulatur sententiae s. Germanus Constantinop. in orat. de oblatione Mariae his verbis: *Ubi non saepe, sed semel in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc ea, ut ibi perpetuo maneret, a suis adducitur parentibus, et ut esset in sacris gratiae adytis. Quis rem unquam talem cognovit? Quis audivit ex his qui nunc*

sunt, aut unquam fuerunt, foeminam quae adduceretur in intima Sancta sanctorum, ad quae vix patet aditus hominibus, ut in his habitet, et ex professo adduci intra tertium velum, tanquam donum in quod nulla cadit reprehensio? Ex hac in secretiori parte templi mansione colligit s. Doctor eximia alia privilegia, quae de tanta Virgine decantantur vera esse. Hanc in adyto Templi stationem Virgineam amplius ponderat Georgius Nicomediensis Antistes, in orat. de oblat. Deiparae: *Oportebat*, ait, *non in Sanctis sanctorum tantum, sed in ipso caelo caeli in prima aetate educari eam, quae his latior conspecta est, et eosdem puritate antecelluit.* Auxiliatur his Nicephorus, l. 1 Histor. cap. 7: *Itaque illa, ut res divina, intacta et sacrosancta in templi sacratiori loco, et adytis ipsis vivebat.* Ex hac B. Virginis in templo mansione Petrus Damianus ipsius templi ruinam iam machinari autumat: quod divinavit forsan David, Ps. 77: *Et aedificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra.* Ubi componit templum cum unicorni: at res est nota, unicornium visa Virgine ad ipsius pedes provolvi, veluti victum ab ipsa vinculis adstringi posse: sic templum vetus visa Virgine B. ipsi primas ferens alligandi ipsum tribuit facultatem, ex tunc enim caeremonias ac veteres ritus iam antiquari coeperunt.

1118. Asserendum itaque 1°, B. Virginem a parentibus voto consecratam Deo in perpetuum: ita Damascenus, lib. 4 de fide, c. 15; et Gregorius Nyssenus orat. in nativ. Domini: *Anna*, inquit, *Samuelis matrem imitata supplex Deum orat, si mater evaserit, se quodcunque peperit dedicaturam.* Idem docet Metaphrastes, orat. de dormit. Virg., et Nicephorus, l. 1 Hist. c. 7, s. Germanus encomio de Virginis Praesent., Hieronymus Hist. de ortu Deiparae: *Voverunt*, ait, *si forte Deus donaret eos sobolem, eam se Domini servitio mancipaturos.* S. Vincentius Ferrerius, ser. 1 de nativ. Virg.: *Postquam habuit tres annos completos, votum, quod fecerant*, (nempe parentes) *exsolverunt.* Ratione etiam suaderi potest, quia parentes B. Virginis non minori pietate ac religione floruerunt, quam parentes Samuelis; sed hi voto filium Deo in perpetuum consecrarunt; ergo etiam illi: quo voto tenebatur B. Virgo, dum non erat sui iuris, ut parentum promissionem impleret. Probatur ex iure, 20, q. 2, et q. 1, c. 2, 3 et 4, et c. *quamprimum*, et c. *illud*, et c. 2, *de regularibus*; quia parentes ius in illam sortiti sunt in omnem usum, qui omnino a turpitudine et iniustitia abhorreret; unde ex obedientia parentibus a natura debita, constringebatur voto. Imo aliquis opinari posset, adhuc alligari parentum voto Mariam in adulta aetate, quia fuit impetrata voto et precibus, nec alias impetraretur: ergo manifeste constabat, Deum voluisse executionem voti. Nec oberat huic voto, quod B. Virgo esset foemina nupta, et quod commoraretur extra Hierosolymam, ut patet ex lib. Numer. c. 6.

Asserendum 2°, B. Virginem voto nazaraeatus se in perpetuum devinxisse: per quod liquet secunda pars Certaminis. Et probatur primo, quia Virgo B. semper altiora consilia ac perfectiora meditata fuit; sed hoc votum erat omnium antiquae legis perfectissimum, ut aiunt Cyrillus, l. 16 de adoratione, Origenes hom. 24 in Num., Philo Iudaeus, lib. de sacrif.; ergo Virgo B. illud emisit. Secundo, quidquid perfectionis ac sanctitatis, quidquid virtutis ac religionis, in quolibet viro aut foemina veteris legis reperiebatur, id omne potiori iure uni Deiparae attribuendum est; sed plures viri ac foeminae hoc voto in veteri lege alligabantur; ergo et Deipara. Maior traditur a D. Bernardo, ser. 61 alibi a me dato: *Omnes*, ait, *praeclaritates, ingenuitates, praefecturas, dignitates et nobilitates, quae possunt esse in aliquo individuo humano, secundum originem sanguinis, describunt Evangelistae in hac puella.* Quod confirmat Albertus Magnus, de laudib. B. Virg., c. 69, et deinceps, ubi tradit hanc regulam, quam vocat *primum principium per se notum*; videlicet non esse dubitandum, *quin Mariae tribui rationi conforme sit quidquid boni pura creatura quaevis vel fecerit, vel receperit, cum Virgo a nullo illustrium, ut Damascenus asserit, superetur.* Huc spectat Synodus VII, act. 3, dum ait: *Virgo omnis intelligibilis, ac sensibilis naturae gloria et claritate creata sublimior.* Quasi diceret, nulla est in creatura aliqua corporea dignitas et excellentia, cui Marianum corpus non antecellat: nec est aliqua creatura intelligibilis, quae dignitate et perfectione non superetur a Maria. Ideo s. Antonius de Padua, Dom. 3 Quadrag., ait: *Venter Mariae acervus dicitur, quod in eo acervatae fuerunt omnes praerogativae.* Tertio suadetur assertum: B. Virgo votum perfectionis emisit, scilicet virginitatis: ergo potiori iure votum nazaraeatus minus perfectum emitteret, ne minus perfectionis avida, quam nazareae foeminae, videretur. Optime praeterea callebat votum parentum, quo sobolem futuram Deo in nazaraeatum dedicaverant; ergo ut obsequentior filia nequaquam parentum nutui adeo rationi consono refragaretur, sed libens obtemperaret: nec adduci possum ut credam ipsius parentes diligentiores exstitisse, ut filiam Deo dicarent, ac voto consecrarent, quam ipsa B. Virgo, ut seipsam totam omnibus modis Deo traderet ac manciparet.

1119. Leges autem nazaraeatus ad unguem observavit; earum prima fuit, ut intonsi permanerent, nec novacula super capita eorum transiret, Numer. 6, ut animi subiectionem in Deum innuerent, ut auctor est Tertullianus, lib. de corona militis, c. 14: *Quod autem obnoxium est velamento caput foeminae, iam hoc ipso occupatum non vacat etiam obligamento. Habet humilitatis suae sarcinam.* Coma ergo intonsa Nazaraeorum obedientiam in Deum testabatur, vel liberam sponsarum subiectionem, quibus capillos Deus ad subiectionis materiam tribuit, et ut obedientiae pretium, ut asseritur in VI Synodo. Quam legem perfectissime servavit Deipara, sicut et Christus Dominus; hinc sparsis crinibus per collum ac terga depingitur B. Vir-

go a s. Birgitta dum Filium in mundum edidit, qui habitus nazaraeorum proprius erat, non ita ut illos intorquerent, et calamistrarent, ut tanquam laqueis prospectantium oculos irretirent. Et quia omnino vetitum erat Nazaraeis uti potu ex vino, arbitror B. Virginem, nec vino, nec aceto usam, id enim erat interdictum Nazaraeis, Num. 6, Iudic. 13, Amos 2; nec unquam uvis recentibus, vel siccis vescebatur, vel ex illis edulium aliquot confectum unquam degustavit, quod eo faciliori negotio praestabat, quo ab omnibus deliciis se abdicare propter Deum in votis erat. Imo plures respublicae foeminis vinum interdixere, usque adeo ut referat Tertullianus in Apolog. cap. 6: *Sub Romulo quae vinum attigerat, impune a Maecenio marito trucidata sit.* Nec mirabitur hanc a vino, et uvis abstinentiam in Deipara, qui ieiunia, corporisque macerationes ex Gregorio Turonensi hauriat in manuscriptis relatis a patriarcha Hierosolym. Francisco Ximenio, lib. 2 de vita Christi, c. 47, per haec verba: *S. Gregorius Turonensis in libello de salutatione Angelica scripsit, se divino oraculo monitum agnovisse, Deiparam ex quo templum ingressa est sine cilicio beatam illam carnem pungente vixisse nunquam; illius vestes e vilissima lana nullo infecta colore: somnus ipsius semper humo nuda, vel duris tabulis adhaerebat, nullo instructus lecto. Nullo unquam tempore non ieiunavit. Famem caelitus allato pane fugebat. Quae vero a ministris templi in alimentum accipiebat, ea quotidie pauperibus erogabat.*

Altera nazaraeatus lex interdicebat mortuorum contactum, quem rite servavit Deipara, ita ut nec tactu, nec adspectu, nec approximatione vel leviter praeceptum hoc frangeret; nec in morte carissimorum parentum, vel quia in templo tunc clausa morabatur, vel quia ipsis morbo affectis ministravit antequam animam efflarent, quod non prohibebat lex, Num. c. 6: *Omni tempore consecrationis suae super mortuum non ingredietur.* Ubi interdicebatur Nazaraeis ne mortuis assisterent; non moribundis. Aliter etiam responderi posset cum aliquibus interpretibus, qui docent, tametsi a Deo prohibitum fuerit mortuorum ossa contrectare, quod illis vivi polluerentur: id tamen in Patriarcharum reliquiis locum non habebat. Unde Genebrardus, l. 1 Chronic. fol. 65: *Non fuit*, ait, *contra legem Mosis, qua mortuorum ossa contaminare declarabantur; nam illa de Sanctorum ossibus, cineribus et reliquiis non intelligebantur, quae perpetuo apud Iudaeos in praecipua veneratione fuere.* Idem dici potest de morte carissimi sponsi. Vel, ut alii respondent, Nazaraei non prohibebantur defunctam uxorem vel sponsum tangere vel adspicere, utpote quia una eademque caro reputabantur. Vide c. 6 Numer. et ibi Interpretes, ubi plures nobiscum sentiunt, nihil ibi caveri circa sponsos, sed licere sibi invicem mortuis assistere. At dices: Deipara Filium iam mortuum, et a cruce depositum brachiis complexa est maternis. Respondeo, nulla nazaraeatus lege prohiberi parentes ne filiorum funeribus ac exequiis pro sepulturae officio adessent: licet Abulensis et Lorinus in c. 6 Numer. aliter opinentur. Instas: si Maria Filium comitabatur, cum defunctus ille filius unicus matris suae in civitate Naim efferebatur, iam nazaraeatus legem violavit. Id tamen inficior, quia tunc ipsa sciens et prudens ad mortuum non ibat, sed casu solum occurrebat mortuus; solum enim irregularitas interminabatur, quando subito aliquis coram Nazaraeo mortuus corruebat, non vero si defunctum fortuito cadaver occurreret. Videndus Serarius in lib. Iudicum, et in Trihaeresio.

PALAESTRA VICESIMA

Quaenam Sacramenta Beata Virgo receperit.

1450 Officinam, in qua Sacramentum illud admirandum Incarnationis operatum fuit, vocat Hieronymus Mariam. Alii Sacramentorum omnium officinam. Et quidem negari non potest maximam quandam affinitatem intercedere inter Mariam et Sacramenta omnia; quia quemadmodum omnia Sacramenta gratiam conferunt, sic Maria iuxta s. Germanum, qui ait: *Nulli confertur gratia nisi per te, o Virgo sanctissima.* Sed adhuc omnibus Sacramentis antistat Maria in eo, quod omnia Sacramenta gratiam impertiunt in ordine ad speciales effectus, ut puta sacramentum Baptismi gratiam confert ut animam ab originali lue emundet: Confirmatio dat gratiam animae in fide corroboratricem: Eucharistia reficiuntur, et crescunt, et adolescunt fideles, et a peccatis praeservantur: Extrema Unctio gratiam sanitatis importat, venialium peccatorum expultricem: Matrimonium pacem inter uxoratos infert: Ordo denique gratiam confert, ut in sacramentorum administratione debita cum reverentia nos geramus. At vero Virgo Deipara has omnes gratias nobis impertit, et singulariter maxime Eucharistiae assimilatur; sicut enim Christus Dominus propria sibi gratia Unionis gaudet, quae nulli alteri communicatur; aliam etiam habet gratiam habitualem, quam aliis impertitur: sic etiam Maria propria sibi gratia maternitatis, et immunitatis ab originali labe gaudet, quae nulli alteri exhibita est; at gratia sanctificans sua interveniente suffragatione nobis confertur.

CERTAMEN PRIMUM

Utrum B. Virgo Sacramentum legis naturae susceperit.

Primo tanquam certum statuimus ante institutam circumcisionem, in fide parentum infantes iustificatos fuisse, abolito peccato originali; ita concors Patrum et Scholasticorum sententia cum Magistro in 4, dist. 1, cap. *Quaeritur autem.* Quod perspicue docuit Augustinus, lib. 5 contra Iulianum Pelag., cap. 21; ait enim: *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam Circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatoris fides in carne ventura, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Cui sententiae adhaeret Gregorius Magnus, lib. 4 Mor, c. 3, alias 2: *Quod vero,* inquit, *apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant mysterium Circumcisionis.* Hos assectantur Beda, Bernardus et alii Patres apud Vasquium in 3 p., disp. 165, cap. 1. Praeterea instituta Circumcisione idem remedium permansit pro foeminis, quae circumcidi non poterant, et pro masculis, qui ante octavum diem ultimum claudebant diem: quod bene docuit Hugo de s. Victore, lib. 1 de Sacramentis, p. 12: *Porro,* inquit, *foeminae in populo Circumcisionis sola fide salvabantur, et oblationibus, aliisque caeremoniis purificatae, ipsam quoque Circumcisionem fide suscipientes, et in eis, qui carnem illam susceperunt, venerant participantes: masculi, qui morte praeventi ad octavam diem pervenire non potuerunt, et ob hoc sine Circumcisionis sacramento ab hac vita recesserunt, sola fide parentum cum oblationibus, et sacrificiis intervenientibus non improbabiliter salvati existimantur.* Idemque dici potest de aliis gentibus, quibus non fuit instituta Circumcisio. Quod expressisse videtur Innocentius III in c. *Maiores, de Baptismo, et eius effectu,* ubi sermonem instituit de remedio proviso parvulis; ait ergo: *Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Nefas igitur existimat Pontifex id credere de infinita eius clementia, quod nullum omnino tanto tempore remedium pro parvulis providerit.

1451. Per quae explodenda penitus aliquorum non vulgariter Doctorum sententia, quorum suppresso nomine meminit Vasquez cit., qui asserebant parvulos omnes ante institutam Circumcisionem, omni remedio contra peccatum originale caruisse, omnesque fuisse damnatos, qui cum censerent Circumcisionem non habuisse virtutem ad remittendum peccatum originale, idem de parvulis ante adventum Christi, et ante Baptismi institutionem opinabantur. Nec obstare potest duplex ratio, quae pro hac sententia afferri solet. Prima quia sola parentum fides si sufficeret ad remedium originalis noxae, profecto melioris conditionis forent parvuli in lege naturae quam tempore Circumcisionis et Baptismi, sola enim fides parentum filiis applicata longe facilius remedium est pro parvulis, quam Circumcisio ac Baptismus. Verum responderi potest absolute fidem parentum illo tempore, quo adeo infedelitas in mundo grassabatur, difficilius longe remedium exstitisse quam Circumcisio, quia in Hebraeorum populo fides veri Dei percrebuit. Unde Circumcisio et Baptismus, licet ex se sint difficilius remedium, tamen facilius est redditum propter notitiam late diffusam ac propagatam verae Religionis. Secunda ratio erat, quia si aliquod remedium in lege naturae pro parvulis, tum et tempore Circumcisionis pro puellis ex sola Dei voluntate adhibitum esset, ut sine actu aliquo proprio iusti fierent, deleto peccato orginali; utique hoc nobis constaret, vel ex sacris Voluminibus, vel ex aliqua definitione Ecclesiae, vel Apostolorum traditione; quod tamen non constat. Verum licet ex his capitibus non constet, sufficiens tamen, ac firmum fundamentum adest ad id asserendum, quo nixi, ut

vidimus, Patres ac Scholastici omnes in praedictam sententiam iverunt, ne aliquo modo divinae misericordiae ac clementiae aliquid detrahi videretur.

Utrum autem parvuli sola parentum fide iustificarentur, an aliquod signum externum necessarium fuerit, controvertunt Doctores. Nonnulli enim censent, fidem solum illam non prodesse potuisse, nisi aliquo signo exteriori explicaretur, ac parvulis applicaretur. Ita sentiunt Scotus, Durandus, Gabriel, Alexander, Paludanus, Maior apud Vasquium cit., idem docet Canus in relect. de Sacram. in genere, part. 3, § *ad primum*. Discrepant autem in tradendo signo exteriori, quo fides illa parvulis applicaretur. Alii contendunt solam interiorem fidem sine ullo signo externo parvulis profuisse. Pro hac parte acriter decertat Vasquius, tom. 2 in 3 p., d. 165, c. 3, Abulensis in cap. 25 Matth. q. 677. Qui tamen displicet in eo, quod docet fidelium parvulos ante Circumcisionem non potuisse non liberari a culpa originali statim ac nascebantur ex eo praecise quod essent filii fidelium: quod nequit alio modo intelligi, nisi quia absque ulla actuali fidei applicatione iusti fierent. Sed enim Patres ac Scholastici, qui docent fidem parentum pro iustificandis parvulis profuisse, utique intelligunt de fide actu applicata; nunquam enim illi existimarunt satis fuisse ad parvulorum salutem, quod solum ex fidelibus parentibus orirentur.

1452. His praelibatis, asserendum est B. Virginem octavo die ab ortu sacramentum Legis naturae suscepisse, pro foeminarum delendo originali, institutum. Ita Vasquius cit., disp. 119, c. 7; Paludanus in 3, dist. 3, q. 2; Mendoza in Viridario lib. 2, problem. 7, n. 43; Castro in vita Deiparae, lib. 2, cap. 10; Suarius in 3 p., to. 2, d. 18, sect. 3. Tametsi enim Sacramentum illud, quod foeminis sive omnibus parvulis ante Circumcisionem applicabatur, in remedium originalis peccati institutum erat; in illo tamen gratia conferebatur, non proprie ex opere operato, sed ad modum eius, id est praeter omne meritum suscipientis; ergo tanquam certum tenendum est B. Virgini vel paullo post nativitatis diem, vel die octavo a nativitate applicatum fuisse hoc Sacramentum, sicut et reliquis puellis. Decuit etiam, ut B. Virgo legi naturae et veteri subderetur, sicut etiam legi Purificationis se subiecit. Quod etiam confirmari potest eisdem rationibus, quibus probant Doctores rationi consentaneum fuisse, ut Christus Iesus circumcideretur. Nec obstat B. Virginem sanctam fuisse a puncto conceptionis, haec enim insolita sanctificatio obstare non poterat, quominus remedia instituta ad peccata abolenda et gratiam adaugendam adhiberi debeant, ut patet in Ioanne Baptista, qui octavo die circumcisus fuit, licet in utero matris peccatum eius originale omnino abolitum fuerit, et primam gratiam receperit: praesertim cum id supernaturale mysterium conceptus Mariani in gratia omnino ignotum tunc fuerit saltem cognatis et vicinis; omnino autem insolens et inauditum videretur, ac communi illius populi consuetudini advc. saretur, si parentes B. Virginis legi illi ac maiorum traditioni non conformarentur. Suscepit ergo B. Virgo Sacramentum legis naturae, quod in remedium peccati originalis reliquarum foeminarum tum in lege naturae, tum in lege veteri institutum fuit, per quod aliquod augmentum gratiae ad modum operis operati recepit, et ex perfectiori B. Virginis dispositione maius etiam gratiae incrementum accedebat. Videndus Suarius cit., et de Sacramentis in genere. Arbitrabitur aliquis non teneri B. Virginem hac lege de huius Sacramenti susceptione, quia institutum fuit hoc Sacramentum primo et per se ad detergendam peccati originalis maculam, quae nulla fuit in Deipara. Contra tamen est, quia etiam Baptismus institutus est ad peccati originalis abolitionem; et tamen Virgo Deipara obnoxia fuit legi baptismatis, ut dicam Certamine sequenti. Non igitur hoc Sacramentum recepit, ut ab aliqua originali labe ablueretur, quae sole ipso et astris purior ac nitidior fuit in primo sui conceptus instanti, sed ut veteris legis observantiam ostenderet, et ut nova ei gratia accresceret.

CERTAMEN II.

B. Virgo sacris Baptismatis undis tingitur.

1453. Nullam sustinet Christus, vel levem suspicionem, quae aliquo modo Matris suae innocentiam originalem labefactare possit, ita ut maiori cautione studeat omnem vel levissimam suspicionem culpae originalis a Virgine Matre arcere, quam a seipso Christus Dominus quoad externa signa. Quod ut probem, memoria refricanda est portenti illius Iosue 3, cum ad Arcam foederis Iordanem ingredientem, iterque parantem Israelitis protinus undae refugiunt, et instar montium in altum erectae Arcae maiestatem suspexerunt: *Steteruntque aquae descendentes in loco uno, et instar montis intumescentes*. Idem autem Iordanis ad conspectum Christi placide subterfluit, nec terretur, ut recte expendit Chrysologus, serm. 160: *Quid est, quod Iordanis, qui fugit ad praesentiam legalis arcae, ad totius Trinitatis praesentiam non refugit?* Itaque aquam subministrat, ut Christum abluat obsequens, et a Ioanne baptizetur, et ad conspectum Arcae refugit quasi tremebundus. Quod per Arcam innuatur Maria, et per Iordanem Baptismus, adeo certum est, ut nulla hic opus sit probatione. Voluit ergo Deus omnem a Maria suspicionem a primaeva culpa removere: fluenta ergo Iordanis Christum abluant, non quod vel umbram culpae alicuius contrahere potuerit: verum Arcam, quae Mariam adumbrabat, non abluant, quasi Deus magis incumbat Mariano honori quam suo: utpote qui, teste Ambrosio lib. de inst. Virg., cap. 6: *Maluit de sua generatione, quam de Matris pudore dubitari*. Tremefiant ad conspectum huius Arcae figuratae Iordanis vortices, et ad eam accedere vereantur; quae enim nulla fuit originali macula deturpata, nullo indigebat lavacro: Christus autem omnis puritatis fons Iordanis aquis abluitur, ut illis abstergendi hominum maculas virtutem im-

primat, ac de eius magisterio edoctae mundi-tiem aliis ingerant; cum tamen Iordanis ad arcam Mariam accedere permissus non est, ne suspicionem aliquando, nec per umbram alicuius contractae maculae subire posset.

Hinc contendunt aliqui Virginem Deiparam non fuisse constrictam lege Baptismi, quia caruit peccato originali, sicut non fuit adstricta lege sacramenti Poenitentiae, quia caruit omni peccato. Id tamen nihil obstat, quominus asseramus, illam Baptismi sacramentum suscepisse. Licet enim assumptum permitteremus, quod falsum esse postmodum ostendemus; tamen decebat B. Virginem hoc opus supererogationis perficere in nostrum omnium exemplum: sicut licet Purificationis lege non tenebatur, illam tamen omnino adimplevit; in quam rem multum confert, quod scribit s. Cyprianus, serm. de Christi Baptismo, ubi expendens verba illa e caelo delapsa: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quaerit sanctus Afer, cur Christus Dominus in crucem actus semel, toties tamen incruente et mystice in Eucharistia mori voluerit, et passionis suae vices repetere: *Cum non minus*, inquit, *hodie in conspectu Patris, oblatio illa, scilicet crucis, sit efficax, quam ea die, qua de saucio latere sanguis et aqua exivit: et semper reservata in corpore plagae salutis humanae exigant pretium et obedientiae donativum requirant.* Cuius rei ratio illa exhiberi potest, nempe quia mortem illam cruentam sustinuit ex praecepto Patris, ut attestatur Paulus Philip. 2, 8: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quam vero mortem incruentam sustinet in Eucharistia, non ex Patris praescripto, sed sponte tolerat, tanquam opus supererogationis, quo voluit bonitatis suae divitias aperire, nobisque exemplum praebere, ne solum opera, quibus ex praecepto constringimur, exequamur, sed etiam plura alia ultra praecepta operemur, sicut Christus Dominus cum baptizatur a Ioanne, licet nulla Baptismi lege teneretur. Hinc Pater aeternus tunc pluribus externis signis Filium in Iordane, toto reserato coelo, Spiritu sancto super ipsius verticem insidente manifestavit, summisque honoribus affecit. Cum ergo B. Virgo supererogationis operibus incumbit, tunc sine dubio divinorum bonorum affluentiam larga manu experta fuit. Cui rei adstipulatur Ambrosius, dum versat verba illa Isai. 6: *Quem mittam, et quis ibit nobis? Nobis*, inquit s. Praesul, *ait Deus, quidam enim praedicationis munus obeunt non Deo, sed sibi, suisque commodis; cui occurrit Isaias: Ecce ego, mitte me; sed cur praestolatur Propheta vocem? cur ei mandatum non intimatur? Poterat servulo suo imperare, quem dignum ut mitteretur invenerat, sed maluit eum spontaneae oblationis non fraudare mercede, quia, ut ipse se offerret, praestolatus est, et quamvis eius sciret affectum, expectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam.* Sic Deus expectabat B. Virginis affectum in operibus spontaneis, ut gratiam cumularet, ac meritum duplicaret sine praescripto legis ullo, sponte Purificationis legi, ac Baptismi praecepto antequam constringeret, se subdidit, ut obedientiae donativum, hoc est opus voluntarium et gratuitum, Deo offerret, quo sibi plus in dies Deum devinciret, eiusque profusam liberalitatem subornaret.

1451. Dicendum 1°: B. Virgo obnoxia fuit praecepto Baptismi. Ostenditur haec veritas primo ex Ioan. 3, ubi Christus Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod quidem praeceptum cum universale sit, omnes coarctat a promulgationis tempore; ergo sub ipso comprehensa fuit B. Virgo; et dubio procul, utpote divinarum, humanarumque legum observatrix exactissima, omnium prima in omnium fidelium normam et exemplum praeceptum de Baptismo executa est. Si vero opponas peccatum originale esse materiam Baptismi, sicut actuale Poenitentiae, ideoque per se primo ordinatur Baptismus ad tollendum originale; ergo sicut, quia caruit peccato actuali, obnoxia non fuit praecepto confessionis; ita quia caruit originali, obnoxia non fuit legi Baptismi. Falsum est antecedens, quia peccatum originale non est materia Baptismi, ut patet in adulto contrito, materia ergo Baptismi est aqua: item Baptismus adaequate non fuit institutus propter originale, sed etiam ut constituat baptizatum membrum Ecclesiae, illum nota characteristica inurens, aptumque faciens ad reliquorum sacramentorum receptionem, quorum effectuum, sicut et augmenti gratiae capax erat B. Virgo.

Dicendum 2°: Virgo Deipara sacramentum Baptismi recepit. Ita communis Scholasticorum cum Suario, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 3, Vasquio ibid. disp. 119, cap. 7, Canisio lib. 1 de B. Virg. cap. 9. Probatur in primis, quia B. Virgo fuit veteris legis ac caeremoniarum observantissima, ut patet in Purificatione; tum etiam vulgari hominum turbae templum Hierosolymitanum statuto tempore adventanti, ac certas ferias celebranti sese impigre conformavit; maiorem ergo animi promptitudinem exhiberet, ut novae legis sacramenta a Filio instituta reciperet. Probatur secundo, quia per Baptismum cuncti fideles in Ecclesiam ingressum habent, ac nota characteristica insigniuntur, qua a reliquis gentibus secernuntur, et tanquam membra corporis huius mystici dignoscuntur, cuius caput Christus est, collum Maria, iuxta Bernardum et Bonaventuram, vel si mavis iuxta Augustinum, Cor, quod principium et origo vitae nuncupari potest, ex quo vita in reliqua membra derivatur. Sic Virgo Deipara omnium prima legem Evangelicam hausit et executa est, et per ipsam in omnes Christi fideles promanavit. Quare Christus D. aquas in vinum non transtulit, nisi interveniente Maria, quia illo miraculo innuebatur gentium conversio per Baptismi sacramentum. Baptismum ergo suscepit Virgo Deipara, signoque eius tanquam Ecclesiae membrum praecipuum insignita, ac prima in fidelium album adscripta. Tertio quia, ut constabit ex Patribus ac Theologis, B. Virgo saepissime Eucharistiae sacramento pasta fuit, et sacramento Confirmationis

roborata, imo et extrema Unctione uncta, ut infra ostendemus. Atqui Baptismus est reliquorum sacramentorum ianua, qua aditus ad illa patet, et sine qua ad illa ingressus omnibus interdicitur, teste Conc. Trid. Sess. VII per totam. Vel ergo dicendum est, Virginem Deiparam nullum Ecclesiae sacramentum recepisse adversus communem Patrum ac Scholasticorum sensum ; vel fatendum est Baptismi sacramento fuisse tinctam, per quem aditus ad reliqua Sacramenta pateret, et tanquam omnium fidelium ductrix vexillum tolleret, sub quo reliqui fideles conscriberentur, et inter Ecclesiae membra annumerarentur. Quarto ut filium sibi imitandum proponeret in omnibus, ille autem a s. Ioanne baptismate ablutus fuit. *Christi vestigia in omnibus Virgo Deipara assectata fuit,* ait s. Ildephonsus, ser. 5 de Assumpt.

Erecturus itaque Deus firmissimam Ecclesiae fabricam, binos parietes a fundamentis extruxit : primum Christum Dominum ; huic correspondet alter paries, nempe Virgo Deipara: super haec firmissima columina Ecclesiae structuram erexit Deus. At ut uterque paries firmus et constans perseveret, opus est ut usque ad aquas fundamentum fodiatur ; sic Christus, primus huius structurae paries, in celsissimum culmen assurgit ; de illo enim ait Evangelista : *Ascendit de aqua.* Sic Maria Virgo alter huius fabricae magnae paries ab aquis baptismi extollitur, sanctitate sublimis, fide constans, robore inconcussa novum robur Ecclesiae structurae adaugens, novumque fulcrum, et quidem validissimum fidei christianae superaddens. *Per Virginem enim*, ait s. Cyrillus Alex. orat. contra Nestorium, *omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructae sunt Ecclesiae.* Et ibidem vocat Deiparam sceptrum orthodoxae fidei, quia ex ea die, qua omnium prima baptisma suscepit, ac fidem signis externis professa est, quasi sceptrum ipsi fidei apposuit, eamque veluti reginam corona redimivit, lateque dominium ipsius per totum terrarum orbem dilatavit, ex quo tempore fides merito sibi arrogare posset illud Christi Domini : *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra.* Quod recte confirmat s. Bernardinus to. 1, serm. 52, art. 1, cap. 2: *A tempore,* inquit, *quo concepit Virgo Deum in utero suo, quandam ut sic dicam iurisdictionem, seu auctoritatem habet in omni temporali missione Spiritus sancti; quia non vult Spiritus sanctus, nisi per eam communicari, sicut et Filius, a quo Spiritus sanctus procedit, per ipsam datus est nobis.* Cum ergo Spiritus sanctus in quemcunque baptizatum invisibiliter descendat, teste Cypriano, Virgo Deipara sceptrum manui fidei apposuit ipsi iurisdictionem praebens in descensum Spiritus sancti super baptizatos.

1455. Sed quid opus habet ablutione, quae nitidior est sole? Profecto non parum sanctitati Virgineae detrahi videbatur, Baptismum subire, ipsiusque necessitatem fateri. Bene quidem est quod reliqui sacris Baptismatis undis tingantur, quia omnes primaevae maculae sordes contraxerunt, ac proinde Iordanis fluentis opus habent, ut contractas sordes dispellant, ac novam munditiem induant: at Virgo Deipara cum sit luna purior, sole micantior, cur undis baptismatis egeat, cum id sit aliquam impuritatis notam subire? Sed merito baptismi tingitur undis Maria, quia omnes fideles baptizandi erant, et noluit singularitatis notam praeseferre ; siquidem singularitas vanitatis semper suspecta est: oportet autem, ut virtus rara ac non vulgaris habitu ac specie vulgari veletur. Sapienter Seneca epist. 5: *Intus omnia dissimilia sint, frons nostra populo conveniat.* Olim arca foederis tametsi nulla ablutione indigeret, tamen quia universus populus Iordanis fluenta ingreditur, ut illis undis veluti baptismo quodam ablueretur; iuxta Origenem, hom. 5 in Iosue: *De his quidem, qui mare rubrum transierunt, Apostolus dicit, quia omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. De his vero, qui Iordanem transeunt, possumus etiam nos simili modo pronuntiare, quia omnes in Iesu baptizati sunt in Iordane, ita ut ea, quae in Iordane gesta narrantur, formam teneant Sacramenti, quod per Baptismum celebratur ; ipsa etiam sacris illis undis tingenda Iordanem etiam ingreditur: Ecce arca foederis Domini omnis terrae, antecedet vos per Iordanem,* Iosue 3. Ne scilicet a populo discreparet: sic Maria, licet nulla peccati litura deturpata, licet nullius ablutionis indiga, utpote quae totius sanctitatis apicem teneat, aquis tamen Baptismi abluitur omnium prima, ut reliquis praeeat exemplo, ne de singularitatis vitio notetur: intus omnia dissimilia erant in Maria, frons autem, et species externa populo conveniebat, ut dicebat Seneca.

Eadem de causa nullius purificationis indiga olim templum purificanda ingreditur; sicut reliquae puerperae, ut omnem a se singularitatem procul amoveat, et omnem legis exceptionem ac dispensationem aufugiat: noverat enim Deipara Deum adversatum fuisse in plerisque legum exceptiones eiusmodi, ita ut malit miracula patrare, quam aliquem a communi lege eximere. Quod eleganter expendit Chrysostomus versans verba illa, Ioan. 19: *Et continuo exivit sanguis et aqua.* Itaque ex transfosso Christi latere ad ictum lanceae continuo fons sanguinis et aquae exiliit; Theophylactus, Beda, s. Thomas, 3 p., q. 66, art. 3, Maldonatus, Salmeron ad praedicta verba cum Suario censent aquam illam ingenti prodigio prosiliisse ex Christi latere. *Fuit aqua pura miraculose egrediens,* ait D. Thomas: quid ergo opus fuit, ut tam stupendo miraculo a Christi latere limpidissimi latices erumperent? et respondet Chrysostomus: *Exierunt cum impetu, ut latronis corpus aspergerent, et latronem aspersum baptizarent.* Bonus Dimas patrata delicta detestans, peccatorum veniam a Christo extorquere satagebat, crucis tormenta Christo simillimus alacri animo sufferens: at Christus et culpas condonat, et caelum spondet: *Hodie mecum eris in paradiso*; sed hac le-

ge, ut prius baptismate abluendus sit, et si patrato miraculo. Tametsi enim per baptismum flaminis et sanguinis caelum ingredi posset latro sine baptismo fluminis; quia tamen ipse Christus legem tulerat illis verbis, Ioan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum*; ne ergo a quoquam argui posset, se iam a lege lata latronem eximere, maluit grandi prodigio e latere suo magno impetu crystallinas undas profundere, quae latronis corpus aspergerent, ac latronem aspersum baptizarent, ut dicebat Chrysostomus (a). Noluit ergo Virgo Deipara utpote eximiae virtutis, in aliquo exteriori signo a multitudinis communitate eximi. In quo Filium aemulata fuit, de quo ait Paulus ad Philip. 2: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Hominum maluit similitudinem accipere magister omnigenae virtutis, ut tanquam unus e multitudine haberetur, nulla exemptione secretus, ut recte ponderat Bernardus, serm. 4 de Passione Domini: *In similitudinem*, inquit, *hominum, non hominis. Christus enim in universali hominum miseria pressius, et profundius se immersit, ne subtilis ille Diaboli oculus, magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum; ideo habitu inventus est ut homo, ne in eo quantum ad naturae debitum signum aliquod singularitatis apparuerit.* Non igitur e Christi schola est singularitas et exemptio; nec virtus eximia a singularitatibus et exemptionibus venit, neque ab honorum praerogativis, neque laus viri virtute conspicui ortum habet ab his, sed ex eo quod, cum intus omnia dissimilia sint, species autem exterior populo conveniat, et quo quis maior est, eo magis aequalitatem cum reliquis ambiat.

1156. Audisti omnem Iesu laudem, et commendationem a conceptu, et in nativitate Angelis demandari; ait enim Gabriel Luc. 1: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* Eiusdem festum natalitium Angeli hymnis et Canticis concelebrant. *Facta est militia caelestis exercitus*, etc. Sydus etiam caeleste radiis tanquam linguis Iesum recens natum orientalibus Magis depraedicat. Cum vero se multitudini hominum accommodat, ac plebi immiscetur baptizandus sicut unus e reliquis, de quo sic Luc. 3: *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato, et orante, apertum est coelum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, et vox de caelo facta est: Tu es filius meus dilectus.* Iam nunc oratio panegyrica de Iesu commendando neutiquam creaturae alicui, nec Angelis, nec Seraphinis committitur, sed ipse superus Pater, ac Spiritus divinus oratorum munus suscipiunt, qui et facto et voce eximias Christi virtutes evehunt et extollunt. Cur ita? Nimirum, quia cum baptizaretur omnis populus, Christus etiam baptizandus advenit, sicut reliqui; et licet Christi omnia intus valde dissimilia essent cum reliquis, eius tamen frons et species externa populo conveniebat. Non negarim in Christi conceptu, et ortu eius eximias virtutes resplenduisse, sed admixtas cum aliis exemptionibus, et de privilegio singulares; siquidem singularis fuit Christi praerogativa, quod a Virgine conciperetur, et virginitate salva in lucem ederetur, ac virginali lacte nutriretur: ad ripas autem Iordanis nihil singulare praesefert, sed turbae ac plebi se ingerit parem reliquis, ex quo omnigenae virtutis magisterium excellentissimum nanciscitur, et ut Doctor orbis acclamatur a Patre et Spiritu sancto, habita de ipso, ac suarum laudum oratione panegyrica. Putarim huc oculos intendisse Chrysostomum, cum hom. 11. in Ioan. haec scribit: *Cum seipsum magis ostendit, longe prioribus maiora miracula apparuerunt; siquidem non amplius stella, non coelum, non Angeli, non Archangeli, non Gabriel, non Michael, sed ipse eum caelitus Pater, et cum Patre Paracletus loquens, irradiansque et in eo permanens praedicavit.* Nullius creaturae lingua, etiam seraphica, poterit laudibus efferre Christi magisterium praestantissimum, cum omni singularitati, et exemptioni se subducit, et licet intus omnia dissimilia cum reliquis hominibus habeat; communi tamen vivendi rationi reliquorum hominum se accommodat; ac sicut unus e multitudine Baptismatis undis abluendus adventat. Profecto omnes Marianae virtutes eximiae, et saepe de singularitate commendabiles; at vero quod cum intus omnia dissimilia sint, frons et species externa populo conveniat, et quasi communem primaevi delicti aleam subierit, Baptismatis aquis tingi voluerit, ac nullius Purificationis indiga, in templum purificanda advenerit; hoc omnem commendationem exsuperat, et maius est, quod Deo ipso laudatore indigeat, et omnem creaturarum commendationem supergrediatur.

Dum ergo B. Virgo obsequentior legi Baptismatis aliquam in specie externa subiisse notam visa est peccatricis, et immundae, dum purificanda venit in templum; et ampliorem virtutum segetem sibi comparat, et illustriorem famam aucupatur. Sic olim iubente Iosue, ut omnis populus Iordanis fluenta transcurreret, et ut Arca foederis per medios fluctus deferretur, non parum sanctitati arcae detrahi cuipiam merito videri posset; erat enim Iordanis Baptisma, et ablutionem subire, ac purificationis necessitatem confiteri: ergo reliqui omnes abluantur Iordanis undis, sacris tingantur aquis, ut primaevam culpam emaculent: at vero Arca mystica, Maria, cum nullam labem incurrerit, nullo baptismate, nulla purificatione opus habet; non ergo Iordanem intret, nec templum adeat purificanda, ne legi obtemperans aliquam im-

(a) Verba D. Chrysostomi, oratorio modo et tropice ab ipso prolata, nimis pressa significatione ab Auctore sumuntur. Quodnam enim novum hoc fuisset baptismi genus? Christus, cum miles lancea latus eius aperuit, jam mortuus erat; eius corpus jam erat cadaver; quonam modo mortuum corpus poterat sacramentum administrare, praesertim cum nulla adesset causa, nulla necessitas? Ut quid enim opus habuisset baptismo aquae ille, qui jam a Christo audierat: *Hodie mecum eris in paradiso*, et proprio sanguine, ac caritate jam baptizatus erat? *Nota Editoris.*

munditiae notam subeat: sed quemadmodum Arca illa, Mariae umbra, quia legi obsecundans maculae notam despicatui duxit, ideo novam gloriam famamque consecuta est, cum Iordanis fluenta, ac fluctus arcae maiestatem curvatis poplitibus suspexerunt, eamque vel extremis oris contingere reveriti sunt, quasi fatentes se ab arcae puritate et splendore devinci. *Steterunt aquae in loco uno,* Iosue 3. In quae verba subdit Chrysologus, serm. 160: *Iordanis ad praesentiam legalis Arcae fugit.* Maria itaque per arcam adumbrata, ut legi a Christo latae Baptismi obediat, Baptismo abluitur, et templum ingreditur purificanda: sed hic a Simeone lucis parens acclamatur: *Lumen ad revelationem gentium:* et ibi, ut Certamine sequenti videbimus, caelestibus plausibus ac honoribus celebratur.

Sic Christus Dominus, ut Patri morem gerat, patibulo affixus infami tormenta toleravit: *Factus obediens usque ad mortem.* In summum dedecus, et ignominiam devenit, ut Patri obsequeretur; sed ideo etiam nullibi sublimiorem famam, nomenque lucratus est, quam in patibulo. Dum nascitur, a Magis unico idiomate Rex Iudaeorum praedicatur: at in cruce hebraice, latine, et graece Rex inscribitur, ut linguis omnibus eius regnum et imperium vulgaretur: ita Theophylactus apud D. Thomam ad Luc. c. 23: *Per quod signabatur, potentissimas gentium, quales erant Romani; prudentissimas, quales Graeci; maxime Deum colentes, quale fuit Iudaeorum genus, subiici debere imperio Christi.* Ad haec, in cruce latro innocentem se esse fatetur: sol in morte sui Conditoris lugubre sagum induit: elementa omnia patientis Divinitatem contestantur: Centurio pectus percutit, et Christi pendentis gloriam praedicat: creaturae omnes quasi in unum coactae Dei-hominis in crucem acti Maiestatem, ut possunt, signis adorant et reverentur: *Ut Dominum suum, et coelum et terra et omnia demonstrarent,* ait Hieronymus in Catena D. Thomae ad c. 27 Matt. Itaque ibi Rex regum acclamatur, et a creaturis omnibus dignoscitur, ubi, ut praecepto Patris obtemperet, opprobria despicit, tormentis obiicitur, mortem ipsam deglutit; ut et hinc addisceremus, quoties infamiae alicuius notam subimus, ut Dei iussa exequamur, in honorem, nomenque illustre esse commutandam.

CERTAMEN III.

Aliae circumstantiae Baptismi Mariani perpenduntur.

1457. Ulterius inquirunt Doctores, quonam aetatis anno baptismum susceperit Virgo Deipara. Respondet Euthymius in cap. 3 Ioan. paullo post Baptismi institutionem, videlicet post paucos menses a nuptiis Cana, trigesimo et dimidio aetatis anno Christi Domini, post colloquium illud habitum cum Nicodemo, in quo de necessitate huius Sacramenti sermonem instituit; cum ergo miraculum factum in nuptiis Cana iuxta plures contigerit mense Ianuarii, postea ad Iordanis littora descendit cum discipulis, illicque cum eis demorabatur ac concionandi, et baptizandi munus incepit, incipiens a B. Virgine, quod contigisse verisimile videtur, labente Maii mense, vel incipiente Iunio: quare B. Virgo iuxta meliorem supputationem anno aetatis suae 45, ac mensibus aliquibus Baptismi sacramento insignita fuit ex Euthymii sententia.

Tametsi vero iuxta Bellarminum et alios, lib. 1 de Baptismo, cap. 5, Baptismi praeceptum neminem alligabat, nisi post Christi mortem; tamen Deipara, imo et Apostoli ante Christi mortem baptizati sunt, antequam praecepto ipsius constringerentur: quod ex eo coniectari licet, quia, teste Augustino in cap. 3 Ioannis, Christus Dominus statim atque Baptismum instituit (quod iuxta Bellarminum citat. et Euthymium post ipsius Christi baptismum factum est), iam illud subministrabat in peccati originalis remedium, tum et actualium noxarum abolitionem. Quod elicit Augustinus ex verbis Ioan. 3: *Venit Iesus, et discipuli eius in terram Iudaeam, et ibi morabatur cum eis, et baptizabat.* In quae verba haec addidit Augustinus: *Baptizabat Dominus baptizatus, non eo baptismate, quo baptizatus est; baptizatus est enim a servo ostendens humilitatis viam, et perducens ad baptismum Domini, hoc est suum; baptizat enim Iesus quomodo Dominus, quomodo Dei Filius.* Cum ergo ex sententia tanti Doctoris, cui plures adhaerent apud Maldonatum in cap. 3 Ioann., n. 22, Christus Dominus ab initio praedicationis suae Baptismi sacramentum administraverit; credendum est B. Virginem omnium primam a Christo Domino fuisse sacro Baptismate munitam, utpote in rebus virtutis caeteris omnibus semper praeeuntem. Dixi a Christo Domino Baptismum suscepisse, quod multo verius ac rationi conformius arbitror cum Euthymio cit. referente ex illorum monumentis, qui Apostolorum tempore id memoriae prodiderunt, ab ipsorum ore haurientes a Christo Domino B. Virginem ac s. Petrum baptizatos fuisse: *Scribunt,* inquit Euthymius, *quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum et Virginem Matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos Apostolos.* Assentitur Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 19, sect. 1, ubi ait: *Valde pium et probabile est quod ait Euthymius, Christum ante Apostolos baptizasse Virginem manibus suis.* Et quidem suadet haec ratio ad id asserendum, quod ad singularem B. Virginis honorem pertinet, quod illam non alius nisi filius salutaribus tingeret undis; si enim apud homines mos est, ut quo dignior est persona baptizanda, eo etiam minister excellentiori dignitate praefulgens assumatur ad id munus exequendum: ita par erat, ut creatura omnibus infra Deum nobilior nobiliori gauderet ministro, nempe Christo Domino: quod verissimum autumo, vel enim dicere tenemur Deiparam non fuisse primam, quae baptismum a Christo institutum susceperit, vel dicendum est a Christo fuisse baptizatam. Primum pietati adversari videretur ac eminentiae tantae Matris derogare, alios ipsi praeponere Baptismi primatu, cum ipsa primiceria ac primogenita gratiae ac omnium fidelium merito nuncupetur; quod si ita

est, ergo a Christo baptizata fuit, vel ab aliquo nondum baptizato, quod perperam diceretur: praecipue Christo praesente, et alios, saltem Petrum, baptizante; nec enim rationi congruum videretur, Christum Dominum alios baptizasse, ut elicitur ex Ioan. 3, non vero B. Virginem, cur enim hoc illam honore privaret, aliis pluribus exhibito? Hoc ipsum tenet Salmeron, to. 4, tract. 7, Henriquez lib. de Baptismo, cap. 5, Mendoza in Viridario, lib. 2 de floribus sacris, problem. 7, num. 41.

Quaeris qua ratione intelligenda sint verba Ioan. 8, ubi Evangelista haec habet: *Ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quod Iesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Ioannes (quanquam Iesus plures non baptizaret, sed discipuli eius), reliquit Iudaeam, et abiit iterum in Galilaeam.* Ubi ait Ioannes Christum Dominum non baptizare, sed id munus Apostolis delegasse. Dicitur autem Christus, Ioan. 3, baptizare, quia quod Apostoli nomine Christi gerebant, Christo tribuebatur; sicut victoria a militibus parta, Duci sive Regi arrogari solet. Hunc nodum pulcre solvit Maldonatus in cap. 3 Ioan., ad illa verba: *Illic morabatur, et baptizabat.* Ubi utrumque locum concilians asserit Christum initio baptizasse, postmodum aucto fidelium numero, discipulis et Apostolis baptizandi munus commisisse, quo ipse melius praedicationi ac hominum conversioni vacaret. *Baptizabat*, inquit Maldonatus, *ipse Christus ante passionem suam, et in Spiritu sancto baptizabat, ac fortasse hoc ipso loco baptizavit aliquos: nam quod postea Ioannes dicit ipsum non baptizasse, non incommode interpretari possumus, non solitum baptizare, etiamsi paucos aliquos aliquando baptizaverit.*

1158. Quod vero signis externis Baptismum Deiparae Deus cohonestaverit, vel inde erui potest, quod ait Petrus Damianus, serm. 37, ubi de s. Stephano Protomart. docet ex eo caelum apertum ac Iesum stantem introspexisse cum tota caelesti curia, quia omnium primus baptismo sanguinis tinctus fuit, utpote primipilus christianae militiae: cum ergo Deipara tanquam omnium fidelium primipila per Baptismi oceanum illis praeiverit: non mirum si dixerimus in eius Baptismo caelorum valvas reseratas, totamque curiam caelestem se in conspectum dedisse. In cuius rei symbolum bis Israelitae siccis pedibus, superatis undarum vorticibus, mare pertransierunt, ac Iordanis fluenta; semel cum mare rubrum superarunt post diram Aegyptiorum servitutem, deinde cum per deserta et invia loca ad promissionis tractum, Iordanem transmearunt; utrobique undae in montes assurgentes hinc et inde, per medium sicco vestigio transierunt Israelitae perruptis aquarum gurgitibus. Maris rubri transitus, teste Bernardo inter plures, Baptismum sanguinis adumbrabat, cuius primus vexillum extulit Stephanus, in quo mari aquarum ruptio coelorum reserationem in nece protomartyris iam praesagiebat: sic in Baptismo B. Virginis per transitum Iordanis significato, undis hinc inde dissectis, coelorum ruptionem praemonebat. Quod si Pater aeternus e caelo detonavit illam vocem: *In quo mihi bene complacui*, in Christi D. Baptismo; etiam ipse Deus per Angelum suum illud intonuit: *Invenisti gratiam apud Deum*, quod idem sonat, ac: *In te mihi bene complacui.*

Olim omnibus baptizatis Spiritum sanctum e coelo delapsum in columbae speciem insedisse auctor est s. Cyprianus, serm. de Baptismo Christi; id tamen invisibili delapsu contingebat. In sancti Basilii baptismo apud Iordanis oras, cum s. Maximus aquam super illum infunderet, flamma ignis e coelo delabitur, a qua columba candidissima Spiritum sanctum repraesentans, aquam contactu suo consecrans, egressa est, quae postmodum in caelos evolavit. Vide alia portenta in vita s. Genesii Comoedi et Martyris, et apud Sophronium in Prato spirituali, c. 207, in hanc rem valde conducentia, quae in Baptismo contigere. Non ergo levi fundamento ducimur, si asseramus in baptismate B. Virginis plura externa signa contigisse, ne baptizatae dignitas lateret, ut ait Cyprianus de baptismo Christi. Optime in rem praesentem faciunt obsequia illa a Christo in Matrem iam iam animam exhalanti praestita, acute a s. Ambrosio expensa in illa verba: *Mulier, ecce filius tuus.* Subdit sanctissimus Praesul: *Paulisper distulit redemptionem, ne Matrem inhonoratam relinqueret.* Itaque totius orbis redemptionem prorogavit, ne Matrem tantam honore debito privaret. Totus pendebat orbis redemptionem ac libertatem ab uno Christo pendente praestolans, iamque solum deerat, ut illud proferret: *Consummatum est*; et tamen cunctatur, nectit moras, executionem suspendit, totius orbis expectantis redemptionem retardat, ne Matrem inhonoratam relinquat, quia Matris honos pluris est Christo, quam totius mundi redemptio. Quemadmodum si ordinum militarium praesidens apud regiam curiam in Archiepiscopum Toletanum assumeretur, iam iamque novum munus aggressurus, nectit moras, ne consanguineum inhonoratum relinquat, ac cruce defraudet praetensa, libenter ipse aliquantisper honoratiori Archiepiscopatus munere privatur, ne debito honore, sibi vel amicitia, vel consanguinitate devinctum privet, adeoque amici honorem suo commodo, sibique subditorum utilitati antefert. Eadem ratione Christus Dominus constitutus a Deo Patre praeses in hunc mundum, iuxta illud Ioan. 5: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, profecturus ex hoc mundo, ut caelo praesideret, crucem et clavos, *equum* et *calcaria* vocavit Bernardus, quibus caelum peteret: universus igitur orbis ab eiusmodi Christi profectione dependebat, ut caelestes valvae reserarentur, aditusque pateret omnibus; et tamen Christus profectum distulit, omnes praestolari iussit, gloriam sui corporis suspendit, ingressum in caelestem praefecturam prorogat, quousque honore debito Matrem prosequatur, paullisper distulit totius orbis redemptionem, ne Matrem inhonoratam relinqueret. Si ergo plures baptizatos exterioribus signis Deus coho-

nestavit, multo potiori iure tantae Matris baptismum, tanquam omnium fidelium primam pluribus portentis decoraret. Consulatur Surius tom. 3, die 4 Maii, ubi plura signa memorantur, quae in baptismo s. Pelagiae Tarsensis contigerunt.

1459. Imo maius aliquid addam, non solum in baptismo Deiparae signum aliquod externum admirabile apparuit, ut hucusque contendimus; sed ipsam Virginem Deiparam, admirabile cunctis saeculis Sacramentum compellat s. Hieronymus, tom. 4 serm. de Assumpt., quia instar sacramenti Baptismi delet peccata, gratiam dilargitur, et characterem imprimit. Ducor verbis s. Leonis, serm. 1 de nativ., ubi ait eandem inesse virtutem in B. Virgine, atque in sacramento Baptismi. *Originem*, inquit, *quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquae quod dedit Matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit ut regeneraret unda credentem.* Itaque eandem virtutem, quam Deus sacramento Baptismi impertivit, et Matri etiam contulit: dedit aquae quod dedit Matri: utraque filios Dei generat, nam per salutares undas Baptismi dedit eis potestatem filios Dei fieri; et B. Virgo Filium Dei genuit, ac reliquos fideles sibi per adoptionem gratiae regenerat. *Tu Mater regis, tu mater exulis*, aiebat s. Bonaventura in Speculo. Itaque Deipara sibi virtutem baptismi arrogat, et baptismus Mariae Virginis proprietates quasi ebibit. Hinc s. Zenon, invitatione 5 ad Baptismum, illum confert cum Deipara, illumque vocat Matrem semper Virginem: *Fontanum*, inquit, *semper Virginis Matris dulcem ad uterum convolate.* Et Theophanes Nycaenus, epist. 3, ait Baptismum esse imaginem quandam Virginei et immaculati uteri. Si ergo umbrae et imagini B. Virginis tales divitiarum gratiae suae thesauros effudit, quid rei repraesentatae, nempe ipsi Mariae, concedet? Si aquae pugillo potestatem dimittendi peccata, et gratiam conferendi liberali manu Deus profudit; quam virtutem et potestatem coelorum Reginae impertiet?

Quod si baptisma abluit animam a peccatorum sordibus, poenasque ipsis debitas diluit et condonat, idem effectus attribuitur Virgini Deiparae, ideoque *Fons hortorum*, *Puteus aquarum viventium* nuncupatur, eamque cum Propitiatorio conferunt sancti Patres, ex quo Deus populi peccata condonabat. De B. Virgine ait Bernardus, ser. de *Salve Regina*, esse divinae pietatis abyssum: *Cui vult et quando vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta sanctorum patrociniis suis suffragia praestet.* Et s. Germanus in encomio de Zona Virg.: *Dans*, ait, *salutem, et ab aeterno liberans supplicio.* Ideo, ut recte expendit Galatinus, lib. 3, cap. 13, Deipara die Martis in hanc lucem edita fuit, quia iuxta plures ex Hebraeis doctissimis, hac die inferna loca damnandis secrevit ignem aeternum urentem evomentia, quasi iam hanc aquam baptismalem subministrans Deus ignem hunc extincturam: et tanquam inferni Domina (sic eam vocat Bonaventura in speculo cap. 3) sibi addictis illius aditum interdicit; nec potest Daemon inferni valvas cuiquam reserare, non petita et obtenta prius a B. Virgine venia. Quod dixerat ipsa Deipara, Eccli. 14, iuxta mentem s. Bernardini: *Et profundum abyssi penetravi, quia B. Virgo dominatur in regno inferni.* Et ut Domina inferni aditum, cui vult, intercludit.

Ad haec, Baptismus gratiam confert, et animam sanctitate venustat, quod munus explet Deipara, quam vocat Epiphanius, haeresi 79, ipsam Sanctificationem: *Non permisit*, ait, *Deus B. Mariae dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra iussit, sed solam ipsam Sanctificationem esse.* Vocant Theologi Sanctificationem, ipsam gratiam vel Charitatem perfectam, quae odio intestino peccata aversatur, Deumque super omnia diligit propter seipsum, qui Amor sanctitas est, et animam, cui inhaeret, reddit sanctam, Deoque gratam; et Baptismus flaminis nuncupatur. Quia ergo ex decenti et aequo gratiam Deus impertit cunctis, qui se B. Virgini devovent, nec quisquam reperitur, qui eam vere et ex corde implorat, cui Deus gratiam et ad recte operandum auxilia non conferat, sublato pravae dispositionis obice, sicut in Baptismo; ideo Maria ipsam Sanctificationem appellat Epiphanius, et quasi alterum Baptismum flaminis: et quamvis gratiam non conferat *ex opere operato* instar Baptismi, eam tamen a Deo extorquet una cum peccatorum abolitione.

1460. Dicta novum robur habent ex his, quae Cardinalis Bellarminus, lib. 2 de imaginibus, c. 3, adstruit, videlicet Sacramentalia reperiri in Ecclesia, quibus ea inest virtus ex institutione divina, ut ex opere operato gratiae auxilia adversus Daemones conferant, qualia sunt crux Christi, aqua benedicta, sanctorum ossa, et alia eiusmodi, quae independenter a sanctitate ministri sortiuntur effectus. *Existimo*, inquit s. Gregorius, lib. 3 Dialog., cap. 7, *ex institutione Dei, et ex opere operato valere signum crucis contra Diabolum.* Quis verbo, aut mente quibit comprehendere virtutem, ac veluti omnipotentiam B. Virgini a Deo collatam, quam Patres passim depraedicant? Quorum alii, ut alibi monuimus, cum s. Germano et s. Birgitta asserunt solius nominis Mariae voce prolata, Daemones procul abigi, novitusque cruciari. Alii cum s. Petro Chrysologo, per Deiparam animi puritatem, corporisque munditiem eam invocantium cordibus ingeri. Alii cum s. Birgitta, purgatorias flammas attemperari. Si ergo crux et alia sacramentalia ex eo, *ex opere operato* dicuntur effectus illos efficere, quia, ut inquit Bellarm. cit., Iudaeos et Paganos omni Christi fide destitutos fugasse daemones crucis signo, compertum est; eadem de B. Virginis Nominis prolatione merito proferimus: cui rei probandae multum conducit Historia illa de sancta Maria *de Regla*, cuius prodigii testes omni exceptione maiores advoco Regulares omnes Coenobii s. Augustini de s. Maria *de Regla* prope oppidum

vulgo dictum *de Sanlucar* erecti. Huius igitur conventus Religiosi picam instruxerunt per plures dies, ut has efformaret et articularet voces, *Sancta Maria de Regla:* quae verba tempore labente clare ac distincte pica repetebat saepius, ita ut admirationem audientibus ingereret. Accidit quadam die ut per conventus pomarium discurrentem picam, ac volitantem adoriretur rapax avis ex improviso aduncis unguibus, et in altum sustulit; tunc loquax pica, quasi intellectu praedita, in voces illas saepius repetitas prosiliit, *Sancta Maria de Regla.* Res mira! protinus utraeque aves in terram corruerunt, pica vitae superstes quasi de rapaci alite triumphum agens iam emortuo: quo facto ostendit Deus virtutem et energiam invocationi ac patrocinio B. Virginis collatam.

Sed ad rem nostram intermissus redeat sermo. S. Chrysostomus apud Bernardinum de Bustos p. 7, serm. 4, asserit Virginem Deiparam, instar Baptismi, Ioannem baptizasse, ipsique gratiam impertivisse, non Baptismo aquae, sed Baptismo flaminis. *Ioannes*, inquit s. Doctor, *Baptista fuit Virginis filius per spiritualem Baptismi regenerationem, ipsa enim eum baptizavit, non Baptismo fluminis, sed flaminis.* Virgo ergo Deipara Ioanni Baptismus exstitit, quia verbis suis gratiam contulit, operatoria quippe fuerunt tanquam verba sacramentalia. Quocirca merito, ut ait Ambrosius, Deipara cum vellere Gedeonis componitur: *Maria*, inquit, *velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur.* Recens baptizati alba induebantur toga, ut animi candorem innuerent, et quia libertate filiorum Dei donabantur, diaboli duram servitutem exuentes. Virgo ergo Deipara tanquam candidissimum vellus, quia vestes albas per baptismum fidelibus subministrat, gratiae auxilia, donorum opitulationes a Filio in sibi addictos effundens.

Quod si baptismus characterem imprimit, quo baptizatus in fidelium album recensetur, et tanquam Christi servus inuritur, etiam B. Virgo charactere quodam insignit, quo signo dignoscuntur facile a custodibus coelestibus, illucque statim introducuntur, tanquam coelestis curiae aulici. Quod expresse suo suffragio confirmat s. Bonaventura, tom. 6 suorum operum super Psal. 91, ubi haec habet: *Qui acquirit gratiam Mariae, cognoscetur a civibus paradisi, et qui habuerit characterem nominis eius, adnotabitur in libro vitae.*

1461. Ad extremum, baptismus est felicissimum humanae vitae auspicium, iuxta Tertullianum, lib. de Baptis.: *Felix*, inquit, *sacramentum aquae nostrae;* quia omne bonum omen ex sacris undis peti potest. O bone Deus! quas felicitates, quae fortunata auspicia ex Maria nobis addicta et favente non augurabimur? Quae decora, quos honores, quam felicem fortunam, quam fortunatam vitam nobis non divinabimus ex hoc salutari fonte Mariano? Mihi crede, enascentis hominis fortunam et omen, non ex coelestibus signis, sed prudentius et consultius ex hoc signo magno ac coelesti, iuxta illud Apoc.: *Signum magnum apparuit in coelo*, vestigabis et edisces. In hanc rem libet vocare verba s. Zenonis, lib. 3, serm. 30 pro sancto Baptismo, quae aptissime in B. Virginem cadunt; pluscula quidem sunt, sed eleganti stilo conscripta: *Fortassis requiratis a nobis: qua genitura, quove signo tam diversos, tam plures, tam dispares una uno partu vestra vos peperit mater, fons Baptismi? Sicut parvulis morem geram, sacri horoscopi pandam tota brevitate secreta. Igitur, fratres, genesis talis est vestra. Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum, non aries, sed agnus excepit: qui vestram nuditatem velleris sui niveo candore vestivit. Idem non tumidus cervice, non torvus fronte, non minax cornu taurus, sed opimus, dulcis, blandus ac mitis vos admonet vitulus: ut nulla ullo in opere captantes auguria, eius sine malitia succedentes iugo, terramque vestrae carnis domando foecundantes, laetam divinorum seminum messem a caelestibus horreis inferatis. Et admonent pro sequentibus geminis, idest duobus Testamentis, ut principaliter idololatriam, impudicitiam, avaritiamque fugiatis, quae est incurabilis cancer. Leo autem noster, sicut Genesis protestatur, Leonis est catulus, cuius ista pia sacramenta celebramus: qui ad hoc recubans obdormivit, ut vinceret mortem, ad hoc evigilavit, ut beatae resurrectionis suae in nos munus immortalitatis conferret. Quem sequitur virgo praenuncians libram, ut noscere-mus Dei per Filium, qui incarnatus processit ex Virgine, aequitatem, iustitiamque terris illatam. Quam qui constanter tenuerit ac fideliter ministraverit, non dicam scorpionem, sed omnes omnino serpentes illaesa planta calcabit. Sed nec ipsum diabolum, qui vere est sagittarius, formidabit unquam variis atque igneis sagittis armatus. Is enim infelicibus immittit capricornum vultu deformem... qui alios amentes, alios furiosos, alios homicidas, alios adulteros, alios avaritia efficit caecos. Sed has omnes noxas salutari profluens amne noster aquarius delere consuevit. Quem necessario una sequuntur duo pisces in signo, id est duo ex Iudaeis et Gentibus populi Baptismatis aqua viventes in unum populum Christi uno signo signati.* Hucusque Episcopus Veronensis uniuscuiusque baptizati genesim inspiciens, ipsius felicitates ac fortunatam vitam praedicit. Quae omnia quisque facillime in B. Virginem deflectet, et in eos, qui hoc baptismo flaminis insigniuntur, id est sub eius patrocinio, aut tutela, vitam instituunt, eam colunt atque suspiciunt, ipsi debitos honores deferunt, ipsiusque virtutum exempla sibi ante oculos ad imitandum proponunt.

Virgo ergo Deipara tanquam admirabile Sacramentum novae legis depraedicanda est, cuius caro Virginea signum videtur sensibile insensibilis gratiae: et quidem *Signum magnum, mulier amicta sole*, et statim subiicit Ioannes, Apoc. 12: *Et in utero habens*, etc. Si ergo B. Virgo est signum sensibile oculis Ioannis obiectum, si gratiam increatam praesignat ac celat in utero; quidni coeleste ac magnum Sacramentum nuncupetur? Quod signum praedixerat Isai. 7: *Propter hoc dabit Dominus vobis signum: ecce Virgo concipiet.* Bene in hanc rem s. Bernardi-

nus, tom. 1, serm. 61, ar. 2, c. 1: *Fuit*, inquit, *B. Virgo signum magnae gratiae in Incarnatione Filii Dei demonstratae et datae: signum enim aperit et claudit, quod signatum est: sic B. Virgo in immaculato utero suo, ex dono gratiae magnae et infinitae clausit, et aperuit Filium Dei pro nobis, quando Verbum caro factum est.* Non ergo solum ex utero Mariano sacramenta novae legis promanarunt, sed ipsa caro Virginea, quatenus sensibilis, ac in se coercens gratiam infinitam, quam praesignat in hominum utilitatem, novum novae legis sacramentum videri debeat. Ideo s. Ildephonsus, serm. de Assumpt. Virginis, ait: *Arca sacramentorum Virgo Maria fuit, supra quam sane Propitiatorium,* etc. *quod est mirabile sacramentum, et propitiatio salutis humanae.* Quibus verbis Deiparae sanctitas quanta sit satis apparet, quae Sacramenti instar peccatorum sordes exstergit: et sicut Sacramentorum verba gratiam conferunt, sic Mariae verba originalem labem a Ioanne eliminant, irrorant gratiam. Non solum ergo verba Mariae fuere significativa gratiae, sed etiam operativa et omnino effectiva salutis spiritualis in Ioanne. Attende enim quid subiungat Lucas 1: *Factum est, ut audivit salutationem.* Quae verba premens Cardin. Toletus ibidem ait: *Quantae efficaciae et virtutis salutatio B. Virginis fuerit, ex his, quae per eam Deus efficit, Evangelista describit. Verbum illud,* factum est, *opus insigne, et mirabile, et a consilio, non casu factum indicat; non enim dictum est:* Ut audivit salutationem, *sed:* Factum est, ut audivit, *quasi opus divina providentia dispositum, ac quid excellens.* Salutationis ergo verba exstitere veluti instrumenta effectiva, per quae divina omnipotentia in Ioanne et Elisabetha ostenta prodigiosa patravit: sicut ergo verba illorum: *Ego te baptizo*, non solum significativa sunt gratiae, sed simul eiusdem collativa; ita verba B. Virginis, tanquam Dei instrumenta, Ioannem ab originali labe emaculaverunt, ipsumque gratia venustarunt.

CERTAMEN IV.

Utrum B. Virgo sacramenta Confirmationis et Extremae Unctionis susceperit.

1462. Quoad sacramentum Confirmationis, certum reor a B. Virgine fuisse susceptum, non utique eisdem ritibus ac caeremoniis, quibus modo Ecclesia utitur, nec ea ratione, qua Christus Dominus id sacramentum instituit cum signo illo sensibili, quo modo hoc sacramentum modo recipimus, et in quo sita est ratio sacramenti, sed immediate a Deo recepit die Pentecostes, cum Spiritus sanctus in ipsam et in reliquos Apostolos descendit; quo tempore indelebili Confirmationis charactere insignita est, et exuberanti Spiritus sancti gratia confirmata denuo, qui sunt effectus proprii huius sacramenti. Quemadmodum Apostoli in die illo Pentecostes ex opere operato ultra omne meritum proprium, exundantem gratiam ac gratiarum charismata, ac reliquos effectus huius sacramenti proprios receperunt, ita ut opus non fuerit in posterum ab alio ministro hoc sacramentum iterari; ita potiori ratione B. Virgo eadem die eosdem effectus de novo suscepit, uberiori tamen, et profusiori manu. Ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 3, § *His duobus*; Vasquius ibidem, disp. 119, cap. 7, n. 67; ubi ait in dubium verti non posse, B. Virgini, sicut et reliquis Apostolis, hoc sacramentum fuisse collatum ac proinde augmentum gratiae ex opere operato virtute illius: sicut enim Apostolorum tempore sola manus impositione hoc sacramentum ministrabatur; ita etiam Spiritus sancti dilapsus sub sensibili illa forma vice sacramenti Confirmationis B. Virgini et Apostolis exhibitus fuit.

1463. Utrum vero Virgo Deipara sacramentum receperit extremae Unctionis, lis est inter Doctores. Alii enim censent B. Virginem morti propinquam, neque hoc sacramentum, neque augmentum gratiae ex opere operato virtute illius recepisse, aut recipere potuisse. Ita Paludanus in 4, dist. 23, q. 3, art. 2, conclus. 2; Victoria in summa, num. 222; Supplementum Gabrielis in illa dist. cit. 23, qu. 1, art. 3, ad dubium 3; ubi docent neque parvulos, neque perpetuo amentes, neque B. Virginem huius Sacramenti capaces fuisse. Pro hac sententia acriter pugnat Vasquius, tom. 2 in 3 p., d. 119, cap. 8. In oppositam sententiam vergunt Albertus Magnus in Mariali, c. 72 et 74, quem refert et sequitur s. Antoninus 3 p., tit. 15, cap. 16, § *Secundo*; Sylvester, Rosa aurea, tit. 3, casu 53, de qq. impertinentibus; Bernardinus de Bustos, 4 p. serm., ser. 11, p. 3.

Ut meam sententiam aperiam, opus est hic aliqua praelibare de sacramento Extremae Unctionis. Primo ergo, suppono cum Suario tom. 4 in 3 p., disp. 41, sect. 1, n. 11, sacramentum Extremae Unctionis per se primo institutum esse ad corroborandum animum aegrotantis contra difficultates illi supervenientes in mortis articulo. Et patet ex illo Iacobi: *Et alleviabit eum Dominus*, et ex verbis concilii Trid. sess. 14, in prooemio. Et ratio ea est, quia ideo hoc sacramentum pro solis aegrotis in extremo periculo institutum est, nempe ob specialem necessitatem illius periculi, et id indicat exterior unctio, qua confertur hoc sacramentum, unctio enim sanat et corroborat, et per eam pugiles ad luctam et pugnam aptiores fiunt. Quare specialis gratia in hoc sacramento collata, sita non est in sola remissione, seu expulsione mali, sed praecipue in collatione gratiae et auxiliorum ad hunc finem praedictum conducentium, nempe ad roborandam spem, quae valde necessaria est, in mortis articulo, et patet ex eodem Tridentino cit. dum ait: *Aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo misericordiae fiduciam excitando;* tum et ad hilaritatem animi concipiendam, qua infirmus morbi aestus ac incommoda patienter tolerat, promptior ac valentior redditur ad Daemonum suggestiones, ac tentamenta superanda ac procul abigenda. Secundario autem hoc sacramentum institutum est ad ultimo praeparandam animam ad gloriae ingressum; perfectam animi sanctificationem, quae praeter gratiam sanctificantem sita est in abla-

tione omnis obicis ex peccato provenientis, et in perseverantia in bono usque ad ultimam vitae periodum. Ad quae omnia valde conducit hoc sacramentum. Qua ratione recte intelligi potest hoc sacramentum esse etiam ordinatum ad tollenda peccata, et in hunc finem dirigi, ut patet ex eius forma: itaque ex secundaria etiam intentione propriae institutionis dicit peccatorum remissionem, si aliqua supersint; cum enim per se hominem ultimo disponat ad gloriae ingressum, ad quem necessaria est peccatorum remissio; ideo haec non excluditur ab intentione instituentis. Quod autem haec peccatorum abolitio non sit effectus primarius huius sacramenti, recte deducitur ex illis conditionalibus Iacobi: *Si in peccatis est, dimittentur ei*, et concilii Tridentini: *Delicta, si quae sunt adhuc expianda, abstergit.* Haec enim conditio apposita satis indicat, hunc non esse effectum primo et per se intentum.

Deinde plures Doctores censuerunt, nullum esse praeceptum recipiendi hoc sacramentum. Pro hac parte citari solet s. Thomas in 4, d. 23, a. 1, expresse eam docet Paludanus ibidem q. 3; Dominicus Sotus; Supplementum Gabr.; Sylvester, verbo *extrema unctio* q. 9; Navarrus, in summa, c. 22, n. 16; Caietanus, V. *Unctio extrema*; Armilla eodem verbo, n. 1; Victoria in sum. n. 219; Covarruvias in c. *Alma mater*, 2 p., § 2, n. 6; Suarius tom. 4 in 3 p., disp. 44, sect. 1. Petrus tamen Soto, lect. 2 de sacramento Extremae Unctionis, indicat esse praeceptum divinum de hoc Sacramento recipiendo, et probat ex verbis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros* etc.; in quam rem expendit ritum Ecclesiae et usum, semper enim hortantur Parochi in periculo mortis, ut fideles hoc se sacramento communiant, propter ipsius necessitatem et commoda. Quod Magister in 4, dist. 23, innuere videtur, dum ait, esse peccatum hoc sacramentum omittere, vel ex contemptu, vel ex negligentia, quam sententiam amplecti videtur s. Bonaventura ibi: et suaderi potest haec sententia ex concilio Coloniensi an. 1536, cap. 50, docente Unctionem impendendam esse ex mandato Apostolico indicto in illis verbis: *Infirmatur quis in vobis?* etc. Huic sententiae suam deferunt probabilitatem plures viri docti. Quae disceptatio intelligi potest vel de praecepto divino positivo, vel de praecepto ecclesiastico, vel etiam de praecepto charitatis propriae, an videlicet obliget hoc sacramentum ad illud suscipiendum in periculo mortis. Et quidem de praecepto divino locuti videntur Petrus Sotus, Bonaventura et Magister cit. Negat autem Suarius cum aliis verbis Iacobi contineri praeceptum, sed solum consilium: idem Suarius negat etiam adesse praeceptum ecclesiasticum de recipiendo hoc Sacramento, ac proinde omissionem illius non esse peccatum, nisi fiat ex contemptu, vel adsit scandalum. Nonnulli tamen etiam ex recentioribus aiunt dari praeceptum ecclesiasticum recipiendi hoc sacramentum; quod innuit sollicitudo fidelium et universae Ecclesiae, cum per suos ministros, moribundos ad huius sacramenti susceptionem adhortatur. De praecepto charitatis nonnulli censent, non obligare, quia nullum est; licet enim sit hoc sacramentum valde utile in gravissimo mortis periculo, per Poenitentiae tamen sacramentum et Eucharistiam sufficienter quisque ad vitam aeternam adipiscendam communiri, et disponi potest. Ita Suarius cit. Alii tamen, non levi fundamento nixi, arbitrantur in articulo mortis obligari fideles ad susceptionem huius sacramenti ex praecepto charitatis propriae, quia valde conducit hoc sacramentum ad evadendum periculum aeternae damnationis adversus Daemonum incursus; licet enim per alia sacramenta sufficienter sibi comparet infirmus gratiam ad beatitudinem, negare tamen non possumus, hoc sacramentum ideo a Christo institutum, ut in mortis periculo infirmos adversum Daemonum insultus communiat ac roboret divina gratia ad vitae aeternae consecutionem. De quo legendus Pater Valencia, tom 4, disp. 8, q. 1, punct. 1. Facta igitur huius sacramenti institutione, praeceptum charitatis propriae alligare videtur ad illius susceptionem, quando commode recipi potest. Ideo concilium Tridentinum, sess. 14, merito dixit, hoc sacramentum contemni non posse sine peccato, quod ita intellige, ut non loquatur de contemptu expresso; hoc enim sensu res est sine controversia, idemque dici potest de qualibet re sacra; sed loquitur Concilium de hoc sacramento propter singularem illius effectum et grave moribundi periculum, ac proinde de contemptu virtuali et generali locutum videtur, contento et incluso in nimia negligentia, ac socordia in huius sacramenti receptione. Et quidem difficile multum apparet, posse aliquem ex negligentia omittere huius sacramenti receptionem absque ulla culpa, si agnoscat periculum suum, et maximam ab hoc sacramento utilitatem provenientem, et ita censere videtur Suarius cit., ait enim esse prodigalitatem quandam spiritualem: si vero semel admittatur esse peccatum eiusmodi omissionem, videri alicui posset probabilius, esse peccatum grave, propter discriminis magnitudinem et utilitatem, ac commodum maximum ex susceptione huius sacramenti promanans; qui sentiendi modus probabilis valde censetur a pluribus recentioribus Theologis. Nunc autem non est sermo, quando ex accidenti omissio huius sacramenti ingeneraret scandalum, tunc enim certum est fore peccatum mortale talem omissionem. In sententia etiam plurium erit culpa gravis omissio susceptionis huius sacramenti, quando sciens et volens nolit illud recipere, quamvis solum moveatur ex notabili socordia, vel ex aliquo metu humano mortis. Ita Maior in 4, dist. 23, et Richardus ibidem, Michael Episcopus Merspurgensis in Catechesi, Conc. 75 et 76, Richardus art. 12. Sed hi Doctores aliquod supponunt praeceptum recipiendi sacramentum Unctionis; sola enim negligentia rei non praeceptae obligationem nequit inducere peccati gravis: cui sententiae subsidiari videtur Navarrus in sum., c. 21, n. 57, cum docet peccare infirmum, qui ex contemptu non petit

hoc Sacramentum; non enim ibi loquitur de contemptu expresso et formali orto ex pravo iudicio, hic enim longe ablegandus ab homine fideli, qui pie Eucharistiae sacramento communitus est; nec ita facile illi occurrere poterat talis contemptus; loquitur ergo de contemptu virtuali et generali, qui in negligentia et acedia includi solet; talem autem negligentiam supponit adversari alicui praecepto.

1464. His praelibatis, censeo 1° hoc sacramentum exhiberi posse illi, qui nunquam actu peccaverit. Ita Suarius tom. 4 in 3 p., disp. 42, sect. 2, num. 8, cum Carthusiano, Viguerio, Astensi, Bonaventura, Richardo, Guilielmo de Rubione, Maiori, Palacio, quos ibi citat. Probatur: neque enim ex verbis Iacobi, neque ex aliquo concilio, neque ex forma, vel materia huius sacramenti, neque ex fine eius elici potest necessitas huius conditionis; deinde effectus primarius huius sacramenti optime locum habet in eo, qui nunquam actu deliquit; ergo et sacramentum. Maior propositio suadetur: Iacobus enim solum ait: *Si in peccatis est, dimittentur ei.* Conditionalis haec non petit necessario peccatum aliquod, sed possibilitatem peccandi. Ad haec, concilium Tridentinum et Florentinum nihil aliud addunt his, quae Iacobus habet. Forma etiam huius sacramenti intelligenda est iuxta verba Iacobi, id est: *Ignoscat tibi Deus quidquid peccasti;* ac si diceret, si quid peccasti: et patet in eo qui a nativitate aliquo sensu caruit per quem peccare non potuit, et tamen super illum applicatur haec forma: demum ex materia patet hoc ipsum, tametsi enim Unctio innuat curationem spiritualem, adeoque supponere videatur aliquam animae aegritudinem; non tamen aliam necessario praeter eam, quam homo lapsus incurrit, ut Daemonum pravis suggestionibus resistat, praecipue posita corporis debilitate ex morbo illo gravi proficiscente. Finis autem praecipuus huius sacramenti est aegrotum corroborare in illo mortis discrimine adversus Daemonis insultus ac technas, et ungere illum tanquam pugilem ad luctam, quo subsidio et unctione etiam indiget ille, qui nunquam actu deliquit, ut in gratia perseverantiam obtineat, ut debilitatem virium confirmet, ut dolorem, taedium, tristitiam, quae possit hominem a fervore charitatis aliquantulum avocare, propulset. Qui autem nunquam actu peccavit ex se, hanc corporis debilitatem ac taedium et tristitiam contraxit ratione originalis peccati, ac proinde non solum erit capax subsidii per hoc sacramentum exhibiti, sed etiam illo indiget; quid, quod gratiae sanctificantis ex opere operato novos auctus sibi comparat, et ad ingressum beatitudinis amplius disponitur? Firmatur amplius hoc; licet enim quis post aliquod peccatum actuale se totum perfectissime Deo devoverit, animumque ab omni culpa avocaverit, et ex singulari privilegio, omni vel levi culpa caruerit, tamen nemo inficiabitur, hunc esse capacem huius sacramenti, cum tamen forma ipsius non erit vera in eo, nisi sensu a nobis adducto, ergo idem erit, licet nullum actuale peccatum commiserit. Et ratio ulterius est, quia peccatum actuale non est materia proxima, vel remota huius sacramenti, sicut Poenitentiae; quare licet nullum praecesserit peccatum, exhiberi et applicari poterit quidquid ad essentiam huius sacramenti pertinet.

1465. Censeo 2° probabilius esse B. Virginem hoc sacramentum Extremae Unctionis suscepisse. Ita Albertus Mag. cit. cum aliis supra; quibus adde Canisium, lib. 1 de B. Virgine, cap. 9, dum probat Albertum asserentem, B. Virginem omnia sacramenta novae legis suscepisse, dempto Ordine; debuit tamen Matrimonium et Poenitentiam excipere. Huic sententiae assentitur Suarius, tom. 4 in 3 p., disp. 42, sect. 2, n. 11. Probatur primo, quia nihil est quod obstare potuerit receptioni huius sacramenti in Deipara, ut sufficienter ex primo asserto constare potest. Et confirmatur: non est enim magis indecens quod fuerit extreme uncta hoc sacramento B. Virgo, quam quod fuerit Baptismo abluta; siquidem Baptismus suscipitur in ablutionem peccati, et ipsa ablutio non quamcunque sanctificationem denotat, sed illam, quae a peccati labe animam abluit; quia tamen hunc effectum significat, non ut necessario id actu praestandum, sed solum quoad collationem gratiae de se sufficientis, et relatae ad illud malum propulsandum, ideo in Virgine Deipara, ut vidimus, locum habere potuit; ergo idem dicendum erit de sacramento Extremae Unctionis: non enim minus ordinatur Baptismus ad expulsionem maculae originariae, quam Extrema Unctio adversus reliquias eiusdem originalis peccati; nemo tamen adstruit, peccatum originale esse materiam Baptismi, sed esse malum adversus quod institutus est Baptismus. Sicut ergo est capax Baptismi qui non habet originale peccatum, ut patet in his, qui sine voto illius in gratiam redacti sunt antequam ille institueretur; tum patet maxime in B. Virgine, sat enim est ut esset capax gratiae expulsivae peccati originalis; ita etiam erat capax Extremae Unctionis, licet nullas haberet reliquias originalis peccati, quia capax erat gratiae corroborantis adversus illas reliquias, et taedium, ac dolores ex morbo proficiscentes, si adfuissent. Tunc autem vere applicata fuit B. Virgini forma huius sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti,* etc.; id est, conferat tibi Deus gratiam ex se remittentem omnem culpam, si adsit, et corroborantem adversus reliquias peccatorum, si adsint, si necesse sit. Probatur secundo, quia cum fuerit receptionis huius sacramenti capax, ergo illud suscepit, tum propter fructum eius, tum propter fidelium aedificationem, praecipue si verum esset exstare praeceptum aliquod recipiendi hoc sacramentum, ut plures volunt, sicut vidimus; tum denique ad exhibendum fidelibus humilitatis exemplum. Quae est ratio D. Antonini, 3 p., tit. 14, c. 1, part. 3, ubi haec habet verba: *Ponit Albertus quod B. Maria in morte se fecerit inungi, sicut etiam communicavit: et hoc non qua indigeret, cum nullum peccatum etiam veniale, nec reliquiae peccati essent in ea; sed ut*

praeberet fidelibus in omnibus exemplum humilitatis, et vitae christianae.

Maius dubium ex eo oriri poterat, quod nempe hoc sacramentum solis aegrotis institutum sit, illisque solis Ecclesia subministrare soleat, non sanis: at B. Virgo nulla unquam aegritudine corporali tacta fuit, sed amoris telo saucia decubuit; non ergo suscepit hoc sacramentum. Assero tamen id nihil obstare; quamvis enim nullam aegritudinem ab inordinata humorum redundantia provenientem passa fuerit; corporis tamen debilitate ab intrinseco proficiscente iacuit, quae ad eum statum illam deduxit, in quo viribus naturae anima in corpore conservari non poterat, quae quidem debilitatio ac virium corporalium imbecillitas est sufficiens corporis infirmitas ad huius sacramenti susceptionem; sicut si senio confectus, omni alia aegritudine seclusa, vitam finiret, ipsi utique hoc sacramentum exhiberetur. Suscepit ergo Virgo Deipara Extremam Unctionem, non ut peccata deleret, quae nulla in ipsa fuere, neque ut morbum propulsaret ab intrinseco, sive ab inordinato aliquo humore praedominante consurgentem, quo nunquam afflictata fuit, neque ut hostes humani generis abigeret, ipsi enim semper ab illa procul abfuerunt; sed ut novos sibi gratiae auctus cumularet, et ut reliquis fidelibus conformaretur, omnibusque humilitatis, et obedientiae exempla praeberet. Per hactenus dicta convulsa manent fundamenta oppositae sententiae. Maxime autem displicet Supplementum Gabrielis in illa distinct. 23, q. 1, art. 3, ad dub. 3, ubi annumerat Ioannem Baptistam inter eos qui prorsus sunt incapaces huius sacramenti; ait enim non esse ungendum, si post Christum moreretur; cuius oppositum ex dictis sufficienter deducitur.

CERTAMEN V.

Nunquam B. Virgo Poenitentiae sacramentum recepit.

1466. Missos hic facimus haereticos Novatores, qui cum B. Virginem peccati actualis labe commaculent, nihil incommodi censebunt in eo quod Virgo Deipara sacramentum Poenitentiae receperit, si tamen id sacramentum admittant. Siquidem miris modis sectarii verba illa B. Virginis ad Filium, nempe: *Fili, quid fecisti nobis sic? Frater tuus, et ego dolentes*, etc. depravant. Alius enim ait: *Mater accusat filium, et quasi perturbata dicit: Non debebas hoc facere nobis.* Alter corvinus: *Non solum Filio, sed etiam fide erga Deum Maria privatur, dum haec cura semper remordet: Deus irascitur tibi, et fortassis non vult ut tu amplius Filium eius nutricandi officium praestes.* Lutherus in postilla: *Quid potuit cogitare Maria, nisi sua culpa amissum Filium Dei, et Deo Patri visam indignam, cui Filium suum semel commissum, denuo relinqueret?* Brentius item in c. 2 Luc.: *Me tuam esse Matrem non ignoras, nec te filium: novisti praeceptum illud Dei: Honora patrem tuum, et matrem tuam: novisti poenam, quam exsoluturi sunt immorigeri parentibus: cur igitur fecisti nobis sic, qui tibi nullam nos contristandi occasionem tribuimns, sed, quibus potuimus, beneficiis te prosecuti sumus, et multa incommoda passi tecum, sed gratiam nobis rependis?* Insana et vecors ac petulans illa Calvini vox: *Magnopere laborandum est, ut Mariam purgemus ab omni vitio.* Et hac non contentus blasphemia, concilii Tridentini Patribus oblatrat, quod illi detulerint illud specialissimum privilegium immunitatis ab omni, vel levissima culpa. Sarcerius multiplicem Mariae culpam appingit, nempe ignorantiam, caecitatem, tarditatem in credendo, subdubitationem. Centuriatores etiam nescio quas imbecillitates in B. Virgine fingunt, ac licenter sugillant; insimulant eam criminis, quia ab Angelo sciscitata est, *Quomodo fiet istud?* Peccatricem faciunt, quod Filium amiserit, cum tamen ille se parentibus subduxit, et quod desperabunda eum quaesierit: deliquit item iuxta ipsos, quod Christi verba in templo non perceperit; quod dixerit in nuptiis Cana: *Vinum non habent*; quod Filium concionantem interpellaverit. Quare horum iudicio B. Virgo saepe in peccata prolapsa sacramento Poenitentiae indiguit. Haec et alia homines foeculenti putidissimo ex ore evomunt, quae Mariae Virgini, imo et ipsi Christo culpam aliquam attribuunt; quae retulisse, expugnasse sit.

Ex catholicis etiam reperiuntur aliqui, qui affirmare non verentur B. Virginem tempore Passionis in fide aliquo modo nutasse. Hi sunt auctor qq. Veteris Testamenti, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Amphilochius, quos retuli Certamine de fide B. Virginis, ibique eos refelli. Unum Theophylactum hic adducam affirmantem in montana petiisse ut debilem et infirmam fidem solidaret, verba Gabrielis experimento comprobans, eorundemque veritatem facto confirmans, Elisabetham invisens. Cum ergo iuxta hos Doctores B. Virgo aliqualem fidei imperfectionem admitteret, potuit eam sacramentaliter fateri legitimo Sacerdoti. Verum haec sententia a concilio Tridentino omnino explosa est, ut vidimus Certamine speciali, ubi B. Virginem ab omni vel levissima culpa immunem fecimus, idque fide divina credendum statuimus.

Insuper Albertus Mag. super *Missus est*, c. 69 et 70; Ludovicus Vivaldus citatus a Fagundez in 2 praecep. Eccles., lib. 1, c. 2, n. 10; D. Thomas 3 p., q. 37, art. 4; Canisius, lib. 1 de B. Virg. cap. 9, § *Etsi*. Hi iuxta Fagundez cit. docere videntur Virginem Daiparam, licet nullum peccatum contraxerit, tamen solitam fuisse confiteri apud Ioannem Evangelistam, ut praeceptum divinum confessionis adimpleret, certo quodam confessionis modo ab ipsis praescripto. Addit Fagundez Vivaldum in Candelabro aureo, V. *confessio*, et Victoriam in Summa, V. eodem, apud quos tamen nunquam invenire potui; nempe B. Virginem forsan aliquando se subiecisse praecepto Confessionis, non ex intentione adimplendi divinum praeceptum, sed ratione exempli; sicut se subdidit legi Purificationis, qua nulla ratione tenebatur, solum ut aliis praeiret exemplo.

In universum autem probari posset B. Virginem huic se sacramento aliquando subiecisse ; quia Virgo Deipara subdubitare potuit utrum aliquam levem culpam contraxisset, vel aliqualem negligentiam culpabilem quandoque incurrisset, ut puta tempore quo Filius per triduum in templo remansit. Imo Salmeron, tom. 3, tract. 46, § *Dolentes*, in illa verba: *Pater tuus et ego dolentes*, ait, hunc dolorem fortasse ortum habuisse ex timore negligentiae propriae in servando tanto deposito. Deinde ut vere humilitatis amans vereri poterat, ne tot tantisque Dei auxiliis bonorum operum foenore responderet quoad posset. Sic plures timoratae conscientiae viri inter fatendum subdere solent, si forsan deliquerint in hac animi ingratitudine erga Deum in tantorum beneficiorum effusa largitione; ergo eadem ratione nihil incommodi, aut indecentiae apparere videtur, quod B. Virgo, si forte in aliquo deliquisset sacramentali confessione confiteretur.

1467. Tamquam certum tamen tenendum est, B. Virginem nunquam sacramentum Poenitentiae suscepisse, neque illius praecepto divino subiacuisse: hoc secundum probatur, quia si iuxta communem Theologorum sententiam cum Suario, tom. 4 in 3 p., disp. 35, sect. 1, n. 1, Fagundez in 2 praecep. Eccles. lib. 1, c. 2, n. 11, praecepto divino Confessionis non obligantur illi qui habent peccata venialia tantum, sicut nec etiam obligantur praecepto ecclesiastico de annuali confessione semel in anno facienda, potiori iure infertur non obligari innocentes, qui nunquam nec lethaliter, nec venialiter deliquerunt, qualis fuit Virgo Beata. Prima vero pars asserti suadetur facile, quia defuit in B. Virgine materia remota, et proxima sufficiens, ac necessaria ad perceptionem huius sacramenti, materia siquidem remota sunt peccata levia, vel gravia: illa sunt materia remota sufficiens, haec necessaria ad sacramentum Poenitentiae; nullum autem peccatum, nec levissimum, contraxit Deipara, ergo ex defectu materiae remotae incapax omnino fuit huius sacramenti: nam sicut ob defectum aquae naturalis nequit consistere sacramentum Baptismi, ita ob defectum peccatorum in subiecto nequit recipi sacramentum Poenitentiae. De materia proxima idipsum ostenditur; quia nequit dari dolor attritionis sive contritionis de peccato, ubi non est peccatum, et licet daretur dolor de peccato possibili, sive de peccatis *ut sic*, quatenus malum maximum, non tamen sufficeret iste dolor ad Poenitentiae sacramentum; de peccatis enim propriis debet quis conteri in confessione, non de peccatis utcunque: quis enim dicat hunc actum sufficere ad confessionem sacramentalem, *dolco super omnia me peccare potuisse, aut aliquando posse*? Imo tam certum arbitror Virginem Deiparam nunquam recepisse sacramentum Poenitentiae, quam sit certum nullum peccatum actuale contraxisse. Sicut ergo est fide certa tenendum, ut alibi monuimus, B. Virginem nulla unquam vel levissima culpa attaminatam fuisse; ita etiam tanquam certum infertur nunquam hoc sacramentum suscepisse, quod exigit necessario aliquod peccatum actuale.

Occurret aliquis, potuisse Virginem Deiparam confiteri sub conditione, *si forsan deliquerim* : ita Sylvester in rosa aurea, tit. 3, casu 54, ubi docet B. Virginem revera hoc sacramentum suscepisse, subditque ipsam nescivisse, utrum venialem aliquam culpam committeret, necne; et ideo confiteri potuisse B. Ioanni venialia sub conditione: siquidem bonarum mentium est ibi timere delictum, ubi nec culpa levissima est. Respondeo primo: nec, si ita confiteretur, reciperet sacramentum ob defectum materiae, ut monui. Deinde adduci non possum ut credam, nescivisse Deiparam, se in nullam culpam vel levissimam incidisse aliquando, cum optime calleret, se nullam a Daemone unquam passam fuisse pravam suggestionem; ab intrinseco autem nullum inordinatum motum experiebatur adversus rationem insurgentem, cúm nullum peccati fomitem praesentiret, eiusque sensus, oculos praesertim, et auditum, singulari quadam providentia a Deo protectos, ac semotos ab omni peccaminoso obiecto, ipsa experientia, perspiceret. Praeterea apprime introspiciebat, se actu amoris in Deum ardentissimo ac iugi sine interceptione aliqua ferri, qui amor omnem vel levissimam peccati labem procul exterminat, quod luculenter agnoscebat, ac in se experimento comprobabat. Postremo quis inficias eat B. Virginem non bene calluisse se in bono confirmatam, et ad peccatum moraliter impotentem? Cur enim haec cognitio attribuitur Angelis a Theologis, nempe impeccabilitatis; ipsi vero Deiparae eam denegabimus, cum illa cognitio nihil merito Mariano detrahat? Per quae convulsa manent adversariae sententiae fundamenta. Quod vero idem Sylvester cum Alberto Magno et s. Antonino aiunt B. Virginem sacramentum Poenitentiae recepisse, ita ut pro confessione peccatorum exhibuerit confessionem laudis erga Deum et suae humilitatis, et pro contritione habuerit vitae innocentiam ; perinde est ac dicere, aut hoc sacramentum pro B. Virgine fuisse alterius naturae, quod commentitium est; aut illud vere non recepisse. Quare merito Vasquius, tom. 2 in 3 p., d. 119, cap. 7, num. 61, perstringit Sylvestrum citatum, quod frivolis rationibus ductus id asseruerit; tum quia incredibile videtur Vasquio, B. Virginem aliquo modo dubitasse de sua innocentia, ac proinde verisimile non esse, sub dubio de aliquibus venialibus fassam fuisse; tum quia licet hoc modo confiteretur, absolutionis beneficium recipere non posset, nisi aliquod peccatum actionis determinatae confiteretur, nequit enim super materiam incertam ac indeterminatam impendi absolutio. Instabis eandem B. Virginem, apud D. Bonaventuram de meditat. Christi, c. 3, sic allocutam ad s. Elisabetham: *Pro firmo habeas, quod quando eram in templo, ita me reputabam ream et vilissimam. et gratia Dei indignissimam sicut tu.* Ergo B. Virgo nesciebat utrum ab omni esset culpa libera. Confirmatur ex Alberto Mag. in Mariali, ubi disputat, utrum B. Virgo veram poenitentiam ha-

buerit; et affirmat hac ductus ratione: *Non obstat*, ait, *quod Virgo non habuerit peccatum, quia, ut dicit B. Gregorius, bonarum mentium est culpam ibi agnoscere, ubi culpa non est.* Ergo ex sententia Alberti B. Virgo ex summa animi demissione aliquam culpae suspicionem habere potuit. Respondeo omnino mihi displicere hanc sententiam. Verba illa a B. Bonaventura allata explicanda sunt ita, ut B. Virgo se ream duxerit, non quod alicuius culpae, vel levissimae se consciam arbitraretur; sed quia suis viribus relicta, ac gratia Dei nudata, ac singulari Dei protectione carens, probe cognosceret reatibus se irretiendam iri.

CERTAMEN VI.

Utrum B. Virgo Ordinis sacramentum susceperit, ipsiusve recipiendi capax fuerit.

1468. Non inepte, neque incongrue quis deducere posset inesse Deiparae sacerdotale quoddam munus conficiendi aliquando corpus Christi per operatoria verba; siquidem uno verbo, *Fiat*, et sanguine suo fecit Verbum divinum, hominem in sinu suo, et quidem perfectiori modo; nam verbo et sanguine suo fecit Deum-hominem intime sibi praesentem, et quasi sibi identificatum, cum ex eadem carne et sanguine Virgineo conflatus sit Christus. Praeterea in Eucharistia nihil substantiae panis superest: at in generatione Christi a Beata Virgine manet aliquis sanguis ipsius Deiparae, ut alibi fuse tradidimus. Deinde accidentia panis permanent in Eucharistia, non vero in corpore Christi: at plurima accidentia in lacte et sanguine Deiparae inhaerentia, in corpore Iesu remanserunt, quia eadem materia et forma sanguinis conservata fuit in Christo Domino, atque adeo idem subiectum accidentium; nec ulla apparet ratio cur illa accidentia periisse dicamus. Postremo plures partes sanguinis haustae a Maria Christo resurgenti fuerunt restitutae, quae nunc etiam in Eucharistia manent; nulla tamen pars substantiae panis reperitur in hoc sacramento. Ideo forsan in intimis templi penetralibus degere soli Virgini B. licuit, ut alibi dedimus; non alio titulo, nisi quia nobiliori Sacerdotio praedita, quam veteres Sacerdotes. Rem bene expendit Gerson, tract. 9 super *Magnificat*, Alphabeto 89, lit. B, ubi haec habet de sacerdotio Deiparae: *Maria, etsi non fuit insignita charactere sacerdotalis officii, nihilominus nunc, et antea, et postea fuit in regale sacerdotium prae consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam et perfectam in altari cordis sui.* Alphab. 82, lit. Z, subdit: *Non habet characterem sacerdotalem formaliter, fateor; habet tamen eminentius ad reconciliationem peccatorum, ad auxiliandum contra potestates aereas, contra calamitates, et miserias omnes tam animarum, quam corporum, quoties voluerit nos tanquam filios debiles et foedos curandos, purgandosque suscipere.* In quibus verbis alludit Gerson ad potestatem sacerdotalem absolvendi a peccatis, quae iurisdictio, teste Gersone, est penes B. Virginem eminentius, quam in quolibet Sacerdote. De potestate autem offerendi hostiam sanctam et immaculatam, iam praemiserat supra.

Nec defuit vestis sacerdotalis, de qua pepigit Psalmographus, Ps. 44: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus* (vel, ut alii transferunt, *ex penetralibus*), *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quasi omnis Deiparae ornatus situs esset in omnium virtutum decoramento: vestis autem fimbriata similitudinem indumenti sacerdotalis referebat, iuxta D. Basilium in c. 3 Isai. ad illa verba: *Auferam ab eis tunicas fimbriatas. Vestis*, ait Basilius, *fimbriata, quae non usquequaque familiaris est, tantummodo ipsi deprehenditur in apparatu textili Pontificiae vestis, quae haberet mala granata et aurea tintinnabula; quae singula per exuberantem mollitiem suam filiae Sion imitabantur in ambitu sui vestimenti.* Huc respiciebat David, Psalm. 143: *Filiae eorum compositae, et circumornatae ut similitudo templi.* Id est ad similitudinem vestimentorum, quibus in templo summi Sacerdotes ornabantur sacra facturi. Ornatus ergo, qui in reliquis foeminis Deo erat invisus, in Deipara, quae singulari privilegio in sacratioribus templi adytis degebat, solis summis Sacerdotibus obviis, Deo adspectu iucundissimus visebatur, qui similis erat poderi, in quo summus Sacerdos Sancta sanctorum adibat; de quo genere vestis ait Sap. 18: *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia.* Quae verba versans Philo Iudaeus ait, omnium creaturarum similitudinem retulisse. Quod in B. Virgine Gerson, tract. 3 super *Magnificat*, Alphab. 82, lit. X, libens admittit: *Omnis*, inquit, *pulcritudo filiae regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate cuiuslibet creaturae, cui adstat unicuique sua pulcritudo saltem naturalis, cuius prima lineamenta deleri non possunt, possunt tamen superinduci* etc. *Circumdatur omnibus et singulis creaturis, tanquam vestimento decoro multimoda varietate depicto, quarum omnium virtutes insignes continet, non quidem formaliter, sed eminenter.* Qua de re alibi satis multa congessimus. Albertus Mag. in Mariali, cap. 71, quaerit utrum B. Virgo charactere sacerdotali insignita fuerit; et respondet, nequaquam praefulsisse characteribus Ordinis, eorum tamen munia sublimiori quodam modo subiisse, ita ut habuerit, ait ille, sacerdotium in summo, id est supremi sacerdotii gradum attigisse.

1469. Fatemur autem sacerdotalem potestatem, sive sacramentum Ordinis, eiusdem characterem a B. Virgine nequaquam fuisse susceptum; atque adeo nec unquam sacrificasse, nec Sacerdotii munere aliquo functam asserimus cum D. Epiphanio, haeres. 79; semper enim foemineus sexus, cum sortitus fuerit in Ecclesia subiectionis conditionem, a sacris tam in veteri, quam in novo Testamento fuit semotus. Imo cavetur ecclesiastico Canone 15 q. in principio, et dist. 23, canone *Sacratas*, ne ulla foemina sacrorum Ordinum munus exerceat, neve sacra

contingat. Quod vero id ita sensisse semper Ecclesiam, illud robustissimum argumentum est; quod si foeminae iure divino incapaces non essent huius sacramenti, utique Christus Dominus B. Virginem dignissimam Genitricem suam, illo non privasset; cum nemo, neque ex Apostolis, neque ex aliis omnibus, qui hoc sacramento cohonestati sunt, aeque digne ac B. Virgo tanto munere fungeretur. Quo argumentandi genere utuntur Durandus, Supplementum Gabrielis, Almainus, Dominicus Sotus, Vasquius, tom. 3 in 3 p., disp. 245, c. 2, num. 7, ut probent ac roborent perpetuam in hac re Ecclesiae consuetudinem. Praesertim cum si sexus foemineus iure divino ab huius sacramenti receptione non arceretur, immerito Ecclesia omnes foeminas illa privasset: licet enim plurimas iustissimis de causis ab hoc sacramento excluderet, aliquae tamen reperirentur, praesertim Beata Virgo huius receptionis sacramenti dignissima, ut ait sanctus Epiphanius citat., qui ex eo idipsum confirmat, quia nulla foemina, a primo nascentis mundi exortu, legatur, neque ipsa Eva Deo sacrificium litasse; quippe ex solis viris in lege naturae, et scripta Deus sacerdotes elegit. Quare ex institutione Dei et Christi Domini, sexus muliebris sacramenti Ordinis incapax omnino est, sicut sanus non est subiectum capax Extremae Unctionis: et merito; nam cum Sacerdotes et Episcopi a Deo instituti sint in gradu sublimiori prae reliquis omnibus, ac eos informare, et instituere oporteat caeteros, optimae rationi omnino difforme videretur foeminas in hoc sublimiori sacerdotii fastigio collocare. Ait enim Paulus I Cor. 14: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui*, etc. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Rationi ergo valde conforme fuit, ut foeminae incapaces omnino essent receptionis huius sacramenti. Si enim iuxta Paulum, turpe est mulieri in Ecclesia loqui ac docere, Christus utique non erat instituturus quod turpe et videretur et esset.

Ex dictis elici potest, foeminas non solum iure Ecclesiastico, sed etiam divino naturali incapaces esse non solum sacramento Ordinis, sed etiam primae Tonsurae, et quatuor Minorum, quamvis non sint sacramenta: ita Vasquius cit. num. 12. Unde summum Pontificem dispensare non posse, ut mulieres aut primam Tonsuram, aut minores Ordines suscipiant. Licet enim haec sint ab Ecclesia instituta, cum tamen sint instituta tanquam sacramentalia, ac dispositiones ad susceptionem sacramenti Ordinis; eodem iure et eisdem rationibus, quibus aliquis incapax est sacramenti Ordinis, erit etiam Tonsurae et quatuor Minorum. Deinde indecens est foeminas constitui in aliquo gradu ecclesiastico, ut in templo munere aliquo, sive ministerio fungantur, et ut doceant; quod foeminas dedecet. De prima Tonsura idem ostenditur, quia ad inserviendum in templo aliquo modo designatur, non expedit autem foeminas in templo servire, sed quae ibi aguntur, ac dicuntur inspicere et audire. Itaque si caeremonia ordinationis foeminae alicui adhiberetur, non esset vera ordinatio, sive Ordinis et characteris susceptio propter incapacitatem sexus: quam doctrinam tradunt s. Thomas, in 4, dist. 25, q. 2, art. 1, qu. 1; Bonaventura art. 2, q. 1; Scotus, Durandus, Supplementum Gabrielis, Almainus, Dominicus Sotus, Viguerius, Sylvester, Angelus, aliique, quos assectatur, et citat. Vasquius cit. cap. 2, qui subdit oppositam sententiam, quod spectat ad ordinationem, quae est sacramentum, absque ulla dubitatione erroris notam, ad minimum, mereri. Quamvis enim in nullo Concilio eam erroris nota inustam fuisse legamus, plures tamen Patres ab ipso Vasquio cit. allegati, eam tanquam errorem manifestum haereticorum referunt; et inconcussa ac perpetua Ecclesiae traditio nunquam foeminam ullam sacris initiari permisit, imo illud interdixit, quia nempe sibi tanquam certum persuasit iure ipso divino mulieribus id esse omnino prohibitum.

1470. Refert autem Epiphanius haeres. 49, Quintilianos, Priscillianos, Pepuzianos, Cataphrygas asserentes non solum foeminas in Diaconissas initiari debere, sed etiam in presbyteratus et Episcopatus dignitatem eas ascendere oportere; quem errorem refert etiam Augustinus, lib. de haeresibus, c. 27. His annumerari possunt Colliridiani, apud quos, teste Epiphanio haeres. 79, foeminae quaedam Sacerdotissae ad sacrificandum constituebantur, quae solemni quadam uniuscuiusque anni die panem in sacrificium B. Mariae offerrent. Hanc etiam haeresim attribuit Acephalis Sigibertus in suo Chronico sub anno Domini 526. Triplici fundamento eiusmodi haeresis innitebatur. Primo quia in utroque Testamento foeminae aliquae in Prophetissarum munus fuerunt assumptae, qualis fuit Maria soror Moysis, ut constat ex c. 12 Numerorum, et Anna filia Phanuel Luc. 2, et quatuor filiae Philippi Diaconi, ut ex historiis patet; de B. Virgine idipsum peculiari Certamine supra ostendimus: non ergo mirum si sacris etiam initiarentur. Dein antiquitus feruntur fuisse in Ecclesia Subdiaconissae, Diaconissae, et Presbyterae, de quibus locutum fuisse Paulum, I ad Timot. 3: *Mulieres similiter pudicas*. Postquam, aiebant haeretici, Paulus Timotheum instruxit pro Diaconis, subiicit statim: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias* etc. Immo, cap. 5, ubi sermo est de viduarum electione, statuit Apostolus, ne minor sexaginta annorum eligatur, quae fuerit unius viri uxor; sicut de Diaconis idem admonet c. 3, ut unius uxoris vir eligeretur. Tertio desumitur argumentum ex illo 3 ad Galatas: *In Christo Iesu non esse masculum, neque foeminam*. Ergo in Ecclesia Dei, inferebant illi, et in ministris templi nullum debet esse discrimen inter mares et foeminas quoad templi ministerium et obsequium, adeoque et foeminae assumi debent ad sacros Ordines.

Primum et tertium haereticorum fundamentum facile convelli possunt. Ad primum, ait Richardus in 4, dist. 25, art. 4, q. 1, latum esse discrimen inter prophetiam et sacramentum

Ordinis: nam per prophetiam nulla datur foeminae in virum potestas, at per Ordinem conferretur mulieri potestas in viros: licet ergo mulieri dari possit potestas in alias mulieres, ut constat in monialibus, in viros autem nequit esse. S. Thomas, in 4, dist. 25, q. 2, art. 1, aliter respondet, nempe in his quae spectant ad animam, mulierem utique non differre a viro, cum passim reperiantur foeminae multo perfectiores viris; at prophetiae donum spectat ad animae ornamentum, adeoque mulieri conferri potest. At Ordo nequaquam; quia per ipsum denotatur excellentia gradus in reliquos tam viros, quam mulieres, quae excellentia nequit competere mulieri, quia ipsi a natura convenit status subiectionis. Ad tertium, cum eodem Richardo cit. dicimus, verba Pauli ita esse interpretanda, ut in Christo et lege eius nullum intersit discrimen inter masculum et foeminam, quod attinet ad meritum, ibi enim Paulus non agebat de ministris templi, sed de omnium fidelium iustificatione, ut colligitur ex verbis antecedentibus: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu, quicunque enim baptizati estis, Christum induistis.* Subiungit autem: *Non est Iudaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque foemina,* nempe apud Deum, quoad adoptionem in Christo per fidem eius. De his enim sermonem instituerat in eo capite, non de ministeriis Ordinum.

1471. Maiorem nobis ingerit difficultatem id quod in secundo argumento subsumunt haeretici de Diaconissis, Sacerdotissis et Episcopissis. Respondeo itaque antiquitus plures foeminas his nominibus vocari solitas; non quia vero Ordinis sacramento initiarentur, sed ob alias causas. D. Thomas citatus ait ex eo dictam Diaconissam, quia illae foeminae aliquod Diaconi munus obibant, ut puta legere Homiliam in Evangelium ad Matutinum iussu abbatissae in monialium coetu: Presbyteram autem dictam mulierem, quae vidua et senior erat, nihil enim aliud significat presbyter, quam seniorem. At Scotus in 4, dist. 25, q. 2, § *Hic breviter*; Thomas de Argentina ibid. a. 3, conc. 2, quod spectat ad Presbyteram, existimat foeminam sic dictam in Ecclesia latina, quod esset honesta matrona inter alias, vel monialium abbatissa: in Ecclesia vero graeca, quia erat sacerdotis uxor: licebat enim apud Graecos sacerdotibus in coniugio permanere, quod nullo Canone confirmant. Tum illis opponi possit ex Clemente Romano, lib. 8 constitut., c. 24, alias 30, ubi ex persona s. Iacobi ait: *De Virginibus statuo, Virgo non sit ordinatione* etc. Ibidem eadem profert ex persona s. Thadaei Apostoli de viduis verba faciens: *Haec de viduis constituo: Vidua non ordinetur, sed si iamdiu virum amisit, et caste vixit* etc., *coaptetur in gradum vidualem.* Imo Paulus I ad Timot. 5: *Adolescentiores viduae ad vidualem statum non ordinentur.* Attamen in his locis per Ordinationem non intelligitur caeremonia aliqua, qua initiari dicerentur, sed solum innuitur electio, seu coaptatio ad statum aliquem sive virginitatis, sive continentiae; quare noster Turrianus transfert: *Nec coaptentur.* Patet etiam ex Clemente Romano, lib. 8 Constit. c. 19 et 20, alias 26, aliquas foeminas dictas fuisse Diaconissas; ait enim ibi s. Bartholomaeus Apostolus: *De Diaconissa vero ego Bartholomaeus constituo, ut manus ei, Episcope, imponas praesentibus Presbyteris, et Diaconis, ac Diaconissis, et dices: Deus aeterne* etc. Ex quibus verbis apparet benedictione aliqua et caeremonia has Diaconissas ordinari vel coaptari consuevisse; cuius ordinationis meminit Tertullianus, lib. de exhortat. ad castitatem, c. ult.: *Quae mulieres in Ecclesiis ordinari solent, quae Deo nubere maluerunt.* Quod etiam suaderi potest, quia concilia aliqua abrogarunt hanc benedictionem, ordinationem et consecrationem; ergo supponebant has Diaconissas non sine aliqua caeremonia seu consecratione aliqua in gradu Diaconiae poni consuevisse. Et quidem tempore Pauli fuisse etiam eiusmodi Diaconissas, elici potest ex illo ad Rom. 16: *Commendo autem vobis Phaebem sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae.* Quasi diceret existentem Diaconissam: id enim innuit verbum quo utitur Paulus, οὖσαν διάκονον. In concilio etiam Nicaeno, can. 19, haec habentur: *Commemoravimus autem de Diaconissis, quae in hoc ordine inventae sunt, quae nec manus impositionem aliquam habent.* Verum haec intelligi possunt de Cataphrygis, apud quos, ut monuimus, foeminae initiabantur sacris, sicut et viri. Ex hoc autem concilio constat catholicorum consuetudinem inolevisse, ut per manuum impositionem foeminae in Diaconissas assumerentur. In concilio etiam Calcedonensi, act. 15, dicitur, Diaconissam ordinari non debere ante annum quadragesimum. Penes etiam primum concilium Arauscanum sub Leone I prohibentur foeminae sic ordinari, sic enim habes ibi can. 26: *Diaconissae omnimodo non ordinandae*; supponit ergo illas aliquando sacris initiatas.

1472. Reliquum est, ut videamus harum Diaconissarum munus et ministeria. Primum igitur Diaconissarum munus erat, instruere reliquas foeminas de rebus, de quibus cum Diaconis aut Episcopis agere debebant: tum etiam sicut Ostiarii manebant ad introitum ac portam virorum; ita Diaconissae ad portam mulierum ut illam custodirent, quod elicitur ex Clemente Rom., lib. 2 Const., c. 57, alias 61. Aliud praeterea munus harum Diaconissarum eruitur ex eodem Clemente, lib. 3, c. 15, quia sicut Diaconi munus erat ungere oleo sancto frontem mulierum, quae baptismo abluebantur; ita Diaconissarum munus erat eas abstergere, ne a viris conspicerentur. Dein viri baptizati suscipiebantur a Diacono; foeminae vero a Diaconissis. Epiphanius alia his Diaconissis munera tribuit his verbis, haeresi 79: *Et ministerium Diaconissarum appellatarum Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur; verum reverentiae gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visitationis, affectionis, aut laboris, et quando nu-*

datum fuerit corpus mulieris, ut ne a viris sacrificantibus conspiciatur, sed a ministrante muliere, cui praecipitur a Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipsius, ita ut ordo bonae disciplinae etc. *munitus sit in mensura regulae.* Itaque ex mente Epiphanii munus Diaconissarum erat etiam lavare corpus mulierum in balneo, et abstergere ante baptismum. Mos enim inolevit, ut catechumeni prius balneo lavarentur ne sordido corpore sacris tingerentur undis. Vasquius addit disp. illa cit., c. 3, n. 47, ex verbis Epiphanii colligi ministerium Diaconissarum fuisse, ut curam gererent ad tempus indigentium mulierum, ut si propter aegritudinem illarum, aut necessitatem, aliquando opus esset balneo, aut eorum corpus inspici oporteret, Diaconissae assisterent, neque opus esset virorum adiumento.

Demum post tempora primitivae Ecclesiae, in Ecclesia latina quaedam foeminae vocabantur Episcopae, Presbyterae, Diaconae et Subdiaconae, non ab aliquo ordine, quem reciperent, neque a ministeriis, quibus destinarentur, aut consecrarentur, sed a viris, quorum uxores erant, ut ait Michael Medina, lib. 4 de Continentia, contr. 6, c. 7, Vasquius cit., et colligitur ex concilio Turonico sub Pelagio, ubi cavetur, ut Episcopus habeat suam uxorem, ut sororem tamen. Postea canon. 14 subditur : *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum.* Et Canone 20: *Nam si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbyterissa, aut Diaconus cum sua Diaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur.* Et in concilio Antisiodorensi, can. 21, ita statuitur: *Non licet presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum presbytera sua dormire, neque in peccato carnali commisceri, neque diacono, neque subdiacono.* Quia scilicet nullus coniugatus in Ecclesia latina ad hos Ordines promovebatur, nisi prius ex mutuo consensu uterque coniux votum continentiae emitterent. Quod inde suadetur, quod idem concilium Antisiodorense, can. 22, statuit non licere viduae presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi post mortem mariti, alium maritum accipere ; quod potiori iure intelligendum de vidua Episcopi. Ideo Gregorius I in synodo Romana can. 1, sic definit: *Si quis Presbyteram in coniugium duxerit, anathema sit.*

Ex his ergo omnibus, quae hucusque produximus, perspicuum fit, nullas foeminas ullo unquam tempore, neque in Ecclesia latina, neque in graeca, ita fuisse assumptas in Sacerdotissas, ut sacris initiarentur, ut possent celebrare et sacrificium offerre, sicut Cataphrygae et alii haeretici relati supra contendebant; neque fuisse assumptas in Episcopissas, ita ut alias foeminas sacris initiare possent, aut munus aliquod proprium Episcoporum obirent: neque in Diaconissas, aut Subdiaconissas, ad munus proprium Diaconorum, vel Subdiaconorum exercendum; sed solum ad ea munera assumebantur, quae supra retulimus. Hinc tamen perperam haeretici inferebant, posse foeminas sacris initiari, et sacramentum Ordinis accipere, sive in Episcopissas et Sacerdotissas assumi ad sacrificandum: aut constitui in aliquo Ordinis gradu, per quem ad sacerdotium ascenditur, vel quovis modo praeparatur. Quamvis autem praefatae Diaconissae templi portas custodire consueverint, per quas mulieres ingrediebantur; sicut Ostiarii custodiebant valvas, per quas viri in Ecclesiam adibant, id non sufficit, ut asseramus eas vere fuisse ordinatas Ostiarias; illis siquidem non committebatur templi custodia, sicut Ostiariis ordinatis, sed quia magis conducebat foeminas custodire portas, per quas foeminae in templum ingressum habebant, in quo solum vices Ostiariorum gerebant. Hic supererat tractatio de sacramento Eucharistiae ac Matrimonii; sed quia de his duobus sacramentis longior exstat disputatio, commodius duabus sequentibus Palaestris de illis agemus.

PALAESTRA VICESIMAPRIMA

Theologia Mariana in ordine ad Eucharistiam

CERTAMEN PRIMUM

Per Virginem Mariam nobis cibus Eucharisticus exhibitus.

1473. Infra a nobis fusiori tractatione ostendetur, nihil boni aut gratiae nobis aut mundo advenire, quod non ipsi B. Virgini tribuendum sit. Cum autem donorum omnium maximum existat Eucharistiae sacramentum, in praesenti aggredimur probandum, illud etiam per Mariam nobis obtigisse. Ait enim ipsa, Prov. 9: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Quod autem vinum Divinitatis in Mariano utero, tanquam in quodam calice mundissimo, aqua humanitatis temperaverit ac miscuerit, ut nobis illud bibendum propinaret, docet Sponsus Cant. 7: *Umbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis.* Quae verba s. Ildephonsus serm. de Assump. in rem praesentem exponit: In aureo ergo uteri Virginei cratere Divinitatis merum humanitatis aqua sese admiscuit, nobisque potandum proposuit. Unde Petrus Dam. serm. 2 de Nativ. ait: *Per Evam potus mortis porrigitur, per Mariam vitae et pacis poculum*

exhibetur. Sed cur B. Virgo vocat Christum sub speciebus panis delitescentem: *Panem meum?* Plures ex Patribus Mariae attribuunt, quod nos hunc panem acceperimus. S. Augustinus, ser. de Annunc. ait: *Lacta, o Virgo, panem nostrum.* Quasi a B. Virgine nobis iste panis melle ac lacte subactus fuerit, in clibano cordis sui decoctus, nobisque edendus propositus; et s. Petrus Dam. serm. de Nativ. Virg. sic fatur: *De intemeratae carnis suae visceribus cibum nobis protulit animarum, eum videlicet, qui de semetipso perhibet: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Sed dicat aliquis, quod Christus natus sit nobis, bene quidem B. Virgini tribuendum est; quod vero cibus nobis exhibeatur sub speciebus panis ac vini, hoc solum ipsi Christo referendum, cum potuerit Christus nasci, non tamen sub specierum velo latere. Verum assero primo, ex eo Virginem B. vocare Eucharistiam, *Panem meum;* quia, ut docet Aristoteles, 5 Ethic. 4, filius est pars ipsius patris ac matris: et lib. 1 magnorum mor., c. 34, membrum parentis est filius, imo idem cum ipso. Hinc dicere potuit Deipara, in Eucharistia non solum Filii sui, sed suammet carnem, ac sanguinem, vel certe magnam partem inesse; ac proinde non incongrue vocat Eucharistiam *Panem suum:* qui ergo digne hoc pane vivifico reficitur, non solum unum quodammodo cum Christo, sed etiam cum Virgine Deipara efficitur. S. Damascenus, lib. de corpore Christi, probat nos Eucharistiae sacramentum a B. Virgine accepisse, quia caro et sanguis Christi in Sacramento est exhibitus ab ipsa Deipara, adeoque ipsi sicut primo principio tribuendum: quemadmodum si imperatrix ingentes divitiarum thesauros in filium effunderet, quibus filius maioratus institueret, nemo inficiaretur illos annuos redditus matri, tanquam fonti a quo profluxerunt, attribuendos esse, quia ab ipsa posteri receperunt: eadem ratione, quamvis Christus Dominus sacramenta instituit, in quibus ingentes gratiarum gazas in homines erogavit, cum tamen carnem et sanguinem Eucharistiae ab ipsa Deipara Christus acceperit, ideo merito ait Damascenus cibum hunc Eucharisticum a B. Virgine nobis exhibitum fuisse, ideoque ipsi a nobis gratiae referendae: additque s. Doctor: *Tanquam in mensa mystica, in utero Virginis posita est materia panis, et vinum aqua mixtum: his enim mater nutriebatur, et materiam corporis infanti praebebat.* Itaque conversio panis et vini in Christi corpus et sanguinem ex vi verborum, est eximia repraesentatio alimenti Virginei, quod medio sanguine ac lacte in carnem et sanguinem Christi convertebat. Quare mensa Eucharistica ac B. Virginis viscera, valde affinia videntur: sicut enim in altari panis ac vinum naturale hominum alimentum in Christi corpus ac sanguinem transeunt, per consecrationis verba; sic etiam panis ac potus, quibus alebatur Deipara, ex vi naturalis concoctionis, singulari Spiritus sancti virtute in corpus et sanguinem ipsius Christi convertebantur.

Idipsum suaderi potest 2° quia, ut auctor est D. Thomas, in opusc. de sacramento Altaris, est Eucharistia divinae donationis complementum; dedit enim Pater mundo Filium suum, et Filius semetipsum hominibus donavit: ut autem haec donatio esset absoluta et completa, Eucharistiam instituit: cum autem haec perfecta donatio non solum ab aeterno Patre, et a Christo Domino, sed etiam a B. Virgine ortum habuerit, ut alibi monuimus; vere enim obtulit pro nobis Filium suum, qui vere Filius suus erat, et sub patria ipsius potestate: cum ergo voluntas Mariana ad institutionem huius sacramenti cum voluntate Filii concurreret, ipsique seipsum in cibum potumque hominibus exhibenti consenserit; quid mirum, si asseramus Panem hunc caelestem a B. Virgine nobis fuisse collatum? Huc advocandus s. Epiphanius, serm. de laudibus Virg.: *Virginem*, ait, *appello velut sacerdotem pariter et altare, quae quidem mensam ferens dedit nobis caelestem Panem in remissionem peccatorum.* Munus igitur sacerdotii obiit, quia hoc sacramentum pro nobis obtulit Deo Patri. De quo consulendus Salazar in c. 5 Cant. vers. 1.

1174. Ad haec, propter unam Virginem Mariam praecipue hoc sacramentum a Christo Domino fuit institutum: ita enim Christo arrisit Virginei uteri hospitium, ut quia natu maior iam non licebat iterum Marianum uterum ingredi, modum adinvenit, quo saepius virginea viscera inviseret, quoties nempe B. Virgo Panem hunc vivificum assumeret, sumebat autem quotidie, ut infra late demonstrabimus. Experimento namque didicerat per novem mensium curriculum, maternorum viscerum puritatem, munditiem et tanti hospitii maiestatem, virtutumque omnium apparatum, supellectilemque mundissimam. Hinc est quod Christus Dominus e maternis visceribus violenter quodammodo trahi vel extrahi dicatur, licet ad thronum et solium ducatur. Ioan. Apocal. cap. 12, cum dicitur Virgo Beata Filium peperisse, additur: *Raptus est Filius eius ad Deum, et ad thronum eius, et mulier fugit in solitudinem.* Vide infanti Christo, recens nato, regium praeparari thronum, et tamen ad illum rapi, quod violentiam et vim denotat. O grandem Christi in Mariam amorem! Materna viscera deseruisse, licet ad thronum regalem evocetur, ingens fuit ipsi tormentum, ita ut quasi per violentiam avellatur et extrahatur ex materno utero, prae amoris magnitudine: ideo huius tanti solatii causa hoc sacramentum instituit; et quamvis ut dolorem absentiae suae in fidelium animis lenfret, Eucharistiam etiam inveniret, ante alios tamen, et propter unam Mariam praecipue hoc sacramentum institutum fuisse, credendum est; ut posset post Christi in caelos ascensum Filii absentiam facilius sustinere, hoc vivifico Pane beatitudinis dilatae vices subrogante. Merito ergo a B. Virgine hoc nobis sacramentum obvenisse statuimus, quia propter eam potissimum adinventum fuit. Quemadmodum ergo ab una Eva ob traditum Adae cibum omnia nobis mala obtigerunt, et ab ipsa originem duxerunt: ita ab una Maria ob exhibitum ab ipsa salutiferum cibum, omnia in nos bona

delapsa fuerunt. Praestat in rem praesentem audire s. Thomam a Villanova prementem verba illa: *Venter tuus sicut acervus tritici. Illius,* inquit, *tritici, quo Angeli saginantur, populi reficiuntur, et spiritus satiantur; illius Panis, qui de caelo descendit.* Aptius autem nostro instituto Cardinalis Petrus Damianus, serm. de Nativit. Virg.: *Cibum Eva tradidit, per quem nos aeterni convivii fame mulctavit: cibum Maria dedit, qui nobis caelestis convivii aditum patefecit.* Opportune Salmeron, tom. 3, tract. 8, confert Mariam cum Rebecca, quae, ut ab Isaaco marito benedictionem Iacobo filio extorqueret, paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius, Gen. 27. Profecto nescio quid sacchareum sapit Eucharisticus cibus Mariae industria, manibus ac lacte subactus, suoque amore conditus: dulcius melle sapit a melleis Mariae manibus. In tuorum viscerum agro virtutum omnium feracissimo, o Maria, hoc Eucharistiae frumentum satum fuit primum, in cordis tui ferventi clibano coctus hic Panis; deinde pistrix manibus tuis illum subegisti; ac demum nobis edendum proposuisti. Christus granum frumenti, quod granum fuit in utero Virgineo quasi in fertili agello divina virtute satum, caelesti gratiae rore et Spiritus sancti calore foecundatum, ac fotum excrevit in rationalem spicam, imo in tritici acervum, teste sponso: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis,* Cant. 7: ex quo frumento panis efficitur, qui cor hominis confirmat.

1475. Quod adeo verum est, ut nihil sit in Eucharistiae sacramento ex vi et significatu verborum, nisi quod a Deipara acceptum fuerit, ut verissime asserere possumus, non solum per Mariam nobis eucharisticum donum exhiberi, id est ipsa impetrante; sed totum id quod ex vi verborum in Eucharistia nobis edendum, aut bibendum proponitur, Mariae totum deberi, quia ab ipsa acceptum, ut in nos liberali manu profunderet. Merito s. Bernardinus, to. 1, ser. 61, ait: *Omnis institutio sacramentorum ad Eucharistiam ordinatur; quamvis enim per concomitantiam in Christi corpore sit divina substantia et anima, sola tamen substantia panis substantiatur in solam substantiam carnis, non in Divinitatem et animam: et ut expressius magnificem illam dignissimam et beatissimam carnem de Virgine gloriosa decisam, dico quod tanta infinitate nobilitatis eam dignificavit Altissimus.* Sicut ergo nec quidquam in hoc sacramento ex vi verborum eminet, quod a Maria non fuerit acceptum; ob eandem causam quae absunt a verborum significatione, ideo absunt, quod a Maria non fuerint collata: nempe nec divinitas, nec persona Patris, nec Filii, nec Spiritus sancti, nec anima Christi. Et quidem hoc sacramentum illa potuit institui forma, qua ex vi verborum Divinitas, vel Verbum divinum, vel totae tres personae in Eucharistia collocarentur, et non solum ex connexione et concomitantia; noluit autem Dominus, aliis relictis rationibus, nempe quia non erant pignora per Mariam et a Maria proficiscentia: tum quia praesente corpore, et humanitate Christi a Maria accepta in Eucharistia futurum erat, ut tota Divinitas ibi adesset; neque se continere Deus posset, quamvis leges connexionis et concomitantiae deficerent, ut in Mariae pignora, et Verbum et Divinitas et tota Trinitas non veniret; illaberentur continuo tres divinae personae prae amore in pignus Mariae. Tum ut sciremus nolle Verbum divinum quidquam per sacramentum Eucharistiae operari, nisi illo instructum instrumento, nempe eo corpore et sanguine, quae a Maria recepisset. Nihil itaque magnum, nihil sublime a Domino Iesu patratum, non concurrente aliquo modo Maria. Imo seorsim corpus a sanguine ex vi verborum seiunctum collocatur, ut perspicuum esset, eam inesse vim pignori a Matre suscepto, ut in singulis partibus seiunctim positis Dei omnipotentia eluceat; et sub ipsa mortis imagine universa dona impetrentur et conferantur. Ideo ait Christus, Ioan. 6: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Sed cur non dixit, et instituit hoc sacramentum, ita ut verum esset proferre: Anima mea vere est cibus? Utique in obsequium Mariae, nempe ut quod a Matre acceperat in Eucharistia reponeret primario, altiusque commendaret. Ita ut verissime dicere posset Card. Petrus Damianus, serm. 45: *Manat aliquid ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris, illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et eius sanguinem in sacramentum nostrae redemptionis haurimus.* Ob eandem causam, Ioan. c. 1, dum Verbum hominem factum nobis describit, carnem solum nominavit: *Et Verbum caro factum est.* Cur animam etiam fuisse sortitum non dixit? Nunquid subsidiabatur haereticis asserentibus Christum carnem sortitum, non animam, sed ipsa Divinitate informari? Absit. Sed nobis carnem a Maria haustam commendavit: animam sortitus est Christus, sed ut puritatem carnis a Maria susceptae nobis ostenderet, totum hominem non ab animo, sed a carne compellavit. Non sic Moyses, Gen. 2, cum primum hominem ab animo descripsit, ut eius nobilitatem innueret: *Factus est homo in animam viventem.* Ex adverso Ioannes Christi conditionem describens non ab animo, sed a carne eius maiestatem declarat aiens: *Et verbum caro factum est,* quo Virgineae carnis excellentiam commendaret.

Inquit Christus Dominus, Matth. 26: *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Itaque illemet sanguis, qui pro hominum salute large profusus est, illemet consecratur in calice, et ex Maria susceptus fuit secundum aliquam partem. Eleganter in rem praesentem Eusebius Emissenus, hom. 1 de Nativ. Domini, fatur: *Christus de carne Mariae coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consummatus, sanguinem, quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Quam unitatem vel identitatem carnis, et sanguinis Christi cum carne, et sanguine Mariae pulcre describit Tertullianus, lib. de carne

Christi, cap. 20, versans illud Psalmi 21, *Quoniam tu es, qui extraxisti me*, etc., ita commentatur: *Quia tu es, qui avulsisti me ex utero Matris meae. Quid avellitur, nisi quod inhaeret, quod infixum, et innexum est ei, a quo ut auferatur, avellitur? Si non adhaesit utero, quomodo avulsus est? Si adhaesit qui avulsus est, quomodo adhaesisset, nisi dum ex utero est, ita concarnatur, et convisceratur?* Scilicet Christi corpus concarnatum, et convisceratum fuit cum Maria, ex qua cum avulsum fuit, aliquid ex matre avulsum et extractum fuit, ipsique corpori Christi unitum. Forsan Marianae carnis portio in Eucharistia servata ad inescandos et capiendos rationales pisces: siquidem *Maria est*, inquit D. Catharina Senensis, tract. 4 Dialog., cap. 139, *a Christo velut esca dulcissima collocata.*

1476. Fuse alibi ostendimus B. Virginem esse matrem nostram, nosque cum dolore peperisse; nunc non solum gentis nostrae parentem, sed et nutricem esse ostendimus: adeoque in Eucharistia ut nutrix nos lactare, et ad eroganda alimenta compellere. Scite dixit Origenes, tom. 1 in Ioan. in praefat. *De quolibet dici potest Mariae: Ecce filius tuus.* Et D. Augustinus, lib. de s. Virgine, cap. 6: *Plane Mater est membrorum Salvatoris.* Quibus adnecto s. Bernardinum, tom. 3, serm. 6, art. 2: *Ex tunc omnes in suis visceribus baiulabat, tanquam verissima Mater filios suos.* At solemnis est apud Iurisconsultos illa Clementis Alexandrini paraemia, lib. 1 Pedag., c. 6: *Quidquid generavit, ei quod generatur, alimentum protinus praebere est consentaneum.* Et merito Jus Canonicum in cap. *Ad eius vero concubitum*, dist. 15, invehitur in matres, quae dimidiatum matris munus obeunt, dum pariunt, et statim a se filios abiiciunt; dum ait: *Prava consuetudo in coniugatorum moribus irrepsit, ut filios, quos gignunt, mulieres nutrire contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant.* Hoc ergo munus nutriendi et alendi quos peperit filios, tanquam vera Mater exhibet B. Virgo in Eucharistia, in qua nutrit homines ac lactat. Optime in rem nostram dixit s. Germanus in Theoria rerum Eccles.: *Crateres sanguinis Christi, interpreteris mammas Deiparae, salutare laetitiae poculum et tutelare, ac conservatorium totius generis humani.*

Profecto qui accedit ad Eucharistiam, Deiparae mammillas sugere censendus est. Ait Maria, Cant. 5, iuxta plures Interpretum: *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi.* LXX Interpretes, non favum, sed panem legunt, quare de Eucharistia plurimi commentatores verba haec interpretantur. Sed disquiro, cur hic addatur lac pani ac vino. Acute s. Augustinus in Psal. 33, conc. 1, respondet: *Sicut quia minus aptus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humiditatem mammillae, et lactis succum de ipso pane pascit infantem.* Ac si diceret, quemadmodum mater panem edit, et per digestionem, panem in carnis substantiam transmutat, et in lactis succum ad mammillas, quo infantem lactat; sic Maria Eucharisticum panem ac vinum in lac convertit, ut parvuli hoc lacte pasti in re virtutis adolescant. Quare quoties Eucharistiam sumis, non tam panem comedere, ac vinum bibere, quam lac sugere, ubere de caelo pleno B. Virginis existimes. Et exinde recte in te cadent verba illa Isai. 60: *Mammilla regum lactaberis*, hoc est ubere reginae Mariae. Deam Isidem, teste Macrobio, circum circa mammis cinctam depinxit antiquitas; elegans profecto emblema Mariae, quae in hoc sacramento ubere de caelo pleno lac suum ac sanguinem nobis infantibus propinat, et in eo dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit; nec dies, nec quies ulla, ac nec momentum quidem tenue eius transcurrit beneficiis otiosum. Si enim Christus Dominus cibare nos dicitur in Eucharistiae sacramento, quia carnem et sanguinem suppeditat in cibum et potum; atqui B. Virgo eundem cibum et potum ex proprio sanguine ac lacte subministravit, atque eo fine Filio exhibuit; imo lactans Filium lac in sanguinem vertendum, quo fideles alerentur, gaudens subministrabat; sciebat enim corpus illud ac sanguinem Filii, sub panis ac vini speciebus aliquando porrigendum in vitae aeternae alimentum: ergo vere est nutrix nostra, et materni muneris officio recte fungitur. Nec obstare potest, sanguinem ac lac Deiparae alia nunc informari anima, nempe Christi, quominus nos alere dicatur; sicut qui viva animalia alicui in alimentum praeberet, et si post iugulum, alia succedat forma, etiam specie distincta, sub qua mandenda sunt, vere diceretur eos alere, quibus illa animalia subministrat: ad eum modum, quia Deipara ex visceribus et uberibus lac et sanguinem exhibuit in futurum hominum alimentum, vere dici poterit in Eucharistia homines nutrire, licet lac et sanguis anima Christi informentur, ut merito ad Eucharistiam accedens gloriari possit cum Augustino: *Hinc pascor a vulnere Christi; hinc lactor ub ubere Virginis.* Vere Mariae filii nominamur et sumus; ac proinde ipsius haereditatem adimus: haec autem alimentorum haereditas in Eucharistiae mysterio instituta est, iuxta s. Gaudentium: *Vere istud Sacramentum est haereditarium munus Testamenti novi, Viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur et nutrimur.*

1477. Imo quidquid Christus Dominus accepit a Matre in utero delitescens, et ab uberibus et aliis alimentis, quae Deipara subministrabat totis infantiae annis et adolescentiae, id totum singulis Eucharistiae sumptionibus sumimus; quia totus Christus integre nobis exhibetur, ac proinde totum id quod a Matre hausit. Insuper cum constet partem lactis aut sanguinis, quae simul administrabatur, diversam esse ab ea, quae altero die offerebatur, nunquam enim eandem bis partem ministravit; tanquam certum statuo, ita nobiscum se gerere B. Virginem, ut saepius et iterato conferat, quod semel duntaxat Filio contulit. Res profecto mira; ut toties nobis eroget in unica buccella, Deipara, quoties voluerimus, id totum, quod per triginta an-

nos ministerium et obsequium Christus a Matre hausit et conservavit. Hinc reor intonsos capillos semper Christum asservasse, ut scilicet universa illa caesaries ac coma, quae per infantiae triennium nutrita fuerat ex sanguine Mariano, integra permaneret, nec spoliaretur materia illa, quam a Deipara hauserat, sed in Eucharistia tanquam carissimum Matris pignus reservaret: quod praecipue locum habet in eorum sententia, qui arbitrantur capillos non vivere, nec per accretionem, vel diminutionem resolvi, quae hodie celebris est inter philosophos et medicos cum Galeno, lib. artis medicae. Quod autem capillos non totonderit Christus praeter veteres picturas et priscorum Doctorum testimonia favet illa congruentia, quod dedeceret tantam Maiestatem Christi Domini, ut a tonsore aliquo capilli abscinderentur. *Capitis porro capilli*, ait Nicephorus, lib. 1 Hist. Eccles., cap. ult., *tulit prolixiores, novacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis, praeterquam matris in tenera duntaxat aetate eius.*

Hinc addisces merito vocari Deiparam Diarium unicum creaturae Domini, apud Buteonem in Hymnis Graecanicis, p. 129. Primum ergo recte appellatur B. Virgo Diarium Christi, qui Dominus est creaturae omnis, cum eum sola Virgo B. lactabat ubere de caelo pleno; siquidem Diarium dicitur victus ac cibus quotidianus, teste Martiali:

Sed lupus usuram, puerique diaria poscunt.

Nos etiam in hac miseriarum vita fame pressi habemus pro diario B. Virginem, ab hac enim muliere forti praedam et cibaria sumimus quotiescumque ad sacram mensam reficiendi accedimus, ubi panis vitae nobis edendus proponitur, quem B. Virgo in farinae satis fermentavit et coxit. De quo consule D. Bernardum, serm. de tribus mixturis. Tum dicitur nostrum Diarium, quia reliquorum eduliorum, quibus animae saginantur, divinum demensum praebet, subsidia dilargitur, annonam spiritualem ad ipsam accurrentibus suppeditat. Praeterea dicitur Diarium, libellus, in quo gesta quotidiana conscribi solent, qua ratione recte dicitur Virgo Deipara Diarium Christi, qui Dominus est creaturae: quidquid enim actum est circa Christi conceptionem, nativitatem, infantiam, pueritiam ac reliquorum vitae eius usque ad initam praedicationem ex B. Virgine hausimus, quae conservabat omnia verba haec in corde suo, studiose adnotabat; ex quo fonte postea s. Lucas caeterique fideles epotarunt. In alio etiam sensu dici potest Deipara Diarium nostrum, qui sumus per antonomasiam creatura Domini, quia norma, ad quam vitam quotidianam exigere debemus, est B. Virgo: sunt plura Diaria christiana, quibus pii ac religiosi viri per singulos dies exercitationes et acta spiritualia signantur ad recte pieque vivendum: omnium tamen dignissimum et magis proficuum omnibus est Virgo Deipara, quam scite vocat Ambrosius, lib. 2 de Virg., *Virtutis formam*, ad cuius exemplar omnis componitur homo christianus.

CERTAMEN II.

In Eucharistia partes aliquae carnis Mariae adhuc permanent.

1478. Praemittere oportet communem ss. Patrum loquendi modum, asserentium Christi Domini carnem eandem esse cum carne Deiparae. Lucem praeferat s. Augustinus, serm. de Assumpt. B. V., c. 5, ubi haec habet: *Caro Christi, caro est Mariae, et quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen remansit, quae de Virgine sumpta est.* Eadem inculcat in Psalm. 38, alias 98, in illa verba, *Et adorate scabellum pedum eius*, ubi ait: *Et de carne Mariae carnem accepit, et in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Adoratur itaque in Eucharistia Verbo coniuncta caro Deiparae, unde et in caelis perenniter in Christo conservatur. Plus addit Blesensis, serm. 1: *Cum obnubilaret*, ait, *eam spiritus Altissimi, separavit ab ea carunculam, ex qua formata est caro Salvatoris.* Idem placitum Patres alii passim inculcant. Cui asserto libenter subscribunt Patres illi, qui, ut refert Salmeron, tom. 3, tract. 9, de mysteriis infantiae Salvatoris, opinantur e guttis sanguinis a corde Deiparae decisis, vel ex parte carnis, ipsius coalitum fuisse corpusculum Iesu. Quod tamen verum non censeo, ut suo loco monitum est. Ex plurium autem Philosophorum suffragio materia, quae subministratur a parentibus ad generationem, in quam introducenda est anima prolis generatae, prius animabatur anima parentum: et a simili probari potest in reliquis plantarum seminibus, quae vere animata sunt (a); ergo etiam materia seminalis viventium caeterorum vivit; et quidem de leguminibus, glandibus et aliis certum est, quia sunt arborum partes ac fructus, qui sine dubio eadem vita vegetativa gaudent ac arbores, quarum sunt fructus. Iuxta hanc opinationem scite dixit Aristoteles, lib. 5 Ethic., c. 4: *Filius est pars ipsius patris, vel matris.*

Hac praemissa communi Patrum ac Philosophorum doctrina innixus sapientissimus Theologus, ac tot tantorumque Theologorum sanctissimus Parens noster Ignatius in quodam Diario, in quo singulares Dei illustrationes ac revelationes sibi a Deo inditas pro more notabat, scripsit se plurimum voluptatis capere solitum, dum attenta mente volvebat, Christum et Mariam unam esse carnem, ac Flium quandam esse portionem Matris, iuxta illud Aristotelis, lib. 1 Magnor. mor., c. 34: *Filius est membrum parentis, imo idem cum ipso.* Ex quo theologice ac philosophice deducebat, in Eucharistia non solum Christi, sed etiam B. Virginis carnem inesse; ac proinde qui digne carne Christi reficitur,

(a) Vox *animata* hoc loco ab Auctore usurpatur pro *viventia* siquidem plantae gaudent vita, sed carent anima; nisi fingere velimus cum poetis arbores esse animatas. Sane si arbores donaremus anima, nullum esset discrimen inter plantas et bruta animantia. *Nota Editoris.*

non solum idem cum Christo, sed etiam cum Maria eandem carnem fieri iuxta commune Philosophorum proloquium: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.* Dum ergo Eucharistico pane reficimur, carnem simul B. Virginis mandimus, ut et in Mariam quodam modo transferamur, virgineosque mores ebibamus. Quoties comedimus carnem Christi in Eucharistia, toties in eadem re ipsa carne B. Virginis epulamur, quia caro Christi est caro Mariae, imo ipsissima caro Christi, antequam in Incarnatione a B. Virginis carne decederet, et exhiberetur Christo, fuit propria caro B. Virginis, eiusque anima informabatur: sicut ergo quotidie Christi carnem esurimus in Eucharistia, sic et esurimus et sitimus, in eadem, carnem ac sanguinem Mariae, ut aeternam famem propulsemus, ut virgineos eius mores imbibamus, imo in Mariam quasi transeamus et transmutemur, sicut ferrum igne candens transit in ignem, et sicut panis fermento subactus in fermentum quasi immigrat et transit. Ob hanc identitatem carnis Virgineae cum carne Christi itaque confunduntur utriusque appellationes, ut vix discerni queant. Unde Isai. cap. 11 de Christo fatur: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.* Quaenam virga haec, nisi Virgo Beata, cuius flos erumpens est Christus, super quem Spiritus requiescere perhibetur, cum tamen Gabriel non super florem erumpentem ex virga, sed super virgam, Virginem inquam, Spiritum sanctum requieturum affirmet illis verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Nempe quia eadem est virga cum flore, et caro Mariae cum carne Christi, adeoque nequit flos obumbrari a Spiritu, quin obumbretur et virga. Ea quippe intercedit identitas inter carnem Matris et Filii, ut, quod de illa proferatur, de Filio etiam proferri debeat, quodque de Filio affirmatum sit, de Matre quoque enunciari possit.

Hoc ducti fundamento, eo aliqui devotionis erga Mariam progrediuntur, ut disceptent, utrum Eucharistiae sacramentum venerari possit, quasi Mariae reliquiae aliquae superstites, nec temere iuxta dicta. Hinc Suarius tom. 2 in in 3 p., d. 1, s. 1, ait: *Facile credi potest, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper servatam, et Verbo Dei unitam.* Quod ratione philosophica probari potest, ut in discursu huius Palaestrae ostendemus: tum ex speciali providentia et voluntate ipsiusmet Christi, qui id praestare potuit. Quod cum ita sit, quid obstare potest in Eucharistiae sacramento, suspicere tanquam Mariae reliquias, illam carnis portionem, quam adhuc Christus etiam in caelis gloriosus retinet ex Maria? In hoc ergo Eucharistico cibo ac potu B. Virginis reliquias adorare nihil prohibet (a). Quocirca Mariam auscultamini quotquot diligitis eam: *Sapientia aedificavit sibi domum, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis,* Prov. 9.

Nec silentio praetereundum est, ex Eucharistico cibo, ac potus sumptione consanguinitatem quandam, et quidem strictissimam cum Dei Matre nos contrahere. Quis iam in posterum tantae cognationis avidus, ad has caelestes divitias ac delicias non feratur libens ac volens, his epulis non inhiet, tanto honore cohonestandus, cum Maria Dei Matre cognationem ac consanguinitatem contracturus? Quod et pie et vere meditatus fuit pius Auctor apud Novarinum de Agno Eucharistico, n. 461, his verbis: *Nullus homo propinquior est affinitate alteri, quam est tibi coniuncta, B. Virgo. Qui enim corpus Christi suscipit in Eucharistia, unione quadam reali fit una caro cum Christo, ut non sit unio alia, et coniunctio tam propinqua, et similis inter homines, etiam inter virum et uxorem. Quare etiam te debes reputare affinem Matri ipsius Christi, ac existimare te habere eandem carnem cum illa. Maior item est coniunctio physica et realis inter Deum et te, quam inter te et Patrem tuum: qualis ergo erit affinitas, quam contrahis cum Matre ipsius Dei?*

1479. Illud tamen omnino mirabile, nec mysterio caret, cum agitur de Eucharistia, nullam de Virgine Deipara mentionem in Evangelio factam, cum tamen de Apostolis sit sermo: ait enim Christus Dominus cum discipulis suis se facere pascha, discipulorum pedes abluisse, corpus suum discipulis suis porrexisse. Nusquam tamen B. Virginis mentio, nullibi Mariae sacrum insonat nomen, cum tamen mulierum curam gesserit circa Eucaristiae ministerium: dum enim paschalis agnus a Christo cum discipulis manditur, aderat Deipara, auctore Marco Viguerio, chorda 7, cap. 11: *In hac Caena,* ait, *vidit Maria agnum pelle nudatum, assum, lacerum, devoratum; figuram mente volvebat, et in Filio figurato quid ea sibi vellent examinabat.* Censeo ergo ipso die caenae ultimae Deiparam Eucharistiam sumpsisse. Ita plures apud Drexelium tom. 2, fol. 853. In eadem igitur domo, in diverso tamen conclavi, Virgo Deipara eas foeminas, quae Filio ministraverant, excepit: hisque ad manducandum Agnum Paschale col-

(a) Imo omnia prohibent. Et primo caro B. Virginis, ex qua Christi corpus efformatum est, cum Christi corpus evasit desiit esse pars corporis Mariae; et cepit esse pars corporis Christi; quia non amplius subsistebat in hypostasi Matris, sed Filii. Hinc in Eucharistia haec caro Mariae non subsistit ut reliquiae corporis Mariani, sed ut pars corporis Christi. Insuper adoratio stricte sumpta, et quam tribuimus Eucharistiae, est sola unius Dei, et nulli creaturae convenit, ne B. Virgini quidem, cui ab Ecclesia cultus super omnes sanctos tribuitur sed inferior cultu Dei. Quonam igitur pacto adoraremus cultu solius Dei reliquias B. Mariae Virginis? Id non esset honorari hanc Virginem SS., sed potius ei displicere: siquidem Ipsa cognoscit se Deo esse inferiorem, et nunquam mereri divinos honores, ac proinde non aequo ferret animo cum videret se Deo aequiparari ratione cultus. Igitur amemus Mariam, honoremus Mariam, et dicamus carnem Christi carnem esse Mariae non quasi caro Filii sit actu caro etiam Matris, sed hoc sensu. quatenus caro, quam habet Filius, fuit quondam Matris, ab eaque illam Ipse accepit. Et hoc modo accipiantur quae deinceps hac in re ab Auctore traduntur. *Nota Editoris.*

lectis, Christus Dominus sanctissimam Eucharistiam per Petrum misit, iuxta Metaphrastem orat. de vita Deiparae, apud Surium die 15 Augusti. Itaque Virgo Deipara, et aliae piae foeminae, quae illam comitabantur, etiam pridie Dominici funeris sacra Eucharistia pastae sunt: ita censent praeter Metaphrastem cit. Didacus de la Vega in Quadragesima, feria 6 Hebdomadae maioris, conc. 1, pag. 558, Barradas tom. 4, lib. 1, c. 17, in fine, Vualterius de triplici caena, cap. 11, ab Agno occiso ad Agnum viventem, ab umbra ad veritatem gradum faciebat. Maria ergo mulierum curam gerebat ad Eucharisticam mensam, de quo Simeon Metaphrastes alibi productus, eiusdemque sententiae est Novarinus de Agno Eucharistico, n. 458, imo in eadem domo, ubi Eucharistia instituta fuit, remansit Deipara, ut auctor est Viguerius cit. in suo decachordo, chorda 6: *Egressus est*, inquit, *Iesus domum in qua caenaverat, egressus est civitatem cum discipulis suis undecim Apostolis, qui cum illo caenaverant, Mater remansit apud hospitem; non enim Iesum secutus est hospes quantumlibet amicus fuerit, forte ne Magistri Matrem moestam relinquere videretur.* Quasi nullum aliud tutius propugnaculum repererit, in quo se adversus tot ictus, ac tela a Iudaeis in Filium, adeoque in seipsam retorta muniret, nisi locum ubi Eucharisticus cibus institutus fuit: tanti enim mysterii memoria vires adaugere, animosque adversus hostes et ad praedura ac ardua quaeque ferenda vel etiam ipsi Deiparae, indere posset. Praeterea subdunt aliqui apud Novarinum, lib. 5 de Agno Eucharistico, n. 459, mappam sacram, qua usus fuit Christus Dominus dum mensae Eucharisticae accubuit cum duodecim discipulis instituturus hoc sacramentum, B. Mariae manibus fuisse elaboratam, et acu pictam, insertaque lilia mira dexteritate, quod indicant carmina illa pervetusta ab eodem Auctore relata:

Hac in mappa deposuit sua fercula, et artis
Pro pretio, Mariae sat mihi nosse manum.
Admirans aliquis textum admirabile, dixit,
De Mariae eximia texuit arte manus.
Quam belle depingit acu, quae lilia nectit
In Christi vestes ingeniosa manus.

1480. Cum ergo Virgo B. interfuerit huic mysterio Eucharistico, curamque mulierum ac ministerium exhibuerit, primamque mappam sacram opera et industria manuum suarum texuerit, ubi Christus sub speciebus panis ac vini depositus fuit; cur eius nomen subticetur? Sed ut opinor, consulto id factum, id enim deposcebat ecclesiasticae oeconomiae ratio, ut scilicet illi soli recenserentur qui sacerdotes inaugurabantur, et Eucharisticum cibum aliis exhibituri erant. Beata igitur Virgo non in censum venit, tametsi enim in Dei Matrem electa, ad hoc tamen fastigium evecta non fuit, ut posset panem in corpus, vinum in sanguinem Christi consecrare. Ulterius censeo etiam nullam B. Mariae mentionem factam, ut instruerentur fideles, dum huic mensae assident, omnem nimium cognatorum affectum, ac carnis et sanguinis solli-citudinem exuere oportere. Ideo in cibo ac epulo Eucharistico interfuisse discipulos ait Evangelista; de Dei Matre nulla intervenit mentio, licet vere interfuerit, videlicet ut parentum et propinquorum affectus ac memoria procul abesset ab illis, qui huic mensae Eucharisticae accumberent: obliteranda ergo, et abradenda omnino propinquorum memoria et affectio ab illorum mentibus, qui digne huic epulo intersunt. Ideo Melchisedech summus Dei Sacerdos panem et vinum offerens, huiusque Sacramenti umbram praeferens, *sine patre, sine matre, ac sine genealogia fuisse perhibetur*, Hebraeor. cap. 7. Melchisedech ergo populum christianum denotat, Abraham autem Hebraeorum gentem; ergo Melchisedech benedicit Abrahae tanquam inferiori, quia populus christianus praeferendus est Hebraeorum genti: dicitur Rex pacis, quia pacem multam intulit Eucharistia; tum etiam Rex iustitiae compellatur, quia hanc praeferre oportet, qui huic mensae assidet. Addit Paulus esse *sine genealogia:* nempe quia hoc nobis bonum importat cibus Eucharisticus, quod noxium amorem erga parentes et affines in nobis obliterat; siquidem per Eucharistiam efficimur concorporei, et consanguinei Christi ac B. Virginis; unde in aliam progeniem translati, prioris cognationis et sanguinis genealogiam exuimus, veteris consanguinitatis obliviscimur, novam Christi ac Mariae affinitatem contrahimus. Ideo forsan sanguis Christi, calix inebrians vocatur, quia spiritualem quandam amentiam, et quasi divinum ingerat furorem, quo homines velut extra se acti, etiam propinquos et sibi sanguine iunctos ignorant; et tota animi contentione ac voluntatis ardore in Deum solum et in caelestia feruntur. Quo forte respiciebat David dum pepigit, Ps. 22: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Quinam, rogo, erunt hi, qui nos tribulationibus cingunt et impetunt, adversus quos epulum Eucharisticum tanquam propugnaculum, et asylum constituitur? Eos utique Christus quasi digito demonstravit dum fatur, Mich. 7: *Inimici hominis domestici eius.* De quibus cecinit Psaltes regius, Psal. 18: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.* Parentes igitur, filii, consanguinei et amicitia nobis coniuncti, hi sunt adversarii, qui nos angunt ac pungunt, nobisque quotidie mille molestias ingerunt; contra quos panis Eucharisticus nos munit et obarmat, adversum, inquam, hunc nimium cognatorum affectum. Haec procul dubio fuit mens Christo Domino, dum carnem et sanguinem suum sub speciebus solum reliquit, ut carnem et sanguinem oblivisceremur, eorumque memoriam procul ipse a nobis dispelleret, solumque carnis ac sanguinis nomen iam mali alicuius suspicionem nobis ingereret, eosque odio prosequeremur, qui nobis carne et sanguine coniunguntur. Nec mirum, si omnem carnalem generationem exuamus, facti consanguinei Christi et Mariae. Verum qua id ratione fit? quove philtro haec mirabilis transmutatio patratur? quove incantamento omnis carnalis co-

gnatio transit in spiritualem et divinam? Nullo utique alio, nisi hac buccella Eucharistica, hoc potu veluti philtro quodam condito. Ita Christus Dominus ex ore David dicebat: *Et calix meus inebrians quam praeclarus est!* Quemadmodum qui sese vino ingurgitarunt mentem amittunt, memoriam exuunt, et extra se acti propinquos non agnoscunt; sic nos hoc salutari poculo veluti ebrii omnium cognatorum noxium exuimus amorem; ita ut caro nostra, carne ac sanguine Christi saginata, in spiritum tota abiisse videatur. Huc oculos intendebat Scriptor sacer, Levit. 2, dum animam consulto vocat hominem offerentem similam, quae Eucharistiam adumbrabat; ait enim: *Anima, quae obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit eius oblatio*; cum tamen offerens aliud sacrificii genus, homo diceretur: quod cum acumine expenderat Theodoretus, q. 2 in Levit.: *Eum*, inquit, *qui offert similam, hominem vocat Scriptura; illum vero, qui similam offert, vocat animam.* Qui ergo alia sacrificiorum genera Deo litat, sat est si sit homo, id est si aliqua ratione mente ad superna conscendat, quanquam affectu aliquo ad terrena illabatur, perituris inhiet, sanguine iunctis adhaerescat, carni et sanguini non omnino valedicat. Qui vero Eucharistiae mensae accumbit, quive caelestis huius similae sacrificium peragit, totus sit anima, corpus exuat, carni ac sanguini abrenunciet; totus sit spiritus, totus ad caelestia feratur, totus supernis inhiet, divina exambiat; nec aliqua ex parte terrae inhaereat, aut terrena sapiat. Reliqua sacramenta animae puritatem exposcunt: Eucharistia et corporis puritatem efflagitat, et ut quodammodo caro in spiritum commigret, et ad ordinem et categoriam spiritus ascendat.

CERTAMEN III.

An aliqua sanguinis Mariani portio maneat in Eucharistia, sub diversa tamen forma.

1481. Constans fuit plurimorum philosophorum ac medicorum thesis, nempe plures partes, tum ex ossibus, tum ex nervis et aliis remanere in prole per plurimos annos ex his, quae acceperat a matre in prima formatione, et toto tempore gestationis in utero, tum et lactationis. Quod primo suaderi potest experientia plurium infantium, qui lactationis tempore occisi sunt, et tamen eorum ossa pluribus annorum centuriis perseverant, vix aliquid de prima formatione amittentia; ergo idem dicendum de eisdem ossibus, licet vivens per vitam proroget in centum annos; siquidem calor nativus nequiret unica centuria devastare ossa, quae pluribus saeculis temporum inclementia, ambientis aeris corruptela, et alia extrinseca absumere nequiverunt. Confirmatur ex Galeno, lib. 7 Methodi, cap. 6, asserente febres hecticas, idemque dicito de morbis chronicis, criticis et acutissimis, quae integram fere humani corporis carnem devastant, nihil tamen de ossibus aliquid absumere. Roboratur, quia partes illae, quae ex parentum semine et sanguine in prole producuntur, nunquam reproduci, sive deperdi docet Petrus Garcia medicus insignis fen. 1, lib. 1, cum Avicenna, disp. 31, qu. 2; et adstipulatur Galenus, lib. artis medicae, cap. 87, et lib. 14 methodi, c. 16, et 1 de semine, cap. 13. Et ratio philosophica est, quia calor nativus nec attenuat, nec devastat partes illas viventes quibus tanquam forma inhaeret; nequit enim alterare, nisi per actionem transeuntem iuxta communem sententiam apud Conimbricenses, lib. 1 de Generat. c. 5, q. 8, art. 2, Petrum Garcia, disp. 18 de parte naturali.

Quibus ita praemissis, censeo magnam sanguinis ac lactis partem Deiparae, sub alia tamen forma substantiali, et supposito manere in Eucharistia. Probatur ex Scoto in 3, dist. 16, ubi docet praecipuas Christi corporis partes, ut puta caput, manus, cor et alias nunquam fuisse dimissas. Has autem partes cum acceperit Christus a Maria, magna pars materiae sanguinis Christi, ex Scoto, sub alia forma fuit prius B. Virginis; cumque Christi corpusculum in primo biennio solum ex Deiparae sanguine ac lacte conflatum fuerit, tanquam certum tenendum est in Eucharistia magnam partem materiae sanguinis et lactis Deiparae, sub alia tamen forma substantiali, reperiri in Christo, quae simul cum eadem materia ad corporis Christi constitutionem pertineat. Succurrit D. Bonaventura in 2, distinct. 28, quaest. 1, art. 3, Petrus Blesensis tract. de Euchar. illis versiculis:

> Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata:
> Et caro nunc Verbo vitae de pane sacrata.

Secundo probatur nostrum placitum ratione. Calor nativus absumit partem viventis, non vero illam cui adhaeret, sed prius proximam, post eam quae distat; neque id praestat veluti primarium effectum, sed secundarium et accidentalem; ergo cum activitate adeo remissa, non poterit toto vitae tempore multum partium carnosarum acceptarum a matre absumere, adeoque multo minus omnem absumet partem. Deinde pars vivens carnosa, quae in aliam propinquam suam exercet causalitatem, solum id praestat per calorem; at pars, quae patitur, resistit cum suis qualitatibus, quae suum componunt temperamentum, videlicet media frigiditate calori opposita, et humiditate caloris activitatem hebetante, et siccitate partes addensante, ut melius resistere valeant; ergo calor nativus vix poterit partem ullam carnosam quantumvis propinquam absumere. Rursus, activitas nativi caloris est limitata, et occupatur in augendis et perficiendis carnibus et ossibus usque in aetatem maturam; ergo nequit occupari in destruendis partibus compositi, licet verum sit ab aere ambiente, et aliis contrariis, aliquas viventis partes absumi ac devastari; quod forsan non contigit in Christo, nec in Deipara, ob singularem providentiam extrinsecam, iuxta ea quae ait s. Gertrudis, lib. 4, c. 53: *Angeli aerem et omnem creaturam, unde vegetabar in utero per divinam gratiam nobilitabant: similiter et caeteri*

ordines toto conamine ministerium devotissimum exhibentes.

Dictis accinit Angelicus Doctor, q. de Malo, art. 5, in solutione ad 6, ubi haec habet: *Qualitates in corpore mixto regulantur, et conservantur, ne se invicem corrumpant per formam substantialem.* Idem docet in tractatu, qui inscribitur: *Quomodo elementa maneant in mixto.* Item Albertus Magnus, 4 Meteor., tract. 1, c. 4 et 6, idem intentum roborat. Capreolus etiam in 2, dist. 3, late probat calorem nativum non posse destructionem compositi machinari; additque ad corruptionem mixti, eiusque putrefactionem, aut resolutionem concurrere agens extrinsecum, sive sit caelorum influxus, sive locus continens, vel aliquid aliud, quod intendit unam qualitatem, et remittit aliam. Confirmat Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 1, sect. 2, ubi haec habet: *Potest facile credi illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione et reactione resolutam, sed eandem fuisse omnino conservatam, Verbo Dei unitam, quod partim physica ratione, partim probabili coniectura sit verisimile, partim ex speciali providentia et voluntate ipsius Christi.* Nec id mirum videri debet, siquidem idem dicendum est de partibus acceptis ab alimentis, easdem scilicet partes materiae, sive panis, sive carnis, sive piscis, sive fructuum, quibus vescebatur Christus, remanere modo in ipso Christo, licet sub diversa forma substantiali, siquidem substantia corporis Christi hominis iam perfecti ex alimentis conflabatur, et ad perfectionem adaucta est; ergo necesse est fateri substantiam vel materiam, quae modo est Christi, et sub forma ipsius, fuisse antea materiam cibi sub forma cibi. Quid ergo mirum, si dicamus plures partes materiae Deiparae manere modo in Christo sub forma ipsius Christi, praesertim cum Christus Dominus resurrexisset cum eisdem numero capillis quos in vita mortali habuit, nec unquam illos absciderit; quos autem in infantia habuit, a sanguine et lacte Mariano hausit? Nec ullam probabilitatis speciem meretur opinio illa antiquata, et ab aliquibus iterum innovata; nostrum videlicet corpus unaquaque hebdomada in aliud commutari per nutritionem; quae sententia, teste Holcoth, semper visa est doctis ridicula.

1482. Dictis refragari videntur quae aliqui docent, videlicet quod praeputium, quod ex Mariae sanguine ac lacte confectum est, nunc in Eucharistia non permanere; ergo nec aliae partes a Maria susceptae, sed iam absumptae a calore nativo, vel per nutritionem. Antecedens suadet Historia tradita a Cardinali Toleto super c. 2 Luc., Annotat. 31, ubi ait anno 1527, quo tempore Roma in hostium direptionem cessit, ex Basilica Lateranensi praeputium Christi Domini cum aliis reliquiis a milite quodam sublatum, qui morti vicinus fassus est se Thesaurum illum sustulisse, et quodam loco abscondisse; quod repertum fuit in scriniolo ex chalybe tempore Clementis VII. Respondeo 1°, Titum Bostrensem oppositum edocere, ait enim in cap. 2 Lucae: *Utcunque res habet, certum est, qui sponte circumcidi passus est, cum modis et rationibus, quas ipse compertas habet, totum illud, quod per Circumcisionem a corpore discesserat, ita conservasse, ut resurrectionis tempore, nihil eorum omnium, quae ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omnino desideratum fuerit, adeoque ut integer etiam quoad hanc partem attinet a mortuis in vitam redierit.* Respondeo 2°, tametsi praeputium illud non reassumeret Christus resurgens, tamen substituit illius, et aliarum partium deperditarum loco, si verum est fuisse calore nativo, vel ieiuniis absumptas partes primigenias a Mariae sanguine ac lacte desumptas. Scio Innocentium III, lib. 4 de mysteriis missae, docere praeputium Christi a B. Virgine reverenti cultu asservatum, et ab Hierosolymis tractu temporis per Angelum Carolo Magno delatum fuisse.

Maneat ergo tanquam certum et indubitatum, substantiam aliquam olim Mariae, nunc hypostatice esse unitam Verbo Dei Incarnato, videlicet aliquas partes materiae, licet sub alia forma substantiali. Hinc explicari possunt plurium Patrum locutiones, praecipue D. Augustini allegati a Spinello in Throno, cap. 8, num. 176, et Petri Damiani, et aliorum, identitatem inter Christum et Mariam praedicantium. Filius enim est de substantia matris; est enim filius a principio vivente coniuncto, quae coniunctio fit per aliquam identitatem matris cum filio; siquidem filius in utero, et adhuc infans, solum matris sanguine ac lacte alitur ac nutritur; ideoque mater secundum aliquas sui partes est in toto filio: quod potiori iure de Deipara enunciandum est, quae magis est cum Filio coniuncta, quam reliquae matres cum filiis suis: alii quippe filii non sunt ex parte sui *adaequate* idem cum matribus, sed *inadaequate*, cum aliquid etiam hauserint a patribus; at totum, quod habet Christus, a Matre hausit sine homine Patre; ergo maiorem habet cum illa identitatem. Advertas tamen velim, partes purissimas sanguinis Mariae non prius esse corruptas, quam anima Christi informarentur, sed immediate a parte actuali integranti Deiparae transiisse in corpus informatum anima Christi: nam apparatus dispositionum ad generationem humanitatis illius fuit in instanti. Quod innuit Suarius supra allatus; quem sequitur Spinellus in Throno, c. 8, n. 17, et allegat s. Bernardinum tom. 1, serm. 61, a. 1 affirmantem: *Quoniam de carne Virginis benedictae, et in parte corporis eius excisa consistit, perficitur, et terminatur totum decus ac pondus Sacramentorum Ecclesiae, scilicet Eucharistia.*

Addiderim nullam esse partem Christi in Eucharistia, in qua aliqua pars sive sanguinis, sive lactis Mariani non reperiatur: si enim verum est quod s. Macharius docet, hom. 12, illis verbis: *Ab omnibus membris maternis lac proficiscitur;* nulla est pars in Eucharistia, sub qua non lateat aliquid ex partibus omnibus Deiparae, videlicet ex corde, capite, manibus Deiparae: licet ergo

oculi, cor et reliqua B. Virginis membra non sint integre in Eucharistia, est tamen aliquid, quod pars exstiterit oculorum, genarum, uberum, viscerumque Mariae. *Si ergo*, inquit s. Theodoretus lib. 8 de Martyribus, *sectis Sanctorum corporibus, integra tamen vis et gratia perseverat; tenuesque ac tantillae reliquiae, toti nullasque in partes martyri dissecto, parem habent virtutem.* Quod meliori iure reliquiis B. Virginis in Eucharistia contentis aptabis.

1483. Imo Aloysius Novarinus, eruditus auctor in umbra Virginea, excursu 140, n. 1303, probabili aliqua coniectura ductus addit in Ioachimi et Annae gratiam fieri potuisse, ut Dei Filius in Virginis Mariae utero carnem assumens, aliquam illius substantiae particulam sibi unierit, quam ipsimet parentes Mariae corpori formando exhibuerunt, quo hi magis cum Christo suo nepote coniungerentur, ex qua coniunctione consequenter maior gratiae, caelestiumque donorum portio in eos dimanaret. Quod non video, nec philosophiae omnino repugnare, nec rectae rationi: quod si ita esset, consequenter dici posset, in Christo Domino sub Eucharistia delitescente reperiri aliquam particulam, quae aliquando ab anima D. Annae informaretur, vel etiam D. Ioachimi; quod cum nec Scripturae, nec Patribus, nec rectae rationi refragetur; tum alio ex capite pietati Christi in avos et Mariam Virginem conforme videatur, non est cur omnino explodatur. Solum adversari videtur Thomae, 3 p., q. 31, art. 6, asserenti: *Matrem habere in se, ut partem actualem sui, quod a parentibus accepit, eam vero dare filiis, non quod accepit, sed quod ipsa conficit, videlicet sanguinem: est itaque in filio aliquid Matris determinatum, quod vere fuit solius Matris, non vero avorum quorum nulla est pars materiae in nepotibus: atque adeo Christus solum fuit in avis, et proavis secundum originem remotam; at in Maria secundum aliquas partes determinatas, quae solum proprie fuere Mariae.* Haec D. Thomas.

Ut autem nostrum assertum amplius suffulciatur et roboretur, statuo universos Doctores in nostram sententiam venire debere; sive eos qui asserunt, primigenias partes infantis Iesu deperdi per nutritionem, et absumi, et novas alias substitui; sive nobiscum fateantur plurimas partes infantis Iesu permansisse cum Christo moriente. Qui enim primum fatentur, eos etiam fateri oportet cum communi Theologorum placito in Christi Domini anastasi partes illas, ex solo Mariae purissimo sanguine ac lacte elaboratas, fuisse illi redditas, illarum loco, quae absumptae fuerunt, vel per calorem nativum, vel per effusum sanguinem, vel per longam ieiuniorum seriem, aut peregrinationum, et concionum lassitudinem ac laborem. Si nobiscum sentiant, videlicet remansisse in Christo plurimas partes ex Mariae sanguine et lacte acceptas, usque ad Christi mortem; iam in nostram sententiam veniunt. Hi sunt Magister in 2, dist. 30, cap. ult. et penult.; Magister etiam Historiae Scholasticae, lib. 19, cap. 78; Hugo de s. Victore et alii; opinantur enim partes in prima generatione haustas a matre nullo modo deperdi, sed usque ad mortem permanere; quae etiam est sententia Abulensis in cap. 22 Matthaei, quaest. 243.

Oppositum adstruunt D. Thomas, 1 p., q. 119; D. Bonaventura, in 2, dist. 30, art. 3, q. 2; Scotus in 4, dist. 44, q. 1; Richardus, in 2, dist. 30, art. 5, q. 1; Fernel. lib. 4 Physiolog. c. 6; arbitrantur enim primigenias a parentibus acceptas partes per nativum calorem paullatim devastari ac deperdi, quod tamen aiunt accidere post longam senectutem; Christus autem in ipso iuventutis flore interiit: et in horum Doctorum sententia, verum est, in resurrectione subrogatas fuisse partes illas deperditas primigenias nativo calore, vel ex alia causa. Ex quibus elicere possumus id omne, quod Christus Dominus hausit a Mariae sanguine et lacte, illud integre asservari ac retineri in Eucharistia. Sic s. Thomas in 4, dist. 44, q. 1, art. 2; Magister Historiae Scholasticae, lib. 19, c. 78; Bonaventura cit. q. 1 et 2; Angles in floribus de resurrect. art. 6, dub. 1; Argentinas in 4, dist. 44, q. 1, art. 1: qui omnes opinantur materiam eam, quae in prima generatione a parentibus recipitur, sive deperdatur, sive non, integre in resurrectione restitui. Ex quo ulterius habes, cum in Eucharistia hae omnes partes Christi reperiantur, quibuscum Christus resurrexit, omnem a Maria susceptam substantiam in eadem Eucharistia integre asservari.

Nec obstare potest quod obiicitur ex concilio Toletano 11 in confessione fidei, ubi ait: *Resurgemus in ista carne, qua vivimus, consistimus, et morimur.* Ex quibus inferat aliquis Christum Dominum non cum primigenia substantia a B. Virgine hausta resurrexisse, sed in alia eadem, quae fuit in cruce: quod confirmare quis posset ex Tertulliano, de resurrect. carnis, cap. 52 et 63; Augustino, et Anselmo, et Suario, tom. 2 in 3 p., disp. 50, sect. 6; ubi contendunt resurrectionem futuram in eisdem corporibus, in quibus homines e vita discedunt: ergo cum Christus Dominus dum mortuus fuit, pluribus partibus sanguinis ac lactis Mariae destitutus fuerit, in eis non resurrexit. Idipsum affirmare videntur sacra Volumina, Ioan. 5: *Qui in sepulcris sunt, audient vocem filii Dei;* Isai. 26: *Interfecti mei resurgent;* Ezech. 37: *Educam vos de sepulcris vestris.* Ideo Augustinus, serm. 156 de tempore, ait: *Mors, quod suscipit, hoc refundit.* Sed partes sanguinis ac lactis primigeniae a Maria susceptae, per calorem nativum et ieiunia aliosque labores fuerunt omnino absumptae, ut plures contendunt, nec in sepulcro cum Christo mortuo iacuerunt; ergo neque in resurrectione cum Christo revixerunt. Sed haec nullum facessunt negotium, quia in omnium sententia asserendum est Christum surrexisse in aliqua sui corporis portione, in qua nec obiit, nec in sepulcro iacuit, quia maximam sanguinis copiam, flagellorum, spineae coronae ac clavorum vi profuderat, in quo sanguine non obiit; ergo subrogandae fuerunt plures sanguinis partes pro deperditis.

Demum arbitrantur alii, sanguinem defaecatum in homine vivere anima rationali; iuxta quos aliquae partes reperiuntur modo in Eucharistia, quae aliquando anima Deiparae informabantur, quod ut probent, aiunt, sanguinem nihil aliud esse, quam carnem humidam nondum coagulatam; adeoque eadem forma instrui sanguinem iam defaecatum, ac carnem ipsam. Huc respiciebat Clemens Alexandrinus, lib. 1 Paedag., cap. 6, dum ait: *Quod carnis quidem est humidius, est sanguis, ut qui sit veluti quaedam caro humida, id autem sanguinis quod est subtilius et suavius est lac.* Et s. Hieronymus, lib. 2 adversus Iovin., docuit, sacerdotes a lacticiniis abstinere apud Aegyptios, quia ab eis carnes humidae censebantur. De quo consulendi D. Thomas in 4, dist. 44, quaest. 1, art. 2; Caietanus, 1 part., qu. ult., art. 1; Conradus in 1 2, qu. 54, art. 1; Medina in 3 p., qu. 5, art. 2; Henriquez de Euchar. c. 26, § 2. Hic autem sermo non est de sanguine nondum defaecato, vel de nutrimentali et erranti; sed praecipue de sanguine destinato ad proxime futuram sobolem coagulandam, qui vivit anima matris, iuxta hos Doctores, antequam in eum anima foetus inducatur.

CERTAMEN IV.

Utrum aliquis sanguis B. Virginis sit in Eucharistia sub eadem forma substantiali, licet sub diverso supposito.

1484. Statuimus in primis cum universa medicorum schola, sanguinem matris in prolem transfusum, non mutare formam substantialem: foetus igitur ante partum alitur sanguine materno cum eadem forma substantiali; itaque perinde erit, sanguinem a matre in prolem communicari, ac si ab uno vase in aliud transfunderetur. Foetus igitur quandiu in alvo est, non habet coctionem illam, qua chylum conficiat in stomacho, nec aliam qua sanguinem elaboret in hepate, quia illae coctiones perficiuntur a matre; solum ergo proles illam coctionem perficit, qua sanguis convertitur in substantiam aliti. Et ratio est, quia mater per venam umbilicalem ministrat proprium sanguinem; et fieri nequit, ut una forma substantialis eiusdem speciei pellat alteram solo numero distinctam ab eodem subiecto. Quod confirmari potest ex Hippocrate, lib. de natura pueri; cui assentitur Realdus Columbus, lib. 12 suae anatomes, tractatu de formatione foetus; Peramatus, lib. de hominis procreatione, cap. 3, quod tanquam certum amplectuntur medici. Et licet totus sanguis venalis, quia est nutrimentum, in ossa et carnem fuisset conversus, adhuc maneret sanguis arterialis novem mensium, qui non est nutrimentum. Quod vero aliquis sanguis extractus a matre permaneat in prole, adhuc in aetate provecta, probant Mercurialis, tom. 2, tractat. de morbis haereditariis; Avicenna, fen. 1, tract. 4, cap. 6; Nicolaus Florentinus serm. 2, tractat. 4, sum. 4, dist. 6, cap. 13; Fracastorius 2 de morbis contag. cap. 2, quia saepe experimur anno quadragesimo vel quinquagesimo vitae, ut aliqui morbi veluti haereditarii consurgant, non ex alia causa, aiunt illi, nisi quia aliqua sanguinis portio in venis filii a matre hausta remaneret, quae in aetate provecta, vel per inflammationem, sive putrefactionem, vel aliud simile, suam activitatem exercet.

His ita constitutis, arbitror aliquam sanguinis B. Virginis portionem existere modo in Eucharistia sub eadem forma substantiali, sub qua fuit in ipsa Virgine. Et suaderi potest, nam probabilior sententia defendit, sanguinem non informari anima rationali (a). Tunc sic: communis anatomicorum et medicorum sententia apud Andream Laurentium, lib. 8 Hist. anatom. 7, qu. 24, tenet sanguinem maternum transfusum in prolem non mutare formam substantialem, quousque illum in carnem et ossa convertat; ergo iam aliqua pars sanguinis, qui fuit in Christo, et modo est in Eucharistia, fuit etiam sanguis B. Virginis sub eadem forma substantiali. Iam enim monuimus ex philosophorum et medicorum schola, eundem sanguinem haustum a matre perseverare in filio, vel saltem aliquam partem ipsius toto vitae tempore; ergo dicendum est, aliquam partem sanguinis Deiparae haustam a Iesu per venam umbilicalem permansisse in Christo usque ad mortem sub eadem forma substantiali; adeoque et permanere modo in Eucharistia.

Imo licet permitteremus omnem sanguinem haustum a Iesu per novem menses fuisse temporis decursu conversum in carnem et ossa ipsius Christi, vel devastatum et absumptum, sive a calore nativo, sive ab aere ambiente, et reliquis contrariis, adhuc maneret veritas nostri asserti. Docet enim Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 47, sect. 3, sanguinem Christi in Circumcisione fusum, assumptum iterum fuisse a Christo resurgente; tunc autem certum est, illum sanguinem adhuc retinuisse eandem formam substantialem, sub qua fuit in corpore Deiparae; quippe octo dierum intercapedo non sufficeret ad mutationem formae substantialis in toto sanguine hausto per novem menses in utero Materno. Deinde Christus Dominus tempore mortis parum

(a) Nescio quo pacto haec sententia, in qua tota vis argumenti reponitur, ab Auctore probabilior dici possit. Posito enim quod sanguis non informetur anima rationali, ipse deducit quod sit pars quaedam inanimis quae a matre transfunditur in filios, et in ipsis remanet sub eadem forma sub qua erat in matre. At hoc prorsus ab veritate abludit. Siquidem si sanguis non informatur anima rationali, tunc vel informatur alia anima, nempe sensitiva, vel est pars corporis inanimis et iners. Utrumque absurdum. Primum quia non sunt in homine duae animae, sensitiva altera, altera rationalis, illa quae operationes sensibiles, haec quae intelligibiles exercent: sed una eademque anima rationalis, quae corpus informat, et sensibiles, ac intellectuales operationes exequatur. Alterum quia tunc sanguis non esset pars viva corporis, sed pars mortua, et iners sine vita quod non solum scientiae, et experientiae adversatur, sed ipsi divinae Scripturae. In Levitico enim cap. XVII, v. 14, legitur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Hinc dicendum est sanguinem B. Virginis remanere in Eucharistia hoc sensu, quatenus a B. Virgine Christus illum accepit, sed nunc esse sub forma substantiali corporis Christi, animatum anima Christi, partem corporis Christi, ob rationes in superiori adnotatione allatas. *Nota Editoris.*

sanguinis continebat; opus fuit ergo in resurrectione novum addere ad perfectionem compositi, ut probat Suarius citatus. At sanguis addendus Christo resurgenti necessario assumptus fuit ex illo, qui aliquando exstitit, ipsius corporis Christi, ut tenet communis: si autem magna pars sanguinis conversa fuit in carnem et ossa Christi, magna item devastata per causas communes, ut vult contraria sententia, ac proinde alius subrogatus, qui necessario fuit ex sanguine hausto per novem menses a Deipara sub forma prima substantiali, iuxta Theologorum unanimem sensum in 4, dist. 44, asserentium, suppleri quae desunt corpori resurgenti pro constitutione, integritate et ornatu, ex partibus primigeniae carnis et sanguinis, quae primis novem mensibus a prima formatione fuerunt acceptae. Quin potius iuxta Scotum in 4, dist. 44, omnes resurgent non solum cum carne hausta a parentibus, sed etiam cum sanguine primigenio hausto ab utero materno, quod probabile asserit s. Thomas in supplemento ad 3 p., quaest. 80, art. 4. Alii probabiliter tuentur humidum radicale nunquam in totum absumi, quod in prima formatione accepimus. Ita Mercurialis, Fracastorius, et alii plures Medici et Philosophi. Tenendum igitur est in Christo resurgente resumptum fuisse sanguinem primigenium, qui sub eadem numero forma fuit in matre et in filio; vel saltem plures illius partes, quae nunc in corpore Christi et in Eucharistia perseverant sub eadem forma substantiali, sub qua olim fuerunt in B. Virgine et in puero Iesu. Cui sententiae subsidiantur s. Athanasius, s. Thomas, 3 p., quaest. 54, art. 2, Suarius cit., Vasquius tom. 1, disp. 36, cap. 8, videlicet Christum Dominum resumpsisse in resurrectione omnem a se effusum sanguinem. Subiungit Suarius, plus sanguinis inesse corpori Christi glorioso, quam simul aliquando fuerat in corpore mortali: unde plus sanguinis resumpsisse in resurrectione, quam in passione profuderit, ut probat ibi; et tom. 3 in 3 p., disp. 51, sect. 3, docet in corpore Christi gloriosi plura receptacula, quae ante mortem erant plena aliis rebus, repleta fuisse sanguine purissimo. Verum tamen est, omnes illas partes sanguinis, quae primo existebant in corpore Deiparae, et postea per umbilicarem venam in corpus Iesu fuerunt transfusae, et sub eadem forma substantiali conservatae, statim atque Christi venas et arterias ingrediebantur, Supposito divino terminatas fuisse, ac Verbo divino unitas partiali unione hypostatica.

Quod autem adeo verum est, videlicet sanguinem illum, qui eo tempore, quo Iesus in utero Matris delitebat, absque formae mutatione a venis Deiparae in Christi venas diffundebatur, adhuc modo in Christi corpore persistere; ut in universum de omnibus pueris idem statuat Andreas Laurentius, lib. 2, cap. 13, qu. 33, his verbis: *Superest inquirendum quomodo immutetur, et alteretur pueri alimentum, an scilicet tres coctiones subeat, an duas, an unicam tantum. Ego, ut ingenue dicam quid sentio, unicam in foetu coctionem agnosco. Quid enim chylosi, quid nova haematosi opus est, cum sanguinem maternum hauriat, eumque purissimum. Perfici quidem, et magis magisque excoqui, tum in maioribus, tum in exilioribus vasis, fateor, ut maior sanguinis cum tenello foetu intercedat similitudo, sed novam formam induere, plane inficior: idem enim est sanguis, eadem alendi vi praeditus, perfectione tamen differt, et quibusdam accidentibus.* Ex quibus medicae artis principiis facile deducere possumus, aliquem sanguinem permanere in Christo, ac proinde in Eucharistia, qui sub eadem numero forma in B. Virgine praecesserit. Et roborari potest assertum hoc ex dictis in speciali Certamine; nam Christi Domini corpus unico instanti fuit absolutum, ac perfectum utique ossibus, carne ac sanguine constans; ergo primigenius ille sanguis, nulla praecedenti coctione aut nutritione, quae sine tempore fieri nequit, per infantis Iesu venas transfundi opus fuit sub eadem numero forma, sub qua in venis sanctissimae Virginis latuerat. Tunc autem redit idem discursus saepe factus: videlicet in Christi anastasi, restitutum fuisse sanguinem illum, si forsan, ut volunt aliqui, calore nativo, aut ieiuniis et itinerum lassitudine fuerat absumptus; ac ex consequenti in sancto Eucharistiae sacramento eundem sanguinem illum primigenium contineri, ac sub eadem numero forma, sub qua in venis sanctissimae Deiparae antecesserat.

1485. Sed opponet hic aliquis: si sanguis Virgineus sub eadem forma substantiali reperitur in Eucharistia; ergo vere non affirmatur in consecratione Calicis: *Hic est sanguis meus;* siquidem magna pars illius sanguinis potius est Mariae, quam Christi. Sed nihil urget obiectio; nam sicut materia a B. Virgine exhibita, ex qua conflatum fuit corpus Christi, desiit statim esse Mariae, ubi primum fuit Christi; eodem modo simul atque sanguis Virgineus coepit esse Christi, et terminari supposito divino, venas Christi ingrediens, erat iam de integritate Christi, qui antea erat de integritate Mariae, antequam ab ea separaretur: et licet ille sanguis habeat in Christo eandem formam substantialem, quam habebat in venis Mariae, terminatur tamen in Christo, diverso supposito, nempe divino; quod sufficit, ut vere et proprie dicatur sanguis Christi; atque adeo verissima erit illa propositio: *Hic est sanguis meus.*

Ex hoc Certamine et antecedenti elicere possumus, ita Deiparam lactasse infantem Iesum, ut simul in illo lacte nobis omnibus alimenta suppeditaverit, quia eo ipso quod sanguinem ac lac suum a Filio in carnem et ossa conversum, ipsi dederit, fieri non potest, quin plures partes sanguinis a Maria acceptas, toto vitae tempore conservaverit, ac proinde eaedem in Eucharistia nobis propinantur. Quoniam ab instanti Incarnationis usque ad reditum ex Aegypto, nulla erat vel pars minima in corpore Iesu, quam a Deiparae sanguine et lacte non receperit: intra viscera enim materna delitescens Christus purissimo solum B. Virginis sanguine nutriebatur;

natus autem nihil lactis, vel alterius alimenti ab aliena nutrice hausit, solum lacte a Virgineis uberibus instillato sustentabatur. Itaque post tres annos ab Incarnatione nulla fuit pars in Christo, quae a sanguine et lacte Deiparae non proveniret: triginta subsequentes anni absumere et devastare non potuerunt omnem materiam illam primo triennio a Maria susceptam: ac proinde communis Patrum et Teologorum sensus fatetur, materiam sanguinis et lactis Deiparae permanere in Eucharistia. Quocirca certo deducimus nullas esse Sanctorum reliquias adeo certas quoad identitatem et veritatem, quales sunt materia sanguinis ac lactis B. Virginis conversi in carnem, sanguinem et ossa Christi Domini in Eucharistia existentis, cuius certam fidem facit commune Medicorum, Philosophorum ac Theologorum suffragium. Reliqua Sanctorum ossa, non intercedente revelatione divina ab Apostolica sede proposita, solum fide humana ita esse probantur, prudenti diligentia innixa per traditionem.

Harum rerum alta meditatione, iugique consideratione, amorem in B. Virginem augebat s. Birgitta, dum orat. 4 in haec ferventia verba prorupit: *Super omnes scaturientes fontes sint ubera tua dulciora; sicut enim illi exilientes refrigerant aestuantes, lassos recreant, eorundemque sitim restinguunt; sic ubera tua, o Virgo Mater, Filium tuum lactantia, nobis quoque lactis tui dulcedinem porrexisti, simulque nostrarum omnium aegritudinum medelam adhibuisti.* Ferunt Physici, febre hectica laborantes, lacte instillato ab uberibus valentis puellae sanari: sic qui longas, altasque radices egerunt in sceleribus, pravisque moribus, hoc Virgineo lacte in meliorem frugem redeunt. Olim, Horatio teste, ethnici suum Deum Sylvanum lacte placabant. *Sylvanum*, inquit ille lib. 2, epist. 1, *lacte piabant.* De quo Apuleius, lib. 6. Metaph. Sed nos christiani vero et omnipotenti Deo huius sacrae Virginis lacte hostiam immaculatam litamus, eumque, ipsius sanguine nostras noxas emaculante, placamus.

CERTAMEN V.

Virgo B. quotidie sacra reficiebatur synaxi.

1186. Antequam in hac re meum sensum producam, praelibanda est solemnis illa consuetudo, qua in Ecclesiae primordiis Christi fideles quotidie ad sacram synaxim accedebant: ita plures Doctores; quam consuetudinem clare colligi sibi certo persuadent ex c. 2 Actu., ubi sic habetur: *Erant omnes perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Vel ut habet Syriaca: *In communicatione fractionis Eucharistiae,* etc. *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis.* Quae verba de Eucharistia interpretantur Montanus, Salmeron, Gaspar Sanchez, et alii moderni interpretes, licet Lorinus cum aliis refragetur. Idem colligunt ex cap. *Peracta, de consecrat.* dist. 2. Inter hos vero Doctores aliqui adhuc affirmant, hanc quotidianam communionem in illa prima Ecclesiae infantia, sub peccato esse praeceptam ab Apostolis; innituntur verbis capitis illius, *Peracta,* quae sunt Anacleti Papae, quae sic se habent: *Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia.* Concinit cum his canon 10 Apostolorum, qui sic se habet: *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, et Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiae commoventes, convenit communione privari.* Hoc est, ut explicat Salazar de practica frequentis communionis, c. 3, excommunicatione feriantur. Et Clemens Romanus in Constitut. Apost., lib. 2, cap. 61, ritus ab Apostolis institutos referens, qui primis illis temporibus nascentis Ecclesiae omnino a fidelibus servabantur, ita concludit: *Adstanti omni populo, atque secreto orante sacrificium peragatur: at postquam oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus, et pretiosum sanguinem cum pudore et timore, tanquam ad regis accedentes corpus.* Hanc partem tuetur etiam noster Vasquius, in 3 p., disput. 214, qui expresse docet in Ecclesiae primordio, praecepto cautam fuisse quotidianam communionem ab Apostolis: et favet D. Thomas, 3 p., quaest. 8, art. 10, ad 5. Quod etiam innuere videtur concilium Mediol. 3, dum canonem sancivit tenoris sequentis: *Ad saluberrimum illum sacrae Eucharistiae frequenter sumendae usum, parochi et concionatores item populum exhortentur, nascentis Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus, et sententia denique Tridentinae Synodi, quae optaret quidem fideles in singulis Missis, non solum spirituali, sed etiam sacramentali Christi perceptione communicare. Quod si quis concionator etiam regularis aliquid contra directe, vel indirecte dixerit, Episcopus, in cuius dioecesi hoc ille admiserit, ei tanquam scandalum disseminanti Tridentinae eiusdem Synodi auctoritate interdicat praedicationem Verbi Dei, ad cuius praedicationis munus, ne idem restituatur, nisi primum eiusdem Episcopi iudicio satisfecerit eo ipso in loco, ubi in re scandalum et offensionem praebuerit.* Ex quibus verbis inferes doctrinam esse scandalosam ac temerariam, iuxta mentem huius concilii, reprobantem Communionem quotidianam indiscriminatim omnibus Christi fidelibus, demptis sacerdotibus, quia est contra communem catholicorum Doctorum sensum.

Non tamen me latet, plures Doctorum asserere, primis Ecclesiae temporibus nullum exstitisse Apostolicum praeceptum, quod fideles ad quotidianam sacrae Eucharistiae perceptionem induceret, neque legem consuetudine ac traditione stabilitam, ut tradunt Turrecremata, Hugotion, Archidiaconus super c. illud *Peracta;* Turrianus etiam in defensione canonum Apost. c. 22; Suarius in 3 p., tom. 3, disp. 67, sect. 3;

Salazar, in practica de frequenti communione, c. 3, ubi erudite rem hanc tractat: Tamen negare nequit, invaluisse hanc consuetudinem quotidie communicandi apud illos primitivos fideles. Thomas Bozius, lib. 3 de signis Ecclesiae, c. 5, ait solum Feria IV, sabbato et dominica fideles communicasse sub praecepto; caeteris diebus sub consilio solum. Quod colligi potest ex Epiphanio, lib. 3 contra haereses, ubi ait: *Communiones autem, sive synaxes fieri, ordinatae sunt ab Apostolis quarta feria, et pro sabbato et dominica.* S. Hieronymus in Apologia contra Iovinianum haec habet verba: *Scio Romae hanc consuetudinem esse, ut fideles semper Christi corpus accipiant, id est quotidie*; et in epist. ad Lucianum: *De Eucharistia, quod quaeris, an accipienda quotidie, quod Romanae Ecclesiae et Hispaniae observare perhibentur*, etc.

1187. Ex quorum praelibatione pronum est inferre B. Virginem quotidie ad sacram accessisse synaxim. Ita communis DD. cum Alberto Magno, Alexandro Alensi, Dionysio Carthus., B. Amedaeo in sua Apoc. quos refert Salazar. cit. c. 3. Canisius, lib. 1 de Deip. c. 9, idem probat argumento ducto a minori ad maius: *Quis*, inquit, *neget nova merita Deiparae accessisse, maxime cum acciperet Eucharistiam, quae in illa nascente Ecclesia, summo cum fructu et gaudio spiritus a cunctis quotidie sumebatur?* Et lib. 5, c. 1, ait: *Multitudo credentium quotidie in Templo non solum in Apostolorum doctrina, sed etiam in frequenti, imo quotidiano usu sacrae Eucharistiae, orandique studio perseverarent: pia haec studia Deiparae in primis nota, usitata, grata, iucunda, imo ni fallor necessaria, ut omnes praeiret exemplo.* Suarius etiam, tom. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 3, docet usum huius sacramenti fuisse in praecepto, atque Virginem Deiparam comprehendisse. Deinde frequentiam eius esse in consilio, et per sese honestissimam, et utilissimam et valde conformem eximiae charitati B. Virginis erga Filium. *Cum ergo*, inquit, *legamus* (Actor. cap. 2) *in primitiva Ecclesia fideles omnes, vel quotidie, vel frequenter usos esse hoc Sacramento; ergo multo magis B. Virgo hanc consuetudinem observavit.* Haec Suarius.

Unoquoque ergo die Virginem Deiparam, dum viveret, sacra synaxi fuisse refectam, certum reor, quia Deiparae in Christum amor ad id enixe impellebat; nihil praeterea obstare poterat, quominus hoc tanto bono privaretur, in tanta rerum divinarum cognitione, in tanto caelestium donorum apparatu, in qua enim pixide melius ac lubentius caelestis ille panis custodiretur. Praeterea divina Virgo tanto gratiae cumulo ex opere operato hausto ab ipso omnium gratiarum fonte Christo sub panis speciebus delitescente privaretur. Et quidem ingens amor erga Filium, ut dixi, multum roborat assumptum, praecipue ad vivum, depictus penicillo Sophronii serm. de Assumpt.: *Puto*, inquit, *quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas quanto, indesinenter crematabatur ardore pii amoris, quantis monebatur repleta Spiritu sancto caelestium secretorum incitamentis; quia etsi diligebat Christum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, novis tamen quotidie inflammabatur praesentia absens desideriorum affectibus; tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, et ebrietas profusi amoris: nam et Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, maxime tamen ab ea ardentius, cuius et Dominus erat, et filius. Fortassis ergo prae nimio amore in loco in quo sepultus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus; non quod iam viventem quaereret cum mortuis, sed ut suis consolaretur adspectibus; hoc quippe habet impatiens amor, ut quae desiderat semper invenire se credat.* Quibus verbis non parum firmatur assertio, nequiret enim amor Deiparae praesentia Filii, vel ad unum diem orbari, cum facile posset a s. Ioanne suae vitae perpetuo comite, vel ab aliquo alio Apostolo sacro refici pane. Praesertim cum tanta veneratione et amore hoc sacramentum prosequeretur, ut in terris degens in genua provolveretur statim atque aliquem sacerdotem offenderet, utpote tanti sacramenti ministrum. Imo et modo in caelis agens summo cultu et adoratione sacerdoti consecranti assistit, ait Radulphus de Rivo, lib. de canonum observantia, proposit. 23, longe post medium, tom. 6 Bibliothecae veterum Patrum: *Supplenda*, ait, *sunt hic Sanctorum dicta, quibus adstruitur totam curiam caelestem, scilicet Virginem gloriosam, choros Angelorum, omnesque sanctos tempore consecrationis adesse.*

Addunt docti calami, ut supra meminimus, propter unam Virginem Mariam praecipue, Eucharistiae sacramentum a Domino institutum: sic enim Christus purissima Mariae viscera adamavit, ut modum adinvenerit, quo iterum in illa illaberetur: cum enim quotidie B. Virgo ad sacramentum altaris accederet, quotidie etiam Christus materna viscera repetebat, sicque conceptum ex Filii absentia dolorem Virgo Mater aliquo modo temperabat: et vicissim Christus D. ex absentia Matris hac quotidiana Eucharistiae susceptione solatium singulare sibi comparabat. Vide Albertum Magnum de laudibus Virg.; Petrum Dam., serm. de nativit. Virg.; Salazar tom. 1 in Provit., cap. 9, a num. 140, praecipue num. 154; Suarium, tom. 3 in 3 p., disput. 46, sect. 7.

Sciscitabitur aliquis, utrum B. Virgo communicaverit nocte coenae, cum Christus D. hoc sacramentum instituit. Et quidem B. Virginem Pascha celebrasse cum foeminis in eadem domo, in qua Christus illud cum Apostolis celebravit, docet Simeon Metaphrastes in orat. de ortu et Dormit. Deiparae: *Erant*, inquit, *mulieres quoque, quae consequebantur a Galilaea, et ministrabant ei. Ea ratione videntur nec abfuis-*

se quidem a tempore mysteriorum, sed cum duodecim minime quidem accubuisse, fuisse tamen eius domus consequenter participes; nam Discipulos quidem cum mysteria, et humilitatis summae traderet documenta, una habuit accubantes; Matrem autem iussit curam gerere mulierum, quae ministrabant, tanquam per eam, ipsas benigne accipiens, et adimplens officium humanitatis, et simul cum eis vescens, et sic pro ministerio eis referens gratiam. Christophorus de Castro, in Hist. Deiparae, cap. 16, num. 6, docet etiam in eadem domo cum Filio pascha celebrasse: unde proclive erit alicui existimare B. Virginem cum reliquis piis mulieribus participem fuisse mysteriorum pretiosi corporis Christi recens ab ipso Christo consecrati, adeoque communicasse post Apostolos. Tum propter mutuum amorem Matrem inter et Filium, qui non patiebatur Filium a Matre abesse sibi adeo in praecordiis habita. Tum ut novum robur acciperet ad tolerandas Filii passiones statim secuturas. Matrem Virginem sub eodem tecto pascha celebrantem, Agno manducato, Dominicum suscepisse corpus iure credit Barradas, tom. 4 concord. lib. 1, c. 17, innuit Sherlogus tom. 3 in Cant. fol. 608, n. 20, de quo egi supra n. 1479.

Ex hac sacra ac quotidiana Eucharistiae sumptione B. Virgo laureola quadam in caelis redimitur, iuxta ea quae aliqui apud Lorinum Actu. 2, 11, 42, pie meditati sunt. *Non defuere*, inquit cit. Lorinus, *qui affirmarunt his, qui Christi corpus sumpserint, tribuendum in corpore peculiare quasi ornatum in similitudinem laureolae, cum immortalitas ipsa corporis tanquam proprius effectus Eucharistiae censeatur.* Ideo forsan in huius rei typum olim Altare laureola cingebatur, ut hanc rite communicantium laureolam exprimeret. Cui cogitationi adstipulatur Celada in Iudith, tom. 1, verbo *Eucharistia*.

1488. Nunc restat, ut B. Virginem nobis ante oculos ad imitandum proponamus, quae nos edoceat, et instruat, quo timore ac tremore sit ad Eucharistiam accedendum, ut hac Eucharistiae laureola in caelis cum Maria redimiri mereamur. Turbatur igitur Deipara ab Angelo salutata, et quidem verbis blandis, Luc. 2. Sed quaenam huius trepidationis causa? Respondet Chrysologus, ser. 142: *Mox sentit in se divinum suscipi iudicem.* Sole purior Maria, ac nive candidior, columba innocentior, trepidat Verbum divinum in se susceptura, quia iudicem in Filio cogitat; tuque sceleribus onustus, peccatorum maculis denigratus, intrepidus Verbum incarnatum in Eucharistia delitescens excipies? Imo terra ipsa in Christi morte tremore concutitur, forsan quia Christum sinu suo erat exceptura, ac proinde tanto pignori excipiendo imparatam se esse fateretur. *Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit terra, eum, qui moriturus erat, intra se contestata non capere:* aiebat Hilarius, lib. 3 de Trinit. Utinam nos vel ab inanimi elemento timorem ac tremorem ebiberemus, ut sicut terra contremuit Creatoris sui corpus susceptura, nos etiam totis artubus concuteremur prae timore iudicem suscepturi in hac Eucharistica mensa, dum tanti beneficii rationem sumus reddituri, a sepulcro Christi edocti, quod ingenti terrae motu quatiebatur, Christo illud deserente in Resurrectione: *Terrae motus factus est magnus*, Matth. cap. 28. Cur Christi sepulcrum contremit corpus Christi Domini, quod acceperat, rependens, quasi rationem tanti thesauri accepti redditurum? *Sepulcrum*, ait Chrysostomus, *accepto corpore deposito terretur, quod Patris thesaurum accepisset, depositum cum tremore reddidit.* Potiori quidem titulo, tremore nos concuti oporteret, cum a nobis exigenda sit ratio; quod toties sinu nostro thesaurum Patris aeterni, hoc est Verbum divinum carne amictum minus sanctiori apparatu exceperimus. Flecte igitur animum, o homo, Eucharistiam suscepturus, ad districtum Dei iudicium; et Eucharistiae mensae assidens cogita gladium imminentem super te, gladius enim Gedeonis est hic panis caelestis. Proh Deum immortalem! Quale iudicium immineat ei, qui Dei Verbum otiose, nullaque sanctitatis paratura sinu suo fovet, cum de verbo humano otioso reddenda sit nobis ratio. *Omne verbum otiosum*, inquit Christus, Matt. 12, *quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Itane humanum verbum, quod ab hominis ore profertur, ad strictioris iudicii examen vocabitur; quam terribile iudicium subibit, qui Verbum divinum otiose et sine ullo fructu suscipit? Id gravi sententiarum pondere premit s. Basilius, lib. 3 de Baptismo, c. 3: *Non enim*, ait, *terribile tantum iudicium habet, qui in carnis et spiritus inquinamento ad sancta accedit indigne, sed et otiose et inutiliter edens, ac bibens. Quemadmodum enim, qui sine conscientia, et inutiliter tantum, ac tale bonum irritum facit, iudicium habet segnitiei, cum Dominus nec eos innoxios esse sinat, qui verbum aliquod otiosum proferunt.* Qui verbum humanum otiose et inutiliter effutit, poenas luiturus est; quod, Deus bone, severissimum iudicium ille subibit, qui Verbum divinum, non solum otiose et inutiliter, sed sine ulla virtutum supellectili, excipit? Non quem fallat invitantis mansuetudo agnina, sed simul perpende in regis invitantis vultu iudiciariam potestatem. Rex ille, Matth. 22, ad Filii nuptias celebrandas, plures ad convivium vocavit, et postmodum iudicis munus exercuit: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Mittite eum in tenebras exteriores.* Ne ergo tu de invitantis mititate nimium fidas, sed simul iudicis severum tribunal in officio quemque contineat, ideo Deus orbem condens, et homini cibos apparans, *Elohim*, hoc est Iudex nuncupatur, quia strictam ab homine rationem beneficiorum omnium exiget tanquam Iudex; quam potiori iure in Eucharistia iudicis personam induet, in qua non terrenis escis nos alit, nec terrena in obsequium praebet, sed corpore, ac sanguine, et Divinitate, et anima nos pascit. Dum Deus Hebraeos per invia ac deserta loca ductaret, ignea usus est columna, forsan ut innueret, ut Deum beneficum formidarent, quanto enim beneficentior, tanto etiam strictiorem donorum exiget ra-

tionem. *Columna ignis*, inquit Zenon serm. 2 in Exodum, *te per noctem Iudaeae perduxit, ut moneret arsurum.* Tibi cave, o homo, qui in hoc Eucharistico epulo ignitum carbonem mandis, ne hoc igne arsurum te aeternum portendas, ac ignis sempiterni tesseram tecum adsportes. In hoc Eucharistiae dono Deus tanquam iudex incorruptus formidandus, ut monet Iacobus cap. 1: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sed cur a Patre luminum, et non misericordiarum ac pietatis? Scite a Patre luminum donum hoc Eucharisticum praecipue dicitur venire, ut qui hoc beneficio donatur, iudicii sit memor, remque sibi cum igne fore animadvertat. Quoties audisti plures Patres hunc Eucharisticum cibum cum manna componentes? de manna ergo ait Psalmus 77: *Pluit illis manna ad manducandum.* Consulto eodemmet verbo utitur Scriptor sacer, Genes. 19, dum ignem ac sulphur per quinque illas Sodomorum urbes grassantia pluisse docet: *Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem.* Nempe ut qui pluisse manna audiunt, ab eodem Deo ignem ac sulphur super sceleratos pluisse recordentur. Huc vocandus s. Gaudentius, ser. 10 de lect. Exodi: *Ipse pluit manna cibum suis cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando sacrilegio criminosis; ipse pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus.* Quicunque ergo caelesti Eucharistiae cibo pascitur, opus est, ut statim flammae ac sulphuris, quibus beneficiorum contemptores punire solet, reminiscatur. Sed perpendas velim super civitates pluisse Deum iram et indignationem igne ac sulphure serpentem: super solitudinem autem caelestium donorum affluentiam. Ab hac ergo una Virgine Deipara omnem cultum ac reverentiam in hanc Eucharisticam mensam edocti cum timore accedamus. Huc faciunt Bernardi verba de lamentatione Virginis: *Genis*, inquit, *et ore tantum cruore Christi rubentibus cadentes guttas sanguinis ore sacro tangebat, terram deosculans saepissime, quam cruoris unda rigabat.* Vides quomodo B. Virgo iuxta crucem Iesu sanguinem excipiebat Filii: ut et hinc Sacerdotes ediscant quam pie, quam sancte, quam fortiter, quam dulciter sumendus sit Christi Domini sanguis, in quem sic Virgo Mater stans inconcussa, ac Christi dolores ebibens, crucemque contemplans, piissimum gerebat officium.

CERTAMEN VI.

Per singula vitae momenta Deipara hoc pane caelesti, dum vixit, spiritualiter reficiebatur.

1489. Primum opus est animadvertere triplex sumptionis genus huius Eucharistici panis. Primum est sacramentalis tantum, alterum spiritualis tantum, tertium denique sacramentalis et spiritualis simul. Quae divisio innititur auctoritate concilii Tridentini sess. 13, c. 8; ait enim has tres rationes suscipiendi hoc sacramentum a Patribus nostris recte traditas fuisse. Nunc solum de spirituali sumptione corporis Christi in ordine ad B. Virginem sermonem instituimus; de qua concilium Tridentinum cit. sic habet: *Quoad usum autem recte, et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum recipiendi distinxerunt. Alios enim docuerunt spiritualiter duntaxat sumere, illos nimirum, qui voto propositum illum panem caelestem edentes viva fide, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt.* Dubium vero inde suboritur, an haec spiritualis corporis Christi sumptio gratiam ex opere operato confert sic sumenti: id enim innuere videntur verba praefata concilii, quibus nixi aliqui Doctores hanc partem tuentur, quos refert Ledesma in 1 p., q. 22, art. 4, Sotus in 4, dist. 12, q. 2, art. 1, qui consequenter asserere tenentur, veteres Patres, quotquot hunc caelestem cibum in votis habuerunt, non potuisse illum spiritualiter edere: nihil enim Eucharistia, antequam esset instituta, potuit reipsa operari: quod expresse tradidit Alensis citatus a s. Bernardino tom. 2, serm. 55, art. 2, cap. 1, ubi haec Alensis refert verba: *Sancti Patres veteris Testamenti hoc sacramentum spiritualiter non manducaverunt, nam etsi habuerunt fidem ipsius sacramenti postea instituendi a Christo, et tradendi ad manducandum, tamen quia nondum erat consecratum, et consecratio eius praecedit comestionem; ideo non comederunt.* Putabat enim ipse per votum tanti sacramenti, aliquam gratiae portiunculam ex opere operato conferri: licet Vasquius, tom. 3 in 3 p., disp. 212, cap. 1, n. 4, doceat, nullum Doctorem, Eucharistiam in voto conferre aliquem effectum ex opere operato, asserere.

Quocirca verissime docet communis Scholasticorum sententia cum Vasquio citato, votum suscipiendi hoc sacramentum solum ex opere operantis gratiae effectum sortiri, videlicet quia mens illud apprehendens, ac voluntas ardenter illud exoptans, fides excitatur, fervensque Dei amor accenditur in animo illud exambiente. Ex quo fit, veteres Patres, qui huius sacramenti revelationem hauserunt, illiusque suscipiendi desiderio ac votis erant accensi, illud spiritualiter mandisse, fructumque percepisse, ut tenet s. Bernardinus cit. Gerson super *Magnificat*, 3 p., tract. 9. Quo sensu locutum concilium loco cit., dum ait de hac spirituali sumptione verba faciens, *fructum eius et utilitatem sentiunt*: intelligenda enim sunt haec verba de fructu sacramenti in voto suscepti; operationem autem, et fructum illius hoc modo suscepti non esse ex opere operato supra meritum suscipientis, sed esse ipsum meritum eius; quod quidem dicitur sacramentum per sui desiderium, et spiritualem manducationem operari; nempe quia sacramentum hoc, mente apprehensum, et affectu ardenti concupitum, fidem in intellectu excitat efficacem, et amorem ferventem, quo in Deum fertur voluntas.

1490. His praeiactis, arbitror B. Virginem per singula suae vitae momenta hoc caelesti pane spiritualiter pastam. Ita Cancellarius Parisiensis, quem citat et sequitur Salazar in Cant. in

Isagoge, cap. 14, § 2. Verba Gersonis sunt haec: *Maria sicut prae caeteris novit in via, credidit, et intellexit figuras legis et naturae, Christi sacerdotium praesignantes; sic in illis, aut per illas manducavit fruitione benedictum fructum ventris sui, et spiritualiter eius sacramentum, unde exultavit spiritus eius in Deo salutari suo.* Et plura accumulat in hunc sensum, et iterum paucis interiectis firmat sententiam suam his verbis: *Iesu, tua fruitio, et manducatio esurientes replens bonis, virtuosius affecit Mariae spiritum, quam corporalis contrectatio, et lactatio suavissima tui ipsius: et ratio est quia cum maiori merito.* Ubi innuere videtur Doctor Parisiensis hanc spiritualem sacramenti huius susceptionem, de qua ibi sermonem instituit, effectum gratiae ex opere operato in Virginem B. contulisse: ait enim maiori merito affecisse Mariam hanc spiritualem comestionem Eucharistiae, quam contrectationem et lactationem erga Iesum; ostendimus autem suo loco, hanc contrectationem et lactationem gratiam ex opere operato in B. Virginem derivasse: ergo et haec spiritualis communicatio, iuxta Gersonem. Pergit idem, et fuse ostendit in omnibus vitae Christi mysteriis, figurisque veteribus spiritualiter hoc Eucharistico cibo epulatam, ipsiusque gaudio delibutam, antequam hoc sacramentum institueretur. Hanc etiam mentem mihi indidit sanctus Irenaeus, lib. 3, cap. 18, dum ait: *Fervore quodam ducebatur Deipara bibendi sanguinis Christi.* Quando ergo a Filio vinum in nuptiis Cana deposcit, Eucharistiae institutionem ambibat, cuius potiundae desiderio flagrabat, cuius semper spiritali sumptione fruebatur, ac spem dilatam solabatur.

Ex quo igitur tempore revelationem hausit futurum hoc Eucharistiae sacramentum, animum suum impensius ad digne illud suscipiendum omni virtutum supellectili apparavit; et ab eo tempore desideriis ac votis ardentibus, spirituali sumptione illo vesci coepit. Huius spiritualis communionis meminit Angelicus Doctor relatus a Vasquio supra; et s. Augustinus in cap. *Panem caelestem, de consecr.* dist. 11, ubi haec habet: *Panem caelestem spiritualiter manducare est innocentiam ad altare portare.* Quotiescunque ergo quis per innocentem vivendi rationem ac mores honestos animum suum componit, ac praemunit ea intentione, ut dignius ad hoc sacramentum accedat, iam incipit spiritualiter hoc cibo caelesti pasci, ipsiusque fructum percipere. Certum igitur autumo, B. Virginem, ex quo revelationem tanti mysterii a Deo accepit, omnes suas actiones, ac virtutum operationes, quas nullo unquam tempore, sive vigilans, sive dormiens interrupit, eo animo elicuisse inter alios bonos fines, nempe ut dignius suo tempore, ac maiori et meliori virtutum paratura, ac dispositione ad sacram Eucharistiam accederet. Quod me iudice, intendit Gerson ab eodem Salazare adductus dum ait: *Iesu, tua fruitio sacramentalis, qua Maria impleta est, bonis exemplar erat, et est omnibus fidelibus, ut esuriant hoc sacramentum; et deinde quod multo tempore parati non in vanum, vel omissionem, vel contemptum recipiant hoc sacramentum.* Preme verba illa: *Quod multo tempore parati*; subindicant enim B. Virginem fuisse fidelibus ideam et exemplar longissimae dispositionis ad Eucharistici epuli sumptionem. Haec autem Mariae diuturna dispositio nequit intelligi de praeparatione post Eucharistiae sumptionem, cum quotidie ad illam accederet. Unde intelligendus Gerson de toto tempore antecedenti, ex quo revelationem habuit huius sacramenti: sive ergo in momento Conceptionis, sive a Praesentatione ipsius in templum, sive ab instanti Incarnationis, ut volunt Gerson et Salazarius cit. per omnes virtutum actus in hunc finem collimabat, ut se dignius ad Eucharistiae sumptionem disponeret: et optima huius rei ratio desumi potest ex eo, quod quo maiori dispositione sacramenta recipiuntur, eo etiam maior gratiae fructus recipitur. Haec autem dispositio maior sita est in virtutum actibus ferventissimis, ipsorumque repetitione, ea intentione, ut dignius ad receptionem sacramenti praemuniatur animus. Ex quo fit, ut cum recipit sacramentum tot gradus gratiae recipiat virtute sacramenti, quot fuerunt actus virtutum, quibus se ad recipiendum sacramentum comparavit. Nunc sic: B. Virgo meliori quo potuit modo ad susceptionem Eucharistiae se disposuit; ergo ex quo tempore notitiam ex Deo habuit Eucharistiae, omnes virtutum actus et operationes in hunc finem retulit; sin minus, si dum potuit, id non praestitit, meliori quo potuit modo, se ad Eucharistiae sumptionem non comparavit, quod nemo dicet. Rursus de hac spirituali huius Eucharistici epuli manducatione, quae, iuxta Doctores ac Patres, in voto et desiderio hoc sacramentum recipiendi sita est, ait Gerson tract. 2 super *Magnificat*: *Maria dum stans, et orans in templo adspiciebat, credebat, et intelligebat omnes oblationes, victimas et holocausta, sacrificia insuper matutina, et vespertina, adimplebatur bonis huius benedicti sacramenti, etiam ante conceptum benedicti fructus ventris sui.* Iam ergo ex quo seipsam templo dicavit deliciosissimo ac lautissimo huius sacramenti convivio non sine ingenti fructu pasta est spirituali quadam perceptione.

1491. Ab hac sive spirituali, sive reali corporis Christi sumptione hausit B. Virgo corporis sui incorruptibilitatem. In hanc rem versat Guilielmus verba illa Cant. 1: *Ligna domorum nostrarum cedrina. Quia*, inquit, *non tantum domus Iesu, sed et domus Mariae hoc privilegium commune fuit, eo quod Iesus os ex ossibus, et caro ex carne Mariae fuit: ideo enim corpus Matris propter corpus Filii cum corpore Filii a generali lege corruptionis exceptum, perpetuae imputribilitatis gratia conservatum fuit.* Corpus itaque Iesu sive spiritualiter, sive realiter pransum, Mariano corpori contulit incorruptibilitatem. Apte vocat Hugo Victorinus Christum D. Sacramentum incorruptionis corporis Mariani: *Sponsae*, inquit in cap. 4 Cant., *tuae dedisti Sacramentum incorruptionis.* Corpus igitur Christi corpori Mariano defuncto incorruptionem

contulit, ne in pulverem et corruptionem abiret. Quo respiciebat ipsa sponsa Maria, dum morti vicina aiebat iuxta Rupertum: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. *Pharmaca itaque*, ait Rupertus, *Deipara ad suum languorem levandum exoptat, nempe flores et mala, divinum scilicet sacramentum Eucharistiae, quo in vitam immortalem convalescat.* Accinit s. Gregorius Nyssenus, hom. 4 in Cant., dum per malum, corpus et sanguinem Christi intelligit. *Ex eo*, inquit, *quod fuit particeps carnis et sanguinis, factus est malum, ad utrumque enim eorum licet videre in hoc fructu per colorum assimilationem, nam quodam quidem candore imitatur carnis proprietatem, ei autem illius rubor per suam testatur speciem, se quandam habere cognationem cum natura sanguinis.* Itaque corpus et sanguinem Filii exambibat Mater, ut vires resumeret. In cuius rei confirmationem alii ex Hebraeo vertunt illud, *Fulcite me floribus: Fulcite me lagenis vinaceis, et modiis similae purissimae.* Vatablus transfert: *Fulcite me vasis vitreis vino plenis.* Quibus verbis alludit sponsa ad morem primitivae Ecclesiae: tunc enim ob imminentes tyrannorum persecutiones, fideles sanguinem Christi in vasis vitreis repositum asservabant, ut attestatur s. Hieronymus epist. 4 ad Rusticum de s. Exuperio verba faciens. *Nihil*, ait, *illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Hos igitur flores, haec poma exoptabat B. Virgo iam iam ex hac vita discessura, flores inquam rosarum, et lilia convallium in calathis vimineis asservata: his flosculis cupit sterni lectulum non de paradisi topiario decerptis, sed in viscerum suorum virginea terra natis vitae aeternae odorem inhalantibus. Et quidem Christus annuit optatis parentis suae, si quidem ad elevationem hostiae consecratae Virgineum corpus iam tumulatum immortalitatis diploide splendidum resurrexit, ut habet Rituale Graecum a Gretsero relatum in notis Germani Patriarchae Constantinopolitani, orat. de sacris imaginibus, his verbis: *At quando ex toto mundo in unum convenerunt Apostoli ducti per nubes propter translationem Dei Genitricis, et Dominae iustis persolutis, post sepulturam illius, videlicet tertia die sese refocillantes, et post sumptum cibum surgentes, fragmentum panis, quod Christo sepositum, et destinatum erat, more consueto exaltarunt: cumque illud magnum Nomen pronunciarent (sancta Trinitas, et Domine Iesu Christe, adiuva me), o inopinatum miraculum, quae mortua fuerat, viventis instar, nubibus, et lucidissimis Angelorum choris circumdata in sublimi apparet: Avete, inquiens, ego vobiscum sum omnibus diebus, hoc solatium et gaudium verbis Filii illis impertiens. Discipuli autem miraculo obstupefacti, loco eius, Domine Iesu Christe, exclamarunt:* Panagia, *Sanctissima Deipara adiuva nos.* Hucusque Graecum Patrum Horologium. En tibi quomodo exanime B. Virginis corpus vitae immortali restitutum ad praesentiam et elevationem Eucharistiae.

Nec solum corpus Marianum incorruptibilitatem ebibit ex sumptione corporis Christi, sed et zona ipsa, qua B. Virgo cingebatur, incorruptionem induit. Ita s. Germanus Archi. Constantinop., orat. de fasciis Domini, et zona Virginea, quae habetur apud Surium, 31 Aug.: *O iucunda zona*, inquit, *quae a corruptione aliena Dei Matris summe honesto corpori appropinquasti, et illinc induisti incorruptionem, manens illabefacta et aliena ab interitu.* Et Euthymius in encomio eiusdem zonae, cap. 3, ita fatur: *Honoretur, et adoretur zona, quae divina virtute caelos superat, et resplendet plusquam radii solares, manetque integra, et intacta plurimorum annorum curriculis, nongentorum, inquam, aut amplius.*

Ex huius etiam cibi Eucharistici esu, integrae vires, viridis iuventa, corpus vegetum, adhuc in aetate provecta permansit in B. Virgine, et permaneret in aevum multo melius, quam ex esu arboris illius paradisiacae, quae vitam in longas aetates prorogabat. Sicut ex adverso ex huius cibi inedia, Diabolus pallidus semper et exanguis existit, nempe quia corporis ac sanguinis Christi nequit esse particeps, neque reali, neque spirituali sumptione; quo modo saltem sancti Angeli hunc panem mandunt. Quod pulcre expendit Rupertus, lib. 3 in Exodum, cap. 10, de Eucharistia verba faciens. *Hic enim*, ait, *victus est, et vita angelicae substantiae, nam in eum desiderant Angeli prospicere; quod quia facere contempsit Angelus, cecidit, et factus est Diabolus, qui et huius panis sempiternam patiens inediam semper est pallidus, et mors illum sequitur.* Sed quid? Nonne Diabolus opulentissime vescitur? dicitur enim de illo: *Esca eius electa*: tametsi hoc pane caelesti non pascatur. Nonne omnia regna mundi, eorundemque opulentiam, gloriam, gulaeque lautitias ac luxus pollicebatur Christo Domino ut cultum ab ipso extorqueret? Ergo gulae irritamenta ad nauseam usque pro libito habebat immanis helluo; et quia plurimas deglutit ac devorat escas, integer fluvius illi potus est iuxta Iobum, cap. 40: *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Qui ergo fluvios bibendo exhaurit, et plurimarum escarum devorator erit, cur ergo pallescit inter epulas marcore tabescens, macie peremptus, ita ut vix cutis ossibus haereat? Scilicet cibi quantumvis voluptuosi et exquisiti, ac robustae substantiae, terreni sunt, adeoque flaccidi, inanes, tenuissimi, quique famem potius excitent, quam exsatient, nec robur addant, nec vires indant, nec maciem tollant: solus cibus Eucharisticus famem sedat, robuste nutrit, solide corpus confortat, vires adauget, valetudinem redintegrat, senium avertit, iuventam instaurat, immortalitatem dilargitur, aeternare facit; quo cibo quia aeternum privatus est Diabolus, languet, pallet, tabescit, ac sempiternam esuriem subibit.

PALAESTRA VICESIMASECUNDA

Theologia Mariana in ordine ad Matrimonium Virginis Deiparae

CERTAMEN PRIMUM

Verum intercessit Matrimonium Deiparam inter et Iosephum.

1492. Praeter haereticos sunt aliqui qui negent verum intercessisse Matrimonium, ut Gratianus, 27, quaest. 2, Can. *Quid autem;* Michael de Medina, lib. 5 de continentia, cap. 61 et 64, docet utramque partem defendi posse. Imo Canisius, lib. 1 de B. Virgine, cap. 5, § *Iam vero,* hanc controversiam apposuit inter arbitrarias, quia quaelibet pars pro libito sustineri potest. Ratio, qua utitur Gratianus, iam tanquam error in fide repulsa est: arbitratur enim essentiam Matrimonii consistere non posse sine copula carnali. De quo Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 3. Quis autem neget matrimonium ratum verum esse matrimonium? Quod si dicat aliquis, ex eo inter Mariam et Iosephum non fuisse verum matrimonium, quia ad matrimonium necessarius est expressus consensus in copulam; hoc etiam assero damnatum esse tanquam errorem in concilio Constantiensi, sess. 8, inter errores Wiclephi.

Deinde huius sententiae plures sectatores Patres refert Christophorus de Castro in Historia Deiparae, cap. 4, num. 17, qui verum fuisse matrimonium B. Virginis cum Iosepho denegarunt. Hi sunt Tertullianus, Origenes, Hilarius, Cyrillus Hierosolymit., Gregorius Nyss., Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Gregorius Mag., Chrysologus, Bernardus, quos refert Vasquius cit. cap. 1. Verba Gregorii Nyss. orat. in die Nativit. Dom. sunt: *Sacerdotes,* ait, *templi divinitus convenerunt, ut Virginem cuipiam viro desponderent, unus aptissimus inventus est Ioseph, qui ex consilio Sacerdotum puellam sponsam accepit, quae tamen coniunctio sponsalia non est egressa.* Epiphanius, haeres. 78: *Maria,* ait, *seni Iosepho non gratia coniunctionis, sed propter legem, sortibus ita postulantibus, fuit tradita a sacerdotibus, sub quorum cura Virgo nondum desponsata vixerat.* Clarius loquitur s. Gregorius Mag. hom. 26 in Evang.: *Sponsum habere Deus Mariam voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit; ergo fuerat sponsus integerrimae virginitatis.* Et confirmari posset haec sententia ex Luc. 2, ubi dicitur de Maria: *Desponsata uxore praegnante.* Graece est, μεμνηστευμένη, quae vox significat sponsam pactam in coniugium, nondum tamen ductam in domum sponsi. Si vero his Doctoribus obiicias Matt. 1, ubi ait Angelus Iosepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;* respondent Mariam vocari coniugem, non propter rem uxoriam, vel propter matrimonium iam factum, sed ex prima fide desponsationis, quia in sacris literis sponsus vocatur vir, et sponsa uxor, teste Hieronymo, lib. 2 in Matt., quod in praesenti verissimum esse censent s. Hilarius et Theophylactus apud Canisium cit. ut praegnans Virgo B. ab omni incontinentiae suspicione immunis esset.

Verum matrimonium intercessisse inter Mariam et Iosephum concors Theologorum consensus est, et contrariam sententiam, tanquam fidei veritati oppositam plures ex Doctoribus explodunt. Censent autem esse de fide, verum matrimonium inter B. Virginem et Iosephum, Suarius tom. 2 in 3, disp. 7, sect. 1; Fr. Dionysius Zarate Augustinianus, tract. de Incarnat. q. 29, discursu 2; Fonseca in vita Christi, cap. 9; P. Morales in Matt. lib. 2, tract. 3, n. 8. Sed mitior Vasquius oppositam sententiam solum temeritatis nota inurit, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 3, et Aloysius Turrianus in selectis part. 2, disp. 17, dub. 1 et 7. Quod vero communis Scholasticorum opinio non sit de fide, videlicet verum fuisse matrimonium Mariae, ex eo probat Vasquius cit., quia nusquam apparet definitio in aliquo concilio, nec constat de aliqua traditione, ubi haec veritas definita sit, vel ex certa et constanti traditione Ecclesiae recepta. Secundo ex Scriptura id tanquam de fide colligi non potest; quia tametsi aliqua sint loca, quae id satis indicare videantur, cum tamen eisdem locis explicandis in varias et oppositas sententias abeant sancti Patres et Interpretes, ex illis procul dubio nullum fidei dogma effici potest. Fateor Suarium cit. censere esse dogma fidei, et satis constare videtur ex Mat. 1, ubi ait Angelus Iosepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;* et ibidem Iosephus vocatur *Vir eius.* Quae loca Patres communiter de vero matrimonio rato capiunt, qui vero oppositum sentire videntur, solum inficiantur matrimonium consummatum; ac proinde ex unanimi Patrum consensu admitti debet matrimonium verum inter Mariam et Iosephum: unde cum communis Patrum sensus circa sensum alicuius loci Scripturae, rem faciat omnino certam; ideo asserendum videtur, probabiliorem esse sententiam asserentium esse de fide, matrimonium hoc verum fuisse; quare nullo modo dicendum esse, liberum esse unicuique in hac controversia, quamlibet partem tueri, ut asserebat Michael de Medina, et Canisius cit.

Si vero occurrat aliquis, Iosephum existimatum fuisse in universum patrem Christi, cum tamen reipsa non esset verus pater: potuit ergo similiter existimari maritus B. Virginis, licet reapse non esset: utriusque etiam habitatio haberi potuit ab hominibus tanquam verum matrimonium, quamvis in re ipsa verum non esset matrimonium. Sed facilis est responsio, quod enim Iosephus non fuerit pater Christi, est ve-

rum fidei dogma certissimum: quod vero non verus fuerit vir B. Virginis, manifeste adversatur adductis sacrae Scripturae locis, ac Patrum sensui. Unde s. Ambrosius et s. Augustinus vere Iosephum ex Evangelio vocant virum, coniugem ac maritum B. Virginis; similiter et Mariam vocant uxorem, nuptam, et coniugem Iosephi. Quare cum aliqui Patres denegant verum matrimonium inter Mariam et Iosephum, et hunc non magis exstitisse B. Virginis virum, quam Christi Domini patrem, ut docent Cyrillus Hierosolym., Catechesi 10, et alii apud Salmeronem, tom. 3 de infantia Salvatoris, tract. 29, § *Ad secundum dubium*, intelligendi sunt, ut quod attinet ad rationem initi contractus ac vinculum coniugalis pactionis, perfectissimum fuerit matrimonium, non vero quoad consummationem matrimonii.

1493. Dicendum ergo est, B. Virginem non solum fuisse desponsatam per verba de futuro, sed etiam de praesenti; ac proinde verum intercessisse matrimonium ratum inter Mariam et Iosephum. Ita communis Scholasticorum sensus cum s. Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Bernardo, Thoma, Bonaventura, Ambrosio, et aliis, quorum verba fideliter refert Vasquius cit., cap. 2. Hic solum Ambrosii verba producam super Lucam, lib. 2, cap. 1: *Nec te moveat, quod frequenter Scriptura coniugem dicit, non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique, quam nemo accepit, nemo dimittit, et ideo qui nolebat dimittere, fatebatur acceptam.* Hoc assertum primario nititur verbis expressis sacrae Scripturae, Luc. 2, ubi Maria appellatur coniux Iosephi: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Appellatur etiam uxor iuxta illud: *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.* Constat autem ex communi loquendi more, coniuges et uxores non dici nisi eas, quae per verba de praesenti matrimonium contraxerunt. Rursus non fuit liberum Iosepho, dimittere coniugem suam; ergo signum est, illam sibi coniugatam fuisse per verba de praesenti, alioquin non illi tanta esset religio in ea dimittenda, quae solum per verba de futuro sibi coniuncta fuisset: similes enim contractus sponsalitii per verba de futuro non raro plurimis de causis dissolvi, ac rescindi consueverunt: et quod caput est, non sat provide consultum fuisset honori ac pudicitiae B. Virginis, si uterum ferens appareret in aedibus paternis, virum non habens, sed solum sponsum de futuro, nec bene consultum fuisset legitimae generationi Christi: talis utique Mariae maritus erat aptandus, ut ex eo Filius susceptus legitimus crederetur, atque ipsam non nisi ex viro suo concepisse: hoc enim modo utriusque honori et existimationi prospiceretur. Quod autem in Evangelio vocetur *Maria desponsata*, Luc. 1 et 2 cap., non obstat, quia ideo dicitur Sponsa, quia nulla intercessit copula; unde verecundius et honestius vocantur sponsa et sponsus Maria et Iosephus; siquidem voces illae, *uxor*, et *maritus* melius cadunt in eos, qui iam matrimonium per commixtionem corporum consummarunt, quibus graeca vocabula magis aptantur; nam maritus dicitur ἀνήρ, id est *a cubili*; et uxor ἄλοχος, id est *a pariendo*. Et ut magis veritas huius veri matrimonii appareat, animadvertendum est, matrimonii essentiam consistere in mutuo consensu expresso per verba de praesenti, vel per signa aequivalentia. Cuius prima perfectio sita est in animorum indivisa unione, et in eo quod per mutuum consensum oriatur quoddam indissolubile vinculum, quo coniuges devincti manent ad unitatem animorum in his quae spectant ad actum matrimonii, nempe in consortio coniugali commanendi, ac ius sibi invicem coniugale debitum petendi, atque reddendi. Quod ius explicat Paulus, I Cor. 7, verbis illis: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quae omnia in hoc coniugio Mariano reperta sunt, quia legitimum habuerunt consensum. Quod autem attinet ad simul habitandum, ac mutua colloquia et obsequia, sane perfectissimum exstitit matrimonium; sola copula desiderata fuit, quia non erat necessaria ex vi matrimonii; siquidem coniugium directe instituitur ad procreandam sobolem, quae si haberi posset sine copula, honestius multo fieret, ut in praesenti accidit, auctore D Augustino, lib. 2 de serm. Domini in monte: *Haec enim*, ait, *beatiora coniugia iudicanda sunt, quae sive filiis procreatis, sive ista etiam terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerunt.* Itaque verum admittendum est matrimonium sine copula carnis; alioquin fornicationem tantummodo, non adulterium committeret, qui ante consummatum matrimonium sui corporis alteri, quam coniugi traditionem faceret, quod absurdum est. Recte in rem praesentem Ambrosius, lib. de instit. Virg., c. 6: *Cum initiatur coniugium, tum coniugis nomen adscisitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* Cum autem Divus Augustinus, serm. 18 de Sanctis, innuptam vocat B. Virginem, solum intendit incorruptam, et intemeratam peperisse; nam moris erat in nuptiarum celebratione matrimonium consummari: ideo illa verba, quae olim canebat Ecclesia, nempe: *Beata Mater, et innupta Virgo gloriosa*, nunc in emendationibus Breviariis legimus, *Beata Mater: et intacta virgo gloriosa.* Alii apud Vasquium hac etiam utuntur ratione; ex eo enim Maria nupsit Iosepho, ut per generationem Ioseph, origo ipsius Mariae texeretur, quod fieri nullo modo posset, nisi per verum matrimonium illius uxor constitueretur: perperam enim per genealogiam Iosephi, qui verus coniux non erat, generatio et origo Mariae demonstraretur: qua ratione utitur Hieronymus apud Vasquium, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 2, num. 20. Denique id assertum ex eo roborari potest, quia, ut ex Scriptura constat, Maria cum Iosepho vera sponsalia iniit. Ita Luc. 1: *Ad*

Virginem desponsatam viro; et Matt. 1: *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph.* Opus ergo est saltem inter eos contractum sponsalitium admittere: hic autem contractus promissionem imbibit matrimonii; ergo abiit in matrimonium; vel fidem promissionis hi sponsi sibi invicem non servaverunt, si nunquam promissionem impleverunt per matrimonium verum, vel dicendum erit ex mutuo consensu contractum sponsalitium fuisse rescissum; utrumque autem merito tanquam absurdum explodendum.

1494. Reliquum est, ut Patribus in oppositam sententiam abeuntibus faciamus satis, quorum verba refert Vasquius cit., et in verum sensum deflectit. Ut autem illorum verba melius explicentur, animadvertere oportet, nuptiarum nomen apud veteres aliquando sumi solere pro coniugum congressu: ita auctores prophani non semel. Plautus in Cistell. act. 1, scen. 1: *Haec quidem Aecastor quotidie viro nubit, nupsitque hodie, nubet mox.* Ubi verbum, *nubo*, copulam innuit viri cum foemina, et nomen graecum γάμος non solum ad nuptias, sed etiam ad congressum sponsi cum sponsa protenditur, ut testatur Diogenianus et Eustatius apud Novarinum in umbra Virginea. In hoc eodem sensu loquitur Scriptura, Gen. c. 29, de Iacob: *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori praetulit.* Favetque Lectio LXX, quae sic habet: *Et ingressus est etiam ad Rachel.* Ex his lucem praeferes pluribus sanctorum Patrum locutionibus, qui solum sponsalia non verum matrimonium inter Mariam et Iosephum intercessisse affirmant. Quorum primus est Andreas Hierosolym., ser. de Salutat. Angelica, ubi Virginem Mariam ita alloquentem inducit: *Non sunt peractae nobis nuptiae, virum non solum experta, non enim cognovi Iosephum.* Ubi nuptiae opus maritale, sive matrimonii usum, casto vocabulo denotant. S. Epiphanius, haeresi 79, vocat Mariam desponsam, et non nuptam. S. Chrysostomus in Catena graeca in cap. 1 Lucae: *In Virgine unum erat obstaculum, quod expers esset nuptiarum.* Accinit s. Germanus, orat. in Nativ. Virg., et D. Methodius, qui vocat partum Virginis sine nuptiis, non quia nupta non fuerit Iosepho, sed quia nullum fuit experta congressum. Chrysippus ser. de Deipara in hunc sensum vocandus, cum ait: *Lac edidit, quae nullas novit nuptias, nutrivit infantem, cuius nullus sit pater in terra.* Non alio sensu capiendus Gregorius Nyssenus in Catena greca in 2 Luc. aiens: *Hanc ob causam existimo, etiam fontem ipsum incorruptionis, Dominum nostrum Iesum Christum, nulla nuptiarum quaesita via in hunc mundum ingressum; quoniam Dei praesentiam, ingressumque sola puritas excipiens sufficiens est.* Eodemque sensu aliqui latini Patres *nubendi* verbum acceperunt. S. Bernardus, hom. 2 super *Missus est: Mirum, cur desponsata fuerit, non nupta.* S. Gregorius, hom. 26 in Evang.: *Dominus sponsum Mariam habere voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit.* S. Augustinus, serm. 13 in natali Domini: *Parit Virgo antequam nubat.* S. Hieronymus, lib. 1 comment. in Matth., in illa verba, *Ioseph virum Mariae*, ait: *Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum.* S. Paulinus epist. 4 ad Severum, pro eodem usurpat *nubere* et *copulari*: *Illum*, inquit, *amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subiiciamur, sub quo iacere supra mundum stare est.* Ubi preme illa verba: *Illi copulemur, cui nupsisse virginitas est;* ac si diceret: Illi copulemur, cui copulari virginitas est. Quoties igitur Patres denegant nuptias inter Mariam et Iosephum, nuptias pro concubitu accipiunt, ut videre est in Petro Dam., opusc. 41, cap. 2: *Cum ergo*, ait, *luce clarius constet, quia B. Dei Genitrix Virgo non nupsit, et tamen iuxta Scripturae sententiam absque dubio nuptias celebravit, quomodo dicitur: Ubi concubitus defuit, nuptias dici non posse? Nos autem e diverso libere profitemur, et concubitum posse sine nuptiis fieri, et sine concubitu recte nuptias appellari.* Hoc eodem sensu vocat Anselmus Mariam in Hymnis de B. Maria innuptam, id est illibatam; et Augustinus, ser. 22 in natali Domini: *Stat Maria, et Matrem se laeta miratur, et de Spiritu sancto protulisse se gaudet; nec quia peperit innupta terretur, sed quia genuerit, cum exultatione miratur.* Vides Augustinum, constantem coniugii inter Mariam et Iosephum defensorem, vocare Mariam innuptam, hoc est, absque congressu viri puerperam. Ildephonsus innuptam Virginis vulvam appellat, serm. 2 de Nativ. Virg. Iustinus in explicat. quaest., q. 66, haec habet: *Quod a muliere Ioseph generatur divina voluntate, Ioseph est filius absque nuptiali coniunctione.* Clarius id perspicies in Hesychio, de laudibus Virg. ser. 2, ubi nuptias pro corruptione virginitatis accipit: *Nunquid*, inquit, *Deus ex nuptiis et corruptione concipitur, et ex viro ac concubitu editus, aut incarnatus esse potest? Nequaquam, sed operatione divina, seminatione superna, et adventu Spiritus sancti.* Eodem sensu Gregorius Nyssenus miraculo tribuit, quod Virgo innupta pepererit, non matrimonium denegat, sed congressum; ait ergo de Baptismo Christi: *Ut novum, inauditum et inusitatum est, lapidem a rupe abscindi sine opera latomi, atque instrumentis latomicis; ita superat omne miraculum, videri partum ex Virgine innupta.* Profecto si in his locis et aliis veterum Patrum nuptiae non sumerentur pro concubitu coniugum, nihil difficultatis appareret in eo quod partus esset absque connubio; quare si miraculo attribuitur, quod Virgo pepererit absque nuptiis, nuptiae pro congressu viri ac foeminae accipiantur necesse est. Nec difficiliorem explicatum sortiuntur verba Anselmi, hom. ad Evangelium Luc. ad verba illa, *Quomodo fiet istud*, ubi sic adiicit: *Si cuilibet Virgini desponsatae in animo suo disponenti nubere, diceretur: Filium habebis, non miraretur, neque interrogaret: Quomodo istud fieret? utpote quae se desponsatam, et in proximo nupturam sciret, et a viro gravidari usu naturae speraret. Haec autem non immerito mirata est, et quomodo fieret, quod promittebatur,*

sciscitata; quoniam quamvis desponsata, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissime sciebat. Nec te moveat, quod in praedictis verbis, quasi de re distincta fatur, cum ait, se nunquam nupturam, neque virum cognituram, adeoque nuptias a congressu secernere videtur, ideoque nuptias matrimonio contractas in Maria inficiari visus est; ac propterea aliquo ductus fundamento affirmare quis posset, s. Epiphanium in ea fuisse sententia, ut opinaretur Virginem Mariam sponsalia contraxisse cum Iosepho, non vero matrimonium. Verum s. Doctor satis commode in nostrum sensum adduci potest, si dicamus illa verba: *Neque virum cognituram,* esse explicationem illorum: *se nunquam nupturam.* Neque enim credibile erat, post contracta sponsalia cum Iosepho, B. Virginem verbis non stetisse, vel sponsum fefellisse aliud verbis, aliud mente retinens. Et quidem Beda in cap. 1 Luc. haec habet: *Quae loquitur de Ecclesia, in exemplum B. Mariae nupta simul, et immaculata concipit nos Virgo de spiritu, parit nos Virgo sine gemitu, et quasi alii quidem desponsata, ab alio foecundata,* etc. Ubi promiscue nuptam et desponsatam pro eodem usurpat, solumque intendit Virginem immaculatam peperisse, et s. Laurentius Iustinianus aliquando nuptias pro congressu accipit, aliquando pro matrimonio solum rato. Exemplum primi significatus habes in tractatu de connubio Verbi et animae, cap. 9: *Ipsa est gloriosa Domina intacta foemina, innupta et foecunda, Mater et Virgo.* Secundi significatus verba adsunt serm. de Annunc.: *Eris quippe Mater et Virgo, immaculata et nupta, impolluta et praegnans.* In eundem sensum recidunt Patres, qui verentur Mariam coniugem appellare, non quod verum matrimonium intercessisse diffiteantur, sed ut intactam in Maria virginitatem defendant: id sapiunt verba Augustini, lib. 4 ad Catechumenos, cap. 8: *Alvus,* ait, *tumescit Virginis, claustrum pudoris permanet, impletur uterus Matris sine ullo complexu Patris, sentit prolem quae se ignorat coniugem.* Quod solum intendisse D. Augustinus, vel hinc percipies, nam lib. 2 de peccato originali, cap. 40, vocat Mariam coniugem: *Tenet,* inquit, *deceptor Evae, liberat filius Mariae; tenet qui per coniugem venit ad virum; liberat qui de coniuge natus est, quae non pertulit virum.* Iuxta haec explicandus Origenes, hom 1 in c. 1 Matt., ubi Angelus sic fatur ad Iosephum: *Propterea ministra, servi, intende et huic qui nascitur, et huic quae generat; etenim si tibi uxor nominatur, si desponsata tibi esse dicitur, non tamen tibi uxor est, sed Dei unigeniti electa Mater est: securus et intrepidus accipe eam secundum legis praeceptum uxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum consuetudinem, et coniunctionem longe alienam* etc. *Coniugem eam dico propterea, ut virginitatem eius Diabolo occultem, et ut Iudaeorum pravitatem excludam.* Legis coniugem vocat, ergo verum matrimonium admittit; addit: *Non secundum consuetudinem nuptiarum, et coniunctionem,* quia omnem congressum et concubitum amandat. Eandem explicationem adhibe s. Damasceno in Carmine de Christi Nativ., dum Virginem Mariam iniugatam vocat: *Caeli imperator indolens nostris malis ex iniugata Virgine instar fit mei.* Hoc est ex incorrupta et intemerata, vera tamen Iosephi coniuge.

1495. Eodem sensu explicandi sunt Patres, quotquot Mariam desponsatam fuisse inficiantur; qui solum intendunt a Maria omnem viri congressum arcere. Sic Hesychius, hom. de sancta Maria, Gabrielem alloquens, ait: *Quo pacto ausus es temere accedere ad Virginem non desponsatam, et incredibilia verba praedicare? Ais enim nec parituram puerum, absque semine dixisti, nullis nuptiis intervenientibus, loculum uteri absque ulla cum viro cohabitatione et conversatione editurum fructum.* Eodem igitur sensu sponsalia respuit in Maria, quo nuptias, sive coniunctionem cum viro, ut bene seipsum explicat ser. 2: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? qua ratione fiam Mater, quae non fui Sponsa? flos aetatis vigentis non est corruptus: cingulum virginitatis non solvi, vincula vulvae non laxavi, uteri non dissolvi sigillum.* Sponsa in his verbis sumitur pro corrupta, et in hoc sensu sponsalia in B. Virgine denegantur. Nazianzenus etiam de Christo patiente negat Virgini Mariae sponsum eodem sensu, quo virum: *Veneranda Virgo honesta, casta, te unicam has inter omnes, terra matres, quas habet, Matrem absque sponso scimus et viro.* Negat et virum et sponsum habuisse in ordine ad coniunctionem et cohabitationem tori. Imo et s. Augustinus, qui, ut vidimus, strenue dimicat pro coniugio inter Mariam et Ioseph, praecipue lib. 25 contra Faustum, cap. 8, et lib. 1 de nuptiis, cap. 11, tamen serm. 3 in Natali Domini Iosephum Sponsum vocare refugit: *Concipit,* inquit, *Virgo antequam Sponsum haberet; parit antequam nubat.* Anne s. Doctor nuptias et sponsalia Virginis B. denegat, reclamante Luca, et Gabriele sic fante: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam?* Haudquaquam; sed solum maritalem coniunctionem inficiatur. Dum hi et alii Patres negare videntur sponsalia et verum matrimonium in Maria, solum contendunt ab his sacris coniugibus omnem maritalem licentiam dispellere, cohabitationem eiusdem tori propulsare, ac incorruptam et intaminatam amborum virginitatem asserere, ac stabilire.

In calce velim advertas Richardum de s. Laurentio, lib. 3 de laudib. Virg., c. 1, vocare sacramentum, coniugium, quod intercessit inter B. Virginem et Iosephum, ait enim: *Nullatenus ambigere debemus, B. Mariam coniugii sacramentum suscepisse, et tamen virginitatis propositum non mutasse.* Imo D. Augustinus, lib. de bono coniugali, cap. 9, vocat hoc matrimonium B. Virginis, sacramentum: *Omne,* inquit, *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus, ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum divortium.* Arbitror hos Patres non vocasse sacramentum in rigore theologico, nam ante Christi adventum, nullum matrimonium potuit esse

sacramentum, Christus enim nondum existens non poterat sacramenta instituisse (a). Vocant ergo sacramentum, quia sacrum quoddam mysterium fuit diabolo, et hominibus absconditum: vel vocant sacramentum largo vocabulo, quia fuit signum sensibile et visibile invisibilis gratiae in utero concipiendae.

CERTAMEN II.

Componitur Marianum coniugium cum voto virginitatis.

1496. Doctores, qui verum intercessisse matrimonium inter Mariam et Iosephum denegarunt, hanc unicam nobis rationem opponunt; nempe quia B. Virgo, antequam desponsaretur Iosepho, votum virginitatis Deo nuncupavit, ut late in superioribus ostendimus; atqui post virginitatis votum etiam simplex, nubere non licet, his enim, qui eiusmodi votum emiserunt, nec nubere, nec velle nubere licet, teste Divo Augustino, lib. de nup. et concupisc. Ex quo desumpsit Gratianus, 27 dist., can. *Voventibus: Virginitatem*, inquit, *voventibus, non solum nubere, sed velle nubere damnabile est.* Ergo fieri non potuit, B. Virginem matrimonium contraxisse. Deinde ut matrimonium verum esset, opus erat, ut Virgo B. potestatem sui corporis Iosepho traderet ad usum coniugalem, ac proinde ut in copulam consentiret, quod credere nedum dicere nefas est. Quae quidem ratio in eorum schola, qui aiunt B. Virginem nullum, ante matrimonium, votum virginitatis emisisse, nullam vim exerit, praecipue si censent in Lege veteri vetitam omnino fuisse virginitatem, ac proinde Virginem Deiparam in copulam et filiorum procreationem consensisse: et ratio illis suffragari videtur, nam uxor potestatem sui corporis non habet, sed vir, teste Paulo, I Cor. 7; ergo flagitante viro ius coniugii, tenebatur reddere. Quare cum D. Thoma, 3 part. qu., Virginem B. ante matrimonium virginitatem non vovisse censeat, ideo hoc sibi argumentum non obiicit, dum de matrimonio Mariae agit.

Ex his vero, qui virginitatis votum admittunt in Maria ante ipsius matrimonium, aliqui respondent illud votum irritari potuisse per ipsius Virginis parentes, ut habetur Num. cap. 30. Verum hoc votum B. Virginis irritum factum valde virginitatis ipsius excellentiam imminueret, minor enim exstitisset, quam si ab ipsa nuncupato voto, et per parentes confirmato, virginitas servata fuisset. Alii docent, nuncupasse votum sub conditione, nempe nisi Deo aliter visum esset, deinde subiecisse se divinae dispositioni, cum matrimonium inivit, ac si apud se statueret, si Deus praeciperet, ut procreandis liberis operam daret, se omnino obtemperaturam: vel, ut alii decentius loquuntur, uterque sacer coniux virginitatis votum conceperant, antequam in matrimonium consentirent, postmodum autem certo oraculo edocti divinitus de non amittenda virginitate, in matrimonium consensum praestiterunt. Ex his ergo Paludanus excusat Mariam, quod certam spem conciperet sibi a Domino revelandum, quid sibi circa matrimonii usum faciendum esset; cuius est etiam sententiae Hugo Victorinus, tom. 3, lib. de Mariae virginitate, cap. 1, ubi haec habet: *Ita etiam hic fieri potuit, ut B. Virgo Deo commendans omne desiderium suum, tantam in ipso fiduciam habuerit, ut indubitanter crederet, et parentibus se posse debitam obedientiam exhibere, et votum castitatis, cuius ipse solus conscius erat, inviolatum conservare.* Almainus et Abulensis apud Vasquium, tom. 2. in 3 p., d. 125, cap. 5, in fine, ex eo excusare videntur Mariam et Iosephum, quod unus ab alio certior esset effectus de perpetua continentia, quam in matrimonio servare ex voto decrevissent: praecipue cum in universum Scholastici in illud conspirent, ut, nisi adsit discrimen violandae castitatis per matrimonii usum, liceat post votum simplex castitatis matrimonium inire. Canonem autem illum, *Voventibus*, allatum ita intelligunt, ut solum loquatur, quando qui voverunt, ita matrimonium ineunt, ut illud per copulam consummare intendant, vel periculo se exponant.

1497. Equidem censeo primo, post votum castitatis simplex, peccatum esse, matrimonium inire, aut velle inire, solum ratione periculi violandi votum castitatis per matrimonii usum coniugalem, quia solum iure naturali id prohibitum est: quia, ut bene docet Vasquez cit. cap. 6, num. 51, nullus exstat canon, aut caput sive Pontificis, sive concilii, in quo prohibeatur simpliciter et secundum se matrimonium post votum simplex castitatis; nam canon ille allatus, *Voventibus*, nullam vim habet iuris positivi, cum nullius sit Pontificis, aut concilii. Siquidem Gratianus, Decreti compilator, nullum iuris robur ipsi attribuere potuit; solum ergo Hieronymus et Augustinus, a quibus extractus censetur, per illa verba exprimere voluerunt praeceptum naturale, quo tale matrimonium interdictum est: certum est autem, iure naturali solum prohiberi, quando adest voluntas aut periculum violandae castitatis in usu matrimonii, ac proinde solum in hoc eventu damnabile est voventibus virginitatem, nubere, aut velle nubere. Potuit quidem iure positivo interdici matrimonium, ut peccati reus esset, si quis post votum simplex castitatis, etiam sine ullo periculo usus matrimonii, iniret matrimonium: usquemodo autem de tali iure non constat. Quidquid dicat Dominicus Soto, in 4, dist. 38, q. 2, ar. 1, ubi docet, peccatum esse, post votum simplex castitatis, quocunque modo inire matrimonium, non tantum ratione copulae futurae, aut periculi illius, sed etiam secundum se, quia per se et absolute iure humano id interdictum est. Sed fallitur, sicut et in eo quod subdit, hanc esse sententiam D. Thomae et fere omnium theologorum, de quo Vasquius cit.

(a) Hic patet Auctorem loqui de Sacramentis novae legis a Christo Domino institutis. Ante Christum enim in veteri lege etiam erant sacramenta, quamvis non eiusdem efficaciae qua sunt illa novae legis.

Censeo secundo, B. Virginem Mariam ineundo matrimonium post votum virginitatis nullo modo deliquisse, quia absque ullo discrimine violandae virginitatis, coniugium contraxit, si enim solum ratione periculi, post votum illud contrahere, peccatum est; at cum B. Virgo nulli se discrimini violandi voti obiecerit, luculenter elicitur, illam non deliquisse: et quamvis in Iure Canonico id esset interdictum, non solum ratione periculi, sed etiam secundum se, tempore quo B. Virgo matrimonium iniit, adhuc tale ius exstare non poterat, quod matrimonium eiusmodi interdiceret. Quod autem B. Virgo nulli se incontinentiae periculo exposuerit, matrimonium contrahens, inde constat, quia certo sciebat per revelationem a Deo factam, quae procul dubio admittenda est, praecipue in re tanti momenti, et quae ad Incarnationis oeconomiam permagno conducebat, videlicet se et Iosephum nunquam matrimonio usuros, sed in perpetua virginitate permansuros. Itaque B. Virgo non solum spem conceperat sibi a Domino revelandum, quid in matrimonio facere oporteret; qui enim absolute aliquid vovet, nihil facere potest, quin certus sit se eo etiam modo servare posse id quod promisit: neque enim incertus de eventu, spe sola innixus futurae revelationis, potest aliquid efficere vel statuere, cum quo non sit certus se votum quod emisit, adimplere posse; praesertim cum votum virginitatis B. Virginis omnino absolutum fuerit. Addi etiam potest, B. Virginem detexisse Iosepho, et Iosephum B. Virgini, nunquam futurum usum matrimonii, sed semper nuncupatum ab utrisque virginitatis votum se perfectissime servaturos. Ita s Bonaventura, in 4, dist. 28, q. 6. Quod non obscure elici potest ex Gregorio Nysseno, orat. in diem Natalis Domini; ubi de sacerdotibus B. Virginem parvulam in templo educantibus, de eiusque statu consulentibus, ita habet: *Deliberantes igitur in hanc sententiam divinitus convenerunt, ut eam connubii nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius duntaxat esset idoneus: ad hoc autem munus aptissimus inventus est Ioseph ex eadem tribu et patria.* Quae deliberatio exteriori voce facta manifeste ostendit, sacerdotes sub ea conditione, et non aliter, B. Virginem in coniugem Iosepho tradidisse. Quod etiam innuit s. Augustinus, lib. de sancta Virginitate, cap. 4, ubi postquam docuit fuisse a B. Virgine votum virginitatis emissum, subiungit: *Sed quia hoc Israelitarum mores recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro.* A sacerdotibus ergo et forsan etiam a parentibus tradita fuit in uxorem Iosepho, non quoad usum matrimonii, ideoque ab eisdem detectum fuit Iosepho votum Mariae, ut in eadem virginitate in matrimonio permanerent. Quod firmari potest ex Historia de B. Virgine, quam ex hebraeo latinam fecit Hieronymus, et invenitur in tom. 9 operum eius, ubi sacerdotes, B. Virgine decimumquartum annum agente, statuerunt, ut extra templum fieret cum aliis eiusdem aetatis, ac de more nuptui tradiderunt, sed illa votum suum Pontifici summo ac Sacerdotibus reseravit: quibus rem tanti ponderis Deo commendantibus, post maturum consilium, a Deo habito responso, illam Iosepho in coniugem tradidere, quia per revelationem hauserunt, illum solum idoneum ac dignum Virum exstitisse tali tantaque Uxore; cum ergo sacerdotes optime callerent votum Mariae, facile potuerunt cum Iosepho pacisci de servanda in perpetuum virginitate, et sub hac conditione, et non aliter potuit Beata Virgo matrimonium inire.

Quod autem haec conditio non obsit substantiae matrimonii, docet Vasquius cit. cap. 6, cum pluribus: et optima ratione probat; si enim duo votum castitatis emitterent ante matrimonium, et utrique notum esset votum amborum, firmumque ac stabile decretum illud perpetuo servandi etiam in matrimonio, postea si coniugium inirent, perinde esset ac si illa conditio exprimeretur; in utroque enim eventu non esset consensus in copulam, sed tantum in dominium corporum, et in utroque eventu fieret corporum translatio, impedito tamen usu: sicut enim semel contracto matrimonio ex mutuo consensu, vel nuncupato voto continentiae, vel alio modo ambo coniuges matrimonii usu privare se possunt, cum tamen perseveret translatio dominii corporum; ita etiam ante initum matrimonium, idem fieri posset, ut transferatur dominium corporum sine matrimonii usu.

1498. Nunc autem vires suas exerit posterior pars rationis ab adversariis allatae in principio huius Certaminis, vix enim intelligi potest, ut B. Virgo dominium sui corporis Iosepho tradiderit, ita ut verum matrimonii contractum iniret, non solum quin consentiret in copulam, sed etiam perpetuum obicem apponens usui matrimonii per nuncupatum virginitatis votum, eundemque obicem in pactum expressum deducens, ut cum Vasquio diximus. Praeviderat difficultatis huius nervos Hugo de s. Victore, lib. de Virginitate Mariae perpetua, c. 1, tom. 3, quos ut perrumperet, novum quoddam genus contractus matrimonialis commentus est. Docet ergo primariam ac praecipuam causam, seu finem coniugii esse, ut vir relictis parentibus uxori suae adhaereret, non per carnis commixtionem, sed per charitatis ac dilectionis affectum, et per eandem cohabitationem; quo modo illud Gen. 2, et Matth. 19, intelligit: *Propter hanc relinquet homo patrem, ac matrem, et adhaerebit uxori suae.* Cui fini primario adiectum fuit officium filios procreandi ad conservationem, et protensionem generis humani.

Qui opinandi modus opponitur sensui omnium Scholasticorum in hanc sententiam conspirantium, ut adstruant matrimonii naturam et essentiam ad copulam, et corporum coniunctionem, ordinem et habitudinem saltem in radice dicere. Si enim natura et essentia matrimonii in sola animorum coniunctione per dilectionem et habitationem sita esset, poterat utique reperiri inter fratrem et sororem, imo inter duos amicos eiusdem sexus, imo inter moniales, et inter duos viros religiosos verum matrimonium

reperiri posset; nam inter eos esse potest animorum coniunctio media dilectione, et charitate per perpetuam amborum cohabitationem; quae omnia tanquam fictitia omnino explodenda sunt; ergo ex eo solum coniugium inter personas eiusdem sexus consistere non potest, quia matrimonii natura dicit saltem in radice respectum ad corporum coniunctionem in procreationem liberorum. Idcirco Augustinus, lib. 19 contra Faustum, c. 26, ex eo ait matrimonium dici, quia foemina cum nubit mater fiat.

Ut nostram sententiam aperiamus praemittimus copulam non esse partem essentialem, neque integralem matrimonii, ut est vinculum resultans ex contractu. Prima pars est certa ex Nicolao Papa, c. *sufficiat*, 27, q. 2, ubi sancivit solum mutuum consensum, quo coniuges sibi invicem tradunt ius, et potestatem in sua corpora, matrimonium constituere. Idem statuitur in concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi decernitur matrimonium perfici mutuo consensu qui copulam antecedit: tum quia in Paradiso in statu innocentiae verum intercessit matrimonium, ut decretum fuit a Bonifacio VIII, c. unico, de voto in 6; constat autem in statu innocentiae nullam copulam coniugalem intercessisse, quia, Gen. 4, dicitur de Adamo a paradiso exule, quod cognoverit Evam: ergo verum matrimonium non includit copulam ex sua essentia, et natura. Secunda pars ex eo etiam suaderi potest, quia, ut suppono cum Doctoribus in tractatu de contractibus, usus rei traditae in nullo contractu pertinet ad integritatem contractus, ut patet in emptione et venditione; ergo neque in contractu matrimonii.

Addiderim tamen matrimonium ex sua ratione formali neque esse, neque intelligi sine ordine ad copulam: ita communis Scholasticorum. Cuius rei ratio optima est; quia natura matrimonii respicit ex se filiorum procreationem, et ideo nequit inter personas eiusdem sexus celebrari per mutuam animorum coniunctionem, corporumque cohabitationem; ergo matrimonium ex natura sua connotationem dicit ad corporum commixtionem. Firmatur, nam in matrimonio haec duo reperiuntur, sicut in aliis contractibus, scilicet translatio dominii corporum unius in alterum, quae ex sua natura respicit usum per copulam; et est usus ipse coniugalis, sive copula ipsa: illa ergo radicalis facultas in matrimonio contenta ad utendum corpore alterius, non ut alieno, sed proprio, est natura et essentia ipsius matrimonii. Licet autem nequeat intelligi matrimonii natura sine hoc respectu ad copulam, potest tamen illam respicere perpetuo impeditam, non ex se, sed ex alio accidenti: ita Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 125, c. 7, n. 82; Martinus Perez, de matrim. disp. 13, sect. 4, n. 7, cum aliis. Et probatur, quia dupliciter usus alicuius rei impediri potest, vel ex stricta iustitia, vel ex alterius virtutis motivo, ut puta religionis: non igitur impediri potest usus matrimonii ex stricta iustitia, bene tamen ex alia virtute. Rem explico: nequit intelligi matrimonii natura absque translatione dominii corporum, ut per se patet; nequit autem concipi impedimentum perpetuum usus ipsorum corporum, ita ut si quis illis utatur faciat contra strictam iustitiam, cum iam fuerit translatum dominium; unde cum ille usus non esset rei alienae, non esset peccatum contra iustitiam, fieri enim non potest, ut dominium corporum sit translatum, et res sit aliena. Deinde apte intelligi potest ab initio contractus dominium corporum transferri, et ut perpetuo impeditus usus ex alia virtute, nempe religionis; ut si aliqui coniuges iam consummato matrimonio, si emitterent votum castitatis, vel ad religionem transirent, et profiterentur, semper essent impediti ab usu matrimonii ratione voti castitatis, cum tamen vere essent coniuges; ergo etiam recte intelligi potest, ut ab initio matrimonii, cum initur, perpetuo sit impeditus talis usus, cum sit utrobique par ratio.

1499. Maneat ergo tanquam certum, matrimonii essentiam sitam esse in mutuo coniugum consensu, in reciproca corporum traditione, non vero in concubitu, qui solum implicite, et in radice concipitur, eius autem usus subsequitur tanquam accidens, et tanquam effectus remotus et secundarius; quidquid garriant Iulianus, Pelagius et Wiclephus, qui contendebant nuptias non consistere, ubi copula defuisset. Quod, ut monui, in Adamo patet, qui, ut volunt Petrus Comestor in Gen. cap. 25; D. Antoninus, 1 p. Hist., tit. 1, c. 1, § 4; Abulensis, tract. de optima politia, num. 63; tribus lustris a prima formatione cum Eva uxore matrimonii usum non habuit, cum tamen ab exordio formationis Evae, iam Adamus Evam per verum matrimonium duxerat; ait enim Deus: *Quos Deus coniunxit*, nempe per matrimonium, *homo non separet*: et quidem ita coniunxit, ut ex duobus unum quid resultaret, ac si matrimonium ex duobus corporibus et animis unum quid efficeret, auctore Augustino, lib. 12 de civit. Dei: *Factus est ergo homo unus, sed non relictus est solus, neque commodius contra vitium discordiae natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, e quo multitudo propagaretur.* Itaque tunc Adamus effectus est unus, quando ex formatione Evae non fuit solus, unde cum duo incipiunt esse, tunc unus fit Adamus, quia matrimonium maiorem invehit unionem inter coniugatos, quam productio quae Adamum solum edidit, ut vel hinc intelligant coniuges unam mentem, unum corpus, unum animum, idemque velle, vel nolle retinere. *Neque vero*, ait Basilius Seleuciae orat. 2, *ex terra, sed ex latere membrum mutuatur, partitur corpus, ut mentem coaptet, et natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatur ad imitationem naturae.* Itaque non aliam formavit Deus materiam, cum Evam produxit; sed ex costa, quae Adami anima informabatur, aedificatur Eva in coniugem, ut per animam Adami adhuc informaretur Eva, et quasi in priorem formam ire satageret: ut addiscant matrimonium contrahentes, naturam coniugii in unitatem praecipue animorum te-

tendisse: idcirco mulier ex viri latere formata fuit, qui enim a latere est, portio ipsius est, ac particula; in latere etiam situs amoris est, amor autem unitatem inducit, divisionem aversatur. *Volens*, ait Gennadius apposite ad rem nostram, *Deus ampliori charitate virum uxori coniungere, foeminam e latere viri formavit, ut quiddam aequalis honoris, una tamen cum subiectione, praeseferret.*

Ut autem haec nostra doctrina, quae communis est in Schola, amplius roboretur, animadvertendum est obligationem reddendi debitum, ex mutuo coniugum consensu consurgentem, esse duplicem; aliam radicalem, et aptitudinalem, et remotam; aliam vero formalem, proximam, et actualem. Prima obligatio radicalis inseparabilis omnino est ab essentia matrimonii, nec differt ab ea, nisi tanquam conceptus clarus et confusus; eo enim ipso quod traditur alteri dominium corporis, inest in tradente radicalis obligatio tradendi. Obligatio vero formalis, et actualis separari utique potest a natura et essentia matrimonii. Quod verissimum arbitror; nam coniuges, consummato matrimonio mutuo consensu, si professionem emittant, neuter obligationem habet actualem et formalem reddendi debitum propter votum solemne subsecutum, ut constat ex c. *Cum sis*, c. *Uxoratus*, c. *Veniens, de convers. coniug.*; et tamen inter eos adhuc matrimonii vinculum perseverat, ut constat 27, q. 2, can. *Si quis coniugatus;* ubi definitur esse adulteram uxorem illius qui in Religione professus fuerat, si eo vivente alteri nubat, nempe post consummationem. Patet item ex concilio Tridentino, sess. 24, can. 6, ubi decernit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius coniugis dirimi; ergo ex opposito, si matrimonium fuerit consummatum, non dirimetur: quae sententia communis est inter Scholasticos. Ad haec, si ambo coniuges pari consensu votum simplex castitatis emittant, deobligantur mutuo a redditione debiti. Tum quando unus coniugum labitur in adulterium, ipso iure alter deobligatur a redditione debiti, ex cap. *Significasti*, etc. *Gaudemus, de divortiis.* Siquidem in contractu non tenetur quis servare fidem, dum alter illam perfringit; constante ergo natura et essentia matrimonii, tolli potest obligatio actualis, et formalis reddendi debitum.

1500. Ex quibus necessario deducitur ad valorem matrimonii opus esse, ut saltem implicite consensus contrahentium dicat ordinem et obligationem radicalem reddendi debitum, non solum ex parte contractus, sed etiam ex parte contrahentium: ita Rebellus, lib. 2 de matr., sect. 4 n. 42; Martinus Perez de matr. disp. 13, sect. 5, n. 5; nam quando duo ita necessario sunt connexa, eo ipso quod consensus ad unum explicite feratur, ad aliud necessario connexum saltem implicite etiam ferri debet: atqui coniugum consensus necessario ferri debet explicite in vinculum coniugale, in quo sita est matrimonii natura et essentia: ergo eo ipso ferri debet necessario saltem implicite in obligationem radicalem reddendi debitum, quae reapse necessario connexa est cum natura et essentia matrimonii. Confirmatur, quia si post sublatam obligationem formalem actualem reddendi debitum per utriusque coniugis votum, vel aliam ob causam, si iterum irritaretur tale votum, vel dispensaretur; ac tollerentur impedimenta, statim consurgeret utrimque obligatio formalis actualis reddendi debitum, non secus ac post oblatam obligationem ab uxore adultera ius petendi, et a marito reddendi: rursus per remissionem et condonationem irrogatae iniuriae, consurgit iterum in adultera ius petendi, et in marito obligatio actualis reddendi; ergo coniuges consentire debent saltem implicite in hanc radicalem obligationem, licet dissentiant ab actuali et formali per votum castitatis; neque obligatio illa radicalis obest voto castitatis absoluto. Quocirca consensus contractus matrimonialis, tum ex parte contractus, tum ex parte contrahentium, dicit necessario respectum ad copulam, quia cum obligatio radicalis reddendi debitum necessariam et essentialem connexionem habeat cum natura matrimonii, hoc autem natura sua ordinetur ad prolis propagationem; ergo ex natura sua connotat copulam, sine qua nequit fieri prolis propagatio; ac proinde consensus tendens in vinculum coniugale et in obligationem illam radicalem reddendi debitum, necesse est, ut etiam tendat ad propagationem prolis saltem illam connotando, et ad copulam ipsam tanquam in terminum et obiectum: de quo Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 7, n. 79. Falsum tamen omnino est, requiri ad valorem matrimonii, neque ex parte contractus, neque ex parte contrahentium, ut consensus coniugum feratur neque implicite in obligationem formalem, et proximam copulae, ut bene monent Vasquius et Rebellus cit.; quando enim duo non sunt necessario connexa, sed separari possunt aliquando, opus non est ut eo ipso quod voluntas feratur in unum, ferri etiam debeat in aliud explicite, vel implicite; cum enim inter se non sint necessario connexa, et separari possint ad invicem, etiam seorsim per se sunt amovibilia; possunt ergo unum sine altero amari, ita ut neque explicite, neque implicite feratur voluntas in aliud. Quod roborari potest, quia recte stare potest mutuus consensus matrimonii cum obligatione illa radicali, cum dissensu expresso petendi et reddendi debitum; cum sit validum matrimonium contractum a duobus qui castitatem nuncupaverint; cum renunciatione obligationis petendi et reddendi debitum: tunc autem in copulam non solum non consentirent neque explicite, neque implicite; imo explicite dissentirent.

1501. Superest ut titulo Certaminis respondeamus, et componamus votum castitatis B. Virginis cum consensu matrimonii. Certum enim reor cum communi Doctorum consensu, qui hoc tempore invaluit, B. Virginem votum virginitatis ante matrimonium emisisse; licet s. Thomas, 3 p., q. 29, art. 2, oppositum adstruat. Et ratio est, quia nisi virginitatem vovisset ante matrimonium, dicendum esset Mariam Virginem, dum

matrimonium inivit, animo utique procreandi filios contraxisse; quod et mente leviter concipere horrescit animus. Hic enim missos facimus haereticos, qui commenti sunt, B. Virginem aliquando propositum exeruisse dandi operam liberis; de quo Canisius, lib. 2 de B. V., cap. 8. Nonnulli autem ex catholicis referri solent, qui aliquibus Scripturae locis innixi censent, in lege veteri praeceptum fuisse de contrahendo matrimonio, ut filii procrearentur; ait enim Deus Gen. 1: *Crescite, et multiplicamini.* Sed Hieronymus, lib. adversus Iovinianum, admittit pro illo tempore exstitisse tale praeceptum, id enim tunc opus erat ad multiplicationem generis humani postea vero iam fuisse abrogatum. Addunt Theologi in tractatu de matrimonio, praecepto illo non obstringi singulas personas, sed communitatem, ut docui ibi cum s. Thoma, 2 2, q. 152, art. 2; imo alii in verbis illis nullum admittunt praeceptum, sed solam Dei benedictionem: de quo vide Vasquium, tom. 2 in 3 p., disp. 124, cap. 2, Suarium ibidem disp. 6, sect. 1. Alius Scripturae locus obiici solet, Exod. 23: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Hic autem nullum apparet praeceptum de matrimonio, sed filiorum foecunditas promittitur eis, qui legem Dei constanter adimpleverint: fateor apud Hebraeos infamiae solere verti sterilitatem, non vero virginitatem. Quare firmiter tenendum est B. Virginem nunquam propositum efficax elicuisse de danda opera liberis habendis: ita Bellarminus, tom. 1, lib. 2 de Monachis, cap. 22; Vasquius, tom. 2 in 3 p., d. 124, cap. 2, et suadetur, quia nullum fuit praeceptum in lege veteri dandi operam liberis, imo laudabilior semper exstitit virginitas; ergo semper eam in votis habuit Maria. Quod vero in lege veteri non fuerit interdicta virginitas, expresse tenent Supplementum Gabrielis, in 4, dist. 20, q. 2, art. 2; Sotus ibidem; Abulensis in c. 30 Num., q. 12, et q. 22; Clicthovaeus, lib. 4 de fide; Medina 3 p., q. 28, art. 4; Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 6, sect. 1; s. Hieronymus, lib. 1 adversus Iovinianum. Idem colligitur ex Ambrosio, lib. 1 de Virginibus; Epiphanio, contra haereses, haeresi 30; s. Ignatio in epist. ad Philadelp.; Damasceno, lib. 4 de fide, cap. 24; Iosepho, lib. 2 de bello Judaico, cap. 7, et lib. 18 Antiq., c. 2. Videatur Baronius, tom. 1 Annal. ad ann. 64. Idipsum luculenter ostenditur ex c. ult. Iudith, quae summo honore apud Hebraeos habita fuit, quia post mariti obitum castitatem servavit.

Difficultas ergo praecipua hoc loco exagitanda illa est, nempe in quod obiectum ferri oportuerit consensus B. Virginis et Iosephi, quando matrimonium inierunt. Et quidem certum est inprimis hunc consensum ferri oportuisse necessario, et expresse in vinculum indissolubile, seu in radicale dominium corporum adinvicem; quia consensus formalis matrimonii necessario et expresse ferri debet in id, quo constituitur essentia et natura matrimonii obiectivi, quod situm est, iuxta communem Doctorum consensum, in mutuo illo dominio directo et traditione reciproca corporum. Unde si aliqui vellent contrahere coniugium, et nollent sibi invicem praebere dominium saltem directum in corpus, nihil efficerent, nec esset validum matrimonium: ut si quis vellet vendere, et simul nollet tradere dominium rei venditae, eo enim ipso destrueret venditionis et emptionis contractum. Maior difficultas suboritur circa obligationem radicalem, seu aptitudinalem in ipsam copulam.

Non defuere aliqui Doctores quoad hanc partem de Virgine Matre benemeriti, qui in favorem castissimi connubii B. Virginis adstruunt, consensum eius nec debuisse ferri adhuc implicite in obligationem radicalem copulae, nedum in obligationem actualem, et in ipsam copulam. Probant 1°, quia connubium B. Virginis fuit omnino purissimum, quale decebat purissimos et castissimos coniuges; nihil autem purius concipi potest intra naturam matrimonii, quam deobligatio etiam radicalis ad copulam. Sed non urget haec ratio, admitto enim connubium B. Virginis fuisse undequaque purissimum omnium, ita ut nihil purius excogitari possit intra essentiam matrimonii; cum tamen illa deobligatio radicalis ad copulam destruat omnino naturam matrimonii, nam obligatio radicalis ad copulam idem prorsus est cum natura matrimonii, ut iam ostendimus; ergo opus fuit ut saltem implicite imbiberetur in matrimonio B. Virginis. Ex quo nulla indecentia subsequitur in matrimonio B. Virginis, ut mox ostendimus.

Arguunt 2°: Ex eo radicalis obligatio ad copulam est de natura et essentia matrimonii, quia est radix obligationis formalis et proximae ad ipsam: quoties ergo non adest obligationis formalis radix, quia haec non adest, nec adesse potest, neque etiam aderit, nec adesse poterit illa obligatio radicalis; atqui in matrimonio Mariae nec fuit, nec esse potuit obligatio formalis ad copulam, neque ullus consensus in illam, quia fuit inter positive excludentes obligationem proximam ad copulam per nuncupatum virginitatis votum; ergo in eo matrimonio neque fuit, neque adesse potuit radix talis obligationis formalis, atque adeo neque obligatio radicalis ex defectu termini, sive connotati essentialiter ad id requisiti, sive in esse obiectivo per actum positivum, et efficacem oppositum destructi; ac proinde consensus B. Virginis non est cur feratur etiam implicite in talem radicalem obligationem. Neque hoc argumentum multum urget, cum ex dictis constet obligationem radicalem esse reipsa idem cum natura matrimonii: ac ideo, destructa illa radicali obligatione, nequit consistere natura et essentia matrimonii. Unde falsum est obligationem radicalem non habere terminum etiam in consensu B. Virginis, dicit enim ordinem ad illum tanquam ad terminum, seu connotatum, non tamen tanquam ad obiectum volitum etiam indirecte et implicite, ut ex mox dicendis amplius clarescet.

Instant adversarii, fieri non posse ut quis consentiat explicite in obligationem radicalem ad copulam, qui saltem implicite et indirecte velit talem copulam, quae est connotatum et terminus essentialis illius; ut roborari potest pluri-

bus aliis exemplis, nempe omnipotentiae, scientiae, finis et medii. Sed falsum est antecedens: aliud enim est, radicalem illam obligationem respicere debitum coniugale, tanquam illius terminum: et aliud, non posse ferri consensum et amorem in obligationem radicalem, quin etiam feratur implicite in ipsum debitum, seu copulam, illam implicite et virtute volendo. Primum verum est, et id solum probat exemplum omnipotentiae, et scientiae, quae dicunt ordinem ad suos terminos, et obiecta circa quae versantur. Secundum autem falsum est, ut patet in actu complacentiae, quae reperitur in Deo circa cognitionem peccatorum, quae ab hominibus perpetrantur, tametsi enim talis complacentia respiciat illa peccata tanquam terminum, quia sunt obiectum cognitionis divinae cuius habet complacentiam, nemo tamen dicet, ipsa peccata implicite et virtute diligi ab ipso Deo, cum ea potius aversetur, et odio prosequatur: potuit ergo consensus B. Virginis ferri in radicalem illam obligationem ad usum matrimonii, quin talem usum et copulam virtute et implicite vellet, imo illam explicite, et actu positivo potuit aversari, et odisse.

1502. Rem amplius explico his tribus assertis. Assero ergo primo: B. Virgo per consensum matrimonii simul consensit saltem implicite in obligationem radicalem ad copulam, etiam impedita obligatione actuali ad copulam in perpetuum per virginitatis votum. Sic censet Rebellus, lib. 2, q. 13, potuisse B. Virginem assensum praebere in verum matrimonium, quin consentiret in carnalem copulam, neque absolute, neque sub conditione, si Ioseph debitum exegisset, iam enim per revelationem certior facta fuerat, nunquam illum petiturum; adeoque superfluus et otiosus videretur talis actus in B. Virgine. Additque in radice, et in causa habuisse hunc consensum implicite in obligationem radicalem ad usum matrimonii, ex eo praecise quod consensum praeberet in matrimonium, quod de sua natura dicit respectum radicalem ad copulam. Consentit Vasquez, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 7, n. 79. Suadetur assertum, nam haec radicalis obligatio reapse idem est cum vinculo matrimonii, vel cum dominio corporum reciproco: unde sublata obligatione formali reddendi debitum per mutuam iuris renunciationem, adhuc perseverat illa imbibita in natura matrimonii: deinde haec radicalis obligatio consistere potest cum voto castitatis absoluto, et cum obligatione actuali ad non reddendum debitum; ergo cum B. Virgo matrimonium iniit, necessario consentire debuit, saltem implicite, in hanc radicalem obligationem; licet ab actuali formalique obligatione, sive proxima dissenserit actu positivo et efficaci.

Assero secundo: B. Virgo nullo modo neque implicite, neque confuse consensit in obligationem actualem ad copulam, quin potius cum matrimonium iniit, eam actu positivo et efficaci aversata fuit. Probatur, quia haec obligatio formalis proxima reddendi debitum reipsa separatur a matrimonio tam cum contrahitur, quam cum iam contractum est; separatur etiam a radicali obligatione, quae idem est cum natura matrimonii: deinde B. Virgo per virginitatis votum perpetua se adstrinxit obligatione ad illam servandam: ergo nullo modo, neque implicite, nec virtute potuit velle obligationem formalem, actualem et proximam reddendi debitum. Siquidem obligatio formalis ad copulam ex matrimonio consurgens, et obligatio formalis ad non habendam copulam ex voto castitatis proveniens, sibi invicem adversantur ob terminorum contradictionem; cum obligatio actualis reddendi debitum repugnet ex natura rei cum voto absoluto virginitatis, quod secum claudit obligationem contrariam, abstinendi videlicet ab omni copula, unde nequeunt eiusmodi duae obligationes in eodem subiecto cohaerere.

Si autem obiectaverit aliquis, quia fieri non posse videtur, aliquem habere dominium rei, et nunquam illa uti posse absque culpa; verum facilis est solutio: licet enim quis habeat dominium rei, recte impediri poterit ab eius usu per obligationem voti, vel iuramenti: in quo eventu, si vir accederet ad uxorem, delinqueret contra religionem; non tamen peccato fornicationis, neque contra iustitiam. Quod si ambo contrahentes paciscerentur mutuo de non petendo, neque reddendo debitum, recte observat Vasquius, si tunc unus peteret, vel redderet, non peccaturum contra religionem, quia nullum est votum, ut supponimus; neque peccaturum contra iustitiam iuris, sive dominii radicalis; sed solum contra fidelitatem contractus circa usum. Quod vero possit aliquis habere dominium rei, et nunquam illa uti, constat in dominio respectu mancipii; potest enim dominus omnem operam mancipii alteri locare sibi retinens dominium, seu ius radicale in ordine ad operas illius, et in ipso mancipio permanebit obligatio radicalis servitutis in ordine ad dominum suum: in hoc eventu persisteret in dominio dominium mancipii, impeditum tamen quoad usum; et similiter in mancipio non esset actualis et proxima obligatio obediendi domino in ordine ad sua obsequia, sed conductori; quamvis in eo esset obligatio remota et radicalis respiciens dominium domini sui. Unde in domino posset manere obligatio positiva non occupandi mancipium, et in mancipio non obtemperandi domino, si ita paciscerentur dominus et conductor. Huius rei ratio *a priori* illa est, quia quando dominium differt ab usu, tam dominium quam usus, si seorsim sumantur, potest unumquodque esse integra materia contractus. Eadem ratione in nostro eventu nihil implicat esse matrimonium indissolubile vinculum, in quo reperiatur reciproca coniugum traditio, et dominium corporum directum, et simul impediri usum actus coniugalis in perpetuum ex pacto, et conventione, sive ex voto.

Assero tertio: B. Virgo nullo pacto neque implicite, nec virtute consensit in copulam coniugalem. Probatur; licet enim consenserit in matrimonium, quod ex sua natura ad copulam ordinatur, non ideo in copulam consensit; velle e-

nim hoc modo in radice, non est proprie velle, et maxime quando per voluntatem oppositam et positivam ac efficacem statuit vitare actum et usum matrimonii. Consensus itaque B. Virginis dum matrimonium iniit, et omnium contrahentium, licet feratur in radicalem obligationem reddendi debitum, non tamen opus est, ut feratur adhuc tacite et implicite, ac virtute in formalem et proximam copulae obligationem, ut supra ostendimus: ergo multo minus opus erit implicite et virtute ferri in copulam ipsam; praecipue cum ipse usus copulae non minus separari possit a vinculo matrimonii, et radicali illa obligatione quam formalis, et proxima obligatio talis usus. Rursus, cum ipso vinculo matrimonii, et radicali obligatione potest coniungi perpetuus dissensus actualis et expressus reddendi et petendi debitum, adhuc cum primo matrimonium contrahitur, ut supra demonstrabamus; ergo necessarium non est in ipso contractu matrimonii contineri implicite vel tacite volitionem aliquam, seu consensum ad copulam, neque ex parte contrahentium.

Secundo idipsum ostenditur; id enim, quod necessario non resultat ex aliqua causa, sed tantum ut purum obiectum, aut terminus; non imbibitur, nec tacite vel virtute continetur in eo, cuius est obiectum, vel terminus: sed copula ipsa non est necessarius effectus vinculi matrimonii, et radicalis obligationis ex ipsis necessario resultans, sed tantum est purum obiectum, quod respiciunt; ergo talis copula nec virtute, nec tacite continetur in vinculo matrimonii, vel in radicali obligatione; ergo licet consensus ad matrimonium requisitus directe feratur in vinculum matrimonii, et in dictam obligationem radicalem, non inde fit, ut debeat necessario ferri implicite et tacite in ipsam copulam, quamvis in obliquo illam attingat tanquam terminum et connotatum. Firmatur denuo: actus voluntatis tendens in naturam intellectualem hominis, quae est principium radicale intelligendi et volendi, ex eo implicite tendit in potentiam intellectivam et volitivam, non vero in intellectiones et volitiones, nisi tantum eas connotando tanquam terminum, quia potentia intellectiva et volitiva habent necessariam connexionem cum tali natura intellectuali; actus vero intellectionis et volitionis contingenter solum ab illo dimanat: siquidem quotiescunque ex volitione efficaci alicuius rei diligitur aliud virtute et implicite, ex eo est, quia hoc posterius necessario coniungitur cum illo priori quod diligitur efficaciter; ut cum voluntas efficaciter vult finem aliquem, virtute et implicite vult medium necessario connexum cum tali fine; cum ergo copula coniugalis, sicut et obligatio proxima reddendi debitum, nullam habeat necessariam connexionem cum consensu requisito ad valorem matrimonii, infertur, talem consensum nec implicite nec virtute tendere in ipsam, sed tantum illam connotando tanquam terminum. Ex eo enim quod volitio in aliquod obiectum feratur, illud praecise connotando inde non elicitur, illud etiam amari oportere implicite et virtute, ut luculenter ostenditur in actu complacentiae, quam elicit iudex incorruptus de cognitione peccati, scilicet homicidii a Ioanne perpetrati, ut possit eum plectere; tametsi ergo actus complacentiae in iudice attingat homicidium tanquam terminum cognitionis illius, cuius habet iudex complacentiam; non tamen ideo amat iudex illud homicidium neque implicite, neque virtute, ut per se constat, imo illud odisse potest actu detestationis. Cum ergo ad valorem contractus matrimonii sufficiat, ut consensus expresse feratur in vinculum coniugale, in quo natura matrimonii sita est, et ut virtute et implicite diligat, et velit obligationem illam radicalem reddendi debitum, quae eadem est reipsa cum natura et essentia matrimonii; non autem copulam ipsam, quae contingenter advenit toti essentiae matrimonii; ac proinde consensus matrimonii B. Virginis nec virtute, nec implicite ferebatur in copulam tanquam in rem volitam, sed solum tanquam in terminum et connotatum. Quare displicent in hac parte Sanchez, et Vasquius; prior enim ait, lib. 2 de matrim., disp. 28, ex parte contractus matrimonii consensum ferri implicite in copulam; et Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 7, num. 79, docet ad essentiam matrimonii requiri solum consensum in translationem dominii, seu facultatis illius ad utendum matrimonio: et cum haec translatio dominii ad copulam referatur, idem consensus secundario et implicite est ad copulam, quia est ad facultatem et ius ipsius copulae. His enim solum probant praedictum consensum ferri debere remote connotando copulam, quia ferri debet directe in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, et in mutuam obligationem radicalem ad ipsam copulam: hinc tamen non elicitur necessario intendi debere saltem implicite vel virtute copulam ipsam, ut ex dictis planum fit.

1503. Tantum ergo abfuit, ut Mariana virginitas a coniugio aliquam vel levem diminutionem pateretur, ut potius ab ipso floridior vernaret. *Noli*, ait Angelus Iosepho, *timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Isaiam prophetam dicentem: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Quasi coniugium, conceptio, et partus, quae virginitatem adimunt et castitatem perimunt, in sola Maria virginitatem adaugeant. Itaque Maria Iosepho in matrimonium traditur a caelesti oraculo, ut vaticinium Isaiae de Virgine concipiente adimpleretur, ait Anselmus in praefata verba: *Hoc autem totum factum est, quod Virgo desponsaretur, quod casta servaretur, quod gravida inveniretur, quod concepisse et paritura esse diceretur, hoc, inquam, totum factum est, ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam: Ecce Virgo concipiet.* Mirum sane ut adimpleatur quod Virgo sit quae coniugi Iosepho desponsatur! grandis profecto de Iosepho commendatio; siquidem connubium nullatenus virginitatem temeravit, sed auxit, quia Iosephus virgineae puri-

tatis testis fuit et custos. Scite Fulgentius de incarnat. et gratia Christi, cap. 3: *Etiam Ioseph, quem virum Maria, non ad concubitum, corruptelamve carnis, sed ad testimonium sacrae virginitatis et castissimae foecunditatis habuit, Angelico sic admonetur oraculo: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et Ambrosius, lib. 2 de Virginibus: *Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Ierusalem, et ibat cum Iosepho? Ubique in Virgine comes singularum virtutum est pudor, hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas; nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Haec est imago virginitatis.* Quasi idem esset Ioseph Mariae, ac pudor; idem connubium cum Iosepho, ac virginitas. Sed perpende quale nobis proponat Ambrosius virginitatis imaginem, nempe Mariae coniugium cum Iosepho. Quid magis oppositum virginitati, quam matrimonium? Nova quidem res, ut virginea puritas per connubium adumbretur; sed nihil mirum quia est coniugium B. Virginis cum Iosepho virginitatis custode: novum profecto virginitatis simulacrum, ubi puritas pro purpurisso subrogatur, pudor pro rubore sufficitur, umbrarum vices agit nuptiarum velamen, obumbrante virtute Altissimi. *O coniugium verum et sanctum!* ait Rupertus lib. de gloria et honore filii hominis, *coniugium caeleste, non terrenum! quomodo enim, vel in quo coniugati fuerunt? Nimirum in eo; unus spiritus, et una fides erat in eis: sola illic desinit corruptio carnis, coniugum vita, sive coniunctio tota fuerit caelestis, et Spiritus sanctus amborum coniugalis amor.* Singulare profecto elogium Mariani coniugii; grandis huius matrimonii panegyris: cuius nexus ac copula idemmet Spiritus sanctus, est qui in sacra Triade Patris ac Filii nexus indivisibilis existit.

Aiebat Matthaeus c. 1: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi disquiro, cum res sit comperta omnia opera *ad extra* toti Trinitati attribui, cur modo Christi generatio Spiritui sancto speciatim attribuatur. Rationem assignat s. Thomas in commentario huius loci ex Patribus Nicaenae synodi depromptam, per haec verba: *Ratio assignatur in gestis Nicaeni concilii, et est quod in nobis est duplex verbum: verbum cordis, et verbum vocis. Verbum cordis est ipsa conceptio intellectus, quae occulta est hominibus, nisi quatenus per vocem exprimitur, sive per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum aeternum ante Incarnationem, quando erat apud Patrem, et nobis absconditum, sed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum, quod in nobis apparuit, et manifestatum est: verbum autem cordis non coniungitur voci nisi mediante spiritu; et ideo recte Incarnatio Verbi, per quam nobis invisibilis apparuit, mediante Spiritu sancto facta est.* Appositissimam sane rationem nobis reddiderunt illius concilii Patres, cur opus Incarnationis Spiritui sancto attribuat Evangelista, dum conferunt nostram respirationem cum Spiritu sancto per quandam argutam analogiam: quia sicut per Spiritum s. spiritus vitalis gratiae haurimus, et concupiscentiae ardorem restinguimus, et sermones divinos efformamus; ita per respirationem iugiter vitam protrahimus, invisceratum ardorem levamus, ac verba efformamus et exprimimus. Est ergo respiratio vehiculum, quo cordis verba vehuntur, ut voce proferantur; ideo Spiritui sancto attribuitur Incarnatio Verbi ex Maria, qui tanquam spiritus seu respiratio Patris Verbum divinum ex corde ipsius Patris expressit nobis in Virgine Maria. Quae collatio tantorum Patrum illius Synodi insigniter subsignat virgineam Mariae puritatem: ea enim puritate, qua respiratio nostra defert verbum mentis, ut voce exprimatur, eadem puritas licet longe nitidior apparet in Incarnatione Verbi divini ex Maria. Ulterius Verbum divinum nobis absconditum fuit in corde Patris, et interventu Spiritus sancti, veluti media respiratione, impressum fuit et convisceratum in utero Mariae, unde iam nobis audibile et visibile corporaliter apparuit. Egregie igitur dicitur a Matthaeo: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, ut nitor ac splendor maternae puritatis Mariae in suo conceptu et partu nobis exprimeretur. Iuvat hic audire Chrysologum cum Maria alloquentem, serm. 142: *Virgo, te gratia Matrem praestitit, non natura: Genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas; in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseveravere virtutes.*

Ex his germanum sensum verborum sat difficilium s. Epiphanii in Paner. haeresi 78, eruemus. Ait ergo: *Ostenditur, quod non coniunctionis gratia ipsi Iosepho tradebatur Virgo, sed quo conservaretur in testimonium futurum: quod non spuria dispensatio adventus in carne accessit, sed quod testimonia haberet in veritate, extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate.* Solemne est apud Patres Incarnationis sacramentum sub dispensationis nomine venire; fuit enim dispensatio iuris naturalis, cum Deus-homo sit proles et sponsus, Virgo, Genitrix: verba ergo Epiphanii, licet quoad corticem pugnantia appareant, dicitur enim dispensatio spuria, si viri congressus intercessisset, cum ex opposito, tunc proles spuria ac notha recte dicitur, quando ab alieno viro procreatur: sed rem altius meditatus fuit Epiphanius; in eo itaque hoc matrimonium ab aliis secernit, quia coniugium hoc Marianum ex sua natura non ad usum matrimonii aliquando futurum, sed ad animorum unitatem tetendit; quare supposita Incarnationis oeconomia, proles, quae ex utriusque congressu in lucem ederetur, spuria omnino compellaretur; ille vero sacer foetus, qui non ex viro, sed ex Virgine progigneretur, legitimus iure quidem optimo iudicatur. Deficeret profecto huius sacri connubii singularis excellentia, nisi ex Virgine sine viro proles generaretur, ac proinde ut non sit spurius, nec nothus sit et compelletur, prodeat a matre sine

patre: id enim connubii sacri puritas caelestis exigebat.

CERTAMEN III.

De tempore quo initum fuit matrimonium inter B. Virginem et D. Iosephum.

1504. Non satis convenit inter Doctores, quo tempore B. Virgo matrimonium inierit. Alii enim opinantur matrimonium initum post Annuntiationem. Huius sententiae patroni plures et nobilissimi numerantur, Hieronymus qui ait de Iosepho, licentia pene maritali futurae uxoris omnia recte novisse, et ita ab ipso et non ab alio inventam fuisse uterum ferentem, ubi vocat futuram uxorem ratione matrimonii futuri nondum celebrati. Eidem sententiae non parum adstipulari videntur Ambrosius, et alii apud Vasquium, tom. 2 in 3 p., disp. 125, cap. 8, et alii Doctores quotquot censuerunt sponsalia solum praecessisse ante Incarnationem, postea vero subsecutum matrimonium, quod sensit Hilarius, can. 1 in Matth.: *Mater*, inquit, *potius Christi, quia id erat, non uxor Ioseph est nuncupata, quia id non erat.* Quasi eius esset sententiae, Mariam videlicet solum desponsatam concepisse, nondum nuptam. Deinde paullo ante praedicta verba haec praemiserat: *Cognoscitur itaque post partum, id est transit in coniugis nomen; noscitur enim, non admiscetur.* Cui censioni subsidiatur uterque Evangelista, Matthaeus et Lucas; ille cap. 1 ait: *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph;* Lucas ita habet cap. 1: *Ad Virginem desponsatam viro.* Verbum autem, *desponso*, ambire nuptias adsignificat apud Graecos: favent huic sententiae verba illa Andreae Hierosolymitani in salutationem Mariae, ubi ita fatur ex ore Mariae: *Rem mihi novam polliceris, quae ipsam superat naturam: mihi nuncias: nuptias ego nullas experta sum: desponsata enim, ac nupta cum viro nondum fui: Sponsum futurum ego solum, at virum Ioseph nondum cognosco.* Luculentius huic sententiae patrocinatur s. Gregorius Thaum., ser. 3 de Annunciat.: *Cum igitur*, ait, *sacerdotes Virginem Mariam casto desponderent Ioseph, eam ipsi commendarunt, tempus nuptiarum exspectantes, quam quidem ipse accipiens integram erat conservaturus.* Subscribunt huic sententiae s. Remigius, apud D. Thomam in cap. 1 Matth., Baronius in apparatu ad Annales, c. 55.

Pro eadem sententia afferri possunt Doctores illi ac Patres, quotquot arbitrantur Iosephum nondum cum B. Virgine cohabitasse, quo tempore Angelus illam salutavit, et Incarnationis oeconomiam ipsi patefecit. Quam partem assectantur D. Anselmus, super cap. 1 Matth.; Abulensis ibid. quaest. 33; Eusebius Emissenus, serm. in vigilia Nativ. Canisius stat pro hac sententia, lib. 2 de Deipara, c. 4 et c. 11. Rupertus in Cant. c. 1, ait enim: *Quid putamus dicturos fuisse vicinos, et cognatos, qui multi ad Elisabetham venerunt, si inter eos inveniretur in utero habens? Bene provisum est, quod exiit edictum a Caesare Augusto, quatenus per hanc occasionem Virgo ab omni vicinorum quaestione liberaretur: quomodo tam brevi tempore exacto, ex quo in coniugium accepta erat, peperisset? Poterat vicinis et notis fieri occasio loquendi, quod tam cito peperit, vix habens menses sex.* Ubi singulari providentiae ac miraculo vertit, quod universus orbis inverteretur per omnium conscriptionem ac censum, ut B. Virginis famae et existimationi prospiceretur: cum enim iuxta Rupertum vix sex mensium spatium intercurrisset, ex quo B. Virgo Iosepho nupserat, usque ad partum; necessario exhiberetur occasio vicinis, aut cognatis submurmurandi, quod nondum tempus gestationis prolis in utero esset completum; ac proinde Marianae famae non fuisset recte consultum, nisi totus orbis conscriberetur, quo sufficienter Virgineae famae consultum. Ubi aperte stat pro hac sententia Rupertus, dum censet tribus mensibus ante initum matrimonium Iosepho, fuisse iam Deo foetam, ac Verbum divinum utero concepisse humanitate vestitum. Vides, amabo, tanti apud Deum esse, honorem ac bonum nomen Mariae, teste Ruperto, ut ante Deus velit totius orbis inversionem, quam ut Marianus honos apud homines vel leviter periclitetur. Vide quae alibi in hanc rem protulimus.

Suam suffulciunt sententiam hi Doctores Angeli verbis, Matth. 1: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* ergo signum est, solum sponsalia foedera praecessisse, cum dixit Evangelista: *Cum esset desponsata Maria Ioseph;* cum autem postea Angelus in somniis ait Iosepho: *Ioseph, noli timere*, etc., initum contractum matrimonii intelligit. Quia accipere uxorem iuxta morem sacrae Paginae, idem est ac uxorem ducere. Gen. 4, Lamech ait Scriptura accepisse duas uxores, hoc est illas duxisse. Secundo probant ex consuetudine inveterata Iudaeorum, variis sacrorum Voluminum exemplis comprobata; nunquam Sponsus cohabitabat cum sponsa, quousque per nuptiarum solemnitatem in domum sponsi sponsa comitata propinquis adiret; interim vero in parentum sive tutorum domibus asservabantur: itaque per solemnem nuptiarum celebrationem sponsus accipiebat sponsam, et cohabitabat cum illa, quod vocant Iurisperiti, *rei emptae possessionem, aut haereditatem adire.* Consulantur Interpretes, Genes. 19, et I Machab. 9. Firmatur ex Augustino, q. 9 in Deuteron., q. 31, ubi verbum *accipere uxorem* idem esse ait, ac *ducere uxorem;* quare cum Angelus ait Iosepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, idem erit, ac post sponsalia nuptias cum B. Virgine celebrare: ergo quo tempore Angelus Mariam salutavit, adhuc Iosephus cum illa non cohabitabat, nec illi nupserat: imo mos iste apud nos etiam invaluit; prius enim celebrari solent sponsalia, et tamen sponsae in domo parentum asservantur, vel eorum, quorum curae ac custodiae illae pertinent, donec nuptiae celebrentur, et sponsa in domum sponsi transferatur; quod etiam innuit Hieronymus in Hist. de Mariae ortu, ubi haec habet: *Igitur nuptiarum iure de more*

celebrato, Ioseph in Bethlehem recedit, suam domum dispositurus, et nuptiis necessaria procuraturus.

1505. Verius tamen censeo B. Virginem ante Incarnationem nupsisse Iosepho, et cum ipso cohabitasse. Primo, pro hac sententia stare videtur Ambrosius, lib. 2 in Luc. c. 1, ubi docet B. Virginem desponsatam fuisse, cum Angelus ad eam missus est, quo postmodum cum uterus Virgineus intumesceret, nulla infamiae nota parum pudicae inureretur; si vero non fuisset matrimonio iuncta, sed solum desponsata, qui poterat ab infamiae nota immunis evadere, praesertim cum sponsae, ut vidimus, non in domo sponsi, sed parentum asservarentur, quousque in matrimonium sponsalia transirent? Id etiam docet Caietanus, in 3 p., q. 29, art. 2, ubi docet, quo tempore B. Virgo inventa est in utero habens de Spiritu sancto, ita Iosephum cum illa cohabitasse, ut sine infamiae nota conceptus detegeretur. Male igitur in opposita sententia honori B. Virginis, ac eius existimationi, et suspicioni legitimi foetus fuisset consultum. Ex eo enim Deus ex Matre uxorata nasci voluit, ne ipsius fama ac bonum in aliquo vel leviter laederetur; atqui si quando B. Virgo concepit Verbum Dei, adhuc matrimonium non iniisset, nec cum Iosepho cohabitasset, nec B. Virginis famae prospiceretur, nec suspicio spurii partus abesse posset; ergo matrimonium initum fuit ante Incarnationem. Quocirca iuxta hanc sententiam verba illa Angeli ad Iosephum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, non ita capienda, ita ut denuo in Iosephi domum transferretur, sed habent hunc sensum: Sponsam tuam, quam domi habes, sed animo iam dimisisti, illam retine, cum ipsa commorare. Cui sententiae et explicationi multum adfavet Divus Thomas, 3 p., quaest. 29, art. 2, ubi haec habet: *Ad tertium dicendum, quod Virgo, sicut Chrysostomus dicit, sic fuit desponsata Ioseph, quod etiam esset domi habita: nam sicut in ea, quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis; sic in ea, quae extra domum concipit, est suspecta coniunctio, et ita non esset sufficienter provisum famae B. Virginis, per hoc quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita.* Iuxta hunc ergo sensum rationi multo conformius videtur, nuptias iam fuisse celebratas, nec solum fuisse sponsam Mariam, sed etiam uxorem Ioseph; quo tempore Verbum divinum in illius alvo humanam naturam cum divina maritavit. Auxilium praestant huic sententiae D. Bonaventura, opusc. medit. vitae Christi, c. 5; Viguerius in Theol. inst., cap. 20; Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 13, q. 35, art. 6, 7 et 8; Vasquius, tom. 2 in 3 part., disp. 125, cap. 9 et 8; s. Bernardinus, serm. de s. Ioseph, art. 2, c. 1: *Et statim*, ait, *cum ipso Ioseph abiit Virgo in montana, ut visitaret Elisabeth.* Ergo iam simul cohabitabant tanquam veri coniuges tempore Incarnationis. Salmeron tom. 3, tractat. 10: *Abiit*, inquit, *non sola, sed comitante Ioseph viro suo.* Et quidem ob eam potissimum causam desponsata, et uxorata Iosepho fuit, ut ministerium et solatium in itinere praecipue ab eo accipere posset. Idem probat Isolanus 2 p., cap. 6: *Quamvis*, ait, *neminem affuisse Visitationi B. Virginis et Elisabeth, divinae referant literae; nullus est tamen sanae mentis, catholicique ingenii, qui Mariam Virginem, teneraeque aetatis solam domo recessisse asseveraret. Creduntur enim a Nazareth usque ad oppidum Zachariae esse fere quadraginta milliaria.*

Refragantur item Doctores contrariae sententiae Angelo, qui Mariam Coniugem vocat dum foetus in utero Matris concipitur, ne nothus ille, nec adultera Virgo B. censeretur, si nondum nuptiae, nec thalami coniugalis fama divulgaretur. Praeterea hac ratione Incarnationis arcanum Daemoni melius occuleretur apposito coniugii velamine: difficile enim valde solum per contractum sponsalitium posset Daemon ignorare foetum divinum. Melius ergo nostra sententia sustinet, matrimonium fuisse initum, cum Maria foetum divinum concepit, quia si coniugium procrastinaretur, neque consuleretur pudori et honori Virgineo, nec Christi Domini, qui, ne spurius ab hominibus haberetur, maluit a Matre nupta in lucem edi. Quod vero Desponsata vocetur, nihil obstat, solum enim intemerata virginitas adstruitur: quare vix Desponsata vocatur a Matth. cum protinus Angelus Coniugem eam vocat. Lucas etiam simul desponsatam, et uxorem appellat.: *Cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.* Ubi quid nomine *Desponsatae* intelligat, recte per nomen *Uxoris* exprimit. Quod adhuc satis perspicue suaderi potest ex verbis illis Angeli ad Iosephum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;* non autem dixit: *Accipere Mariam in coniugem tuam.* Quasi sibi antea desponsatam, adhuc in coniugem non accepisset. Quis autem dicatur accipere librum suum, vel vestem suam, nisi quae antea sua erat vestis, vel liber suus? Et licet admittam libenter, *accipere uxorem* idem valere, ac *illam ducere;* at vero, accipere uxorem suam, vel coniugem suam, idem non est, ac illam ducere, sed iam ductam illam secum admittere.

Ex Doctoribus ac Patribus pro opposita sententia supra memoratis, fateor plures illius fuisse sententiae. Aliqui tamen eorum apte in nostram sententiam adduci possunt; de quo videndus Vasquius cit. cap. 8, num. 99. Quisquis autem senserit, post Incarnationem, matrimonium initum fuisse inter Mariam et Iosephum, nulla censurae nota feriendus est, ut bene animadvertit Vasquius cit. Patres enim et interpretes in varias sententias distracti sunt, ut vidimus. Videndus etiam Maldonatus in Matth. c. 1, fol. 3, § *Cum esset desponsata.* Illud non omittam, cum aiunt aliqui ex Patribus et interpretibus, ut Chrysostomus hom. 4 in Matth., et Bernardus hom. 2 in Laudib. Virg. super *Missus est*, hunc invaluisse morem apud Hebraeos, ut sponsae sponsis custodiendae traderentur, ita accipiendum esse, ut sermo sit de sponsis per verum matrimonium ante nuptiarum solemnitatem; periculosum enim valde esset, si sponsae solum per verba de futuro in eadem domo cohabita-

rent, nec eo modo satis bene consultum fuisset honori B. Virginis.

Longe igitur probabilius duco cum Vasquio cit., cap. 9, num. 105, tempore Incarnationis, et fuisse initum matrimonium per verba de praesenti, et B. Virginem in propriam Iosephi domum fuisse traductam, ibique angelicum nuncium excepisse. Hanc tuentur sententiam quotquot adstruunt, quo tempore Maria inventa est in utero habens de Spiritu sancto, iam cum Iosepho in eadem domo cohabitasse: id docet Chrysostomus, Imperfectus, Theophylactus et Euthymius, Ambrosius, Nyssenus apud Vasquium. Cuius rei rationem satis efficacem adducit auctor Imperfecti; ait enim: Quemadmodum cum quis concipitur in domo viri, merito reputatur conceptio et partus maritalis; ita ex adverso, cum quis extra aedes viri concipitur, habetur suspecta conceptio et partus: quare non satis honori Mariano prospiceretur, si extra domum Iosephi conciperet, et partus tali conceptioni responderet; si enim partus responderet conceptioni extra proprias viri aedes, proles ipsa suspecta valde apud homines nasceretur; quod omnino Spiritus sanctus praecavere voluit, decernens Christum ex desponsata et nupta nasciturum: ideoque antequam Maria conciperet, non solum nuptam, sed etiam in domum sponsi fuisse traductam, alioquin partus conceptui non sine sinistra suspicione responderet. Hinc tamen certum non reor D. Iosephum comitatum fuisse Mariam, cum in montana perrexit invisura s. Elisabetham: imo probabilius censet Vasquius cit. num. 108, illum domi mansisse; si enim in domum Elisabethae profectus fuisset, audisset utique salutationem Mariae, et Elisabethae responsum, ac Zachariae prophetiam; unde mysterium Incarnationis recte nosset, adeoque nihil sinistrum de Maria suspicari posset. Haec Vasquius probabili coniectura ductus. Nos quid in hac re sentiamus, alibi protulimus. Sed disquirat aliquis cur sanctissima Virgo sponso Iosepho non detexerit, quod Gabriel ipsi de concipiendo Christo nunciaverat, quo se infamiae periculo, ac Iosephum sinistra suspicione purgaret. Occurrit Chrysostomus apud Maldonatum in Matt. cap. 1, fol. 39, Iosephum sollicitum de sponsae fidelitate, Virgini licet sanctissimae non crediturum. Recte enim subdit Maldonatus: *Et vero quis maritus, nisi a Deo monitus credidisset* (a)?

1506. Sciscitaberis quo mense Maria matrimonium inierit cum Iosepho. De quo videndus Suarez, tom. 2 in 3 p., disp. 7, sect. 2. Evodius apud Christophorum de Castro in Hist. Deiparae, cap. 4, num. 2, affirmat post quartum mensem a desponsatione, nuncium de Christi conceptu a Gabriele ad B. Virginem fuisse allatum, adeoque desponsatio B. Virginis contigit mense decembri sub initium, vel medium. Evodii verba haec sunt in Epistola, quam *Lumen* inscripsit: *Deinde manibus sacerdotum Iosepho tradita est ad custodiam, apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele laetum illud nuncium accepit.* Et quidem hoc mense Encaeniorum festa peragebantur apud Hebraeos, et incipiebant 25 die novembris, perdurabantque per totos octo dies, nempe ad tertium usque decembris, ut habes I Machab. cap. 4, et II Machab c. 9 et 10. Unde ansam nacti sunt sacerdotes, ut eam desponderent cum aliquo ex consanguineis, qui ad illud festum peragendum adventaverant. Igitur per hosce dies confecta desponsatio creditur, in quibus B. Virgo concepta fuerat 8 die decembris. S. Hieronymus his aliqua ex parte contradicit in Historia de ortu Deiparae, apud Christophorum de Castro in Historia B. Virginis c. 5, num. 1. Diversum etiam docet Epiphanius Presbyter in vita Virginis, sed sibi satis non constare videtur iuxta ipsius supputationem, quae videri potest apud Christophorum de Castro cit. c. 4, n. 14. Cum vero Beata Virgo nata fuerit 8 Sept., et trimula fuerit Templo oblata, in quo annos traduxit undecim iuxta plures Doctores, non tamen completos, sed undecimum annum peregit per tres menses inceptum; infertur perspicue mense decembri fuisse desponsam et nuptam Iosepho. Ita Castro cit. n. 5.

Postremo vestigabis, quonam aetatis anno matrimonium contraxerit B. Virgo. Castro cit. c. 4, ait Deiparam initio quatuordecim annorum nupsisse Iosepho, et citat pro se Evodium Apostolorum successorem apud Nicephorum, lib. 2 Hist., c. 3, Hieronymum in Hist. de ortu Virg., Germanum Patriar. Constantinop. orat. de oblat. Mar. Itaque iuxta hanc sententiam, tredecim annos nata, tres menses, et dies octodecim, matrimonium iniit, ait Castro, lib. 1 vitae Mariae, cap. 24. Videndus Salmeron, tom. 3, tract. 4, § *ad Tertium*. Parum ab hac sententia discedit Ioannes Annaeus in commentariis Chronographiae Philonis, quem assectatur Driedo, lib. 3 de regulis et dogmatibus sacrae Scripturae, t. 3, cap. 5, dum ait B. Mariam Christum peperisse anno decimoquarto aetatis suae: ex quo infertur nupsisse Mariam decimotertio anno nondum finito, si verum est, quod supra dedimus, nempe quatuor mensibus post desponsationem, Virginem Mariam de Spiritu sancto Christum concepisse. Omnino autem displicet Caietanus in illud Luc. 1: *Ad Virginem desponsatam*, ubi censet B. Mariam, cum esset duodeviginti annorum,

(a) Revereor hanc D. Ioannis Chrysostomi rationem, sed magis arridet haec alia a Firmiano *de orat. mentis* allata. *Propriam*, sic ille, *non fuisset ausa profiteri innocentiam, nisi eam Deus ipse comprobasset. Tacebat Virgo, sed Deo maxime confidebat, honorisque sui curam in Deum iactabat.* Haec conformior est christianae virtutis perfectioni, iuxta illud Psal. 54: *Iacta super Dominum curam tuam..... non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Et Virgo Beata, quae absolutissimum virtutum omnium exemplar extitit, omnem sui curam in Deum iactabat. Huius sententiae videtur fuisse etiam D. Augustinus ser. 343, qui comparans Mariam Susannae aiebat: *Qui liberavit Susannam mulierem castam, coniugem fidelem a falso testimonio seniorum, ipse liberavit et Virginem Mariam a falsa suspicione mariti sui... Sicut pro Susanna adfuit in Daniele Spiritus, sic pro Maria adfuit Angelus.* At de Susanna dicit Scriptura, Dan. XIII, 35: *Quae flens suspexit ad coelum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Ergo et de Maria dicendum quod cor eius erat fiduciam habens in Domino. *Nota Editoris.*

Christum concepisse, et expleto decimonono anno enixam fuisse: nullo alio fundamento ductus, nisi quia existimat, oportuisse ut Christus perfecto corpore ex B. Virgine nasceretur, cum plerumque nati ex puellis, debiles et imbecilles nascantur. Vasquius cit., c. 11, probabilius censet, nuptam fuisse Mariam anno decimoquinto nondum expleto, sed inchoato, quae est sententia Baronii in apparatu ad Annales Ecclesiasticos, § *Si fidem adhibendam;* et colligit ex Gregorio Nysseno, orat. in diem natalem Domini; Damasceno 4 de fide orthodoxa, cap. 15; Germano Patriarcha, serm. de Praesentat. Mariae, Georgio Nicom. in serm. de exitu sanctissimae Dominae nostrae apud Metaphrasten et Surium 21 die novembris, et Cedreno in compendio Hist. Quae sententia ex eo probari potest, quia B. Virgo trimula, hoc est trium annorum, fuit a parentibus templo praesentata, ubi per undecim annos permansit: deinde per sacerdotum manus, ut supra dicebat Evodius, Iosepho nuptui tradita fuit; cumque apud Iosephum menses quatuor peregisset, ab Angelo salutata Deum hominem concepit; et intra decimumquintum annum illum peperit. Quibus consentit Nicephorus. Nyssenus ait, cum iam grandiuscula esset B. Virgo, nec ubere matris indigeret, Deo fuisse in templo dicatam ad similitudinem Samuelis, qui trimulus etiam creditur templo sacratus post ablactationem, I Reg. 1. Quae consuetudo lactandi infantes per tres annos inolevit apud Hebraeos, ut elicies ex II Machab. 7. Hinc apud Iurisperitos pro lactationis tempore tres anni designari solent. Quae sententia magis arridet, tum ob rationem, tum ob tantorum Doctorum auctoritatem.

CERTAMEN IV.

Ulterius disquirit causas cur Virgo Deipara desponsa fuerit viro.

1507. Multis de causis consulto factum fuit, ut de desponsata Matre Christus prodire voluerit: quarum quaedam ex parte B. Virginis, quaedam ex nobis, et aliae ex parte Christi desumi possunt. Quod ad B. Virginem attinet, rationi consonum fuit, ut Christus Dominus de desponsata in lucem ederetur; ne scilicet temeratae virginitatis adureretur infamia, si esset innupta, ut bene expendit Ambrosius, lib. 2 in Luc. c. 1, tom. 1 suorum operum: *Desponsata est*, ait, *ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.* Tum ne a Iudaeis sine viro concipiens lapidaretur, iuxta legem Deuteron. 22. Ita Hieronymus in cap. 1 Matth.: *Cur de desponsata nasci voluerit? Nimirum, ne B. Virgo a Iudaeis lapidaretur, quae stuprum commisisse videretur.* Addit idem Hieronymus, ut haberet ministrum et adiutorium in laboribus, ex rebus ad vitam necessariis, ac comitem in fuga ad Aegyptum. Tum ut per generationem Ioseph, origo quoque Mariae Virginis eius cognatae ac propinquae demonstraretur, ut docet Hieronymus in Helvidium.

Demum opportunam aliam exhibet rationem ex parte B. Virginis s. Athanasius, epist. ad Epictetum: quia tanta puritate ac pulcritudine nitebat, eoque dignitatis fulgore radiabat, ut aliquid divinum praeseferre videretur; unde Deus ab imperitis credi potuisset; ideoque homini despondetur, ut foemina crederetur. Verba D. Athanasii haec sunt: *Gabriel ad eam ipsam legatur, neque simpliciter ad quamvis Virginem, sed Virginem desponsatam viro, ut sponsio ostenderet Mariam vere hominem esse.* Eam igitur vel ipso vultu ostentabat maiestatem et excellentiam, ut oportuerit viro in matrimonium tradi, ut opinio hominum coerceretur, ne daretur occasio opinandi illam humanae naturae limites superare. Ergo despondeatur viro Maria, quia ea erat Mariae altitudo ac sublimitas, tot Deus eam supernis charismatibus oppignoravit, tot privilegiis cumulavit et auxit, ut iure aliqui supra naturam humanam, eam sublatam fuisse; at totius speciei metas praetergressam existimare possent: ineat ergo Maria connubium, tradatur nuptui; viro in matrimonio coniungatur, ne ex privilegiorum singularitate, ex gratiarum effusione, ex pulcritudinis plusquam naturalis ostensione ac maiestate, supra naturae humanae conditionem evecta, non foemina, non homo, sed aliqua divinitatis scintilla, vel Deitatis partus credi posset. Matrimonium enim nihil est aliud, quam maris ac foeminae coniunctio; quare nequeunt diversam specie naturam sortiri; ait enim Deus: *Erunt duo in carne una:* una videlicet, quod praesens attinet, non unitate numerica, sed specifica. Quare ex sponso Iosepho, ac coniuge Maria sub specie humana cohibita et inclusa demonstratur, quia Ioseph homo est, non ergo potuit ducere nisi foeminam; Maria ergo foemina est, non Angelus, non Dea aliqua. Frequenter sancti Patres, ac passim Doctores ut Mariana extollant elogia, ea cum divinis componere consuescunt. Hic autem D. Athanasius, ut vidimus, e converso conatur ostendere Mariam non esse Deum, sed veram hominem; ut illius encomia amplius evehat, et gloriosius amplificet, quia tanta privilegiorum, gratiarumque affluentia pollet, ut Deum non esse affirmare necessarium putet. Sic Tertullianus, Apologet. c. 33: *Imperatoribus olim triumphantibus illud suggerebatur a tergo: Hominem memento te. Etenim hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, ut illi admonitio conditionis suae sit necessaria.* Maria hac admonitione non indiget prae nimia animi demissione; verum id opus fuit, ut nemo illam Deam existimaret, in tantam praerogativarum affluentiam evecta.

Deinde quoad nos attinet, decuit maxime, ut testimonio Ioseph, insignis B. Virginis pudicitia ac puritas nobis perspicua fieret, teste Basilio hom. 25, tom. 1, et Ambrosio in Luc. lib. 2, c. 1, tom. 5, qui sic habet: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolore iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Ob sacramentum quoque ac mysterium, sicut enim origo peccati ex coniugata Virgine inobedienti ortum duxit: ita origo iustitiae

per Virginem desponsatam et obedientem exstitit. Ad haec, ut hac ratione honorabile connubium et sacratum matrimonium ostenderetur; et Manichaei solos Virgines salvari asserentes eluderentur. Oportuit ergo ut mulieribus coniugatis submissionis praeberet exemplum, et omni foeminarum statui salutis spem conferret; ideo omne vitae genus in se dedicavit ac sacravit, nempe virginum, coniugatarum ac viduarum. Hanc rationem tetigit Bernardinus de Bustos, serm. 4 de orat. Mariae: *Humiliavit se propter mulieres, id est propter earum utilitatem et fructum; nam non tantum voluit esse Virgo, sed etiam humiliari voluit, et esse coniugata, et postmodum vidua derelicta, ut omnibus mulieribus spem et fiduciam daret salutis; ostendens quod non tantum Virgines salvantur, sed etiam coniugatae et viduae.* Eandem rationem exhibet Albertus Magnus super *Missus est*, cap. 38: *Desponsatio*, inquit, *Deiparae et Ioseph fuit utilis ad multa, ut Matris dignitas humilitati societur, ut quanto maior sit, humiliet se in omnibus, ut sit Mater Dei, et uxor fabri.* Cui rationi multum adstipulatur s. Thomas, lib. 5 de erudit. princip.: *Deus*, ait, *tempore diluvii solos coniuges salvavit, in Arca enim salvati sunt Noe, et uxor eius*, etc. *Hunc ordinem B. Virgo intrare voluit, licet proposuisset servare virginitatem; quod non parum facit ad honorem matrimonii.* Et 3 p., q. 29, art. 1, ait: *Mater Domini fuit desponsata, et Virgo, quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur.* Decebat itaque B. Virginem omnem statum subire, ut per omnia in omnibus tentata, ac non ignara malorum, miseris succurrere disceret; Virgo virginibus, Coniugata coniugatis, Vidua viduis, Mater Unigeniti matribusfamilias, Orphana orphanis; ut hac ratione omnes ad eam auxilium petiturae maxima cum fiducia accederent.

1508. Praeterea ex parte Christi aliae producuntur rationes a Patribus et Doctoribus, et in primis propter Iudaeos et infideles, ne tanquam spurius, et illegitimo ex toro natus sine honore abiiceretur; ac propterea eius lex ac praedicatio parvi penderetur, multumque doctrinae suae detraheretur. Hanc rationem subdit Albertus Magnus in cap. 1 Luc. cum Ambrosio, lib. 2 in Luc. cap. 1, prope finem. Ait ergo Albertus: *Quia si non de desponsata nasceretur, illegitimus haberetur; et sic doctrina eius iuste coram hominibus refutaretur.* Itaque maluit Christus aliquos opinari de non virgine natum, quam vocari spurium et illegitimum. In cuius rei typum, intactam a rege Abimelech Saram conceptis verbis sacra Volumina testantur, ut omnem prorsus suspicionem de Abrahami illegitima sobole radicitus avellat; erat tunc quippe Sara de Isaaco gravida: vindicatus ergo tantae matronae honor; ideo ait Gen. 20: *Abimelech vero non tetigit eam.* Sed cur cum ipsius Sarae forma ac pulcritudine capitur Pharao rex, Genes. 12: *Et nunciaverunt Principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum, et sublata est mulier in domo Pharaonis;* non eadem adiicitur cautio? Responsum reddat Theodoretus q. 62 in Genes.: *Sara*, inquit, *tunc erat paritura Isaac; ne igitur semen Abrahae suspectum esset, manifeste declaravit Scriptura divina, quod Abimelech eam non tetigisset.* Merito ergo omnis adhibetur cautio a sacra Scriptura de continentia Sarae, ne Isaacum illegitimo ex toro natum fuisse, quispiam existimaret, et ex adulterio progenitum. Exprimat ergo sacer textus Saram intactam Abrahamo redditam ab Abimelech: at vero cum de Pharaone est sermo, non opus fuit simili cautione, quia nondum Isaacum conceperat Sara: quae omnia in Christi typum contigere: ex eo igitur a Deo tantopere legitimitati Isaaci provisum fuit, quia Christus per longam temporum supputationem, ac posterorum lineam ex eodem Isaaco in lucem edendus erat. Despondetur B. Virgo, ne Christus spurius habeatur, ac speciali Dei providentia cavetur, ne in Abrahami propagine adulterinum aliquod reperiatur, nec adhuc remotissime, et longa nepotum serie subducta, quispiam Christum ex spurio concubitu fuisse progenitum opinaretur.

Aliam addidit martyr Ignatius huius desponsationis causam; nimirum ut partus eius occultaretur Diabolo, dum eum putat, non de Virgine, sed de uxore generatum. Fefellit ergo mundi principem Mariae desponsatio et coniugium. Quam rationem agmine facto plurimi ex Patribus complexi sunt apud Christophorum de Castro in Hist. Deiparae, cap. 4, num. 16. Hic aliquos subiiciam. S. Basilius, hom. 25 de humana Christi generatione: *Adfertur*, inquit, *et alia ratio a quodam ex antiquis; ut Mariae virginitas, saeculi huius principem Diabolum lateret, nupta Ioseph fuit, ut nuptiarum nomine suspensus facile deciperetur. Virgines namque in primis observabat, e quarum una parituram ex Propheta cognoverat, dicente: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium. Virginitatis igitur insidiator, observatorque sub matrimonii specie factus ignorans, a malignitate abstinuit. Sciebat enim suum imperium ob Dominicam carnis generationem perditum iri.* S. Ioannes Damascenus, de fide orthodoxa, lib. 4, cap. 15: *Quoniam*, inquit, *ob illud Isaiae vaticinium: Ecce Virgo concipiet, hostis ille salutis nostrae sedulo Virgines observabat; idcirco is, qui sapientes in versutia sua comprehendit, ut eum qui sapientiae nomine sese semper offert, in fraudem impelleret, puella Ioseph a sacerdotibus despondetur.* Idem habet s. Germanus, orat. de sancta Deipara de oblatione ipsius, ubi ita habet: *Tunc que divino, et sacerdotum consilio, de ipsa sortitio fit, sorteque Ioseph ille iustus sanctam hanc, divina dispensatione a Dei Templo, sacerdotibusque ipsius accipit, ad serpentem illum malorum archetypum decipiendum.* S. Hieronymus in cap. 1 Matth. eadem s. Ignatii verba repetit. Subscribit s. Maximus, hom. 1 de ieiunio, ubi daemonem haec apud se cogitantem eleganti rhetorica describit: *Animabat illum praesumere congressum partus foemineus, sed terrebat virginitas parientis. Quamvis enim Christum Maria, Evae utique filia, peperisset; non tamen eum conceperat de Adam: volvebat secum, ut*

arbitror, atque admirans dicebat: Quis est iste, qui, nesciente me, hunc ingressus est mundum? Novi quidem, quia de foemina natus est, sed nescio unde conceptus. Adstat ecce Mater, sed patrem investigare non possum; et quod stupori meo accrescit, inconsueta lege pariendi, etiam edito Filio, Mater exultat ut virgo. Fefellit itaque Daemonem quod Virgo nupta fuisset; in qua re perstringere ludet Helvidium, et Hebionem, quod petulantiores ipso Daemone existant; hic enim Marianam virginitatem, quam ipsi debellant, mitior et urbanior in B. Virginem ingenue profitetur. Hanc eandem rationem suis subsignant testimoniis alii Patres. Videndus Vasquez, tom. 2 in 3, disp. 125, Suarius, tom. 2 in 3 p., in comm. q. 29, art. 1.

1509. Ex desponsata igitur oritur Filius Dei, ne citius latro mysterium agnosceret, inquit s. Gregorius Thaumat. Sed cur ex desponsata Dei Filius, opinione Daemonis, nasci non potuit? Nempe, quia Filius Dei est Verbum, ac Patris sapientia, ac adeo repraesentatio omnium attributorum Dei, et contemplatio aeternae et indeficientis Veritatis: at nihil aliud magis opponitur contemplationi in Deum attentissimae, quam cogitatio multum animum avocans, et a Deo avertens, nempe mariti ac liberorum, iuxta Paulum I Cor. 7, 34: *Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi.* Apte ergo Daemon eliceret ex desponsatione haudquaquam Verbum nascituram, quod est essentialis Dei, et attributorum contemplatio, quia plures filiorum sollicitudines ac familiae mentem avocant, ac distrahunt a divinis, et in terrenas cogitationes impellunt.

Desponsatio ergo, et connubium B. Virginis velamen fuit, iuxta praedictorum Patrum sententiam, adversus Diabolum, quo tantum illi obnuberetur sacramentum. Hanc tamen rationem infringere contendunt Scotus in 4, dist. 30, q. 2; Abulensis in c. 1 Matth., quae. 31; Maldonatus in Matth. ad illa verba: *Cum esset desponsata*, etc., ubi fatetur se huius rationis vim capere non posse. Salmeron item, to. 3, tract. 29, § *Sed in hanc sententiam*, adversus praefatam s. Ignatii rationem aliqua obiectat. Nam etsi B. Virgo virum haberet, bene poterat Daemon callere claustra intemeratae virginitatis; et idcirco nosse ex illa Virgine natum Messiam: et quamvis D. Augustinus, lib. 3 de Trinitate, cap. 8, in principio tom. 3, asserat, multa Daemonem posse attingere vi suae cognitionis, a quibus cognoscendis divina virtute praepeditur; ita quoque prohibitus fuit a partu illo Virginis B. dignoscendo. Attamen haec ratio non multum urgere videtur; quia licet sanctissima Deipara viro caruisset, poterat bene a Deo impediri Daemon, ne cogitare, aut dignoscere posset, quomodo concepisset, ac partum edidisset: nec enim miracula sine necessitate multiplicanda sunt. Siquidem esto, Diabolus calluisset Mariam illibato claustro peperisse, inde non fieret, filium suum Deum esse, nisi ex sacris Literis id constaret. Potest enim Deus efficere, ut purus homo de foemina virgine nascatur, et natum hominem ex non virgine et viro assumere post conceptum. Praeterea habebat Daemon efficaciora argumenta Christi Divinitatem comprobantia, quae illi contegi nequiverunt, qualis fuit stella Magorum ductrix in Bethlehem, et Angelus annuncians pastoribus; voxque illa Patris de caelo detonantis: *Hic est filius meus dilectus.* Testimonium etiam illud Ioannis Baptistae: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Tot etiam signa suam Divinitatem contestantia. Verum est, post haec, accessisse ad tentandum, Matth. 4; subdubitabat enim, iuxta communem Interpretum expositionem, an esset Filius Dei. Ad haec s. Ambrosius, lib. 2 in Luc. cap. 1, tom. 1, hanc rationem referens refellit, haec subiungens: *Sed tamen magis fefellit principem saeculi. Diabolus enim etsi aliquando dubitavit, cum diceret: Si Filius Dei es, mitte te deorsum; tamen vel sero cognovit, et discessit ab eo: cognoverunt et Daemones, qui dicebant: Novimus quia es Iesus Dei filius, Matth. 8, quid venisti ante tempus torquere nos? Et ideo venisse cognoverunt, quia praecognitum habebant esse venturum. Daemonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit.* His et aliis rationibus ducti aliqui viri docti, vim illius rationis a s. Ignatio adductae extenuare conantur. Quid enim, inquiunt, obstare potuit coniugium, ne Daemon deprehendere posset Incarnationem, ac sobolem divinam ab inviolabili Mariae claustro ortam; cum certum sit, Daemonem perspicaci suo intuitu cognoscere effectus omnes naturales corporeos extra causas positos? Ergo latere non potuit illum, B. Virginem neutiquam a viro violatam, ac proinde Virginem concepisse, partumque edidisse virginitate permanente, sine ulla virginei sigilli violatione: ergo non potuit connubii velamine obtegi Daemoni hoc mysterium. Unde sic arguit s. Thomas, in 4, dist. 30, quaest. 3: *Diabolus bene scit, quod illa est Virgo, quae nunquam coniuncta est viro, sed Diabolus scire poterat, quod Ioseph nunquam carnaliter ei coniunctus fuerat; ergo per hoc quod erat nupta, non occultabatur ei virginitas Matris Dei.* Cui ratiocinationi occurrit s. Doctor asserens Diabolum cognitione naturali bene potuisse perpendere virginitatem Matris Dei, et quod nupta erat, nisi prohibitus fuisset a diligenti examine eorum, quae circa Mariam divina virtute patrabantur.

1510. Insurgit Scotus: Quid, inquit, potuit prodesse vir ad velamen, cum licet innupta fuisset Virgo, virtus divina obcaecare potuisset Daemonem, ne veritatem calleret, et ideo arbitrari potuisset, Virginem ex alieno viro concepisse? Bene tamen et ingeniose satis respondet Suarius citat., eam fuisse innocentiam ac puritatem in Virgine Maria, quam alte imbiberat Daemon, ut nequiret in suspicionem venire ex illicito toro concepisse; ergo opus fuit ut nuberet sponso, ut hoc velamine partus Diabolo celaretur, alioquin censeret potius divina virtute fuisse gravidatam, quam ex impudico congressu: ea siquidem est Mariae puritas, in quam invehi non audeat impuritatis auctor, ac totius puritatis osor. Instat Abulensis; quia poterat Deus partum omnino celare Daemonem, ita ut non posset di-

gnoscere an B. Virgo ex proprio, vel alieno viro concepisset, vel ex nullo: tunc autem et sacramentum apud Daemonem reconderetur, et suspicio de Mariae virginitate intacta prorsus remaneret. Sed occurrere possumus Abulensi; quod si Daemon Virginem innuptam perspiceret, quantumvis illi conceptionis series occuleretur, foetus tamen nativa vi ab ipso perspici potuit in utero Virgineo, nec illicite generatus, ut ex Mariana puritate id dignoscebat; unde certo elicere posset, magnum ibi mysterium latere quod omnes naturae leges superaret, siquidem naturalem omnem ipsius captum effugiebat. Quod enim ait Vasquius cit., ut hunc nodum dissolvat, omnino displicet: videlicet nativa vi discerni non posse, an foemina sit violata, necne; quia opinatur claustrum Virgineum nullius membranae sigillo subsignari; ac proinde cum videret Daemon Virginem nuptam, hallucinatus est. Sed hoc effugium eludi posset ex Medicorum et Philosophorum schola: nunc solum rationem Vasquii infringo; quia Daemon saltem in partu Virginem illibatam permansisse ignorare non potuit, nisi virtute supernaturali id ei celaretur; ergo cum Patres asserant partum Virgineum, Daemonem latuisse; necesse est ut asseramus, divina virtute id contigisse, ut Daemoni parientis integritas tegeretur. Quid, quod non poterat non callere Daemon nunquam Virginem B. virum cognovisse carnali congressu? Haec enim omnino sub cognitionem Angelicam naturalem cadunt, imo humanum captum non superant: certum quippe est Angelum praeditum esse speciebus a natura inditis rerum omnium, quae in aliqua differentia temporis existentiam sortientur; neque in his, quae ex naturae viribus contingunt discursu fertur, sed ea intuitu simplici venatur. Intuebatur ergo Mariam nuptam, sed nullum agnoscebat congressum: species illi notae connubii Mariani, nullae tamen species congressus, quia nusquam exstitit in rerum natura: perspiciebat conceptum in utero Virgineo, ignorabat tamen foetus auctorem: rimabatur innata sciendi cupidine, quo modo, vel qua ope conceptus ille elaboratus fuisset, vel qua via in lucem hanc editus: hoc discursu inferre proclive erat, aliquam ibi virtutem divinitus interpositam; sed virtus divina omnem illi interclusit viam, qua modum, quo id vestigare posset, agnosceret: hic sensus facilior et expeditior, quem s. Thomas supra exhibuit: itaque matrimonium recte calluit Daemon, modum conceptus et partus prorsus nescivit, via omnino per virtutem divinam occlusa ad dignoscendum, quo callidus serpens, qui foeminam primam deceperat, a foemina quoque Virgine deciperetur, ut scite expendit Bernardus hom. 2 super *Missus est: Oportebat*, ait, *a Principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum* etc., *ut sicut Diabolus prius seduxit foeminam, et postmodum virum per foeminam vicit; ita prius a foemina Virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur.*

1511. Addiderim cum recentiori quodam de B. Virgine benemerito, licet Daemon, nativa vi ut potuit, pudicum claustrum subsignatum intueretur in conceptu, in partu et post partum; tamen nupsisse Virginem viro, ut per coniugium hallucinaretur; quia postquam audivit illud Isaiae oraculum: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, ex tunc virgines omnes cautus et solers circumspiciebat, ut si aliquam virginitate illaesa concipientem reperiret, in illam omnes suas vires exereret, ut ruinam pararet, mortem meditaretur: cum autem ibi nihil de connubio Propheta meminisset, arbitrabatur ex Virgine innupta venturum Messiam; nunquam enim in ipsius mentem cadere potuit, matrimonium aliquod ineundum, ut virginitas amplius accresceret, ut puritas illibata custodiretur, et castitas foecundaretur: unde solas Virgines innubas sedulus prospectabat, usque dum matrimonia iungerentur; at simul atque viro tradebantur, mentis oculos aliorsum dirigebat, nullam iam de nuptis curam agens, praesertim cum nequeat Daemon in actum secundum prosilire circa illa omnia obiecta, quorum habet species inditas, sed modo haec, modo illa contempletur. Hanc igitur ob causam Virgo nubit, inquiunt praefati Patres, ut partus eius Diabolo obnubilaretur, dum eum putat, non de Virgine, sed de uxore progenitum. Virginitas ergo Mariana coniugali pallio contegitur, ut insidiae ac tendiculae Daemoni struerentur, ne tantum mysterium agnosceret: ideo in Mariam post coniugium, non mentis aciem collimabat, quia de Virgine opinabatur ille Deum posse oriri; verum de uxorata sibi persuadere non poterat, nec Dei Matrem viro subiugandam: nec partus a coniugata ortus ipsi timorem incutiebat. Pulcre Ambrosius in cap. 1 Lucae: *Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariae falleret principem mundi, qui eam desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.* Quasi adduci non posset, ut crederet Daemon a filio foeminae coniugatae, Satanae tyrannidem debellandam ac funditus evertendam.

Ulterius plures ex Patribus autumant, Daemonem credidisse a Iosepho Virgineum uterum intumuisse, prorsusque foecunditatis virgineae arcanum ignorasse; alioquin certo deduceret, Dei Filium, scilicet Emmanuelem, in alvo Virginea delituisse, ut bene Anselmus expendit in c. 1 Matt.: *Ut Diabolo partus Virginis celaretur, ut, cum eam gravidam videret, a Sponso, cui liceret, etiam in desponsationis tempore gravidam esse putaret.* Itaque statim atque Virginem vidit desponsatam viro, illam neutiquam esse Virginem, quam Prophetarum vaticinia praedixerant, certo sibi persuadebat, et idcirco in alias virgines mentis oculos intendebat. Quod luculenter affirmat Gregorius Thaumat., serm. 3 de Annunciat.: *Quod etenim per Virginem Rex venturus esset, improbum non latebat, nempe Daemonem. Nam et Isaiae illa verba ipse audiebat: Ecce Virgo concipiet. Quare et quotidie Virginis vocem observabat, ut, ubi mysterium hoc adimpleretur, infamiam praepararet. Atque ideo Dominus per desponsatam venit, ut improbum lateret, quae enim desponsata fuerat, dein-*

ceps sponso tradenda erat. Adfavet s. Germanus supra datus, ideo asserens Virginem nuptui traditam, *ad serpentem illum malorum architectum decipiendum, nec eam tanquam Virginem, et puellam adhuc integram adoriretur, sed tanquam desponsatam iam praeteriret.* Et Euthymius in eandem sententiam haec scribit ad cap. 1 Luc.: *Audierat Prophetas annunciasse, quod esset a Virgine nasciturus, ideoque Virgines observabat. Placuit itaque Deo ut Virgo, quae in habitaculum suum segreganda erat, viro desponsata esset, ut, hac relicta, in non desponsatas improbus ille observaret.* Iure igitur optimo magnum propitiationis Sacramentum duorum coniugatorum velamine contegitur, adversus Daemonis tendiculas, qui quantumvis mentis aciem acueret, nunquam Dominum in Propitiatorio uteri Virginei latitantem sub Cherubico velamento intueri posset. In cuius rei typum elegantem, duo Cherubini maris ac foeminae speciem praeseferentes (si fides danda est rabbi Salomoni et Montano, lib. de Noe, titulo de Propitiatorio) propitiationis altare suis alis contegebant, ac Marianum coniugium cum Iosepho adumbrabant. Hi duo Cherubini, de quibus habes, Exod. 25, iidem arbitrantur cum Seraphinis Isaiae, ut auctor est Prado in Ezech., qui alarum oppansione caput ac pedes Domini velabant; videlicet Divinitatem cum humanitate coniunctam in alvo Virginea Daemoni obtegebant. *Duabus*, ait Bernardus, ser. 5 de verbis Isai., *velabant caput eius, et duabus pedes, ut nec alta Dei, nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari: ex hoc pedum velamento factum reor, ut nesciens Regem gloriae fecerit crucifigi.* Quod vero hos alatos Cherubinos Mariam ac Iosephum adumbrasse matrimonii vinculo coniunctos, vel inde perspicue perspici potest, quod Angeli sexus distinctionem maris scilicet, ac foeminae renuant; Angeli enim neque nubunt, neque nuptui traduntur: quod igitur utriusque sexus imaginem praeseferant Cherubim, Angelicam utriusque coniugis Mariae et Iosephi puritatem auspicabantur: quod vero pennis veluti obice superposito Dominum occulerent, coniugium Mariae cum Iosepho portendebant, quo tanquam subducto velamine foetus divinus ac partus Daemoni celaretur.

1512. Ex quibus quaestionem illam huic valde agnatam dirimes, videlicet, an Daemones cognoverint B. Virginem, dum hac luce frueretur, esse Dei Genitricem. Suarius enim, tom. 2 in 3 p., d. 31, sect. 3, multis probat Daemones scivisse Christum esse Filium Dei, ac proinde scire potuerunt, Virginem Mariam veram esse Dei Genitricem. Praeterea in veteri Testamento reperiuntur plura loca, ubi adventus Messiae ex Virgine praedicitur, quae satis cognoscebat Daemon; audivit etiam unum et alterum testimonium superi Patris in Thabore, et Iordane dicentis: *Hic est Filius meus dilectus.* Tum quia evidenter agnoscere potuerunt, Virginem Mariam sine viri opera concepisse Christum; et in Christi natalitiis audire potuerunt praecinentes Angelos, et Salvatoris nativitatem pastoribus annunciantes, quos evidenter sciunt Daemones mentiri non posse, cum sciant beatitudine esse donatos. Experiebantur etiam vitam prorsus caelestem, et plus quam angelicam Virginis Mariae. Saepe item audierunt a Christo, se esse Filium Dei, Ioan. 17: *Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*, et alibi passim compellatur Christus Filius hominis: at Daemones probe scire poterant, Christum non esse filium alicuius viri, sed solius Virginis. Ad haec, Daemones cognoscebant clare Christum esse Deum per miracula, et alia signa; sed evidenter cognoscebant Christum esse filium Virginis Mariae; ergo cognoscebant Virginem esse Dei Genitricem. Maior probatur ex Evangelistis, Marc. 5, Luc. 8, ubi dicuntur daemones compellasse Christum Filium Dei Altissimi; et si verba Daemonis nullam fidem faciunt, ipse Lucas id attestatur: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* In quae verba ait Beda, lib. 2 in Luc., c. 4: *Daemonia Filium Dei confitebantur, et attestante Evangelista sciebant ipsum esse Christum.* D. etiam Augustinus id attestatur, lib. 9 de civit., cap. 21: *Ipsi Daemones etiam hoc ita sciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint: Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene, venisti huc ante tempus perdere nos? Clarum est in his verbis, quod in eis tanta scientia erat, et charitas non erat.*

Roboratur denuo, siquidem Daemon non ignorabat Deum habere naturalem Filium, cum mysterium Trinitatis apprime calleret: sciebat etiam Filium Dei humanam assumpturum naturam, ut melior et nobilior Theologorum pars docet cum D. Thoma, 1 p., nempe Angelos in principio creationis habuisse revelationem Incarnationis. Huic sensui adstipulantur Patres, nam Gregorius Magnus, lib. 33 moral. cap. 7, ait: *Behemot iste, id est Diabolus, Filium Dei incarnatum noverat.* Et patet ex verbis praefatis Evangelistae, ubi Daemon ita loquitur: *Quid nobis et tibi, Fili Dei?* Et Euthymius in illa Marci verba, cap. 1, *Scio qui sis sanctus Dei*, haec subdit: *Scio quod sis ille sanctus per naturam, scilicet Deus.* Licet Tertullianus affirmet illud a Daemone prolatum fuisse per adulationem, lib. contra Praxeam, cap. 26, et lib. 4 contra Marcionem, cap. 7 et 8. Et quidem certitudine morali Daemones novisse Virginem Mariam esse Dei Genitricem, multo probabilior sententia aliquibus visa est, quia Scripturam sacram recte callebant pro perspicaci sui intellectus acumine. Verum responderi posset, Daemoni ignotos esse Scripturae sensus difficiles et reconditos, antequam Christus Dominus et Apostoli illos reserarent, praecipue cum opus sit Spiritus sancti magisterio ad intelligenda Prophetarum vaticinia, quo Daemones omnino indigni habentur.

Illa autem verba, quae habentur Luc. 4: *Exibant Daemonia a multis clamantia, et dicentia, quia tu es Filius Dei*, et illa supra relata: *Non sinebat loqui ea, quia sciebant ipsum esse Christum*, explicanda sunt iuxta mentem Cypriani de operibus cardinalibus: *Duplicem*, inquit, *in-*

quisitionem sinuosa calliditate hostis orditur, ut de Christo utrum naturalis Dei filius sit, ipso respondente, certitudinem habeat. Vel alio sensu explicari possunt verba illa iuxta Caietanum, Iansenium, Isidorum, Clarium, Vatablum, quibus assentitur Barradas, tom. 2 in Evang. lib. 5, cap. 9, iuxta quorum explanationem, verborum illorum sensus erit: non sinebat Dominus Daemonia loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; id est non permittebat illud evulgare, scilicet nos scimus quis sis, Messias es a Deo missus Filius Dei, quoniam proferebant se scire, quia his verbis mentiebantur; dicebant enim se scire, quod tamen nesciebant: tum quia nolebat testimonium ab illis suae Divinitatis; tum quia illa verba iactabant ad explorandum, an ipse esset vere Christus. Adfavent huic opinandi modo Dionysius Carthus. in c. 1 Marci: *Daemones*, inquit, *Iesum esse Christum, non sciebant certitudine absoluta ac stabili, quemadmodum nec Iudaei; certo tamen scivissent, nisi divina dispensatione fuissent prohibiti, ut Christi passio impleretur.* Hieronymus in Matth. c. 8: *Tam Daemones*, ait, *quam Diabolus, id est princeps Daemonum, suspicari magis filium Dei, quam nosse intelligendi sunt.* D. Thomas, 3 p. q. 44, art. 1, ait: *Daemon visis miraculis ex quadam suspicatione coniecturavit Christum esse Filium Dei.* Glossa ordin. in I Cor. 2: *Quod legitur quod Diabolus Christum recognoscebat, et timebat cum dicebat: Quid venisti nos torquere ante tempus? Sciendum est, quod non ideo dicebat ut esse Deum intelligeret, sed dubius erat, et taliter extorquere veritatem, utrum vere esset Deus, volebat, vel hoc magis ex suspicione, quam ex cognitione dixisse credendi sunt.* Chrysostomus luculentius stat pro hac sententia, Hom. 5 in Marc., in ea verba Daemonis ad Christum: *Scio qui sis sanctus Dei.* Subdit Chrysostomus; *Fingis, Daemon, te scire, sed nescis: aut enim scis, et dolose taces; aut certe ignoras, non enim est sanctus Dei, sed sanctus Deus.* Et alii Patres apud Barradam, tom. 2 in Evang., lib. 5, c. 9, in eandem sententiam conspirant. Hic solum s. Ignatium non praeteribo, epist. 8 ad Philip.: *Te*, inquit, *Daemon, Angelorum laudatio obstupefaciebat, Magorum adoratio, exortus stellae: ad ignorantiam denuo redis ob ea quae cernis vilia; nam exilia tibi videntur cunabula, arumnae, circumcisio, lactatio; indigna tibi haec Deo videntur. Vidisti hominem quadraginta diebus et noctibus nullo humano cibo degustato perseverasse, Angelos ministrantes, qui primum videras quasi communem hominem.* Ubi aperte docet, Daemones nutasse in cognitione de Divinitate Christi, ac consequenter non certo scivisse B. Virginem esse veram Dei Genitricem.

Quare iuxta hos Patres censeo, Daemones non cognovisse certitudine absoluta, ac stabili Christum esse Deum, nec B. Virginem esse Dei Genitricem, cum apud nos degebat. Et ratio est, quia licet multa viderint Daemones signa ante Christi Domini tentationem, videlicet Angelorum ad pastores legationem illam: *Natus est vobis hodie Salvator mundi*, lucidissimam praeeuntem Magorum stellam: Simeonis canticum, ubi Lumen ad gentium revelationem et praedicationem pangitur Christus. Verba item Gabrielis: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur*, et Elisabethae verba illa: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Audierant etiam Patrem aeternum e caelo detonantem illas externas voces: *Hic est Filius meus Dilectus.* Et tamen ex his omnibus signis, adhuc plenam Divinitatis notitiam in Christo non hauserunt, ut certum apparet ex tentatione in deserto, qua illius Divinitatem adhuc incognitam explorare satagebat Diabolus verbis illis: *Si filius Dei es*, etc.; ergo eadem ratione merito denegare possumus, ipsos Daemones ex aliis signis sequentibus, non plenam ac certam notitiam ebibisse de Christi Divinitate; ergo neque B. Virginis maternitatem Dei ante Christi mortem cognoverunt. Cui sententiae subscribit Molina, 1, p., q. 57, art. 5, disp. 1, ubi admittit potuisse Daemones cognoscere Iesum esse Messiam et Deum, nisi ipse Deus, ut commodius nostrae redemptionis mysterium perageretur, concursum generalem illis denegasset, ne ad multa mentem adverterent, et nisi ipsi prae malitia sua seipsos excaecassent. Huc deflectunt verba illa Pauli, I Cor. 2: *Si cognovissent nunquam Dominum gloriae crucifixissent*, D. Ambrosius, Hieronymus, Beda, Anselmus, Glossa interlin., Tertullianus, Auctor qq. novi Testamenti, q. 66, D. Thomas, Caietanus, apud Barradam, tom. 2. Evang. lib. 5, cap. 9: qui omnes de Daemonibus capiunt praefata Pauli verba, tametsi non ignorem D. Chrysostomum illa interpretari de Iudaeorum dynastis, ac sacerdotibus, Pilato etiam et Herode. Cui accinit Theophylactus; Theodoretus autem illa intelligit per mundi principes, sophistas, philosophos, poetas, oratores, tum Pilatum, Herodem, Annam, et Caipham; hunc sequitur Oecumenius, et Tertullianus, quos assectatur Barradas cit.

CERTAMEN V.

An B. Virgo apud cognatam Elisabetham usque ad eius partum permanserit.

1513. Eventilat hanc quaestionem erudite, et qua solet dexteritate, Maldonatus in cap. 1 Lucae ad illa verba: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Hic ergo suboritur difficultas inter Interpretes, utrum B. Virgo Ioannis Baptistae partui ac nativitati interfuerit, an vero ante eiusdem nativitatem domum remeaverit. Plures enim existimant ante partum Elisabethae domum rediisse; quorum fundamenta haec sunt. Primum, quia s. Lucas non dixerit, mansisse Mariam apud Elisabetham, mensibus tribus absolute, sed cum addito, et particula restrictiva, *quasi mensibus tribus*, ut ostenderet, non per integros tres menses mansisse. Quod si ita contigit, haudquaquam Ioannis nativitati interesse potuit, nam procul dubio Elisabetha more aliarum praegnantium nono mense peperit: at cum Angelus ad Mariam accessit Incarnationis mysterium annunciaturus, sextus mensis Elisabethae praegnanti agebatur iuxta

verbum Angeli dicentis: *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis.* Per quae verba indicatur, nondum sextum mensem transactum fuisse; quare nonus mensis non erat peractus, cum Virgo B. a domo Zachariae in suas aedes remeavit. Et quod caput est, postquam Evangelista dixit, Mariam domum suam repetiisse, subiungit: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi*, ostendens post reditum Mariae, completum fuisse tempus pariendi in Elisabetha. Urgent ad haec huius sententiae patroni, quod si B. Virgo partui Baptistae interfuisset, Evangelista illud silentio non praeteriisset, utpote circumstantiam maximi ponderis, et ad dignitatem nativitatis Baptistae maxime conducentem. Demum suam suffulciunt opinationem, ex eo quod dedeceret tantam Virginem partui adesse, ea enim inolevit consuetudo apud Hebraeos, imo hucusque apud nos perdurat, ut virgines nullius, etiam cognatae, partui interessent; imo quae domi essent, pariénte aliqua foemina, alio divertebant, ne partui adstarent, ut docent Theophylactus, Euthymius, et Graecus auctor apud catenam D. Thomae, Nicephorus etiam lib. 1, cap. 8: qui omnes hanc sententiam propugnant.

Caeterum oppositam sententiam tanquam longe probabiliorem amplector cum Maldonato cit. Arbitror ergo, B. Virginem interfuisse partui Elisabethae, ac tanquam veram Lucinam nativitati Baptistae adfuisse. Ducor primo, quia vix credi potest, B. Virginem, quae cognatam invisura adierat, ac per tres menses praegnanti adfuerat charitatis opera exercens, ac sedula ipsi subministrans, obsequia exhibens, ingens grandaevae foeminae solatium afferens suo adspectu ac praesentia, partui iam proxime vicinam deseruisse: praesertim cum eademmet ratio, quae ut cognatam inviseret, ipsam impulerat, et imminentem partum exspectare, eandem permoveret, ut hoc modo, quod Angelus dixerat: *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua*, ipso eventu experiretur. Deinde vix assignari potest alia causa, cur s. Lucas spatium trium mensium adeo diligenti calamo notaverit, quod apud B. Elisabetham transegerit Maria, nisi ut ostenderet usque ad nativitatem ibidem mansisse, ut Christi Filii sui Praecursorem futurum, quem mente cognoverat, visu etiam perciperet. Praeterea, quae mulier etiam ex infima plebe, non solum cognata, sed etiam extera, parumque charitatis habens, cum per tres menses praegnanti inserviens permaneret, et obsequia praestans instante iam partu, eam derelinqueret? an quod rationi absonum credimus in qualibet muliere, si illud praestitisset, Mariam operibus misericordiae addictissimam fecisse iudicabimus? Demum praescriptum tempus ab Evangelista recte cum hoc dicendi modo cohaeret. Erat enim sextus mensis a conceptu Ioannis, et forsan impletus, nullam enim repugnantiam involvit cum verbis Angeli in tota serie illius narrationis, ex quo Maria Elisabetham invisura profecta fuit: deinde per tres menses integros, vel fere integros, mansit in domo Zachariae; unde Elisabetha nonum a conceptu mensem agebat, vel inchoatum vel fere transactum, cum Maria domum suam remeavit: ergo iuxta consuetum naturae ordinem potuit Elisabetha partum edere, antequam illa discederet; siquidem aliae mulieres praegnantes nonum mensem ingressae parere solent; aliae post nonum mensem completum. Huic sententiae subscribunt Origenes, hom. 9 in Luc., Ambrosius in praefatum locum Luc., Beda, Strabo, Lyra apud Maldonatum citatum. Quibus multum favet Ecclesiae ritus, nam tertio quoque mense post Christi Incarnationem Ioannis nativitas recolitur.

Opposita fundamenta facile ex dictis convelluntur. Primum, quod verbis Evangelistae nitebatur illis: *Quasi tribus mensibus*, nihil roboris habet; particula enim, *quasi*, et minus, et plus quam per tres menses significare potest, scilicet apud cognatam mansisse. Exempla subiicit Maldonatus, primum in Marco, cap. 8 et 9, ubi numerum hominum recensens a Christo septem panibus pastum, ait fuisse *quasi quatuor millia*: cum tamen scribat Matthaeus, c. 15 et 18, fuisse quatuor millia, exceptis mulieribus et parvulis. Ioannes item, cap. 6, referens numerum eorum quos idem Christus quinque panibus saturaverat, ait fuisse *quasi quinque millia*: cum tamen Matthaeus c. 14 dicat fuisse quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. Itaque consuevere Evangelistae eam particulam, *quasi*, adhibere, non solum cum minorem numerum denotare volunt, sed etiam cum maiorem numerum; vel quia de determinato numero certi non sunt. Quid, quod, licet permittamus s. Lucam per illa verba, *Quasi tribus mensibus*, significare intendisse minus aliquid; nihil tamen inde adversus nostram sententiam adduci potest, cum ostenderimus, non esse opus, ut totus nonus mensis transactus sit, ut foemina partum edat, adhuc in his quae nono mense partus edere solent?

Quod autem adducitur ab adversariis s. Lucam indicare visum fuisse, antequam Elisabethae tempus pariendi esset peractum, iam Mariam discessisse, nec multum urgebit eos, qui subductis exemplis saepius adnotarunt, consuevisse Evangelistas prius referre, quae posterius contigere, ut historiam, quam inceperant, absolvant. Cuius rei exempla tibi subministrabit Maldonatus in cap. 26 et 27. Cum ergo s. Lucas Visitationis Mariae historiam attexere coepisset, eam absolvere nititur, antequam aliam, de nativitate scilicet Baptistae, narrandam suscipiat: imo non obscure mihi visus est, Evangelistam indicasse, Mariam apud cognatam Elisabetham mansisse tempore partus, quem intra tres illos menses contigisse ostendimus. Quod autem ultimo loco opponebatur, non decuisse tantam Virginem partui adstare, nihil roboris habet, nulla enim indecentia apparet. Quae vero affertur consuetudo, solitas virgines instante partu decedere, fictitia est: apud nos autem contrarium videmus, ut non solum domesticae virgines partui assistant, sed etiam aliae amicitia, vel consan-

guinitate coniunctae, parienti auxilium ac iuvamen et solatium praebiturae accedant aliunde. Etsi illa consuetudo apud Hebraeos invaluisset, opus non erat, ut B. Virgo praegnans aliarum virginum morem observaret, cum esset Virgo, et simul Mater existeret.

PALAESTRA VICESIMATERTIA

Theologiam in ordine ad Angelos Marianam rimatur

CERTAMEN PRIMUM

An B. Virgo custode Angelo gauderet sicut reliqui homines.

1514. Neutiquam hic quaestionem aggredimur, num Angeli Mariam colerent, eique famularentur, iam a primo suae Conceptionis exordio; lubens enim assentior Suario, tom. 2 in 3 p., d. 22, sect. 1, asserenti, Virginem Mariam perspicue cognitam ab Angelis initio suae beatitudinis, ac proinde iam tunc ab ipsis piissimo cultu, ac veneratione cohonestatam, et probat ex D. Thoma, 3 p., q. 30, ar. 2, et 1 p., q. 66, a. 1, ubi docet, Angelos in via Christi fidem habuisse, atque adeo ex foemina conceptum iri; imo s. Vincentius Ferrer., ser. 2 de Nativit. Virg., illa protulit verba: *Statim Angeli in coelo fecerunt festum Conceptionis.* Quod necessario includit actum Hyperduliae, quae est cultus B. Virgini specialiter debitus. Quaestio ergo nobis proposita hunc sensum habet: An Angelus fuerit a Deo destinatus B. Virgini in eius custodiam, ut scilicet illam doceret, tueretur, illuminaret, ac patrocinio iuvaret. His enim officiis funguntur Angeli custodes in ordine ad reliquos homines, quorum cura et custodia ipsis a Deo demandata est.

Quod si Angelus B. Virginis ad custodiam assignetur, utique ab ipso Conceptionis exordio assignandus est. Scio communem Theologorum sensum in tractatu de Angelis; infantem, dum utero matris baiulatur, eodem quo mater Angelo custode protegi ac tueri usque ad ortum in hanc lucem. Ratio discriminis sit, quia reliqui infantes carent libero arbitrio; quoad custodiam vero corporis, sufficit matris Angelus, cum adhuc censeatur veluti pars ipsius: at Virgo B. in sui Conceptus puncto, ut alibi ostendimus, praedita fuit intelligentia perspicacissima, et actu volitivo libero, atque adeo non eadem mensura cum reliquis infantibus recens conceptis dimetienda est.

1515. In qua re prima sententia tuetur, B. Virginem vere et proprie habuisse Angelum custodem. Ita Suarius, lib. 6 de Angelis, c. 17; Salmeron, t. 4, p. 3, tract. 8, de cavendo scandalo prope finem, ubi ait: Sanctissima Dei Mater, etsi gratia Angelo maior esset, tamen quatenus ab eo illustrabatur, minor erat natura: sicut Rex Consiliario maior potestate, minor sapientia existimatur; unde opus habuit Angelo ad proficiendum, et ad tollendum impedimenta, et ad confirmandum lumen intellectus, et ad evitanda pericula. Haec Salmeron. Novarinus in Umbra Virginea docet Gabrielem fuisse custodem Mariae ex Petro Dam., serm. 1 de Nativ., ubi ait: *Duo leones throni Salomonis sunt Gabriel Archangelus, et Ioannes Evangelista, quorum alter dexterae Virginis, alter sinistrae deputatus est custos; Gabriel enim mentem, Ioannes carnem pervigili sollicitudine servaverunt.* Idem videtur sentire s. Odilon abbas Cluniac. de Assumpt. Virg., ubi haec serit: *Si quis studio pietatis indagare voluerit, quid post Ascensionem Domini Genitrix egerit, quam sancte et iuste vixerit, soli Deo cognitum, et Gabrieli, cui eius causa tota commissa est.* Favet huic parti s. Bernardus, ep. 77, ubi negat fuisse cognitam ab Angelis, excepto Archangelo, *Cui et servanda ab initio tradita fuisse credenda est.* Eiusdem est sententiae Abulensis in 18 Matth., qu. 60, ubi duos Angelos custodes destinatos fuisse Mariae tenet, *Alterum, quatenus erat singularis persona, alterum, ut Mater Dei.* Pro eadem sententia stant Alanus in 4 Cant., Franciscus Albertinus, libello de Angelo custode, cap. 4; Ludovicus Tena in epist. ad Hebr. cap. 1, sect. 4, n. 32, ubi ex eo probat, B. Virginem habuisse Angelum custodem, quia erat pura creatura. Christophorus de Castro in Hist. Deip., cap. 2, num. 9: *Credimus,* inquit, *Matri Dei, et nostrae, quae et publico Advocatae munere donata est, Gabrielem Archangelum designatum fuisse custodem.* Cui sensui adstipulari B. Bernardinum, serm. 51, art. 3, sibi videntur adversarii, dum illa protulit verba: *Adfuit Virgini Angelorum protectio, assidebant enim illi innumerabiles Angelorum multitudines in eius protectionem; pie etenim creditur, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam.*

Suaderi potest haec sententia, quia sine ullo fundamento id B. Virgini denegatur, quod communis Theologorum schola admittit in omnibus ac singulis hominibus: quod si aliqua ratio afferri potest, quominus talis Angelorum custodia denegaretur, maxime quia Virgo B. non indigebat tali custodia, utpote quae singulariter a Deo protegeretur, illuminaretur, ac immediate suo patrocinio ac providentia duceretur; sed haec non obstant huic Angelorum custodiae Marianae, cum concors Theologorum placitum cum suo duce D. Thoma, 1 p., q. 111, art. 4, et 2 2, q. 165, art. 1, doceat primos humani generis sa-

tores in illo innocentiae statu Angelorum patrocinio ac custodiae addictos fuisse; ergo tametsi B. Virgo quoad primaevam et originariam iustitiam felici illo statu potiretur, fuit similiter Angelorum custodiae tradita.

Altera sententia, quam sustinet Franciscus Maro cit. a Pelbarto tom. 2 aurei Rosarii, verbo *Angelus*, negat B. Virginem Angelum custodem habuisse, sed a Deo solum singulariter custoditam. Favet s. Odon Cameracensis in expositione Cant., ubi ait: *Custode Spiritu sancto sine omni culpa vixit Deipara.* Succurrit nobilis Patrum phalanx asserentium plures Angelos in obsequium ac famulatum B. Virginis, non vero in custodiam fuisse datos. Dionysius Carthus. in Cant. art. 12 haec habet: *Hanc igitur electissimam omnium creaturarum, statim ut in utero matris suae concepta est, Deus Trinitas Angelis sanctis custodiendam commisit, eamque frequenter vallavit, et honoravit multitudo caelestis militiae, non tam ob indigentiam, quam ob reverentiam.* Caeteri foetus dum materno utero clauduntur, a materno etiam Angelo custodiuntur: Mariam vero ab instanti Conceptionis plurimi Angeli ambitioso cultu venerantur, ipsique inserviunt.

1516. Censeo primo Virginem Deiparam plures habuisse Angelos in suum obsequium: ita plures ex Patribus. Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Deiparae: *Oportebat*, inquit, *non unum solum inservire Angelum, sed decies millia, eam stipare.* Suadetur ex eo, quia id maxime rationi consentaneum videtur, ut B. Virgini tanquam ipsorum Imperatrici plurimae Angelorum legiones assisterent, illamque instar regiae custodiae ubicunque adesset, stiparent, ac comitarentur. Horum Angelorum Deiparae famulantium munus inter alia, id erat, ut causas omnes extrinsecas liberas, ac necessarias vel fortuitas, quae Virginei corporis damna minitarentur, removerent, proculque amandarent. Bernardus in serm. qui inscribitur Laus Mariae: *Sed et innumerabilem beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantae Principis delegatam nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac provideret ne praeparatum aeterno Regi hospitium aliquis hostis invaderet.* Accinit Anselmus: *Nec dubium, castissimum corpus, et sanctissimam animam funditus ab omni fuisse macula peccati Angelorum custodia protectam.* Quam protectionem extrinsecam a momento Conceptionis initium duxisse docet Fulbertus Carnot., serm. de Virg. nativ.: *Quanta, putamus, provisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suae procreationis et excubatio super tam ingentem sobolem; nulli profecto dubium est, quod circa eam iam tunc omnis frequentia caelestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minime ambigebant.*

Censeo secundo Deiparam nullo Angelo custode opus habuisse ad fraenandas pravas Daemonum suggestiones, vel ad externorum obiectorum ad malum evocantium titillationes effugandas. Probatur, quia Deipara, quae caput Luciferi contrivit, singulari Dei dono, nullam ad malum cogitationem a Daemone immissam passa fuit; nullum pravum motum ratione dissonum experta, quia a peccati fomite semper immunis fuit: ergo supervacanea omnino fuit Angelorum custodia ad id munus; imo nec appareret qua ratione haec mala Angelorum custodia praepedirentur. Confirmari potest ex eo, quod in cruce reperitur virtus quaedam occulta Daemonum expultrix; ergo non erit abs re, concedere corpori Virgineo virtutem quandam Daemonum fugatricem: si enim Auctor imperfecti operis, hom. 5. in Matt., id concedit unicuique Angelo, ut scilicet nequaquam daemones audeant accedere coram Angelo custode homines tentaturi, quid mirum si de Angelorum Regina paria proferamus? Constat autem communi Teologorum suffragio in tract. de Angelis, Daemonem non posse pravos cogitatus instillare in mentem, nisi mediis speciebus sensuum externorum, ac inversa phantasiae supellectili, quae nequeunt contingere, nisi tentatoris accessu propinquo in B. Virginem: ergo caruit omni suggestione prava, quae a Daemone et aliis externis obiectis ortum ducere poterat. Roboratur adhuc nostrum assertum: superflua nobis fuisset Angelorum custodia, ut famescentes, vel sitientes ac cibum, potumque incitaret; sed Virgo B. omnium virtutum fomite praedita plus propendebat in actus virtutum, quam nos fame ac siti ingenti allecti, in cibum ac potum instigamur; ergo superflua omnino videretur in Maria Angeli custodia, ut externas illas ac pravas, sive Daemonum, sive obiectorum titillationes procul dispelleret; siquidem illa interna fames ac sitis Deo placendi, aptiori quodam modo, illo officio fungeretur. Hinc falsum reor, quod recentior quidam asserit, videlicet Gabrielem discessisse a B. Virgine, peracta legatione, quia, ut erat custos B. Virginis, vidit eam in tantum dignitatis fastigium devenisse, ut iam inciperet esse Mater Dei; atque adeo plane intellexit, eam nullo modo indigere custodia Angeli, quae Mater erat Angelorum Regis. Demum novum accrescit robur asserto ex his, quae docet Suarius de Angelis, l. 6. c, 17, n. 21, ubi inde probat, Christum non indiguisse Angelo custode, quia habebat ad peccandum impotentiam, et summam suae voluntatis potestatem cum perfectissima omnium rerum, et occasionum, seu futurorum eventuum praescientia, subditque, propter has rationes fateri Scholasticos omnes, Christum D. non habuisse proprium Angelum custodem, sed usum fuisse pluribus tamquam ministris. Sed hae rationes optime quadrant in B. Virginem cum proportione; erat enim impeccabilis singulari Dei privilegio; pollebat scientia futurorum perfectiori, quam quilibet Angelus, ut suo loco tradidimus; regebatur etiam, ac servabatur singulari quadam Dei protectione extrinseca: ergo illi non erat opus custode Angelo. Nec dicas in statu innocentiae, ut ait D. Thomas, 1 p., q. 113, art. 4, et 2 2, q. 165, art. 1, assignatum fuisse Angelum custodem unicuique hominum; nam sicut Adam et Eva

habuerunt extrinsecum impugnatorem, et etiam Angelum custodem; ergo etiam B. Virgini assignandus erat Angelus in custodiam, quamvis gauderet privilegiis status innocentiae. Respondeo admittens antecedens, et negans consequentiam propter rationes iam assignatas.

1517. Censeo tertio Deiparam non habuisse opus Angelo custode, ut ipsius preces ac vota Deo offerret. Suadetur inde, quia Virginis B. dignitas ac preces ferventissimae omnium Angelorum favorem, ac gratiam in Deum mille modis superabant, ac proinde multo gratiores erant, quae Angeli custodis interpellatione, vel oblatione aliqua indigerent, ut suum sortirentur effectum: unde nemo Angelorum hoc munere fungi vellet, utpote supervacaneo: siquidem omnes multo inferiores iudicabantur B. Virgine; atque adeo ipsorum vota, precesque, ac suffragia prorsus inutilia censebant, si cum efficaci Virginearum precum potentia conferrentur ad impetranda quaelibet postulata: quid, quod id munus non est solius Angeli custodis, sed cuiuslibet Beati, cuius patrocinium imploramus? Crediderim ergo, custodiam Mariae Angelis non fuisse a Deo concreditam, sed ipsummet Deum per seipsum sic invigilasse Mariae, ut licet illa haberet Angelorum omnium famulitium, nullius tamen indigeret auxilio ac custodia: quod firmare possumus ex Dionysio Carthusiano, serm. 1 de Annunciatione, ad illa verba, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est ait ille: *Omnipotentia Patris suam potestatem immensam tuae capacitati contemperabit, ut eius efficiantiam et influentiam ferre queas; sicque immediate exercebit in te, quod facit in aliis per causas secundas.* Quare quam protectionem ac custodiam praebet Deus cum aliis, eam exhibet cum Maria immediate per seipsum: quod innuere videntur ipsi Angeli attonito similes in illis verbis: *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum?* Quasi nulla indigeret alterius ope et custodia, quae Dei Filii sui potentiae brachio innititur. Ita praefata verba enucleat Philippus abbas, lib. 4 in Cantica, cap. 1: *Quae est ista, cui soli datur excellentia specialis, ut nostro etiam videatur patrocinio non egere?* Quibus consonat s. Damascenus, orat. 1 de nativ. Mariae, dum ait: *Nunc autem caelestium virtutum copiosissimum agmen habet Ecclesia, Dei Genitricem, nobiscum laudantium miraculorum abyssum, illam quae non ministrum Angelum accepit, sed illum magni consilii Angelum.*

1518. Censeo quarto aliquem Angelum praecipue fuisse a Deo destinatum B. Virgini, qui munus famuli a secretis obiret. In hunc sensum afferrem D. Bernardum, epist. 77, ubi putat Gabrielem fuisse custodem Deiparae, et Sophronium serm. 5 de Assumpt., Carthusianum Dionysium, in 2, dist. 11, q. 2, s. Ildephonsum ser. 5 de Assumpt., Eusebium Emiss., hom. in pervigilio nativit. Domini, quia omnes licet admittant Angelum custodem in B. Virgine, commode explicari possunt iuxta sensum huius asserti. S. Bonaventura nostro adstipulatur placito in speculo, cap. 3: *Intelligentia*, ait, *est famula, super quam Domina sua innititur, omnibus enim Angelis innititur suo imperio, unde Augustinus ait: Michael princeps militiae cum omnibus spiritibus, tuis paret praeceptis.* Ubi duo expendenda: primum, Bonaventuram et Augustinum stare pro nostra sententia, nullum esse Angelum, custodis nomine, Mariae designatum, sed nomine famuli: alterum, hunc Angelum praecipuum, ac veluti a secretis, et a consiliis famulum esse Michaelem omnium Angelorum Principem iuxta plures.

Probatur autem assertum, quia sententia est omnium fere Patrum auctoritate suffulta, Virginem Deiparam ab Angelis in aliquibus fuisse edoctam; et ex Luc. 1 firmari potest, ubi a Gabriele accepit futuram ipsius dignitatem, ad quam a Deo assumebatur, tum sterilitatem Elisabethae superatam, et nomen infanti imponendum. Huc flecto D. Ambrosium, lib. 2 de Virginibus, ubi ab Angelo crebrius invisi, ac solari Deiparam testatur; imo ipsam aliqua ignorasse ex eodem Luc. deprehendimus, ait enim: *Parentes eius non intellexerunt hoc verbum.* Tum et ipse Christus parentes alloquens ait: *Nesciebatis, quia in his quae sunt Patris mei, oportet me esse?* Quare ab Angelis edoceri potuit, et iuxta hic dicta, facillime adversariorum argumenta dissolves. Ob id autem perperam definies, B. Virginem habuisse Angelum custodem; nam ab ipsa Deipara ipsos Angelos vicissim fuisse edoctos testatur aperte s. Bernardinus, tom. 1, conc. 61: *In hoc*, inquit, *est electa ut Sol, scilicet ad irradiandum totam multitudinem spirituum beatorum.* Et tom. 3, serm. 11, artic. 2: *B. Virgo ab ipso Patre aeterno recepit fontalem foecunditatem ad generandum omnes electos, et etiam ipsos Angelos in aliquo gustu, et gradu, et experientia divinorum.* Et s. Bonaventura in Spec. cap. 3: *Se cum sua plenitudine Angelis communicat.* Et ratio est, quia Maria est superior Angelis, Deoque vicinior; ergo et uberius sapientiam divinam edocta, ita ut posset in caelestes illos spiritus, aliquos divinarum scientiarum radios derivare.

Tametsi ergo Deus alios Angelorum custodiae tradiderit, iuxta illud: *Angelis suis mandavit de te*, at Mariam haudquaquam Angelo custodi concredidit, sed illam per seipsum custodivit. Huc spectant minae illae ab irato Numine populo Israelitico obiectae, Exod. 33: *Transi hinc tu, et populus tuus, quem eduxisti ex terra Aegypti, et simul mittam ante faciem tuam Angelum meum; non enim ascendam tecum*, etc. Quae verba sic premit Cyrillus apud Baez., to. 1 in Evang., cap. 7, § 17: *Vide Israelem sub Deo in summa felicitate esse; ubi autem impegit non mediocriter vergens in defectione, pro poena accepit, ut sit sub Angelo.* Huius ergo comminationis omnino expers Maria, quae non sub Angelo, sed sub Angelorum Domini custodia et protectione praemunita fuit. Idcirco Angelus dum Mariam salutat, non suum, vel aliorum Angelorum obsequium offert, quia omnis Mariae cura, et custodia, Angelorum Domino fuerat demandata. Quod innuit Eucherius in illud

Matth. 2: *Surge, et accipe puerum, et Mariam Matrem eius, et fuge in Aegyptum.* Quae verba ita dilucidat ille: *Non promisit se fore comitem itineris, insinuans, quod magnum haberent vitae comitem, puta Puerum.*

Quod non tollit, quin plures Angelos excubias agentes circa B. Virginem, dum hac luce frueretur, constituamus, ut supra monui, et nunc cum Guilielmo confirmo in cap. 3 Cant.: *Sane*, ait, *ex quo in lectulo uteri Virginalis, per Incarnationis mysterium Dei Filius accumbere dignatus est; eundem lectulum sancti Angeli plurimi ambire coeperunt, et circa quiescentem in Virginis utero Deum sacras excubias agere.* Aiebant Angeli cum B. Virgine colloquentes, dum opem suam, ac famulitium ipsi offerebant, et obsequiis illam quasi subornare studebant ac satagebant. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quamvis enim B. Virgo nullam ab appetitu rebellionem insurgentem, ac pugnam experta fuerit, unde ob eam causam, Angelorum clientela nulla opus esset, ad internam mentis pacem servandam, nec ad Daemonum incursus, quos nullos passa fuit, fugandos. Verum ad corporis vitanda incommoda, et ad honorem et excellentiam tantae Virginis, caelestium spirituum famulitium, et excubiae opportunae et necessariae censebantur. Non itaque unus Angelus, sed plurimae caelitum legiones circumstipabant Mariam, ipsiusque nutui obsequebantur, ut supra cum Georgio Nicomediensi dicebamus, et cum s. Bernardino, tanquam Reginae et Induperatrici ad maiorem ipsius honorem et excellentiam.

1519. Insuper nonnemo vestigabit, an B. Virgo habuerit Angelum nequam, sicut et reliqui homines. Hic autem supponimus ex tractatu de Angelis, Luciferum cum animadvertisset a Deo unicuique mortalium Angelum consignari bonum in custodiam et patrocinium, Deo ita permittente, unum Daemonem unicuique natorum, in scandalum et praecipitium deputasse. Quae doctrina innititur suffragio s. Gregorii Nysseni, lib. de vita Mosis, et Tertulliani cuius illa verba circumferuntur: *Cui hominum non adhaerebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua nativitatis animam aucupabundus?* Eiusdem est sententiae Antiochus abbas, hom. 61: *Duo*, inquit, *Angeli dati sunt homini assessores, unus quidem iustitiae amantissimus, alter vero malitiae omnis incentor malignissimus.* Et aliqui huc Paulum respexisse volunt, dum ait II Cor. 12: *Datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanae, qui me colaphizet.* Videndi Interpretes ad eum locum. Idem censet s. Thomas, 1 p., q. 113, ar. 4, in statu innocentiae unumquemque hominem habiturum Daemonem ad malum instigatorem; et de facto primi parentes illum experti sunt. Verum tamen est in illo statu quemlibet, si vellet, facile superaturum Daemonem; tunc enim non possent Daemones humores subvertere, affectus inordinatos exsuscitare, solum suggerere extrinsecus possent, ac proponere ea, quae ad circumventionem conducere posse arbitrabantur: quorum tamen technae ac fraudes facile ab ipsis scientia plurima, ac perfecta cognitione pollentibus, Deique gratia suffultis dignosci ac repelli poterant, si vellent.

Arbitror a Lucifero designatum fuisse Angelum tentatorem Mariae, inscio dignitatis maternitatis Dei. Cui placito non est, cur aliquis refragetur; cum supra statuerimus, Daemones non calluisse hanc B. Virginis dignitatem. Cum ergo Lucifer omnibus et singulis hominibus daemonem tentatorem consignet a nativitate, et ignoraret puellam illam recens natam ad maternitatem Dei assumendam, utique illi etiam deputavit suum Daemonem, imo ex primoribus, cum magnum quid in illa puella praesentiret ex signis aliquibus externis ac prodigiosis. Addo tamen incassum; omnia enim, quae Daemon assignatus moliebatur, vel animae vel corporis saluti, singulari Dei in Mariam providentia, tum plurium Angelorum ope ac famulatu, irrito conatu evanescebant. Oppugnavit ergo Mariam aliquando tendicula, et insidias in eius perniciem apparare satagebat, inspecta tamen ipsius constantia ac singulari protectione, ac ne vix illam aggredi audebat. Non raro ei vitae discrimina obtendit; nec enim minus audax in Mariae perniciem, quam in Iesu foret; verum omnia ipsius conamina omnino frustrata sunt.

CERTAMEN II

An Angeli in via cognoverint Virginem Deiparam, et nunc in patria eam videant.

1520. Quod modo in patria Angeli videant in Verbo Deiparam, eiusque excellentias ac privilegia contemplentur, quis in dubium revocet? cum post Christum, nullum sit obiectum secundarium Beatitudinis tantae dignitatis, in quo divina Sapientia et Omnipotentia magis eluceant, sicut B. Virgo: et deinde licet cognitio B. Virginis non sit necessaria ad beatitudinem, multum tamen conducit ad eius perfectionem et integritatem, siquidem hoc modo exactius Dei Omnipotentia rimatur. Praeterea excellentia Mariana aliquo modo ad Angelos spectat, quia per ipsos revelanda erat prophetis, antequam existeret, et ab ipsis erat honoranda, et speciali cultu suspicienda. Sicut ergo Christus Dominus est Angelorum caput, ita Virgo Deipara eorundem Regina inaugurata, et Angeli ipsius ministri: ergo ad statum illorum attinet, ut in Verbo semper illam contemplentur et ament. Si ergo omnes homines in Verbo B. Virginem videbunt, eiusque gratiae magnitudinem, ac omnia supernaturalia privilegia, quibus caeteris creaturis praelata est, multo magis Angeli non carebunt hac perfectione beatitudinis. Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 22, sect. 1 et 2, affirmat in Verbo clare fuisse cognitam B. Virginem ab Angelis, quoniam ad eorum statum id maxime conducebat, utpote quae eorum futura erat Regina ac Domina. Favet s. Birgitta in ser. Angelico, cap. 4, ubi ait, Angelos divinitus ab initio eam futuram cognovisse ac dilexisse, ac de ea gavisos. Videatur Suarius citat. § *Secundo pie*, ubi respondet oppositum innuentibus.

Deinde quod Angeli probe cognoscerent futu-

ram huius Puellae dignitatem, patet ex eo, quia, Daniel. 9, rite callebant prophetiam illam, qua adstruit in ultima hebdomada annorum ex septuaginta et in eius dimidio, futurum, ut Christus morte sua novum Testamentum firmaret, antiquum abrogans; licet enim variis interpretationibus illius prophetiae expositio reddatur obscura, at Angeli verum illius sensum attingebant, mentemque Danielis saepe Hebraeis intimatam apprime exploratam habebant: in ortu ergo Mariae iam completum fuerat illud Danielis: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem*, etc.

Sciebant praeterea Angeli ex prophetiis Isaiae et aliorum Prophetarum, Deum humana vestiendum carne, et ex progenie David Virginem parituram Deum: videbant Annae sterilitatem et Ioachimi senectutem, et alia plura prodigia in natali B. Virginis patrata, unde evidenti rerum collatione facta, hanc Virginem Dei Genitricem futuram certo inferebant. Ad haec, bene noverant tempus illud expletum a Iacob indictum morituro iam, pro Messiae adventu; regimen iam ablatum a Iuda, et translatum in Herodem hominem Idumaeum, qui iamdiu regni sceptrum tenebat; et ex Scripturis constare, ante ipsius obitum, nasciturum Messiam ex Virgine: perspecta ergo huius Virginis pulcritudine ac gratia, ad Matris Dei dignitatem evehendam clarissime perspiciebant: quod multo verius esse existimabimus, si fidem habeamus verbis illis Hieronymi, in historia de ortu Deiparae, asserentis: *Angelus Domini Ioachimo cum immenso lumine apparuit, dicens: Anna uxor tua pariet tibi filiam, et vocabis nomen eius Mariam; haec enim erit, ut vovistis, ab infantia Domino consecrata, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero Matris suae, et aetate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter Virgo generabit Altissimi Filium.*

Praecipua difficultas est, utrum in via aliquam B. Virginis cognitionem habuerint. In qua re arbitror cum Suario, de Angelis lib. 6, cap. 5, n. 10, Angelos in via aliquam B. Virginis cognitionem habuisse: sicut enim revelatum est eis, Deum futurum hominem, ut tenet nobilior pars Theologorum, ita revelatum fuit illis, futurum esse Virginis Filium. Deinde credibile non est, minus perfectam et expressam circa divina mysteria fuisse fidem Angelorum viatorum, quam hominum in statu innocentiae; sed primi parentes habuerunt fidem de B. Virgine; ergo et Angeli. Nec dicas magis attinuisse B. Virginem ad cognitionem hominum, quam Angelorum, quia per Incarnationem assumenda erat humana natura, non angelica: hoc enim nihil obstat, nec excludit convenientiam respectu cognitionis Angelorum, qui futuri erant membra Christi, et quibus B. Virgo meruit de congruo, iuxta probabilem dicendi modum, gratiam et iustificationem. Praeterea haec revelatio et cognitio de B. Virgine, eiusdemque excellentiis, in maximam Christi Domini gloriam redundabat; et sicut Christus futurus erat caput Angelorum, ita B. Virgo futura erat eorundem Regina: ergo decuit valde, ut a primo suae creationis exordio Angeli suam Imperatricem noscerent ac suspicerent: quod eo magis urget, si teneamus cum pluribus, Christum esse caput Angelorum, non solum quoad ministeria, vel secundum accidentalem influentiam revelationum, aut gaudiorum accidentalium, sed etiam secundum influxum omnis gratiae ac gloriae, ac consequenter B. Virginem esse collum etiam in ordine ad Angelos secundum omnes illos influxus. Iuxta hunc ergo sentiendi modum multum decebat, ut per fidem Christi Domini ac Matris, perseverantiam in Dei gratia nanciscerentur, illum tanquam Iustificatorem primum suspicientes, hanc tanquam cooperatricem venerantes.

Aliter probari potest idem placitum. Angeli nunc vident in Verbo B. Virginem; ergo et in via eiusdem cognitionem aliquam adepti sunt. Visio enim beata fidei respondet, estque proportionatum eius praemium; ergo sicut omnes Beati vident clare in Verbo, quae crediderunt in via, ita etiam decuit, ut mysteria fidei praecipue principaliora, quae in Verbo videnda sunt, prius in via fide divina credantur. Aliqui docent, hanc notitiam Angelos adeptos fuisse in primo suae creationis instanti, in quo gratiam nacti sunt, utique ex fide Christi ex Matre nascituri: ergo supponebat cognitionem ac fidem Christi et B. Virginis: neque ulla apparet ratio, cur in illo primo instanti hac B. Virginis notitia privarentur, cum ad ipsorum statum ac perfectionem valde conduceret.

1521. Hanc autem notitiam, seu cognitionem B. Virginis Angelis viatoribus denegant plures Patres, qui Incarnationis mysterium Angelos in via ignorasse contendunt, adeoque *a fortiori* cognitionem B. Virginis ipsis denegabunt: quos refert et explicat Suarius cit., n. 7 et 19. In communi ergo et generatim explicandi sunt non de substantia mysterii Incarnationis, quatenus ex tali Virgine Verbum carne vestiendum erat; sed de aliquibus circumstantiis Incarnationis, ut quo loco et tempore ac modo executioni mandanda erat Incarnatio. Oppones Paulum ad Ephes. 3 sic dicentem: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat Principatibus et Potestatibus, in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* In quae verba Hieronymus ait, Angelos ignorasse hoc mysterium, et ex praedicatione illius facta in Ecclesia, didicisse multiplicem sapientiam Dei. Verum dicendum est ante Pauli praedicationem, certum esse mysterium Incarnationis fuisse notum Angelis, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad plures circumstantias. Quare Paulus non dixit, ut innotescat Principatibus et Potestatibus mysterium Incarnationis, sed multiformis sapientia Dei, quae maxime relucebat in rebus ac prodigiis mirabilibus, quae quotidie patrabantur in conspectu eorum, per Apostolorum praedicationem.

Communior ergo sententia tenet, Angelis revelatum fuisse in via mysterium Incarnationis; atque adeo et B. Virginem. Et quidem notitia B. Virginis plus conducebat ad perfectionem intellectus angelici, quam notitia et cognitio generum et specierum rerum plurium naturalium et supernaturalium; quae tamen cognitio omnibus Angelis defertur a Theologis: ergo et notitia B. Virginis deferri debet. Et quidem cognitam Mariam in via, et in Verbo, et ut Dei Matrem, ipsorumque Reginam ac Imperatricem eximio et obsequioso cultu suspectam et adoratam ab ipsis fuisse, praeter alios, tenet Sherlogus in Cantica tom. 3, fol. 589, n. 2, sancta Birgitta, serm. Angelico c. 4, faventque quae ex Amedeo affert Eusebius Nierember. tractatu de amore erga Deiparam, c. 20. Imo ob effusa in Mariam dona liberali manu, caelites ipsi Numini gratias quamplurimas retulerunt, ac ferventissimo in Deum Benefactorem rapti sunt amore: quod innuunt verba illa Cant. 1: *Ideo adolescentulae dilexerunt te*, quia donorum oleum erat effusum in sponsam Deiparam.

Quod suffragio suo firmat Paulus cum ait, Hebr. 16: *Et cum iterum Primogenitum introducit in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Itaque omnes illi Beatorum spirituum cunei Christum Regem poplite flexo suspexerunt, et simul Deiparam tanquam Reginam et imperatricem Hyperduliae cultu venerati sunt. Omnis igitur Angelorum respublica praeceptum accepit de adorando Deo-homine in orbem ingresso. Quare opinantur nonnulli Doctores non contemnendi, omnes Angelos simul cum Gabriele humana forma, atque pulcherrima coram Virgine Deipara genibus flexis procubuisse Deum-hominem adoraturos, ipsamque B. Virginem, tanquam caeli terraeque Imperatricem veneraturos, cultum externum cum visibili et apparenti coniungentes, ob quam animi submissionem in ipso nascentis orbis exordio ipsi suam beatitudinem consecuti sunt: e contra Lucifer cum reliquis renitentibus illi praecepto, vinculis aeternis adstricti miseri in orcum prolapsi sunt, quia hunc in Christum et Mariam cultum detrectarunt. Itaque iam tunc controversum fuit, utrum naturae angelicae Christum ac Mariam suspecturae essent, tunc ipsis enim fides indicta fuit in via de Deo homine, et Virgine Matre, eisdemque intimatum fuit praeceptum de adorando hominem-Deum, et simul Virginem Matrem. Insuper his, qui eiusmodi decreto sponte obedirent, in caelorum regnum ingressus promissus fuit: at vero rebellibus aeternos ignes comminatus est Deus. Cum ergo Lucifer, caeterique rebelles nec Christo, nec Mariae futuris, nec cultum nec animi submissionem praestare voluerunt superbia tumidi, prae donorum collatorum a Deo eminentia ac naturae praestantia; dedecorosum sibi reputantes Verbum divinum, naturam humanam, non vero angelicam assumere sibi decrevisse: renuerunt ergo homini-Deo ac Virgini Matri submitti, cultumque et adorationem exhibere. Hinc suae naturae praestantia innixi, Christo ac Matri bellum indixere contumaces, utrumque plusquam vatiniano odio prosecuti.

1522. At vero reliqui Angelorum chori Christum, tanquam Regem ac Principem amplexi sunt, ac Virginem Deiparam, tanquam Imperatricem suspexerunt; aequum ac rationi consonum arbitrantes, ut omnem obedientiam et obsequium Christo ac Matri exiberent, quos Deus tot honoribus ac gratiis affecerit. Anne secum ipsi mente versabant, num naturam Angelicam assumere teneretur Deus, quia superior est ac praestantior? adynaton prorsus est, fortissimo et incommutabili suae voluntatis decreto reniti, ac potenti brachio resistere; quid mirum, si subdamur homini-Deo, ac foeminae Matri, cum sit universorum Dominus absolutus, absque ullius praeiudicio, potest pro arbitratu suo divitias bonitatis, et omnipotentiae suae effundere in quem voluerit. Nefas est, et incassum, tanti Domini efficaci voluntati contradicere ac reluctari; melius, ac multo conducibilius est, Deum humanam naturam sibi associare unione indissolubili, quam eius naturam angelicam; in uno enim homine gradus omnes entis copulantur, omniumque creatarum rerum species coadunantur et coeunt. Praerogativae ac privilegia, quibus Filium ac Matrem ditabit Deus, longe superiora sunt nostris, ut licet Christus Deus non esset, nec Virgo ad maternitatis munus assumeretur, utrumque tamen tanquam Caput nostrum ac Dominum suspicere aequum est: nunc vero potiori iure: cum ille simul sit Deus, haec vero Deiparens, quorum mentes ac voluntates, pluribus sapientiae donis, gratiarum ac virtutum praerogativis exornantur, quam nostrorum omnium: irreligiositatis crimen contrahit sine dubio, qui voluntati Divinae legem ponere machinatur, cum sit illa lege omni soluta et immunis. His et aliis rationibus propositis rebellium voluntates revocare in Christi, ac Matris obsequium conati sunt Angeli boni, si verum est, quod aliqui Doctores, absque sufficienti tamen fundamento opinati sunt, Angelos nempe infidos aliquod poenitentiae intervallum consecutos, vel ut illos confunderent, ac Dei honori consulerent: si vero, quod longe verius est apud Scholasticos, poenitentiae incapaces ob inflexibilitatem exstiterunt, aeternis cruciatibus addicti sunt a caelorum sede deturbati ob iniuriam Christo, Virginique Matri irrogatam. Huc spectant verba s. Vincentii Ferrerii, serm. 2 de nativ. Virg., dum agit de eiusdem Conceptione: *Non credatis*, inquit, *quod fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur, sed statim postquam corpus Virginis fuit formatum, et anima creata, tunc fuit sanctificata; ideo sit festum de eius Conceptione, quia facta est lux Sanctificationis in ea; et statim Angeli in caelo fecerunt festum Conceptionis.* Quod non utique praestarent, nisi praevidissent eam futuram Dei Matrem.

Si vero hinc inferas, Daemones ex notitia Incarnationis, qua praediti fuerunt in via, recordari huius mysterii, et ita agnovisse Christum ante Resurrectionem, quod communiter negari solet a Doctoribus, nego tamen inde sequi, quia Daemones non cognoverunt esse Christum Filium Dei, et Messiam promissum, ante Resurrectionem eius, nec esse illum hominem, quem

in via per fidem cognoverunt esse venturum, vel negante Deo concursum ad id necessarium, vel certe quia cum illis in via solum fuerit in communi revelatum, Filium Dei incarnandum fore, et genus humanum ab eo redimendum; ignorarunt tamen circumstantias et modum Redemptionis, ita ut dubitarent, an homo ille esset Messias.

CERTAMEN III.

Utrum Virgo Deipara aliquid fuerit Angelis promerita.

1523. Partem affirmantem sectantur plures apud Salazar de Concep. cap. 3, n. 13. Et quidem Richardus Victorinus luculenter id sustinet in Cant.: *Utraque*, inquit, *creatura potentior iudicatur, quia utraque per Mariam reparatur.* Idemque fere habent Petrus Damianus, ser. de Assumpt., Anselmus apud Bonaventuram in Speculo lect. 7, Bernardus in ser. de Aquaeductu. Augustinus, ser. de Nativ. ait: *Si Dominam Angelorum te vocem, vere esse comprobaris.* Ex quibus verbis haec ratio confici potest: ad hoc ut Deipara regnum suum in naturam angelicam protendat, opus est, ut gratia ipsis Angelis ab initio collata pendeat a B. Virginis merito et impetratione; cum enim natura B. Virginis ex se inferior sit natura angelica: ergo ius, potestas, et dominium B. Virginis in Angelos debet esse in ordine gratiae; ita ut Angelorum et hominum gratia B. Virgini debeatur, eiusque impetrationi et merito. Hoc ipsum tueri debent qui Angelorum primam gratiam Christi Domini meritis attribuunt: unde eandem gratiam a Maria Angelis impetratam fuisse, consequens est. Quae enim Christus de condigno aliis meruit, eadem de congruo eisdem meruisse Deiparam, dicendum est? Qua de re videndus Salazar, tom. 1 in Proverbia, cap. 8, v. 19, et de Concep. cap. 21. Qui autem Christum Dominum Angelis primam gratiam promeruisse defendunt, sunt Albertus, Carthusianus, Ruardus, Viguerius et alii, quos citat, ac sequitur Suarius, de Incarnat. disp. 42, sect. 1, § *Dico tamen*, et disp. 23, sect. 1, ubi quae ait de Christo in ordine ad Angelos et alias omnes creaturas, applicari possunt suo modo B. Virgini, non quod sit caput Angelorum, sed quod sit Domina, et quod aliquo modo influat in omnes creaturas, ipsique famulentur omnes. Ideo Suarius praedestinationem Angelorum et hominum ad gloriam et beatitudinem praedestinationi Virginis Deiparae subiecit, quia opinatus est omnes alios, tam homines, quam Angelos, sicut propter Mariam conditi sunt, ita propter eandem praedestinatos fuisse ad gloriam, et ad gratiam electos. Et probari potest ex his, quae in prima Palaestra praemisimus, in praescientia Dei praevisa fuisse Christi merita, et B. Virginis in aliquo signo rationis ante praedestinationem Angelorum; ergo Deus ordinavit merita Christi Domini et B. Virginis in ordine ad praedestinationem Angelorum. Consequentia probatur, quia B. Virgo futura erat Angelorum Regina, et ad ipsius honorem permagno conducebat, ut Angeli per Mariam omnem gratiam et gloriam consequerentur. Confirmari potest: quod est supremum in uno genere est causa ceterorum; sed B. Virgo inter omnes puras creaturas supremum obtinet locum in genere gratiae; ergo est aliquo modo causa meritoria in ordine ad Angelos. Roboratur: Angeli in via habuerunt cognitionem B. Virginis, ut paullo ante ostendimus; ergo potuerunt propter eiusdem merita gratiam obtinere. Cui dicendi modo maxime adstipulatur D. Hieronymus, sive Sophronius in epist. de Assump. Virg., ubi aperte sustinet, Angelos fuisse redemptos; ait enim: *Angelorum quamvis celsior natura sit, non tamen gratia maior, quia ipsi gratuita gratia, ne corruerent, salvati sunt; unde David ait: Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius virtus eorum.*

Firmari potest nostrum assertum testimoniis Scripturae ac Patrum admittentium aliquem influxum Christi Domini in Angelos, ut illorum Caput esse dicatur; quae enim de Christo in ordine ad Angelos proferuntur, suo modo B. Virgini adaptari queunt in ordine ad meritum de congruo. Ait ergo Paulus ad Ephes. 1: *Proposuit instaurare omnia in Christo, quae in caelis et in terra sunt in ipso.* Per ea enim, *quae in caelis*, Angelos intelligit Paulus, iuxta Interpretes apud nostrum Cornelium ad ea verba. Explicari itaque possunt verba illa, ut sententiat Paulus, sanguine Christi instauratos fuisse omnes Angelos, id est sanguine ipsius iustificatos. Eiusdem coloris sunt verba illa ad Colossen. c. 1: *Quia in ipso* (nempe Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* Addi potest illud testimonium ex epist. ad Hebrae. c. 2, v. 10: *Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Quis enim alius, qui multos filios in gloriam adduxerat, nisi Christus? quinam autem sunt illi filii, quos adduxerat in gloriam ante passionem suam, per quam consummatus est auctor salutis eorum, nisi Angeli? Nullus quippe hominum iustorum gloria donatus fuit, et in caelum admissus ante Christi Domini anastasim. Aliud ex ead. epist., cap. 2, produci solet testimonium: *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem;* quae verba maximam vim habent in sensu, et interpretatione Theodoreti legentis: *Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem.* Hoc est uno dempto Deo, qui Christi morte nullo modo indiguit, pro omnibus aliis etiam Angelis mortem sustinuit; quae interpretatio est etiam Origenis apud Vasquium, de Incarnat. d. 49, c. 1, n. 3. Solemnis est etiam locus ille Apoc. 12, ubi inito bello inter Michaelem ac reliquos bonos Angelos, et Satanam, illiusque satellites, subdit Ioannes: *Et ipsi* (videlicet boni Angeli) *vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Ergo iam Angelorum bonorum triumphus adscribendus Christi sanguini ac cruci, ac proinde gratiae perseverantiam, qua Daemonem superarunt, utique obtinuerunt ex meritis Christi Domini, et consequenter etiam ex meritis de

congruo B. Virginis; tum etiam reliqua omnia auxilia gratiae ex eisdem meritis nacti sunt. Pro eadem sententia stare videntur aliqui Patres, et imprimis celebris est ille Fulgentii locus, lib. 2 ad Trasimundum, cap. 3, ubi sermonem attexens de Filio Dei, haec habet: *Ipsa igitur* (nempe virtus Dei, scilicet Christus) *etiam homini reparando fuit necessaria; quia non alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare; una est in utroque gratia operata, in hoc ut resurgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non sivit; illius esca, istius medicina.* Cum ergo eandem virtutem et gratiam agnoscat s. Fulgentius in homine et in Angelo, et in homine fuerit ex meritis Christi, admittendum est etiam in Angelo ex eisdem meritis provenisse. Accinit Cyrillus, lib. 5 in Isai. in illa verba: *Laetare sterilis*, ubi haec subiungit: *Per ipsum* (nempe Christum) *omnis fructificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est.* Et lib. 9 de adoratione adhuc luculentius loquitur: *Verax*, inquit, *est Ioannes dicens, quod ex plenitudine eius omnes accepimus: Christi enim particeps est universa visibilis atque invisibilis creatura, Angelique, et Archangeli, et quae adhuc his superiora sunt, ipsique adeo Cherubim, non alia ratione sancti sunt, praeterquam per solum Christum in Spiritu sancto.* Quae verba in utroque loco nullam interpretationem admittere posse videntur. Omnium tamen luculentissimum testimonium est D. Bernardi, ser. 22 in Cantica, ubi haec habet verba: *At Angelis quomodo redemptio fuerit, non video: neque enim auctor illius, Scripturave uspiam assentire videtur, eos peccato exstitisse captivos, vel morti obnoxios, ut necessariam haberent redemptionem. Si igitur Angeli nunquam redempti sunt; alii utique non egentes, alii promerentes; illi quia non sunt lapsi, hi autem quia irrevocabiles sunt; quo pacto tu dicis, Dominum Iesum Christum eis fuisse Redemptorem?* Cui dubio respondet Bernardus: *Audi breviter, qui erexit hominem lapsum, dedit sancto Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate defendens, hunc de captivitate eruens, et hac ratione fuit aeque utrique Redemptor, solvens illum, et servans istum.* Quae verba non solum in praesens institutum quadrant, et probant Christum Dominum et consequenter B. Virginem promeruisse Angelis suam iustificationem de congruo, sed simul etiam ostendunt Virginem Deiparam fuisse redemptam meritis Christi, licet a peccato originali eiusque debito fuerit immunis; ratio enim de Angelis eodem modo probat de B. Virgine. Rem etiam satis declarant verba illa Gregorii Magni, in I Reg. c. 2: *Non est alius*, inquit, *extra te* (subauditur Sanctus), *quia nullus hominum, neque Angelorum sanctus est, nisi per Christum.* Et infra subdit, tam Angelos, quam homines esse sanctificatos in Filio. Et confirmat ratio, quam subiicit: *Quia sine fide Christi nullus salvatur*; quod tam de Angelis, quam de hominibus verum habet. S. Laurentius Iustinianus propius ad nostrum sensum accedens serm. de Assump. B. Virginis, de illius eximia gloria verba attexens, haec habet: *Nemo invidebat illi, quoniam ab eius beneficiis nullus inveniebatur immunis, fructus quippe ventris eius civitatem illam repleverat sanctitate.*

1521. Et sane per unam Mariam creaturas omnes instauratas, et refectas fuisse plurium Patrum suffragio confirmari potest. Ita expresse docent Bernardus in serm. de Nativ.; Bonaventura in Speculo; Andreas Hierosolym. in ser. de Annunc.; Anselmus de excel. Virg. Damascenus, orat. 1 de Nativ. Virg., eleganter in hanc rem apud Salazar, tom. 1 in Prov. cap. 8, v. 22, n. 265, haec scribit: *Praeter illam* (nempe Mariam) *naturam omnem Creator interiectae humanitatis beneficio, commutavit, et innovavit: nam cum homo media quadam inter mentem et materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum, tam quae in adspectum cadunt, quam quae oculorum aciem fugiunt, nodus ac vinculum sit, profecto artifex Dei, Verbum naturae humanae copulatum, per hanc cum universis rebus conditis unitum est.* Ubi instaurandarum rerum omnium tam in caelestibus, quam in terrestribus rationem Mariae beneficio acceptam refert Damascenus.

Ratione etiam nostra sententia stabiliri potest. Quidquid enim dignitatis et excellentiae absque ullo incommodo Virgini Deiparae deferre possumus, id totum ei deferre debemus; nullum autem incommodum obtendi potest, si dicamus, Deiparam fuisse causam meritoriam de congruo gratiae Angelorum, idque ad magnam ipsius excellentiam conducit, cum sit inter Angelos principem habens locum, ratione maternitatis Dei: sunt etiam in Maria omnium gratiarum fluenta, a qua in homines et Angelos derivari possunt: ergo non est hoc ipsi denegandum. Ratio etiam colli, quae ex communi sententia B. Virgini competit etiam respectu Angelorum, id necessario exigere videtur; sicut enim ad rationem capitis, quod est Christus, spectat, vitam, sensum et motum reliquis membris tribuere; ita etiam ad rationem colli pertinet, ut nihil caput influat in reliqua membra, quod per collum non derivetur: ergo sicut Christus ut sit Caput Angelorum, debet motum et sensum vitae spiritualis et gratiae in Angelos influere, ita et B. Virgo, ut sit collum huius corporis mystici, opus est, ut eosdem influxus gratiae per seipsam, tanquam per collum, in homines et Angelos derivet. Praesertim cum Virgo Deipara sit post Christum primogenita ante omnem creaturam, in aeterna Dei praefinitione: si ergo Deipara eo ordine praedestinata fuit, antequam Angelis gratia in aeterna Dei praedestinatione praepararetur, nihil obesse potest, quominus meritum B. Virginis praecesserit ordine causae meritoriae; atque adeo Angeli gratiam ab ea derivarunt, eo modo quo diximus. Hinc elicies, B. Virginem meruisse etiam de congruo Angelis omnia gratiae dona, scilicet praedestinationem, auxilia adiuvantia, efficacia, omneque augmen-

tum gratiae et gloriae, sicut alibi ostendimus de auxiliis vocantibus, adiuvantibus, efficacibus respectu hominum: quod eisdem rationibus probandum est respectu Angelorum, quibus de hominibus ostensum est. Et quidem sicut Christi merita habent valorem et condignitatem, ut refunderent gratiam et gloriam, non solum in homines, sed etiam in Angelos, et ad honorem Christi pertinebat, ut per merita sua haberet effectum gratiae et gloriae etiam in Angelos; ita etiam, cum proportione, B. Virginis merita habebant sufficientem valorem ac condignitatem ad eosdem effectus.

Deinde Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi, tum B. Virginis; ergo per eandem fidem sanctificati sunt; ergo per utriusque merita gratiam et gloriam obtinuerunt. Antecedens alibi ostensum fuit, et ex D. Thoma satis inclaret 1 p., q. 64, ar. 1, et ex D. Augustino, lib. 5 Gen. ad lit. c. 19, et ex Bernardo, serm. 27 in Cant. Hinc ait Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 41, sect. 2, § *Tertio probatur*, valde probabilem esse gravissimorum auctorum sententiam adstruentem malos Angelos ex hac revelatione Christi, et consequenter Matris eius, sibi facta, occasionem nactos ad delinquendum per superbiam et invidiam humanae naturae; quod indicat Rupertus, lib. 8 in Ioan., et Hieronymus super epist. ad Hebr., cap. 1, dum ait: *Omnis dissensio, quae et ante mundum, et postea esse coepit in mundo, tam visibilium, quam invisibilium creaturarum, adventum Dei pollicebatur.* Ergo longe probabilius est, bonos Angelos in Christo, et per Christum, et eiusdem Matrem, gratiam et gloriam promeruisse.

Divus autem Thomas, tametsi nostrae sententiae adversari videatur 3 p., q. 1, art. 3 et 4, tamen q. 8 expresse vocat Christum Caput Ecclesiae, quae ex Angelis et hominibus coalescit: et q. 7, art. 9, Christo gratiae plenitudinem attribuit tanquam principio universali habentium gratiam, adeoque et Angelorum: sed accipe ipsius Doctoris testimonium in illud Ioan. 1, *De plenitudine eius omnes accepimus: Videlicet*, ait Thomas, *omnes Apostoli, Patriarchae, et Prophetae et iusti, et qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes Angeli* etc. *quia plenitudo gratiae, quae est in Christo, est causa omnium gratiarum, quae sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Si ergo Angeli per Christum in prima existentiae suae conditione gratiam consecuti sunt; ergo etiam intuitu Mariae Virginis: quidquid enim Christus aliis condigne promeruit, Mariae merita de congruo eisdem impetrarunt.

1525. Adversabuntur huic nostro sentiendi modo potiori iure, qui tenent Christum Dominum nihil Angelis meruisse gratiae et gloriae; sed solum admittunt in Christo in ordine ad Angelos influxum illuminationis, et alicuius gratiae accidentalis et gloriae, quia per Christi passionem instauratae fuerunt Angelorum ruinae ex hominibus, quod etiam in B. Virginem quadrat suo modo. Hi sunt plures, quos citat et impugnat Suarius cit. Praecipuum illorum fundamentum desumitur ex Vasquio, quia si Christus promeruisset Angelis primam gratiam, profecto illam acquisivisset passione ac cruce sua; unde diceretur Christus pro Angelis passus, ac mortuus: quod sacra Volumina ac Patres passim inficiantur. Haec tamen ratio non multum nos urget: siquidem Christus passione ac morte sua sibi gloriam promeruit, iuxta illud Christi: *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Modo sic adversarios premo: vel ergo dici potest Christus passus ac mortuus pro seipso, vel non; quidquid illi respondeant, ipsis responsum putent. Quare dicendum est, Christum D. ex secundaria intentione, et velut nacta occasione mortuum fuisse propter Angelos, sicut etiam propter seipsum: ex primaria autem intentione propter hominum salutem, ac redemptionem passum ac mortuum fuisse. Quo sensu intelligendi sunt Bernardus locis cit., Dionysius Areop. de divinis nominibus, c. 8, Theodoretus in epist. ad Heb. c. 2, Theophylactus ibidem.

Imo ex ipsis adversariis aliqui, qui cum Vasquio denegant Christum Dominum promeruisse Angelis primam gratiam, non obscure docent, ut Cardinalis Lugo disp. 27 de Incarnat., sect. 3, n. 30, sanctos Angelos ex Christi meritis sibi acquisivisse gradus aliquos gratiae; idemque cum proportione affirmare posset de meritis B. Virginis de congruo. Quia post Daemonum peccatum, et Christum et B. Virginem praevisos, potuit Deus propter utriusque merita conferre bonis Angelis cum Lucifero congredientibus, gratiam, vel gratias aliquas auxiliares ad actus aliquos bonos, quibus promereri possent aliquem novum sanctitatis auctum, quo sensu veritati conforme erit illud testimonium s. Cyrilli Alexandrini, hom. 1 in Levit.: *Non solum pro terrestribus, sed etiam pro caelestibus oblatus est hostia, Iesus.* Ad haec Augustinus Bernal, de Incarn. disp. 55, sect. 6, § 3, qui oppositam nostrae sententiam tuetur, docet posse intelligi Christum Angelis meruisse gratiam primam et secundam, nempe secundo decretam. Ait ergo non improbabiliter dici posse, sanctos Angelos habuisse gratiam primam et secundam ex Christi meritis secundo decretam. Probabile enim est, iuxta plures, unam, eandemque rem propter varia motiva, pluribus decretis a Deo decerni et executioni mandari posse. Subiiciamus exempla ab ipso Bernal allata. Eva enim subdebatur Adamo per Dei decretum, tanquam naturae conforme; deinde decreta fuit secundo illa subiectio tanquam poena: et Gen. 3, quod serpens graderetur supra pectus suum, decreverat primo Deus, tanquam quid naturale ipsi serpenti; secundo illum gressum decrevit Deus in poenam, quod deceperit Evam Daemon serpentis larvam assumens: idemque dici posset de iride secundo decreta Gen. 9, in signum pacti initi de non submergendo mundo diluvii undis; eadem ergo ratione potuit Deus etiam in adversariorum sententia decernere, et conferre reapse gratiam et gloriam ipsis sanctis Angelis primo independenter a meritis Christi et B. Virginis; secundo potuit decernere et reapse con-

ferre eandem gratiam et gloriam propter utriusque merita.

Demum addi posset in eorundem adversariorum sententia, tametsi admittant nullum gradum gratiae fuisse collatum sanctis Angelis propter Christi ac B. Virginis merita; adhuc non sine aliqua probabilitate dici posset, omnem gloriam ipsis obvenisse dependenter a meritis utriusque. Siquidem gratia habitualis nec secundum se, et physice dicit respectum ad gloriam, ut docet Bellarminus cum aliis: imo etiam non fuit opus, ut Deus habentibus Angelis gratiam sanctificantem etiam finalem, assignaret tanquam praemium visionem beatam, sed aliud praemium; quare potuit Deus gratiam Angelorum bonorum non referre ad aliquod praemium determinatum, donec praevideret hominem lapsurum, Christumque venturum ex B. Virgine; et propter merita Christi ac B. Virginis tam gratiam Angelorum bonorum, quam hominum ad claram Dei visionem: ita ut Christi ac Mariae meritis aeterna et hominum et Angelorum felicitas adscriberetur. Haec dixerim, ut constet adhuc etiam in adversariorum sententia excogitari posse modum deferendi gratiam et gloriam Angelorum, Christi ac B. Virginis meritis, quod in maximam utriusque gloriam et dignitatem cedere nemo non videat. Et Vasquius cit., disp. 49, adstruit Christum propterea Caput Angelorum dici, quia illis meruit illuminationem, notitiamque plurium mysteriorum Dei, tum etiam gaudia, aliaque praemia accidentalia, quae quidem gratia redemptionis aliquo modo appellari potest; gaudium enim, quod Angeli hauriunt super uno peccatore poenitentiam agente, Luc. 15, per Christi et B. Virginis merita habent, et dici potest gratia redemptionis, quia est de homine a peccato redempto. Deinde gratia illa, qua Gabriel prae aliis ad Incarnationis legationem electus fuit, per Christi et B. Virginis merita obtenta fuit, et merito gratia redemptionis nuncupari potest, cum legatio illa ad hominum redemptionem instituta fuerit.

Ulterius plures Theologi in eo ponunt ruinas Angelorum, quod scilicet in prima sui conditione Christum et Matrem eius detrectaverint, ipsisque inviderint, quod ad tantam dignitatem a Deo fuerint assumpti: renuerunt ergo ipsis cultum praestare, quantumvis iussi. Huc respiciebat s. Cyrillus, hom. habita Ephesi p. 2, act. 1 concilii Ephesini, dum ait: *Per quam* (id est per Mariam) *Angeli et Archangeli laetantur; per quam Daemones fugantur; per quam tentator Diabolus caelo decidit; per quam prolapsa creatura in caelum adsumitur.* Huius sententiae illa optima ratio assignari potest, quia superbus appetit excessum in dignitate, scientia, potestate, vel alia simili excellentia; ergo potuit Lucifer invidere homini, atque adeo B. Virgini excellentiam suam, licet enim esset inferior natura Angelo, elevata tamen fuit per gratiam ad dignitatem, et felicitatem superiorem Angelo; quod indigne tulit Lucifer, et invidit B. Virgini tantam excellentiam, gratiam et gloriam: cum ergo cognoverit Lucifer in via Christum, eiusque Matrem ut futuram superiorem ipso in gratia, invidit ipsi, nec potuit aequo animo ferre creaturam sibi natura inferiorem, ad sublimiorem statum excellentiae, a Deo elevari. Huic sententiae adstipulantur Doctores, qui defendunt, Luciferum per superbiam deliquisse, et per invidiam appetendi Hypostaticam unionem, et ab initio infensum fuisse Christo, eiusque Matri; quos refert ac sequitur Suarius, de Angelis lib. 7, cap. 13. Doluit ergo Lucifer omnes homines non illi subiacere, imo se inferiorem et subiectum futurum Christo homini, eiusque Matri tanquam Reginae et Superiori ipsius, quam colere, suspicere et adorare deberet. Cui sententiae auxilium praestare videtur Bernardus, serm. 17 in Cant., ubi ex eo quod Lucifer praesciverit homines in parem gloriam fuisse electos, elicit credibile esse, Luciferum doluisse, ex invidiaque hominum deliquisse; multo autem magis credibile est, si admittimus, Luciferum praescivisse hominem aliquem et foeminam futuros esse longe excellentiores ipso, non solum gratia et gloria, sed etiam dignitate, ob idque graviter indignatum vehementi dolore et invidia contabuisse, praesertim si verum sit, eis fuisse impositum praeceptum adorandi et colendi eos tanquam sibi Superiores: de quo videndus Suarius citatus, num. 31, 32 et 28, et cap. 15, num. 18 et 24.

1526. Opportune in rem nostram Damascenus, orat. 1 de nativ. Mariae, Deiparam cum illa Iacobaea scala contulit: *Rerum*, inquit, *omnium artifex Deus vivam scalam sibi ipsi condidit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad caelum usque porrigitur, in qua Deus requievit, cuius locum Iacob conspexit. Spiritualis scala, hoc est Virgo, in terra firmata est, ex terra enim ortum habuit, caput autem ipsius ad caelum pertinet.* Cui innitebatur Christus Dominus, dum in eius utero requievit. Per hanc scalam ascendunt et descendunt Angeli; nam in primo suae creationis instanti ipsorum Angelorum propositus fuit Christus Dominus, et eius alma Parens: illi, qui Filium ac Matrem cultu ac veneratione summissa suspexerunt, per utriusque merita, per hanc scalam in caelum fuerunt assumpti; qui vero invidia tacti arroganter eos adorare ac suspicere renuerunt, praecipites acti in tartara submersi detruduntur, ut plures ex nobilioribus Theologis fantur; unde merito Dominus scalae innixus Marianae factus est in ascensionem Angelorum, et in Daemonum casum et ruinam, imo et omnium hominum, qui vel se totos huius Virginis obsequio devovent, vel sceleribus obruti, Filii ac Matris gratiam demerentur: unde illi per huius scalae gradus in caelum conscendunt; hi vero propter eosdem scalae gradus descendunt, ac praecipites aguntur, ut scite ponderat Richardus de s. Laurentio, lib. 10 de laudibus Deiparae: *Dominus*, ait, *innititur huic scalae, ut B. Hieronymus ait in vita Paulae, ascendentibus porrigens manum, negligentes vero de sublimi praecipitans: iuvat enim servientes Matris suae et ipsius amatores Filius Dei; contemptores vero eius, et parvipendentes servi-*

tium eius, permittit prius cadere in peccatum, deinde in infernum.

Consectarie itaque docent, bonos Angelos in bono constantes perstitisse, quia Christo et Matri honorem debitum et amorem detulerunt, cultum et adorationem ipsis exhibuerunt. Hinc Amedaeus, c. 2 suar. revelat.: *Plus Angeli boni in illo primo instanti B. Virginem dilexerunt, quam seipsos.* Huc aliqui vocant verba illa Cant.: *Recti diligunt te*; id est Angeli, qui nunquam a rectitudine deflexerunt, iam a sua prima conditione, futuritionis tuae, o Virgo B., revelationem ex Deo hauserunt, te plusquam sè adamarunt, adorationemque tibi praestiterunt, imo felicitatem omnem ac in bono constantiam, tibi post Christum, hoc est Christi, et tuis meritis adscribunt. Subsidium ferat huic nostro placito s. Birgitta in serm. Angelico, c. 4: *Intuebantur*, inquit, *in illo benedicto speculo, nempe Deo Creatore, sedem quandam reverendam ipsi Deo ita propinquam, quod impossibile videbatur, aliquam sibi fieri propinquiorem; et illam creaturam adhuc increatam esse noverant, cui ab aeterno sedes illa exstitit praeparata. Ex intuitu autem claritatis Dei omnes Angelos ita divina charitas inflammabat, quod quilibet alium sicut seipsum diligebat: verumtamen Deum maxime, et super omnia, atque illam creaturam nondum creatam, quae in sede Deo propinquiori erat collocanda, plus seipsis amabant, quia videbant illam summe diligere, ac de illa permaxime gratulari Deum. O omnium consolatio, Virgo, hoc ipsum tu es, ad quod Angeli a principio suae creationis, tanta exarserunt charitate, quod licet ex suavitate et claritate, quam ipsi in Dei visione habebant, ineffabiliter laetabantur; plurimum tamen ex eo gavisi sunt, quod tu ipsi Deo propinquior illis fieri debebas, et ex eo quod maiorem claritatem, maioremque suavitatem, quam ipsi habebant, tibi videbant reservari.* Postea vero subdit: *Unde quamvis noverunt Deum magnum honorem et gaudium ex hoc veraciter habere, quod ipsos creasset; maiorem tamen honorem et maius gaudium ad Deum pervenire videbant, ex eo quod tu ad tam sublimem coronam creari debebas; et ideo ipsi Angeli de hoc magis exultabant, quod te Deus creare volebat, quam ex eo quod ipsos creaverat; et sic tu, o Virgo sanctissima, Angelis mox ut creati fuerunt, gaudium fuisti, quae ipsi Deo sine principio summa delectatio exstitisti, et sic vere Deus cum Angelis, et Angeli cum Deo de te, o Virgo creaturarum omnium dignissima, antequam crearetis, intime congaudebant.* Ubi pondera mensuram Angelici amoris erga Mariam desumendam esse ex immensa Dei erga ipsam dilectione: cum ergo viderent Angeli Deum plus, et ardentius adamare B. Virginem quam omnes creaturas simul sumptas; ipsi etiam Dei amorem erga Mariam pro suo modulo aemulabantur. Noverant deinde Angeli a B. Virgine ardentissimo amore diligi, ita ut amor Virginis, quo minimum Angelum ex infimo ordine prosequitur, longe superaret omnem amorem, quo Angeli inter se mutuo prosequuntur, licet in unum coniungeretur: quod perspicue docet s. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, art. 3, cap. 2: *Tantus est*, ait, *amor B. Virginis ad quemlibet minimum gloriosum, quod omnis amor, quo in regno caelorum universa natura angelica, et humana diligit aliquem iam Beatum sive Angelorum sive hominum, est quasi centrum ad circumferentiam firmamenti, vel minus, respectu amoris, quo ipsa Virgo gloriosa minimum Beatum, vel hominem, vel Angelum amat, considerato fontali principio, unde talis amor originem habet.* Hinc ergo venari licet Angelorum dilectionem erga Dei Matrem, non enim ipsi recte compensarent tantum erga seipsos Mariae amorem, nisi quilibet Angelus maiori dilectione et ardentiori amore B. Virginem prosequeretur, quam seipsum, vel alium; imo et omni amore in unum coalito resultanti ex omnibus amoribus, quibus Angeli se mutuo diligunt, quod suffragio suo confirmat idem s. Bernardinus cit. his conceptis verbis: *Nunc igitur ad propositum statuamus, ex una parte integraliter totum amorem, quem adinvicem habent sancti Angeli omnes, et ex alia parte, amorem, quo minor beatus Angelus diligit Virginem gloriosam, et credo quod talis amor minimi gloriosi excedat omnem alium amorem Beatorum simul sumptum tam angelicum, quam humanum.* Cuius thesis multiplex ratio assignari potest praeter duas praefatas: prima, quia Angeli noverant B. Virginem tanquam praecipuam post Christum suae exaltationis, et perseverantiae in bono causam, quaeque ad reficiendas eorum sedes a Deo electa multum iuverit: secunda, quia virginitas eos Virgini quamsimillimos effecit; similitudo autem multum amorem conciliat et adauget. Hinc Angelorum obsequium erga B. Virginem adeo extulit s. Birgitta, c. 20 suarum Revelat., ut dixerit: *Angeli ita post Assumptionem eius in caelum obedientes Virgini effecti sunt, quod omnes inferni poenas libentius sustinerent, quam aliquibus suis praeceptis in aliquo contradicere.*

1527. Verba illa Cant. 5: *Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi*, intelligit Guilielmus de Angelis, quos alloquitur Sponsus. *Angelos*, inquit, *ad communis laetitiae epulas invitat, qui iugiter interpellantes, quodam sancto familiaritatis ausu sic compellabant: Exurge, quare obdormis Domine* etc. *oblivisceris inopiae nostrae, diminutionis nostrae? en inter nos tot loca vacua, imple tot locis indecenter dehiscentem numerum nostrum: ecce cum venit plenitudo temporis, invitat eos ad nova gaudia, incarnatus est Dei Filius.* Ut ergo aliquantulum leniret summum desiderium, revelavit Deus Angelis electam Dei Genitricem in salutis remedium, in spectaculum quoddam ipsis Angelis iucundissimum. De quo cecinit s. Ioannes Geometra: *Salve spectaculum Cherubinis difficile cognitu: magnum salve miraculum et superans Seraphinorum scientiam.* Iam ergo in prima Angelorum creatione, Maria revelata ipsorum aciem perstrinxit. Idem Hymno 3 pangit: *Salve spectaculum puella terribile, ardens, dulce pariter et terribile, nec cognoscibile totum.*

Alloquitur Deus sanctum Iobum, c. 38, et ait:

Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei? S. Anastasius Synaita, Hexam. 4, vertit: *Hymnis Deum celebrarunt.* Septuaginta transferunt: *Quando facta sunt sydera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Scilicet quarto creationis die, in quo sol et sydera condita fuerunt. Sed quisnam hic Angelorum Hymnus? quis cantus? nisi quem postea pepigere ipsimet Angeli in Christi natalitiis: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo*, Luc. 2. Nempe in sole Cristum ortum ex Maria ad caelos ascendentem laudibus et hymnis celebrarunt: iam enim in primo mundi nascentis exordio Christum ex B. Virgine natum cognoverunt, et utrumque cultu ac veneratione suspexerunt, ac laudibus prosecuti sunt. Rem ex s. Anastasio cit. depromamus: *Hymnis*, inquit, *Deum celebrarunt, quam ob rem? quoniam facta sunt astra? Non certe propter ea, sed cum vidissent solem e terra recurrentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, et e terra Assumptionem; et ideo cum vidissent eum ex sancta Virgine, tanquam ex abysso exortum, statim exclamaverunt dicentes: Gloria in excelsis Deo.* Itaque iam in primo suae conditionis momento et Christum Dominum et B. Virginem ipsorum Reginam cognoverunt, et tanquam totius suae felicitatis auctores coluerunt: quorum meritis quidquid gratiae et gloriae, quidquid candidum conspiciebant in seipsis, et conspicuum cum gratiarum actione referebant.

1528. Sed scire avebis, an Angelorum illuminationes et revelationes in homines fiant immediate a Deo per Deiparam. In qua re certum est, omnium illuminationum radicem ac principium esse ipsum Deum, quia omnis illuminatio fit de rebus, quae omnem superant naturam, etiam angelicam, ut docet D. Thomas, q. 9 de veritate, ar. 1; cum ergo superent illuminationes vires cuiusque naturae, fieri non potest, ut attingantur ab Angelo, nisi facta revelatione, quae a Deo primum incipiat; quis enim quae sunt in decretis Dei rimari poterit? omnis autem illuminatio solet esse de his arcanis, ac de rebus futuris, quae omnem mentem creatam praetervolant. Quaerimus ergo, utrum eiusmodi illuminationes immediate fiant a Deo alicui supremo Angelo, vel immediate fiant alicui alteri medio inter Deum et Angelos: non est autem sermo de Christo Domino, cum enim verus sit Deus, sub Dei nomine ipsum complectimur. Ratio ergo dubitandi solum esse potest de B. Virgine, quae est prima immediate post Deum creatura, et medium inter Deum et alias omnes creaturas intellectuales interiacens.

Censeo ergo nunc omnes Angelos illuminari, etiam supremos immediate a Virgine Deipara, tanquam ab ipsorum Regina ac Domina. Probari potest primo, quia inter Deum et omnem Angelorum collectionem, hoc unicum medium reperitur, nempe Virgo Deipara; ergo omnis illuminatio, quae a Deo procedit, per illam immediate derivatur in Angelos; unde apte Ecclesiae Collum nuncupatur, quia per illam omnia charismata, omnes gratiae, revelationes, donaque, quae ad fidelium statum ordinantur, post Deum et Christum dimanant. Adstipulatur huic thesi Franciscus Mayro in ser. de creatione animae Virginis, ubi ait Dei Genitrici adaptari illud Psal.. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, quia Deipara suam vim illuminativam immediate sumit a personis Altissimae Trinitatis, et iuxta sui nominis etymologiam, quae ex Hieronymo est Illuminatrix; illuminat quatuor hierarchias sibi subiectas ordinate incipiendo ab ordine Seraphico; illuminat enim tres hierarchias Angelorum, et quartam, quae est Ecclesiastica.* Praesertim cum illuminationes, quae fiunt Angelis quibuscunque etiam ex prima Hierarchia, in ordine ad Ecclesiam militantem fieri solent, ut videre est in Daniel. c. 10, et alibi; at ad statum B. Virginis spectat Ecclesiae militantis regimen et recta gubernatio; ergo etiam et revelationes immediate ad Deiparam spectabunt, et per illam ad Angelos. Quasi in Mariam non derivetur illuminatio per spirituales Intelligentias, sicut solemne est apud Angelos, in quibus inferiores a superioribus illuminationes hauriunt, sed B. Virgini immediate a Trinitate illuminatio omnis dispensatur, et per ipsam in reliquos Angelos descendit. His lucem dabit Petrus Damianus, ser. 4 de Assump.: *Praeelecta*, inquit, *ut sol, quia sicut sol solum orbem illuminat; sic haec sola solidiori lumine et Angelos et homines illustrat.* Sicut ergo sol immediate a Deo lumen accipit, ab ipso autem sole in lunam, reliquaque sydera lumen effunditur; sic B. Virgo a Deo Trino sine ullo medio lucem et illuminationes sortitur: a B. Virgine reliqui omnes sive Angeli, sive homines illuminationum ac revelationum arcana mutuantur. Suffragatur s. Bonaventura in speculo B. Virginis, lect. 3: *Sic ergo*, ait, *illuminans Maria in gloria sua rutilans per omnia respicit; quia per omnes Angelos, et per omnes Sanctos gloriae suae illuminationem extendit.* Assentitur s. Bernardinus, tom. 3, ser. 3: *Electa est ut sol ad irradiandam totam multitudinem spirituum Beatorum.* Proximior igitur ac vicinior luci inaccessibilis Trinitatis, eiusdemque iubare immersa et incandens, sacrumque illuminationis splendorem epota, radios earundem revelationum in Angelos et homines eiaculatur. Ex hac propinquitate Mariae cum Sole lucis infinitae, se decoloratam fuisse eadem Deipara fatetur radiis solaribus mentis suae oculos perstringentibus, ut scite expendit Laurentius Iustinianus de connubio animae: *Habet nihilominus qui summus est Seraphim se dignitatem superiorem: nulli haec praerogativa attribuitur, nisi B. Virgini; ipsa quoque habet, quem miretur supra se, illum utique, qui ob Divinitatis gloriam in Patris dextera residet. Vox est enim B. Virginis ob huiusmodi graduum discretionem: Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.*

Imo autumo primam revelationem Angelis factam de Deipara, quae iuxta sententiam s. Vincentii Ferrerii, serm. de Concep. Mar., facta fuit ipsis Angelis, statim atque in gratia solidati

sunt, meritis ipsius Deiparae attribuendam; ait enim praedictus Pater: *Tunc Deus revelavit sanctis Angelis, quod eorum ordo repararetur, non de Angelis, sed de hominibus poenitentibus, et obedientibus, et credentibus, dicens omnibus, quod ipse crearet unam Virginem, ex cuius fructu tota civitas ista populabitur; ideo dicit ipsa: Ego ex ore Altissimi prodivi, quando eam revelavit sanctis Angelis: Ego feci, ut oriretur lumen indeficiens, scilicet dies revelationis.* Itaque revelatio et illuminatio haec mediante Deipara facta est; ideo enim ait ipsa: *Ego feci, ut oriretur lumen indeficiens,* scilicet dies revelationis. Et D. Bernardinus, tom. 3, ser. 3 de glorioso nomine Mariae, c. 2, haec habet: *Ideo Salomon de Virgine ad Christum inquit (Cant. 7): Collum tuum sicut turris eburnea; nam sicut per collum spiritus vitales a capite diffunduntur per corpus, sic per Virginem a capite Christo vitales gratiae in eius mysticum corpus continue transfunduntur; unde iste est hierarchicus ordo, et defluxus caelestium gratiarum, ut prius a Deo defluat in Christi animam benedictam, deinde defluat in animam Virginis, deinde in Seraphim et Cherubim, et sic successive in alios ordines Angelorum atque Sanctorum, ac demum in Ecclesiam militantem, et maxime in amicos Dei et Virginis gloriosae.*

Quae omnia rite confirmari possunt ex illo Pauli ad Ephes. 3: *Mihi*, ait, *omnium Sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat Principatibus et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ubi docet Paulus, ab Ecclesia, nempe ab Apostolis, didicisse Angelos plurimas circumstantias mysteriorum Incarnationis, et aliorum. Quod perspicue ostendit D. Thomas in praefata Pauli verba: *Per quid autem*, ait, *Principatibus et Potestatibus in caelestibus innotescat multiformis sapientia Dei? Per Ecclesiam: quod quidem habet magnam difficultatem; nam Glossa habet: id est per Apostolos in Ecclesia praedicantes. Unus quidem intellectus esse potest, quod scilicet Angeli ab Apostolis didicerunt, et hoc videtur quandam rationem habere; videmus enim quod in coelo inter Angelos superiores, qui immediate a Deo illuminantur, illuminant et docent inferiores Angelos, qui non immediate illuminantur a Deo: non videtur irrationabile, quod doceant Angelos Apostoli, qui immediate a Deo sunt edocti, iuxta illud Ioan. 1: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hucusque Angelicus Doctor. Consentit Theodoretus: *Nec Potestates,* inquit, *quae sub adspectum non cadunt, sciebant mysterium, sed per dispensationem, quae est in Ecclesia, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt.* At nos alibi pro certo statuimus, Ecclesiam, id est Apostolos, plurima hausisse mysteria ab una B. Virgine; ergo et modo nihil prohibet quominus etiam Angelorum in homines illuminationes immediate fiant a Deipara, quae quia propinquior illi scientiarum omnium inexhausto fonti Deo-homini, prius illuminatur, ac sacros revelationum latices ebibit, ut Angelis instillet, hique in homines effundant.

CERTAMEN IV.

Disquirit quaestiunculas aliquas non contemnendas circa legationem a Gabriele factam B. Virgini.

1529. Quanti fuerit momenti ac ponderis eiusmodi legatio, neminem latere poterit, qui Mittentis maiestatem, Virginis ad quam mittitur excellentiam, Nuncii missi praestantiam, rei nunciatae reconditum et altissimum arcanum, Salutationis novam et inauditam seriem attente perpenderit. Et primo hic brevi stylo subiiciam rationes aliquas, cur Angelus potius mittatur, quam homo propheta aliquis, cum ad annunciandum Deum futurum hominem, nuncius homo magis congruere videretur. Respondet Hieronymus, ser. de Assump.: *Bene Angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas; profecto in carne, praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed caelestis.* Plusquam angelicam vitam agebat Maria, unde opus fuit Angelum ad eam mitti, non hominem. Aliam subiicit rationem Beda apud Glossam in Luc. c. 1: *Aptum humanae restaurationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a Diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam.* Scite in hanc rem D. Chrysologus: *Ut homo cursibus eisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina, ut nostrae perditionis initio, conveniens nostrae reparationis principium responderet.* Tertiam adhibet rationem subtili calamo idem Chrysologus ibidem: *Audistis fragilem nostrae carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam, Angelica exhortatione roborari: sicut enim Christus interdum per Angelum confortari voluit, sic decuit Virginem.* Quare sicut ad Christum roborandum in agonia ex tormentorum repraesentatione constitutum Angelus e coelo demittitur; ita ad Virginem idem Angelus, qui *fortitudo Dei* cognominatur, dilabitur propulsaturus eius turbationem et agoniam ex auditis propriis laudibus resultantem: grande profecto Marianae demissionis elogium.

Nunc disquiro primo, an Angelus Gabriel huius Legationis nuncius inter omnes caelestes Spiritus supremum sibi vendicet locum; an solum inter Archangelos. Hoc secundum adstruunt aliqui Patres: D. Gregorius, hom. 34 in Evang., ait enim: *Hi, qui minima nunciant, Angeli; qui vero summa annunciant, Archangeli vocantur: hinc est enim quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.* Et D. Bernardus de consideratione, c. 41: *Putemus Angelis praeesse Archangelos, qui non nisi ob maximas et praecipuas causas mittuntur, ex quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus dicitur ad Mariam ob causam, quae maior esse non potest.* Quorum placitum secutus D. Tho-

mas, 3 p., q. 30, art. 2, ait: *Satis credibile est, quod sit summus in ordine Archangelorum.* Quibus consonant D. Irenaeus lib. 5 advers. haeres., cap. 2, Ambrosius, lib. 1 de Spiritu sancto, c. 7, Augustinus, ser. 14 de nat. Domini, Caietanus in 3 p., q. 30, ar. 2, Abulensis in Mat. cap. 18, quaest. 60.

Rationibus etiam fulciri potest haec sententia; quia Michael antistat Gabrieli excellentia, et perfectione, ut aiunt D. Hieronymus super cap. 9 Danielis, Basilius, hom. de Angelis, Rupertus, lib. 5 in Apoc., et non obscure innuit Ecclesia, dum in publicis Litaniis praeponit Michaelem Gabrieli: tum etiam quia in festo s. Michaelis pangit Evangelium illud: *Quis putas maior est in regno caelorum?* Mat. 18. Quasi ingenue confitens Michaelem esse omnium post Christum et Mariam supremum ac maximum naturae et gratiae praestantia, ac pulcritudine: id clare affirmat Basilius cit.: *Tibi o Michael*, ait, *duci supernorum Spirituum, qui dignitate, et honoribus praelatus es caeteris omnibus spiritibus supernis.* Idemque docet Catherinus in c. 1 ad Hebr. quod subsignat suo calculo s. Pantaleon Diaconus relatus a Lippomano hom. de Michaele: *Primum*, inquit, *locum obtinet inter mille millia, et decies mille myriades Angelorum, et proxime, et citra ullum stuporem canit ter sanctus Michael, qui est maxima et clarissima stella angelici Ordinis.* Aliam rationem exhibet s. Thomas cit., quia scilicet Ecclesia illum Archangelum Gabrielem, non Seraphinum putat; ergo ad Archangelorum ordinem pertinere arbitratur, qui multo inferior est illorum ordinem.

Caeterum Gabrielem supremum inter omnes beatos Spiritus locum tenere nonnulli docuere, auctore D. Thoma, 3 p., q. 30, ar. 2, ubi haec habet: *Quidam dicunt, Gabrielem fuisse de supremo ordine Angelorum, propter quod Gregorius dicit: Summum Angelorum venire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat.* Hanc sententiam tutantur Cardinalis Viguerius in suo decachordo cap. 2, Caelestinus super *Missus est*, ser. 4, qui pro se affert s. Damascenum asserentem: *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos.* In re tamen incerta et dubia solum coniecturis ac congruentiis uti possumus. Suadent igitur hanc partem eiusdem patroni: primo, quia conforme omnino erat tanti mysterii granditati, ut supremus omnium Angelorum deligeretur, cui suprema legatio demandaret. Deinde ex Luc. cap. 1 non levis congruentia depromi potest, ait enim: *Missus est Angelus Gabriel a Deo.* Ergo immediate a Deo hausit mysterium, nulli ante ipsum Gabrielem Angelo revelatum; siquidem a Deo immediate fuit missus: si immediate; ergo absque interventu superioris Angeli legationem suam a Deo hausit: hoc autem proprium est supremi omnium Angelorum, nam reliqui non a Deo immediate, sed a primoribus Spiritibus revelationes accipiunt, ut non semel tradit Dion. de caelest. Hierar. Perperam autem dices, ex speciali privilegio id contigisse, quod Deus Gabrieli, et non alteri superiori immediate per se legationem illam commiserit, praeter morem ordinarie servatum, non vero quia Gabriel antistaret perfectione reliquis omnibus Spiritibus beatis: similiter et nos adstruere possemus, praeter communem morem ac legem, et ex speciali privilegio, a Deo missum fuisse B. Virgini Angelum aliquem ex destinatis ad eiusmodi causas inter homines peragendas, sed omnium Angelorum supremum fuisse delectum; uti decebat tanto mysterio, tantae legationi, ac tantae Virgini. Praecipue cum ex Isai. 6 constet, Seraphim ad ipsum Isaiam a caelo fuisse delapsum: *Et volavit ad me unus ex Seraphim.* Illum eruditurus, ac ignito carbone eloquentem redditurus, ut Verbum divinum apte et cum fructu hominibus annunciaret; at quis non videat longe rationi rectae conformius fuisse ex supremo ordine principem Seraphim B. Virgini mitti, qui tantum munus obiret? Quid, quod Paulus asserit ad Heb. 1: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi?* Quae verba premens Gregorius Nazianzenus, tract. 2 de Theol. ait: *Quidam Graecorum apprime in Scripturis eruditus Seraphinas virtutes quasdam in caelo esse exponit, quae ante Tribunal Dei assistentes laudant eum, et ad diversa ministeria mittuntur.* Cum ergo praeter communem legem, Seraphini etiam ad ministeria quaedam extraordinaria, et magni ponderis nonnunquam a Deo mittantur (quod expresse etiam tradunt Alexander Alensis, et Altisiodor. tract. de Angelis); nulli mirum videri debeat, a Deo Seraphim supremum ad eiusmodi legationem peragendam missum fuisse; cum longe maius, ac mirabilius sit Verbum divinum in claustrum Virgineum delabi ac mitti, ut carnem indueret, quam omnium Angelorum perfectione maximum mitti, ut Incarnationis nuncium B. Virgini deferat. Nec multum urget, licet in Litaniis Michaeli postponatur Gabriel; siquidem ob id Michael in Ecclesia militanti praeponitur, quia Princeps a Deo, et universalis Ecclesiae patronus, ac protector designatus fuit, sicut et antiquitus Synagogae apud Hebraeos: hoc autem obstare non potest, quin in Ecclesia triumphanti inter omnes Angelos primatum obtineat: imo ex verbis Gabrielis, Dan. 10, satis elicere quis posset, Michaelem non esse inter omnes Angelos primum, sed ex primoribus, ait enim: *Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum.* Ubi non vocat primum, sed unum de primis. Nec officit, quod Gabriel ab Ecclesia Archangelus cognominetur, quominus dicamus, eum non pertinere ad supremum Seraphinorum ordinem; cum etiam Ecclesia ipsum Michaelem modo Angelum, modo Archangelum compellare soleat: sicut enim nomen Angeli generale est omnibus spiritibus caelestibus, licet infimi ordinis sit proprium; ita etiam nomen Archangeli, tametsi proprium sit secundi ordinis infimae hierarchiae, accommodatur tamen omnibus Angelis, qui primatum aliquem sortiuntur inter caelestes Spiritus. Quocirca qui huic sententiae, Gabrieli inter omnes spiritus caelestes primatum adstruenti, patrocinantur, illi pie satis accommodant, et in ipsum

congerunt dotes illas omnes, gratias, pulcritudines ac privilegia, de quibus Ezechiel cap. 28: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius et iaspis, chrysolitus et onyx, et berillus, sapphirus et carbunculus et smaragdus: aurum opus decoris tui: et foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt. Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis in die conditionis tuae.* Demum Gabrielis insignem commendationem habes apud Canisium, lib. 3 de Deipara, c. 1, in haec verba: *Ingentem profecto huius Angeli laudem esse necesse est, quia a summo Deo dilectus ad summum conficiendum negotium in terras destinatur, quique Domini sui legantis mandato ad unguem paret, ac iuncto munere in tota legatione, sedulo perfungitur, ut Evangelicae gratiae ad communem salutem hominum prima quodammodo iaciat fundamenta. Quid illo nuncio expeditius? quid tali monitore sapientius? quid hoc procuratore fidelius, qui de arcanis caelestibus in conclavi Virginem invisit, salutavit, instruxit, remque totam a piis omnibus, tot saeculis vel maxime desideratam rite confecit?*

1530. Secundo disquirat aliquis, an Gabriel B. Virgini apparuerit in specie visibili et humana. Et quidem rationi consonum videtur, ut non apparuerit in visibili et humana specie, quia revelatio eo perfectior est, quo intellectualior, et ab omni sensu remotior, et ab omni imaginaria visione abstractior, ac purior; sed haec revelatio facta per Gabrielem B. Virgini fuit perfectissima, tum propter mysterii altitudinem, tum propter B. Virginis excellentiam: ergo haec revelatio facta per Gabrielem fuit pure intellectualis, et ab omni exteriori sensu semota; ac proinde Gabriel non se conspiciendum dedit B. Virgini in specie visibili, et humana. Arbitror tamen cum Suario, tom. 2 in 3 p., disp. 9, sect. 2, Gabrielem huius legationis nuncium sub corporea pulcherrimi adolescentis forma B. Virgini apparuisse: ita censent plures ex Patribus, D. Ambrosius, lib. 1 de offic., cap. 8, et lib. 2 in Luc., Eusebius Emissenus hom. super *Missus est*, Chrysologus serm. 140, Hieronymus tom. 1, epist. 7 ad Laetam de institutione filiae, et epist. 22 ad Eustoch., Augustinus serm. 14 de Nativ. tom. 10, Laurentius Iustin. ser. de Annunc. qui ait: *Insolito fulgore vestitus Angelus in humana effigie descendit ad Virginem.* Quibus consonant Alberti Magni verba: *Angelus venire debuit in veste clara; maximus hic splendor eam decebat legationem, ex qua totius orbis splendor est ortus, foeminis fulgentes apparuerunt Angeli, si illis coruscantes visi sunt Angeli, cur non Virgini?* Quod si legati pretioso induti amictu Regem invisunt, et alloquuntur, oportebat etiam ut nuncius caelestis sub splendida veste ac radianti amictu caeli Reginam allocuturus appareret. Iterum Augustinus, serm. 18 de tempore, idipsum affirmat, ubi introducit Virginem Mariam describentem Angelum his verbis: *Ignaro Iosepho sponso meo, venit ad me quidam magnus Christi Paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, sed Gabriel ille Archangelus facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabili, adspectu terribili, dixitque mihi: Ave gratia plena.* Cuius rei optimam assignat rationem s. Thomas 3 p., q. 30, art. 3, nempe quia cum invisibilis Deus visibilem carnem assumpturus erat, oportebat ut invisibilis spiritus sub visibilis corporis specie B. Virgini appareret: ideo revelationes antiquitus factae Patriarchis ac Prophetis ad hanc Verbi divini in carne apparitionem adumbrandam sub specie visibili et humana ab Angelis fiebant. Nititur hic sentiendi modus etiam verbis illis Luc. 1: *Ingressus Angelus ad eam dixit* etc., et concludit: *Discessit Angelus ab ea.* Siquidem ingressus ille, ac discessus corporeum motum alicuius visibilis corporis adsignificat; praeterea mutua illa collocutio Angeli ac Mariae, sensibilis erat dubio procul: loquebatur ergo B. Virgo sensibili voce ad eum, qui sensibiliter audire apparebat, et sensibili voce pariter loquebatur. Demum hic revelationis modus obstare non poterat perfectissimae B. Virginis cognitioni, imo illam, tum et fidem maxime iuvare poterat. Quare rationi oppositae respondeo, visionem intellectualem esse perfectiorem, quam visibilem et imaginariam, dum haec sola reperitur: cum autem concurrit intellectualis cum sensibili, et imaginaria, tunc perfectior existimatur cognitio. Videndus hac de re Pineda de praevio Salomone, lib. 3, c. 8, n. 3, quae enim ibi disputat, apte huic instituto adaptabis. Ulterius pennatusne ingressus Gabriel ad Mariam? Communis enim pictorum censio haec est, ut patet in imaginibus. Sed dicendum haudquaquam Angelum alatum ad Mariam accessisse, quia non eget hoc alarum adminiculo, ut ocyor accedat; ut bene Viguerius Cardinalis in suo decachordo, chorda 1, tit. 18, ubi haec habet: *Cum Angeli sentimus ingressum, non existimemus quod pingitur, suffultum pennis in cubiculum sanctae Virginis Gabrielem advolasse; monstrum fuisset, effigiem hominis videre volantem. Sciebat Virgo testimonio Scripturarum, Angelos non egere alarum adminiculis ut in hominis effigie ad homines veniant.* Monet autem Chrysostomus, homil. de incomprehensibili Dei natura, volitantem illum a pictoribus delineari, non quod Deus pennatum illum condiderit, sed ob sublimes et excelsas caelestis naturae vires; atque ut illum a supremo domicilio ad terras ocyorem euro descendisse crederemus: ob eandem rationem Chrysologus, ser. 142 dixit: *Ad Virginem Deum aligerum portatorem misisse.*

Sed quod temporis spatium Gabriel cum Maria insumpsit? Tradunt monumenta Congregationis s. Gregorii in Alga apud Lusitanos, quorum auctores accepisse ferunt a B. Virgine, Gabrielem legationem illam apud Mariam fungens, integras novem horas insumpsisse, quod sacer Textus innuere videtur, dum ait: *Et discessit Angelus ab ea.* Quasi obstupefactus rerum no-

vitate, ita haesit, ut avelli nequiret. Ita bonum ac iucundum erat Gabrieli, B. Virgini adhaerere, et cum ipsa sermones miscere, iam Matre Verbi divini effecta, ut vix iam caelum cogitaret, nisi Dei praeceptum aliud iuberet. Ita refert P. Antonius de Balinghem nostrae Societatis in Calendario Virginis, Novarinus in umbra Virginea, n. 960; Mayro censet mysterium Incarnationis incoeptum hora vespertina, sed colloquium cum Angelo usque ad matutinum fuisse productum, cuius rei signum est quod sero, et summo mane pulsantur campanae ad Salutationem angelicam.

1531. Vestigabis tertio, utrum B. Virgo non solum corporeis oculis externam Angeli formam viderit, sed etiam illius substantiam mentis oculis conspexerit. Negat s. Thomas 3 p., q. 30, art. 3, ait enim: *Fuisset nobilior apparitio, si ipsum Angelum Virgo intellectuali visione in sua substantia vidisset, sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod Angelum per essentiam videret.* Sed cum alibi late ostenderimus, B. Virgini ab instanti Conceptionis inditas fuisse species Angelorum, consequenter asserimus a B. Virgine internam Gabrielis substantiam mentis oculis fuisse introspectam; ita s. Athanasius in lib. quaestionum ad Antiochum, qu. 12, cuius haec verba circumferuntur: *Sola sancta Deipara Virgo nudam essentiam Gabrielis Archangeli contemplata est.* Cui assentitur M. Albertus, super *Missus est*, ubi ait: *Fuit in Virginis anima species propria, quam habuit dispositive per naturam, completive per gratiam, et secundum hanc vidit Angelos, et animas, et Daemones.* Et probari potest, quia decuit B. Virginem perfectius videre Angelum, quam viderint antiqui Prophetae, dum ipsis apparebant. Et sane nihil mirum si viderit essentiam, ac substantiam Angelicam, quae aliquando ad clare videndam divinam essentiam evecta est. Neque obstat, si quispiam obiiciat: si Virgo B. clare substantiam Angeli intuita esset, nulla turbat one pulsaretur de qua Lucas: *Turbata est in sermone eius.* Cum enim clare videret sanctum Angelum, ac vere Dei nuncium intueretur, nulla posset adesse turbationis causa. Verum turbationis illius plures suo loco causas producimus; nunc dicimus turbationis illius causam ortum habuisse ex eo, quia erat ingenti animi demissione praedita, nihil de se magnum, nihil conspicuum cogitabat, quare cum praeter existimationem quam de se habebat, ita honorifice salutari ab Angelo audivit, in admirationem rapta simul essentiam Angeli clara visione intueri poterat: imo et Gabrielis nomen certo scivit, ac Lucae aperuit, et ipse in Evangelio inscripsit: quod docet Marcus Viguerius in decachordo, part. 2, c. 18, his verbis: *Angelum ad Virginem accedentem Gabrielem nominari, unde habes, o Evangelista? Non solum cognovit Maria Angelum, sed divinitus inspirata nomen Angeli, ut primum sibi apparuit, intellexit; ita mihi Evangelium scribere volenti narravit.* Quod vero clauso ostio ad B. Virginem accesserit Gabriel probabilius est, iuxta D. Bernardinum, Simonem de Cassia apud Novarinum in Umbra Virginea, n. 958.

1532. Inquires quarto, quo tempore et loco facta fuerit eiusmodi Gabrielis ad B. Virginem legatio. Et quidem de anno, in quo hoc mysterium peractum fuit, tractant Chronologici: videndus Baronius, Salianus. Agit etiam Suarius, tom. 1 in 3p., circa q. 4 D. Thomae, ar. 4, ubi diserte agitur, quo anno ab orbe condito peracta fuerit Verbi divini Incarnatio. De mense ac die iam invaluit ecclesiastica traditio, factam fuisse Incarnationem octavo kalendas Aprilis, id est die 25 Martii; quando creditur mundus conditus iuxta Athanasium cit., q. 17, Chrysostomum hom. 1 in Luc., Augustinum ser. 18 de nativ., qui est 22 de tempore, ubi ait incarnatum fuisse in aequinoctio vernali, quod est die 21 Martii, quia valde prope aequinoctium peractum fuit hoc mysterium: unde Ecclesia latina die 25 Martii annua solemnitate recolit hanc Gabrielis ad B. Virginem legationem. Quam traditionem secutus Eugenius IV in Decreto Fidei post ultimam sessionem concilii Florentini, § *Octavo*, cum videret Ecclesiam graecam dissidere a latina in die huius festi celebrationis, voluit Graecos ad eandem normam Ecclesiae latinae revocare post maturam locorum sanctorum Patrum discussionem; tum consuetudine Ecclesiae Romanae innixus praecepit, ut die 25 Martii a graeca Ecclesia Annunciatio celebraretur.

Inter Patres et Interpretes controvertitur circa horam, in qua delatum fuerit B. Virgini nuncium ab Angelo. Quidam ad auroram, nonnulli in meridie, alii sub vesperam; nec desunt qui dicant profunda nocte perlatum: horum omnes rationes colligit ac ponderat Albertus Mag. in Mariali c. 28. Salazar in Cantic. cap. 1, v. 7, in expositione Hypermixtica, assentitur his qui sustinent ad vesperam diei factum fuisse nuncium B. Virgini ab Angelo; et probat, quia cum Incarnatio Verbi divini, ipsius Virginis B. ac totius humanae naturae connubium contineret, eo tempore fieri oportuit, quo antiquitus nuptiae celebrabantur, nempe ad vesperam. Confirmat s. Amadaeus in sua Apoc. raptu 5, § 65, ubi asserit, Gabrielem duobus aliis Angelis comitatum ad Mariam Virginem descendisse, et sub persona trium ait: *Ingressi sumus ad eam quasi novissima diei hora, sicut in novissimis diebus Incarnatio fieri debebat:* additque inde ortum morem perantiquum salutandi B. Virginem sub vesperum ad pulsum campanae; atque hac de causa, ut refertur in vita s. Bonaventurae, a summo Pontifice obtentum est, ut ea hora signum daretur ad salutandam B. Virginem. Eadem coniectura ductus Albertus super *Missus est*, censet summo mane factam fuisse Angelicam hanc legationem, quia ea hora mos invaluit, facto signo B. Virginem salutare, eademque ratione quispiam opinari posset sub meridiem id contigisse. Alii denique dicunt media nocte Angelum apparuisse; et quidem verba illa Sap. 18: *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de caelo a regalibus sedibus venit*, aptius tempori Incarnationis adaptari possunt: quid, quod optimae rationi conso-

num erat, ut eadem hora Incarnatio fieret, qua Christus in lucem editus fuit, ut novem integris mensibus in utero B. Virginis delituisse dicatur, quod ad Conceptionis perfectionem conducere videtur, estque magis conforme Traditioni Patrum et Ecclesiae. Nisi dixeris, Gabrielem salutasse B. Virginem sub vesperam, et protractum fuisse sermonem cum ea usque ad horam duodecimam noctis, quo tempore peracta fuit Verbi divini Incarnatio.

Quod ad locum spectat, impudenter haeretici cum suo duce Luthero affirmant apud Canisium, lib. 3 de Deipara, c. 1, forsan tempore quo ab Angelo salutata fuit, apud aliquos confabulantem, vel rei culinariae, vel agrariae incumbentem invenit Angelus: quod figmentum esse sacrilegum aperte verbis Lucae convincitur; ait enim: *Ingressus Angelus ad eam*, quae verba ita commentatur Ambrosius, lib. 2 in Lucam, cap. 1: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste.* Et Bernardus, hom. 3 super *Missus est*, idem contestatur; Hieronymus epist. 7, quae est ad Laetam, et alii apud Canisium: quod cubiculum usque in hodiernum diem Angelorum ministerio translatum fuit primo in Illyricum, deinde in Italiam, quod usque modo permanet, et Lauretana Ecclesia compellatur, et in summa religione ab omnibus Christi fidelibus habetur. Qua de re fuso calamo agit Canisius, lib. 5 de Deipara, c. 25.

CERTAMEN V.

Causas turbationis Marianae in Angelica legatione disquirit.

1533. Sciscitaberis quinto, qualis fuerit perturbatio B. Virginis, audita Angeli legatione, et unde orta; ait enim Lucas c. 1: *Cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat.* Quibus verbis trifariam commendat Evangelista Deiparam, nempe ab auditu, a cogitatu et affectu. Primo laudat eius taciturnitatem. Secundo, a cogitatu commendat eius prudentiam; dixit enim Sapiens: *Cogitare de sapientia, sensus est consummatus*, Sap. 6. Ideo B. Virgo cogitabat, qualis esset ista salutatio. Ab affectu etiam illam effert, dum ait: *Turbata est in sermone eius.* Per quae Mariana verecundia valde commendata manet, quam longe antea praedixerat Sybilla Erythraea, lib. 8 Oracul.:

> . . . . . Tum virginitatis amatrix
> Perpetuae, magno subito correpta stupore,
> Atque motu trepida, pressit formidine mentem,
> Ignotis verbis, commoto corde tremiscens.

Hanc taciturnitatem Marianam efferens Bernardus ita fatur: *Nunquid non narratur, ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse? Sic et Magi quoque, si recolis, non sine Maria Matre, eius puerum invenerunt: et inducens in templum Domini Dominum templi, multa quidem a Simeone audivit. Quam de seipsa ad loquendum tarda, velox ad audiendum: et quidem Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo; sed in his omnibus, neque de ipso Incarnationis mysterio quodcunque verbum fecisse reperies. Toties denique Maria Filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis seorsim regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit spirantem, vidit resurgentem, vidit et ascendentem; sed in omnibus quoties verecundissimae Virginis vox memoratur audita?* Quasi dicat septies tantum locutam, ut alibi a me monitum est. Verum scrutemur nunc causas, quae perturbationi Virgineae ansam praebuerunt. Caietanus in 3 p., q. 30, art. 3, censuit in animo Virgineo turbationem ortam ex necessitate materiae, seu ex imbecillitate corporis, quod maxime debilitari solet, dum animus per multum temporis ad superna tendit, ac caelestibus vacat. Sed fallitur Caietanus, cum enim turbatio consurgit ex eiusmodi virium imbecillitate, semper humanam praevenire solet voluntatem, et usum liberi arbitrii antevertere; quod longe alibi a tanta Virgine propulsavimus: praesertim cum haec virium debilitatio multum etiam a B. Virgine abhorreat. Bene Bernardus, hom. 3 super *Missus est: Turbata est et non perturbata; turbata est, et non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Et Andreas Episcopus Hierosolym. serm. de Annunc.: *Sola autem*, inquit, *quadam dispositione aliquantulum meditabunda, mentis commotionem quandam significavit, morum decore pro sermone usa.* D. Ambrosius, lib. 1 de offic., c. 13, Hieronymus, Damascenus ferunt hanc Virgineam turbationem contigisse ex subita et inopinata apparitione Angeli in forma viri, cui sensui adfavet translatio alia, quae, ubi nos legimus: *Quae cum audisset*, illa legit: *Quae cum vidisset.* Audi Ambrosium: *Salutata ab Angelo, tacet, et mota est ad introitum eius, quia ob virilis sexus speciem peregrinam, turbatur adspectus Virginis.* Et super cap. 1 Luc.: *Trepidare, virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Et lib. 2 de Virgin.: *Gabriel eam ubi revisere solebat, invenit, et Angelum Maria, quasi viri specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit: ita peregrinata est in viro, quae non est peregrinata in Angelo.* Verba Hieronymi subiicio: *Ideo forsitan timore perterrita Virgo est, quia virum, quae non solebat, adspexit;* epist. 7 ad Laetam. Et in epist. ad Eustochium: *Quae hominem formidabat, cum Angelo loquitur intrepida.* S. Damascenus, orat. 1 de Dormit. Virg.: *Virgo Angeli ore commota est, utque cum viris colloqui minime consuevisset, siquidem virginitatem sedulo servare constituerat.* Quasi vix virginitas custodiri queat in mutuis cum viris colloquiis et confabulationibus, ubi B. Virgo in virginum pectoribus maximam secessus imprimit aestimationem, et perpetuam ab hominum colloquiis ac concursibus fugam ac recessum stabilit.

1534. Hic autem opinandi modus displicet Vasquez, tom. 2 in 3 p., disp. 126, c. 4, quia Lucas perspicue aliam huius turbationis causam

assignat verbis illis: *Turbata est in sermon eius*, quia salutationis verba et turbationis causam subministravit. Ita Eusebius Emissenus, hom. 4 post 4 Dominicam Adventus: *Turbata est*, inquit, *non in vultu eius, sed in sermone eius, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat; et quid illa tam officiosa salutatio sibi praetenderet, cogitabat.* Subsidiatur Petrus Chrysologus, serm. 140: *Quid est, quod personam videt, et de sermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, divina repromittens. Unde et Virginem, quam leviter visus sollicitaverat, nimium turbavit auditus, et quam missi praesentia parum moverat, concussit toto pondere mittentis auctoritas.* Eandem adhibet causam Origenes, hom. 6 in Lucam, nempe insolitam et peregrinam salutandi rationem. Licet autem verbum εἶδε, quod est in graeco, significet Videre, etiam significat Scire, seu Cognoscere: tum etiam verbum latinum, *Video*, teste Augustino, tractat. 121 in Ioan., ita denotat sensationem visus, ut ad alios quoque sensus porrigatur eius significatus, dicere enim solemus, ait Augustinus: *Audi, et vide quam bene sonet; olfac, et vide quam bene oleat: gusta, et vide quam bene sapiat: tange, et vide quam bene caleat.* Unde opinatur dictum illud a Christo: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, sumi pro eo: Quia tetigisti me. Quare cum ait Evangelista: *Quae cum vidisset*, iuxta lectionem graecam, idem est, ac si diceret: Quae cum cognovisset, vel, quae cum cognovisset, vel, quae cum audisset, sicut habet nostra Lectio vulgata.

Itaque verius multo existimo, B. Virginem statim a principio perfecte Angelum cognovisse, cum assueta esset Angelorum visionibus, vel a Spiritu sancto edocta, cum videret hominem in cubiculum ingressum nocte, ac ianuis clausis: imo absque testimonio ipsius Gabrielis a B. Virgine proprio nomine cognitus fuit, praesertim cum ipsius Angeli essentia clare intuita fuit, ut diximus, itaque simul atque Angelum vidit, ipsum proprio nomine agnovit. Quocirca non fuit orta haec turbatio Mariana ex Angeli apparitione, quod in specie humana apparuerit: ac multo minus haec turbatio fuit ex eo, quod a principio salutationis dubitaverit Maria, an Angelus bonus, vel malus esset; tametsi id verisimile appareat Bernardo, hom. 3 super *Missus est: Sciebat*, inquit, *prudens Virgo, quod saepe Angelus Satanae transfigurat se in Angelum lucis*, etc. *Ne timeas, Maria, nihil hic doli, vel fallaciae, nullas hic insidias suspiceris, non sum homo, sed spiritus, non Angelus Satanae, sed Dei nuncius.* Simile quid suspicatus fuit Euthymius super cap. 1 Lucae: *Turbata est, quia timuit, ne forte dolus esset, et cogitabat, utrum divina esset salutatio, an a Daemone.* Cui sensui favet Andreas Hierosolym. Episc. serm. de Annunc.: *Ne timeas*, ait, *Maria, non fraudulentus hic modus est, aut fallendi animo ad te venio, non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuncius adsum, ex altissimis veni laetum nuncium allaturus, nec qualecunque laetum nuncium.* Neque enim adduci possum ut credam, B. Virginem subdubitasse, an Angelus Satanae in Angelum lucis se transformasset; hoc enim dedeceret tantam Virginem: sicut etiam quod dubitaret, an salutatio illa amatoria esset. Quod expresse tradit Theophylactus in illud Luc. 1: *Erit enim magnus.* Citatur pro hac sententia Hieronymus, epist. 7 ad Laetam, qui ait, ex adspectu Angeli turbatam fuisse, quod in specie hominis iuvenis apparuerit, sic enim suspicari posset, verba illius amatoria esse, quod non obscure indicat Ambrosius locis citatis. Equidem pudicam ac sanctissimam Virginem, nihil amatorium in ea salutatione olfecisse certum puto: quia indignum id erit tanta honestate ac sanctimonia ipsius; praesertim cum ostenderimus minime turbatam fuisse adspectu Angeli, quod in specie adolescentis apparuerit.

1535. Quocirca cum pluribus Patribus existimo turbationem Marianam ortum habuisse ex ingenti ipsius animi demissione, quia salutatio illa insolens, ac perhonorifica nunquam in sacris Literis appareret, quare ea se indignam prorsus iudicabat. Ita Origenes hom. 6 in Luc.: *Si enim sciret Maria, et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat legis scientiam, et erat sancta, et Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat, nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset.* Ex Origene Ambrosius, lib. 2 in Lucam, idem contestatur: *Et ideo turbata est cum verecundia, quia pavebat cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam antea comperta, soli Mariae haec salutatio servabatur.* Clarius Bernardus serm. in Nativ. Mar. de aquaeductu: *Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit, denique usque adeo gratiae fidit, et non altum sapit, ut salutationem Angelicam vereatur. Maria*, inquit, *cogitabat qualis esset ista salutatio, nimirum sese salutatione Angelica reputabat indignam.* Subscribit Laurentius, serm. de Annunc., huius turbationis causam, Marianam animi demissionem assignans: *Consuevit*, inquit, *humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficile fidem accommodare eis, quae super eam esse censentur.* Eiusdem est sententiae Chrysologus supra datus, § *Hic opinandi*, et subdit in eandem sententiam: *Quamvis motu blando, affectu pio, Virginem sibi in Matrem, famulamque sibi verteret in parentem, viscera tamen eius turbata sunt, ipsa quoque tremefacta humana conditio, cum eius conditor Deus, quem tota creatura non capit, totum intra pectus Virginis se recepit, nam ut Angelum vidit, mens eius contremuit; cum eius ingressu Deitatis sensit ingressum.* Succurrit suffragio suo D. Augustinus, serm. de Annunc.: *Post illius benedictionis praesagium terretur Virgo de novitate verborum.* Turbatur itaque quod depositum Patris totum in se recepit, de eoque strictam rationem suo tempore exhibitura est, ut et hinc discamus, beneficiorum in nos a Deo collatorum, eo maiorem a nobis

rationem esse reddendam quo illa fuerint ampliora; Deumque in suis dilargiendis donis, tametsi munificentiam Regis ostenderet, nunquam incorrupti Iudicis exuit severitatem. Ob id forsan Deus in Mariae utero sacratissimo humanam induens naturam, timor nuncupatur, ut ait Galatinus, lib. 3, cap. 1 ex rabbi Simeone: *Incorporabitur concinne in foemina hic Timor, scilicet Deus.* Ea erat utique animi demissione praedita B. Virgo, ut ingenti turbatione pulsetur, dum eius laudes auscultat, opusque habebat Angelo confortatore, ut auditas proprias laudes, quas crucem ac tormenta reputabat, aequo animo ferat, ut subtiliter Chrysologus supra meditatus fuit.

D. Bernardus aliam, praeter assignatas, exhibet huius turbationis causam, nempe innatam B. Virginis verecundiam; ait enim serm. 3 super *Missus est: Solent Virgines semper esse pavidae, et nunquam securae, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum; et nimis arduum esse, angelice vivere inter homines, et in terris more caelestium conservari, unde omne novum suspectas reddit insidias.* Quae tametsi in reliquas maxime quadrare videamus; at minus bene B. Virgini adaptari possunt, quae nulla a malo Daemone decipula vel insidias, ut diximus, parari certo sciebat. Bene autem in B. Virginem cadunt, quae subdit Bernardus verba: *Quod turbata est, verecundiae fuit virginalis; quod non perturbata, fortitudinis; et quod tacuit, et cogitavit, prudentiae.* Qui Virgineus pudor, ac turbatio ex verecundiae virtute orta, adeo Deo arrisit, ut in ventrem Virgineum distulerit venire, quousque B. Virgo prae verecundia turbationem conceperit, ita ut noluerit ex sanguine Virgineo prius formari, quin rubori, ac verecundiae deserviret: sicut Veterum monumenta prodidere apud Alexandrum ab Alexandro in lib. Gen., in ethnicorum sacrificiis oraculum Apollinis nunquam responsum dedisse suum compertum est, donec victima in ara iam posita turbari ac tremefieri caepisset: ita Verbum divinum aeterni Patris oraculum, iuxta illud Pauli: *Novissime autem locutus est nobis in Filio*, nunquam antiquis Patribus ac Prophetis reipsa respondit, donec B. Virgo in sacrificio tam animae, quam corporis sui, quod Deo obtulit, prae verecundia turbari ac tremere coepit. Deum enim, non homines, multum domos habitare trementes delectat. Quod sacrificium a verecundia Virginea Deo dicatum cum sacrificio Martyrum, dum sanguinem suum alacriter per manus carnificum Deo litabant, contendere potest. Hanc Marianam verecundiam reliquis Virginibus ad imitandum proponit Ambrosius, lib. 2 in Luc.: *Disce virginem moribus, disce virginem verecundia. Trepidare virginum est; et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri: discant ergo mulieres propositum pudoris imitari.* Sententiose Tertullianus, lib. de velandis Virginibus, ad virgines sermonem dirigens ait: *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia, virgo, vela caput; si mater es, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres (secundum annorum nomina dixerim). Omnes in te aetates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiae, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Solet cerva, quae alio nomine *Dama* dicitur, ex sola folii commotione tremere ac pavere; ita virgo, quae Hispano sermone *Dama* dicitur, ad cuiusque affatum prae verecundia pavore concuti oporteret. *Paradisus es, virgo: Evam cave,* monebat ille.

Alii etiam subiiciunt huius turbationis causam, nempe virginitatis amorem, qui ei adeo erat in votis, ut audito nomine prolis, et conceptionis in utero turbatur, et timore concutitur. Rem scite expendit Guilielmus in Cant.: *Obstupuit, et expavit pro cautela votivi propositi sui.* Turbatur ergo Maria, quae Deo virginitatis votum nuncupaverat, audito nomine filii ex utero suo futuri, licet Dei. Alii eiusdem sunt censionis apud Novarinum in umbra Virginea, n. 1443, ubi alios etiam refert, qui ex eo turbatam aiunt, quia erat locutura; adeo enim silentii amans, quae, dum Filius cruci affigitur, non turbatur; turbata est autem, cum in verba, et quidem cum Angelo erat proruptura.

Certamen VI

Quomodo et sub qua intellectuali perfectione B. Virgini fuit revelatum hoc mysterium per Angelum.

1536. Pater Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 9, sect. 2, § *Advertendum*, docet primo, non oportuisse ut hoc mysterium antequam esset peractum, clare et prout in se est, B. Virgini demonstraretur, nec opus fuisse, ut ei revelaretur eo modo, qui omnino abstrahit a cooperatione phantasiae, quia hic modus non erat accommodatus statui viatoris. Docet secundo non fuisse revelatum hoc mysterium revelatione imaginaria, sed intellectuali, quia nulla sensibilis imago sensibus vel imaginationi eius obiecta est, per quam hoc mysterium conciperet, sed nuda veritas est menti proposita, etsi intercedente auditu ac verbo sensibili, quod non repugnat intellectuali revelationi; per auditum enim excitari potest intellectus, ut sub lumine divino interius cooperante, adeo perfecte apprehendat obiectum, ac si immediate illi proponeretur; nam hic sermo est de apprehensione abstractiva, quae per species alienas fit, et est fidei accommodata: haec igitur apprehensio, sive conceptio fit perfectissime per auditum, quia verba sunt signa expressa intelligibilis veritatis, quibus optime intellectus informatur; quibus mediis elevatur ad intellectualem cognitionem abstractivam. Quo modo censet Suarius, propositum fuisse mysterium Verbi incarnati B. Virgini verborum Gabrielis interventu, quibus intellectus Virgineus excitatus, et lumine divino adiutus, perfectissime apprehendit hoc arcanum sacramentum per absolutissimam Fidei cognitionem. Docet tertio haec omnia intelligenda esse de revelatione huius mysterii B. Virgini facta, antequam in ipsa perficeretur: si enim sermo sit de tempore, quo post fidem perfectam, et absolutam, et post consensum

Virgineum, quo medio Verbum Caro factum est, valde credibile apparet mentem eius fuisse elevatam, ut statum viatoris transcenderet, ac mysterium Incarnationis, sicuti in se est, perspicue contemplaretur.

Quae secundo ac tertio loco docet Suarius, vera existimo; at vero quae primo loco adstruit, novo examine et indagine digna reor, utrum scilicet illa revelatio ita imperfecta tantam Virginem, licet viatricem, deceret, praesertim cum nihil obstare videatur, quominus per auditum proponeretur mysterium ab Angelo; postea vero per cognitionem perfectissimam abstractivam a phantasia, ac reliquis sensibus mysterium illud cognosceret. Cui asserto plures ex Patribus suffragantur. S. Ephrem de Margarita pretiosa: *Beatissima*, ait, *Virgo Deum Verbum toto suscepit corpore, simplicitateque naturae, et non curioso, ac redundanti motu, Deitate impleta est. Cognoscebat conceptionem, at viri ingressum ignorabat, et intelligebat inhabitatorem suum latentem.* S. Augustinus, serm. 18 in natali Domini: *Generationem aeternam solus Pater scivit; ipse qui genuit, hanc in se sola Virgo, et Mater intemerata cognovit.* Albertus Magnus in Mariali, cap. 76: *Colligitur, quod Beatissima Virgo de incarnatione, et de Filio Dei incarnato habuerit cognitionem, quae fuit supra fidem, quod scilicet tantum notus esset sibi, qui notus erat Patri, quod nequit intelligi de cognitione Fidei, per quam notus erat et multis. Ex his autem concluditur, quod cognitio Beatissimae Virginis fuit supra fidem et supra omnem cognitionem purae creaturae existentis in via.* Et s. Anselmus, lib. de excel. Virg., cap. 7, docet B. Virginem in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicisse de mysteriis Christi Domini. Fatendum ergo est, B. Virginem non solum expertam fuisse multa per sensus, ac per fidem plurima credidisse; sed etiam plura per supereminentem scientiam divinitus illustratam agnovisse: huius ratio est, quia Filii divinitas, eiusque Hypostasis ac filiatio in ordine ad Patrem, nullo experimento sensuum callere potuit, nisi lumen superius affulgeret, quod Deiparae mentem elevans in Triados cognitionem eveheret. Apte in rem nostram Philippus abbas in Cantic. lib. 4, cap. 23, fatur: *Veritatem venturam nullus praecedentium sic expressit, quomodo Virgo sancta, cui divina bonitas hoc concessit, ut supra quam ab homine, vel ab Angelo dici possit, Incarnati Verbi mysterium expressius et sensibilius ipsa nosset.* Quibus consonant quae Bernardinus docet, t. 2, serm. 51, art. 3, c. 2: *Habuit actualem et experimentalem sensum filiationis Dei, intime cogitando, et saporando quanti filii erat Mater.* Et apud Gregorium Nazianzenum, carmine de Christo patienti, ipsa Virgo Deipara haec fatur: *Enixa sum illum, sed scio quonam modo.* Ipsa ergo Virgo Mater singulari quadam, et eminenti cognitione modum Conceptionis et parturitionis percalluit, cum tamen ille reliquos omnes subterfugeret. Quare sola Virgo Deipara inter puras creaturas Conceptionem et Nativitatem Filii enarrabit, quia nullus omnino, aiebat Tertullianus adversus Iudaeos, c. 12, hominum nativitatis Christi fuit conscius in conceptu, cum Virgo Maria Verbo Dei praegnans inveniretur. His colophonem imponat Guarricus abbas, serm. 1 de Nativ. Mar.: *Sed loquatur,* inquit, *Mater ipsa, quae sui conscia est mysterii; et nos edoceat quo modo, vel quid ipsa genuerit.* Quorum omnium Patrum testimonia perfectissimam in Virgine Deipara cognitionem de incarnati Verbi mysterio vel supponunt, vel admittunt, ac omnem imperfectam notitiam ab ea procul ablegant.

1537. Dictis adversari videntur aliqui Patres. S. Gregorius Nyssenus, hom. 13 in Cant., haec habet: *Utque Virgo ipsa non cognovit, quo pacto in corpore ipsius corpus illud Divinitatem recipiens coaluerit, sic nec partum quidem sensit.* Sed dicere posset aliquis, sanctum Doctorem locutum de cognitione sensibili, hausta scilicet per sensus, quae per voluptatem veneream, in reliquis generationibus haberi solet: ad quem sensum adigunt nos verba, quae postmodum subdit idem Nyssenus: *Nec enim e voluptate coepit existere, nec per dolores in lucem prodiit.* Difficiliorem sensum habent, quae Chrysologus asserit serm. 141: *Cogita, utrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum Genitricis, audax et curiosus arbiter intueri, conspectibus tuis absconditum saeculis nudare mysterium, revelare tibi, ipsis Angelis invisibile Sacramentum; et ita caelesti fabricae praesidere, ut deprehendas liquide tu, quomodo Deus penetrale clausae carnis intraverit; quemadmodum sacri corporis in illo venerabili utero praeter Virginis conscientiam, lineamenta pinxerit; quomodo praeter concipientis sensum, mansura saeculis ossa solidaverit.* Sed eodem modo explicarem Chrysologum, quo Nyssenum. Moveor, quia eodem modo illam denegat cognitionem ipsis Angelis: vel dicere possumus, id verum esse de naturali cognitione, vel etiam de supernaturali ordinaria: modus enim quo Verbi divini Hypostasis sibi humanitatem aeterno nexu associaverit, libera Dei voluntate; et omnem humanum et angelicum intellectum latuisset, nisi huius tanti mysterii specialis aliqua revelatio intervenisset, quae dubio procul de facto in B. Virgine exstitit, imo et in Angelis; itaque nec scientia naturali, nec cognitione sensibili, lineamenta in Christi corpusculo ducta, membra compacta, organa disposita, ait Chrysologus, potuit cognoscere B. Virgo, quia natura in illo corpore efformando cunctata non est, nec communes reliquarum generationum leges servatae, quippe in instanti in absolutissimam perfectionem, structuramque foetus elaboratus ac perpolitus est. In eundem sensum venire poterunt verba s. Athanasii, hom. de Deipara: *Cum igitur diversa sit a voce Archangeli Hypostasis Verbi et Filii Dei, simul ac aperirentur aures Virginis per Angelicum sonum, introgressa est in eam divini Filii essentia; adeo ut neque ipsa Virgo haec cognoverit, cognoverit autem Filius Dei, quo pacto introierit;* id est, id cognoscere nequivit cogni-

tione sensibili, vel naturali aliqua cognitione, sine speciali divinitus facta revelatione.

Adhuc obiiciat nonnemo: B. Virgo optime noverat modum, quo Incarnatio Verbi divini peragenda erat; quia optime callebat illud Isai. 7 vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Quae verba perspicue modum concipiendi absque ullo viri adminiculo significabant; ergo vestigare ab Angelo modum, quo conceptura ac paritura erat Verbum carne vestitum, prorsus supervacaneum videbatur: huic tamen obiectioni responderi facile potest, B. Virginem non plene calluisse modum illum Conceptionis sine viro, praesertim antequam Verbum divinum carnem sumpsisset; tametsi praefata Isaiae verba recte nosset. Quamvis ergo sciret, Virginem concepturam, et Virginem parituram; quo autem modo id opere exequendum esset, recte ignorare poterat; ac proinde vere potuit ab Angelo sciscitari: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Instabis, vel B. Virgo arbitrabatur, necesse esse uti viri ope ad Messiae generationem; tunc autem verba Isaiae non plene penetravit; vel certo noverat necessarium non esse viri adminiculo ad eiusmodi conceptionem: ergo tunc non ad rem subdidit: *Quoniam virum non cognosco.* Quasi diceret: Quomodo fieri potest, ut concipiam, cum virginitatis voto obaerata sim, mihique virum cognoscere non liceat? quod autem existimaverit viri interventum necessarium esse ad conceptum illum, indicant verba praedicta: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Nodus sane solutu difficilis apparet: in primis ergo denegandum est, praefata verba Isaiae subterfugisse B. Mariae cognitionem: tum etiam extra rem verba illa protulisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Utrumque igitur recte noverat B. Virgo, et verba Isaiae; et Virginem quandam concepturam, et parituram Messiam salva virginitate: quia tamen sciebat divina virtute effici posse, ut Virgo concipiat ex viro, illibata permanente virginitate, ideo subdidit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vel etiam dici posset, tametsi ex Isaia nosset necessariam non esse viri operam ad hanc generationem; voluit nihilo secius id ab Angelo audire suae integritatis amans, quod apud nos frequenter contingere assolet. Cui interpretationi assentitur Leo Castrensis in cap. 7 Isai. versans illa B. Mariae verba: *Quomodo fiet istud?* etc. *Hoc est*, ait ille, *quoniam Virgo sum ut possim illa esse, quae ab Isaia praedicta est.*

PALAESTRA VICESIMAQUARTA

Marianum concursum erga Christi generationem enodat

CERTAMEN PRIMUM

Quo tempore B. Virgo Christum conceperit.

1538. In primis hic opus est illorum delirium procul explodere, qui omnino desipientes blaterabant, illam vocem Angeli, *Ave, Maria gratia plena, Dominus tecum*, fuisse Filii Dei Hypostasim, et carnem esse factam. Quod commentum tanquam blasphemiam eiurat D. Athanasius, et procul exterminat, hom. de Sanctissima Deipara his verbis: *Ave gratiosa, Dominus tecum. Etiam hic animadvertimus, vocem illam salutationis Angeli esse vocem, quae pro sono suo, quo efferebatur, significationem habuit; verum eam ipsam nequaquam fuisse Filii Hypostasim, aut carnem esse factam, sed pro suo sono, loquendique ratione diversam fuisse a Verbo Dei, quod in uterum Virginis pariter descendit, prorsusque blasphemias dicunt, qui autumant, vocem Angeli fuisse materiam, substantiamque Verbi.* Qua haeresi e medio sublata; variant Doctores ac Patres in assignando temporis momento, in quo Beata Virgo Verbum Incarnatum conceperit. Nam plures Patres in eam sententiam propendent, simul atque Gabriel protulit illa verba salutationis: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, Verbum divinum in alvo Virginea incarnatum fuisse. Ita Petrus Alexandrinus Episc. in lib. de Deitate, cuius verba referuntur in concilio Ephesino, tom. 2, cap. 7: *Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, tunc videlicet, cum Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione salutavit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Hoc est, Dei Verbum nunc tecum est; nam illa Gabrielis salutatio Deum Verbum in utero Virgineo natum, et carnem factum insinuat.* Quae etiam verba habentur in concilio Chalcedonensi, act. 1. D. Augustinus, serm. 18 de tempore, qui est 14 in natali Domini, versans illud Angeli, *Dominus tecum*, ait: *Ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo.* Nicephorus, lib. 1 Hist., cap. 8: *Virgo ab Archangelo Gabriele laetum accepit nuncium, Ave, dicente, gratia plena, Dominus tecum: et simul cum ea voce Verbum Dei descendit, et naturam nostram subit.* S. Petrus Damianus, serm. de Nativ. Virg.: *Ave gratia plena, Dominus tecum, ait Archangelus; audisne in hoc verbo Incarnationem Dei, redemptionem hominum, renovationem mundi?* Eadem fere habet Bernardus, hom. 3 super *Missus est: Dominus*, inquit, *tecum, non solum ventre, sed etiam mente.* Favere videtur huic sententiae B. Thomas a Villanova, conc. 2 de An-

nunc., dum ait: *Dominus tecum, et quomodo tecum? non utique sicut mecum, sed sicut nullibi. Tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in utero, tecum in auxilio.* Luculentius adhuc pro hac stat sententia Sophronius, serm. de Assumpt. ad Paulam, et Eustochium, ait enim : *Dominus tecum, mira res est: etiam cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Angelum, et praecessit nuncium suum Deus.* Huic censioni se libens dedit Andreas Cretensis de laudibus Virg.: *Dominus tecum est, qui a sinu Patris avelli non potest: in tuo conceptus utero est,* etc. *Dominus tecum, Patris luminum Filius ab aeterno ex ipso genitus, temporali vero nativitate, ex carne tua progressus, qui totus superne in sinu Patris est, inferne autem tecum totus in utero tuo est : ille ipse tecum, et intra te est, praeveniendo namque te insiliit, actuum superingressus est corpus.* Et quod magis mirere, huic sensui suffragium suum affert Theologiae culmen s. Thomas, 3 p., q. 30, art. 4, dum haec ait: *Praemisit idoneitatem eius ad conceptum, in hoc quod dicit, Gratia plena: expressit conceptum, in hoc quod dicit, Dominus tecum.* Subscribit Andreas Hierosolymitanus, serm. de Annunc. his verbis: *Non fuit contentus gaudii signa prodidisse, nisi laetitiae quoque auctorem in utero Virginis depraedicasset ; hoc enim quod ait: Dominus tecum, ipsum adesse Regem clare significat, totum, inquam, eum in ipsa esse in corpus coactum.*

Verum enimvero adduci non possum ut credam, hos Patres illi opinandi modo se addixisse, ut crederent Incarnatum Verbum divinum, antequam B. Virgo suum praeberet assensum verbis illis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quare hi omnes Patres et alii, quasi per anticipationem quandam locuti, accipi debent: aliter enim non possunt bene intelligi; siquidem cum Gabriel protulit, *Dominus tecum*, adhuc non erat Deus in ventre Virginis incarnatus, ut mox ostendemus: unde verisimile non est in re adeo certa oppositum sensisse. Ita ergo accipienda sunt praedictorum Patrum verba, ut ratione futurae conceptionis intellexerint verba illa: *Dominus tecum; Tecum in utero, et similia.* Intendunt igitur docere Patres adducti, generationem Verbi incarnati fuisse perfectam ac peractam in integra illa salutatione, et colloquio cum B. Virgine, illudque totum claudunt et accipiunt sub primis illis verbis Salutationis. Explicant autem verba illa, *Dominus tecum*, de praeterito; quasi mysterium iam fuisset peractum, quia sub illis claudunt integrum colloquium habitum inter Gabrielem et B. Virginem, ac si uno momento contigisset, vel quia res ita imminebat, et instabat, ut quasi peracta censeretur: quid, quod more prophetico potuit Angelus rem affirmare, quam certo sciebat mox futuram, ac si iam esset peracta? Ita Suarez, tom. 2 in 3 p., disp. 9, sect. 4, in fine.

Quod si malueris, dicito, his et aliis sanctorum Patrum locutionibus indicari Verbi divini, imo et Spiritus sancti novum adventum ad B. Virginem per novos gratiae auctus ac charismatum dona, quibus praeviis dispositionibus praeveniretur ac praemuniretur, ac tanto mysterio ultimo compararetur. Quod innuit ipse Filius Dei sub nomine Sponsi, Cant. 4: *Veni auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Quis auster hic, nisi Spiritus divinus a Verbo divino B. Virgini intime adhaerente vocatus? Itaque vocatus ut veniret, non suasus ut ad Mariam descenderet; quia ipsum Verbum divinum iam in B. Virgine sedem fixerat singulari quodam modo: quare in locum, quem ipse occupabat Dei Filius, convocatur Spiritus sanctus, ut aura divinorum charismatum B. Virginem repleat, et exundantium donorum flumina in ipsam effundat. Exhibeo huius censionis auctorem Guilielmum a Delrio in praefatum Cant. locum allatum: *Impleto*, ait, *tempore, quod praefinitum erat a Patre, venit Dei Filius ad Virginem, de qua incarnandus erat, venit praeveniendo eam in benedictionibus dulcedinis. Unde Angelus ad eam missus, ut futurum partum ei nunciaret · Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Iam ergo Dei Filius cum Virgine erat, de qua carnem sumpturus erat. Iam inquiebat: Veni, auster, perfla hortum meum; nempe si cum Virgine iam non degeret, non diceret: Veni auster; sed. Vade. Austro ergo dicit: Veni, quia non mentiebatur Angelus dicens ad Virginem; Dominus tecum; Veni, aiebat, Spiritus sancte, sanctifica uterum Virginalem.* Quid opportunius in rem praesentem excogitari posset?

1539. Verissima itaque sententia est, Verbum divinum non fuisse in utero Virgineo incarnatum, quousque post colloquium Angelicum B. Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Probatur ex verbis Luc. 2: *Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* At vero Angelus post Salutationem protulit illa verba: *Et vocabis nomen eius Iesum;* ergo dicendum est in illis verbis, *Dominus tecum*, non fuisse adhuc Verbum divinum incarnatum. Idem evincunt verba illa Angeli ad Mariam; nam post Salutationem Angeli, et verba illa, *Dominus tecum*, adiecit Angelus: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies et paries Filium.* Si enim in verbis illis, *Dominus tecum*, iam generatio Verbi Incarnati, eiusque conceptio fuisset peracta; non subderet Angelus: *Ecce concipies*, etc. Confirmatur, nam interrogante B. Virgine ab Angelo: *Quomodo fiet istud?* de futuro; respondet etiam Angelus de futuro: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ergo certum erat, Verbum divinum nondum fuisse in utero Mariae incarnatum. Et quidem maxime oportebat, ut tantum mysterium non sine B. Virginis consensu perficeretur. Nec officere potest huic nostrae sententiae illud Gabrielis: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Graece enim sic legitur: *Quod enim ex te natum vocabitur Filius Dei.* Respondeo hic sumi participium praesentis pro futuro; sicque transtulit noster Vulgatus, cui omnino standum est, quia nondum natum, seu conceptum erat in utero B. Vir-

ginis, donec illa verba protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

1540. At dices saltem peractum fuisse mysterium Incarnationis, antequam B. Virgo illa verba proferret; siquidem iam prius per actum internum consenserat, ex quo verba illa externa profecta fuerunt. Solum ergo Verbum divinum praestolabatur B. Virginis consensum: ergo antequam proferret illa verba, peracta fuit Incarnatio; nihil enim nos cogit ad asserendum, dilatum fuisse hoc mysterium usque ad prolationem externam verborum, cum Spiritus sanctus huius operis auctor, mentem B. Virginis omnino penetrabat. Nihilo secius asserendum est, tametsi antecesserit Virgineus consensus interior, opus tamen fuisse, ut exterius verbis sensibilibus exprimeretur; ut Gabrieli, quocum res agebatur, atque more humano loquebatur, patesceret: quemadmodum enim placuit Deo hoc peragi mysterium, exspectando consensum B. Virginis per Angelum; ita etiam voluit, ut non perficeretur, donec consensus Virgineus Angelo manifestaretur per verba.

Haec est communis Patrum expositio. S. Damascenus, lib. 3 fidei orthodoxae, cap. 2: *Post consensum*, inquit, *sanctae Virginis, Spiritus sanctus superveniet in eam iuxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus, et virtutem Divinitatis Verbi susceptivam praebuit, simul autem et generativam, et tunc obumbrabit ei Dei Altissimi in sua subsistens hypostasi Sapientia, et Virtus.* Augustinus, serm. 2 de Annunciat.: *Noli*, inquit, *morari Virgo; nuncio festinanter responde verbum, et suscipe Filium, da fidem, et senti virtutem; Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; nec mora, vertitur nuncius, et Virginalem thalamum ingreditur Christus; efficitur subito praegnans B. Dei Genitrix.* S. Basilius Seleucus in orat. de Deiparae Annunc.: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; nec mora, divinae conceptionis miraculum in utero Virginis confectum fuit.* Patres ergo, qui oppositam sententiam tenere videntur, explicandi sunt in sensum rectum; et quidem de D. Bernardo, qui priorem sententiam amplecti visus est, ut vidimus, aperte stat pro nostra sententia, illa hom. 3 super *Missus est. Sed audiamus*, ait, *quid idem Angelus sentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen, ait namque: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* In quibus verbis aperte docet, cum Angelus dixit: *Erit magnus*, nondum fuisse Filium Dei conceptum, cum tamen verba salutationis iam praecessissent. Nec obstare potest s. Augustinus, cum serm. illo cit. versans illa verba Salutationis Angelicae, *Dominus tecum*, haec subdit: *Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero.* Cum enim inferius dicat, Filium Dei in utero B. Virginis incarnatum fuisse, post illa verba: *Ecce ancilla Domini*, ut supra monuimus, necessum est, ut praedicta verba ratione futurae conceptionis intelligamus. Qua de re videndi Christophorus de Castro, Hist. Deiparae, c. 5, num. 11, Salmeron tom. 3, tract. 9, § *Quarto ruit*, Suarez tom. 2 in 3 p., disput. 9, sect. 4, Vasquius tom. 2 in 3 p., disp. 126, c. 5.

CERTAMEN II.

Utrum B. Virgo effective instrumentaliter concurrerit ad Incarnationem.

1541. Aliqui Scholastici ita hunc instrumentalem concursum B. Virgini denegant, ut contendant probare, hanc actionem instrumentariam esse impossibilem. Et quidem disceptatio procedit, non de potentia instrumentali naturali, qualem habet calor ad ignem, cum per se constet pars negativa, solum ergo exagitatur controversia de potentia obedientiali supernaturali. In qua re plures Doctores cum Vasquio, tom. 1 in 3 p., d. 25, num. 7, et tom. 2 in 1 p., d. 176, cap. 3, negantem tuentur partem. Probant primo, quia implicat, creaturam assumi ad creandum; sed Incarnatio, iuxta plures, est creatio; ergo repugnat, creaturam assumi ad influendum effective instrumentaliter ad opus Incarnationis, adeoque nec ad productionem unionis hypostaticae. Sed imprimis censeo falsam esse maiorem cum Arriaga, uti ostendi in Physicis. Rursus, licet unio supponat, vel contineat duas actiones creativas, animae videlicet, et materiae; nondum tamen datur unio hypostatica, donec supponat, vel contineat tertiam actionem, quae non est creatio, sed eductio, nempe productio unionis adnectentis animam Christi cum materia ipsius. Quemadmodum ergo homo licet non efficiat materiam nec animam, producit hominem, quia efficit utriusque unionem, qua posita, consurgit compositum hominis: sic etiam, tametsi creatura nequeat instrumentaliter creare Christi animam, nec materiam; poterit tamen influere in unionem hypostaticam, quia potest producere unionem illam mediam, qua posita resultat unio hypostatica.

Probant secundo, quia implicat, dari in qualibet creatura virtutem obedientialem instrumentalem physicam ad quemlibet effectum: ergo multo potius implicabit ad Incarnationis opus. Sed falsum est antecedens, et ex ipsorum adversariorum doctrina sumimus argumentum; ipsi enim admittunt vitales actus in substantia supernaturales, simulque admittunt in intellectu et voluntate creata virtutem quandam inchoatam ad eliciendos virtute supernaturali actus illos, quos nativa vi elicere nequeunt: vocatur autem illa virtus inchoata, quia licet intellectus noster, exempli gratia, non habeat proportionem cum intellectione supernaturali, qua talis est, eam tamen habet cum illa, ut vitalis est: idcirco dicitur habere virtutem inchoatam, et quasi dimidiatam, nempe quasi ad unam partem effectus, et non ad totam ipsius entitatem, quia vim habet ad intellectionem vitalem, non vero ad ipsius supernaturalitatem.

Ex cuius doctrinae positione sic effermo argumentum. In creaturis datur haec virtus inchoata, quae si divinitus adiuvetur ac compleatur, possit effective instrumentaliter influere in actionem productivam unionis adnectentis ani-

mam cum materia, quae unio physice coniungatur cum persona divina: sed hic concursus est sufficiens, ut creatura sic influens sit, et dicatur causa instrumentalis effectiva physice unionis hypostaticae: ergo dari potest physicum instrumentum unionis hypostaticae. Maior probatur, quia homo vim habet generativam ad producendum alium hominem, ac proinde ad producendam unionem animae cum materia, et quidem tanquam causa principalis. Sed denegabis, hominem habere vim inchoatam ad productionem supernaturalem illius unionis, quae uniat divinum suppositum cum humana natura. Contra tamen: in omnium Doctorum sententia vis completa ad videndum, est inchoata ad videndum Deum; ergo vis completa ad producendam rem subsistentem, est inchoata ad producendam eam rem subsistentem in Deo. Sicut enim formalis visio est visio non creaturae, sed Dei; sic actio productiva unionis hypostaticae, est actio productiva unionis, et simul est actio productiva unionis non subsistentis in se, sed in Deo: sed ad visionem Dei adest in intellectu creato virtus inchoata, quae potest per divinam virtutem compleri, et visionem Dei elicere: ergo ad actionem productivam unionis hypostaticae datur in hominibus virtus inchoata, quae possit per divinam virtutem elevari, et compleri, et ita influere effective instrumentaliter in eam productionem. Cur enim vis completa ad visionem claram creaturae, est vis inchoata et incompleta ad visionem claram Dei; et vis completa ad producendum modum subsistentem in se, sive create, non erit vis inchoata ad eundem producendum subsistentem in Deo, sive increate? Id est, si vis illa completa est ad producendam unionem in subsistentia, vel cum subsistentia creata; cur non erit inchoata ad eundem producendum cum subsistentia, sive in subsistentia increata? Quod amplius confirmari potest ex eo quod foemina, iuxta plures, physice producit unionem animae rationalis cum corpore, praesupposita admixtione seminis maris ac foeminae; habet ergo foemina virtutem completam ad illam unionem producendam, inchoatam vero ad producendam illam sine admixtione utriusque seminis, ut constat in B. Virgine. Ergo eadem ratione, nativa foeminae vis, quae perfecta est ad producendam unionem subsistentem in se, nempe in supposito creato, erit inchoata ad eandem producendam subsistentem in alio, nempe in supposito increato, divinitus elevata et completa.

Quod autem hic influxus sufficiat, ut B. Virgo sit causa efficiens instrumentalis unionis hypostaticae, suadetur facile, quia unio hypostatica nihil aliud est, quam unio totius humanitatis cum subsistentia divina, adeoque quemadmodum humanitas constat ex materia, anima rationali, et unione utrasque coniungente; eadem ratione unio hypostatica humanitatis cum Verbo dicit unionem materiae cum Verbo, et unionem animae rationalis cum Verbo, et unionem cum Verbo illas duas uniones adnectentem: quare sicut posita anima rationali, et materia prima, nondum est homo, nec humanitas, posita vero unione, statim resultat humanitas, et homo; eadem ratione, posita unione animae cum Verbo, et unione materiae cum Verbo, adhuc non resultat unio hypostatica: unde licet praeexisterent partes humanitatis unitae cum Verbo, et inter se, si illarum unio inter se non esset unita Verbo, nec in illo, sed per se subsistens; tunc adhuc non esset unio hypostatica humanitatis, quia non esset tota humanitas Verbo unita, et in eo subsistens. Agens itaque quod unionem illam animae et materiae cum Verbo uniret et adnecteret, illud utique unionem hypostaticam efficeret.

1542. Alii cum Medina, 3 p., quaest. 31, art. 4, docent, fieri non posse, ut creatura assumatur ut instrumentum ad efficiendam unionem hypostaticam, ex eo quia virtus unitiva etiam instrumentalis debet habere virtutem super utrumque extremum, ut utrumque adnectat; fieri autem non potest, ut aliqua creatura habeat virtutem adhuc instrumentalem in divinam personam; ergo neque ut influat in hanc unionem: verum, cum haec unio non fiat per mutationem utriusque extremi, sed unius tantum, scilicet humanitatis, adeoque non est necesse, ut instrumentum habeat directe et per se virtutem, aut dominium supra ipsam personam divinam, sed solum supra ipsam humanitatem, influente tanquam causa principali ipsa persona divina, cui liberum est uti creatura, ut instrumento ad efficiendam unionem alicuius naturae ad seipsum; nec ideo subditur Deus virtuti instrumenti, cuius tota actio nihil immutat divinum suppositum, cuius etiam usus et elevatio pendet totaliter ex voluntate Dei assumentis et elevantis. In quo animadvertere oportet maximum discrimen inter instrumentum et causam principalem; haec enim cum sit naturae finitae ac limitatae, fieri non potest, ut habeat vim potentem unire creaturam Deo: hoc enim esset quodammodo subiicere Deum actioni naturali creaturae, non quia posset agere in ipsum, sed quia posset naturam quandam ipsi adnectere naturali virtute, et efficacia suae operationis, quod maxime pugnat cum excellentia Dei. Instrumentum vero a Deo elevatum solum operatur, et influit per potentiam obedientialem iuxta Dei arbitrium illud elevantis, ideoque nihil repugnat, si illo Deus utatur, ut influat in talem unionem, et terminando actionem sui instrumenti. Cuius rei ratio *a priori* illa est satis accommoda, quia haec virtus instrumentalis creaturae aliquo modo infinita dici potest; non enim est nativa, et insita potentia creaturae, sed obedientialis, cuius efficacia possibilis non est dimetienda ex naturali perfectione ipsius creaturae, sed ex infinita virtute totius omnipotentiae divinae, posita non repugnantia ex parte actionis, vel effectus.

1543. His ita praelibatis, arbitror B. Virginem et tanquam instrumentum potuisse effective influere in unionem hypostaticam; et de facto ad illam hoc modo concurrisse. Prima pars est adversus Medinam cit., Lorcam, disp. 18 de Incarnat., n. 7, et Vasquium cit.: ex dictis autem

sufficienter manet probata. Secunda pars defenditur a Granado, de Incarnat. tr. 4, disp. ult., sect. 1, Hurtado Salmantic. de Incarn. disp. 23, tanquam probabilis, Suario de Incarnat. d. 10, sect. 1, § *De ipsa autem.* Eam absolute tuetur Bernal, de Incarn. disp. 19, n. 29. Probant aliqui, quia si eiusmodi concursus instrumentarius physicus B. Virgini concedatur, proprius et, ut ita dicam, immediatius, dicenda est Mater Dei: si enim non concurrit ad unionem hypostaticam, proprie et immediate non producit hominem-Deum, sed solum humanitatem, ut patet perspicienti; et hoc discrimen reperitur inter generationem reliquorum hominum et Christi Domini, quod aliae producunt unionem inter materiam et formam subsistentem prioritate naturae; non vero generatio Christi. Displicet haec probatio, quia hic concursus instrumentarius ex parte B. Virginis necessarius non est, ut B. Virgo sit proprie Mater Dei, nam concursus Matris solum terminatur ad unionem animae cum materia: deinde concursus ad unionem hypostaticam necessarius non est, ut B. Virgo dicatur Mater Dei; siquidem ex vi unionis inter animam et materiam, quam producit B. Virgo, oritur aliquod totum et unitum Verbo: ergo sicut ex vi eius unionis dicitur per se Mater totius, ita etiam dicitur Mater hominis et Dei. Antecedens claret, quia si materia et anima sint antea per se coniunctae Verbo, postea ex vi unionis inter animam et materiam exurget totum unitum Dei: quare licet actio B. Virginis secundum se absolute non habeat connexionem aliquam cum Verbo; at ex suppositione quod anima et materia per se singillatim Verbo unitae sint, habebit etiam unio materiae et animae aliquam connexionem per se cum Verbo, quia per se efficit, ut Verbum denominet totum subsistens Deum. Et licet in naturalibus generationibus, generans immediate non attingat subsistentiam aut personalitatem, huiusque unionem cum natura, dummodo attingat unionem inter materiam et formam subsistentes; vere tamen dicitur pater, aut mater: ergo idem continget in hac generatione. Unde licet actio B. Virginis secundum se nullam habeat connexionem cum Verbo, tamen ex suppositione quod anima et materia per se singillatim supponantur unitae Verbo, etiam unio materiae cum anima habebit aliquam connexionem per se cum Verbo, quia per se efficit, ut Verbum denominet totum subsistens Deum. Nihilominus censent aliqui Doctores, Deiparam physice influxisse concursu effectivo ad unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo; adduntque id fuisse necessarium ad veram Dei Maternitatem. Quibus refragantur Suarius, tom. 2 in 3 p., disput. 1, Granado tom. 4, controv. 1, tract. 4, disput. ult., num. 4; quia parentes, inquiunt, non concurrunt concursu physico ad subsistentiam naturalem filiorum, neque ad unionem eius subsistentiae. Sed non urget, quia ea subsistentia naturalis naturali connexione sequitur generationem naturae, adeoque necesse non est, ut a parentibus producatur, ut ea, ac suppositum ex ipsa, et natura consurgens tribuatur generationi parentum; subsistentia vero divina, eiusque unio cum natura humana cum non resultet naturali connexione ex generatione naturae humanae, opus fuit iuxta hos Theologos tribuere activum instrumentalem concursum B. Virgini, respectu unionis hypostaticae.

Vera igitur secundae partis asserti probatio inde petenda est, quia nulla in eo apparet repugnantia, ut visum est, et pertinet ad maiorem B. Virginis excellentiam et dignitatem. Deinde quia Deus uti solet causis secundis, ut instrumentis, quando id commode fieri potest, et nulla est repugnantia, et ex alia parte B. Virgo erat instrumentum valde proportionatum et propinquum effectui. Id etiam innuunt Patrum locutiones, nam D. Bernardus, hom. 4 super *Missus est*, et lib. 5 de consideratione, ait Mariam Virginem fuisse mulierem illam, cuius meminit Matth. 13, quae tria illa sata, carnem scilicet, animam, et divinitatem ita commiscuit, ut adhuc disiuncta carne ab anima, nunquam tamen caro vel anima a Verbo disiungeretur. Verba melliflui abbatis haec sunt: *Ita Maria Verbum divinum, animam, et carnem in unitate personae copulavit;* quae efficientiam physicam innuunt. Hesychius etiam, homil. 2 de B. Virgine, quae reperitur tom. 7 Bibliothecae ss. Patrum, vocat B. Virginem, *Instrumentum Incarnationis eius:* Incarnatio autem Verbi formaliter sita est in unione hypostatica humanitatis cum Verbo, ac proinde ex mente huius Patris B. Virgo fuit instrumentum Dei ad attingendam efficientiam huius unionis. Idem innuunt Ambrosii verba, epist. 82: *Per hominem,* ait, *et mulierem caro eiecta est de Paradiso, per Virginem iuncta est Deo.* Concilium autem Toletanum VI ac X, quando efficientiam huius unionis soli Deo attribuunt, non tamen excludunt efficientiam causae instrumentalis, sed principalis solum: imo Granado cit. tradit actione physica produxisse B. Virginem, quidquid est in unione hypostatica, nempe unionem corporis, et unionem animae, et unionem unionis cum Verbo.

Alio etiam ex capite, sat probabiliter probari posset eadem secunda pars asserti ex Augustino Bernal cit., num. 34 et 35, nempe si supponamus, foeminas concurrere effective ad prolis formationem, de quo seq. Certamine; deinde omnem actionem substantialem independentem a supposito esse propriam sui termini subsistentiam, ideo productionem humanitatis Christi fuisse realiter eiusdem cum Verbo coniunctionem; ex quibus sic argumentum efformari potest: B. Virgo influit physice efficienter ad productionem unionis coniungentis animam Christi cum eiusdem corpore; atqui productio illius unionis fuit dependens a Verbo, tanquam seipsa adnectens terminum suum cum ipso Verbo; ergo B. Virgo physice efficienter concurrit ad coniungendam dictam unionem immediate cum Verbo. Maior ex sequenti Certamine constabit: minor late probatur a Bernal, disp. 12 de Incar., sect. 2.

1544. Addiderim, consensum B. Virginis, quem praebuit Angelo nuncianti Incarnationis mysterium, potuisse influere ut instrumentum physicum in ipsam Incarnationem, eo modo, quo plures docent in tract. de Eucharistia, verba Consecrationis habere vim instrumentariam ad efficiendum corpus Christi, non solum quoad praesentiam, sed etiam quoad substantiam corporis; ita ut ex vi verborum ponatur ibi Christi corpus ut unitum personae Verbi, ita ut verba ipsa efficiant unionem, sicut corpus ipsum. De quo Suarius, de Incarnat. disp. 10, sect. 1, § *Alterum dubium*. Ad eum etiam modum, quo plures aiunt, B. Virginis salutantis Elisabetham verba fuisse instrumentum physicum gratiae collatae Ioanni in utero matris existenti: de quo ait Suarius, de Angelis lib. 6, c. 21, n. 16, probabile esse, Christum in utero Matris illuminasse Ioannem in utero matris suae delitescentem, media voce B. Virginis, quae salutavit Elisabeth, quod innuit Evangelista, dum ait: *Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius; et ipsa Elisabeth ait ad Mariam: Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Per verba igitur B. Virginis tanquam per instrumentum Christi operantis, Ioannes Christum agnovit: inde etiam per eandem salutationis efficaciam, Christi manifestatio ad Elisabeth pervenit, ait Suarez cit. cum Toleto in 1 Luc., Annot. 117. Verba Cardinalis Toleti haec sunt: *Verba B. Mariae velut quaedam instrumenta fuerunt, per quae divina Omnipotentia effecit in Ioanne, et Elisabeth quae sequentibus verbis narrantur. Sicut enim verba hominum, per quos Deus mira operatus est, erant significativa, et efficacia, quale fuit illud verbum Iosue* 10: *Sol contra Gabaonem ne movearis, et luna contra vallem Aialon; quod solem stare fecit, Deo operante per hominis verbum. Et sicut verbum Petri (Actor.* 3): *Surge, et ambula: claudum ambulare fecit, fuitque instrumentum virtutis Dei; et sicut verbum sacerdotis: Ego te absolvo; aut: Ego te baptizo*, etc., *non tantum significant, sed etiam efficiunt; ita etiam verbum salutationis Virginis significativum fuit, et effectivum, per quod Deus Ioannem purgavit a peccato.* Et confirmatur auctoritate Cyrilli, lib. de recta fide ad reg., Ambrosii, lib. de instit. Virg., cap. 7; tenet idem Mendoza in Viridario, lib. 2, problem. 7; suffragatur Chrysologus, ser. de Ioanne Baptista, ubi ait: *Ideo Christus fecit Mariam salutare Elisabeth, ut sermo procedens de utero Matris, ubi habitabat Dominus, per aures Elisabeth ingressus descenderet ad Ioannem, ut illum ungeret in prophetam.* Docent ergo hi Patres, verba B. Virginis non tantum significativa, sed etiam effectiva, fuisse, velut instrumentum quoddam, per quod omnipotens Christi virtus operabatur in Ioannem: sicut ergo in exordio creationis mundi, ad Dei vocem fuit orbis conditus, sic ad Mariae vocem: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, totus renovatur orbis, instaurantur creaturae, gratia infunditur, peccatum dispellitur.

CERTAMEN III.

Utrum B. Virgo effective concurrerit ad generationem Christi Domini.

1545. In conceptione Christi Domini B. Virginem sanguinem suum subministrasse eo modo, quo veram humanam generationem ex parte matris fieri opus est, ita est certum, sicut est certum Christum Dominum formatum esse ex B. Virgine tanquam verum Filium eius; ad quod opus fuit, ut B. Virgo in illa generatione praestiterit quidquid aliae foeminae in conceptione filiorum praestare solent; illud autem praecipuum est, quod sanguinem subministrant, ex quo foetus elaboretur, hoc autem ut minimum necessarium fuit in B. Virgine, ut vera Mater Christi dici posset: nec enim sat esset, quod Christus acciperet corpus ex B. Virgine illud efformando ex costa, aut alio simili modo; tunc enim Christus nec esset Filius Mariae, nec appellaretur talis, sicut Eva non dicitur Adae filia. Itaque verissime formatus fuit Christus ex Maria, sanguinem suum subministrante, tanquam verissima Matre. Dicitur autem sanguis ille purissimus, quia etiam in aliis matribus, teste Aristotele et Augustino, lib. 83 Quaest., qu. 56, humanum corpus ex puro sanguine magisque defaecato fabricatur: at in Maria Virgine fuit purissimus, tum ob singulare ac optimum eius temperamentum, tum ob specialem Spiritus sancti curam ac providentiam. Quae omnia supposito fidei principio omnino certa sunt, et communi totius Ecclesiae consensu ac traditione recepta.

Modo ergo discutienda a nobis est difficultas illa, quomodo potuerit B. Virgo suppeditare materiam ad Christi generationem, ita ut vere et proprie maternum influxum praestiterit, cum aliae matres partim ministrent sanguinem, partim etiam semen; quod B. Virgo iuxta communem Patrum sensum nulla ratione subministravit, ac proinde habere non potuit in Christi generationem maternum influxum adaequatum; imo reliquae matres praestant sanguinem menstruum ad foetus formationem, at B. Virgo ex purissimis sanguinibus Christum progenuit, iuxta Damasceni proloquium ab omnibus Doctoribus receptum. Ad haec, in modo ministrandi materiam ipsi generationi, specialis apparet difficultas, siquidem aliae foeminae subministrant materiam modo, et facultate vitali successive operando; actus enim generationis est actus vitae, qui exigit successionem ac tempus a natura praescriptum, quae omnia in hac conceptione defuere, ut alibi ostendimus; nam Spiritus sanctus infinita sua virtute in momento prolem efformavit. Nec enim sat erit, ut B. Virgo dicatur Mater Christi, et ex sua substantia illum concepisse, quod ex ipsius sanguine quovis modo Christi corpus fuerit coactum et efformatum, ut patet in Eva, quae tametsi coagulata et fabricata fuerit ex costa Adae, hic non dicitur pater eius, aut mater; neque Christi generatio diceretur vera conceptio, si Christi corpus, non in ute-

ro, sed in corde, aliave parte corporis formatum esset; opus ergo fuit, ut generatio fuerit peracta ex materia a natura destinata ad formationem prolis humanae, modo vitali et humano, alioquin illa non fuisset vera conceptio, nec Virgo B. vera Christi Mater nuncuparetur.

Antequam nostrum sensum aperiamus, duo hic tanquam certa statuenda sunt. Aliud est, B. Virginem, illaesa prorsus corporis integritate, progenuisse Christum Dominum. Alterum est, ita concepisse, ut vere ac proprie mater sit et dicatur. Unde progenuit Filium in utero, qui locus est a natura ad concipiendam prolem et formandam destinatus. De quo egregie Caietanus eos perstringens, qui suo tempore hanc conceptionem in corde B. Virginis peractam fuisse comminiscebantur, reclamante Evangelista: *Ecce concipies in utero*, vel potius Gabriele, Luc. 1, et Matth. cap. 1: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quod etiam cum recta ratione partus, conceptionis, et maternitatis pugnat. Omnia igitur, quae ad veram conceptionem et ad proprium maternum influxum desiderantur, in hac Christi ex Maria generatione concurrerunt.

Deinde duplex est praemittenda sententia, altera illorum Doctorum, qui firmo pede propugnant foeminas verum semen emittere, adeoque active concurrere, imo et principaliter, ad generationem prolis. Ita Hippocrates, Galenus, Vallesius, Peramatus, et communiter artis medicae peritissimi. Ex philosophis Collegium Conimbricense cum pluribus, quos refert lib. 1 de generatione, cap. 4, quaest. 27, art. 2 et 1; Petrus Hurtado, disput. 2 de causis generat., sect. 5. Altera sententia ex adverso stat pro parte negante, quam tutantur duo principes pulveris litterarii, nempe Philosophiae ac Theologiae, Aristoteles, et D. Thomas, ille lib. 5 de generatione animalium, hic 3 p., quaest. 32, art. 4; uterque denegat foeminis verum semen, ideoque subdit D. Thomas, Christum non fuisse conceptum de B. Virgine secundum aliquam rationem seminalem, ideoque ab ipsa solam materiam fuisse subministratam, quam esse dixerat sanguinem menstruum. Hanc etiam sententiam acriter tuentur plures Theologi relati a Conimbricensibus cit., sequiturque Ioannes Pineda, lib. 1 de rebus Salomonis, cap. 11.

1546. Equidem censeo primo cum prima sententia, foeminas verum semen emittere in conceptione: standum est enim peritis in arte; sed fere integrum omnium ac nobiliorum medicorum agmen pro hac sententia decertat, sumpto validissimo argumento ex arte anatomica; eadem enim habent foemina vasa semen deferentia, defaecantia ac custodientia, sicut et viri; ex eadem etiam experientia constat apud Anatomicos, foeminas, quae se a venere abstinuere, diu redundare humore albo, spumoso, in vase illo semen asservante; secus vero, quibus familiaris est coitus. Quid ergo deest ad hoc, ut dicatur ille humor albus et spumosus in foeminis residens, verum semen, cum eisdem vasis deferatur, ex eadem materia fiat, qua virile, eodemque ardore foeminas amburat, eademque voluptate titillet? Nihil ergo aliud desiderari potest ad verum semen, quod definiri solet ex Platone: *Semen est corpus humidum, spumosum, et album ex reliquiis alimenti ultimi, et spirituum ubique oberrantium permixtione, vi sola testium elaboratum, ad perfectam animalis generationem.* Addunt Medici, humorem illum spumosum in foeminis esse valde actuosum, elaboratur enim ex materia spirituosa, quae pollet vi et efficacia maxima in agendo; spiritus enim quibus scatet, ad agendum instruuntur, sunt enim calidissimi, fiuntque ex sanguine puriori ac defaecatiori.

Sed arguunt oppositae sententiae patroni, quia foeminae imbecilliores non fiunt ex usu nimio veneris, nec marcescunt, vel elanguent, ut evenit in viris; id autem similiter contingeret in foeminis, si verum semen conficerent, cum fieret ex sanguine puriori et spiritibus. Hinc addisces, quare immoderata luxuries sit ipsi corpori nociva, nam illi ventriculi, seu vasa semini destinata, effuso semine ob captandam voluptatem, aliud evocant e testibus, qui, ne careant alimento, sanguinem accersunt e venis, unde et hae hauriunt ex hepate sanguinem necessarium, nec abunde ministrant caeteris corporis partibus, et inde macies et languor accidit. Quemadmodum ergo viris veneri deditis deficiunt vires, sic etiam contigeret et foeminis; cum tamen oppositum experientia magistra videamus. Sed responderi posset, disparem valde esse rationem in foeminis, atque in viris. Siquidem mas, quia ut in plurimum calidior, et actuosior celerius semen elaborat, unde cum congreditur, illud expellit: foeminae non item; foeminae etiam cum sint humidiores, facilius haec incommoda ac damna recuperare possunt, quam mares, qui natura sua maiori siccitate pollent: ex sanguine ergo abundantiori facilius possunt vitales spiritus refici, praecipue cum mares semen extra se emittant, foeminae vero intromittant, cuius calore ab utero bona pars corporis incalescit, ac vitales spiritus recuperat.

Censeo secundo: foemina influit active immediate in generationem prolis tanquam causa principalis. Probatur, quia utrumque semen maris ac foeminae ignobilius est foetu: ergo eget influxu immediato alicuius agentis principalis; sed vir agere non potest in generationem, cum sit absens, nisi medio semine; ergo opus est, ut foemina effective concurrat tanquam agens principale. Itaque semen foemineum est simpliciter necessarium ad generationem prolis, sicut semen viri; ita communiter medici omnes apud Hurtado Salmant. cit., sect. 6, § 76. Siquidem foeminae verum semen elaborant, quod ex se dirigitur ad generationem; nihil enim natura efficit ad aliquem finem, quin sit necessarium ad eum finem obtinendum, alioquin prorsus esset superfluum. Deinde probant assertum Medici ex Hippocrate asserente, generationem celerius perfici ac peragi perfectius, si semina maris et foeminae simul ab utroque fundantur: ita ut si foemina multo ante aut multo post seminet, licet eveniat conceptio, non tamen ita

perfecta; si autem seminatio foeminae diu distet a seminatione viri, nullam aiunt illi contingere generationem, quia spiritus seminis virilis dissipati evanescunt frustranei. Quod si opponas, graves Theologos affirmare, foeminas, dum experiuntur se non seminasse in congressu maritali, non teneri se excitare, ac tactibus provocare ad seminandum extra congressum, utique quia illarum semen necessarium non est ad generationem: respondeo, eosdem Theologos docere, posse etiam foeminas post congressum maritalem seipsas ad seminandum provocare, quia utique illarum semen ad generationem necessarium esse existimatur.

Censeo tertio utrumque semen, et virile et foemineum, influere effective ad compingenda organa. Ita universa Medicorum schola: et quidem suadetur assertum ex qualitate materiae seminalis; est enim materia seminis sanguinea, et partim spirituosa: materia autem spirituosa habet vim activam in effectum, in quem a natura dirigitur; quare et semen foemineum et virile influunt in organa foetus: spiritus itaque sunt ignei, adeoque activi, quia prae tenuitate coagulari nequeunt, neque ut materia, deservire foetus formationi: solum ergo deservire possunt, ut agens effective concurrendo, imo ipse foemineus uterus multum agit in organa, tum fovendo semina, tum influendo in organa medio calore. Probat idem assertum Galenus apud Hurtado ab effectu: ex eo enim filii matres referunt, quia semen foemineum concurrit active: si enim solum passive foeminae concurrerent per sanguinem menstruum, non progignerent filios sibi similes, principium enim passivum *ut sic*, non est principium distinguendi, nec assimilandi. Cuius ratio ea assignari potest, quia licet sanguis sit idem; at spiritus vitales, qui ex omnibus partibus confluunt, sunt diversi, et dicuntur a Medicis ideas partium continere: ab his ergo spiritibus provenit illa similitudo matris et filii.

1547. Ex his tribus assertis triplex placitum inferre possumus circa concursum B. Virginis erga generationem Christi Domini. Primum est: cum ostenderimus semen maternum simpliciter esse necessarium ad generationem prolis, consequenti doctrina pronunciamus, B. Virginem nativa facultate partem sanguinis purissimi in semen convertisse, idque in destinatum locum transmisisse, omni procul semota voluptate ac titillatione venerea, sive inordinato motu. Assentiuntur huic placito ex veteribus D. Bonaventura, in 3 p., d. 4, art. 2, q. 1; Richardus, in 3, dist. 4, art. 2, qu. 1; Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 10, sect. 1, § *Et haec sententia.* Petrus Hurtado id tenet absolute, disp. 2 de causis generat., § 65, Sanchez, tom. 1 de matrim., disp. 21, n. 11. Idem defendit Peramatus medicus clarissimus in appendice ad tractatum de semine, § *An vero Maria Virgo*, ubi probat absque omni inordinatione et concupiscentia posse dici semen. Praecipue cum late alibi ostenderimus, B. Virginem gavisam fuisse privilegiis statui innocentiae debitis quoad intrinseca; in illo autem felicissimo statu omnis inordinatus affectus, ac pravus motus in statu generationis exularet. Quare excessit in censura Aloysius Turrianus in selectis disp., cent. 2, dub. 79, dum docet cum aliis esse hoc placitum improbabile; carnem videlicet Christi Domini desumptam esse ex semine B. Virginis, et alii magis excessere apud eundem, qui graviori censura illud ferire ausi sunt.

Nostrum autem placitum sic probari potest, etenim B. Virgo concurrit ad generationem Christi ea perfectione, qua reliquae matres concurrunt ad generationem suorum filiorum; sed caeterae matres, ut supra ostendimus, concurrunt medio semine; ergo et B. Virgo. Haec itaque sententia legitime infertur ex medicorum schola, et docetur etiam a pluribus Theologis praeter citatos, ut sunt Scotus in 3, dist. 4, art. 3, q. unica, § *Sed contra;* Gabriel ibidem, q. unica, art. 1; Okam in 3, art. 3; Maior ibidem q. 3; Caietanus 2 2, q. 154, art. 12, late docet foeminas verum semen efformare. Eam assectantur plures ex Patribus, Anselmus lib. de Concept. Virg. et peccato originali, cap. 8, et c. 13, ubi ait: *Per illud semen, quod nova virtute a peccato de Virgine segregat,* etc. Et clarius c. 14 versans illud Iobi: *Quis potest mundum facere de immundo conceptum semine?* ait: *At si de omni hoc senserunt; ergo semen de sola Virgine sumptum immundum tanti Viri asserunt, quod impium est.* Et infra semen ex Virgine sumptum mundum vocat. Rupertus etiam in c. 3 Ioann. docet Christum Dominum progenitum fuisse ex carne, vel semine B. Virginis. Beda item in cap. 11 Luc., lib. 4, cap. 49, Marcionis errorem sugillat asserentis Christi corpus non esse humanum, ait ergo: *Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur conceptus, cum ex unius eiusdemque fontis origine secundum Physicos, uterque liquor emanare probetur?* Quando autem Patres adstruunt Christum Dominum ex purissimo sanguine progeneratum fuisse, nihil contra nos; quia semen foemineum fit ex sanguine defaecato: imo Beda solum discriminat sanguinem a lacte et semine, quia haec ex illo, ut e fonte, dimanant.

Sed huic placito non acquiescunt plures Doctores cum s. Thoma et tota Thomistarum schola apud Suarez, tom. 2 in 3 p., d. 10, sect. 2, § *De qua;* quibus auxilium praestare videtur Ecclesia, quae canit in Officio Circumcisionis: *Procedens homo* (id est Christus) *sine semine;* ubi omne semen inficiari videtur. Addunt, si semen non admittamus in B. Virgine, eam eiusque partum puriorem apparere; quia seminis efformatio ac concursus in utero, ipsiusque transmissio aliquo modo derogare videtur tantae virginitati, eiusdemque puritatem plusquam caelestem aliquo modo minuere, licet non sit ex congressu cum viro: sic mas virginitatem amittit per seminis effusionem, licet non congrediatur cum foemina. Haec tamen nos non adigunt, ut nostram sententiam deferamus; cum autem Ecclesia denegat semen in Christi generatione, intelligenda est de semine virili; de foemineo au-

tem nihil curat, cum sit res dubia; et seipsam magis explicat, dum addit: *Magnum haereditatis mysterium, Templum Dei factus est uterus nesciens virum.* Ostendimus autem in Palaestra de Virginitate Mariae, eam Virginem remansisse post Christi conceptum, quia habitus virginitatis, sicut et reliquarum virtutum, intensior effectus est; procul etiam abfuit, ut vel honestum viri congressum appeteret, cum illum voto recusaverit, nullum unquam pravum motum, sive delectationem, sive consensum minus honestum admisit: si ergo nullum elicuit actum, quo virginitatis virtutem vel leviter imminuere posset; cur adversarii asserunt, nobisque obiectant, ex nostra sententia aliquod praeiudicium virginitati Marianae parari? Praeterea virginitas corporea fuit illi omnino integerrima, nullo enim virili semine, nec eius vulva aperta; semen autem B. Virginis sine ulla voluptatis titillatione subito ac divina virtute in utero Virgineo repositum fuit, quin deferretur, vel traiiceretur per consuetos naturae meatus. Per quae ad argumentum oppositum manet responsum.

Quod si instes: ut B. Virgo sit Mater Christi, sufficit si ex sanguine defaecato fuerint viscera Christi coagulata, tunc enim iam reperiretur in Christo aliquid B. Virginis natura sua destinatum ad generationem: hinc nonnulli opinati sunt Deiparam integriorem futuram esse, si absque proprio semine progigneret Christum: imo tametsi foeminae semen elaborent, illud tamen necessarium non esse, quare absque illius concursu B. Virginem Christi Matrem existere potuisse: verum iam ostendimus semen effective concurrere ad formationem prolis; quid, quod, teste Andrea Laurentio, lib. 8, cap. 3 Hist. anatom., sanguis solus defaecatus ex menstruo non potest existere materia totius primae formationis, sed viscerum et carnis? Nam partes solidiores et actuosiores, licet alantur et augescant sanguine menstruo, non tamen formantur: itaque partes omnes prolis in prima sui formatione coalescunt, et coagulantur aliqua seminis parte; aliae vero partes totae compinguntur ex semine: quocirca ut B. Virgo perfecte foret Mater Christi, opus fuit, ut eius semine, Christi corpus integrum formaretur; si enim proles non formaretur ex partibus naturae suae destinatis ad eius generationem, utique filius non esset illius, cuius sunt illae partes; semen autem solum ex natura sua institutum est, ut ex eo formentur principes saltem prolis partes in integrum, aliae vero minus principales saltem partialiter: non ergo B. Virgo foret perfecta Mater Christi, si ipsius corpusculum ex semine Virgineo non coagmentaretur. Ne ergo dicamus Deiparam, diminutam fuisse Christi Matrem, asserendum est concurrisse medio sanguine defaecato non solum ad aliquas corporis partes, sed ad omnes principes, et minus praecipuas.

1548. Secundum placitum: B. Virgo medio sanguine defaecato active concurrit ad generationem Christi Domini. Ante huius placiti probationem praemitto triplicem actionem in hac conceptione, sicut et in reliquis. Prima est traiectio, sive positio seminis in utero materno. Secunda, formatio foetus quasi remota. Tertia, ultima dispositio et informatio foetus. Prima actio fit per naturalem facultatem ipsius vulvae, quae attrahit semen, et sanguinem formandae proli necessarium; quae actio oriri potuit a B. Virgine, ita ut modo vitali hoc semen et sanguinem subministraret; non tamen sine miraculo, quia absque virili semine, sacra Mariae vulva semen et sanguinem evocavit Virgineum, supplevit autem Spiritus sanctus vim illam, quam virile semen operaturum erat, ad illam actionem elevando facultatem illam activam uteri Virginei, ut suam actionem produceret: deinde illa attractio seminis breviori temporis spatio peracta est, quam vi naturali effici posset: neque hic opinandi modus miraculosus pugnat cum ratione verae generationis; nihil enim immutavit de ratione et essentia illius actionis, nec sustulit vitalem operandi modum quin potius illam actionem perfecit, et in hac prima actione imbibitur illa secunda, qua formatur foetus remote. Nunc ergo praecipue agimus de actione illa, quae versatur circa ultimam foetus dispositionem usque ad unionem cum anima. In qua re, verissimum arbitror, B. Virginem praestitisse eundem concursum, quem exhibere solent reliquae matres, quandiu in vulva formatur corpusculum: siquidem maternus uterus insito calore, ac spiritibus vitalibus semen fovet, quae fovendi actio in aliis foeminis quadraginta, vel octoginta dierum spatio perficitur: at B. Virgo virtute divina subito omnem illam dispositionem peregit, ac perfecit: superest solum actio illa principalis, quae vocatur foetus formatio, et sita est in organizatione corporis usque ad ultimam dispositionem.

In qua re censeo, B. Virginem effective concurrisse cum Spiritu sancto ad Christi Domini generationem: ita Bonaventura, in 3, dist. 4, art. 2, qu. 1; Scotus, et Gabriel ibidem q. unica, et Maior, qu. 3. Quorum fundamentum iam supra tetigimus, quia nimirum foeminae concurrunt effective ad generationem medio semine coniuncto cum semine viri; ex utroque autem unum integrum instrumentum effectivum generationis coalescit: B. Virgo eandem vim adhibuit in generationem Christi, quam aliae matres adhibere solent in generationibus suorum liberorum: siquidem Spiritus sanctus supplevit concursum patris, sive defectum, alioquin ipsa non censeretur vera ac perfecta Mater Christi. De quo Suarius, tom. 2 in 3 p., disput. 10, sect. 2. Et quidem in dubium revocari nequit, quin perfectiori modo illa dicenda sit mater prolis, quae et effective ministrat materiam foetui, illumque efformat, adeoque perfectior matris relatio inde resultabit: non est ergo, cur B. Virginem perfectissima ratione et relatione Matris erga Christum fraudemus; praecipue cum ex omnium Medicorum, et plurium Theologorum sententia id ita contigerit, ipsorumque suffragiis innitatur hic dicendi modus, et nihil de perfectione Marianae virginitatis detrahatur. Siquidem quod B. Virgo per natura-

lem facultatem generativam semen elaboraret, nihil eius virginitatem imminuit, cum sit merum opus naturae, sicut nutritio, ac cibi concotio: et quamvis semen transmissum fuerit in locum, ubi proles formatur, nihil virginitati officere potuit, sicut nec transmissio sanguinis, cum illa transmissio facta fuerit virtute divina, omni seclusa concupiscentia, ac voluptatis titillatione, ut monuimus. Id innuit Damascenus, lib. 3, cap. 2, docens Spiritum sanctum B. Virginem obumbrantem, ei virtutem ad suscipiendam Deitatem, tum ad gignendum suppeditasse. Et s. Anselmus, lib. de conceptu Virginali, cap. 13 et 14 supra cit., docet, corpus Christi elaboratum ac fabricatum fuisse de Virgineo semine, cumque sibi opponeret, generationem ex semine esse immundam, occurrit hoc verum esse de illo semine, quod cum voluptate venerea trasmittitur: semen autem Virgineum omni hac voluptate caruit.

1549. Tertium placitum: Virgo Deipara medio sanguine defaecato, concurrit active principaliter ad efformanda organa, quia in semine, ut vidimus, residet haec virtus formativa ac delineativa organorum, ut recte probat Petrus Garcia in primam Fen., disp. 36, cap. 1. Ex hac virtute operativa B. Virginis in Filium manavit corporis imitatio, faciei similitudo, lineamentorum conformitas: ab hac virtute formatrice orta est similitudo morum, ingenii dexteritas, indolis praestantia, vultus physiognomia, species ac pulcritudo, membrorum dispositio, apta partium distributio, grata coloris maiestas, perspicax sensuum vivacitas, totus denique Filius totam referebat Matrem. *Persimilis*, inquit Nicephorus, lib. 1 Hist. Ecclesiast., cap. 40, *per omnia fuit divinae immaculatae suae Genitrici.* Nec mirum, quia causa principalis proxima, ob quam filii parentes colorum similitudine, ac membrorum dispositione et figura referunt, sunt ipsi parentes, qui effective in filios influunt immediate per virtutem formativam, cuius ministerio parentes delineationem similem suae in foetu consignant, sicut qui interventu sigilli, suam imaginem in cera exprimunt: at in generatione Christi non adfuit Genitor Pater ex hominibus, qui similitudinem dimidiare posset; ac proinde sola Maria hanc vivam sui ipsius imaginem in Filio impressit. Rite s. Birgitta, de excellentia B. Virginis, cap. 2, scripsit: *Totum suum corpus de solo tuo corpore sine aliquo defectu accepit.* Multum etiam iuvit ad hanc similitudinem perfectissima B. Virginis complexio, optimumque temperamentum, quod multum conferre solet ad eosdem sigillandos vultui characteres, eademque ductanda in reliquis membris lineamenta. De quo consulere poteris Conimbric., lib. 1 de generat., cap. 4, quaest. 3, artic. 1.

Opponit nobis Pineda de rebus Salomonis, lib. 1, c. 11, locum Sap. 7, ubi Salomon universam aut maximam virtutem agendi, formandi et generandi, semini virili attribuit; secus ac nos, qui cum Medicis virtutem actricem et formatricem, partim viro, partim tribuimus foeminae. Ait ergo Salomon: *Coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis.* Si ergo proles ex semine hominis coagulatur; ergo licet foeminae semen elaborarent, non tamen erit necessarium ad generationem; ac proinde neque in B. Virgine erit admittendum, neque illo medio in generationem Christi influxisse. Verum respondeo, ibi Salomonem non negare fieri generationem ex semine foemineo tametsi dicat conceptionem fieri ex semine hominis; imo nomine hominis intelligi etiam potest foemina: vel ex eo dicit fuisse coagmentatum ex semine hominis, tanquam ex instrumento actuosiori et efficaciori ex natura rei.

1550. Ex his reiiciendi sunt procul aliqui pii viri, qui potius pietate falsa ducti, quam rationis fundamento nixi, meditantur tres sanguinis guttas virtute Spiritus sancti, et Angelorum interventu, de corde B. Virginis expromptas, et in utero ad Christi formationem repositas. Arbitrantur ergo, Christi corpus de Mariano corde fuisse fabricatum; cum enim cor omnium sit membrum nobilissimum hominis, sedesque vitae, oportebat, ut qui futurum erat Caput Ecclesiae, ac nobilius membrum huius corporis mystici, ex eo formaretur. Deinde cor dicitur Amoris sedes; ut ergo Christus ex B. Virgine ad nos amandum propensus prodiret, ex sanguine cordis Mariani totus compactus est, ut non solum ex parte causae efficientis, videlicet Spiritus sancti, qui totus amor est, et B. Virginis, quae Mater pulcrae dilectionis cognominatur, sed etiam ex parte materiae totus ex amoris officina prodiret hominum ardentissimus amator, usque ad sanguinis profusionem. Sed ne quis pietatis praetextu a vera et catholica sententia discedat, ex dictis in toto hoc Certamine, hanc specie solum piam, reapse tamen plusquam falsam meditationem, cum Abulensi in cap. 12 Levit., et Salmerone tom. 3, tract. 9, impugnabo. Quia si ex tali sanguine ex corde eruto, Christi corpus coagmentatum fuisset, B. Virgo Christi non haberetur Mater; sicut enim si Christi corpus de carne Virginea fuisset efformatum, non utique diceretur a Maria Christus tanquam Filius progeneratus, sed ex illa sumptus vel factus; ac proinde summum ipsi B. Virgini privilegium eriperetur, videlicet maternitatis Dei. Et ratio est, quia B. Virginis caro non est materia in generationem destinata, neque circa illam versatur potentia generativa; nihil enim super illam agere potest: ad eum modum sanguis existens in corde, vel in aliis corporis partibus, non est materia proxima, nec disposita ita ut generationi subvenire possit, sed solum nutritioni; quare in potentia naturali non erat, ut inservire posset generationi foetus. Potuit quidem Deus ex illo cordis Mariani sanguine, Christi corpus elaborare, tunc autem B. Virgo Christi Mater nec esset, nec diceretur, quia non concurreret ad formationem Christi per materiam dispositam, et a natura destinatam ad generationem, quemadmodum aliae matres: neque Christus tunc esset conceptus ex materia, ex qua caeterorum hominum corpora generantur, contra

Apostoli proloquium ad Hebr. 2: *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Reiicienda est igitur e medio talis meditatio tam falso innixa fundamento, quam tenuisse fertur Albertus Magnus super *Missus est*, et Henricus Ord. praedic. ser. de Annunc., Pomerius lib. 1, part. 7, qui falso, et illam caelitus fuisse revelatam ex Alberto Mag. commemorat, et s. Thomas recte eam confutat, q. 31 in 3 p., dum ait: *Ad naturalem modum generationis eius pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae foeminae subministrant.* Horum Doctorum meditationi aliqua ex parte subscribit Ioannes de Carthagena, lib. 5 de Annunc., hom. 14. Hucque detorquet illud Isai. 11, ubi noster Vulgatus legit: *Flos de radice eius ascendet.* Chaldaeus vertit: *Christus de filiis filiorum crescet.* Alii ex D. Hieronymo inibi transferunt: *Flos de trunco incendii ascendet.* Quasi innueret Isaias, Christi corpus ex materia incendio amoris flagranti compactum fuisse. Sed alia est mens Prophetae, ut habes apud Interpretes. Aiuntque inde firmari suam piam contemplationem, quia generatio Christi ex Maria aemulatur generationem Verbi divini ex Patre supero: sicut ergo de Patris corde dicitur Filius originem traxisse, ita et de corde B. Virginis secundum generationem temporalem. Ait enim Tertullianus adversus Praxeam, de Trin. cap. 7: *Unigenitus, ut solus ex Deo genitus propria de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ipse testatur* (Psal. 44): *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Ergo similiter ex corde Matris enasci oportuit, ut miserationum viscera hauriret, ac indolem ad miserendum pronam. Sed hi omnes Doctores potius Concionatores agunt, quam theologici ac philosophici pulveris serios excussores.

CERTAMEN IV.

Totus Iesus ex solo sanguine defaecato B. Virginis efformatur.

1551. Pervetustae cuiusdam opinionis occasionem, quam denuo Galatinus exsuscitavit l. 7, hoc Certamen instituimus. Docet ergo Galatinus ex Hebraeis quibusdam, ut carnem Christi tam in se, quam in suis parentibus, omnino a peccato immunem redderent, ab eiusque debito liberarent, Deum in Adamo particulam quandam substantiae eius designasse, et quasi consignasse, ut omnino esset a lege peccati praeservata, eamque usque ad B. Virginem, per omnes succedaneos progenitores eius, integram fuisse transfusam, ut ex illa purissimum Christi corpus compingeretur. Cuius commenti patronum volunt Augustinum, lib. 10 super Genesim ad literam, cap. 19 et 20, tom. 3, ubi haec habet: *Caro Christi fuit in Adam, et Abraham secundum corpulentam substantiam.* Sed substantia corpulenta est quaedam particula a Deo consignata, ut ex ea Christus formaretur; ergo etc. Verum Divus Augustinus procul abest ab illo commento; solum enim ait, corpulentam substantiam corporis Christi Domini, id est materiam, quam assumpsit ex B. Virgine, praecessisse in Adamo tanquam in principio materiali; nempe quia per virtutem generativam Adae caeterorumque posterorum usque ad B. Virginem factum est, ut illa materia praemuniretur ad Christi Domini generationem. Cum autem D. Paulus ad Rom. 1 ait, Christum factum fuisse ex semine David secundum carnem, non intendit semen David fuisse materiam aliquam consignatam in ipso, ex qua immediate post varias posterorum generationes progigneretur Christus Dominus, sed solum corpus B. Virginis, quod ex semine maris ac foeminae fuit compactum, exstitisse in Adam, et in aliis ipsius posteris secundum rationem seminalem; et ideo interventu B. Virginis, Christus secundum carnem, dicitur ex semine David per modum originis.

Quocirca merito Doctores et Scholastici cum suo duce Thoma hoc commentum tanquam fabellam quandam explodunt in 3 p., q. 31, art. 6. Primo, quia Christi corpus compactum non fuit ex aliqua materia, quae fuerit actu pars corporis Mariani: ergo formatum non fuit ex illa particula determinata, et a Deo designata, quae exstiterit in Adamo, et reliquis B. Virginis progenitoribus, et postea ipsi B. Virgini communicata fuerit; corpus enim Christi eatenus ex prioribus parentibus fuit formatum, quatenus interventu B. Virginis fuit progenitum, quae a suis parentibus non habuit nisi ea, quae fuerunt actu partes corporis eius: et licet hauserit ab eis humorem et sanguinem, qui est pars in potentia eo tempore, quo concepta fuit; at cum Christum concepit, nihil potuit in suo corpore asservare a parentibus suis haustum, quod tunc non esset actu pars eius; quippe sanguis a Matre haustus, in prima productione, haudquaquam conservari potuit sub eadem sanguinis forma; cum enim esset caro in potentia, utique per vim activam nativi caloris iamdiu in carnem, et ossa media potentia nutritiva abiisset. Ex quo nova vis accedit huic primae rationi; siquidem vel illa particula designata, ex qua post longam generationum seriem asseritur Christus efformatus, erat corruptioni obnoxia, vel omnino ab omni corruptione immunis. Hoc autem et rectae rationi dissonum, et inauditum est; imo iuxta Suarium, tom. 2 in 3 p., q. 31, art. 6 in Commentario, haereseos nota dignum; si autem corruptioni subderetur, necessario vi caloris nativi in substantiam aliti transmutaretur, adeoque immutata per tot generationes asservari non posset sine miraculo. Hoc autem admittere sine ullo fundamento, ab omni recta ratione alienum est; imo plura essent miracula multiplicanda, quibus illa particula substantiae a parentibus in filios transfunderetur, cum ex vi potentiae generativae naturalis transmitti non posset: non enim transfunderetur, ut ex ea proles coagmentaretur, aut anima informaretur, vel ut concurreret ad generationem eius, sed solum ut asservaretur post tot generationes usque ad Christum; tum etiam quia illa particula solum transfundi poterat ad eos progenitores, ex quibus proditu-

rus erat Christus, non vero ad alios, tametsi prius tempore ab eodem parente per eandem virtutem generativam progigneretur: ex quo fieret, ut illius particulae transfusio usque ad Virginem Mariam, nunquam intra naturae terminos contineretur, sed id totum miraculo tribueretur, quod valde per se absonum cuique videatur. Fieret etiam ulterius, Christum D. non esse Filium David, aut Abrahae, reclamante sacra Pagina; nam omnes illi patriarchae reapse iuxta hoc commentum utique dicendi non essent Christi progenitores, sed solum canales quidam „et aquaeductus, per quos illa particula transfunderetur usque ad B. Virginem.

Deinde arguitur adversus eandem particulam: siquidem corpus Christi Domini non aliter existebat in progenitoribus, quam exstitit corpus B. Virginis; at hoc in illis non resedit secundum hanc particulam consignatam, solum enim exstitit, sicut alii filii in suis parentibus: fuit enim naturali modo concepta per veram seminalem propagationem. Ad haec, iuxta hoc figmentum, non fuisset compactum Christi corpus ex sanguine B. Virginis, neque de substantia eius magis vel proximius, quam de substantia Adae, vel Abrahae, vel cuiusvis alterius progenitoris; quippe solum fuisset formatum ex materia illius particulae, quae eadem numero exstiterat in Adamo, Abraham et aliis; quae omnia pugnant aperte cum vera Fidei doctrina; quare merito haec sententia ab omnibus reiicitur, et omnino antiquata manet.

1552. Sit ergo assertio ab omni catholico viro tenenda: Nulla pars corporis Iesu in prima sui conceptione fuit ab extrinseco allata, sed totum illud sacratissimum corpus Iesu fuit elaboratum ex sanguine defaecatissimo B Virginis; ita ut pars illa materiae, quae a patre creato exhiberi solet, a B. Virgine suppleta fuerit. Ita concors omnium sententia; s. Anastasius Synaita, lib. 3 de rectae Fidei dogmatibus, ait: *Sola mulier formando corpori, quod organum fuit divinae Maiestatis, suppeditavit materiam.* Idem docet Anselmus, lib. de excel. Virg. S. Bernardinus ser. 61: *Christus totam a Virgine humanitatem recepit.* Sancta Birgitta in serm. Angelico, c. 2: *Totum suum corpus de solo tuo corpore sine aliquo defectu accepit.* Hugo de s. Victore, lib. de Virginit. Mariae, cap. 2: *Concepit Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus sancti semen partus acceperit, sed quia per amorem, et operationem Spiritus sancti ex carne Virginis, divino partui natura substantiam subministravit.* Ennodius in Hymno de sancta Maria: *In carne Verbum stringitur, de Matre cunctus noster est.* Guarricus abbas, serm. de Annunc.: *Hoc nempe est, circumdabit de se sola, intra semetipsam concipiet.* Ratione etiam eadem veritas fulciri potest: primo, quia nullo opus fuit adminiculo, ut aliunde aliqua sanguinis portio suppleretur, vel adsportaretur, vel novitus illa ex nihilo formaretur, vel ex aliquo praesupposito subiecto. Secundo, quando adest causa secunda sufficiens potens producere effectum, non est philosophicum, ad miracula, vel ad primam causam confugere; sed B. Virgo cum proprio purissimo sanguine ultimo defaecato, atque disposito, erat causa sufficiens ad formationem integram Christi; ergo perperam hoc negabimus. Quocirca verius ac proprius B. Virgo affirmare potuit de Deo Filio: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*; quam Adamus de Eva, qui profecto inani gloriola ductus, quia Eva fabricata fuerat ex ipso dormiente et inscio, subministrante solum costam Evae formationi, iactabundus illa protulit verba: *Os nunc ex ossibus meis, et caro de carne mea;* ubi non solum os, sed carnem subministrasse gloriatur, sibi inepte ac superbe totam fabricandae mulieri molem arrogans: quid mirum, si praeceps corruerit, cum elatus in altum superbierit? Verum B Virgo, quae sciens, consentiens ac volens Christum genuerat, cuique toti formando purissimam sui substantiam suppeditarat, nullam sibi gloriam arrogabat, sed integram solum in Deum referebat, ne propriarum suarum laudum ambitiosior appareret; ideo elata voce in illas voces intonuit: *Magnificat anima mea Dominum.* Quam animi Virginei demissionem Bernardus ponderans, ait ser. in Signum magnum: *Magna quidem praeconia, sed et devota humilitas: nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.*

CERTAMEN V.

De generatione substantiali Virginis Deiparae erga Iesum.

Recte monuit D. Bonaventura in 3, dist. 4, q. 1, has et similes disputationes, non frequenter et in vulgus ore volvendas; non tamen praetereundas, cum maxime conducant ad explicationem ac plenam mysteriorum intelligentiam.

1553. In omnium ergo opinione asserendum est, B. Virginem active concurrisse ad generationem Christi, nec praeventam totam illius actionem ab agenti superiori, alioquin vere non diceretur mater, sed sic se habuisset sicut ignis Babylonicus, qui potuit producere calorem, nec tamen produxit: quando vero Aristoteles et D. Thomas aiunt foeminam in producenda prole solum passive concurrere, adduci non possum ut credam, illos intellexisse, matrem nihil omnino agere; sic enim terra, e qua fiunt vasa, esset eorum mater, si illa viverent, ut ait Scotus in 3, dist. 4, q. unica: influit ergo foemina active in foetum, eiusque dispositiones, non minus quam vir, cum sanguinem efficiat, ac semen elaboret, et prolem progignat. Signate de Deipara verum habuisse semen, praeter cit. Doctores; tradunt Haymo apud Strabum ad Galatas 4, Magister in 3, dist. 4, Maldonatus in cap. 1 Matt., Cornelius a Lapide in 12 Levit.

Quatuor ergo praestitit Maria, quibus perfecte Matris munere functa est. Primo concurrit ad positionem materiae necessariae ad foetum in matrice. Secundo, influxum praebuit in dispositionem illius proximam ad foetum. Tertio, concurrit ad productionem unionis physicae animae Christi cum corpore. Demum in prolem influxit

concursu materno ; de quibus sigillatim sumus acturi.

Circa primum, asserendum est, Beatam Virginem exhibuisse sanguinem purissimum, si nolis semen vocari: nihil enim materiae corporalis habuit Iesus in prima sui formatione, nisi a sola Maria, unde ex hac parte praebuit totam materiam, illam etiam quam praesiturus erat pater creatus. Haec autem positio materiae in matrice, non nativa vi, sed supernaturali quoad modum praestita est a B. Virgine hoc modo. Primum consensum praebuit per illa verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Ad quem consensum impressus fuit impulsus divinitus in omnem materiam necessariam ad formationem corporis Christi; quo impulsu accepto, concurrit Deus ad praesentiam illius materiae seminalis producendam in matrice, quin ea per medium transiret: ad eum modum quo Christus in caelo residens, accipit praesentiam in Eucharistia absque transitu per medium. Ex quibus docent aliqui recentiores, praedictam materiam seminalem Deiparae in eodem instanti fuisse in duobus locis miraculose; eundemque impulsum, qui erat in receptaculis formativis ac dispositivis, exstitisse supernaturaliter in eodem instanti in matrice. Quo de agit Petrus Hurtado, tom. de vita Christi, nondum in lucem edito: illa autem ubicatio impulsus in matrice naturalis quoad substantiam, fieri potuit a potentia naturali B. Virginis. Habito ergo consensu Mariae, Spiritus sanctus impulsum impressit materiae illi ad foetum necessariae simul cum ipsa Deipara, illam constituens in matrice, divinitus concurrente etiam impulsu Mariae ad illam praesentiam, quem impulsum habuit illa materia non transiens per medium, in quo fuit miraculum, non vero in substantia ipsius praesentiae.

Ex quo luculenter apparet, in B. Virgine nullam fuisse naturalem delectationem in generatione Iesu, quia semen dum residet in receptaculis formativis, non sentitur, neque cum est in matrice; omnis igitur pruritus, seu titillatio oritur ex attactu, vel traiectione successiva per vias communes ad generationem, quae omnia abfuerunt a B. Virgine sole puriori: in opinione autem D. Thomae negantis, unum corpus in duobus locis circumscriptive posse poni, licet daretur ille transitus successivus seminis per solitos tramites, cum plures medici asserant non esse sitam voluptatem in illa traiectione seminis, neganda est etiam omnis delectatio in Virgine purissima, ut supra iam vidimus.

1551. Secundum concursum a B. Virgine praestitum situm esse in dispositionibus conficiendis innui. Aliae ergo matres paullatim materiam foetus disponunt una cum seminis virilis concursu: hic autem successivus apparatus in producendis dispositionibus ex eo est, quia accidentia contraria resistentiam obtendunt: si enim agens esset sufficienter applicatum, et in passo nulla adesset hostilis qualitas, et nullum adesset contrarium, quod obsisteret agenti, in instanti induceretur forma, ut patet in anima rationali. Omnes ergo hostiles invasiones, quae officere possent, ne materia illa anima Christi informaretur, subito et miraculose amotae sunt, prius natura, quam adesset generatio activa Mariae; non ab ipsa Deipara, sed a Deo: deinde subsequuta est integra in momento membrorum organizatio, in quam active nativa vi quoad substantiam concurrit in ipsomet instanti, quia iam praecesserat oppositarum qualitatum corruptio miraculosa, quae in aliis generationibus tractu temporis, pedetentim et successive contingit. Sic ignis ligno applicatus, nulla resistente contraria qualitate divinitus, sed nativa vi quoad substantiam illud comburet in instanti; esset tamen modus miraculosus.

Neque ad munus Matris attinet, vel ad essentiam generationis, depulsio oppositarum dispositionum, quae reperiuntur in passo, et se tenent ex parte termini *a quo*; est enim terminus extrinsecus, et valde accidentarius generationi: solus terminus *ad quem*, sive producendus, sive uniendus requiritur essentialiter ad complendam generationis essentiam. Cum vero Aristoteles vocat privationem, principium generationis, intelligit iuxta aliquorum interpretationem, ultimam dispositionem formae in subiecto carente adhuc forma in illo priori naturae, sive rationis; nullo enim modo dici potest privatio, principium entis naturalis. Haec autem, quae in aliis generationibus praecedunt formam substantialem propter resistentiam passi, in generatione Christi simul fuerunt in instanti cum ipsa anima, et unione; siquidem divinitus omnis exulaverat hostilis qualitatum invasio. Ergo simul atque B. Virgo illud protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Spiritus sanctus in illam efficaciter supervenit, ac admirandam Divinitatis virtutem Verbi susceptivam, simul et generativam eidem Virgini indidit ac subministravit, auctore Damasceno, lib. 3, c. 2, et lib. 4, cap. 15, de fide orthodoxa; tantum igitur virginei ac purissimi sanguinis Christi formationi praebuit, quantum ad humani corporis formationem sufficeret. Itaque B. Virgo materiam illam communem, quam aliae foeminae ad foetus conceptionem suppeditant, subministravit; peculiariter tantum Spiritus sanctus illud cooperatus est, quod naturalem simul et supernaturalem virtutem eidem Virgini exhiberet poliendae, perficiendaeque tantae proli.

1555. Tertius concursus a Virgine Deipara praestitus ad completionem maternitatis, vel in quo principaliter consistit vera maternitas, fuit ipsa generatio substantialis; videlicet actio productiva humanitatis Iesu, vel, ut luculentius dicam, actio illa, qua produxit unionem inter animam Christi, eiusque corpus, quae fuit in illo instanti, in quo erat ultima dispositio. Ad hanc actionem eadem ratione concurrit B. Virgo, sicut et reliquae matres ad generationem suorum liberorum, neque aliquod in illa apparet novum miraculum; iam enim illud praecesserat circa dispositionem organorum, contrariorumque depulsionem. Facta ergo organizatione, in instanti fit generatio substantialis: in exhibitione materiae seminalis, vel sanguineae Virginis solius

sine patre vero, in positione etiam illius materiae in matrice, in momentanea organorum dispositione, in contrariarum qualitatum expulsione, Deus miraculose supplevit active quidquid ageus naturale successivo tempore acturum erat. Verum in generatione substantiali humanitatis Christi Domini nihil agnosco, quod Deus miraculose suppleverit: fuit enim Deipara sufficiens et adaequata causa, sicut reliquae matres ad productionem humanitatis Christi Filii sui, sed multo perfectius et adaequatius illis omnibus; illae enim solum partialiter una cum causa instrumentali vel etiam principali, nempe semine virili: at B. Virgo sola suo purissimo sanguine produxit unionem inter corpus et animam Christi D. Maternitas ergo Deiparae, prout dicit actionem se tenentem ex parte B. Virginis, eiusdem est rationis cum aliis maternitatibus. Et patet, nam substantia Mariae, potentia generativa ipsius, actualis generatio, terminus formalis, et immediate productus, videlicet humanitas, vel unio animae Christi ad corpus, omnia sunt eiusdem rationis et ordinis, atque in aliis generationibus, et maternitatibus reliquarum foeminarum. Verbum autem divinum, vel non est terminus, vel valde remotus: unio vero Hypostatica humanitatis ad Verbum nulla ratione ingreditur rationem maternitatis; et licet, ut vidimus, iuxta aliquos, concurrerit Deipara ad illam, non tamen nisi per potentiam obedientialem, sicut poterat concurrere ad efficientiam illius quodlibet aliud agens elevatum.

Quartus denique concursus spectans ad maternitatis munus, est influxus Deiparae in Iesum iam productum usque ad tempus partus per novem menses: ubi nihil speciale reperitur distinctum a concursu et influxu reliquarum matrum in suas proles tempore gestationis, nisi quod sanguis, quo alebatur Iesus, erat defaecatissimus ac purissimus, utpote qui ex cibo plerumque coelitus adsportato, ut vidimus, fiebat. Itaque Maria Virgo in toto rigore physico ac metaphysico fuit vera Christi Mater, dum uterque simul vixere hac vita mortali, et nunc post utriusque resurrectionem in aeternum Mater Dei perdurabit.

1556. Vestigabis, cur Christus dicatur conceptus de Spiritu sancto, cum aeque Pater et Verbum concurrerint ad illius formationem. Respondeo, quia sanctificatio attribuitur tertiae personae, et miracula, quae supra retulimus fuisse facta in organizatione, per appropriationem Spiritui sancto tribuuntur; illae etiam operationes, quae filiorum genituram spectant: unde in orbis conditione dicitur Spiritus sanctus iuxta vulgarem ac tritam Interpretum explicationem, quod foveret aquas, ac super illas incubaret, ex quibus postea caeli et alites, Spiritus sancti fomento procrearentur. Ideo Iansenius in illa verba, *Spiritus sanctus superveniet in te*, ait: *Patrem locum obtinuisse generantis, Spiritum sanctum egisse vices virtutis effectivae in semine residentis, supplendo eius efficientiam; virtus autem Altissimi, id est Patris potentia Mariam obumbravit, illam velut maritus amplexans.* Et Damascenus, lib. 3 fidei orthodoxae, cap. 2: *Obumbravit*, ait, *super ipsam Dei sapientia, et virtus velut divinum semen.* Obiectabis: Spiritus sanctus supplevit in generatione Christi operam et efficientiam viri, iuxta communem Patrum locutionem; ergo substitutus fuit loco patris; ergo sicut B. Virgo est Christi Mater, quia subministravit materiam purissimi sanguinis, ita Spiritus sanctus, quia tanquam activum principium effective produxit illud corpus, erit verus Christi Pater. Respondeo, negans consequentiam, quia pater filio aliquid de sua propria substantia communicat, ratione cuius similis in natura sua evadit parenti; at Spiritus sanctus nihil de sua substantia Christo contulit.

Hinc quivis facile deducet, B. Virginem causam fuisse principalem disponentem materiam, ex qua Christi corpus fuit efformatum virtute Spiritus sancti, ex quo etiam capite volunt aliqui, etiam si Christus non esset Deus, ipsum tamen sanctum omnino nasciturum: itaque Christo Domino tanquam concepto a B. Virgine Spiritus sancti ope omnis gratiae plenitudo debebatur, licet propter unionem Hypostaticam tanquam propter radicem iam omnis ipsi gratia fuit debita. Quod si scisciteris, quid Maria praestiterit in his duobus, nempe in humanitate, et in gratia collata Christo ex vi obumbrationis et superventionis Spiritus sancti in illam; respondeo, quoad humanitatem Christo exhibitam, exstitisse Mariam causam immediatam particularem, ac principalem, cum ipsum genuerit tanquam vera Mater, ac pepererit; influens simul actione sua cum virtute Spiritus sancti. De quo consule Ripaldam, tom. 1 de ente supernaturali, disp. 31, ubi inquirit, utrum B. Virgo dici queat causa principalis generationis Filii per virtutem Spiritus sancti. At vero quoad influxum gratiae nec physice, nec moraliter concurrit; solus Spiritus sanctus eam gratiam Christo contulit.

CERTAMEN VI.

Utrum B. Virgo produxerit existentiam humanitatis Christi Domini.

1557. Certamen hoc in dubium vocatur solum propter Thomistarum scholam, qui consequenter ad suae doctrinae principia, affirmant in humanitate Christi Domini nullam dari existentiam creatam, sed per unionem hypostaticam assumi, ut existat per existentiam increatam Verbi divini. Ita Caietanus in 3 part., q. 17, art. 2; Capreolus in 3, dist. 6; Ferrara, 4 contra Gentes, cap. 35, et alii recentiores Thomistae. Aiunt ergo in Christo unam tantum existentiam dari, eamque divinam, quia Christi humanitas caret propria existentia, adeoque existere per existentiam increatam Verbi. Ac proinde dicunt, humanitatem Christi non habere a B. Virgine existentiam per generationem.

Censeo 1.° Humanitas Christi Domini existit in rerum natura per existentiam propriam creatam, non per existentiam increatam Verbi. Ita Mag. Albertus, Scotus, eiusque schola, et ex vetustioribus Thomistis Hervaeus, et Paluda-

nus, quos omnes allegat Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 36, sect. 1. Favet plurimum s. Damascenus, lib. 3, c. 3, de fide orthodoxa, ubi docet, Verbum assumpsisse humanitatem, *nec substantia, nec existentia privatam*. Ita vertit Faber, aliter Billius: nempe, *assumpsit humanitatem non redactam in nihilum, id est non nudatam existentia propria;* idem enim reputat nudari existentia propria, ac in nihilum redigi. Probatur ratione desumpta ex Metaphysica: res enim, quae est extra causas, est formaliter actu existens; sed existentia est id, quo res formaliter est extra causas; ergo eo ipso, quo humanitas Christi Domini est extra causas, est formaliter existens per existentiam propriam. Roboratur: res, quae existit extra causas, est terminus actionis novae, quae antea non erat, et modo est: sed illud esse non est essentiae, quia illud ab aeterno fuit; at esse novum, quo gaudet res cum primo producitur, est temporale et separabile ab essentia, quia potest illud amittere, non amissa rei essentia: si ergo entitas actualis *ut sic*, intrinsece et formaliter constituitur in esse entitatis actualis per existentiam, fieri non potest, ut concipiatur entitas actualis *ut sic*, quin formaliter concipiatur existentia; sicut nequit concipi album constitutum in ratione albi, quin concipiatur albedo. Roboratur secundo: de intrinseco humanitatis actualis conceptu est existentia, de intrinseco autem conceptu humanitatis actualis, non est Verbum; ergo humanitas non existit per existentiam Verbi. Confirmatur: quilibet Angelus intuitive videt humanitatem Christi actu extra causas existere; ergo videt id, quo illa humanitas formaliter constitutur in tali entitate actuali; nequit enim fieri, ut quis videat album *ut sic*, quin videat albedinem, per quam formaliter constituitur album; sed nequit Angelus viribus naturae intueri Verbum unitum humanitati; ergo humanitas non constituitur actualis entitas per unionem ad Verbum, nec per existentiam increatam Verbi, sed per existentiam creatam propriam, quae obiectum esse potest intuitionis Angelicae, virtute naturali operantis. Praeterea Daemon nequit virtute nativa videre humanitatem Christi subsistentem clare, et in ratione subsistentis *ut sic*, quia subsistit per subsistentiam Verbi increatam: ergo similiter si humanitas existeret per existentiam increatam Verbi, clare non posset Daemon videre existentiam humanitatis, non visa existentia divina.

Secundo probatur theologica ratione: existentia humanitatis distingui non potest ab ipsa humanitate actuali, neque ut substantia, neque ut accidens; ergo dici non potest existentia humanitatis propria realiter ab ipsa secerni. Antecedens ostenditur: si enim asseras existentiam humanitatis Christi, substantiam esse distinctam ab ipsa humanitate; ergo pertinet ad essentiam physicam saltem integralem substantiae creatae, scilicet humanitatis Christi; sive enim sit entitas, sive modus substantialis, quidquid substantia est, spectat ad essentiam physicam et integram, ut patet in materia, forma, et unione, et subsistentia; ac ideo non distinguetur a tota humanitate, sed solum inadaequate. Ex quo perspicue infertur in Christo Domino non esse integram naturam humanam quoad substantiam et integritatem, cum careat propria existentia, quae aliquid substantiale est spectans ad sui integritatem et complementum. Nec interest, illud suppleri per existentiam Verbi: inde enim fieret, humanitatem Christi substantialiter integram, differre plusquam specie ab humanitate alia cuiusvis hominis, cum intra perfectionem humanitatis integretur, et compleatur per existentiam Verbi increatam, quae plusquam specie differt ab existentia propria humanitatis Petri. Quod si affirmaveris, existentiam propriam humanitatis esse accidens; ergo humanitas existit in rerum natura per formam accidentalem, cuius effectus formalis proprie et stricte sit, reddere humanitatem naturaliter existentem: ex quo ulterius elicio existentiam Dei in Incarnatione subrogari pro forma accidentali, ac reddere effectum formalem formae accidentalis. Quae omnia in Theologia absurda censentur.

Tertio desumi potest argumentum ex tractatu de Eucharistia. Vel enim accidentia existunt actu per existentiam propriam, vel per existentiam substantiae. Si primum affirmes; quare igitur humanitas non existet etiam per propriam existentiam? Cur color, et quantitas panis in Eucharistia, color item, et quantitas humanitatis Christi propriam sibi vendicant existentiam; et substantia humanitatis propria viduata existentia alienam mendicavit? Quod si dixeris, accidentia existere per solam existentiam substantiae; modo sic: ergo accidentia panis et vini in Eucharistia immediate uniri debent cum existentia divina et increata, ut possint existere; quod nullus concedet; vel affirmandum est in Eucharistia manere panis et vini existentiam, quod male audit apud Theologos.

Quarto adversus Thomistarum scholam *ad hominem* disputare iuvat: asserunt illi in Deo reperiri tres existentias relativas, sed unam tantum absolutam. Nunc sic: Christi humanitas non existit per existentiam propriam creatam, sed per increatam; haec solum est una in Deo, et absoluta: ergo Christi humanitas existit per existentiam Dei absolutam, quod vi argumenti adacti iam admittunt. Nunc ulterius urgeo: Vel Christi humanitas est per se immediate unita cum existentia absoluta Dei, quae formaliter est ipsa Deitas; vel solum unitur mediate. Si primum; inde necessario fieret, omnes tres personas humanitatem sibi assumpsisse, quod pugnat cum recta ratione, et cum iis quae Concilia docent; solum exhibebo Toletanum VI damnans quendam Cnapheum his verbis: *Natus itaque a Deo sine Matre, natus a Virgine sine Patre, solum Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Et cum tota cooperata sit Trinitas, formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius accepit hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae; in id quod est proprium*

Filii, non quod commune Trinitati. Ergo planissime fit ex verbis Concilii, Verbum non univisse naturam humanam ad suam Divinitatem, vel ad aliquod esse tribus Personis commune, qualis est existentia absoluta. Quod autem sequeretur, Patrem et Spiritum sanctum etiam fuisse incarnatos, si humanitas Christi unita fuisset immediate existentiae absolutae, quae communis est tribus Personis, inde probatur ; ex eo enim Pater, et Spiritus sanctus est Omnipotens, quia divina Omnipotentia idem est realiter cum Deitate, cum qua illae personae realiter sunt idem; ergo si humanitas Christi unita fuisset existentiae absolutae, non solum Verbum, sed et Pater et Spiritus sanctus hominem constituerent. Quod si dixerint, humanitatem mediate tantum unitam fuisse cum existentia Dei absoluta; inde fieret, rem actu, formaliter et vere existere in rerum natura per existentiam non sibi immediate unitam, tum subsistere immediate, et non existere immediate, quae omnia cum recta Philosophia pugnant.

1558. Censeo 2°: Humanitas Christi Domini habet propriam existentiam, quam hausit a B. Virgine per generationem. Probatur praeter dicta in superiori Conclusione; nam si Christus non habuit a Matre existentiam humanitatis, ergo nihil habuit ab illa, cum non habuerit ab illa existentiam increatam; neque unionem ad Verbum in sententia thomistica, adeoque nec dedit illi subsistentiam divinam, cum non unierit humanitatem cum Verbo. Nudam vero essentiam humanitatis ab illa recipere non potuit, cum nihil sit actu, et extra causas, sed quaedam res in potentia.

At oppones: terminus generationis humanitatis Christi est sola humanitas existens per propriam et creatam existentiam; ergo solum fuit B. Virgo Mater humanitatis, non Dei. Negata est consequentia; licet enim verum sit, formalem terminum illius generationis esse humanitatem existentem, tamen ultimus et adaequatus terminus, qui generatur, non est humanitas, sed hic homo; siquidem illa humanitas non in se producitur solitarie, sed subsistens in Verbo, ac proinde dicitur Verbum generari ex Virgine : ad eum modum, quo Christi carnifices vere et reapse nudarunt humanitatem Christi existentia sua, et quia humanitas non est passa in se, sed ut existens in supposito, ideo vere enunciatur hic homo interfectus, et Deus mortuus: imo aliter nequit intelligi, quid Christus hauserit a Matre, et qua ratione Christus sit eius Filius. Deinde in Thomistarum sententia, quibuscum pugnamus, B. Virgo non dedit humanitati Christi subsistentiam divinam, cum non unierit humanitatem cum Verbo; et tamen inde non bene apud ipsos inferretur, sicut neque apud omnium sententiam, B. Virginem non esse Dei Matrem. Praeterea B. Virgo partes humanitatis iam Verbo unitas, et in ipso subsistentes univit inter seipsas ; idque fuit, genuisse Deum et hominem, quemadmodum unire materiam et animam rationalem prius natura in se subsistentes, et ipsarum inter se unionem subsistentem reddere, est hominem purum vere et proprie generare.

Oppones iterum : unio humanitatis cum Verbo est substantialis; ergo nequit habere existentiam creatam illa humanitas Christi Domini, sed increatam; siquidem quod physice et substantialiter unitur cum aliquo ente completo, nisi assumatur ad idem esse cum illo, accidentaliter illi advenit; atqui Christi humanitas unitur cum Verbo iam in se completo; ergo advenit accidentaliter, cum non assumatur ad idem esse cum Verbo. Neganda est prior consequentia; ad eius probationem respondeo, humanitatem assumptam ad idem esse Verbi, non quidem existentiae, sed subsistentiae, seu personalitatis, quod esse personale cum ipsa humanitate constituit unum ens per se.

Obiiciuntur etiam aliquae Patrum et Conciliorum locutiones, quae adversus nostram sententiam militare videntur. Sophronius in VI Synodo, act. 9 et 13 approbatus, perspicue asserit humanam Christi naturam in Verbo, et non in seipsa habuisse existentiam. Idem profert Damascenus, lib. 3 Fidei orthod., c. 11, 12 et 13. Verba VI Synodi in epistola Sophronii, quam recitat Actione 11, et approbat Act. 13, haec sunt: *Simul quippe caro, simul Dei caro; simul caro animata rationalis : in illo enim, et non per seipsam habuit existentiam.* Nunc Damascenum audiamus : *Non enim cum prius instar nostri exstitisset, postea supra nos exstitit, sed semper a primo ortu, a prima existentia utrumque exstitit: quoniam iam inde a primo conceptionis momento in ipso Verbo existentiam habuit.* Sed hae Patrum locutiones nihil subsidiantur adversariis; nullibi enim aiunt, Christi humanitatem existere per existentiam Verbi, sed habuisse existentiam in Verbo; quod est verissimum: siquidem Christi humanitas habuit suam actualem entitatem a Verbo pendentem; quare sicut forma leonis habet existentiam in materia, et pendentem a materia, non tamen existit per existentiam materiae: ita cum proportione, Christi humanitas habet existentiam in Verbo, non tamen existit per existentiam Verbi. Sic dicere solemus, albedinem existere in subiecto, et non per se, aut in se, non quia albedo existat per existentiam subiecti, sed quod inexistat ipsi, habeatque existentiam dependentem ab ipso, seu per actionem a subiecto pendentem.

Cum autem Leo I, epist. 11, et s. Augustinus, lib. contra sermonem Arianum, cap. 8, ait: *Ipse namque unus Christus est, et Dei Filius semper natura, et hominis Filius, qui ex tempore assumptus est, gratia; nec sic assumptus est, ut prius creatus, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur;* aio Augustinum et Leonem illud solum intendisse, quod humanitas non prius tempore creata fuerit, quam unita, quia per ipsam assumptionem creata fuit. Inde autem nihil subsidii capiunt Thomistae pro sua sententia; nam etiam dicimus, colorem ipsa sui eductione uniri subiecto, et tamen non existere per existentiam subiecti: sic etiam licet humanitas creata fuerit per ipsam assumptionem

ad Verbum, non tamen idcirco existit per existentiam Verbi.

CERTAMEN VII.

An Deipara vera sit dicenda Mater Christi.

1559. Lis haec exagitatur propter plurium haereticorum, tam ex vetustis, quam ex recentioribus, haeresim pestiferam, quae gloriam Maternitatis Christi B. Virgini adimere contendit. Hi sunt in primis Valentiniani, qui adstruebant Verbum divinum per Mariam quasi per canalem et fistulam permeasse, nihil substantiae ab illa recipiendo. Quidam etiam Menno Simonis, Anabaptistarum dux, Christi originem ex caelesti Dei Patris semine, non autem ex Mariae Virginis substantia stolidissime dicebat. Pietate pari et modestia Suenckfeldius effutiebat Christi carnem et sanguinem non creaturalem, sed, ut aiebat ipse, supernaturalem, hoc est mere spiritualem et divinam esse. Servetus corpus Christi, corpus Deitatis de substantia Dei progenitum confingebat. Anabaptistae Christum e caelo spirituale et caeleste corpus secum attulisse garriunt. Cerdoniani Epicuri de grege porci, Christum neque natum ex foemina, neque carneum, neque vere mortuum, vel quippiam passum horrendo sacrilegio fabulantur, Augustino teste, apud Canisium, lib. 3 de Deipara, cap. 14. Proclianitae, et Appellitae Christi carnem, non de matre, neque de caelo, sed ex mundi elementis comminiscebantur. Manichaei execrandi Marcionis asseclae, ac diabolici cuiusdam Manetis discipuli, Christo solum corpus phantasticum, non verum attribuunt. Apelles Christo carnem, sed non natam a Virgine, sed de syderibus, et de substantiis superioribus mutuatam defert. Apollinaris adimit pari iniuria Christo carnem ex Virgine sumptam, sed tamen Divinitatis aliquid in carnem eius conversam esse monstrosa metamorphosi somniavit. Ex his ergo haereticorum veterum corruptissimis lacunis, eiusmodi, et similia deliria Novatores deprompserunt, quibus totam Germaniam, imo et Europam infecerunt; licet enim variis sectis dissecti Christi honorem, ac maximam Deiparae gloriam proscindant, eadem tamen haereseos cymba feruntur omnes; eiusdemque metalli Euthychiani, qui unam, eandemque esse naturam Verbi et carnis in Christo, sacrilego ausu blaterabant. In hos omnes nefandos honoris Mariani osores invehitur erudite et docte, ut solet, Canisius, lib. 3 de Deipara, cap. 14 et 15.

Nos brevi calamo hos omnes haereticos confutabimus. Est ergo fidei dogma, B. Virginem vere fuisse Christi Domini Matrem, quia ex propria illum substantia progenuit; et quidem si Christus ex B. Virgine nihil carnis assumpsit, et ex ea verus homo non est natus; quid opus fuit, ut in utero Mariae delitesceret, et totis novem mensibus in utero baiularetur, donec implerentur dies ut pareret? Haec veritas brevi ostenditur ex Isai. 7: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium;* et cap. 11: *Egredietur virga de radice Iesse* (nempe Maria ex David), *et flos de radice eius* (id est Christus ex Maria); sicut ergo germen de substantia virgulti prorumpit; ita Maria vera Christi Mater a suae carnis substantia, Filium sibi similem generavit. Ad haec, Luc. 1 vocatur Maria Mater pueri Iesu. Matth. 2: *Accipe puerum et Matrem eius.* Et iterum: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et iterum: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Nec dicas Iosephum dici etiam patrem Iesu, Luc. 2: *Erant mirantes pater, et mater eius super his quae dicebantur.* Et rursum: *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius.* Et ibidem: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* Haec autem nullam vim exerunt adversus nos; subditur enim, Luc. 3: *Putabatur filius Ioseph*, quod nunquam de B. Virgine pronunciatur. Deinde nihil in sacris Paginis frequentius, quam Christum Dominum filium hominis, filium David, et Abrahae nominari: iaculo igitur ex ore ipsius Satanae educto, omnium horum haereticorum ora blasphema obstruamus: ait enim Daemon Christum quondam alloquens: *Fili David, ut quid ante tempus venisti perdere nos?* Nisi forsan dicamus, hos nebulones haereticos in sua perfidia, ipso Daemone omnium haereticorum patriarcha, obstinatiores esse.

Patres item in hanc adstruendam veritatem coierunt, quos longum esset recensere. Lectorem remittimus ad Canisium citatum. Quod autem a Valentinianis afferebatur, Verbum per Mariam tanquam per canalem transivisse, neque tamen quidpiam ab illa hausisse, scite Origenes confutavit, Dialogo de Christo homine, ubi haec habet: *Sic Verbum per Mariam penetrare turpe non duxit, neque ex ea aliquid sumere puduit. Et in quem finem transiret, nisi inde aliquid delibaret? Si hominem non accepit ex Maria, quomodo consistent verba Apostoli? Quomodo primitiae dormientium et mortuorum Primogenitus erit? Non oportet aurem inclinare his, qui dicunt per Mariam, et non ex Maria Christum natum, quod Apostolus praesciens ait: Cum autem venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Vides quia non dixit factum per mulierem, sed factum ex muliere.* Hos omnes haereticos nervose praestringit Augustinus, lib. de fide et symbolo, aiens: *Detestandi etiam sunt illi, qui Dominum nostrum Iesum Christum, Matrem Mariam in terris habuisse negant: cum illa dispensatio utrumque sexum, et masculinum, et foemininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed etiam illum per quem suscepit, virum gignendo, nascendo de foemina.* Et Eusebius Emissenus, homil. 1 de Nativitate Domini, acriter in eosdem invehitur his verbis: *Ubi sunt haeretici, qui recenti errore decepti, et novo antiqui serpentis dente percussi, dicere ausi sunt, carnem Domini Salvatoris nihil habuisse de Maria? Hoc dicunt illi orientales haeretici, nihil illum participasse de Matre: hic pestifer sensus orientales Ecclesias occupavit, nihil Christum de nostra consangui-*

nitate traxisse, sed per Virginis transisse uterum, quasi per corpus alienum, et quid egit novem illis mensibus intra illud corporis materni genitale secretum? Illic utique de eius medullis ratione operante, collectus, illic natura stupente compositus; illic per legitima nascendi spatia de carne carnis incrementa mutuatus est. Quod si nihil attracturus erat de propriae parentis materia; quid opus erat longa hospitii mortalis iniuria? Rationes autem hanc fidem constabilientes in vera Philosophia innixae, tota hac Palaestra sparsae sunt. Nunc libet haereticorum obiecta convellere.

1560. Primum autem missos facimus sectarios, omnium autem insolentiores ac petulantiores in B. Virgine proscindenda Brentium, Lossium, Calvinum, Sarcerium, et Ioannem Agricolam, qui impie blasphemant, ex eo Christum B. Virginem durius alloqui, Matremque veluti obiurgare, quia B. Virgo aliquando muliebriter, et nescio quo carnis affectu impulsa, vinum petierit in nuptiis, et veluti omnis aequi, bonique immemor, sese per Filii miraculum ostentare, hominumque gloriam venari contenderet. Ita innuit Oecolampadius equo effraeni persimilis, Melancthon, et alii Virgini Matri frequenter infesti. Has, inquam, procaces blasphemias, et alibi abiurabimus, et tantam modo petulantissimorum hominum exhorrescimus iniuriam.

Obiiciunt ergo alii haeretici, nunquam Christum Dominum B. Virginem, Matrem suam vocasse. Ioan. cap. 2, mulierem illam appellat: *Quid mihi, et tibi est, mulier?* Et cap. 19: *Mulier, ecce filius tuus.* Imo illam Matrem suam negare visus est, dum nunciantibus matrem eius ibi adesse, duriuscule visus est respondere: *Quae est mater mea?* Respondet D. Augustinus, tractat. in Ioan., et lib. de fide et symbolo, cap. 4, ideo Christum (Ioann. 2) B. Virginem Matrem non vocasse, ut ostenderet miraculosum opus, quod Virgo B. exposcebat, divinae potius filiationi adscribendum, quam humanae. Ioan. vero 19, consulto a Matris nomine abstinuit, ne B. Virginem doloribus excruciatam, moerore ac lacrimis plenam, amplius commoveret, ut bene adnotat Nicolaus de Lyra in locum illum, et D. Chrysostomus, Hom. 24 in Ioann., haec habet: *O bone Iesu, quid Matrem tuam erubuisti? Quae te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit, tam dure loqueris: Mulier, ecce filius tuus? Sed ideo factum esse arbitror, ne materno nomine Matri dolorem amplius excitaret.* Ni velis asserere, exemplo nobis praeisse in eo, quod aliquando verbis docturus erat, cum dixit: *Nolite vocare vobis patrem super terram.* Ad illa vero verba: *Quae est mater mea?* ait Chrysostomus, hom. 15 in Matth., Augustinus, lib. de s. Virgine, Tertullianus, lib. de carne Christi, non negasse Christum, Matrem suam, sed eos arguisse, qui illum concionantem intempestive interpellabant, nec propter consanguineos opus Dei relinquendum: voluit etiam aliquorum iactantiam compescere, qui de Christi consanguinitate auram popularem sibi comparare affectabant; illamque sine Dei gratia pro nihilo ducendam docuit.

Sed ut omnino inexcusabiles novatores et haeretici coram Christo sint, altius et penitius vestigabimus hoc loco causas, cur B. Virgo a Christo Domino non Matris, sed Mulieris nomine compelletur; ut in nuptiis: *Quid mihi et tibi est, mulier?* et in cruce, eam Ioanni commendans: *Mulier, ecce Filius tuus.* Hinc enim blaterones homines suam in Mariam maledicentiam obtendunt. Sed immerito; recte enim ait Gaudentius, tractat. 2 de lect. Evang., Mariam a Christo vocari mulierem veritate sexus, non detrimento integritatis, imo plures id nomen ad singulare Mariae praeconium vertunt: sicut enim Christus inter viros primatum tenens Viri nomen antonomastice sibi comparavit; sic B. Virgo inter mulieres primas ferens, mulieris nomen sibi per antonomasiam arrogat, ut digito quasi monstraretur, eam ipsam esse, de qua Salomon ait: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod innuit Gerson in serm. de Evang. Domin. 1 post Epiph.: *Domina*, inquit, *nostra appellatur mulier, sicut Eva appellata fuit in creatione sua, et est nomen perfectionis, et sexus, non autem corruptionis.* Albertus Magnus, in cap. 2 Ioan., ait: *Christus ut humillimus noluit detegere virginitatem Matris, ne per hoc gloriosus in conspectu hominum appareret: et est haec locutio instructoria, quia in Divinis, quae Dei sunt, Matrem recognoscere non debemus.* Georgius Maior in Evang. Domin. 2 post Epiph.: *Ideo*, inquit, *Christus, mulierem, non Matrem, Virginem appellat, respiciens scilicet ad promissionem illam: ipsum semen mulieris conteret caput serpentis, tanquam appellatione omnium honorificentissima, et soli suae Matri inter omnes convenienti. In cruce etiam, summo erga Matrem affectu accensus: Mulier, inquit, ecce filius tuus; mulierem, non Matrem appellans, ut digniori appellatione quasi diceret: commendo tibi hanc mulierem, quae pro omnibus in toto genere humano ad hoc electa, ut sit mulier, id est mater seminis contrituri caput serpentis, quae contritio capitis impleta tunc est, subiicitur enim: Omnia iam consummata sunt. Sic appellatione mulieris Matrem prae omnibus aliis in cruce expiraturus coronat, et ornat; tantum abest, ut quis cogitet in agone novissimo Filium Dei quasi per contemptum, matrem suam, mulierem appellasse. Hoc aurum ex luto eruimus, ut caput Virginis, mulieris nomine veluti decoramento redimiremus, et quidem magno, excellenti, sublimi.*

Aliam quoque pulcherrimam rationem exhibet Epiphanius, lib. 3, haeresi 79: *Quo non putarent aliqui, magis eximiam esse sanctam Virginem, Mulierem illam appellavit, veluti prophetans, quae in terris futura esset haeresis Collyridianorum, qui Mariam pro Deo culturi erant.* Nunquam ergo amantissimus Filius Iesus per totam evangelicam Historiam nomen Mariae vel Matris usurpavit, sed nomen mulieris, cum eam alloquitur. Procul dubio ut eius personam honore debito prosequeretur; namque apud Hebraeos mos inolevit, ut quos natura ac ratio ob-

servandos ac colendos proponeret, nunquam proprio nomine vocarent, de quo videndus Lyraeus in Trisagio, lib. 2, modo 24; et quidem merito, nam proprii nominis appellatio liberiorem quandam familiaritatem progerminat, ac reverentiam extenuat et imminuit, quod observatum ipsa experientia duce videmus: ideo neque liberi parentes, neque servi dominos, neque discipuli magistros nomine proprio compellare solent, sed alio quo observantiam ac reverentiam alat et augeat. Marcus Viguerius Cardinalis in decachordo suo, chorda 7: *Sentiat*, inquit, *quilibet ut lubet, ego existimo, sapientissimum Iesum pro pietatis officio Mariam, non Matrem, sed Mulierem appellasse, ne daret crucifixoribus ansam, durius aliquid contra illam aggrediendi.*

1561. Rogabit aliquis: cur Christus Dominus in laudes Ioannis Baptistae effunditur; laudat item Nathanaelem, Centurionem, et alios; de Maria Magdalena commendanda curam maximam gerit semel et iterum: at de Virgine Matre, nec verbum ullum laudis, aut commendationis unquam protulit? Huius rei, tum et quod prima fronte Deiparam Christus aliquantulum durius allocutus fuerit, varias Patres ac Theologi rationes exhibent. Et primo negari non potest, aliquid subasperum et duriusculum apparere in verbis illis Christi Domini: *Quid mihi et tibi est, mulier?* tum et in illis: *Quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Respondet ergo Bernardus apud Canisium, lib. 4 de Deipara, cap. 20, Christum Dominum non tam Matris, quam aliorum causa ita locutum. Et D. Augustinus tract. in Ioan. ait: *Sacramenti gratia certi, videtur Matrem, de qua Sponsus processit, non agnoscere, et dicere illi: Quid mihi et tibi est, mulier?* Ac si maius aliquid interius celaret, quam quod ex Maria assumpserat; videlicet naturam divinam sine Matre sortitum: hoc, inquam, sacramentum responso illo indicabat; itemque operandorum mirabilium virtutem, non a Matre, nec ab humanis affectibus hauriendam, sed uni divinae virtuti referendam, oportereque divini Verbi Ecclesiastem, parentum, cognatorumque affectibus procul abiectis in animarum lucrum intendere, caelestes spiritus ebibere, quae mundi sunt, spernere.

Nec vero ita dure, ut confingunt haeretici, verbis illis Christus Dominus cum B. Virgine egit, ut fuse ex Patribus probat Canisius cit. Solum hic producam verba Eusebii Emisseni in Evang. Domin. 2 post Epiph.: *Inter se*, ait, *loquebantur Mater et Filius, ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta noverant, ipsi tunc, nempe in nuptiis, quid fieri oportebat, et quid postea futurum erat, sciebant. Caeteri autem, quod ipsi dicerent, ignorabant.* Quid, nullam tunc passa fuit repulsam, cum opem implorat, vinum exposcit, atque adeo fide plenae almae parentis preces omnino Christum in prodigium patrandum adegerunt, eiusque tenerrimum animum pulsarunt, et ad miraculum allexerunt? Rem totam Gerson brevi sententia clausit, serm. in Evang. Domin. 1 post Epiph.: *Iesus sic respondet Dominae nostrae, vel ad demonstrandam Divinitatem, ad quam spectabat facere miracula, non Matri esse subiectam, vel quasi diceret, defectum esse in ministris, vel ad ostendendum, ne nimium trahamur per carnalem amorem matris, vel propinquorum.* Et Rikelius, lib. 3 de laudibus Virg., cap. 19: *In illis verbis: Quid mihi et tibi est, mulier? a Filio non fuit increpata; nam si culpabilis erat, cur tam prompte ei Filius acquievit? Etenim irrationabili utique preci non assentiri par est.*

1562. Cur autem a divinae Parentis laudibus abstineat Christus, agunt sancti Patres, pluresque rationes interserunt, quarum aliquas brevi perstringam. Prima sit, quia ingrata, invisa, suspecta, imo omnino inutilis esset eiusmodi laudatio tunc temporis apud Iudaeos, qui arrogantiae crimini illam verterent Christo, qui omnis humilitatis magister factis potius se Dei Filium ostendebat, nec fidem ullam efferati Iudaei Marianis laudibus a Filio exhibitis adhibuissent: nec orbi tum temporis credibile videretur quodcunque B. Virginis praeconium, vel de gratiae plenitudine, vel de Altissimi obumbrationis protectione singulari, vel de Verbi divini in utero conceptione, ipsiusque Virginis sine labe vita, inviolata pariter, ac foecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Primum ergo perspicue christianae Religionis fundamenta iacienda erant, postea vero paullatim, reliqua Religionis arcana Apostolorum praedicatione erant aperienda, divulganda, Christique fidelibus tanquam fide certa proponenda.

Secunda ratio, ut erudiret hoc facto Christus Dominus Apostolos, omnesque Verbi divini praecones, ab omni parentum, cognatorumque affectu procul semovendos esse, neque eorum consiliis acquiescendum, sed sacris semper occupationibus intenti animarum lucro serio incumberent, nullaque carnis ac sanguinis sollicitudine pulsari paterentur, praesertim si de ecclesiasticis muneribus agatur, tunc enim cognatos ac Matrem ipsam, quamvis submisse rogantem, imo et adorantem procul repellant, flagitantium votis refragentur. Quippe regnum Christi non carne et sanguine metiendum, sed virtutibus ac in Deum obsequiis subornandum.

Tertia, ut Messiae muneri, quod obibat, plene satisfaceret, de quo scriptum erat, futurum magnum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quem sine patre, sine matre, sine genealogia in hoc mundo vixisse Paulus ad Hebr. 6 commemorat; ut ergo veteris umbrae figuram referret, tanquam sine matre, sine cognatione regia, sine stirpe Davidica se gessit: *Quae est*, inquit, *mater mea, et qui sunt fratres mei?* Quid, quod ipse palam docuit, se utique non venisse in mundum pacem mittere, sed gladium; gladium scilicet spiritualem, qui omnes consanguinitatis et carnis affectiones resecat, filiumque a parentibus seiungit, nullique innato parentum amori parcit, neque cognationis ullius, sive propinquitatis necessitudine permovetur, nec ullius humanae amicitiae nexibus implicatur? Hunc ergo gladium ipse omnium primus ar-

ripiat, ut praeeat exemplo, adeoque in sua veluti praecordia vibrat; imo et viscera transadigit, dum parentem piissimam, sibique carissimam, omnique caelesti dono conspicuam, tanquam alienam quasi reputat, denegat et adversatur per illa verba: *Quae est mater mea? Quid mihi et tibi est, mulier?*

Quarta, quia solemne illud vaticinium, Genes. 1, primo parenti pronunciatum verbis illis: *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae*, quam bene in secundo Adamo adimpletum fuerit, vel ex eo perspici potest, quod reliquerit in caelo Patrem, formam servi induens, ac seipsum quasi exinaniens; relinquit insuper Matrem, dum in animarum lucrum totus incumbens ab illa avellitur, illamque veluti repellit, ut firmissimo amoris vinculo carissimae sponsae Ecclesiae totus coniungatur, quam carne ac sanguine suo, nedum Matre, cariorem habet.

Quinta, ut vel hinc erudiremur cum Matre Domini Iesu, libenter velle probari, ac deiici, ac propter regnum caelorum, depressiones, crucem et amara quaeque, inimicaque huic mundo expetere, per angustos virtutis tramites, per semitas spinetis, dumetisque consitas duci: et ut per luctum et ignobilitatem, per infamiam, ac per mundi despicientiam, quae regia via est ad gaudium, ad veras caelorum divitias properemus.

Iuvat modo, quas dedimus causas veterum Patrum dictis stabilire: inter opera D. Hieronymi exstat vetus auctor, quem alii Hieronymum ipsum, alii Tertullianum esse dicunt; ait ergo: *Christus nec suis parcit affectibus, nam eum gladium, quo alios circumcidebat docendo: Si quis amaverit patrem, et matrem supra me, non est me dignus; sua convertit in viscera, et sibi ipsi facit, quod credentibus est facturus, cum dicit: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? O mysterium! Matrem sibi Dominus abiurat, cum extra verbi esset audientiam constituta.* Sixtus III, lib. 3 de castitate: *Non debemus*, inquit, *ei nostros praeferre parentes, quia nec suos nobis, nec seipsum praetulit, qui cum Discipulos doceret, et Matris, ac fratrum nuncio pro foribus stantium, et se videre cupientium, fuisset interpellatus, respondit? Quae est Mater mea?* etc. *non quod sanctam Matrem despiceret, sed ut nos quales parentes magis computare deberemus, suo doceret exemplo, et ostenderet, praeferre nos eum malis saltem debere parentibus, quibus ille nec bonos quidem praetulit.* Guarricus abbas, serm. 4 de Assumpt.: *Quae est*, inquit, *Mater mea? Sed et Matri, cum miraculum posceret, sic respondendum erat, ut aliunde, quam a Matre miracula haberi significaret: et illi, qui sermonem Evangelii, parentes annunciando interrumpebat, melius responderi non poterat, ut scilicet spiritualia carnalibus praeferenda monstraret. Absit ergo ut in terra fastidiret Matrem, cuius e caelo concupivit decorem.* Hieronymus in epistola ad Heliodorum, multis Scripturae testimoniis ostendit illum, qui se totum Deo devovit, omnis sanguinis necessitudines longe sepositurum, ac calcatis parentibus, ad Christi castra confugiturum. Per quae Patrum dicta, secundae rationi superius adductae robur maximum accrescit.

Aliam causam huius duriusculae increpatiunculae Christi in Matrem per illa verba: *Quid mihi et tibi est, mulier?* exhibet nobilis modernus: Cur, ait, Filius repugnantior duriuscule Matri respondet: *Quid mihi et tibi?* etc. scilicet noverat Christus Matris ingenium in clementiam semper propensum, nunquam non ad beneficentiam pronum. Quod si homines id attente perpenderent, quidquid nempe Mater exposceret, statim a Filio consequendum; procul dubio hinc plures ansam arriperent enormia scelera atrocibus accumulare delictis, nimia tantae Matris mititate ducti: ergo ut tantum nefas Filius arceat, tantam hominum confidentiam avertat, nimiamque contineat audaciam, durius ac asperius Matris petitionem excepisse simulavit.

CERTAMEN VIII.

Virginem Mariam non solum Christi, sed etiam Dei Genitricem vere et proprie esse, ac dici debere.

1563. Hucusque adversus scelestos sectarios maternitatem B. Virginis in Christum insectantes iacula intorsimus. Aggrediamur modo omnium maximam in B. Virgine laudem commendandam, nempe Maternitatem Dei, quam ore procaci Nestorius, impius Satanae satelles, denegavit; nam Verbum divinum factum hominem in duos partiebatur, alium ex Deo natum, alterum ex Maria editum confingens, et duas hypostases in uno Christo adstruens. Adversus hunc errorem Synodus Ephesi coacta est ex ducentis Episcopis, ad impios Nestorii conatus reprimendos; incassum tamen, quousque a concilio Patrum explosus, ac episcopalibus infulis privatum, et a Theodosio Imperatore proscriptus exilio multaretur, qui poenae acerbitate perculsus, fucatae resipiscentiae speciem praesetulit, ac veluti priorem exuens sententiam aiebat: *Dicatur etiam et Dei Genitrix Maria, et contentiones tristes facessant.* Sed nec Patrum acerba censura, nec Caesaris severa indignatio illum vel pilo meliorem fecit. His enim verbis sic Deiparam accipiebat, nempe quae Christum nudum hominem conceperit ac pepererit, non ab ipso conceptu, sed post Baptismum, vel post ipsam a mortuis anastasim; tunc enim primum Christum Mariae filium Deificatum esse commentus est. Itaque ut bene Canisius, lib. 3 de Deipara, cap. 19, scite adnotavit, sic loquebatur Nestorius de Deipara ut si quis Monicam Augustini Episcopi parentem esse diceret, non quia is talis ex matre progigneretur, sed quia ex infante vir ille factus pervenerit ad infulas. Eiusdem erant nefariae illae voces: *Deum ex Christipara Virgine prodiisse, ex divina Scriptura sumus edocti; Deum vero ex ipsa genitum, nusquam edocti sumus. Procedere Deum ex Christi Genitrice, e Scriptura divina didici; nasci vero ex ea, nusquam didici. Nusquam divina Scriptura Deum ex Christi Genitrice dicit natum, sed Iesum Christum Dominum.* O perfide! o procax et nefarie Satanae satelles!

in Dei Genitricem bellum indicis, Dei Genitricis nomen venerandum exterminare contendis, blasphemas in mundi decus voces eructas, maximum omnium honorem illi detrahere satagis? En acres a te vindictas sumet eius Filius Christus Iesus: singulari enim Dei providentia factum est, ut Ephesini concilii decretum, quo Nestorius damnatus est, ac exul factus, poena veluti e caelo delapsa confirmaretur, et ab omnibus tanquam exitialis pestis devitaretur: procacissimum igitur eius os, quod toties in Mariam linguam sacrilegam evibraverat, poenas sub mortem atrocissimas luit, siquidem horrendi et edacissimi vermes ebullierunt in ore tanquam in satanico cacabo, qui carnificum loco missi petulantem, ac sacrilegam Nestorii linguam certatim corroderent ac inhianter devorarent: cuius etiam corpus iam emortuum omni toxico et aconito virulentius, nec ipsa humus diu sustinere potuit, sed recta via ad aeternos inferorum carceres una cum anima detruditur, suae horrendae blasphemiae poenas meritissimas luiturum. Hos sepultos in inferis Nestorii cineres denuo in orbem invexerunt, ac novum incendium excitarunt Theodorus Mopsuestiensis, Anthemius Constantinopolitanus, et Ibas Edissenus cum aliis, qui contentiose debacchabantur, Mariam non Dei, sed hominis Matrem dicendam, quod ea purum hominem Christum, non Deum peperisset. Nestorianum ergo illud virus evomebant: *Dei Genitricem Mariam nullus appellet. Maria enim homo fuit, et Deum ab homine generari nimis impossibile est.* Quod pessimum dogma ut omnino ab Ecclesia exploderetur, coacta fuit Synodus Chalcedonensis, in qua denuo nefariae illae voces damnatae sunt. Nec desunt aevo nostro nova monstra ex veteri Nestorianismo renata, quae adhuc grassantur ac serpunt.

1564. Hic tamen praeclarus Dei Genitricis honos adversus Nestorianum dogma recte vindicatur ab Archangelo Gabriele, Luc. 1, dum Mariam alloquens ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quibus verbis utramque naturam, scilicet humanam et divinam coniunxit, ac spondet ex Maria filium proditurum, et enasciturum tanquam ex vera Matre, qui divinam humanamque naturam sub una hypostasi coeat, ac proinde non solum homo, sed Dei etiam filius et sit, et nominetur. Opportune Beda in 1 Luc.: *Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est? aut quae Deum edidit, quomodo Dei Genitrix non esse potest?* Pessum igitur eat Nestorius, et arrigat aures Angelo, dum ait: illud quod nascebatur in utero Mariano, erit Filius Dei: et non alius quidem foetus est uteri, alius autem Filius Dei, sed unus et idem fuit filius Virginis, et Filius Dei: ac si diceret Angelus, quod Verbum Dei ex supero Patre ab aeternitate nascitur, idemmet ex te in tempore nascetur, non ita tamen ut sint duo filii, sed unus utriusque filius: ut bene explicat Augustinus, tract. 7, super Ioan.: *Agnoscamus*, ait, *geminam substantiam, divinam scilicet, qua aequalis est Patri, et humanam, qua minor est Patre; utraque autem simul, non duo, sed unus est Christus*, etc. *et per hoc Christus est Deus, anima rationalis, et caro.* Iugulatur etiam Nestorius verbis Elisabethae, cum, Luc. 1, divino impulsa Spiritu praegnantem Mariam sic resalutat: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Siquidem vox haec, *Dominus*, divinam substantiam insinuat, ac saepe Dei loco in sacra Pagina usurpatur, teste Damasceno de fide orthod. cap. 12. Nec mediocriter verberat eundem Nestorium, quod Angelus ad pastores ait: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*, ubi vel tenuis omnis calumniandi rimula obstruitur Nestorio, cum non solum homo, sed et Christus, et Salvator, hoc est Deus, ex Maria natus dicitur: siquidem salvandi virtus Deo solum competit, ut bene Cassianus docet, lib. 2 de Incarnat. Domini. Nec seiungendam vocem Salvatoris ex Maria editi, a Christi Divinitate, suo monet nos exemplo gentium Apostolus ad Tit., cap. 2: *Apparuit*, inquit, *gratia Dei, et Salvatoris nostri*, etc. Nec praetereundum nobis est aureum Ioannis testimonium, cap. 1, quo veluti aculeato mucrone transadigitur haeresis Nestoriana: *Verbum*, inquit, *caro factum est.* Cuius sententiae explicatio recte traditur, ac theologice a Divo Thoma, 3 p., quaest. 6, art. 5: *Nusquam*, ait, *Virgo genuit hominem, quin simul hominem Deum verum gigneret.*

Haec eadem veritas, nempe B. Virginem vere ac proprie fuisse Matrem Dei tanquam fidei dogma, definita fuit in concilio Ephesino, ut vidimus; tum in Chalcedonensi, in quo Patres omnes uno ore conclamarunt: *Christus Deus est, sancta Maria Deipara scribatur: qui non sic capit, haereticus est: Nestorianos mitte foras.* Habetur etiam in VI Synodo, act. 4 et 11, et in VII synodo, act. 4 et 7, et in concilio Lateranensi sub Martino I, can. 3. Praeterea ingens fuit studium priscis illis temporibus defendendae maternitatis Dei in B. Virgine, quale exhibuerunt Patres ac Doctores circa integritatem Marianam, antequam haec fidei dogmata Pontificia sanctione constabilirentur. Unum producam insuetum et admirabile Theodori Pontificis factum. Pyrrhus haereticus monothelita unam in Christo tantum voluntatem admittebat, quo universa Incarnationis oeconomia pessum ibat, et B. Virgini vera Dei maternitas detrahebatur; quare Nestorianae haeresi tenacissime adhaerebat Pyrrhus, ut acriter et ingeniose disputat adversus eundem Pyrrhum, s. Maximus Archimandrita in publica illa disputatione habita in Africa cum eodem coram Gregorio Patricio, teste Theophane, an. 2 Heraclii Imperatoris, in annalib. Graecor. De haeresi huius Pyrrhi videndus est tom. 2 Concil., p. 2, post Theodori vitam; Baronius etiam, in fine tomi 8, ubi ex Theophane ad an. 648, et in notis ad vitam Theodori haec habet: *Dum Pyrrhus post obtentam veniam ob retractatas haereses, iterum tanquam canis ad vomitum, ad easdem reverte-*

retur, idque compererit Theodorus, plenitudine convocata Ecclesiae ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, et divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit. Maximum profecto in Dei Matris honore tutando zelum edidit Theodorus Pontifex, suaeque erga Virginem Deiparam, eiusque decus ac Maternitatem affectus, et obsequii singulare specimen: dum aequum existimavit, ac rationi valde consentaneum, Matris calumniam Gnati sanguine abluendam; nec probrum arbitratus est, vel indecorum contingere posse aliquid vivificó sanguini cum Deitate coniuncto hypostatice, dummodo per illud inauditum facinus, Marianus honos, ac decus populo orbique universo propalaretur. Quod singulare et insolens factum non sine ipsius Filii Dei Genitricis instinctu contigisse, mihi certo persuadeo; perspectum satis habebat Pontifex Theodorus Christi erga Matrem studium, quem licet cum aliquo sui honoris discrimine probe sciebat, velle Matris honori ac dignitati prospicere, ut aiebat Ambrosius ex eo, de Virgine desponsata ortum: *Ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre: maluit enim aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare.* Pleraque etiam Patrum testimonia exstant hanc Dei maternitatem confirmantia, quae videri possunt apud Canisium citat. cap. 19. Nos autem ad rationes, quibus haec fidei veritas magis suffulciatur, properamus.

1565. Tenendum ergo est tanquam fidei dogma certissimum, B. Virginem vere et proprie dici Matrem Dei. Ratione probatur primo: id enim, quod B. Virgo concepit ac peperit, est terminus resultans per incarnationem; atqui concepit ac peperit humanam Christi naturam subsistentia Verbi divini terminatam; ergo concepit et peperit personam Filii Dei. Terminus siquidem resultans per incarnationem est Christus, non quidem subsistens in subsistentia creata, sed in subsistentia Verbi; hanc autem unionem, qua caro unita est animae, ut subsistenti in Verbo, effecit B. Virgo concipiendo Christum; ergo concepit, ac peperit naturam humanam subsistentem subsistentia Verbi; ergo concepit ac peperit Filium Dei. Secundo, terminus resultans ex conceptione B. Virginis est substantia aliqua subsistens, non autem sola natura in abstracto, alioquin solum concepisset humanitatem; ergo necesse est asserere fuisse personam, non humanam, quia Christus nulla subsistentia creata terminatur; ergo divinam in utraque natura subsistentem.

Itaque ordine executionis prius natura anima et caro Christi fuerunt unitae Verbo, quam inter se, ut docet expresse D. Thomas, 3, quaest. 6, art. 5, per haec verba: *Assumptio partium est prior via operationis intellectus, non tempore. Nusquam Virgo genuit hominem, quin simul hominem Deum verum gignet.* Et ratio est, si enim prius natura caro animae uniretur, antequam Verbum uniretur eisdem, adeoque humanitati, utique tota actio B. Virginis praeintelligeretur terminata ad humanitatem, prius ordine naturae, quam esset assumpta; non ergo posset dici vera Mater Dei, quia tota Virginis actio in illo priori naturae reperitur, quin concipiatur persona Filii. Quae doctrina desumitur etiam ex sanctorum Patrum locutionibus. Damascenus lib. 3, c. 2, haec habet: *Ac proinde simul ut caro exstitit, simul quoque Dei Verbi caro exstitit.* Gregorius in epist. ad Quirinum: *Non prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum Divinitas venit in carnem.* S. Ignatius in epist. ad Trallianos: *Vere genuit Maria, corpus habens in se Deum habitantem.* S. Augustinus, lib. contra serm. Arianorum, inquit: *Unus Christus est, et Dei Filius semper natura, et hominis filius, non ut prius creatus, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Et ratione idipsum probatur, quia nec unio animae ad Verbum, neque unio carnis ad idem Verbum, dependet ab unitione animae ad corpus, neque corporis ad animam; ergo non est posterior illa etiam ordine naturae: id enim est posterius natura alio, quod ab illo dependet; dissoluta autem unione animae ad corpus, mansit integra unio animae ad Verbum, et corporis ad idem Verbum; ergo signum est hanc non dependisse ab illa. Quae autem hic obiici solent, dissolvit bene Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 17, sect. 1, § *Dicitur.*

Quare si Verbum divinum non terminasset conceptionem, seu generationem ex Maria, dici non posset conceptus, vel natus ex illa, ac proinde nec dici posset filius illius, nec Maria Mater Dei; ideoque in eodem instanti conceptionis opus est ut fiat assumptio. Propterea falsum omnino est totam actionem B. Virginis terminatam fuisse in humanitate prius natura, quam assumeretur a Verbo, sed e contra; ita ut in eodem instanti temporis, in quo anima Christi unita est corpori, concurrente B. Virgine concursu materno, anima, corpus et humanitas unita sunt Verbo: sicut ex adverso Iudaei dicuntur interemisse Deum, quia per eorum actionem dissecta est unio animae cum corpore, ac consequenter in eodem instanti divulsa est unio humanitatis ad Verbum: cuius rei ea est optima ratio, quod sicut actiones sunt suppositorum, ita nativitas et generatio. Ex quo fit, animam et corpus Christi ex vi concursus B. Virginis fuisse inter se unita ad componendum non tantum humanitatem, sed etiam hunc hominem, ac proinde B. Virginem esse Matrem huius hominis, et consequenter Dei: quemadmodum in reliquis generationibus hominum, prius natura creatur anima subsistens, et mox per generationem coniungitur per unionem corpori subsistenti; et ita generatur non proprie haec humanitas, sed hic homo. Ita in nostro casu: et sicut mulier vere dicitur et est filii mater, quem progenuit ac peperit, tametsi foemina non animam, quae a solo Deo creatur, sed carnem solam subministret; sic et B. Virginem Dei Matrem esse ac nuncupari debere fatendum est, licet Christo non tribuat Divinitatem, sed solum ip-

sius humanitatem per generationem producat.

1566. Refragabitur aliquis ex Durando in 3, dist. 5, q. 2: Terminus actionis non praeexistit actioni, sed persona Verbi, seu Christi, praeexistit Incarnationi: est enim verum dicere, ante Incarnationem erat persona Verbi, ergo non est terminus Incarnationis; ergo terminus proprius Incarnationis solum est unio humanitatis assumptae ad personam Verbi assumentem. Occurrendum tamen est, eandem personam, quae secundum se, et quatenus subsistit in una natura, nempe divina, supponi assumptioni et actioni; et terminare aliam naturam, nempe humanitatem, cum qua constituit hunc hominem, scilicet Christum, qui resultat ut est talis persona constituta scilicet ex humanitate et personalitate divina unita: itaque quod resultat per actionem Incarnationis est unum subsistens divinum incommunicabiliter in humana natura; quod nihil aliud est, quam persona Divina subsistens in humanitate. Cum ergo in instanti, in quo B. Virgo corpus humanum genuit, Verbum divinum ei coniungeretur, recte potuit concipere et parere antiquiorem se; unde apte Cassianus, lib. 4 de incarnat. Dom., ait: *Non solum antiquiorem se Maria peperit, sed ipsum sui Auctorem, omniumque progenitorem, facta est parentis parens, quia quam facile Deo fuit ut hominem nasci faceret, tam facile fuit, ut ipse ex homine nasceretur.*

Deinde opponebant Nestoriani: si vere et proprie B. Virgo nuncupari posset Genitrix Dei, dici etiam posset Dei causa; cum esse genitricem sit esse causam rei genitae. Verum dispar admodum est ratio: quamvis enim Virgo B. dicatur Genitrix, et Mater Dei, non tamen causa effectrix illius, quia nomen Genitricis, aut Matris, determinat naturam humanam, secundum quam Deus processit ex Maria ad suppositum; at creari sive causari, non magis determinat naturam, quam suppositum. Instant: quamvis ignis producat calorem in homine preexistenti, eaque ratione dicatur produxisse calidum, *ut sic*; tamen non dicitur producere hominem: ergo licet B. Virgo dicatur genuisse Christum, quatenus homo est, non tamen dicetur genuisse Deum, nam quoad hoc ita se habet calor ad hominem, qui praeexistebat, sicut humanitas ad Deum praeexistentem; et sicut hic homo Christus et Deus habent communicationem idiomatum, ita hic homo, et hoc calidum: at non alio modo dicitur Maria genuisse Deum; adeoque nec dicenda Mater Dei; sicut licet ignis produxerit hoc calidum, et hoc calidum sit homo, non ideo dicitur ignis produxisse hominem. Neganda tamen est consequentia; ratio discriminis est plana, unio enim caloris cum homine est accidentaria, unio autem humanitatis ad Verbum est substantialis: unde calefactio solum constituit unum *per accidens* ex calore et homine, ideoque non denominatur a termino substantiali, materialiter solum se habente: generatio autem tendit ad constituendum per se, et terminatur ad ipsum suppositum; quod cum sit Deus, absolute dicitur generatio Dei.

Urgent ulterius; nam passio Christi dicitur passio Dei, et locutio Christi locutio Dei, quae locutiones important formas accidentales, et nihilominus denominant terminum, non solum formalem, sed etiam materialem; ergo discrimen assignatum nullum est inter actiones substantiales et accidentales; praecipue cum unio animae cum materia, sit substantialis, et unio arboris alteri insertae, cum tamen principium illarum unionum non dicitur facere animam, aut causam esse arboris, cui fit insertio aut ipsius arboris insertae; ergo quamvis B. Virgo dicatur Genitrix Christi, non tamen Dei, quod est insitum Verbum, iuxta Iacob. cap. 1. Respondeo latum esse discrimen inter exempla adducta, et nostrum; nam Deus et Humanitas constituunt unum per se, adeoque omnes actiones, quae a tali uno per se derivantur, vel ad illud terminantur, sive substantiales, sive accidentales sint, utrumque extremum denominant. Nec est similis ratio de unione animae cum materia, quippe extrema illa seorsim sumpta apta non sunt ad denominationem quae, toti composito competit. Illud etiam, quod subditur de arboribus insertis, ad rem non est, quia actio insitionis supponit partes, iam substantialiter, et intrinsece completas, et solum terminantur ad aliud completum, quod per earum partium coniunctionem resultat: generatio autem ex Maria terminatur ad humanitatem, quae in se incompleta est, et ad suppositum, quod de novo sit complementum substantiale naturae sibi unitae: cum ergo haec generatio Christi ex Maria terminata sit ad suppositum divinum Verbi, non secundum se praecise, sed ad ipsum ut actu subsistentiam praebens naturae humanae, illamque substantialiter complens; ideo vere et proprie dicitur B. Virgo Dei Genitrix, et Deum esse genitum ex Maria. At unio animae cum materia non efficit ut anima sit materia, vel homo sit anima, vel materia.

1567. Obiectabis demum: B. Virgo actione sua generativa solum humanitatem attigit, non vero hypostasim divinam; licet enim Verbum divinum humanitatem illam compleverit, ac terminaverit sibi assumendo illam, hoc tamen non attribuendum Virgineae actioni, sed voluntati Dei: neque ex eo quod B. Virgo in humanitatem influxerit, naturali sequela hypostasis, sive subsistentia divina resultavit, sed omnino liberalitas et gratia fuit Dei, quod humanitatem illam divina personalitas Verbi compleverit: nefas ergo esset asserere Virgineam actionem in Hypostasim Verbi intendisse, id enim fieri nulla ratione potuit, cum subsistentia divina ultra omnem actionem naturalem praetergrediatur; sicut ergo si Verbum assumeret sibi humanitatem ante iam productam, B. Virgo nequaquam Mater Dei dicenda esset, nec Deus filius Mariae; sic Deus si post resurrectionem uniretur alicui humanitati, non vere enunciaretur mortuus, ut ait Suarius, t. 2 in 3 p., disp. 1, sect. 1. Eadem ratione cum actio generativa B. Virginis neutiquam personalitatem divinam attigerit, nec dicenda erit Dei Genitrix, quantumvis in instanti

naturae subsecuto generationi, Verbum divinum humanitatem terminaverit. Hoc argumentum, quod apud Nestorianos validissimum habetur, a nobis hic infringendum est.

Varii varia respondent: Vasquius 3 p, dis. 71, num. 25, cum aliis ait, sat esse communicationem idiomatum, per quam sicut homo enunciatur Deus, sic B. Virgo, Mater illius hominis, nempe Christi, vere praedicatur Mater Dei. Alii excogitavere animam et carnem Christi prioritate naturae fuisse unitas Verbo divino antequam inter se coniungerentur, haec autem inter se coniunctio patrata fuit ex vi actionis generativae B. Virginis, ex qua unione resultavit hic homo subsistens vere Deus; huius opinandi modi patronus exstitit Suarius, tom. 2 in 3 p., disput. 1, sect. 1. Sed Lorca ulterius opinatur in 3 p., disp. 20, num. 17, et disp. 68, n. 16, B. Virginem, ex eo Matrem Dei vere et proprie praedicari, quia actio ipsius generativa terminata est ad Deum, et ad suppositum Verbi, quod fuit terminus humanae conceptionis, qua subsistens in humana natura. Huic sententiae se devovet Iosephus La Cerda, de Deo incarnato Acad. 6, sect. 2, n. 12.

Iuxta hunc discurrendi modum, quem verum censeo, asserendum est actionem generativam B. Virginis complete terminatam fuisse ad Verbum in natura humana subsistens, licet primo et per se terminata fuerit ad unionem animae et corporis: ratio est, quia nulla actio ex se tendit in naturam in abstracto; ergo actio generativa B. Virginis respexit suppositum tanquam suum adaequatum terminum, sed non est terminata in suppositum humanum, quod nullum erat in Christo, neque in suppositum vage sumptum, siquidem actio determinata terminum determinatum in individuo deposcit; ergo actio B. Virginis habuit pro termino suppositum divinum non ut productum, neque ita, ut ex merito illius actionis resultaret, sed ut posito Incarnationis decreto, Hypostasis Verbi humanitatem illam compleret, per quam a B. Virgine procedebat. Quod in illorum sententia facilius defendi potest, qui aiunt actionem consecrativam in Eucharistia, non habere terminum aliquem productum, sed solum attingere corpus Christi iam praeexistens, non tamen sub speciebus; ita potest eodem modo sustineri, actionem generativam B. Virginis vel habuisse pro termino unionem humanitatis a se productae cum Verbo; vel habuisse suppositum illud divinum, non pro termino producto, sed pro termino sui adaequato. In ipso igitur instanti, in quo B. Virgo produxit humanitatem, actioque ipsius generativa terminata est ad illam, etiam Verbum divinum terminavit humanitatem, illamque complevit; in hunc enim finem generatio B. Virginis destinabatur, ut Verbum divinum homo fieret; adeoque ut in illa humanitate subsisteret complens per se munus, quo functura erat subsistentia propria, nisi divinitus impedita fuisset.

1568. Quid, quod generatio Beatae Virginis omnem suam vim hausit a virtute Altissimi obumbrante, omnemque suam virtutem exerente? unde super omnes vires naturales erecta, et in altiori ordine constituta plurimum de Divinitate ebibit, quare terrena haec, ac inferiora despiciens in divinam hypostasim collimavit; quae divina hypostasis tunc complevit humanitatem, quando subsistentia creata solet complere, et terminare alias humanitates, quando suo iuri relinquuntur: itaque quidquid praestat subsistentia creata respectu cuiuscunque humanitatis, id totum praestitit hypostasis increata respectu humanitatis Christi Domini; ideoque terminavit actionem, non solum unitivam humanitatis et suppositi, sed etiam generativam, quae a Beata Virgine procedebat. Hinc ad rem nostram recte Divus Thomas, 3 p., qu. 35, art. 4: *Concipi*, inquit, *et nasci personae attribuitur, et hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur, et nascitur; cum igitur in ipso principio Conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina Persona, consequens est, quod vere possit dici, Deum esse conceptum, et natum a Virgine.* Non igitur generatur natura, sed suppositum, cui competunt ea omnia praedicata, quae de natura in concreto efferuntur: cum ergo in instanti, quo B. Virgo generavit, dici nequeat generavisse solum naturam, sed suppositum, quare illud quod humanitatem illam terminaverit, generatum et natum enunciabitur a B. Virgine; unde et Mater illius suppositi, nempe Verbi divini, vere et cum omni proprietate efferetur. *Anathematizetur ergo*, inquit Leo Magnus contra Eutych., *Nestorius, qui B. Virginem, hominis tantummodo credidit Genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis: cum ita intra Virginea viscera Verbum caro sit factum, ut per ineffabile sacramentum, uno conceptu, unoque partu secundum humanitatem, atque unionem utriusque naturae, eadem Virgo, et ancilla Domini esset, et Mater.* Nestorium compescuit Ioannes, 1 Canon., c. 4: *Omnis*, inquit, *spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Bene Gabriel in ipso Salutationis exordio ait: *Dominus tecum.* Quasi tota divinitas in Mariam Virginem illaberetur, illam praeveniens et disponens, ut tota divina efficeretur, et quasi Virgini divinitas incubans foecunditate divina repleret, et ab omnipotentia in superiorem ordinem evecta ad Deum generandum animaretur. De quo Magnus Athanasius, Dialogo 4 de Trin.: *Hominem*, ait, *genuit Maria nudum et duntaxat hominem? Nusquam, sed Deum, qui hominem induerat. Primum enim Dominus fuit cum ea divine, et tum demum infantulus ex ea oeconomice: quamobrem Deipara est Maria.* Deus igitur totam Mariam invasit, ac foecunditate opplevit divina, ut ad Deitatis munia eveheret, Divinitatisque functiones ipsi imprimeret, et ad Deum generandum illam sustulit, Patrique aeterno simillimam effecit in producendo eodem Filio; quod meditatus fuit Augustinus, serm. 22 de tempore: *Hac die est natus ex Virgine Matre, qui ante saecula aeternus est genitus ex Deo Patre: in illa nativitate ex impassibili Genitore, et in ista ex incorrupta natus est Virgine: illam solus Pater scivit ipse qui genuit, hanc in se sola Virgo et Mater*

intemerata cognovit, quae virum in concipiendo non pertulit: in Patre impassibilitas, in Matre aeterna Virginitas. Accinit Dionysius Carthusianus, de dignitate Mariae art. 8: *Quid autem aeterno Patri in creatis rebus tam simile, quemadmodum illa, quae eundem cum illo Filium peperit; quae sic sine viro, ut ille absque foemina cum integritatis decore produxit; quae hunc quoque edidit, a quo Spiritus sanctus donatur, atque procedit?* Sed iuvat audire Albertum Magnum in Mariali, cap. 194: *Tertia,* inquit, *proprietas est activum, quod est ut secundum Deum incedant; hanc autem habuit Beatissima Virgo, quoniam maxime secundum Deum ascendit, et incessit, quae et Deiformissimos actus habuit, et in summo actu ipsum singulariter imitata fuit, quoniam ipsum Deum genuit.* Ex quorum Patrum locutionibus depromes B. Virginem ad quendam ordinem superiorem gratiae a Deo fuisse evectam, omnes naturae terminos supergredientem, ipsiusque Deitatis fines contingentem.

CERTAMEN IX.

An Deipara sit dicenda Mater naturalis, an supernaturalis.

1569. Plures Theologi censent ipsam Christi generationem, seu conceptionem disiunctam a productione unionis hypostaticae, fuisse supernaturalem, ac proinde Deiparam virtute obedientiali elevatam fuisse, ut ad illam concurreret: ex quo eliciunt B. Virginem fuisse Matrem supernaturalem. Ita Magister in 3, dist. 3, cum Damasceno, lib. 3 de fide, cap. 2, ubi docet: *Post consensum sanctae Virginis, Spiritus sanctus supervenit in eam, potentiam deitatis Verbi receptivam praeparans, simul autem et generativam.* Ubi planissime censet s. Doctor B. Virginem potentia generativa obedientiali ad Christi generationem concurrisse. Idem Damascenus, carmine in Theogoniam, vocat B. Virginem supernaturaliter parientem. Eiusdem sententiae est D. Bonaventura, in 3, dist. 4, ar. ult., q. 2; Gabriel ibidem q. 1, art. 2; Marsilius, q. 5, ar. 3, dub. 2; s. Thomas, 3 p., q. 33, art. 4, ubi vocat Christi conceptionem absolute miraculosam, et supernaturalem cum D. Dionysio in epist. ad Caium asserente: *Super hominem operabatur ea quae sunt hominis, et hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens.* Dicitur autem Christi generatio et conceptio supernaturalis, quia formatio foetus, eiusque materiae praeparatio facta est unica, et simultanea actione in instanti; cum in aliis foetibus, pluribus, et successivis actionibus fieri soleat: deinde modus concipiendi absolute fuit supernaturalis, cum fuerit sine ulla viri ope, sed Spiritus sancti virtute obumbrante, naturali autem vi nequit sine virili semine homo produci. Praeterea supra totius naturae ordinem ac potentiam formatio corporis Christi facta fuit in instanti, ut docuit Eutychianus Papa, epist. 1 decretali: nequit ergo foemina naturae viribus producere, et perficere corpus plene ac integre dispositum cum suis organis in instanti; sed prius fovet semen in matrice, deinde massam illam elaborat in embryonem, postmodum partes distinguit, organa interpungit, sensus perficit, corpus adaptat, donec anima rationalis introducatur, quae omnia longam temporis intercapedinem efflagitant. Cum ergo haec omnia in Christi conceptione peracta fuerint in instanti, absolute generatio haec dicenda est miraculosa, et B. Virgo dicenda Mater supernaturalis. Ideo haec generatio dici solet divinorum Attributorum ostentum, divinae Omnipotentiae ingens opus; adeoque simpliciter et absolute dicenda est supernaturalis. Ex triplici enim actione, quae in quacunque conceptione admitti solet, nulla apparet in generatione hac Virginea, quae miraculosa non sit, et supra naturam. Prima est in vulva foeminea sanguinis congregatio, quae *ut sic* naturali virtute a B. Virgine sanguinem foetui suppeditante provenire potuit; verum tum ob celeritatem, tum quia nullo impellente, seu excitante semine virili patrata fuit, simpliciter miraculosa dicenda est, et ultra naturae vires. Secunda, quae in aliis generationibus reperitur, formatio scilicet embryonis, hic non habet locum, tanquam imperfectum terminum includens. Tertia est absoluta et perfecta foetus elaboratio, quae cum in instanti effecta fuerit, nativa vi perfici non potuit, sed virtute supernaturali. Cum autem s. Epiphanius in serm. de laudibus Virg. ait: *O caeli ac terrae mediatrix, quae unionem Verbi naturaliter peregit*; non intendit B. Virginem naturali vi perfecisse Christi Domini generationem, sed ad eam contulisse quidquid naturaliter conferre potuit, sanguinem videlicet purissimum subministrando ad formationem corpusculi, illudque nativa vi fovendo.

1570. Alii Patres aiunt B. Virginem, partim naturali, partim supernaturali vi concurrisse ad foetum: *Multa,* inquit Ambrosius, lib. de Incarnat. cap. 6, *et secundum naturam invenies, et ultra naturam fecit: secundum conditionem naturae in utero formatum est corpus; sed supra naturam Virgo concepit, ut crederes, quia Deus erat, qui supra naturam erat; et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.* S. Thomas, 3 p., q. 33, art. 4: *Conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis; sed secundum aliquid, naturalis.* D. Bonaventura, in 3, d. 4, q. 2, habet: *Concedendum est ergo, quod illa operatio non fuit naturalis omnino, imo aliquid habuit supra naturam.* Quod vero fuerit naturalis, inde suadetur, quia naturale fuit quod ipsa praestitit in Christi conceptione; subministravit enim materiam sanguinis purissimi, quem aliae matres exhibere solent ad formationem prolis: quod innuit Angelus verbis illis: *Concipies in utero, et paries filium*; nempe sicut reliquae matres. Praeterea fateri cogimur, in conceptione Christi omnia naturae effecta reperiri, quae ad naturalem hominis generationem solent concurrere. Maria quippe cum foemina esset, ac per florentem aetatem Filium gignere posset, subministravit materiam corpusculo formando, uterum praebuit, alimentum suppeditavit, foetum per novem menses utero

fovit; et alia eiusmodi praestitit, quae solent reliquae matres.

Caeterum eiusmodi generationem miraculosam potius, ac supernaturalem iudicandam esse arbitrantur plures, ut vidimus ; quia auctor ipsius exstitit Spiritus sanctus, qui supra omnem naturae ordinem in Mariae utero ad Christi corporis efformationem concurrerit: illud enim supra naturae ordinem est, et humanam excedit facultatem, quod simul ac B. Virgo Gabrieli assensum praebens per illa verba : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, ex eius purissimo sanguine corpus formaretur integrum, idemque omnibus suis organis, et lineamentis perfectum, cui eodem temporis momento non solum anima infunderetur, sed et Divinitas hypostatice ipsi coniungeretur. Bene Incognitus super Psal. 21 ait: *Unde quod homo nascatur de muliere Virgine, non est opus naturae, sed solius Divinitatis potentiae. Ad ostendendum ergo, quod non modo naturali Christus natus est, sed supra naturam, quia salvo virginitatis sigillo hoc suae nativitatis soli Deo attribuit.* S. Augustinus, ser. 1 in Domin. ante festum nativitatis Domini, suffragium fert huic placito : *Virga ecce protulit quod antea non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, non foecundata seminario; et tamen cum ibi deessent universa iura naturae, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces edere, Virgo non potuit contra naturae iura Deum filium generare?*

1571. Inde etiam affirmandum est B. Virginem tanquam Matrem supernaturalem suspiciendam ; si enim naturae iura supergressa est in Filii generatione, ergo supra ipsius naturae leges mater exstitit. Eam tanquam matrem supernaturalem agnoscit Chrysologus, ser. 142, dum ait: *Virgo, te Matrem gratia praestitit, non natura.* Et serm. 146: *Sic Christus quod nascitur, non est consuetudo, sed signum; non est natura, sed virtus ; non ordo est, sed potestas ; et caeleste miraculum, non humana ratio.* Basilius Magnus, hom. de humana Christi generatione: *Ideo*, inquit, *Deus in carne, quod maledictam carnem sanctificari, debilitatam corroborari, alienatam a Deo reconciliari oportebat. Sed quae huius dispensandi negotii officina? Virginis corpus. Quae principes causae generationis? Spiritus sanctus, et virtus Altissimi obumbrans.* Quibus verbis innuit naturam solum suppeditasse materiam, ac more ancillae inferioribus ministeriis functam fuisse. Clarius id expressit Gregorius Nyssenus, hom. 15 Cant.: *Solus hic*, ait, *nova quadam partus specie in hanc vitam venit, cui ad nascendum natura non cooperata est, sed serviit.* Adstipulatur Bernardus, serm. 4 super *Salve Regina*, per haec verba: *Dominus tecum, Dominus autem Spiritus est; Spiritus ergo sanctus magnificavit facere tecum: magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua : unum erat, dum dignam te fecit, quae Dei Filium concipere posses, et parere; alterum, quando ex tua carne sancta ac digna, carnem Filii Dei formavit.* Expende verba, prius dixit: *Magnificavit facere tecum*, veluti ad concausam cum Spiritu sancto Mariam advocans : postmodum quasi seipsum corrigens, dictionem immutat; ait enim: *Magnificavit, inquam, facere in te duo opera :* quasi non cum B. Virgine tanquam concausa, sed in Virgine esset perpetrandum, ubi concursum principalem B. Virgini denegare videtur, et Spiritui sancto totum illum adscribere: uterus quidem Virgineus foetum divinum edidit, elevatus tamen Spiritus sancti effectrice virtute principali.

Per gratiam ergo Maria nacta est, quod Pater divinus nanciscitur per naturam, ut Filium Dei progigneret, licet longe inferioris esset naturae. *Et quidem*, ait Bernardinus, to. 1, ser. 61, c. 12, *quod Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturae intellectus produceret Verbum per omnia sibi aequale: imo impossibile est quod non generet Deum propter suam foecunditatem. Sed quod foemina conciperet et pareret Deum, est, et fuit Miraculum miraculorum. Oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam aequalitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum ; quam aequalitatem creatura nunquam experta est.* Itaque Maria secundum se naturae humanae metas non transilit: verum ad maternitatem Dei evecta, naturae terminos supergrediens, divinam quandam ebibit dispositionem, cuius interventu, aequalitatem quandam cum natura Dei Patris adsciscit; ac proinde supra fastigium naturae communis cum nostra sublata, naturae cuiusdam eminentioris entitatem aemulatur. Opportune in praesens institutum s. Thomas, 1 p., qu. 12, art. 5, ait: *Omne quod elevatur ad aliquod, excedit suam naturam; oportet enim quod disponatur aliqua dispositione, quae sit supra suam naturam.*

Dictis innixus nonnemo affirmare auderet totam Mariam supra omnem naturam praetergressam, rerum supernaturalium numerum auxisse. Quid ergo, rem aut substantiam supernaturalem, vel foeminam supernaturalem dicemus, adeoque altioris naturae, quam sit nostra? Absit. Verum ingenue fatebimur, totam Mariam totius naturae ordinem ac functiones superavisse, nec communia naturae iura servasse. *Quid est*, ait Ildephonsus, *quod legem naturae requirunt in Maria, ubi totum, quod in ea fuit, possedit Spiritus sanctus?* Et merito, quia tota Maria praeelecta fuit ad Incarnationis opus, in hunc scopum intenta : at Incarnationis oeconomia totius naturae metas excellit, rei supernaturalis sphaeram ingreditur. Ait enim Damascenus ad Virginem Deiparam, orat. 1 de nativ.: *Vitam natura praestantiorem habebis, non tibi ipsi, sed Deo.* Ergo ad eundem ordinem supernaturalem attinebit Maria, cuius productio in hunc solum finem collimavit, ut Deum-hominem progigneret.

1572. Quamobrem in Virgine Deipara iam operationes theandricas quasi praelusisse videor mihi videre: nec abs re abiit Damascenus, orat. 1 de nativ. Mariae, dum eam compellat, Officinam

divinitatis et humanitatis; quia Virginea generatio utpote a Spiritu sancto et Maria dimanans, et in Deum-hominem collimans, operatio fuit Dei et Mariae. Gregorius Thaumat., serm. 1 de Annunt., de Christi generatione ex Maria sermonem habens, ita B. Virginem alloquitur: *Generatio fuit secundum naturam, quia more nostro, et tempore motus, gestationisque servato, protulisti: at praeter naturam, aut potius supra naturam, quia superne divinum Verbum advenit, et in sancto tuo utero Adamum reformavit, ac foecunditatem Spiritus sanctus sanctae Virgini praebuit.* Quare una eademque indivisibilis actio a Deo simul et a Virgine, non generali concursu, sed specialissimo, inauditoque influxu ad Deum-hominem terminata est, nempe Christum; ita ut Christus, eiusque incarnatio, nec tota a Virgine sola prodiret. *Nec totus de Deo*, inquit Bernardus (hom. 3 super *Missus est*), *nec totus de Virgine; totus tamen Dei, et totus Virginis est.* Quocirca operationes Dei viriles Christi Domini in hac productione Dei et foeminae adumbrabantur, ni malis illam dicere Dei-Virgineam actionem, vel Dei-foemineam operationem, novo et inaudito vocabulo. *Perfectus*, inquit Ephrem de margar. pretiosa, *ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.* Quae non ita accipias, ut B. Virgo solum hominem produxerit, aut Deus solum Deum in alvo virginea produxerit; sed quemadmodum in actu cognitionis supernaturali, quatenus supernaturalis est, habitui supernaturali, vel auxilio attribuitur; at quatenus vitalis potentiae intellectivae, quatenus est similitudo expressa huius obiecti, speciei impressae: ita tamen ut tota entitas actus ab intellectu, et tota ab habitu supernaturali proficiscatur: eadem ratione cum proportione de productione Christi Domini dicendum, ut Deus a Deo, ut homo a Virgine Maria prodiit, totus tamen Christus a Deo productus, et totus a Virgine Deipara conceptus.

Sed obiiciat aliquis, Mariam absolute pronunciandam Matrem naturalem, non supernaturalem: quia, ut arguit s. Bonaventura, in 3, d. 4, q. 2: *Si aliquis operetur secundum virtutem divinitus sibi collatam, actio illa naturalis dicenda est, non miraculosa: quia licet virtutes naturales omnes collatae sunt ei divinitus, tamen operatio egrediens a potentia intrinseca, naturalis est, et exercetur naturaliter, nisi egrediatur voluntarie; sed potentia generativa collata fuit B. Virgini, nec cooperabatur ipsi virtuti agenti voluntarie; ergo cooperabatur potentiae naturali, et naturaliter agenti.* Verum igitur est, B. Virginem redditam foecundam supernaturali virtute, hoc tamen posito miraculo, quasi naturali sequela, natura materiam coagulat, fovet, perficit foetum, sobolem elaborat, et sic absolvitur generatio: sicut posito lumine gloriae in intellectu Beati, intellectus illo lumine illustratus, connaturali ac proportionata virtute visionem elicit: quod ergo Deipara generet Spiritus sancti virtute suffulta, nullum est miraculum, sed supponitur factum, cum virtus generativa caelitus ipsi B. Virgini indita fuit.

Sed non premit argumentum, nec eius paritas; non enim solum miraculum patratum fuit per virtutem divinitus illapsam, quando Deipara foecunda reddita fuit; sed etiam opus miraculosum fuit post foecunditatem, quod generet, quod virgo maneat, quod mater existat, quod virginitas cum generatione copuletur. Ipse autem s. Bonaventura seipsum explicat, quaest. illa citata, dum ait: *Quoniam Virginem manentem Virginem concipere, hoc est supra terminos naturae: hinc est, quod quantumcunque conferatur sibi potentiae, adhuc tamen est operatio mirabilis. Unde duplex fuit hoc miraculum, videlicet in potentiae collatione, et in ipsa operatione.* Hoc autem non reperitur in visione beatifica; siquidem semel potentia intellectiva perpluta lumine gloriae, nullo alio auxilio supernaturali indiget, ut visionem beatificam eliciat.

1573. Urgentius instabit aliquis, s. Ephraemum non semel asserere Virginem Deiparam ex natura Filium Dei edidisse; haec enim fatur de margarita pretiosa: *Filium fructificavit natura sine viro: o magna mysteria! o caelestia decreta! quia peperit natura non proprium: et filius natus est, non ex viro procreatus: Virgo facta est mater, et natura fons; alvus nutrix, et puella adiutrix et socia. Assumptio ex ubertate naturae, et generatio ex impletione, atque foecunditate determinata ipsi naturae.* Nonne omnis Mariana operatio in generatione Iesu omnes naturae leges supergreditur, naturalis virtutis metas transilit, ut vidimus? Qua igitur ratione s. Doctor universum generationis ac puerperii opus attribuit ac defert ipsi naturae, per haec quae subiicit verba: *Sed infans perfectam Deitatem continebat, quae sub natura simplici tegebatur, ac propterea vi illius, qui in ipsa erat, Virgo instar cochleae naturaliter peperit, et ut mulier affecta est: nulla tamen ratione, rursus natura, sicut conchyliorum plicis ac sinibus usu venit, ad virginalem statum recurrente non perdidit sigillum natura Virginis.* Grande profecto virginitatis elogium in Maria, quae Virgo permanens, licet elevata divina virtute Filium ediderit; dicitur tamen natura Virginea Filium produxisse, quia eo sublimitatis et excellentiae devenit Mariana virginitas, ut tametsi principium productivum Filii Dei quod inest in Virgine, virtute supernaturali integretur ac compleatur, semper tamen natura nuncupatur, et divinae naturae Virgineae aeterni Patris quamsimillima praedicatur: ex eo enim Pater in divinis est ac dicitur Pater, quia producit Filium similem in natura virginea, et foecunda ad producendam aliam personam divinam: deinde Verbum divinum ex eo dicitur et est verus Filius, ut habet nobilissimorum Theologorum opinio, quia accipit naturam virgineam a Patre foecundam, ut producat aliam Personam divinam. Ad hunc modum proportione servata, principium productivum Filii Dei in B. Virgine, quantumvis totius naturae sphaeram praetergrediens, dicitur natura Virginea foecunda, divinae naturae aemula in Patre; quia sua virginitate ebibit naturam foecundam ad producendam Personam divinam

Verbi, in quo ad eam singularissimam similitudinem cum Verbo divino evocata fuit, quae nulli altera concessa sit, nec ipsi Spiritui sancto, ut Certamine alio latius ostendimus. Scite igitur s. Ephraemus vocat principium productivum Filii in Maria, naturam virgineam aeterno Patri adsimilem in foecunditate, quia produxit Verbum divinum foecunda virginitate, tanquam natura quadam supernaturali. Huc vocari posset Nazianzenus cum pangit de Deo Patre:

Prima Trias Virgo est, sed enim Patre natus Anarcho, etc.

CERTAMEN X.

An in Virgine sit admittenda relatio realis ad Christum, et in Christo ad Deiparam.

1574. Censeo primo, Virgine Deipara relationem inesse realem maternitatis ad Christum. Probatur, quia, ut ex dictis constat, in Maria reperiuntur omnia quae necessaria sunt, ut haec relatio consurgat; praebuit enim in Christi generatione et partu eundem concursum, quem reliquae matres in generatione suorum foetuum praebere solent; relatio autem maternitatis ex eiusmodi influxu resultat: terminus autem productus per talem generationem est terminus huius relationis, cum sit relatio causae ad effectum; quare sicut Christus est terminus realis per generationem productus, erit etiam terminus realis relationis maternitatis.

Censeo secundo, hanc relationem maternitatis in Maria esse eiusdem rationis cum relationibus aliarum matrum. Constat ex eo, quia haec relatio in B. Virgine habet fundamentum et terminum eiusdem rationis; quia nativitas Christi ex Maria est nativitas humana eiusdem rationis cum nostra, haec autem nativitas et generatio est fundamentum proximum, et ratio fundandi eiusmodi relationem: item terminus huius relationis est Christus Dominus, qui eiusdem est rationis cum reliquarum matrum terminis, licet per hypostasim differat, nam relatio maternitatis terminatur ad Christum ut hominem: et liquet exemplo, quemadmodum enim productio lucis seu caloris habet eundem terminum, sive lux et calor recipiatur in aere, sive in ligno, sive in homine, eademque relatio consurgit in producente lucem et calorem, quia actio per quam inducitur forma caloris seu lucis, tum et ipsa lux, et calor eiusdem rationis est, licet in variis et distinctis subiectis recipiatur: ita idem dic in nostro eventu, servata proportione; quamvis enim suppositum Christi, et nostrum differant inter se, cum tamen natura humana Christi sit eiusdem rationis cum nostra, et actio qua B. Virgo produxit sit etiam eiusdem rationis, ideo etiam et relatio maternitatis eiusdem erit rationis: alioquin Deipara non esset univoce Mater cum reliquis, quod adversatur Conciliorum ac ss. Patrum locutionibus, teste Suario, tom. 2 in 3 part., disp. 12, sect. 1, § *Dico secundo.*

Refragabitur aliquis: siquidem ex superius dictis, Deipara supernaturali concursu Christi generationem operata fuit; ideoque Mater supernaturalis a Patribus conclamari solet, ut monuimus superiori Certamine; ergo relatio Matris erit proportionata fundamento, et rationi fundandi. Occurrendum est cum D. Thoma, 3 p., q. 35, art. 3, B. Virginem quoad hoc simpliciter dicendam esse veram et naturalem Matrem Christi, sicut ipse D. Thomas, ibidem q. 33, art. 4, docet, Christum esse naturalem Filium Deiparae: relatio itaque matris in Deipara, vera ac naturalis relatio est, eiusdemque speciei cum reliquis. Quamvis ergo conceptio Christi fuerit miraculosa ratione concursus sine viro, et ex parte modi, tamen ex parte matris quoad substantiam et essentiam fuit conceptio naturalis, ut supra pluribus ostendimus. Relatio autem resultat ex ea conceptione ut est a matre naturaliter, et secundum quod habet a natura concurrente: quare tametsi B. Virgo dici possit miraculose concepisse, siquidem conceptio claudit modum concurrendi, qui in pluribus supernaturalis et miraculosus fuit; non tamen quoad modum loquendi, ita proprie dicetur mater supernaturalis, ut vult Suarius, § *Obiicies,* loco cit.; nam nomen *matris* desumitur a relatione, quae, ut diximus, supernaturalis non est: a Patribus autem, ut diximus superiori Certamine, nuncupatur mater supernaturalis, ut extollant sublimitatem conceptionis, personae concipientis ac foetus producti.

Opponat alius, quia non apparet terminus huius relationis maternitatis; siquidem in Christo Domino non apparet quisnam sit terminus huius relationis maternitatis; nam relatio matris collimat in personam ab ipsa productam, ac proinde exigit terminum et personam creatam, Christus autem est persona increata. Respondeo terminum huius relationis esse personam Christi, non secundum se, sed ut cum humanitate componit hunc hominem; sicut ergo Persona secundum se aeterna, in tempore producta fuit per veram generationem matris, ita etiam potest terminare relationem realem in tempore. Instas: non ergo proprie B. Virgo dici potest mater Dei aut Verbi, sed solum mater Christi, aut hominis, cum relatio solum denominet ac respiciat suum terminum formalem. Sed omnino deneganda est illatio; nam relatio, quae per se primo et formaliter respicit aliquem terminum, materialiter, et concomitanter respicit subiectum remotum, vel suppositum illius termini: sic Petrus albus est similis rei albae *ut sic,* et tamen res alba recte dici potest esse similis Petro, qui est suppositum albedinis.

1575. Sed lis est inter Doctores, per quam relationem Christus Dominus referatur ad Virginem Deiparam. Henricus, quodlib. 4, quaest. 3, et Alexander Alensis 3 p., q. 3, mem. 3, asserunt Christum D. referri ad Matrem relatione reali, sed increata. S. Thomas, 3 part., q. 35, art. 5, et in 3, dis. 8, art. 1, cum aliis Thomistis, ait Christum referri ad Matrem sola relatione rationis filiationis temporalis. Alii denique aiunt, reperiri in Christo relationem filiationis realem ac temporalem ad Matrem: ita

Suarius cum communi, tom. 2 in 3 p., disp. 12, sect. 2.

Assero primo: Christus Dominus nequaquam refertur ad Matrem per relationem increatam filiationis. Probatur, quia relatio increata non competit Christo propter generationem ex Matre; ergo nequit denominare illum filium Virginis, nec illum ad illam referre. Christus enim dicitur filius B. Virginis propter generationem humanam; relatio autem increata competit Christo propter aeternam ex Patre generationem; eidem vero ut subsistenti in humana natura convenit ratione unionis hypostaticae, quae est actio distincta ab humana generatione. Cum ergo generatio aeterna et temporalis sint omnino diversae rationis; pariter et relationes, in ipsis fundatae, erunt diversae rationis, quia ex diversis principiis resultant, et diversos terminos respiciunt. Quod assertum firmari ulterius potest; si enim Spiritus sanctus assumeret naturam humanam ex B. Virgine, proprie ac vere esset filius B. Virginis, sicut modo Christus; de illo tamen neutiquam dici posset referri ad Matrem per increatam relationem processionis, cum haec relatio in Spiritu sancto non habeat rationem filiationis; ergo idem dicendum modo de Verbo divino: licet enim eius proprietas sit filiatio, altiorem tamen ordinem ingreditur. Ad haec, relatio realis est aliquid dependens aliquo modo a termino, quem respicit; si ergo Christus ut homo dicit respectum ad Matrem per relationem increatam, utique illa relatio et respectus erit aliquid reale dependens a suo termino, atque adeo si B. Virgo non existeret, Christus Dominus illo respectu privaretur; quod repugnat immutabilitati increatae relationis.

1576. Assero secundo: in Christo Domino ut homine, datur relatio realis filiationis ad Matrem eiusdem speciei cum aliis filiationibus humanis. Probatur, quia in Christi humanitate resultare potest relatio aliqua realis respiciens Matrem ut terminum, et causam habens pro fundamento, et ratione fundandi generationem ex Virgine; quae relatio quamvis inhaereat humanitati, proprie denominat suppositum, scilicet hunc hominem; quid ergo deerit ad veram relationem realem? Deinde B. Virgo est principium, et causa realis, a qua humanitas illa profecta est, et illa est subiectum capax relationis; cur ergo non resultabit relatio realis ex vi talis productionis, sicut in reliquis causis in ordine ad suos effectus productos, et in his ad suas causas, a quibus proficiscuntur? Quod productis exemplis planum est. Aer, verbi gratia, fit lucidus a sole, licet suppositum aeris non habeat suam entitatem simpliciter a sole, tamen lux in illo facta respicit solem, ut effectus causam; ergo etiam licet humanitas producatur in Verbo, quamvis Verbum non fiat a Virgine, tamen in humanitate poterit esse relatio effectus ad causam, cum non minus quam lux sit capax illius. Declaratur amplius: ponamus humanitatem solam produci absque ulla substantia propria vel aliena a B. Virgine, profecto capax esset relationis realis effectus ad causam; ergo quod modo producatur in Verbo, non erit incapax huius relationis: et confirmatur, quia illa humanitas est capax aliarum relationum realium similitudinis, et dissimilitudinis, et aliarum, quarum fundamentum reperitur in humanitate; sed in eadem reperitur fundamentum relationis effectus ad causam; ergo vere et proprie admittenda est relatio realis in humanitate ad Matrem. Quod autem haec relatio realis proprie denominet hunc hominem, et non solum naturam in abstracto, inde inclaret, quia relatio eum respicit et denominat, quem respicit et denominat eius fundamentum: pater enim dicitur ille qui generare dicitur; et similis, qui albus: nam cum relatio competat alicui medio fundamento, seu ratione illius, opus est ut ei competere dicatur cui convenit fundamentum; at fundamentum relationis, de qua modo est sermo, est generatio ex Virgine; ergo quem respicit et denominat hoc fundamentum, eundem respicit et denominat haec relatio; sed generatio ex Virgine non denominat humanitatem, sed hunc hominem; ergo et haec relatio. Firmatur adducto exemplo: aer fit lucidus a sole, quod fit autem non est lux solum, sed compositum, scilicet lucidum; ita quod per se refertur ut effectus ad causam, est lucidum *ut sic*, quamvis relatio illi competat media luce: sic in praesenti est philosophandum, et videri potest in aliis relationibus realibus Christi; dicitur enim similis, vel dissimilis, aequalis etc., quamvis hae omnes relationes in sola humanitate insint.

Deinde suadetur assertum ratione *a priori*, quia causalitas matris in aliis generationibus solum versatur circa unionem formae cum materia, non vero tendit circa substantiam filii efficiendam; haec autem causalitas perfectissima fuit in B. Virgine sicut in aliis matribus, et eiusdem rationis, et ad illam nihil interest quod subsistentia filii sit creata, vel increata, qua ratione relatio maternitatis in B. Virgine est realis perfecta, et eiusdem rationis cum aliis; ergo similiter in Christo ad realem relationem filiationis nihil conducit subsistentiam esse creatam, vel increatam, dummodo subsistens in hac humanitate vere sit productus a Beata Virgine per veram generationem: quippe in omni humana generatione cuiusvis hominis supponitur materia subsistens; et anima prius natura creatur subsistens; tota vero causalitas generationis est circa coniungendam materiam cum forma, qua unione producta consequitur, ut adaequatus terminus illius sit subsistens; quare ad hanc matris causalitatem impertinenter se habet, quod materia et forma supponantur prius natura subsistens subsistentia propria, vel aliena, creata, vel increata.

1577. Assero tertio: tametsi in Christo sit duplex relatio realis filiationis, nempe aeterna et increata ad Patrem aeternum, creata et temporalis ad Matrem, non tamen Christus est duo filii, sed unicus tantum; et idem qui est filius Patris ab aeterno, est filius in tempore Beatae Virginis. Ratio est in promptu, quia ad multiplicationem huius concreti non sufficit multi-

plicatio formae, si non multiplicentur supposita: ob eandem rationem, quamvis in Christo sint plures operationes et nativitates, artes item, ac scientiae, non tamen ideo Christus est plures operantes, plures nati, plures artifices, plures scientes; sed unus operans, unus natus, unus artifex, unus sciens: ergo eadem ratione, licet multiplicentur in Christo relationes filiationis, unicus tamen erit filius, quia non multiplicantur subsistentiae, neque supposita in Christo.

Obiiciat nonnemo alios filios plus habere a suis matribus, quam Christus habet a Beata Virgine; siquidem hauriunt ab illis humanitatem ac subsistentiam, adeoque totum suppositum: Christus autem a Beata Virgine solum hausit humanitatem; ergo diversam rationem producti vel geniti habent alii filii ad suas genitrices, quam Christus ad suam Matrem. Et firmatur exemplo: si enim ignis produceret in uno subiecto calorem ut octo, cum suo intrinseco termino, in alio vero minorem calorem, et absque tali termino, bene dici posset, relationem effectus in utroque calido esse eiusdem rationis, in altero tamen esse magis completam ac perfectam, quam in alio; quare in aliis hominibus relationem filiationis iuxta suum esse completum inhaerere in toto supposito constante humanitate; nam alii filii producuntur a suis genitricibus non solum secundum humanitatem, sed etiam secundum subsistentiam, quae resultat et fit ex vi talis productionis: Christus autem solum hausit a Matre humanitatem, ac consequenter iuxta hanc doctrinam dicendum esset, relationem maternitatis in Beata Virgine non esse ita completam ac perfectam, qualis est in aliis matribus. Sed omnino falsum est, Christum Dominum minus habere a Matre, quam habeat quilibet alius filius; nam subsistentia creata quae est in aliis filiis neque fit a matribus, sed in anima et in materia supponitur; facta autem unione formae cum materia, sine nova matris efficientia consurgit integra subsistentia totius compositi coalescens ex partialibus subsistentiis partium, ita ut fieri nequeat, ut illa totalis subsistentia impediatur: sic etiam in generatione Christi ex Maria prius natura supponuntur materia et forma unita Verbo, et in illo subsistentia, et ipsa per generationem uniuntur inter se; qua facta unione, absque alia matris causalitate sequitur, ut tota humanitas illa subsistentia subsistat, ac proinde ut hic homo sic subsistens, productus sit; eandem ergo causalitatem habet Beata Virgo ad productionem Christi, quam aliae matres in ordine ad suos foetus: nec plus habent alii filii a matribus, quam Christus a Beata Virgine: unde relationes filiationis in Christo, et maternitatis in B. Virgine aeque completae ac perfectae existimantur ac sunt, sicut inter alios filios et matres. Reliqua argumenta, quae obiiciuntur adversus tria praefata asserta, referuntur ac refelluntur a Suario, tom. 2 in 3 part., disp. 12, sect. 2.

—

CERTAMEN XI.

Utrum Beata Virgo in triduo mortis Filii fuerit Mater Christi.

1578. Cum in Christi morte discissa fuerit unio producta per generationem Beatae Virginis, ac consequenter extincta fuerit utraque relatio, et filiationis in Christo, et maternitatis in Maria; merito in dubium revocari potest, utrum Beata Virgo in illo triduo fuerit Mater Christi nuncupanda: in morte enim Christi nec mansit humanitas, neque hic homo, ac proinde nec relatio filiationis, neque filius Virginis: in relationibus autem mutuis, ablato altero extremo, necessario tollitur relatio in alio. Deinde post Christi Domini anastasim neutiquam redire possunt eaedem relationes; siquidem Christus non gaudebat humanitate ex vi maternae generationis, nam illa efficientia generativa Beatae Virginis sortita est iam suum effectum, qui per mortem omnino periit; in resurrectione autem per aliam actionem distinctam iterum rediit idem secundum rem, non tamen formaliter, ut terminus sive effectus prioris actionis; relatio autem filiationis innititur in termino ut producto per maternum concursum, adeoque per resurrectionem non rediit, aut resultare potuit talis relatio, sicut nec fundamentum eius, quod exstitit generatio.

In hac re arbitror Beatam Virginem adhuc in triduo mortis Christi fuisse veram Dei Matrem; quia Verbum divinum, cui unita est humanitas hypostatice, semper fuit, adeoque semper Beata Virgo fuit illius Mater, etiam in triduo, praecipue quod attinet ad dignitatem Matris Dei morali modo consideratam: licet enim in triduo non esset hic homo, quem Beata Virgo genuerat, vere tamen persistebat ille quem genuit Maria habens unitas sibi partes illius humanitatis, quas ex Matre accepit, quod sufficit ad matris dignitatem retinendam: ita Suarius, disp. cit., sect. 3 in fine. Ideo inquit Ioannes: *Stabat iuxta crucem Mater Iesu*, nempe quia adhuc in occubitu Christi permanebat ille, qui filius Mariae erat, cum filiatio non humanitatis, sed personae est, suppositum enim respicit et denominat, non naturam: at Verbum divinum nunquam extrema illa sibi unita reliquit, nec mors unquam unionem Verbi ad corpus, vel animam dissecuit: in triduo ergo etiam mater fuit, quia adhuc Christo mortuo, filio non caruit. *Semper mater*, ait Anselmus, *quia nunquam erit sine sobole.* Confirmatur ex illo Ioan. 19, ubi ait: *Ibi ergo* (scilicet in sepulcro) *posuerunt Iesum.* Cur Iesum dicit, cum potius corpus Iesu magis proprie dicere deberet, cum sepulcralis spelunca totum Iesum non contineret, ibi enim anima non erat? Sed apte Iesum dixit, quia corpus subsistentiae Verbo unitum semper permansit, unde B. Virginis Filius adhuc perdurabat; ideo Christo demortuo vocatur adhuc Mater Iesu: *Stabat Maria Mater Iesu.* Huic dicendi modo adstipulatur Caietanus in cap. 19 Ioan. haec scribens: *Cum debuisset dici*: Posuerunt corpus Iesu; *dixit tamen*: Posuerunt Iesum, *non solum servan-*

do solitum loquendi morem, quo Davidem, aut Abraham dicimus sepultum; sed etiam ad significandum identitatem hypostasis in mortuo, et vivo Iesu; quod fuit in ipso singularissimum. Quamvis enim anima Iesu separata fuit a corpore eius, eadem tamen numero hypostasis perseveravit in corpore mortuo, et in anima.

1579. Arbitror deinde in illo triduo B. Virginem non fuisse Matrem Christi hominis, quia in rerum natura non erat Christus homo; per mortem enim homo esse desiit, homo enim mortuus non est verus homo; ergo neque Filius Virginis. Christus ergo mortuus, cum non fuerit homo, nec terminare potuit relationem geniti in ordine ad Matrem. Hinc forsan Christus Dominus crucem agens, dum Matrem alloquitur, abstinuit a nomine Matris aiens: *Mulier, ecce filius tuus*; ac si diceret: nunc iam non Mater, nec ego Filius. Quae Filii carentia B. Virgini omnis moeroris ac tristitiae fomitem ministravit: ideo sat opportune in triduo illo, tanto destituta Filio, cum turture a Sponso componitur; sicut enim turtur suo viduata consorte, tristes ducit reliquos vitae dies, non arva solantur avem, nec strepentium rivulorum ridentes undae delectant, nec florentes arbores veris advenientis praenunciae; sed solitaria eremi dumeta incolit solitudinis amans, per nemorum secreta pererrat, ubi sine testibus aera lugubribus cantibus opplet: non dissimili ratione B. Virgo domi reclusa, solitariam agebat vitam suo orbata Filio, carissimo viduata pignore; in has lugubres voces gemitibus intermixtas erumpebat, si D. Ephraemo credimus in Threnis Deiparae: *Respice, Fili mi, lacrymas meas; attende suspiria mea ac gemitus, et os tuum aperi: solatium mihi praebe, fili mi: non enim habeo prorsus, ubi caput meum reclinem, non alius mihi superest cognatus pater, vel mater, frater, aut soror qui animum mihi reddant. Tu mihi es pater, tu frater, tu filius, tu mihi vita es, et spiritus.* Ob hanc, inter alias, causam noluit ut Matris corpus ad generalem usque anastasim incorruptum conservare, sed transacto triduo in vitam immortalem resurrexit, ut iam per aeternitatem in Beata Virgine et relatio maternitatis ad tantum Filium, tum et sanctum Mariae nomen conservaretur: nec enim relatio maternitatis, nec nomen Mariae cum proprietate soli animae, vel corpori competit, sed solum composito illi ex anima et corpore coalito. Omnino autem displicent hic Hugo Victorinus, et Magister sent. apud Suarium, tom. 2 in 3 part., disput. 38, sect. 2, dum asserunt Verbum divinum in triduo adhuc fuisse hominem, iuxta quos dici posset in triduo B. Virgo mater huius hominis; sed merito a Theologis gravi feriuntur censura, et recte refelluntur a Suario cit. Addiderim in triduo, quo Virgo Deipara iacuit in sepulcro, non fuisse Matrem Christi: ita Ludovicus a Ponte, tom. 2 medit., par. 5, medit. 37, part. 2; ideoque ait decuisse post triduum animam corpori uniri, iterumque nomen Matris adipisci in totam aeternitatem: hoc enim nomen non animae, nec corpori seorsim sumptis, sed toti composito adaptari potest.

1580. Quod autem attinet ad Matris dignitatem morali modo consideratam, certum est adhuc in patria perdurare; imo et physice, quia, ut ego arbitror, habet eandem maternitatis relationem, quam habuit in terris; cum haec sita sit in extrinseca denominatione desumpta a termino, qui omnino idem est post resurrectionem, ac erat in terris: eadem etiam Beata Virgo est, postquam resurrexit, ac antequam moreretur; cum ergo idem sit terminus, idem fundamentum ac ratio fundandi eadem perseveret modo in caelis; etiam eadem maternitatis relatio resultabit in aeternum. Quod plurium Patrum calculo confirmari potest; nam Althelmus in carmine de laudibus Virginis, Angelus Virginem alloquens ait:

. . . . En sobolem generabis Virgo perennem.

Et Gerebertus, serm. in Assump. Virg., tom. 10 Bibliothecae: *Tu Mater singularis, tu Mater perennis.* Rupertus item, lib. 4 in Cantica, in illa verba: *Emissiones tuae paradisus, hortus conclusus, soror mea sponsa*, subiungit ille: *Hortus nunquam sine fructu est; unde ergo hortus es tu, o dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam decidit, et fructus tuus nunquam marcescit, aut deficit?* Hortus nunquam omnino feriatur, aut otiatur: semper aliquid in vitae commodum producit: non ita reliqui agri, et arva, quae semel tantum in anno aliquid ferunt. Hortus perpetuo aliquid germinat: ideo Deipara cum horto confertur, ut perennitas Mariani fructus demonstretur, et maternitatis perpetuitas evincatur. Nunc gravissima Athanasii verba expendenda sunt, serm. de Deipara: *Idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, et virtute Altissimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus, eam habuisse confido, et post conceptum etiam retinuisse; nec enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse quemadmodum et nunc in praesentia, et in aeternum usque habet haec Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi, et superventum Spiritus sancti.* Cum ergo haec singularissima Spiritus sancti in Mariam superventio et adumbratio in hunc scopum collimaverit, ut maiorem virtutum supellectilem sibi compararet, quo excellentiori gratiarum, donorumque decoramento praemuniretur, ut dignius Verbum divinum intra sua viscera progigneret, ac rectius tanti Filii munus matris obiret: cur subiicit s. Doctor, in aeternum Spiritus sancti obumbratione potiri Mariam? Nonne iam fructus edidit Marianus paradisus? Ergo supervacanea videatur Spiritus sancti irrigatio, et superventus? Nonne natus Christus, et in lucem editus? Anne iterum atque iterum ex vulva Virginea edendum Verbum divinum? vel in aeternitatem Christus ex Maria progignendus, ut egeat aeterna Spiritus sancti superventione, ac iugi et perenni Altissimi obumbratione per totam aeternitatem? Sed o perennis Marianae generationis et maternitatis clarissimum argumen-

tum! quia semper in B.Virgine amplissima gratiarum ornamenta perdurant in aeternitatem, ac sublimis omnium virtutum praemunitio ad Verbum divinum generandum persistit : tum quia Deus carne amictus virginea hospitium virgineum uteri Mariani, quod semel incoluit, vehementer exambit, et quia Christus perenni filiatione Matrem respicit ac denominat, ideo merito ab Athanasio dicitur Maria iugi et aeterna Spiritus sancti superventione muniri, ac perenni Altissimi obumbratione custodiri. Scite ad rem praesentem s. Ildephonsus, lib. de virginit. Mar., cap. 10, fatur: *Haec foemina sanctificationis vas est, aeternitas virginitatis est, Mater Dei est*, etc. *in praeterito munda Deo, in praesenti plena homine et Deo, in futuro generans hominem et Deum.* Itane iugi et aeterna generatione Deum et hominem producet? Ex eo utique quia Verbum divinum Virgineum gremium sibi adamet, ut semper ambiat illud; quia ea est Virginei uteri capacitas ambitioso virtutum ornamento praemunita, perenni divini Spiritus supellectili condecorata, ut, si fieri posset, semper Deum-hominem progigneret, saltem non staret per ipsam, nec ex defectu dispositionis in Maria, quominus haec Verbi divini generatio aeternum perduraret; nec ex defectu proclivitatis in Verbo, ac innatae propensionis, ut iugi generatione a visceribus Virgineis oriretur. Ad haec dicitur Maria in futuro Deum-hominem generare, quo perpetuitas maternitatis Dei ostendatur, quae nullo unquam tempore defuit, nec in aeternum deficiet. Ideo animadversione res digna est, nullum Mariae festum reperiri sine hoc maternitatis elogio; sive enim immaculata eius Conceptio, sive munda Nativitas solemni festivitate peragatur, semper illud auribus intonat nostris : *De qua natus est Iesus.* Dum templo trima sacratur, etiam pangit Ecclesia: *Beatus venter, qui te portavit.* Gabriel nuncius de caelo ad Virginem delabitur, omnisque sermo de Verbo divino incarnando peragitur, et ad illa verba : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; Deus homo in ventre Virgineo fit, et Virgo mater efficitur. Sponsalia Virginem inter et Iosephum celebrantur; et Evangelica lectio Mariam Matrem Iesu vocat: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.* In caelo etiam triumphat, et splendenti diademate redimitur; eiusque Assumptio sub metaphora ingressus Iesus in castellum Mariae adumbratur, et sub hoc symbolo Incarnationis mysterium, et maternitatis laus decantatur. Itaque nullum elogium, nulla panegyris, nullus Marianus honos habetur sine maternitate, ut merito dicat s. Athanasius, serm. de s. Deipara: *Nam ex carne eius et ex ossibus eius, veluti ex veteri Adam, novus iste Adam, ut vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum istam incarnationem, eamque semel indutam perpetuo gestat.* Probat igitur ex eo B.Virginem corpore etiam in caelum fuisse evectam, quia Verbum divinum incarnationem semel peractam perpetuo gestat. Itaque Maria in caelos assumitur corpore et anima, et in aeternum immortalis perdurat, ut Christus semel assumpta carne ex Maria integre servetur immortalis: sicque generatio ex Maria quasi perdurat in aevum, ac si caro et ossa Mariana iugi influxu, ac perenni productione Christi corpus adhuc in caelo existens coagmentarent: et quemadmodum Verbum divinum a Patre aeterno et indeficienti generatione procedit, sic idem Verbum humanitate indutum uteri Virginei semper amans maternum corpus iugi intuitu, a quo generationem hausit, respicit; ac perenni influxu a Matre progigni exambit.

1581. Hic quaerat aliquis, utrum B.Virgo sit Dei affinis, vel consanguinea. D. Thomas 2 2, quaest. 103, art. 4, docet hyperduliam, quae debetur B.Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimam speciem duliae communiter sumptae. Ubi Caietanus notat Deiparam esse consanguineam cum Christo ut homine, affinem vero cum Christo ut Deo, et propter hanc causam deberi ei peculiarem cultum, quia propria operatione attigit fines Divinitatis; ideo vocatur Proxima Deo: sicut ergo sponsa, quae viro spondetur et nubit, affinitatem contrahit cum parentibus et propinquis sui sponsi, et sponsus similiter cum parentibus et propinquis sponsae; sic B. Virgo ob unionem hypostaticam humanitatis ad Verbum affinitatem novam et inauditam contraxit cum Deo et tota Trinitate; ità ut nulla reperiatur affinitas in humanis adeo arcta, ac illa quae reperitur inter Deiparam et Patrem aeternum, siquidem Filius naturalis Patris est Filius naturalis Mariae, ut bene meditatus fuit Divus Anselmus alibi datus. Huc spectat elogium Theophanis in Virginem Deiparam, Hymn. de Annunciat.: *Tibi*, ait, *data est gratia, o Dei Genitrix divina; tibi Ave omnis creatura clamat, o Dei nympha.* Nympha latine sponsam sonat; sed graece etiam significat nurum, Luc. 12, ubi habet Textus : *Mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam*; graece loco nurus, est nympha. Et I Reg. 4, ait Textus sacer: *Nurus eius uxor Phinees*, in graeco est nympha. Vocatur ergo a Theophane Deipara, Dei nurus; atque adeo omnis affinitas, imo et consanguinitas quae concipi potest, intercedit inter Deum et B. Virginem, quia est Mater Filii, Sponsa Spiritus sancti, filia ac nurus Patris aeterni. Item qua est Mater Filii, vocatur Sponsa Patris; qua sponsa Filii, merito nurus Patris nuncupatur. Quo respiciebat Aldhelmus, lib. de laudibus Virginit., cap. 22: *B. Maria Virgo perpetua, hortus conclusus, fons signatus, virgula radicis, gemmula floris, nurus Patris, Genitrix et germana filii, simulque sponsa, et felix vernacula.* Ubi novo cognomine vocat Virginem Deiparam germanam, vel sororem Filii grandi mysterio; et merito, quia producit Personam divinam, in quo est omnino similis Filio.

1582. Et quamvis D. Thomas cit., et 1 part., q. 25, ar. 5, et Caietanus cit. asserant solum esse Mariam Deo affinem, non vero consanguineam: venia tamen tanti Doctoris, arbitror cum Vasquio, tom. 1 in 3 p., disp. 99, cap. 1, num. 2, et cum Pineda nostro in advertentiis ad decretum Regis D. Ioannis, Advert. 7, § 2, Deiparam vere

et proprie esse consanguineam Dei, et inde probat Vasquius B.Virginem ratione peculiari adorari, quia inter ipsam et Deum intercedit quaedam species coniunctionis, et consanguinitatis secundum carnem: quod ex Canisio deprompsit, lib. 5 de Deipara, cap. 15. Quod ex eo suaderi potest, quia B. Virgo vere et proprie dicenda est Dei Mater; idem quippe Christus, qui Suppositum est constans humana natura, est simul verus Deus: at cognatio Matris ad Filium est vera et propria consanguinitas in primo gradu, et quidem tanto arctiori vinculo, ac perfectiori consanguinitate prae caeteris matribus ad suos filios, quo verius substantiam illam, quam Christus in sua prima formatione, nutritione et lactatione a B. Virgine accepit, nunquam amisit, ut late a nobis ostensum est: sic enim non solum B.Virgini adnectebatur unione quadam consanguinitatis, sed quasi idem cum ipsa fiebat, adeoque coniunctiori consanguinitate ad illud Suppositum divinum humanitate vestitum coniungebatur. Adde ex Iurisperitorum sententia, parentes cum filiis neutiquam diversos cognationis gradu constituere, sed sub uno eodemque gradu versari; quia, ut ait Gratianus, pater et filius una caro esse probantur, et quasi unam eandemque personam constituunt, ut docet Iustinianus Augustus, l. final. C. de impub., ubi ait: *Cum et natura, pater et filius eadem esse persona pene intelligantur.* Cicero item, orat. 3 in Verrem, idem affirmat: *Cum filiis,* ait, *vivi bona nostra partimur, quia pro eadem persona habentur.* Ideo Instituta de inutil. stipul. § *et vero in causis agendis eadem patris et filii vox esse dicitur.* Ergo Deipara non sub distincto cognationis gradu cum Filio est collocanda, nec sub diverso loco reponenda; quod aequiori iure de Maria dicendum, quod maius cognationis vinculum inter ipsam et Filium intercessit, quam inter alios parentes ac filios, cum ipsa materiam sine parente homine generationi subministraverit.

CERTAMEN XII.

Utrum ex vi generationis ex Virgine prodierit Christus innocens, sanctus, et immunis ab originali peccato.

1583. Bifariam explicari potest praesens quaestio. Primo, an Christus Dominus non solum fuerit immunis a noxa originali ex vi unionis hypostaticae, sed etiam ex vi suae generationis, quo procedebat a Matre Virgine. Supponimus enim, si Verbum divinum, ut potuit, humanitatem sibi assumeret ordinaria generationis lege, sicut alii, scilicet ex commixtione maris cum foemina, tunc talem humanitatem in propria personalitate subsistentem, et sibi relictam, ex vi talis generationis, originali macula foedandam, tamen per unionem hypostaticam, liberandam iri ab illa. Cuius rei rationem petes a Suario, de incarnat. disput. 33, sect. 2, concl. 2. Secundo, hunc sensum habere potest titulus Certaminis: utrum gratia originalis, quae immunitatem illam a peccato originali consecuta est, fuerit ipsi Christo communicata praecipue ab Spiritu sancto, tanquam a causa principali, dependenter tamen a generatione ex Virgine; ita tamen ut semper verum maneat, totius sanctitatis fontem et originem tum Christo collatae, tum Virgini, tum omni ali creaturae rationali, esse unionem hypostaticam; ac proinde universam gratiam, omnia dona ac privilegia Deiparae concessa, ab uno Christo provenire ac derivari, qui ut universalis Redemptor, Caputque Ecclesiae, omnisque gratiae principium promeruit omnia illa dona, omnemque gratiam Matri suae.

Primo, certum reor, Christum Dominum ex vi generationis ex Virgine, immunem fuisse ab omni peccati macula; quod alibi iam tradidi, nunc denuo corroboro; quia in hac generatione Spiritus sanctus virtute operativa omne viri ministerium ad generationem requisitum supplevit, quod innuit verbum illud Angeli: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In generatione igitur humana foemina praebet materiam, quam in matrice decoquit, ut ex ea cum semine virili admixta, illoque fota et adiuta foetum efformet. In generatione ergo Christi supplevit Spiritus sanctus sua virtute haec omnia, cooperando cum B. Virgine simul ad foetus formationem: unde Christus ex vi huius generationis fuit immunis a peccato originali; hoc enim contrahitur per virilem generationem, et propagationem seminalem; quod defuit in Christi conceptione, semen scilicet virile, adeoque et effectus eius, nempe peccatum originale, adhuc seclusa unione hypostatica; quod passim Patres et Doctores enucleant. S.Leo Papa, serm. 7 de Nativ. verba faciens de hac Christi immunitate a peccato, ait: *Dominus noster Iesus Christus novae creaturae in se fecit exordium, et in ortus sui forma dedit humano generi spirituale principium, ut ad carnalis generationis abolenda contagia esset regenerandis origo sine semine criminis.* Et serm. 10 de eadem re subdit: *Superveniente quippe in ea Spiritu sancto, et Altissimi obumbrante virtute, incommutabile Dei corpore habitum sibi humanae carnis assumpsit, quae et nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, et nihil eorum, quae ad animi corporisque naturam pertinent, non haberet.* Ubi perspicuis verbis sacer Doctor docet immunitatem a culpa habuisse per generationem a B.Virgine. Luculentius fatur Augustinus, in Enchiridio, cap. 4: *Nulla*, inquit, *voluptate carnalis concupiscentiae seminatus, sive conceptus est Christus, et ideo nullum peccatum originaliter contrahens.* Et lib.13 de Trinit., c. 18: *Non interfuit*, inquit, *concupiscentia carnis, per quam seminantur, et concipiuntur caeteri, qui trahunt originale peccatum; sed ea penitus remotissima, credendo, non concumbendo, sancta est foecundata Virginitas, ut illud, quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis originem duceret.* Ex quibus Patrum testimoniis perspicuum fit, Christum Dominum ex vi suae conceptionis, quatenus dependet a Matre, immunitatem et exemptionem ab omni originaria labe nactum fuisse.

1584. Verissima igitur sententia est, huma-

nitatem Christi immunem omnino esse ab omni originaria labe ratione generationis ex B. Virgine; ita ut licet humanitas illa Verbo non uniretur, ex eo praecise quod a B. Virgine prodiret, et in utero ipsius sacratissimo conciperetur, nulli culpae originalis reatui subiaceret. In cuius confirmationem quae hic subduntur, conducent. Accipe Iosephi luctam, ac victoriam ab impudica foemina reportatam, aureo ab ore Chrysostomi, hom. de Iosepho t. 6, tanti triumphi causam Iacobo patri strenuo pugili ac luctatori attribuente; ait ergo ex ore ipsius Iosephi: *Servus quidem, o mulier, nunquam fui, nobilibus enim sum parentibus procreatus: Abraham nimirum, et Isaac, quos Deus colloquio dignatus est, avi mei fuerunt: Iacob autem, qui cum Angelo luctatus est, meus pater; quapropter et tecum luctabor audacter.* Maximus quidem honos in Iosephum redundavit, si credimus Chrysostomo, quod luctandi dexteritate, patri omnino similis evaderet: ergo et in Iesus laudem eat, quod in proterendo peccati originalis dracone, omnino Matri suae assimiletur, ut verissime affirmet Bernardus, hom. 2 super *Missus est: De immaculata Virgine, immaculatus processit, omnium maculas purgaturus.* Ea est enim naturae conditio, ut filii omnino mores parentum imbibant. Ideo aliquam promerentur veniam Beniamini fratres, quod suspicentur de furaci genitrice, latronem filium processurum, quia a natura ita comparatum est, ut filii genitricis mores referant. Scyphus argenteus in sacculo Beniamini inventus est, et turbantur fratres, ac metu et dolore perculsi discindunt vestes, Gen. 44: ea nimirum eos invasit suspicio, ut fieri posset quod a Beniamino calix surreptus fuisset, et matrem idola surripientem redoleret, adeoque matrizaret. Rem ingeniose meditatus fuit s. Ephraemus Ediss., orat. de Ioseph: *Neque ipsum solum,* ait, *verum et Rachel simul, et Ioseph cum patre insimulabant dicentes: Vos scandalum fuistis patri nostro, tu et Ioseph filii Rachel; Ioseph enim super nos regnare voluit, et merito a fera comestus est; tu autem rursus frater eius, in ignominia et probro nos esse fecisti: nonne vos estis filii Rachel, quae patris sui idola furata, se ea furatam negavit?* A matre igitur innocente editus Christus innocens ex vi conceptionis. Hanc similitudinem Christi cum Matre, aeque ac cum aeterno Patre pulcherrime depinxit Hugo, tom. 3 in erudit. Theolog., tract. de Verbo Incarnato, collat. 3: *Sicut in caelo,* inquit, *Deus habuit Patrem immortalem aeternus, sic in terra haberet Matrem Virginem incorruptus: igitur in caelo qualis Pater, talis Filius, et in terra qualis Mater, talis Filius; in caelo cum Patre aeternus et immensus, in terra cum Matre immaculatus et mansuetus; in caelo cum Patre incorruptus et sublimis, in terra cum Matre Virgo et humilis; in caelo imago Patris, in terra imitator Matris: talis ergo Agnus, qualis Mater Agni; ex munda mundus, ex Virgine incorruptus.* Quibus verbis ostendit Christum perfecte patrizantem, aeque et matrizantem.

1585. Modo etiam altera pars est nobis exagitanda, quod scilicet Christus Dominus ex vi conceptionis suae ex Beata Virgine sanctus prodierit, et quidem ex immunitate a noxa originaria necessaria consecutione videtur inferri sanctitas positiva: nam sicut Christus immunis fuit ab omni labe primorum parentum ex vi generationis ex Virgine, ita ex vi eiusdem Conceptionis sanctus prodiit: nunc enim in natura lapsa hi duo termini connectuntur et convertuntur inter se, videlicet immunitas a peccato, et sanctitas positiva; una enim reapse modo non datur sine alia. Unde bene argumentaberis: concipitur Christus ex vi generationis ex Virgine immunis ab originali; ergo concipitur sanctus, non solum ab unione hypostatica, sed etiam ex vi conceptionis ex B. Virgine; et e converso bene argues: Christus concipitur sanctus ex vi generationis ex Virgine, ergo etiam immunis a culpa; quemadmodum filius Adae in statu innocentiae procreatus; sanctus esset ex vi generationis et dependentiae ab Adamo innocenti, ratione pacti initi Deum inter et Adamum. Quod ut planius pateat, animadvertendum est, sanctitatem primo parenti in statu innocentiae collatam tanquam capiti transfundendam per omnes posteros, illo non peccante, ita ut filius ab Adamo genitus innocenti, sanctus conciperetur, et actio, qua generaretur, sancta etiam evaderet. Adamo autem peccante utraque sanctitas defuit, quia proles deinceps iam labe originaria maculata nascitur, actio etiam qua producitur infecta est. Quo posito, non sine probabilitate dici potest, Christum Dominum quatenus a B. Virgine generatum, sanctum prodiisse; actionem etiam generativam, qua media communicata est Christo ipsa humanitas sancta, etiam fuisse sanctam, ut a B. Virgine proficiscentem: quod innuit Gabriel verbis illis: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum.* Quasi diceret foetum conceptum ex vi etiam generationis ex B. Virgine; id enim innuunt verba illa: *Ex te nascetur sanctum;* id est quatenus ex te, et ex tua substantia, ut dependente ab Spiritu sancto, per illam operante; ita ut superventio Spiritus sancti in Virginem Deiparam generationis tempore fuit in ordine etiam ad prolem, quo scilicet omni modo, omnique ex capite sanctus conciperetur Christus.

Hic autem dicendi modus non videtur alienus a sanctis Patribus ac Doctoribus. Audiamus eorum verba. Gregorius, lib. 18 mor., c. 27, haec habet: *Nos quippe, et si efficimur, non tamen sancti nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis ratione constringimur, ut cum propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; ille autem solum veraciter sanctus natus est, qui, ut ipsam conditionem naturae corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulae conceptus non est.* Ubi ex eo quod Christus conceptus fuerit sine ulla viri commixtione deducit in sanctitate fuisse generatum, quia post primorum parentum lapsum, secundum legem ordinariam dari non potest immunitas a culpa, quin detur etiam gratiae infusio; ita ut per ean-

dem actionem, per quam prodiit proles immunis a peccato, inseparabiliter sancta simul evadat. Eundem reddunt sensum verba Ambrosii in Luc.: *Per omnia ex natis de foemina sanctus Dominus Iesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et caelesti maiestate depulerit.* Suffragatur Albertus Magnus in c. 1 Luc.: *Est enim*, ait, *ut Deus, sanctus essentialiter; ut homo autem, sanctorum Sanctum; et ut sumptum de Virgine, sanctissimum; et forte ideo est, quod non est determinatum quid sit illud, quod nascetur Sanctum, quia una determinatione non poterat determinari.* Huc etiam tendunt plurium Patrum locutiones, quibus docent, Spiritus sancti superventionem et corpus et animam B. Virginis sanctificavisse, ut ex hoc capite Christi humanitas etiam nasceretur sancta, licet alio titulo, nempe ex unione hypostatica, iam erat omnino sancta. S. Gregorius Nyssenus, orat. de Christi Nativit., haec habet: *In caeteris omnibus vix anima pura Spiritus sancti praesentiam capit: hic vero, corpus, Spiritus sancti receptaculum fuit.* Et s. Augustinus, lib. qq. veteris Testam. ac novi, c. 49: *Spiritus*, ait, *sanctus purificavit quod de Virgine in corpus Salvatoris perfecit.* Idipsum Ecclesia attestatur: *Omnipotens Deus, qui gloriosae Virginis Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur Spiritu sancto cooperante praeparasti.* Si ergo sanctitas animam ac corpus Virginis affecit, ut praedicti Patres cum Ecclesia docent in ordine ad conceptionem Christi; ergo per actionem generativam B. Virginis quatenus a Virgine, non solum esse physicum, et humanum a Virgine in Christum obvenit, sed etiam esse gratuitum et sanctum. Quod etiam conceptis verbis docet Anselmus, lib. de concept. Virginis, cap. 20: *Quamobrem*, inquit, *quoniam de iusto Patre secundum divinam naturam, et de iusta Matre secundum humanam, iustus ab ipsa origine, ut ita dictum sit, natus est, non incongrue a sua origine iustitiam originalem habere dicendus est.* Quid clarius ad rem praesentem excogitari posset?

1586. Perspicue etiam defenditur iste opinandi modus a recentioribus Theologis. Toletus in Luc. Annot. 97, haec habet: *Christum praeterquam quod ratione unionis ad Verbum omnis peccati expers, omnique gratia plenus erat, conceptionem habuisse plane sanctam, atque innocentem, quatenus B. Virgini ea gratia data est, et Spiritus sanctus ita in eam supervenit, ut ex illa conceptione nonnisi sanctus concipi posset.* Itaque ait, non Spiritum sanctum solum fuisse causam huius conceptionis ac termini sancti, sed una cum Beata Virgine quae fuit principium et causa in suo genere huius conceptionis sanctae ac termini sanctificati per ipsam producti: quod ut planius fiat, ponamus Adamum productum in pura natura, filium produxisse, tunc nec productio illa, nec terminus productus per illam culpa infectus prodiret; sed nec actio illa generativa, nec proles generata sancta evaderet, quia non proveniret a principio sancto: at in Christo, ait Toletus, non sic factum fuit; ipse enim gratiam habuit ex unione, qua in se sanctus est, et eius conceptio sancta fuit; quia de sancta Virgine, et de Spiritu sancto conceptus est. Luculentius loquitur praefatus Cardinalis, Annotat. 93: *Etsi Christus propter unionem non posset nasci peccator, si tamen de viro genitus esset, propagationem habuisset infectam, et quantum est ex parte illius propagationis non fuisset a peccato immunis, quamvis aliunde, nempe propter unionem, illud non contraxisset: at dum sine viro concipitur, non solum ex parte unionis, sed etiam ex parte propagationis liber est a peccato et macula; talem enim oportebat concipi eum qui venerat tollere peccata mundi, ut propagatione, et unione a peccato esset alienus.* Et in illud Gabrielis, *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum*, subdit: *Est autem sensus, quia Spiritus sanctus superveniet in te, ideo ex te sola nascetur sine viri mixtione, et non solum ex te nascetur, sed quod nascetur etiam sanctum nascetur.* Et Annotat. 103 in eadem verba subiungit: *Sancta Christi conceptio, ita ut etiam si gratiam ex unione non habuisset, eam obtinuisset ex vi conceptionis.* Et Annotat. 106: *Adverte*, inquit, *Christum non solum sine viri copula, sed etiam ex ipsa conceptione sanctum conceptum esse.* Multus fui in verbis tanti Doctoris referendis, nec mirum, ea est enim tanti Cardinalis auctoritas, ut licet nullum aliud superesset fundamentum, cui haec sententia inniteretur, unius Toleti approbatio eam probabilissimam redderet. Concludit ergo asserens, Christum habuisse conceptionem plane sanctam, atque innocentem, *quatenus B. Virgini ea gratia data est, et Spiritus sanctus in eam ita supervenit, ut ex illa conceptione non nisi sanctus concipi posset: quod in ipsum Christum refertur, quia antequam conciperetur meruit, et obtinuit Matri hanc Spiritus sancti superventionem, ut sancta sancte, et sanctum conciperet.* Nihil, ut puto, aptius ad roborandam hanc sententiam dici potest. Subscribit Salmeron, tom. 3, tract. 8: *In primis*, ait, *consequentiae vis adverbio*, ideo, *significata ponderanda est; quia non ex via seminali, quemadmodum omnes filii Adae, sed de Spiritu sancto, et ex sanctissima Matre conceptus est; sumpta natura liber est, et immunis ab omni criminis labe per Adae transgressionem in mundum ingressi, cum caeteri non nisi immundi nascantur*, etc. *Recte ergo sanctum, in neutro, et substantive: quod plus est, quam si dixisset, sanctus; quia sanctitas ipsa, et natura sanctus de Spiritu sancto, et Matre sancta omni ex parte conceptus est: ut ponderat Rupertus, lib. 1 de Spiritu sancto*, c. 10, *et D. Bernardus, serm. 4 in Missus est, ante medium.* Haec omnia Salmeron, cui adstipulatur Maldonatus in illa verba Lucae: *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum*, in quae haec ille subdit: *Itaque non vocat Christum hoc loco sanctum, propterea quod Deus esset, aut quod ut homo peccato caret, etsi eadem utraque ratione sanctissimus erat; sed quia sancte, id est sine viro conceptus, ita prorsus ut, etiamsi Deus non fuisset, illo tamen conceptus modo, id est sine viro sanctus, quia peccatum originale non ha-*

buisset, diceretur. Idem sentit Barradas in eadem verba Angeli, lib. 7, cap. 19: *Conceptus est Christus ex utero Virginis sanctus, hoc est absque ulla peccati originalis labe, omnique plenus sanctitate; natus est autem Christus, sive conceptus sanctus, id est sine peccato originali ex vi conceptionis.*

En tibi praedictam propositionem plurium Patrum ac Theologorum calculo constabilitam: et quidem alia plura testimonia eandem assertionem contestantia exhibere possem: haec tamen sufficiant. Solum hic non praeteribo verba s. Leonis, ni fallor, apud Arcones in Isai. fol. 289, c. 1, ubi ait: *Dedit Deus Matri, quod dedit aquae;* atqui aquae recens tinctum emundant, sanctitate et gratia donant, gratumque Deo reddunt; ergo etiam B. Virgo ex vi generationis Filium sancte, et sanctum progignit. Id autem ita contigisse optima est illa ratio, quod nullam repugnantiam, nec indecentiam includat, ut ex solutione obiectorum magis patebit: imo id multum conducebat, tum et tantae Deiparae, tum et sanctitati Christi Domini ut omni ex parte ac pluribus titulis Sanctus diceretur, praesertim cum in maiorem Christi gloriam ipsiusque meritorum efficaciam refundatur, quae sicut Matri reliquam sanctitatem compararunt, ita etiam eum sanctitatis gradum adepta sunt B. Virgini, ut Christus ex ea dependens ex vi suae conceptionis, quatenus a Matre sine Patre, et non solum ab Spiritu sancto, licet omnia ipsius virtute praestita sint, sancte et sanctus conciperetur. Quod iam praedixerat Habac. c. 3: *Dominus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan.* Ab austro venit Christus, id est, iuxta aliquos nobiles interpretes, a Spiritu sancto, qui Auster dicitur. A monte etiam Pharan, sive umbroso, nempe a Virgine: quatenus ergo provenit ab Spiritu sancto, suppresso sanctitatis titulo, Dominus nuncupatur Iesus Christus; dum vero a B. Virgine progignitur, Sanctus dicitur, quasi certo certius sanctitatem a Spiritu sancto hausisset, celat tanquam rem omnibus planissimam; sed a Matre etiam aliquam sanctitatem habuisse significat, id est sanctam Conceptionem prout a Virgine. *De monte umbroso,* ait Euthymius, sic enim ille transfert, *mons umbrosus, et densus est B. Virgo, mons quidem tanquam omni creatura sublimior, umbrosus quia divina virtute ipsa obumbrata est.*

1587. Quod ergo obiicitur inde fieri B. Virginem aliquo modo influxum praebuisse gratiae in Christum, quod derogaret magnitudini Redemptoris universalis, cum sit Christus fons et origo omnis gratiae, a quo in omnes derivatur; ipse vero a nemine illam recipit. Verum obiectio falsum supponit, nulla enim ratione concedimus B. Virginem fuisse causam gratiae Christi, imo neque Adamus existeret gratiae communicatae in posteros in statu innocentiae: verum tamen est, tunc Adamum futurum causam moralem gratiae illius communicatae, ratione pacti initi inter illum et Deum; servata enim conditione ex parte Adami, ipse moraliter influeret gratiam in posteros. At vero neque eiusmodi causalitatem moralem admittit haec sententia in B. Virgine communicandi gratiam Christo ob merita B. Virginis: unde B. Virgo non fuit causa sanctitatis Christi, neque ipsius conceptionis, nec meritoria physica, nec moralis; sed e contra Christus Dominus exstitit causa moralis et meritoria superventionis Spiritus sancti in B. Virginem, et sanctitatis omnis ipsi collatae. Solum ergo admittit haec sententia hanc sublimem Mariae sanctitatem fuisse medium morale a Deo praeelectum ob merita praevisa Christi Domini, ut etiam ex hoc titulo Sanctus evaderet, et sancte conciperetur; quod quidem nemini mirum videri debeat; praesertim cum Theologi nobilissimi admittant cum D. Thoma, 3 p., q. 2, a. 2, sanctos Patres, et B. Virginem, causam moralem, et meritoriam exstitisse de congruo Incarnationis Christi Domini, non quoad eius praefinitionem, sed quoad eius exhibitionem et executionem, ut bene probat Suarius, de incarnat., disp. 10, sect. 6. Deinde alibi ostendo B. Virginem meruisse de condigno ut Mater Dei existeret, imo eodem modo argui posset de superventu Spiritus sancti, et obumbratione virtutis Altissimi, cum totum illud fuerit aliquid creatum; quare ex hoc capite nulla repugnantia, aut indecentia apparet, nec Christi magnitudini aliquid detrahitur, licet affirmetur Christus in Conceptione sanctitatem accepisse a Matre tanquam medio morali a Deo electo. Et quidem multo maius est asserere sanctos Patres fuisse causam moralem et meritoriam de congruo executionis Incarnationis; sic enim ab ipsis et a B. Virgine dici potest Christus accepisse tantum beneficium, ab ipsis, inquam, tanquam a causa meritoria de congruo, vel propter eorundem preces, et consequenter eosdem Patres, et Virginem Deiparam fuisse aliquo modo causam nostrae Redemptionis, ut admittit Suarius cit., quod dubio procul multo maius est, quam affirmare Christum Dominum sanctum et sancte fuisse conceptum ex vi generationis ex Virgine.

Praeterea arguitur, ex praefata doctrina inferri, esse verum dicere, eam gratiam fuisse tributam B. Virgini, quae non solum ipsam sanctam redderet; sed etiam eam sanctificaret in ordine ad generationem Christi, ita ut actio sancta existeret, et terminus productus per illam ex vi conceptionis ex Virgine, in quo similis existeret Christi conceptio illis, quae forent in statu innocentiae: tunc autem iustitia originalis solum conferretur illis, qui per virilem generationem ab Adamo derivarentur; quae virilis generatio, cum in conceptione Christi ex B. Virgine locum non habeat, neque locum habere potest effectus subsecutus, videlicet Conceptio sancta ex vi generationis a B. Virgine. Responderi posset admittendo quidquid subsumitur in argumento; et addo privilegium Adamo concessum in statu innocentiae perseveranti, conferendi scilicet gratiam posteris ab illo procedentibus per virilem generationem, concessum etiam fuisse B. Virgini, nempe ut conferret gratiam actioni generativae et proli generatae, non

per virilem generationem, sed per generationem a Matre Virgine medio sanguine purissimo concurrente. Itaque donum illud ab Adamo per virilem generationem in posteros derivatum, per Virginem sine virili semine, Spiritus sancti virtute in generationem et prolem generatam descendit.

Tertio opponitur praefatae sententiae, quod supponat pactum inter Deum Patrem et Filium conferendi B. Virgini eum gratiae gradum, quae in Christi conceptionem et in ipsum Christum refunderetur ex vi conceptionis, ex Virgine; hoc autem pactum, nec in sacris Literis, neque in Patribus fundari potest: ergo gratis affingitur. Responderi posset, eiusmodi pactum, quod nihil aliud est, quam promissio dandi tale praemium sub operis obligatione, admitti a communi Theologorum, ut videre est in Suario, t. 1 in 3 p., disp. 4, sect. 5, § *Ex his ergo*. Et probari potest ex illo Isai. c. 53, ubi sermo est de Christo Domino: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum*: et iterum: *pro eo quod laboravit, videbit, et saturabitur*. Idem pactum elici potest ex cap. 10 epistol. ad Hebr., ubi ait Apostolus: *Impossibile enim est sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata; ideo ingrediens mundum dicit Psal.* 39: *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: tunc dixi ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi*. Ex variis autem lectionibus hic erui potest sensus illorum verborum: Perfecisti mihi aures, cum me in primo instanti Incarnationis perfecte audire fecisti tuam voluntatem, scilicet, displicuisse tibi hostias et oblationes veteris Legis, ideoque corpus mihi aptasti, aptum quidem ad patiendum pro mundo, ut illorum loco me offerrem in holocaustum. Tunc dixi: Ecce venio, ut facerem voluntatem tuam; quae verba sonant quasi acceptationem pacti seu contractus initi, ac si diceret: Acceptavi officium mihi iniunctum ac provinciam subivi moriendi pro hominibus; cui oneri ex parte Dei Patris respondet sanctificatio, et redemptio hominum; ideoque addit Paulus: *In qua voluntate sanctificati sumus:* quod pactum semel admissum extendi potest etiam, imo primario, ad sanctificationem B. Virginis, eiusque actionis, qua generavit Christum.

CERTAMEN XIII.

Quo sensu vera sit illa decantata propositio: B. Virgo concepit per aurem.

1588. Nihil magis obvium apud Patres, quam asserere B. Virginem per aurem Verbum Dei concepisse; illo utitur effato Augustinus, serm. 10 de natali Domini, et serm. 13 de tempore, ubi ait: *Virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat*. Et serm. 15 de tempore, sive mavis Fulgentius, seu, ut alii opinantur, Severianus ait: *Angelus sermonem iecit, Virgo concepit; coniunctio haec sine sordibus facta est, in qua et maritus fuit sermo, et uxor auricula*. S. Eleuterius serm. in Annunc.: *O Virgo benedicta! o Virgo a Conditore mundi praeelecta! illum, qui ante omnia saecula genitus est absque matre ab aeterno Patre, concipies mater effecta absque alicuius viri copulatione: ibi enim auricula uxor fuit, Angelicus autem sermo maritus exstitit*. S. Damascenus, lib. 4 fidei, cap. 11, Ambrosius, in lib. de Salom., cap. ult., Bernardus, serm. 2 in die Pentecostes, et alii passim, auriculam, uxorem vocant, maritum vero, sermonem: quod tamen pronunciatum non sine grano salis accipiendum est.

Et primo, missum facimus errorem illorum, qui somniabant Angeli vocem articulatam per B. Virginis aurem in eius uterum delapsam, adeoque angelico verbo foetam ab Angelo concepisse; quem errorem multis confutat Athanasius, homil. de sanctissima Deipara: *Fiat*, inquit, *mihi secundum verbum tuum: et abiit ab illa Angelus; nam hoc significat Evangelista, Angelum ab ea digressum esse, ne occasionem relinqueret dicere volentibus, eum ipsum Angelum incolam Virginis incarnatum fuisse, aut verbum, quod ille insonuit, hominis naturam condidisse; sed quod abscedente Angelo supervenit in Virginem Spiritus sanctus, obumbravitque illam virtus Altissimi, atque ita postmodum consummatus est salutaris ille conceptus*. Quae verba non ita capias, ut prius discesserit Angelus antequam B. Virgo Verbum Dei conciperet, cum verum sit, statim atque Virgo protulit illa verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, Verbum divinum carnem sibi assumpsisse. Solum ergo sanctus Doctor intendit eos ferire, qui Angelo foecunditatem ad sacrum foetum adscribebant; in quem errorem iterum insurgit eadem homilia, ut vidimus Certamine altero huius Palaestrae. Itaque censuere aliqui, vocem illam Gabrielis: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*, fuisse hypostasim, carnemque fuisse factam; quasi ea esset gratiae plenitudo in B. Virgine ut cognationem ac coniunctionem sortiretur cum Filio Dei, vocemque ipsam Verbum Dei esse; quem errorem iterum atque iterum refellit s. Athanasius. Eosdem haereticos sic opinantes perstringit Albertus Magnus, in cap. 1 Luc.: *Si autem*, ait, *quaeratur, unde Virgo concepit, utrum verbo Angeli, vel de quo? dicendum, quod non verbo Angeli, quia verbum Angeli in aere sonuit, et non permansit, et ideo sanguinem eius nec distinxit separando, nec convertit, nec formavit; id autem de quo concipitur, et separat sanguinem, et format, et figurat; et ideo condemnatum est, quod cantatur: Concipies per aurem; sed cantetur: Concipies, et paries Deum, pariter et hominem*. Non sustinet virginea Mariae celsitudo ab alio, qui non sit Deus, foecundari ac gravidari. Angelica praeterea natura omnino infoecunda omnis generationis expers est, licet autem verbum eliciat, merum accidens est; quod autem uterus Virgineus accipit, ipsa substantia est, ac Verbi divini hypostasis.

1589. Ex eo ergo dicitur sermo Gabrielis quasi maritus, aurisque Virginea, uxor; quia attenta mente excepit Angeli vocem, auscultavit

salutationem, audivit verbum, assensum praebuit, et statim Verbi divini hypostasim cum humana natura copulavit, Deumque hominem utero concepit; cuius conceptus puritas ut defaecatior, et ab omni faeculenta sorde semota ostenderetur, hoc dicendi modo utuntur Patres: sicut enim auris prolatum sermonem limpidissime percepit, sic B. Virgo Verbum divinum mundissime audita Gabrielis legatione in uterum transmisit sole puriorem, ac humana natura vestivit. Rem scite depinxit s. Bruno, serm. 4 in Annunc.: *Vide ergo, et intellige, et suscipe Verbum in corde et in utero tuo: Virgo concipies, et Virgo paries, quia per aurem ingredietur in te, qui nascitur ex te. Verbum enim est, et via Verbi auris est; non enim aliter concepit B. Maria, nisi audiendo, et credendo.* Sed perpendas amabo, per aurem dicitur Verbum concepisse Maria, quia semita Verbi auris est; nimirum quia Angelus, et ipse Deus nihil non occlusum, oppessulatum, et obseratum, et obsignatum potuit reperire demptis auribus: hae autem solum reseratae Angelis de caelo missis: reliquae corporis partes omnino clausae, ac imperviae, multiplici custode sigillatae. Huic cogitatui suffragium ferat Guarricus abbas, serm. 2 in Annunt., effraenem nostri aevi licentiam sugillans: *Si verbo Dei apta es, tum demum non modo clausa, sed et signata es. Sit ergo, o Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum, et mens tua ad credendum: auribus percipe verbum Angeli, et corde suscipe Verbum Altissimi, et corpore concipe Filium Dei.* En auris Deiparae soli Angelico sermoni patefacta, et cor ipsius solum Altissimi Verbo reseratum. Quam ex adverso modo foeminae et aures et oculos et corda patula stultiloquio, obmurmurationibus, iurgiis, omni impuritati ac libidini aperiunt; e contra rebus virtutis, Angelis, et Deo omnes sensuum valvas recludant! ita ut nec sermo angelicus, nec ipse Deus, nec motio sancta, ac bonus impulsus semitam ullam adinveniat, qua in cor humanum irrepere possit. Si igitur Verbum est quod concipitur, apte per aurem illabitur, quia per aurem itur ad mentem, et per mentem in uterum descendit; ut per eundem tramitem antidotum incideret, per quem toxicum ac venenum intraverat: quod apte Bernardus expendit, serm. 2 de Pentecoste: *Missus est coluber tortuosus a Diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, et sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel a Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem veniret, et venter ipsius eructaret, ut eadem via intraret et antidotum, qua venenum intraverat.*

1590. Si vero scisciteris: cum Deus solum consensum Virgineum praestolaretur, quo Verbum divinum in uterum illaberetur, et humanam indueret naturam, cur sensibilia verborum signa extorquentur a B. Virgine? Ut quid Gabriel purus spiritus cum sit, sermonem vocalem edit, humanas voces librat, nec a Maria discedit, donec consensum praebeat per verba eterna? Utique sufficeret actus intellectus, et voluntatis, quibus consensus coalescit. Hanc quaestionem ex Suario supra delibavimus, quia nempe oportuit, ut Virgineus consensus humano modo Angelo sub humana forma nuncianti detegeretur; tum quia nuptiae inter Verbum divinum et humanam naturam celebrabantur; adeoque opus fuit ut per sensibilia signa utrimque consensus aperiretur.

Alio etiam ex capite dicitur B. Virgo concepisse per aurem, ut velocitatem formationis foetus ostenderent Patres, ac per hanc loquendi phrasim, instantaneam sobolis organizationem, animationem in utero Mariano commendarent. Nihil enim verbo velocius; ea igitur pernicitate sanguis Virgineus defaecatur, coagulatur, compaginantur organa, membra distinguuntur, solidantur ossa, venarum calculi traiiciuntur, dispunguntur arteriae, libratur caro, corpus figulatur, anima infunditur, corpus et anima inter se copulantur, ac Verbo divino intime adglutinantur, statim atque Maria Angelo subiecit assensum per illa verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Merito igitur mysterium huius conceptus arrogatur auditui, ut huius generationis celeritas panderetur.

PALAESTRA VICESIMAQUINTA

De praestantia dignitatis Maternitatis Dei

CERTAMEN PRIMUM

Maternitatis Dei sublimitas ac celsitudo vestigatur.

1591. Hac de re aliqua praelibavimus, cum de infinitudine B. Virginis sermonem instituimus; nunc alia subiungemus, quibus luculentius Deiparae dignitas innotescat. Maternitas ergo Dei, si in concreto sumatur, physice cohibet in se perfectionem infinitam, quia Mater Dei *ut sic*, formaliter includit Deum; et quamvis non in recto, sed in obliquo Deum claudat, ipsum tamen tanquam partem, seu terminum relationis continet: sic candidum in obliquo formaliter dicit candorem, cum hoc tamen discrimine, quod filius sit extrinsecus personae matris, at albedo intrinseca subiecto candido.

Tametsi ergo dignitas Maternitatis Dei sit physice extrinseca B. Virgini, nempe ratione termini, moraliter tamen intrinseca est. De hac dignitate locutus D. Thomas, 1 p., quaest. 25, ar. 6, ait, *Mariam ex maternitate esse cum quadam infinitate, ratione cuius non potest esse aliqua creatura sublimior.* Quem ita exponunt aliqui, ut non solum non possit esse melior mater, sed nec melior foemina, quia creata fuit cum perfectionibus naturalibus, quam dignam Dei Matrem disponerent: alioquin non multum laudis in personam B. Virginis refunderetur: sicut dignitas sacerdotii quamvis sit infinita, et sublimior produci nequeat, ac proinde sacerdos novae Legis, reduplicative ut sacerdos, non potest excellentior produci; tamen persona humana sacerdotis potest melior, et longe sublimior ac perfectior produci, scilicet cum perfectioribus potentiis, anima, corpore, unione naturalibus; nec dignitas sacerdotii secum importat aliquid perfectionis physicae, quod refundatur in personam humanam seorsim sumptam. Virgo ergo sanctissima ita terminos perfectionis naturalis reliquarum foeminarum transilit, ut nequeat Deus meliorem ac perfectiorem foeminam condere Maria; si enim, iuxta aliquos Doctores, datur ultimus terminus perfectionis naturalis, hunc attigit sine dubio Maria. Imo iuxta mentem Scoti, Durandi et aliorum, datur ultimus terminus gratiae, qui etiam de potentia absoluta praeteriri nequeat; hunc autem attigisse Virginem Deiparam, probabilitate non caret. De quo alibi cum de perfectione animae et corporis Mariani disputavimus, et cum de eius gratiae perfectione.

Haec dignitas ulterius declarari potest sumpto exemplo ab unione hypostatica ad Verbum, quae est ens omnium substantiarum perfectissimum creatum, non solum ratione termini; sed in se etiam, ratione cuius, humanitas Christi non solum est optima in ratione subsistendi, sed etiam absolute; et haec illi convenit excellentia ratione termini, quo subsistit. Similiter Maria non solum est optima matrum in ratione Matris, sed optima inter puras creaturas, ratione maternitatis, cui moraliter ad dignitatem est intrinsecus filius Christus Iesus, tametsi physice sit extrinsecus ipsi; atque adeo maternitas Deiparae est infinita in genere aestimationis, in qua excellentia tanquam in radice fundantur privilegia omnia, beneficia, gratiae, praerogativae, a Deo in Deiparam cumulatissime collata.

Unde solus Deus cognoscere potest huius dignitatis excellentiam, et merito huc afferri possunt verba Eccli. 1.: *Unus est altissimus Creator omnium omnipotens. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est.* Quippe solus Deus, qui talem creaturam mundo dedit, eius decoramenta cognovit, virtutes, et excellentias dimetiri potest, magnitudinem, omnem captum humanum et angelicum superantem ponderabit, ut scite meditatus fuit s. Bernardinus, tom. 2, serm. 51, art. 3, cap. 1: *Tanta*, inquit, *fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur, iuxta illud Eccli.: Ipse creavit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumeravit, et mensus est.*

1592. Ex quo addisces, cur Virgo Deipara a Spiritu sancto obumbretur; scilicet, ut vel inde Mariae magnitudinem divinaremus: quemadmodum olim fuisse fertur pictor ille industrius, qui cum infandi doloris magnitudinem nullo ad vivum penicillo attingere posset, dolentis faciem velo quodam obumbravit. Ea est Mariae magnitudo, ut nullo, vel angelico penicillo exprimi possit; unde merito velamine quodam obducitur, et umbra tegitur divina, quasi nulla eloquentia, nullo verborum penicillo depingi possit; ideo Andreas Cretensis, orat. 1 de dormit Deiparae, ait: *Dei tantum est, Mariam laudare pro dignitate.* Id sine dubio innuerunt Evangelistae; quippe Baptistam et alios iustos laudibus in coelum usque sustulerunt; cum vero ad Mariam ventum est, huius umbrae et silentii velo illam nobis proposuerunt, nihil de ipsius virtutibus, excellentiis, ac gratiae magnitudine, scriptis commendarunt; quia rei magnitudine obruti, umbra et velo usi sunt, ut inde haec omnia aliquo modo coniicerentur. Ita s. Thomas a Villanova, qui ideo Evangelistas siluisse dicit, quia Virginis gloria magis cogitari poterat, quam describi, tom. 2, serm. 2.

Grande profecto mysterium, quod fuerit Virgo sole circumamicta, et tamen obumbrata dicitur! Nonne umbra, et solis splendor opponuntur? Cur ergo dicatur obumbrata, quae sole non solum amicta, sed circumvestita praedicatur, ut patet ex Lectione alia? Et primo pro certo statuo, hic illaesam et intemeratam B. Virginis integritatem coniunctam cum dignitate Maternitatis Dei

innui ; quid enim virginei splendoris deperderet, quae Solem ipsum suo gestabat utero? Dicitur ergo obumbrata, quando sole circumvestitur, ut praestantiam et excellentiam dignitatis Maternitatis Dei innuat, et per umbram ostenditur, lucem hanc esse imperviam et inaccessibilem oculis mortalium ; ita ut dignitatis Maternitatis Dei splendor sit incomprehensibilis, ideo obtegitur umbra: quemadmodum Deus, qui, ut ait Paulus, I Tim. c. 6: *Lucem habitat inaccessibilem;* et tamen *posuit tenebras latibulum suum*, Psalm. 17 : quia licet ob infinitam ac perfectissimam rerum omnium comprehensionem lux sit, quia tamen nequit ab ulla creatura comprehendi, ideo inaccessibilis dicitur, et multa caligine ac tenebris circumfusus : sic cum proportione B. Virgo, ob dignitatem Maternitatis Dei sole circumamicta visitur a Ioanne ; quia tamen haec dignitas omni menti creatae inaccessibilis et incomprehensibilis est, obumbrata dicitur, ac multa caligine obducta ; ideo in Christi generatione recte vocatur ab Habacuc 3: *Mons umbrosus*, ut superius tetigimus. Apte etiam canticum iliud Habacuc, in quo de Incarnatione Verbi in utero Virgineo disseritur: *Oratio pro ignorantiis*, inscribitur, ut incomprehensibilitas mysterii Incarnationis et dignitatis Maternitatis Dei ostenderetur; ad cuius intellectum et captum mens deficit, cognitio etiam Seraphica caecutit, omnis cognitio perstringitur et hebetatur, solumque possumus nostram inscitiam et ignorationem profiteri. Videndus Novarinus in umbra Virginea, excursu 14. Merito ergo foeminae in sui sexus commendationem, Deiparae memoriam nobis perpetuo ob oculos proponunt. Hinc est, quod s. Hugo Lincoln. Episcopus ex sacra Carthusianorum familia, ut habetur in eius vita apud Surium 17 novembris, foeminarum dignitatem his verbis attollere consuevit : *Satis a foemineo sexu Deus diligi promeruit, cum nasci de foemina dignatus est; cum viro concessum non sit, ut sit Pater Dei, hoc tamen praestitum est foeminae, ut sit Dei Parens.*

1593. Grandis mehercle Maternitatis Dei celsitudo, ut ex eo obumbrari videatur a Spiritu sancto, quasi discrimen aliquod Mariana animi submissio subire posset. *Spiritus sanctus superveniet in te*, ait Angelus, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Scilicet opus fuit umbra, ut lux absconderetur, et cognitio occultaretur: sapienti consilio obumbratur Deipara, ne plene calleat, quod honoris fastigium evecta sit, dum in Dei Matrem eligitur; tametsi sedenim animi submissione profundissima inniteretur Virgo B., verum adeo elatum ac sublime est dignitatis Dei Genitricis culmen, tantus eius splendor, ut si plene ac fixis oculis inspiceretur, oculorum acies obtunderetur, adeoque Mariana humilitas in aliquod discrimen venire posset, nisi Dei virtute obumbraretur. Umbrae igitur velamine Maternitatis Dei praestantia tegatur, ne plene et in totum penetrari possit, ne animi demissio, quamvis heroica et in summo gradu constituta arrogantiae alicuius, et elationis periculum adiret. *Necessaria est ergo*, ait Bernardus, ser. 4 in Ps. 9, *haec absconsio, non solum ante oculos alienos, sed multo magis ante teipsum; qualis forsan absconsio fuit, vel obumbratio, quae Mariae facta est ab Spiritu sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile sacramentum.* Quam Maternitatis Dei sublimitatem subodorabatur hebraeus Psaltes, iuxta s. Paciani Episcopi Barcinonensis sententiam, paraenesi ad poenitentiam, ubi haec habet, ut Davidis exemplo ad meliorem vitae frugem alios adhortetur. *Sustinuit illam David, iacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrenti deformis, ille quondam gemmis assuetus, et purpuris: texit in ieiunio animam suam ; cui maria, cui sylvae, cui flumina serviebant, promissasque divitias terra parturiens, madidus lacrymis consumpserat oculos illos, quibus gloriam Dei viderat, et infelicem miserumque se confessus est pater Mariae.* Libet expendere, quorsum s. Praesul praemisit divites regni gazas, regiumque luxum, et postremo loco ponit Davidem extitisse progenitorem Mariae? scilicet instar eloquentissimi oratoris ultimo loco affixit, patrem fuisse Mariae, quia ad rhetoricas leges spectat, ut quod excellens est, prae caeteris in ultimo constituatur loco: ut ergo planum fieret, Davidem longe nobilioribus auctum titulis, ex eo quod de ipsius stirpe oriunda foret Virgo Deipara, quam ob regni opulentiam, protuberantem fortunam, aliaque decoramenta; ideo post illos titulos magnificos, subintulit subtilis rhetor Pacianus, Davidem patrem exstitisse Mariae, tamquam gloriosius stemma stirpis Davidicae, adeoque ultimo loco, iuxta bonae rhetorices canonem, apponendum.

1594. Ad haec, haec Mariana dignitas ex Maternitate Iesu inde etiam perspici potest, quod cum auris audiit vocem illam de coelo detonantem: *Hic est Filius meus dilectus*, poterat aequivocationem pati, anne Patris aeterni vox esset, an Matris Virginis. Cur enim (aliquis scire avebit) illa vox aeterno Patri attribuitur a Mat. 13, cum potius a tota Trinitate prodierit? Solutio est in promptu, videlicet quia Filium compellavit, quamvis Virgineam potius referret similitudinem in habitu. Ea est B. Virginis sublimitas, ut si vox e caelestibus intonet, qua Christus nuncupetur Filius, soli Deo Patri attribui possit, nec alius talem sibi arrogare Filium auderet; cum tamen idem ipse Mariae Filius vere sit et nuncupetur, imo, et cum aeterni Patris Filius in totius orbis theatro coram Angelis et hominibus promulgatur, solius Mariae naturam, habitum et similitudinem praesefert. Verissime ergo protulit Cyprianus de Baptismo Christi : *Non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare; non est in coelestibus agminibus, qui Dominum Iesum suum audeat Filium nominare.* Bene vero Maria, quae in terris est, pleno ore suum vocat, non temerario ausu, sed in veritate et proprietate sermonis. *Hunc igitur*, dicat D. Anselmus, de excellentia Virg., cap. 3, *sibi tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino aequalem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei ve-*

ritate , esse B. Mariae unicum et dilectissimum et naturalem Filium.

Ex dictis quivis deducet, B. Virginem Mariam ratione Maternitatis Dei , constituere quartam personam in dignitate, ut bene expendit Salmeron, tom. 3, tract. 12 , § *Haec vero.* Sedenim post tres divinas Personas , omnium praestantissima persona est B. Virgo, et omnium suppositorum creatorum primum in dignitate et excellentia. In munere autem patrocinandi apud Deum locum tertiae personae obtinet, quia post Spiritum sanctum et Christum Dominum qui causam nostram apud Patrem agunt (diverso tamen modo; Christus enim per seipsum, Spiritus sanctus per nos ipsos, siquidem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus), B. autem Virgo pro nobis Patrem exorat. Est praeterea secunda fortitudine et animi tolerantia ; primum occupat locum Christus Dominus vir dolorum , secundum B. Virgo , quae omnes invictissimos martyres animi robore et sufferentia superavit. Est postremo prima persona in fide , qua cum caruerit Christus Dominus, ipsa omnes Angelos, Prophetas et Apostolos longe in fidei constantia praecelluit.

CERTAMEN II.

Utrum gratia et visio beata sint Maternitate Dei minus bona.

1595. Planissima res est inter omnes , Maternitati Dei esse debitam gratiam, charitatem, visionem beatificam, et alia eiusmodi, quae cum his habent connexionem : dignitas enim Matris Dei universum bonorum omnium cumulum exposcit, tam ordinis naturalis, quam supernaturalis, quatenus in se cohibet formaliter in obliquo Filium Dei , atque adeo iuxta hanc considerationem, dicit ordinem essentialem ad ens supernaturale; ergo dignitati Maternitatis Dei *ut sic*, connaturaliter sunt debita bona, quae sunt supernaturalis ordinis, sicut ipsi Christo , cum proportione: quae enim debita sunt Filio , debentur et Matri cum proportione accommoda , quaeque non involvunt repugnantiam.

Haec dignitas Maternitatis Dei dupliciter sumi solet a Doctoribus, vel proxime et absolute, vel radicaliter et quasi remote. Maternitas Dei primo modo accepta minus bona censetur a communi Doctorum sensu, quam charitas , gratia , et visio beatifica. Quia, dicunt, dignitas Matris Dei physice solum est extrinseca denominatio ; at gratia, charitas et visio beatifica physice sunt intrinsece inhaerentes formae eidem B. Virginis, quarum prima et secunda sanctificat, et reddit animam Deo amicam formaliter; altera illam beat: at solum Maternitas Dei proxime , ut communis docet sententia, nec reddit illam sanctam, nec beatam. Si vero accipiatur secundo modo, dici posset, Maternitatem Dei esse melius bonum gratia , charitate et visione beatifica, et aliis entibus supernaturalibus , quia Maternitas Dei radicaliter exigit gratiarum quandam immensitatem, et supremam, infra Deum, adorationem, impeccabilitatem, gratiam in summo, beatitudinem etiam in summo, prae omnibus puris creaturis, et alia multa plura privilegia.

Si vero opponas, adversari huic dicendi modo Christum Dominum dum ait, Matth. 12, 50: *Qui facit voluntatem Patris mei , qui in coelis est, iste meus frater, et soror, et mater est*, ubi interpretes cum D. Augustino et aliis Patribus constanter sustinent, multo excellentiorem esse gratiam et amicitiam cum Deo, Maternitate Dei: respondet eadem communis Doctorum sententia , ibi Christum Dominum locutum fuisse de Maternitate pure physica, quatenus a se excludit gratiam et reliqua supernaturalia bona; arbitrantur enim , haec seiungi posse a Maternitate Dei: et in hoc sensu interpretes gratiam et Dei amicitiam extollunt prae Maternitate Dei, videlicet in sensu illo primo adducto, non vero loquuntur de illa, secundo illo modo, videlicet de Maternitate Dei radicaliter sumpta.

Secundo , opponi posset: Si Maternitas Dei privaretur suis effectibus, et ipsa Deipara ex suppositione possibili, vel impossibili permissa fuisset labi in peccatum lethale; tunc haudquaquam posset esse maius bonum ipsa gratia , sed longe inferius. Eadem distinctione utitur communis sensus Doctorum: tunc enim, aiunt, non esset melior Maternitas Dei, quam gratia, si Maternitas Dei sumatur proxime et absolute; si vero sumatur in radice , tunc longe maius bonum esset Maternitas Dei, quam gratia: quemadmodum , si Christus ut homo , privaretur visione Beata, non esset tam Beatus sicut D. Michael , radicaliter tamen beatior esset illo , siquidem semper in radice exposceret beatitudinem longe maiorem ; sic cum proportione loquendum de dignitate Maternitatis Dei , quae ad minus est origo ac principium gratiae, quam eminentiori quodam modo in se cohibet; unde iuxta hunc sensum, haec dignitas nobilior multo , et excellentior apparet , et absolute maius beneficium dici potest eligi Virginem in Matrem Dei, quam eligi D. Paulum ad gloriam, quia electio illa excellentiori modo et eminenter continet electionem ad gratiam et gloriam, non utcunque, sed quae debita est muneri Maternitatis Dei.

1596. Rursus Maternitas Dei comparari potest ad gratiam , lumen gloriae et alias supernaturales qualitates , sicut essentia ad proprietates suas: deinde est participatio divinae essentiae secundum longe nobiliorem modum, quam reliqua gratiae dona: Maternitas ergo Dei est omnium supernaturalium donorum principium et radix, et licet Maternitas Dei non esset forma sanctificans, nihilominus perfectior est gratia et lumine gloriae; nam etiam lumen gloriae perfectius est in genere entis, quam visio, licet formaliter non beatificet, quia non est actus secundus; ut enim perfectius sit, sat est, ut beatum reddat in radice , et tanquam principium connaturale visionis: idem esto iudicium de Maternitate Dei in ordine ad gratiam et lumen gloriae , et alia dona supernaturalia, quia scilicet est radix excellentioris gratiae et luminis glo-

riae, ac reliquorum donorum supernaturalium, cui connaturaliter debentur in gradu heroico, ut diximus.

Dignitas ergo Maternitatis Dei comparatur, et confertur in gratia et reliquis donis supernaturalibus, sicut forma, vel essentia ad suas proprietates, et ex adverso gratia, et reliquae formae supernaturales referuntur ad ipsam, sicut dispositiones ad formam. Quare dignitas Matris Dei illis est longe sublimior, sicut forma excellentior est suis proprietatibus ac dispositionibus: alioqui male inferrent Patres ac Doctores ex minori dignitate aliam longe perfectiorem ac sublimiorem. Est igitur dignitas Matris Dei in suo genere infinita, quia est suprema quaedam coniunctio cum persona divina: et sicut ratione unionis debetur humanitati Christi Domini summa gratia et gloria, ita ratione divinae maternitatis debita est Virgini gratia maxima post Christum. In Virgine Deipara, ait s. Thomas fuisse plenitudinem gratiae tali dignitati proportionatam: ita D. Thomas, 3 p., qu. 7, ar. 10. Et D. Augustinus, lib. de nat. et grat., cap. 36: *Inde novimus tantam gratiam illi collatam, quia Deum concipere meruit, ac parere.*

Postremo, si conferatur Maternitas Dei cum substantia animae rationalis, vel Angeli, et quidem in perfectione entitativa, certum videri puto perfectiorem esse animam et Angelum. Assererem tamen, Maternitatem Dei, licet in ratione relationis, sive denominationis extrinsecae videatur minus perfecta, tamen quatenus radix est debitae gratiae, ac donorum Matri Dei, et arctioris unionis cum Deo, esse longe perfectiorem anima rationali et Angelo. Qua ratione dixerat Divus Thomas in 4, distinct. 49, quaest. 1, art. 2, quaestiuncula 1, gratiam, licet in ratione accidentis sit minus perfecta, at qua ordinatur ad perfectius uniendam animam cum Deo, esse perfectiorem anima et Angelo. *Ergo hoc modo*, ait, *beatitudo creata, et gratia sunt aliquid nobilius natura animae, cui inhaerent.* Et 2 2, quaest. 23, artic. 3, ait: *Licet accidens secundum suum esse accidentis, inferius sit substantia, nihilominus secundum specificam rationem, potest esse perfectius suo subiecto, si non manet ex principiis eius, sed ab alia superiori natura, cuius fit participatio, et hoc modo charitas est perfectior quam anima.* Et 1 2, quaest. 113, artic. 9, ait: *Bonum gratiae unius maius esse, quam bonum naturae totius universi.* Sub bono autem naturae etiam substantia animae, et Angeli comprehenditur; sicut ergo ex D. Thoma, gratia excellentius bonum est anima et Angelo, et qualibet alia natura creata; ita potiori iure idem pronunciamus de Maternitate Dei, cui connaturaliter debentur tanquam pedissequae, gratia, dona ac virtutes omnes supernaturales, et alia amplissima privilegia. Eandem sententiam D. Thomae sequitur Valentia, tom. 2, disput. 8, quaest. 4, p. 1, ubi ex Scriptura confirmat Sap. 7, Prov. 8, Iob 28, et ex Augustino, serm. 15 de verbis Apostoli: *Melius est, te iustum esse, quam te hominem esse; si hominem te fecit Deus, et iustum tu te facis, aliquid melius facis, quam fecit Deus.* Ergo sicut ex Augustini sententia, gratia, quae hominem gratum facit, perfectior est, quam anima, quae hominem constituit; ita Maternitas Dei. Adducit etiam Nazianzenum, orat. 4 de sancto Baptismate, ubi ait: *Sicut Deus nos primum creavit, ita creatos instauravit, ac refinxit, et quidem figmento, id est forma diviniori, et primum figmentum, id est animam, multis partibus superantem.* Quod ergo Nazianzenus de gratia fatur, potiori iure de Maternitate Dei dici potest, et quidem sicut perfectius est, esse Deum per participationem, quam esse hominem per essentiam; ita perfectius est, esse Matrem Dei, quam esse creaturam rationalem: perfectior enim est communicatio Dei secundum ordinem gratiae quam secundum ordinem naturae; sed Maternitas Dei est communicatio in gradu supremo secundum ordinem gratiae; ergo Maternitas Dei perfectior est, quam omnis creatura rationalis. Esse igitur Matrem Dei-hominis, perfectius quid est in perfectione entitativa, quam sit animi substantia: nec enim repugnat, speciem constitutam sub genere minus perfecto, ratione differentiae, perfectione speciem superare, sub genere nobiliori existentem, quia potentia imperfecta potest interdum coniungi cum nobilissimo actu; ita species accidentis aliquando poterit esse perfectior aliqua substantia.

CERTAMEN III.

Utrum, si substantia supernaturalis produci possit, esset melior creatura Virgine Deipara.

1597. Non est mei instituti vestigare, an dari possit substantia supernaturalis, sed ex suppositione quod produci possit, instituimus praesentem controversiam, videlicet utrum illa substantia melior ac perfectior esset, quam Virgo Deipara. Futuram perfectiorem inde suaderi facile posset, quia illa substantia esset altioris ordinis, omnem quippe naturam supergrederetur: deinde ei connaturaliter deberentur gratia, visio beata, reliqua etiam dona supernaturalia; quae omnia desiderantur in Virgine Deipara.

Arbitror tamen, Virginem Deiparam, qua Mater Dei est, non fore inferiorem, sed superiorem ac perfectiorem qualibet alia substantia supernaturali a Deo producibili et pure creata, quia Matri Dei *ut sic*, et in sensu composito, connaturaliter deberentur dona omnia ac perfectiones supernaturales, quae essent propriae illius substantiae supernaturalis a Dei producibilis; ergo non esset melior, aut perfectior Deipara. Deinde si verum est, dari terminum ultimum gratiae, qui etiam de potentia absoluta sit ultimus, ut volunt non ignobiles Theologi, et hunc cumulum gratiae collatum fuisse Mariae, ut docent alii, quos protulimus, dum ageremus de Mariano cumulo gratiae; tunc vere pronunciare possemus, nullam aliam creaturam nobiliorem Maria Deipara excogitari posse: quae Deipara adhuc in sensu diviso a Maternitate Dei, talibus perfectionibus fuit condita, ut radicaliter

esset subiectum aptum tanta dignitate, ac reliquis donis, ac privilegiis illam comitantibus. Tertio, Matri Dei iam convenit, esse ordinis supernaturalis; ergo in hoc par esset illi substantiae supernaturali a Deo producibili. Antecedens patet, quia Mater Dei includit formaliter ordinem ad Filium Dei, qui nequit esse sine supernaturalitate. Per quae patet ad rationes in oppositum productas. Roboratur nostrum placitum, quia quaelibet alia substantia a Deo producibilis, et ordinis supernaturalis, non posset speciem desumere, seu perfici in ordine ad perfectiorem et nobiliorem terminum, quam de facto habet Mater Dei; quae etiam ratione potentiarum, proprietatum et accidentium, et ratione respectus in ordine ad Filium Dei, reperitur in gradu perfectionis summo.

Firmatur denuo ex Suario, tom. 2 in 3 part., disp. 1, sect. 2: siquidem dignitas Maternitatis Dei est altioris ordinis, pertinet enim quodammodo ad ordinem unionis hypostaticae, illam enim intrinsece respicit, habetque coniunctionem cum illa. Unde Augustinus, initio lib. de Assumpt., ait: *Huius dignitatis et gratiae effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Bernardus etiam, serm. de Assumpt. et de Nativit. Virg., et super *Signum magnum*, et homil. 2 super *Missus est*, varie hanc effert dignitatem, innuens infinito superare intervallo quidquid sub Deo-homine excogitari potest. Anselmus, lib. de excel. B. Mariae, cap. 2: *Quamvis hoc solum de s. Virgine praedicari, quod Dei Mater est, excedat omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest.* Idipsum sonant Petri Damiani, serm. de Nativit. Mariae, verba: *Quid grandius Virgine, quae magnitudinem summae Divinitatis intra sui ventris inclusit arcanum? Attende Seraphim, et illius superioris naturae supervola dignitatem: et videbis quidquid maius est, minus esse Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.* In hanc rem profunde fatur Albertus Magnus in Mariali: *In hac Annunciatione Beatissima Virgo, ita in circuitu fuit, quod magis coniungi Deo, nisi Deus fieret, non potuit.* Quae verba pleniorem intelligentiam habent ex s. Bernardino, tom. 3, serm. 1, cap. 2, ubi haec habet: *Totus mundus describit quandam intelligibilem sphaeram, cuius centrum est Filius Dei Iesus Christus: haec sphaera multos circulos habet intra se invicem ordinatos; unde tanto circulus est brevior, quo centro vicinior; maximi vero circuli circa hoc Centrum intelligibile, ipsa corporalia sunt, alium circulum complent vitam habentia vegetativam, et dehinc alium sensitiva, et dehinc tertium intellectiva; et inter haec omnia brevissimum faciat circulum B. Virgo, quae per mentis devotionem arctius eum constrinxit, et facta est orbis Filii Dei, de qua Ecclesiasticus cap. 24: Gyrum coeli circuivi sola.* In circuitu ergo fuit iuxta Albertum, quia centro proximior, quia Christo coniunctior.

Nec dicas, substantiam illam supernaturalem a Deo producibilem esse altioris ordinis, utpote supra omnem naturam; ergo illius substantia multo perfectior, et sublimior B. Virgine, cuius natura inferior est modo ipsa natura angelica. Respondeo, verissimum esse, et naturam angelicam et illam substantiam supernaturalem longe nobiliorem esse natura humana B. Mariae nude sumpta: si tamen naturam humanam Mariae sumamus prout evectam ad Maternitatem Dei, cum requisitis perfectionibus, ac gratiarum privilegiis, quae talem dignitatem consequuntur, quaeque sunt debitae illi, quae futura erat Mater Dei; tunc procul dubio longe melior ac perfectior est Virgo Deipara, quam vel quilibet Angelus, vel substantia illa supernaturalis: in his autem collationibus omnes titulos Maternitatis Dei conferre debemus, quorum ipsa radix est et origo.

Oppones: Virgini Mariae ut est ens naturale, non debetur gratia, quae est ens supernaturale; ergo si crearetur substantia supernaturalis, cum huic connaturaliter esset debita gratia, iam esset melior ac perfectior creatura B. Virgine. Respondeo, Mariae Matri Dei deberi gratiam, et alia dona supernaturalia ex debito quodam excellentiae immixto Maternitati, qui est titulus condignitatis, non excludens rationem beneficii: quippe dignissimum est Matri conferri a Filio gratias ac dona, praecipue quae spectant ad statum illum, ac praeservationem ab omni culpa. Et quamvis aliae purae creaturae ex se nullum habeant titulum ad gratiam, nisi illum qui ex uno opere gratiae nascitur ad aliam gratiam: at Maria maximum habet titulum ad maximam gratiam, cum sit Mater Dei; licet enim Maternitas, quatenus est relatio, sit accidens naturale respectivum filii; aliquid tamen supernaturale claudit, ut terminum, ex quo simul cum fundamento consurgit relatio. Ex hoc ergo capite et debito, Deipara dici potest optima inter puras creaturas possibiles, cum ea solum debitum quoddam excellentiae contineat ad maximam gratiam.

1598. Si vero alicui purae creaturae maior daretur gratia, quam de facto contulit Deus B. Virgini, tunc Maria diceretur minus sancta actu, et per accidens; per se autem, et in radice Maria omnibus esset sanctior, si leges Maternitatis servarentur. Maneat ergo tanquam certum absolute, et per se, et quasi ex debito, Mariae sanctitatem esse maiorem omnium creaturarum gratia, ita ut si servetur debita proportio, titulo Maternitatis, nulla possit ab omnipotentia divina conferri maior alicui purae creaturae; sicut nequit dari maius debitum, nec titulus dignior Maternitate Dei. Adfavet nobis s. Thomas, 1 p., quaest. 25, art. 6, ubi docet dari de facto quasdam res adeo perfectas sub aliqua ratione, ut neque ipsae, nec aliae quaecunque creaturae sub illa ratione meliores, aut perfectiores esse possint. *Humanitas*, verba sunt s. Thomae, *Christi, ex hoc quod est unita Deo; et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei; et B. Virgo ex hoc quod est Mater Dei, quae res habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.*

Ex his solutum manet exortum dubium inter plures Doctores, cur B. Virgo ab Andrea Hierosolym. vocetur *Prima natura*, praecipue dum eam cum naturis Angelorum componit; ait enim in serm. 2 de Annunc., ut communiter citari solet, vel, ut alii, hom. 2 in Assumpt. longe post medium: *Mulier, quae caelorum superaverat naturam puritate, Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, Prima natura proxime accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Si ergo B. Virgo natura inferior est Angelis, iuxta illud: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*, cur natura B. Mariae proximior Deo, ac post divinam naturam, prima natura predicatur? Arbitror itaque ex eo dici Primam naturam, naturae divinae propinquiorem, et Angelorum naturis superiorem, imo omni substantia supernaturali, si dari posset, nobiliorem et excellentiorem, quia naturae divinae, quatenus in Patre aeterno existenti similior est, cum eundem cum Patre Filium producat: sicut ergo in Patre natura divina est principium productivum personae divinae: sic Maria dicitur Prima natura, quia virtute divina foecundata, est principium productivum, radix ac fons Divinae personae, quam tanquam vera ac propria Deiparens generat; ad quod munus nulla substantia, nec supernaturalis assumi potest, quae non sit vel Mater Dei, vel alterius personae divinae, vel ipsi unione hypostatica copulata. Omni alia creatura, sive substantia etiam supernaturali, superior existit Virgo Deipara; nullus enim Seraphim gaudet principio producendi, nisi solum per accidens, nec alia supernaturalis substantia aequari posset Mariae in producendi virtute; ait enim idem Andreas: *Et revera omnes superavit, quae sunt in generatione naturae, magnitudine.* Quid ergo mirum, si Maria totius naturae primatum superet, primasque ferat inter naturas rerum omnium, quae produci possunt, etiam profuso Omnipotentiae brachio, cuius venter generat totius naturae Conditorem, eodemque foetu cum aeterno Patre congaudeat? Sicut ergo inter creaturas omnes, quae etiam intra possibilitatis promptuarium concluduntur, primum obtinet locum ratione generationis, et foetus omnium nobilissimi; ita etiam totius substantiae supernaturalis, si produci posset, primatum nanciscitur. Vocetur ergo Maria prima natura, quia ipsam naturam, Deum scilicet, generaverit, totius Auctorem naturae, *qui de natura Virginis naturam suscepit, quam condidit*, dixit Augustinus. Merito laudibus efferat Dionysius Carthus. Mariam, lib. de dignit. Mar., art. 18: *Nihil Deo causalius, nihil eo foecundius, si creatura aliqua nedum consimilis, sed eiusdem quoque cum Deo productrix sit germinis, haud dubium eam Divinitati effectam simillimam cunctis causaliter foecunditatem praestituram omnis foecunditas spiritualis, a tua beatissima foecunditate profluxit. Unde in te tanta foecunditas, nisi correspondens quoque tibi inexisteret bonitas?* Si Mariana bonitas, et celsitudo, ac meritum ex foecunditate et prole eruenda est, profecto infinita et immensa pene existit; siquidem infinita foecunditas ex parte termini producti dici potest.

1599. Hinc arguit Rupertus, lib. 1 de operibus Spiritus sancti, cap. 11, nobiliorem effectum productum fuisse ab Spiritu sancto, quam ab ipso Patre, quia scilicet ex digniori et sublimiori natura, nempe Virgine. *Non ergo,* ait Tuicensis abbas, *melior, aut sapientior est artifex Spiritus sanctus, quam Deus Pater, licet iste novus Adam, qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior ac dignior illo sit veteri Adam, quem fecit Pater; sed melior terra et divinae rationi vicinior a Spiritu sancto materia sumpta est.* Ideo novus Adam Christus excellentior illo protoparente producitur, quia ex Virgine natura nascitur simili naturae Patris quoad foecunditatem, ipsique divinae naturae viciniore super omnes Angelorum naturas. Ex terra Pater edidit Adamum luteum ac terrenum, ex Virgine divinitus foecundata divinae naturae in Patre existenti simillima ac coniunctissima, Spiritus sanctus divinam sobolem produxit.

Virgo ergo Deipara, formosior Angelis et qualibet alia substantia producibili iure dici potest; quia qua Dei Mater, ipso dignitatis iure, omnium sibi perfectionum genera creaturae capacitati congruentia, tanquam sibi ex iure debita deposcit; imo naturalem, ac veluti necessarium ad illa respectum habet. Ornamenta ergo supernaturalia, quibus Maria omnes creaturas superat, ipsam naturali quadam illatione, ac tantae dignitatis iure consequuntur: unde ex hoc capite, illa supernaturalia dona quasi connaturalia ipsi Deiparae, et ex naturali debito proficiscentia dici poterunt. Unde Dei Genitrix ex naturali suae dignitatis debito Angelis natura formosior dici potest, quia angelica natura, licet Seraphica, dignitatis Maternitatis Dei prorsus incapax est. Praeterea naturales Deiparae perfectiones ipsi inditae in primo conceptionis momento, longe praestantiores fuere illis, quae Angelis in primo suae creationis instanti congenitae fuerunt; quibus instructa ac praemunita natura animae Deiparae recte praestantior Angelis, ac formosior dici potest. Neque his refragatur s. Dionysius, lib. de div. nom., cap. 5, ubi Angelos pro foribus s. Trinitatis collocat, ait enim: *Denique sanctissimae illae antiquissimae virtutes cum verissimae sint, et veluti in valvis supersubstantialis Trinitatis.* Ubi Angelos docet esse proximos natura ac perfectione naturae divinae, ac proinde superiores esse omni alia creatura; quippe quod in valvis existere dicitur, id summum propinquitatis gradum cum templo, vel palatio tenere fatendum est: id tamen nihil obstat, imo potius denuo nostrum sensum roborat, hic enim famulorum est locus; at intra s. Trinitatis palatium sedem figit Deipara, tanquam Filia, Mater, ac Sponsa summi Dei; nec decebat Matrem Filii Dei pro foribus existere, sed in secretius cubile introduci, et in intimiori totius s. Trinitatis secessu sedem figere. Huc respiciunt praefata verba Andreae Cretensis: *Mulier, quae coelorum superaverat na-*

turam puritate, in adytorum quae sunt in coelis, Sancta commeans et ingrediens; prima natura proxime accedens ad Deum. Suffragium ferat s. Damascenus, orat. 1 de Nativit. Deip.: *Tota*, inquit, *Deo propinqua; ipsa namque Cherubinos superans, ac supra Seraphinos evecta propingua Deo existit.* His consonant illa Cantic. verba, cap. 1: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Subdit Rupertus, lib. 1 in Cantic.: *Rex non qualiscunque, sed Rex coeli et terrae; nihil enim a me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriavit. Qui enim Verbum suum, quod erat et est in corde suo, mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit? Non enim introductio qualiscunque haec debet intelligi, sed introductio cum iure possidendi; sicut ius est, sponsam legitimam cum tabulis matrimonii in dotem suam introduci.* His adnectenda verba Bernardi non semel data, serm. de verbis Apoc.: *Ut, quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Ergo non solum in valvis sanctissimae Trinitatis versari dicitur Maria, sed ad interiora progreditur, Angelos longa intercapedine post se relinquens, ut perspicue tradit Basilius Seleuc., orat. de Incarnat. Dom.: *Quis*, ait, *quanto eos omnes intervallo post se relinquat, quos Divorum loco habemus, non miretur?* Imo iuxta s. Bernardinum, tom. 3, serm. 1, art. 2, cap. 1, eundem sibi cum Filio vendicat locum: *Si eorum*, ait, *quorum est eadem natura, idem est locus; ipsius autem et Filii eadem est natura; ergo idem locus erit.* Quae omnia aeque probant, Virginem Deiparam longe nobiliorem esse qualibet alia substantia supernaturali, si produci posset.

Dicat nonnemo: non est cur tantopere naturam Virginis Deiparae extollamus ex foecunditate in foetum divinum producendum, cum natura divina Verbi incarnati, haudquaquam fuerit progenita in alvo Virginea, sed solum humana, quam Verbum sibi copulavit. Verum quid inde, cum nec Pater divinus naturam generet in Filio? solum enim Filius progignitur, qui reapse a Patre distinguitur, non natura, quae eadem cum Patre est: idem ergo de B. Virgine proferendum. Audiendus Magister Sent., in 1, dist. 15: *Quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest, et illa res non est generans, nec genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura.* Natura ergo virginea B. Mariae, virtute Altissimi foecundata in prolem divinam, similitudinem, propinquitatem, imo et quandam unitatem cum natura divina vendicare sibi videtur, ac ex consequenti primatum inter omnes creaturas producibiles adsciscere. Quod sapienter Albertus Magnus docet in Mariali, cap. 237: *Singularem Virginalis uteri foecunditatem invenisti apud Deum. Apud, dico, propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturae unitate.*

CERTAMEN IV.

Utrum gratia habitualis, visio beata, et lumen gloriae sint connaturalia B. Virgini, qua est Mater Dei.

1600. De gratia habituali non improbabiliter dicere quispiam posset esse connaturalem Virgini Deiparae, quia convenit a nativitate, iuxta D. Thomam, 3 p., quaest. 2, art. 11, sermonem attexens de gratia habituali Christi et unionis, aitque utramque dici posse naturalem Christo, quia utraque illi convenit a nativitate; sed quia iuxta probabilem sententiam, Adamus et Angeli a prima sui productione gratiam habitualem sortiti sunt, ideoque gratia in eis dici nequit naturalis; idcirco assignari potest discrimen inter gratiam habitualem collatam Angelis, ac primo parenti in prima sui productione, et collatam Virgini Deiparae initio suae conceptionis; nam Angeli et Adamus ita sortiti sunt gratiam in primo instanti, ut eam non habuerint ex vi suae nativitatis, quia ipsorum natura non exigebat eam gratiam: at vero B. Virgo eam gratiam habuit, quae connaturaliter debebatur muneri ac dignitati Maternitatis Dei; cui muneri solum destinata ab aeterno fuit, et in quem solum finem progenita fuit. Vel dici etiam potest connaturalis gratia Virgini Deiparae *ut sic;* quia est veluti proprietas connaturaliter debita muneri Maternitatis, ad similitudinem proprietatum naturalium, quae connaturali modo ab essentia resultant. Gratia itaque habitualis connaturalis dici potest Maternitati Dei, quia hac posita veluti ex aequo, et ex naturali quadam exigentia, illa consequitur, quamvis per divinam virtutem impediri possit: sicut alia plura, quae ex naturali exigentia ab aliqua causa resultant, licet a Deo impediri possint: gratia etiam habitualis connaturaliter fluit in Christo a gratia unionis, quia illam semper consequitur, quamvis a Deo impediri posset. Demum gratia habitualis dicitur connaturalis B. Virgini, qua Mater Dei est, quia licet libere eam conferat Deus, tamen posita Maternitate Dei, ita est quasi debita Virgini Deiparae, ut contra rectum ordinem videretur eam ipsi denegare, sicut multa alia accidentia dicuntur ex hoc capite connaturalia supposito.

Verum ex his, quae Palaestra sequenti dicemus, tanquam necessarium corollarium deducitur, gratiam habitualem, visionem beatificam, ac lumen gloriae esse dona debita ex natura rei Virgini Deiparae, qua Mater Dei est. Si enim Maternitas Dei est forma sanctificans superioris ordinis, ei connaturaliter etiam debetur gratia habitualis, ac reliqua dona supernaturalia illam comitantia; ad eum modum, quo universa Theologorum schola admittit in Christo Domino gratiam habitualem tanquam ex naturali exigentia debita gratiae unionis, quae superioris est ordinis, et postulat gratiam habitualem, ac reliqua supernaturalia dona, ac decoramenta tanquam pedissequas tantae Reginae: sic cum proportione loquendum de Maternitate Dei, quae cum sit forma sanctificans altioris ordinis, petit quasi ex natura rei gratiam sanctificantem,

ac reliqua supernaturalia dona, tanquam sibi debitum comitatum.

1601. Speciatim vero de lumine gloriae, et visione beata esse connaturalia, ac ex natura rei debita Virg. Deiparae, qua Mater Dei est, inde suaderi potest, quia hoc lumen et beatitudo debetur naturae rationali, quatenus praedita est forma sanctificante; sed Maternitas Dei est forma sanctificans, ut supponimus ex sequenti Palaestra; ergo lumen gloriae ac visio beatifica debetur ex natura rei Virgini Deiparae, qua Mater Dei est: ideo forsan a s. Epiphanio, orat. de B. Virg., vocatur Opus gratiae connaturale Mariae, ait enim: *Laetabantur Angeli, tanquam ipsi duntaxat Deum haberent, quibus sanctissima Virgo superior nata Deum habitantem in coelis concepit in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheretur in terram, et versaretur cum hominibus; ipsa est enim terrae et coeli Mediatrix, quae unionem naturaliter peregit.* Vides, quomodo opus, quod solius proprium est gratiae, ipsi B. Virgini tanquam connaturale attribuat? Quia videlicet cum fuerit Mater Christi, ex hoc principio opera gratiae, et quidquid naturam transcendit, est quasi opus connaturale Virgini Deiparae. Eodem sensu, licet longe potiori iure ac titulo vocat Dionysius Alexand. apud Vasquium, de Incarnat. d. 24, sect. 2, effecta gratiae in Christo opus naturae: *Et ob hanc causam*, ait Dionysius epist. contra Paulum Samosatenum, *plane apparebat, quod Christus magna puritate, et iustitia, quae conferri non possit, Ioanni antecelleret; quia in Ioanne quidem erat opus et labor iustitiae, in Iesu vero natura.* Et in eadem epistola iustitiam, seu sanctitatem et gratiam, qua Christus sanctificabatur secundum humanitatem, vocat naturalem: *Et omne genus hominum a parvo usque ad magnum, charitate Dei erga homines, et misericordia indigemus, Christus vero non in exercitatione ostensus est per fidem, et pietatem in Deum, ut iam dictum est; naturalis enim iustitia, et divina virtus eius est.* Et Basilius Magnus in Psal. 44, Christum alloquens, sic fatur: *Reliqui homines labore, et exercitatione, ac attentione saepe acquirunt affectionem ad bonum, et aversionem a malis: Tibi vero naturalis quaedam est coniunctio ad bonum, et abalienatio ab iniquitate.* Quae omnia egregie, cum proportione tamen, in B. Virginem cadunt.

Rursus assertum nostrum roboratur, quia ius condignitatis ad gloriam est proprium et connaturale formae sanctificanti; sed Maternitas Dei est forma sanctificans; ergo ipsi connaturale est ius ad gloriam, ac proinde visio beatifica et lumen gloriae ipsi B. Virgini, qua Mater Dei est, erit connaturale: tota enim ratio, cur iustus habeat ius ad gloriam, est, quia per gratiam habitualem particeps fit Divinitatis aliquo modo, ipsique Deo assimilatur; hanc autem participationem et assimilationem cumulatius sibi vendicat B. Virgo per Dei Maternitatem.

Tertio, bona filiorum, ipsius naturae ductu, potestati parentum subiiciuntur, propter unitatem et identitatem, quae inter filios et parentes intercedit. Quod etiam Iustinianus confirmat in § *Sed nos*, Instit. de Senatus Consult. Tertulliano: ubi rationes adhibet, ob quas id verum sit ex lege naturali depromptas; ait enim: *Sed nos constitutione, quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subveniendum esse existimavimus: respicientes ad naturam, et puerperium, et periculum, et mortem saepe ex hoc casu matribus illatam*, etc. *Et dedimus ius legitimum plenum matribus, ut sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.* Quaecunque filius obtinet, necessario in parentes redundant, ubi enim identitas reperitur, non potest esse bonorum discretio; sed Filius Mariae natura sua beatitudinem obtinet; ergo natura ipsa, et ad exigentiam ipsius, beatitudo in Matrem redundat.

Ultimo, quia, ut alibi ostendimus, B. Virgini, qua Mater Dei est, competit verum dominium in omnes res creatas, etiam supernaturales in terra et in coelis: quod probat Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disput. 79, sect. 7. Ergo ex hoc dominio, quasi naturali sequela gloriam sibi adsciscit; gloria enim unum et principalius bonum est filii: ergo iure naturali ipsi gloria debetur. Opportune Anselmus, de excellentia Virginis, cap. 9, nobis succurrit: *Super hoc, cum ipsam Dominam, per quam tanta bona illis provenerunt, prae oculis habuerint, iuxta Deum, quem de suo utero Virgo peperit, residentem, et iure materno coelo terraeque cum eodem Filio suo praesidentem.* Ubi iuri naturali materno defert quasi debitum dominium ac praefecturam in omnia creata sanctissimus Praesul. Eodem modo loquitur Damascenus, orat. 2 de Assumpt.: *Oportebat, Dei Matrem ea, quae Filii erant, possidere: quamquam enim semper ita comparatum est, ut haereditas a parentibus ad filios devolvatur, nunc autem, ut eruditi cuiusdam viri verbis utar, sursum sacrorum fluminum fontes fluunt; etenim filius Matri res omnes conditas in servitutem addixit.* Ubi ex Maternitatis titulo ius in regnum Virgini Deiparae attribuit. Auxilium praebet Rupertus in cap. 4 Cant.: *Haec in coelis Regina Sanctorum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum; ac proinde Regina constituta, totum iure possidet Filii regnum.*

PALAESTRA VICESIMASEXTA

Utrum Maternitas Dei sit forma sanctificans

CERTAMEN PRIMUM

Proponitur status controversiae

1602. Ingeniose satis noster Gregorius de Valentia, tom. 4, disput. 2, quaest. 1, p. 2, ex eo quod Virgo Deipara in quocunque genere gratiae praeexcellentis, et benevolentiae divinae, peculiari quodam et insolito modo, inter omnes puros homines excelluerit, infert etiam in genere gratiae sanctificantis, nobiliori et insolito modo, non quoad intensionem solum, sed alio genere gratiae altioris ordinis reliquas omnes rationales creaturas antecellere: etenim excessus quoad gradum duntaxat intensionis, et perfectionis alicuius doni, seu formae, vel quoad celeritatem in participando aliquo dono, non est modus aliquis rarus et insolitus ac peculiaris, cum commune sit aliis atque aliis inaequaliter participare donum aliquod quoad intensionis gradum, et etiam quoad tempus. Quod autem B. Virgo peculiari et insolito modo in quocunque gratiae, et benevolentiae divinae praecellentis genere divinitus exornata fuerit, probari potest ex Scriptura et Patribus insolito ac peculiari modo Mariae laudes, gratias ac privilegia extollentibus. Gabriel enim eam salutans ait: *Gratia plena;* quod participium graecum appositum fuit sine articulo; quod dum fit, insolitum aliquid et singulare, et quod nulli alteri adaptari possit, innuit, ut notat Franciscus Turrianus e Societate nostra in epistola ad Iacobum Amiotum Episcopum Antisiodorensem, cum Apollonio pervetusto Grammatico. Addit Gabriel alia plura verba hanc gratiae singularitatem denotantia, nempe: *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: invenisti gratiam apud Deum.* Huc spectat laus Elisabethae de Spiritu sancto erudita, dum vocem contendit, et ait: *Benedicta tu inter mulieres.* Eodem pertinent, quae ipsa Virgo Deipara protulit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Praesens igitur disceptatio in eo sita est; nempe, an dignitas supernaturalis Maternitatis Dei tanta sit, ut se sola a gratia habituali praecisa, repugnantiam moralem involvat cum peccato, quemadmodum de gratia habituali controverti solet ab Scholasticis; licet nullam inducat repugnantiam physicam cum peccato, neque importet impotentiam physicam ad peccandum. Deinde videndum etiam, an haec dignitas Maternitatis Dei derivet in operationes supernaturalium virtutum proficiscentes a supposito, in quo inest meritum condignum gloriae, constituatque subiectum, in quo residet, aeternae Beatitudinis haeredem: quae tria sufficiunt, et desiderantur, ut aliqua res sit forma vere sanctificans, eaque sola iuxta nobiliores Theologos, gratiae habituali deferri solent. De quo videndus Ripalda de ente supernaturali, tom. 2, dis. ult. Hoc autem animadvertendum est discrimen inter gratiam habitualem et Maternitatem Dei, quod scilicet gratia habitualis non pugnet cum morali potentia ad peccandum; siquidem gratia habitualis facile deperdi potest et deperditur per peccatum: at Maternitas Dei est inamissibilis, ac proinde semper secum adducit moralem impotentiam ad peccandum; et iuxta hanc considerationem Maternitas Dei praeponenda est gratiae habituali.

1603. Quod autem Maternitas Dei omnem naturam praetergrediatur, et ad ordinem rerum supernaturalium spectet, facile deduces ex superioribus, et ex sacrae Scripturae ac Patrum locutionibus perspicue constare potest: modo enim vocatur Miraculum miraculorum, ex illo Apoc. 12: *Signum magnum apparuit in coelo;* modo asseritur Divinitatis terminos attigisse, et ultra omnem naturam supergressam fuisse. Nunc solum audiamus Richardum de s. Laurentio, lib. 1 de laudib. Virg., cap. 6: *Benedicta,* inquit, *super omnes mulieres, quia nulla alia accepit unquam, quod ipsa habuit, videlicet, quod Virgo peperit, et Deum genuit; quod non tantum super omnes mulieres, sed super omnem naturam, et omnem intellectum fuit.* Adeoque spectat ad ordinem supernaturalem gratiae. Ratione etiam suffulciri potest, quia ratio supernaturalitatis constitutiva in eo sita est, quod res superet omnem connexionem physicam, et intentionalem naturae; atqui Maternitas Dei id totum habet; erit ergo supernaturalis. Primam propositionem pluribus demonstrat noster Ripalda, tom. 1, disp. 4 et 5. Secundam propositionem facile ostendere possumus ab exemplo simili: sicut enim quod Verbum divinum caro factum generetur a Virgine, praetergreditur omnem naturae connexionem, ac proinde in censum rerum supernaturalium venit; ita etiam quod Virgo Deum-hominem gignat, ac constituatur vere et proprie Dei-hominis Genitrix. Si enim postremum viribus naturae, aut fieri, aut cognosci posset, similiter et primum, cum sint correlativa; praecipue in communiori sententia, cui adhaesi, dum Metaphysicum agerem, quae adstruit, relationem Maternitatis non distingui a fundamento et termino, sed utrumque in suo conceptu formali complecti: ergo excellentia supernaturalis Verbi divini humanitati Christi coniuncta, quam essentialiter respicit Dei Maternitas, complet constitutivum ipsius Maternitatis Dei; ergo ex hoc capite, quantumvis reliqua deficerent, Maternitas Dei fines naturae transcendens supernaturalis ordinis limites ingreditur. Imo in quarumlibet opinione pro hac parte standum est; siquidem alterum extremo-

rum, ut possit resultare relatio Maternitatis Dei, supernaturale est, nempe Christus, adeoque non poterit resultare relatio naturalis, sed supernaturalis: sufficit enim, ut effectus sit supernaturalis, ut necessario requiratur aliquod principium supernaturale ad illius resultantiam.

1604. *Ne timeas,* ait Angelus, *invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, et paries filium.* Gratiane potuit progignere Filium, an natura? Immediate enim post vocem gratiae, adiicit: *Ecce concipies,* quasi gratia foret principium productivum Filii in Virgine Deipara; hoc autem principium nihil aliud est, quam natura B. Virginis, qua Mater est; sicut natura Patris aeterni, prout Pater est, generat Filium. Quod subindicare visus est D. Bonaventura, in speculo B. Mariae: *Vide,* inquit, *quomodo Gabriel asserens Mariam invenisse gratiam, statim eam gratiam specificans subiunxit: Ecce concipies in utero. O quam magnum, et omnibus saeculis inauditum, quod Virgo in utero concepit!* In eundem sensum collimant verba Eusebii Emisseni in cap. 1 Luc.: *Invenisti gratiam: Si vis audire quam gratiam? Ecce concipies in utero: haec causa illius salutationis.* Et quemadmodum gratia unionis in Christo efficit sanctam Christi carnem, ita suo modo Maternitas Dei sanctam reddit B. Virginis carnem, ut bene ponderat Epiphanius in Anchorato: *Maria sola gratiam invenit, et in ipsa elegit sanctam carnem, et propterea est in illa, in qua ipsi bene complacitum est.* Sicut ergo in Filio Pater bene sibi complacuit propter gratiam unionis, ita sibi etiam complacet in Maria propter gratiam Maternitatis Dei. Sed maxime hoc loco animadvertendum est discrimen inter gratiam Maternitatis Dei, et gratiam habitualem reliquorum iustorum; haec enim est radix et origo visionis Dei, et visio Dei est quasi effectus ipsius, at gratia Maternitatis est radix, et origo Dei-hominis, nempe Christi, qui effectus est immediatus a gratia maternitatis proveniens, cui ulterius debita est visio Dei perfectissima. Gratia habitualis solum est principium productivum accidentium, videlicet visionis et amoris Dei, reliquorumque actuum supernaturalium: at gratia Maternitatis etiam produxit substantiam nobilissimam, scilicet Filium Dei. Ita Augustinus, lib. de Assumpt. Virg., cap. 1: *Sanctificante Spiritu sancto in Virgine uterum humanum ad conceptionem Filii tui, cuius dignitatis et gratiae effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Subscribit Dionysius Carthusianus, lib. 2 de dignitate Mariae, art. 18: *Haec nempe gratiae suae altitudo consistit, quod veri omnipotentisque Dei vera Mater facta est, quae, ut opinor, comprehendi nequit.* Id sonant verba Chrysologi, serm. 142: *Virgo, te gratia Matrem praestitit, non natura.* Gratia ergo in B. Virgine naturam sibi adscivit, et Mater Dei efficitur; ita ut Dei Maternitas, et gratia unum, et idem sit in B. Virgine, adeoque Maternitas Dei omnem naturam supergressa supernaturalium rerum numerum auxit. Ad gustum nostrum fatur s. Ephraemus de margarita pretiosa: *Naturam excipiens gratia, non amplius esse corruptibilem passa est: verum sibi ipsam adiunxit, atque ita facta est sancta Maria, non iam mulier, sed Virgo et gratia plena.* Quasi virginitas et gratia Mariam ultra terminos naturae evexerint, eamque intra terminos rerum supernaturalium collocaverint.

1605. Rursus statuimus hic gratiam gratum facientem ex sua natura nullam secum afferre pugnantiam physicam cum peccato, sed solum moralem, nempe ex indecentia et incompossibilitate morali inter peccati foedissimam turpitudinem, ac vitalitatem cum pulcritudine, et celsitudine divinae gratiae hominem Deo gratum et amicum reddentis. Imo gratia ex natura sua, et ratione constitutiva non constituit hominem filium adoptivum Dei, sed solum conducit condignitatem in actu primo, ut assumatur homo, et adoptetur in filium Dei: hinc docent Theologi peccati condonationem, et actualem acceptationem hominis in adoptionem, et haereditatem beatitudinis ex parte Dei, novum esse donum, ac beneficium ab infusione gratiae habitualis. Illud tamen est certum, dignitati gratiae iustificantis deberi habitus, sive principia supernaturalia ad operationes supernaturales. Per quae sat bene intelligitur, qua ratione gratia habitualis sit et dicatur naturae divinae participatio. Quod recte illustrat Ripalda, disp. illa ult., tom. 2.

His ita praemissis, ac veluti primoribus labiis ex tractatu de gratia delibatis, disquirimus hoc loco, an Maternitas Dei, se sola reddat B. Virginem Deo gratam, iustam ac sanctam, ita ut sola Maternitas Dei seiuncta a gratia habituali, et ab omni alia forma sanctificante, constituat Deiparam formaliter Deo amicam, ac ipsius filiam per adoptionem, ac aeternae felicitatis haeredem. Non est autem animus affirmare, et adstruere opera Deiparae de facto non hausisse suam condignitatem a gratia habituali, sicut reliqui iusti ab hac gratia omnium suorum operum meritum desumunt: imo censemus etiam B. Virginem a gratia habituali condignam reddi beatitudinis aeternae. Imo ipse Christus ab hac lege non fuit exceptus, quia omnes actus supernaturales ac naturales virtutum acquisitarum de facto supponunt ex lege Dei gratiam habitualem, tanquam omnis meriti radicem, a qua extrinsece afficiuntur et informantur; ac Deus acceptat omnes Christi operationes ad praemium ex omnibus titulis condignitatis et aestimabilitatis, quam habent. Siquidem iuxta concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, gratia habitualis in omnibus iustis requisita ad condignitatem meriti, est instar vitis influentis in palmites: non est autem, cur opera Deiparae a reliquis iustorum operibus, quoad hanc partem secernamus. Quocirca hac posita lege Dei, ex natura rei praerequiritur in Virgine Deipara gratia habitualis, ut ipsius operationes condigne gloriam promereantur. Hic ergo vestigamus, an opera B. Virginis ex sola maternitate Dei essent condigna gloriae, vel quia Deus seiungeret a Maternitate Dei gratiam habitualem, vel quia

simul existente gratia habituali, et Maternitate Dei, ex solo titulo Maternitatis Dei redderentur condigna praemio, et Deus illa acceptaret ad gloriam. In qua controversia P. Ioannes Martinez de Ripalda omne tulit punctum; in cuius veritate eruenda altiorem impressit sulcum: cuius vestigiis insistentes, quae ille diffuso calamo tradidit, nos brevius exagitabimus.

CERTAMEN II.

Ex praestantia dignitatis Deiparae ostenditur, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem.

1606. Maternitatis Dei sublimitas toto hoc opere adlucet, plura enim Patrum dicta sparsimus, quae infinitudinem et immensitatem quandam ipsi adscribunt: quae infinitudo in gratiam habitualem B. Virginis cadere nequit; nullus enim usque modo gratiam habitualem in Deipara infinitam esse fassus est; ac proinde Patrum elogia, immensam esse gratiam Deiparae proclamantia, solum de gratia Maternitatis Dei intelligi queunt. Richardus de s. Laurentio, lib. 1 de laudib. Virg., cap. 4, gratiam Maternitatis sic effert: *Omnis creatura alia aliquid habet vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potuit; ipsa autem Virgo sic usquequaque gratia plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa Divinitati uniretur, hoc est, nisi ipsa esset Deus. Haec est plenitudo, de qua dicit Angelus: Ave gratia plena.* Ubi Maternitatem Dei eam esse gratiam et sanctitatem docet, quae, dempta gratia unionis, maior est omni gratia creata: quod autem loquatur auctor de gratia et sanctitate Maternitatis Dei, ex eo convincitur, quia gratia habitualis nova augmenta in dies accipiebat; at augmentum gratiae et sanctitatis Maternitatis Dei nullum esse poterat, ac proinde haec sola omnem Mariae vacuitatem, ac sinus omnes et recessus replevit: nec potuit illi alia maior gratia advenire, nisi sola gratia unionis hypostaticae. Idem lib. 8 ait: *Solus Deus pensare sufficit, et metiri magnitudinem Matris suae.* S. Anselmus, lib. de excel. Virg., cap. 8: *Quid amplius dicere possum? Immensitatem quippe gratiae, et felicitatis tuae considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* Damascenus, orat. 1 de dormit. Virg.: *Dei Matris, et servorum Dei infinitum est discrimen.* Albertus Magnus in Mariali, cap. 230: *Filius infinitat Matri bonitatem; omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur, unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu, infinitam quantum ad hoc, ostendit in arbore bonitatem.* Dionysius Carth., lib. 1 de praeconio Virg., art. 8: *Palam est, Christum sine mensura omnis gratiae plenitudinem obtinuisse; huic plenitudini, gratiaeque infinitae Maria vehementer appropinquat.* Huc revocant aliqui ex Patribus illud Eccles. 1: *Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et mensus est.* Plura huius coloris passim toto hoc Volumine reperies. Huc etiam revoca Patres, qui aiunt Deiparam cum Filio cognationem habere, et cum Deo, quique eam in confinio Divinitatis collocant, et primam dignitate post Deum depraedicant.

Nunc agendum ratione: Dignitas Maternitatis Dei est sublimior ac praestantior dignitate gratiae habitualis: ergo sicut gratia habitualis reddit subiectum, cui inhaeret, sanctum ac Deo gratum; ita et Dei Maternitas. Antecedens patet ex sanctorum Patrum locutionibus, quibus Dei Maternitatem efferunt et extollunt, soli Deo et unioni Hypostaticae inferiorem esse suffragio suo contestantes, eamque infinitam, immensam, incomprehensibilem ac primam post Deum esse adstruentes, ut vidimus. Quae quidem encomia in gratiam habitualem B. Virginis cadere non possunt, cum hanc nemo usque adhuc infinitam vel immensam esse fassus fuerit. Recte autem laudes illae a Patribus in B. Virginem congestae soli Maternitati Dei attribuuntur, quia ex infinitate sui termini, nempe Filii, ducunt originem. *Quaeritis*, inquit Eucherius in Nativ. Virg., *qualis Mater? Quaerite prius, qualis Filius?* Idiota Sapiens de Virg. Maria, cap. 2: *Nemo aequalis est tibi, nemo maior te, nisi Deus.* Et Epiphanius, orat. de laudib. Virg.: *Solo Deo excepto, cunctis superior existis.* Anselmus, tr. de concep. Virg. et peccato originali: *Decens erat, ut ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* S. Bernardinus, tom. 1, serm. 51, art. 2, cap. 10: *Excepto Christo, tanta gratia Virgini a Domino data est, quantum uni purae creaturae dari possibile est.* Quae Patrum dicta nequeunt commode de intensione gratiae habitualis existentis in Deipara explicari; potuit enim ulterius novam accessionem, novos et auctus facere intensioris gratiae habitualis: sermo igitur est apud productos Patres de gratia Maternitatis Dei, quae nullum incrementum accipere potest.

Veniamus modo ad consequentiae illius propositi enthymematis probationem, quae inde petenda est, quod fieri non possit in ordine supernaturali, ut dignitas et praestantia alicuius formae superet nobilitate et excellentia gratiam habitualem, et non vendicet sibi omnes effectus formales proprios sanctitatis; si enim Maternitas Dei est nobilior ac praestantior gratia habituali, ergo Deo amabilior et gratior ipsa gratia habituali: quo enim res aliqua praestantior ac melior est, eo etiam amabilior et gratior est; ac proinde maiorem dignitatem confert personae, cui inest, et operibus a tali persona prodeuntibus maiorem aestimabilitatem ac valorem impertiet: quod si Maternitas Dei pulcrior est gratia habituali, omnem peccati foeditatem procul arcebit a subiecto, cui inest; nequit enim in eodem subiecto compati maior formositas, quam ea quae inest gratiae habituali, cum faeculenta et horrida peccati turpitudine; qui omnes effectus attribui solent gratiae habituali propter praestantiam ipsius et pulcritudinem; cum ergo Maternitas Dei sit longe nobilior, praestantior ac pulcrior quam gratia habitualis, potiori etiam iure hos omnes effectus gratiae habitualis Maternitati Dei deferemus.

1607. Haec eadem ratio novum robur acci-

pit inde, quod in humanis maternitas naturalis potior, praestantior et amabilior est filiatione adoptiva, maioremque aestimabilitatem, dilectionem et observantiam, ac reverentiam apud filium naturalem promeretur, quam filiatio adoptiva; ergo similiter in ordine supernaturali, maiorem amabilitatem, aestimationem et dilectionem apud Filium Dei et Mariae promerebitur, et extorquebit Maternitas Dei, quae Virginem Matrem naturalem Dei constituit, quam filiatio adoptiva, quae reperitur in gratia habituali reliquorum iustorum; ergo nequit non competere Maternitati Dei perfectio, ac nobilitas et pulcritudo sanctificandi subiectum, gratumque faciendi, quae reperitur in gratia habituali ratione suae perfectionis et excellentiae.

Cur enim filiatio Dei adoptiva constituet hominem amicum Dei, atque adeo sanctum et haeredem regni; et Maternitas Dei-hominis naturalis non constituet B. Virginem Deo gratam, et amicam, ac regni haeredem? Quis enim eat inficias, maius quid esse et longe excellentius, esse Dei-hominis Matrem naturalem, quam esse filium adoptivum Dei? Modo sic: Maternitas Dei est forma constituens B. Virginem Matrem naturalem Dei-hominis, ergo est sanctitas: patet consequentia, quia Maternitas naturalis Dei-hominis in genere naturae et moris, perfectior est filiatione adoptiva; ergo sicut filiatio adoptiva habet ius ad haereditatem, includit rationem specialem amoris, estque expulsiva peccati, atque adeo sanctitas; ita etiam Maternitas naturalis Dei-hominis. Roboratur, quia sanctitas vel est puritas immaculata, vel rectitudo universalis, vel in actu primo et in radice, vel in actu secundo: at haec omnia recte competunt Maternitati Dei, potiori titulo quam filiationi adoptivae Dei; ergo est forma sanctificans. Deinde, Maternitas Dei cum B. Virgine facit unum principium operationum rectarum, sicut filiatio adoptiva cum homine facit unum principium operationum bonarum.

Secundo, veritas huius asserti ostendi potest, quia Virgo Deipara iure ac debito Maternitatis Dei naturalis, verum sibi arrogat dominium in omnes creaturas, Angelos et homines, coelestia ac sublunaria, ut latius suo loco evincimus; ergo ex solo titulo Matris Dei, praecisa gratia habituali, sibi sanctitatem superioris ordinis adsciscit. Nunc in probationem antecedentis solum verba Athanasii producam, hom. de Deipara: *Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est Deus; eapropter et Mater, quae eum genuit, et Regina et Domina proprie, et vere censetur.* Vere, ait, et proprie; ut omnem sermonis improprietatem, et omnem metaphoricam locutionem secludamus. Consequentia satis patet, quia hoc ius dominii in omnes creaturas, quo gaudet B. Virgo propter Maternitatem Dei, arguit hanc dignitatem longe antistare gratiae habituali: siquidem in nullam gratiam habitualem quadrare potest hoc ius dominii praestantius; atqui gratia habitualis, quae longe inferior est Maternitate Dei, est forma sanctificans, gratumque reddens hominem Deo; ergo et Maternitas multo potiori iure hunc sibi effectum vindicabit. Quippe ex proprietatibus nobilioribus nobilior, ac praestantior rei natura demonstratur; sed ius dominii in coelestia et sublunaria, quod maternitati Dei tanquam proprietas competit, nobilius est, quam proprietas omnis, quae in gratiam habitualem cadat; ergo ex hoc iure dominii recte deduci potest, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem. Huic rationi nova vis accrescit ex eo, quod B. Virgo, qua Mater Dei, habet etiam dominium in omnes coelestes ac beatos spiritus tam angelicos, quam humanos, ex iure naturali Matris Dei; sicut ergo Filius ius habet, ac dominium in Beatos, ita et Mater Dei: ergo qua Mater Dei, est omnino sancta, seclusa gratia habituali; repugnaret enim omnino Beatos teneri obtemperare ei creaturae, a qua sanctitas exularet, praesertim cum in contraria sententia nihil repugnet componere Maternitatem Dei cum peccato, tunc B. Virgo adhuc retineret dignitatem Maternitatis Dei, adeoque imperium super Beatos ac daemones, qui omnes tenerentur obedire ipsi, ac daemones illi tanquam Imperatrici subderentur, quorum tamen ditioni ipsa Mater Dei esset subiecta, tanquam vile mancipium: quae secum pugnantiam involvunt. Quod autem Deiparae imperium in coelites protendatur, expresse attestatur s. Bonaventura in speculo, cap. 3: *Virgo revera Domina est caelestium, terrestrium et infernorum.* Adfavet Richardus de s. Laurentio, lib. 4 de laudib. Virg.: *Tamen excellenter potens est in Ecclesia triumphante, unde dicit Eccles.* 14: *In Hierusalem superna potestas mea, imperandi scilicet quod volo Virtutibus angelicis, et animabus sanctis, et faciendi ad beneplacitum meum, et quos volo introducendi.*

1608. Tertio, quia, ut alibi ostendo, Deipara ius patrium habuit ad Filium ac dominium iure Maternitatis; ergo innuit in B. Virgine dignitatem longe nobiliorem dignitate gratiae habitualis, ac proinde sanctificantem altiori sanctitate: eo enim aliqua dignitas superior et sublimior est, quo superiorem et sublimiorem observantiam a personis dignioribus sibi deposcit; atqui dignitas Matris Dei iure naturali sibi flagitat observantiam hominis-Dei, quam nulla gratia habitualis sibi vindicare potest: ergo longe sublimior est dignitas Maternitatis Dei, dignitate gratiae habitualis; ergo et longe altiorem sanctitatem secum affert. Firmatur, quia Maternitas Dei maiorem efficaciam sortitur suis precibus apud Deum, quam dignitas gratiae habitualis in foemina, non existente Matre Dei; imo si componamus preces Matris Dei sine gratia habituali, cum aliis similibus fusis a foemina non Genitrice Dei, nec habente gratiam habitualem, forent sine dubio apud Deum primae maioris ponderis et efficaciae, quam secundae; ergo dignitas Matris Dei efficaciam et valorem tribuit operibus prodeuntibus a Matre Dei: imo ea opera merito dicat aliquis esse digniora apud Deum aliis operibus, quae fierent a persona, quae non foret Mater Dei, quantumvis gratia

habituali condecoraretur; nam, ut vidimus, Patres dignitatem Maternitatis Dei ita evehunt, ut illam imperantem Filio Dei constituant, ac proinde Maternitas Dei sua sublimitate et excellentia maiorem valorem confert suis operibus, quam quaecunque gratia habitualis reliquorum iustorum. Quis igitur credat, personam infinite sanctam, nempe Filium Dei, iure naturae debere obsequia, observantiam et obedientiam praestare personae nulla sanctitate affectae, qualem filius teneretur conferre matri suae, etiamsi gratia habituali destitueretur? Et quod maiorem pugnantiam involvit, si Mater Dei gratia habituali nudata esset, ac cum peccato composita, quod in contraria sententia nec physice, nec moraliter ullam implicantiam includit; tunc duo moraliter contradictoria coirent in unum, quia Filius Dei Matrem ratione peccati tanquam inimicam aversaretur, ac cultum et obsequium ipsi merito denegaret; ratione vero filiationis, iure naturali, ei teneretur benevolentiae et honoris signa praebere, quae omnes filii parentibus exhibere tenentur, ipsius ductu naturae: ne igitur in haec absurda deveniamus, asserendum est, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem, nec componi posse cum peccato.

Nec dici potest, Christum Dominum voluntate humana reveriturum in illo eventu Matrem suam, honore et amore prosecuturum, at voluntate divina, odio eam habiturum; nam totum suppositum illud, nempe Christus, est Filius Mariae; ergo non solum natura humana secundum voluntatem humanam, sed etiam Christus secundum voluntatem divinam teneretur obsequi et revereri Matrem, quia honoris et obsequii actiones a supposito eliciuntur: difficulter autem admodum idem suppositum, etiam iuxta varias naturas Dei Matrem amore simul et odio, honore et contemptu prosequi posset, praesertim cum Christus Dominus, etiam ut homo, vindex sit illatarum in Deum iniuriarum, ac ideo tanquam iudex Matrem posset ob peccata in aeternum supplicium detrudere, ac Daemonum ludibrio relinquere: quod moraliter saltem repugnantiam secum affert componere cum Matre Dei, et cum pietate ac reverentia, quam iure naturali exhibere tenetur Filius in Matrem: ne igitur in haec incommoda prolabamur, satius est admittere, Maternitatem Dei se sola sanctam esse, ac oppositionem afferre cum peccato, ut de gratia dici solet. Quocirca ex recentiorum Theologorum albo viri doctissimi, cum gratiam sanctificantem peccato nonnisi demeritorie oppositionem dicere statuerent, cumque existimarent quosdam ex veteribus censuisse, Maternitatis Dei excellentiam ac dignitatem deposcere, ut nunquam cum peccato cohaerere possit, pio ausu asseruere, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem. Alii vero, quia in ea fuerunt sententia ut existimarent, Maternitatem Dei exigere connaturaliter impotentiam physicam ad peccandum, subintulere, valde rationi consentaneum ac veritati conforme esse in sensu composito Matris Dei, eandem nec divinitus posse peccare graviter. De quo nos alibi egimus.

1609. Quarto argui potest haec maior sanctitas Maternitatis Dei sanctitate gratiae habitualis, ex religiosiori cultu, quo Virgo Deipara, qua Mater Dei, suspici debet: sublimior enim adoratio sublimiori et celsiori sanctitati exhibenda est; sed Virgo Deipara altiori hyperduliae cultu suspicitur, etiam quacunque gratia habituali praecisa, quia Theologi in Dei Maternitatem solum referunt hyperduliae adorationem cum s. Thoma, 3 par., q. 25, art. 5: *Beatae*, inquit, *Virgini debetur veneratio duliae eminentius quam reliquis creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei; et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscunque dulia, sed hyperdulia.* Idem tradidit Caietanus, 2 2, q. 103, art. 4: *Quia*, inquit, *sua dignitate fines Divinitatis propinquius attigit.* Subdit Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 22, sect. 3, Virginem Deiparam hoc excellentiori cultu adorandam, licet omni alia gratia destitueretur. Quod autem hinc recte subinferamus, dignitatem Maternitatis Dei esse formam sanctificantem, inde suadere possumus, quia duliae cultus Sanctis reliquis exhibitus, solum dirigitur in eorundem sanctitatem, quatenus videlicet sanctitatis Dei scintillam aliquam ac vestigium sibi ex Deo derivarunt; ergo hyperduliae cultus, quae eminentior adoratio est, solum in eminentiorem sanctitatem quadrare potest; ergo cum hyperdulia adoretur Dei Maternitas, erit utique, omni alia seclusa gratia habituali, eminentior quaedam sanctitas sanctitate gratiae habitualis: si enim seiungamus a B. Virgine gratiam habitualem, adhuc eam suspicere deberemus adoratione hyperduliae altiori, quam reliquis sanctis debita; altior autem et excellentior adoratio praestari non potest nisi excellentiori sanctitati, vel personae altiori sanctitate reliquos excedenti.

1610. Quemadmodum ergo Theologi duplicem in Christo gratiam agnoscunt, scilicet unionis, et gratiam habitualem; ita cum proportione duplex gratia admittitur in Maria, iuxta hunc opinandi modum, nempe gratia Maternitatis Dei, et gratia habitualis, quae communis est aliis. Primam innuit Ambrosius in Luc.: *Bene sola gratiae plena dicitur, quae solam gratiam, quam nulla alia meruerat, consequuta est, ut gratiae repleretur Auctore.* De eadem locutus Bernardus, hom. 3 super *Missus est: Legimus*, ait, *Stephanum plenum gratia, et Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longe dissimiliter Maria, nec in Stephano habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, ut in Maria, nec Apostoli conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria.* Bernardinus, serm. 61 de Virgine benedicta, cap. 12, ita fatur: *Sicut divinae perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in conceptione Filii Dei, soli intellectui divino, et Christo, et sibi comprehensibiles exstiterunt; et quidem quod Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum et ex natura conveniret, ut per viam naturae intellectus produceret Verbum per omnia sibi aequale; imo impossibile est, quod non generet Deum propter*

suam foecunditatem, sed quod foemina conciperet Deum, est, et fuit miraculum miraculorum; oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam quasi aequalitatem divinam, per quandam infinitatem perfectionum et gratiarum, quam creatura nunquam experta est, quam intellectus nec angelicus nunquam potuerunt attingere. In quibus verbis quis non agnoscat formam sanctificantem altioris ordinis, quam sit gratia habitualis aliis iustis communis, cum haec in nulla intentione elevet creaturam ad quandam perfectionum infinitudinem, sicut Maternitas Dei; ideoque altiori modo sanctam reddidit Virginem Deiparam. Item abbas Francofordiensis de gratia Dei haec habet: *Dominus tecum est, o Virgo, non generali tantum benedictionis gratia, qua cum caeteris sanctis est; verum et singulari praerogativa gratiae, sicut cum Matre Filius, Dominus tecum, ut viscera tua sanctificet, in carne tua humanam sibi naturam associet.* Et alii passim Patres huiusmodi gratiam Maternitatis supponunt, ac de illa sermonem attexunt, tanquam de gratia distincta a gratia habituali.

Huc spectat Hesychius, orat. 2 de Deipara, dum ait de ea: *Lucerna oris expers, a seipsa ardens.* Quasi lux, seu flamma e B. Virgine emicans non ei de foris advenerit, scilicet a gratia habituali, ut in reliquis, sed ab ipsa Maternitate Dei, quae ipsi inest: haec autem lux seu flamma est vita spiritualis et supernaturalis, scilicet gratia, ut auctor est s. Augustinus, tract. 23 in Ioan., ubi docet iustos esse lucernas ardentes, cuius inextinctionis laudem petendam ait esse a gratia. *Permanserunt enim*, inquit, *servi Dei lucernae bonae ex oleo misericordiae illius, non ex viribus suis. Gratia quippe Dei gratuita illa oleum lucernarum est.* Quia vero oleum, et ignis lucernis extrinsece, per os scilicet, advenit; idcirco accendi et extingui possunt, ut Augustinus inibi notat, et Venantius Fortunatus in expositione Orationis Dominicae ad petitionem tertiam, impugnans Semipelagianos. Deipara ergo fuit Lucerna ardens, ac lucens singulari quodam modo, quia arsit a seipsa, quia de foris nec ignem, nec oleum accepit, non quod a se haberet gratiam, sed quia titulo Maternitatis, quae aliquid ipsi intrinsecum erat, et gratia quaedam superioris ordinis sanctificans ipsam Virginem Beatam, ideo dici potest *Lucerna oris expers, a seipsa ardens inamissibiliter;* sicut Maternitate Dei inamissibiliter gaudet.

CERTAMEN III.

Maternitas Dei eminentiori modo est participatio Deitatis, quam gratia habitualis.

1611. Unum, et quidem praecipuum ex praedicatis gratiae sanctificanti competentibus, est quod sit quaedam scintilla, seu participatio Deitatis; quod communi Patrum ac Theologorum calculo statuitur, ac praecipue elicitur ex II Pet. c. 1: *Per quem*, inquit, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Videatur in Ripalda, tom. 2, disp. ult., sect. 7, id assertum pluribus Patrum dictis stabilitum.

Variant tamen Doctores in explicatione huius participationis Deitatis: nam quidam cum nostro Lessio, lib. 2 de summo bono, cap. 1, aiunt gratiam habitualem esse participationem divinae naturae, quia est vinculum, seu unio, qua tota Deitas iustis extrinsece communicatur: Filius quippe constituitur ex communione eiusdem naturae a Patre acceptae; unio autem, qua iustus recipit a Deo communionem Deitatis, et qua Deus illi divinitatem communicat, est gratia: at forma extrinseca filiationis est ipsa divinitas; gratia igitur iustificans, inquit Lessius, constituit nos filios Dei, non ut forma principalis, a qua dicamur filii (haec enim est ipsa Divinitas nobis communicata), sed ut vinculum et unio illius formae, quo modo ab unione hypostatica Christus dicitur Filius Dei; sicut enim ibi unio hypostatica se habet instar vinculi, non formae principalis, ita hic gratia sanctificans. Porro gratia, vinculum, et communicatio Divinitatis est, quia ita secum trahit naturam divinam, eamque nobis praesentem et inhabitantem facit, ut etiamsi ipsa non esset immensa et ubique, tamen eam nobis intime praesentem sisteret; quia unio Deitatis per gratiam, non est solum per affectum, sed per naturae communicationem, et inhabitationem Spiritus sancti.

Suarius, lib. 7 de gratia, cap. 1, Curiel cum aliis aiunt, hanc participationem Deitatis per gratiam, nihil aliud esse, quam convenientiam formalem gratiae cum natura divina ab attributis praecisa in aliquo praedicato communi, quod reperitur in divinitate et in ipsa gratia, et ab omni alia natura utramque secernit; quod praedicatum est intellectualitatis gradus, cui tanquam naturae, ac primo principio, sive radici, debentur habitus virtutum supernaturalium, tanquam proprietates; debetur insuper connaturaliter visio intuitiva Dei: haec enim intellectualis ratio est constitutiva naturae divinae, in qua ratione conveniunt natura divina, et gratia, et ab omni alia natura secernuntur, ac proinde in ea ratione sita est Deitatis participatio, quae gratiae deferri solet.

Ioannes Vincentius, relectione de gratia Christi, in prooemio; Albelda, 1 p., q. 26, n. 10, cum aliis Thomistis, aiunt gratiam ideo dici participationem Deitatis, quia participat naturam divinam, ut ab attributis seiunctam, secundum omnia praedicata naturae divinae, ut sunt in Deo formaliter et immediate, etiam ut infinita, independentia et imparticipata; atque adeo ut est abyssus et pelagus perfectionum. Quod probant ex variis sacrae Scripturae ac Patrum elogiis, quae gratiae attribui solent. Videndus Curiel, 1 2, q. 110, art. 3, difficult. 1, § 1 et 2.

Alii docti recentiores aiunt gratiam habitualem ex eo dici propriam participationem formalem physicam intellectualitatis divinae, quia existimant gratiam istam esse principium supernaturale universale concurrens ad omnes actus supernaturales intellectus et voluntatis, et elevare substantiam animae, eamque perficere;

unde aliquo pacto participare physice intellectionem divinam ut radicem, non quidem respectu habituum supernorum, sed respectu actuum. Addunt tamen, non dici participationem divinae naturae in rigore physico, sed quia vel participat intellectionem divinam, quae est natura Dei, vel quia ex lege Dei comitantur illam in variis statibus omnes habitus supernaturales, vel quia per affectum charitatis, quem gratia habitualis producit, coniungitur homo, et unitur Deo affective, sicque quodammodo totum Deum participat moraliter. Ita Magiñus, tract. de Gratia, disp. 3, c. 2 in Manuscriptis.

1612. Demum Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disp. ult., sect. 9, docet gratiam esse participationem Deitatis, quia est imago expressa referens Deitatem, et reperitur conformitas et similitudo inter gratiam et naturam divinam excedens omnem naturam creatam: in qua similitudine gratia antistat in hac participatione habitibus supernaturalibus, qui non subeunt munus naturae, tum et substantiis naturalibus, quae haudquaquam participant conformitatem cum Deo excedente naturam creatam. Ex eo autem quod gratia emanet a Deo, non participat substantiam supernaturalem possibilem, licet sit illi conformis et similis in ratione naturae; siquidem individuum unius speciei non est imago alterius, quamvis sit illi simile, quia ab illo non procedit: haec autem participatio Deitatis nihil aliud est, quam expressio naturae divinae, et repraesentatio ipsius, et significat respectum transcendentalem ad naturam divinam in ratione naturae, tanquam ad sui exemplar, quo tanquam imago formalis ipsius destinatur ad illam referendam ac repraesentandam. Praecipue autem dicitur gratia repraesentare et exprimere Divinitatem, quatenus includit moralem bonitatem incompossibilem cum peccato; sicut ergo natura divina ex sua natura propendet ad solos actus honestos; ita gratia habitualis, quae participatio est bonitatis divinae, solum in actus honestos inclinat. Haec est ergo excellentia primaria gratiae habitualis, per quam dicitur participatio Deitatis, quod scilicet sit bonitas radicalis omnium virtutum.

1613. Non est mei instituti, modo harum sententiarum veritatem vestigare, sed ostendere, Maternitatem Dei esse nobiliorem participationem Divinitatis, quam sit gratia habitualis; quamcunque ex adductis sententiis amplectamur. Si enim gratia habitualis dicitur participatio naturae divinae iuxta Lessium, quia est unio, qua media tota divinitas nobis extrinsecus communicatur, et nobiscum manet, et inhabitat speciali modo, nosque constituit filios adoptivos Dei (tunc enim filius constituitur, quando participat eandem naturam a patre acceptam); profecto cum Maternitas Dei sit vinculum, et unio longe intimior cum Deo, qua media tota Divinitas specialiori modo manet in B. Virgine, et in ipsa inhabitat longe intimius ac perfectius, quam in quolibet iusto etiam intensissima gratia habituali praedito, meliori titulo illam esse participationem divinae naturae dicemus.

Quod si cum Suario et Torres, opusc. 3, disp. 1, dub. 4, dixerimus gratiam habitualem esse participationem Divinitatis, quia habet convenientiam formalem cum natura divina, in eo quod ei debeatur connaturaliter omnis habituum supernaturalium supellex, et Dei visio: idem et potiori ratione de Maternitate Dei proferemus, cum maiorem similitudinem et convenientiam habeat cum natura divina, et maiorem propinquitatem ad ipsam, quam gratia habitualis; nam Maternitati Dei connaturales sunt habitus supernaturalium virtutum, ac lumen gloriae, ac proinde visio intuitiva Dei, ut diximus superiori Palaestra.

Si vero cum Albelda et reliquis discipulis s. Thomae quispiam statuat participationem Deitatis in eo sitam esse, quod gratia habitualis participat naturam divinam secundum omnia praedicata ipsius, etiam ut infinita; quae sententia, ut verum fatear, vix percipi potest: si autem aliquam verisimilitudinem habere videatur, aptiori sane modo in Maternitatem Dei cadere potest, ut videre est in attributis Deitatis, et trium personarum, quae aliquo modo, saltem potiori iure adaptari possunt Virgini Deiparae, quam cuilibet iusto qualibet intensione gratiae sanctificantis praedito; et nos in peculiari Palaestra ostendemus.

Si doctis illis recentioribus adhaeserimus asserentibus hanc participationem consistere in eo quod gratia habitualis sit principium supernaturale universale concurrens ad omnes actus supernaturales intellectus et voluntatis, et ut elevet substantiam animae, eamque perficiat; haec omnia potiori iure quadrant in Maternitatem Dei, quia cum B. Virgo sit ex se indifferens ad operationes bonas vel malas, per Maternitatem Dei determinatur in ratione principii recti saltem radicalis ad operationes tantum rectas: quare est proprie rectitudo in actu primo, cui debentur operationes et concursus ad recte operandum: B. igitur Virgini ut Matri naturali Dei debentur quasi in radice concursus et operationes rectae, quia debentur debito connaturalitatis, gratia habitualis, comprincipia omnia supernaturalia productiva operationum rectarum: debentur etiam auxilia congrua et efficacia ad actus bonos, et negatio concursus ad actus malos; si enim Deipara actus malos moraliter posset elicere, aliquo pacto refunderentur in dedecus ipsius Verbi divini. Deinde consulendi sunt Scholastici, dum agunt de gratia unionis animae Christi; plures enim rationes, quae conficiuntur ad probandum, unionem hypostaticam esse formam sanctificantem, militant etiam respectu Maternitatis Dei.

1614. Demum si cum Ripalda constituerimus hanc participationem Deitatis in eo quod gratia habitualis sit imago expressiva divinitatis, quatenus solum propendet in actus honestos, et quod sit radix omnium virtutum; hoc etiam sublimiori modo competit Maternitati Dei, propter quam B. Virgo dicitur a s. Augustino Imago perfectissima Dei: *Si formam Dei te appellem, digna existis*; et ita participat Divini-

tatem, ut solum propendeat in actus honestos, nec componi possit moraliter ex debito, et congruentia naturali cum peccato. Deinde ex eo gratia habitualis sibi vendicat virtutum supernaturalium principia habitualia, et permanentia, quia constituit statum amicitiae cum Deo, et filiationis adoptivae cum ipso; qui quidem status deposcit propensionem in actus honestos, adeoque virtutum habitus, qui in actiones supernaturales inclinent, quae propriae sunt amicorum et filiorum Dei: atqui dignitas Maternitatis Dei constituit B. Virginem in statu permanenti deposcente supernaturales actiones tali statui congruentes, tantaeque dignitatis proprias: ergo altiori modo deposcit Maternitas Dei supernaturalia virtutum principia ad eliciendas actiones honestas supernaturales, quam ipsa gratia sanctificans; Maternitas enim dignitas permanens est, multo magis quam filiatio adoptiva Dei, transacta enim actuali generatione, adhuc permanet educatio, sustentatio, honorque debitus: tum quia Maternitas Dei est ordinis supernaturalis ad unionem hypostaticam, et oeconomiam Incarnationis attinens, ac proinde talem se gerere oportet, qualem decet Matrem Dei; videlicet nihil rectae rationi adversarium, Deoque invisum committere, omnes operationes uni Deo sacrare, quae omnia virtutum opera complectuntur, ac claudunt, et quidem arctiori connexione, quam gratia habitualis omnia virtutum obsequia sibi vendicet: sicut arctius est Maternitatis Dei vinculum cum ipso Deo, quam filiationis adoptivae cum ipso.

Oppones, Maternitatem Dei non esse radicem physicam habituum, seu virtutum et actuum supernaturalium, quod convenit gratiae habituali; ergo non erit gratia sanctificans. Sed falsum censeo de conceptu formali sanctitatis esse, quod sit principium physicum habituum, sive actuum supernaturalium, sed solum opus esse, ut a forma, quae sanctitas est ex debito connaturali, quasi fluant principia habitualia et actualia operum supernaturalium ad exigentiam scilicet ipsius formae sanctificantis, quia sanctitas solum est participatio Deitatis, id est similitudo et convenientia cum sanctitate naturae divinae; et quidem de facto plures denegant gratiae habituali influxum physicum virtutum. Alii inficiantur, etiam unionem hypostaticam, quae sanctitas est altioris ordinis iuxta aliquos, influere physice in gratiam habitualem, ac reliquos virtutum supernaturalium habitus, vel actus.

1615. Ad haec, evincam modo Maternitatem Dei connaturali exigentia sibi vendicare omnium supernaturalium virtutum aggregationem praestantiori titulo, quam gratia habitualis sibi vendicet: et praeter rationem factam, id suadent sanctorum Patrum locutiones. Praeeat huic formoso agmini tanquam dux strenuus s. Gregorius Nyss. hom. 4 in Cant.: *Ecce*, ait, *quam pulcra es, propinqua mea. Ei, quae pulcra facta est, recte dicit Verbum: A mali quidem societate recedens mihi appropinquasti, appropinquans autem primariae, et exemplari pulcritudini, ipsa quoque pulcra facta es, veluti quoddam speculum conformatum meo characteri.* Ex eo itaque quod Deo proxima facta est B. Virgo per Maternitatem, similis ac conformis Divinitati effecta est, et in consortium sanctitatis ac divinae pulcritudinis devenit per elongationem a foeda peccati turpitudine, et per accessum ad pulcritudinem ac rectitudinem Deitatis, interventu operationum virtutum supernaturalium. Haec virtutum omnium supernaturalium decoramenta, B. Virgini ad exigentiam debita ex titulo Maternitatis, eleganti penicillo depinxit Guilielmus ad illa verba Cant. 7: *Quam pulcri sunt gressus tui! Non simpliciter*, subdit ille, *sed cum admiratione: Quam pulcri sunt gressus tui, inquit, in calceamentis, filia Principis! quo excellens et singularis gressuum eius pulcritudo signatur. Multae enim sunt filiae Principis per gratiam adoptionis, et omnes pulcre gradiuntur, et omnium sunt pulcri gressus; verum illa est excellenter filia Principis, quae est etiam Mater Principis.* Quasi virtutum gressus in Virgine Deipara longe pulcriores essent, sicut dignitas Maternitatis Dei est longe sublimior se sola, quam filiationis adoptivae Dei. Huic dignitati Maternitatis Dei ad exigentiam naturae, et iuxta praescriptum divinae providentiae debetur gratia habitualis, omniumque virtutum supernaturalium habitus, ac principia actionum honestarum. Dilucide rem hanc expressit episcopus Chrystopolitanus in canticum *Magnificat*, dum ait: *Unde in tantum ista dignitas est maior caeteris dignitatibus, tam praecedentibus, quam subsequentibus, in quantum omnes aliae dignitates vel ordinabantur ad istam, vel datae sunt ipsi propter istam, quia debuit habere omnes alias dignitates, in quantum est Mater Dei.* Adnumeraverat autem inter has excellentias ac dignitates, gratiae magnitudinem, virtutum habitus, actusque supernaturales. Cuius rei ratio *a priori* depromi potest ex eo quod dignitas Maternitatis Dei pertineat ad ordinem et oeconomiam unionis hypostaticae: quare sicut filius, qua homo, sanctus est, ipsique debentur ex natura rei gratia habitualis ac omnium virtutum supernaturalium habitus et actus, solo titulo filiationis Dei; ita B. Virgini solo titulo maternitatis naturalis Dei debetur sanctitas, ac omnium operationum supernaturalium principia, praesertim cum esse Matrem naturalem Dei, secum necessario importat, esse filiam adoptivam Dei eminentiori quodam modo; sed gratiae habituali, quia per eam constituitur homo filius Dei adoptivus, ei debentur haec supernaturalium actionum principia; ergo excellentiori titulo erunt B. Virgini debita, qua Mater Dei est. Ad rem quidem s. Bernardus, ser. 61 in feria 4 post Pascha, n. 1, c. 8: *Non timeo*, ait, *dicere, quod in omnium gratiarum effluxus quandam iurisdictionem habuerit haec Virgo, de cuius utero, quasi de quodam Divinitatis Oceano, rivi et flumina emanabant omnium gratiarum.* Per uterum Mariae Maternitas Dei subintelligitur, quae abyssus est profundissima, e qua gratiae omnes, virtutum principia, cae-

ieraeque praerogativae, quasi ex natura rei efluxerunt. Accedat Dionysius Carthusianus, lib. 1 de laudibus Virg., art. 34: *Nempe, sicut Christi humanitatem propter eius personalem cum Deo unionem decuit omni perfectione naturae et gratiae in termino excellentiae praefulgere; ita ipsius Genitricis personam, post Unigeniti sui humanitatem, oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo unionem, non est alia tam vicina, ut unio Matris Dei cum Filio suo.* Rem finiant pulcra Richardi de s. Laurentio verba nostrum institutum scite confirmantia, lib. 5 de laudib. Virg.: *Tota pulcra dicitur Maria principaliter ex Filii generatione; sicut enim ferrum ab igne extractum, non solum ignitum, imo totum est ignis; et sicut aer illustratus a sole, qui, dum inflammat aerem, suum ei imprimit colorem, inducitque calorem, totus sol efficitur; et velut aquae gutta dolio optimi vini infusa, tota transit in odorem, in saporem, et in colorem vini; et sicut vitrum candidum et purum, illustratum a sole, transit in splendorem et colorem solis; et sicut lana candida et pura tincta in sanguine muricis et conchylii, tota coloratur secundum qualitatem tincturae: sic anima Mariae Spiritu sancto repleta, et maxime luce illa coelesti, id est Filio Dei in eam descendenti, non solum luminosa est iam effecta, sed tota est Deificata: et sicut Dei Filius carnem assumens ex ea, in ea conformatus est usquequaque; sic quando de eius substantia Filius carnem induit, ipsa B. Virgo quiddam divinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentia mutuavit.* Quae omnia sanctorum Patrum dicta multo excellentius tribuunt Maternitati Dei omnium actionum honestarum supernaturalium principia ad exigentiam tantae dignitatis, et ex maiori consortio cum Deitate, quam gratiae habituali.

CERTAMEN IV.

Maternitas Dei mutuum amicitiae amorem cum Deo inducit sicut forma sanctificans.

1616. In omnium Theologorum sententia gratia sanctificans constituit hominem amicum Deo, mutuumque inducit benevolentiae amorem inter Deum et hominem. Ratio autem huius mutui amoris est filiatio adoptiva, quam invehit gratia sanctificans, quae filiatio mutuam benevolentiam et amorem parit inter parentem et filium; sed Maternitas Dei iungit mutuo amoris et benevolentiae nexu Deiparam cum Filio; ergo similiter et ex hoc capite Maternitas Dei dicenda erit forma sanctificans. Assumptum ipso naturae lumine constat; et ratio *a priori* est identitas naturalis; quae excellentius reperitur inter Matrem Dei, ipsiusque Filium, quia totam carnis suae portionem Christus a carne Virginea traxit solum; Filius ergo adaequate absque viri semine totam suae parenti substantiam debet, ac proinde arctius fuit amoris vinculum inter Deiparam et Christum, quam inter reliquos filios. Vere in rem praesentem dixit Augustinus, hom. 4 in Assump.: *Gratiae unitas, quae a Christo in Christum credentibus servatur, si Mariae etiam minus sapientium aestimatione non tollitur, quanto magis cum gratiae unitate ipsa specialitas naturae unum efficit Matrem et Filium?* Argumentum ducit Augustinus a gratia sanctificante omnibus iustis communi, et ab eorum unitate cum Deo, ad unitatem Matris Dei, quae sanctitatem adsportat, et ad communionem et identitatem carnis inter Matrem et Filium. Ubi vides unionem Deiparae cum Christo multo arctiorem et coniunctiorem adstrui unione, qua Deus reliquis iustis inhaeret per gratiam habitualem: si ergo unitas, quam parit gratia habitualis inter iustos et Deum, mutuam benevolentiam et amorem conciliat, quia gratia habitualis constituit hominem filium adoptivum Dei; ergo excellentiori modo Maternitas Dei naturalis mutuam benevolentiae et amoris coniunctionem conciliabit inter Deiparam et Filium, quia ubi maior resplendet unitas et identitas, similitudo et conformitas morum et animorum, arctius etiam amoris vinculum assurget: quis autem non videat inter Deiparam et Christum maiorem identitatem carnis, perfectiorem similitudinem et conformitatem, tum morum, tum animorum intercedere inter Deiparam et Christum, quam inter reliquos iustos et Deum, ratione gratiae habitualis?

Perperam autem dicet quispiam, hanc identitatem B. Virginis cum Filio, benevolentia solum naturali vincire Deiparam cum Christo, non vero amore supernaturali, quo gratia habitualis iustum cum Deo adnectit, quia s. Augustinus loc. cit. unitatem B. Virginis cum Filio, componit cum unitate, qua coniungit iustos cum Deo gratia habitualis: item Petrus Damianus identitatem Matris cum Filio tanquam sublimiorem extollit unione gratiae habitualis, quae benevolentiam et amorem supernaturalem conciliat: tum praecipue, quia Virgo Deipara amore prosequitur Filium suum iuxta omnem amabilitatem, ac bonitatem promicantem in ipso, Filiusque vicissim benevolentia fertur in Matrem iuxta omnem bonitatem splendentem in ipsa; sed Maternitas Dei et filiatio Christi non solum praeseferunt bonitatem et amabilitatem naturalem, sed etiam supernaturalem; ergo Maternitas Dei, et filiatio non solum mutuum benevolentiae et amoris nexum naturalem conciliant, sed etiam supernaturalem. Minor patet, quia Maternitas Dei utique dignitas est supernaturalis, ut ostendimus supra, cum spectet ad ordinem et oeconomiam unionis hypostaticae, quae in altissimo ordinis supernaturalis fastigio sedem figit. Et roboro: nam amor, quo a me diligitur B. Virgo ut Mater Dei, et Christus ut Filius Virginis, procul dubio supernaturalis esse potest in beatitudinem conducens; ergo etiam mutua benevolentia, qua Christus Matrem, et Mater Christum diligit, non solum naturalis, sed etiam supernaturalis erit.

Nec obstat, si dixeris, B. Virginem, ut Matrem, solum ferri in Filium benevolentia naturali, quia in illum fertur, qua hominem, non qua Deum: Filius item qua homo, non qua Deus,

fertur in Matrem, atque solum amore naturali. Id tamen falsum omnino est, quia Christus amore ferebatur in Matrem, bonitate et honestate Matris Dei affectam, atque adeo supernaturali: et B. Virgo amore ferebatur in Christum Filium subsistentem subsistentia Verbi; unde non solum in hominem ferebatur, sed etiam in Deum. In quam rem valde conducit doctrina, quam superiori Palaestra tradidimus ex Caietano et aliis, ubi adstruximus, inter Mariam et Christum, qua hominem, veram consanguinitatem reperiri; at inter Deiparam et Deum veram affinitatem, imo addidimus, inter Deiparam et Deum veram etiam consanguinitatem admittendam esse. Quis autem ire inficias possit, affinitatem vel consanguinitatem in primo gradu, veram inducere benevolentiam? Ergo mutuus amor inter Deiparam et Filium supernaturalis erat, ex divinitate Filii ortum ducens.

1617. Ex hoc itaque mutuo benevolentiae amore, quo Mater Dei, ac Filius copulantur, recte elicimus, B. Virginem, ratione Maternitatis, esse Deo gratissimam, ac seclusa gratia habituali, sanctam; forma enim sanctificans nihil aliud praestat, quam reddere hominem Deo gratum, amicum, ac filium adoptivum. In cuius rei ampliorem probationem, advoco potentissimam B. Virginis apud Filium impetrandi vim et efficaciam: quod speciali Certamine exagitandum suscipimus. Nunc aliquid addidisse iuvat: sicut ergo Christus, quia Filius, nullam apud Deum pati potest repulsam; solo enim filiationis titulo, seclusa alia quacunque gratia habituali, est Deo gratissimus, potensque obtinere quidquid a Patre postulaverit: eodem modo cum debita proportione, B. Virgo, solo Maternitatis Dei titulo, nullam pati potest a Filio repulsam, quia Mater illius, omni alia seclusa gratia habituali, quia Mater Dei Deo Filio existit gratissima; adeoque quidquid a Filio petierit, impetrabit. Libet huc iterum transcribere verba illa Arnoldi Carnotensis, tract. de laudibus Virginis; sunt enim pulcherrima, adeoque saepius repetita placebunt: *Securum*, ait, *accessum iam habet homo ad Deum ubi mediatorem causae suae Filium habet ante Patrem; et ante Filium, Matrem: Christus, nudato latere, Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt, et orant omni lingua disertius haec clementiae monimenta, et charitatis insignia.* Ubi pius abbas soli titulo Maternitatis per verba illa significato: *Ante Filium Mater ostendit pectus et ubera*, attribuit vim et efficaciam ad quidquid petierit consequendum: nam eo potentiores et efficaciores sunt preces apud aliquem, quo persona est carior et coniunctior; B. vero Deipara est Deo carior omnibus aliis simul sumptis tam Angelis, quam hominibus: quid ergo mirum, si ipsius preces potentiores sint apud Deum ad extorquenda postulata? Ideo D. Bonaventura in speculo, c. 8, vocat Deiparam potentissimam: *Quia Dominus potentissimus tecum est; ideo et tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ut vere dicere possis illud Eccli. 24: In Hierusalem potestas mea; nam vere eam in coelis, quam in terris potestatem habet Mater potentissima Creatoris.* Ex quibus elucet ingens argumenti vis: preces B. Virginis, qua Mater est Dei, sunt validiores apud Deum, precibus omnium iustorum simul coniunctis; ergo B. Virgo solo titulo Maternitatis, seclusa gratia habituali, Deo est gratissima et carissima, adeoque et sancta.

Roboratur ulterius: Deipara, qua Mater est Dei, habet indivisum imperium et communem potestatem cum Filio, ut scite expendit Petrus Damianus, ser. 1 de nativ. Virg.: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Quid tibi negabitur? nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.* Luculentius idipsum tradit Guarricus, ser. 3 in Assump. B. Mariae: *Perge, Maria, perge secura in Filii tui bonis, fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis et Sponsa; requiem quaerebas, sed amplioris gloriae est, quod tibi debetur regnum et potestas; indivisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne una, et uno spiritu indivisum fuit pietatis, et unitatis mysterium.* Vides, quomodo Maria, quia Mater Regis, idem imperium cum Filio, eandemque potestatem obtineat; ergo solo titulo Maternitatis, est Deo gratissima et carissima, siquidem Patres soli titulo Maternitatis adscribunt individuum cum Filio imperium; ergo B. Virgo, solum quia Mater est, apud Deum obit munus Mediatricis potentissimae. Nunc sic libet arguere: intercessio Deiparae apud Deum est efficacissima ac potentissima; ergo Deipara apud Deum est carissima et gratissima, ac simul sancta; atqui est potentissima, quia Mater Dei, praecisa gratia habituali; ergo, solum quia Mater Dei, est gratissima ac sancta. Quod sic urgeo: seiungamus a B. Virgine omnem gratiam habitualem a Maternitate Dei distinctam, et quod solum dignitate Matris Dei ornata aliquid a Filio deposcat, vel sibi, vel aliis, simulque ex alia parte petat ab eodem s. Petrus cum gratia habituali compositus; profecto Mater Dei dignior est, ut a Deo exaudiatur, et impetret quod petierit, quam s. Petrus cum gratia habituali coniunctus; quis enim adduci possit ut credat, Matrem Dei a Deo sperni, eiusque preces repulsam passuras, et D. Petri exaudiendas, praesertim cum eadem dignitas Maternitatis adhuc existat, adeoque idem titulus, eademque forma tribuens valorem ac potentiam advocationi maternae iuxta evidentissima Patrum dicta superius producta? Ergo B. Virgo ex solo Maternitatis Dei titulo, Deo carior, gratior ac sanctior ex consequenti censenda est, etiam seclusa alia quacunque gratia habituali a Maternitate Dei reapse distincta.

1618. Ulterius, sicut gratia habitualis ius habet ad gloriam, quia inducit cum Deo mutuum amicitiae amorem; ita etiam Maternitas Dei, quia, ut ostendimus, hunc cum Deo amicitiae amorem intimius praesefert, etiam ius ad gloriam B. Virgini tribuit. Quod ut clarius fiat, ani-

madvertendum est, gratiae sanctificanti, iuxta communem Theologorum sensum, ex eo competere ius ad gloriam, quia gratia habitualis constituit hominem filium adoptivum Dei, ergo et haeredem regni, iuxta illud Pauli: *Quod si filii, et haeredes.* Hoc autem ius ad gloriam triplex esse potest; vel enim est ius morale strictae iustitiae, ratione cuius iniuria fieret homini iusto, si denegaretur a Deo gloria tanquam corona. De quo videndus Ripalda, tom. 2, disp. 83. Aliud ius est ad exigentiam naturalem; quare vocari potest ius physicum, ita ut homo cum gratia habituali physice habeat ius in haereditatem gloriae, quae si non concederetur, vis inferretur gratiae; sicut esset contra exigentiam naturae humanae, quod denegaretur proprietas risibilitatis, quam ex exigentia talis naturae deposcit. Aliud ius est habilitatis, seu capacitatis naturalis subiecti, quae latiori significatione Ius etiam appellari potest, ratione cuius homo iustus habilis et capax est, ut conferatur ipsi gloria potius quam homini gratia destituto; gloria enim habet ius physicum, et exigit natura sua conferri solis iustis, quamvis gratia non exigat natura sua sibi gloriam conferri.

Censeo ergo Maternitati Dei convenire aliquod ius ad gloriam, potius quam gratiae habituali. Probatur primo: ratio, propter quam competit gratiae habituali ius ad gloriam, ea utique est, quia participatio quaedam est, et assimilatio Deitatis constituens hominem filium adoptivum Dei; sed dignitas Maternitatis est sublimior, ac propinquior participatio Deitatis constituens Virginem Matrem naturalem Dei, ac proinde Filiam Dei nobiliori et excellentiori filiatione, quam gratia habitualis. Deinde quia bona filiorum sunt etiam parentum iure ipso naturali. Hinc ait Iustinianus in § *Sed nos*, Instit. de Senatus consult. Tertull.: *Dedimus ius legitimum plenum matribus, ut sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.* Et ratio est, quia filius, ipsa natura duce, parentibus subditur: ergo quidquid filius naturaliter consequutus fuerit, in parentes etiam redundabit, quia sunt unum et idem ubi autem identitas est, non potest esse bonorum a natura auctorum secretio; sed Christus Dominus ex natura rei obtinet beatitudinem; ergo etiam Mater ius habebit ad gloriam. Quam rationem superiori Palaestra fusius tradidimus, sicut et sequentem, quae est tertia ratio, et desumitur ex dominio proprio, quo gaudet Deipara in res omnes naturales et supernaturales; atque adeo ius habet in gloriam, quae omnium principalius bonum existimatur. Et quidem intellectu percipi non potest, Matrem Dei, etiam seclusa gratia habituali, exhaeredem constitui a Filii regno, cuius sunt haeredes servi, qua ratione innixus s. Damascenus, orat. 1 de Assump., verba illa protulit: *In coelo ac regiis sedibus sic regina, domina, hera, ac vere Mater et Genitrix Dei, ideoque tanquam regina, ac domina in gloria sedem habeat; alii vero tanquam famuli.* Huic iuri Materno ad beatitudinem subsidiatur s. Thomas a Villanova, Conc. de Assumpt., illudque antefert iuri quod nanciscuntur iusti per gratiam habitualem. Ait ergo: *Quid de tuis deliciis dicam, o Maria? Si oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se; quod praeparavit gignenti se, quis loquatur?* Imo non solum B. Virgo ius in gloriam ob Maternitatis titulum sibi comparavit, sed et aliis. Quod Richardus de s. Laur., lib. 4 de laudib. Virg., ita exponit: *Supra totam coelestem curiam collata ei plenaria potestas; unde dicit Eccli. 24: In Hierusalem potestas mea, imperandi videlicet Virtutibus angelicis, et animabus sanctis ad beneplacitum meum, et introducendi in illud regnum quoscunque voluero.* Quod ius, ac potestatem ex Maternitate Dei sibi vindicat: si ergo gaudet iure introducendi ad gloriam reliquos; ergo ipsa ius sibi primum ad gloriam nanciscitur. Rursus, cum eadem sit potestas, et communis Matris et Filii, et ab omnipotente Filio omnipotens sit effecta, ut iam praemiserat idem Richardus; ergo sicut Filius ratione filiationis Dei habet ius ad gloriam, ita etiam Mater ratione Maternitatis Dei: ius ergo, quo gaudent reliqui iusti ad gloriam, fundatum in operationibus honestis a gratia et virtutibus supernaturalibus proficiscentibus, competit B. Virgini ex solo titulo Maternitatis Dei, quantumvis meritis ac virtutum actibus omnes excedit. Quocirca dum coelos ascendit, ascensumque parat in felicitatem aeternam, Filio inniti perhibetur, Cant. 4, potius quam virtutum actibus ac meritis: *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum?* Quasi praecipue ius ad gloriam nacta fuerit ob Maternitatem, qua Mater talis Filii constituitur, potius quam ob merita licet sublimia, quibus etiam seiunctis, quatenus a gratia habituali eliciebantur, solo titulo Maternitatis Dei plus iuris ad gloriae regnum acquisivit, quam reliqui iusti ex titulo gratiae habitualis.

CERTAMEN V.

Maternitatem Dei incompossibilem esse ex se cum peccato, quod proprium est formae sanctificantis.

1619. Nunc solum est sermo non de actuali expulsione peccati, sed de vi solum depulsiva peccati in actu primo, quae invehat carentiam peccati in actu secundo, sive interveniat favor extrinsecus, sive non. Et quidem de gratia habituali ait Tridentinum, sess. 6, c. 7, esse formam nostrae iustificationis, vel causam formalem ipsius; ergo gratia habitualis intrinsece est expultrix peccati, nam nostra iustificatio, ut definit ibidem Tridentinum, claudit in se peccati remissionem, praeter internam sanctitatem, ac proinde causa formalis nostrae iustificationis debet esse causa formalis remissionis peccati, quam essentialiter petit iustificatio; at vis sanctificandi est intrinseca gratiae habituali, et vis depulsiva peccati, nec dici posset a Tridentino, gratiam inhaerentem esse nostram iustitiam et sanctitatem, si vi sua intrinseca non posset nos sanctos reddere, depellendo ab anima peccatum.

Lis autem magna oboritur inter Scholasticos,

quomodo opponantur inter se gratia et peccatum. In qua re triplex est opinandi modus. Primus docet qualitatem physicam gratiae opponi ex natura rei cum peccato, sicut calor opponitur cum frigore, adeoque, secluso favore Dei extrinseco, mutuo se expellere a subiecto. Ita Vasquius, in 2, d. 91, et disp. 204, cap. 2. Alii defendunt, gratiam habitualem non expellere peccatum ex natura sua, sed solum ex lege Dei decernentis remittere peccatum ad praesentiam gratiae. Ita Scotus relatus a Suario, lib. 7 de gratia, cap. 12. Tertio, opinantur alii; gratiam opponi cum peccato, oppositione ex natura rei solum morali, quae solum innititur quadam indecentia, nempe quod gratiae excellentia, et pulcritudo cum vilitate, ac foeda peccati turpitudine simul in eodem subiecto coeat; qualis indecentia appareret in eo qui parasiti, et scurrae moribus in summum Pontificem assumeretur. Ita Coninck, disp. 21 de charitate, a n. 202; Salas, tom. 2 in 1 2, tract. 11, d. 6, n. 106.

Equidem statuo 1°, gratiam habitualem non pugnare cum entitate physica peccati, sive actualiter, sive habitualiter existenti, quia entitas physica peccati secundum se est indifferens, ut fiat libere vel necessario; si ergo entitas physica peccati necessario fieret, vel cum semiplena advertentia, non opponeretur cum gratia, quia tunc non induceret offensam Dei gravem. Statuo 2°, gratiam habitualem aliquam habere oppositionem ex natura rei cum actu peccati, prout includit moralem malitiam ac iniuriam gravem Dei; quod aperte concluditur ex Tridentino, sess. 6, cap. 7. Et ideo ait Suarius cit., temerarium esse, denegare aliquam oppositionem ex natura rei gratiae cum peccato; haec autem oppositio, licet ex parte gratiae sit physica, quia gratia secundum entitatem suam physicam sanctificat, adeoque secundum eandem est depulsiva peccati, ex parte vero peccati est moralis, quia non secundum entitatem physicam, sed secundum esse morale solum gratiae repugnet: quare oppositio haec dicenda est moralis a debiliori parte. Statuo 3°, hanc oppositionem esse formalem, et non efficientem, quia gratia non destruit peccatum, nec peccatum gratiam, suspendendo concursum conservativum alterius, nec aliquid repugnans cum alio in anima producendo; non enim apparet quid illud sit: ergo non est oppositio effectiva, sed formalis, quia informando subiectum, eique effectum formalem communicando repugnantem ex natura sua effectui formali alterius destruit gratia peccatum, et e contra; haec autem oppositio est quasi contraria.

His ita statutis, censeo gratiam habitualem ex sua natura intrinseca esse depulsivam peccati, eiusdemque remissivam, quia ex sua excellentia, et dignitate inducit Deum ad condonationem ipsius liberam et gratuitam; ita ut sit connexio quaedam inter gratiam, et remissionem peccati, eiusque carentiam moralis, fundata in excellentia gratiae et deformitate peccati: haec eadem connexio reperitur inter nostra merita orta ex gratia cum praemio aeternae beatitudinis, seclusa liberali Dei promissione, ex morali quadam exigentia.

1620. Haec ergo oppositio, quam dicimus esse ex natura rei inter gratiam et peccatum, reperitur etiam inter Maternitatem Dei et peccatum, ut ex dictis patet, et ex hic dicendis amplius patebit, quia Maternitas Dei habet in actu primo vim depulsivam peccati, quae inducat carentiam peccati in actu secundo, sive favor extrinsecus Dei interveniat, sive non. Et ratio est, quia Maternitas Dei seorsim sine gratia habituali, reddit B. Virginem sanctam, ut vidimus; ergo intrinsece est expultrix peccati, nam sanctificatio invehit carentiam peccati, ipsiusque remissionem, praeter internam sanctitatem. Censeo igitur iuxta tertium opinandi modum de oppositione gratiae cum peccato, et iuxta eum arbitror, Maternitatem Dei oppositionem dicere cum peccato moralem ex natura rei, quia Maternitatis Dei dignitas et excellentia coniungi nequit ex natura rei cum vilitate et turpitudine peccati; quae enim conventio lucis ad tenebras? haec autem oppositio est formalis, quia Maternitas Dei communicat subiecto effectum formalem repugnantem ex natura sua effectui formali peccati. Praeterea Maternitas Dei, ex sua excellentia et dignitate, inducit Deum ad carentiam peccati liberam et gratuitam, ita ut sit connexio quaedam inter Maternitatem Dei et peccati carentiam, non physica, sed moralis, fundata in excellentia gratiae, et peccati vilitate ac deformitate.

Quod stabiliri potest auctoritate Patrum; et quidem illustre est illud s. Augustini testimonium, lib. de natura et gratia, c. 136: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Dei nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Ubi ex ea solum ratione, a Deipara omne exterminat peccatum, quia concepit ac peperit Filium Dei: sicut ergo gratia sanctificans habitualis dicit repugnantiam moralem cum peccato (ita ex mente tanti Doctoris), et potiori iure Maternitas Dei, quae ex sua dignitate et excellentia praestantiora et efficaciora sibi vendicat auxilia gratiae: ex eo ergo praecise, quod B. Virgo Dei Mater existat, animatumque Templum Dei, seiuncta per mentis conceptum gratia habituali, omnis peccati expers, ab omnis maculae labe immunis intelligitur ex Augustino, quem allegat Clictovaeus, lib. 5 de Conc., c. 13: *Quis*, ait, *dicere potest: Sine peccato sum natus, aut mundus ab omni iniquitate, nisi illa Virgo animatum Dei Templum, quam Deus sic elegit et praeelegit ante mundi constitutionem, ut sancta et immaculata Mater Dei, et filia esset reservata, incorrupta ab omni labe peccati*? Solo igitur Maternitatis Dei titulo ab omni peccati macula immunis statuitur Deipara a D. Augustino. Hunc cogitatum illustrat s. Ildephonsus, ser. 3 de Assump., ubi stabilitatem in gratia, quam Angeli nacti sunt ex visione Dei, attribuit Mariae ex Maternitatis Dei titulo, haec verba sub-

iiciens: *Angelicae formą naturae ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens: haec foemina sanctificationis basis est, aeternitas integritatis est, Mater Dei est, sacrarium sancti Spiritus est, templum singulariter unicum Factoris sui est: verum Angelicae beata conditio naturae post soliditatem, indeficiens in amore Divinitatis; post firmamentum, perennis in adspectu divinae visionis; post robur, inseparabilis a consortio Deitatis.* Quasi diceret, sanctitatem Maternitatis ex se constantem et inamissibilem esse, omnisque peccati expultricem: quod gratiae habituali adaptari nequit. Propterea Paulinus Episcopus Aquileiensis apud Salazarium de Concept., cap. 24, affirmavit: *Mariam eiusdem esse nobiscum naturae, sed non eiusdem gratiae.* Ergo praeter gratiam sanctificantem habitualem, quae eiusdem est naturae in Maria, ac in reliquis iustis, concedenda est alia gratia, nempe Maternitatis Dei, quae altioris est ordinis. Anselmus relatus a Bachone, in 4, dist. 2, q. 3, art. 3, ait: *Ordinari ad concipiendum Sanctum sanctorum, et non esse sanctum, includeret contradictionem.* Electio in dignitatem Matris Dei excludit omne peccatum: ergo multo veriori iure ipsa dignitas Matris Dei actu existens reddet subiectum sanctum ab omni labe peccati immune. Id sonant verba Ivonis Carnotensis episcopi, serm. de Nativ. Domini: *Quomodo Matrem carnis suae sanctificaverit, deinceps audiamus, ut inde laetetur catholicus, immundus confundatur haereticus: carnem quippe de carne ipsius sumens, eandem in divinam munditiem transformavit.* Tanta fuit sanctitas Maternitatis Dei, ut divinae gratiae terminos quasi contingeret, adeoque procul omne peccatum ablegaverit. Accedat Tuitiensis abbas, lib. 1 in Cant.: *Ante faciem huius amoris nullum peccatum stare potuit; ante faciem huius ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei Sapientia domum aeternam sibimet aedificaret.* Quasi ex eo solum, quod Sapientia Dei Mariam sibi in Matrem destinavit, eam sanctam, omnisque peccati extorrem reddiderit. Maria Filio sole fulgentissimo amicitur, id est ad Dei Matris munus evehitur, adeoque ex Maternitate Dei nihil non fulgidum et ardens in ea conspicitur, nullam peccati caliginem, aut teporis alicuius vel tenuissimam umbram in ea admitti posse credendum est; quae in gratiam habitualem minime venire possent, sed solum in gratiam Maternitatis, quae sanctitas est longe altioris ordinis et excellentiae. *B. Virgo,* ait Richardus Vict. in Cant., *tota pulcra fuit, quam totam illustravit, et perfudit Sol iustitiae, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpae.*

1621. Plures insuper Patres ad hoc ipsum firmandum produci possent; solum hic duos superaddam illustres huius nostri asserti patronos, videlicet Richardum de s. Laurentio, et Albertum Magnum: ille lib. 2 de laudibus Virg., in praerogativa 7, conceptis his verbis rem stabilit: *Quod peccare non potuit, ex quo Filium Dei concepit. Unde et dicit* (Eccl. 24): *Et in Sion firmata sum. Prius autem dixit: Coram ipso ministravi, quia sic ministrando, in ipso momento consensus mei, quem expressi dicens: Fiat mihi secundum verbum tuum; concepto Salvatore, firmata sum, id est in bono confirmata sum; et hoc, in Sion, id est militante Ecclesia ad haec posita, quod mihi fuit privilegium speciale. Alii enim sancti non in hac vita sic firmantur, ut de aeterno peccare non possint, sed tantum in superna Hierusalem.* Ac si Dei Maternitas tantam secum sanctitatem afferat, ut impotentiam ad peccandum conferat. Et lib. 4 subdit: *In sanctificatione Mariae per superventionem Spiritus sancti, et obumbrationem virtutis Altissimi, illud solum remansit in Virgine, quod erat ad poenam, illud totum recessit, quod erat ad culpam.* Et paucis interiectis: *Ab hora,* inquit, *supervenientis Spiritus sancti, ab hora obumbrantis se virtutis Altissimi, non solum in omni gratia consummata, verum etiam in omni bono et dono, quod acceperat, confirmata: in caeteris enim Sanctis magnificum habetur, quod a vitiis non possunt expugnari: in ista mirificum habetur, quod a nullo vitio potuit, vel in modico impugnari. Quod de exterminio peccati in ea factum creditur, futurum in omnibus sanctis speratur; futurum, inquam, sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore facto immortali.* Haec autem sanctitas, de qua hic sermonem instituit Richardus, nequit de gratia habituali enunciari, sed de altiori ac praestantiori sanctitate, qualem inesse dicimus dignitati Maternitatis Dei. Albertus Magnus eandem adstruit veritatem super *Missus est,* cap. 180: *Deinde quaeritur de eo quod est, esse Matrem Dei, ratione cuius etiam principaliter dicitur gratia plena Beatissima Domina (intelligit autem gratiae nomine hic gratiam gratum facientem, de qua quaeritur), utrum possit intelligi maior gratia purae creaturae participari, quam esse Matrem Dei; et videtur quod sic: gratia enim immediata est, post Filium per naturam, esse filium per gratiam; et ita videtur quod plus sit, esse filium Dei per gratiam adoptionis, quam esse Matrem Dei per naturam creatam. Contra praedicta obiicitur in hunc modum: inter Matrem et Filium est coniunctio substantialis, inter Patrem et Filium adoptivum est accidentalis participatio; ergo magis est, esse Matrem Dei per naturam, quam esse Filium Dei per adoptionem. Secundo inter esse Filium Dei per naturam et esse Deum, et esse Filium Dei per adoptionem et non esse Deum, medium est esse Matrem Dei per naturam, et non esse Deum; ergo immediate post esse Deum, est esse Matrem Dei.* Quibus verbis argute et ingeniose docet maiorem sanctitatem inesse Maternitati Dei, quam gratiae habituali: adeoque sicut dicit implicantiam gratia habitualis cum peccato moralem; multo magis Maternitas Dei. Eapropter concludit Albertus: *Ex his manifestum est, quod maior gratia non potest intelligi purae creaturae participari, quam esse Matrem Dei, quod est privilegium beatissimae Virginis.*

1622. Ulterius nobis, rationibus agendum est. Prima sit: forma sanctificans dicit oppositionem cum peccato; Maternitas Dei hanc dicit oppositionem cum peccato; est ergo forma sanctificans; ipsi enim rationi omnino dissentaneum est, coniungere peccatum cum dignitate Maternitatis Dei: haec enim, dempta unione hypostatica, excellentior ac sublimior est omni dignitate creata; ergo a ratione alienum est, coniungere foedam ac spurcam peccati turpitudinem cum tanta dignitate: quae enim coniunctio inter Matrem Dei ac Daemonis mancipium? Roboratur haec ratio: ex eo gratia habitualis dicit oppositionem moralem cum peccato, quia est quaedam participatio et scintilla Deitatis, sita in dignitate excellenti principii actuum supernaturalium; sed Maternitas Dei est participatio quaedam scintillans ipsius naturae divinae in Patre existentis, et alia omnia secum includit; ergo dicit oppositionem cum peccato. Firmatur: maior oppositio moralis cum peccato provenit ex maiori participatione Deitatis; quanto enim dignitas magis subiectum ad Deum evehit, plus etiam dedignatur societatem cum peccato; sed Maternitas Dei plus accedit ad Deum, quam gratia habitualis; ergo maiorem oppositionem dicit cum peccato, quam gratia habitualis.

Secundo arguo: sola futuritio Maternitatis Dei, ex unanimi fidelium et Ecclesiae consensu, solidum ac robustum fundamentum exhibet, ut Deiparam omnis originalis labis expertem statuamus, quantumvis plura sacrorum Voluminum loca stabiliant originale peccatum universos Adae posteros pervasisse, quia alienum a Deo arbitrantur omnes, ac rationi valde difforme, Beatam Virginem, quae futura erat Dei Mater, vel unico instanti cum peccato in consortium ire; ergo longe alienum a veritate, et a Dei providentia cuique videbitur, ut dignitas Maternitatis Dei actu B. Virginem afficiens, cum infami peccati turpitudine componatur. Confirmatur, quia Deus defaecat animam a peccato veniali futuro, intuitu visionis beatae; sed ipsa visio actualis dicit moralem incompossibilitatem cum peccato lethali; ergo cum Deus excluserit a Maria omne debitum contrahendi peccatum originale intuitu futurae Maternitatis, actualis Maternitas claudet oppositionem moralem cum peccato mortali. Antecedens probat Ripalda cit. disp. 99, n. 8.

Tertio suadetur ex eo, quod communis Ecclesiae consensus eam puritatem Deiparae defert, quae eam ab omni venialis ac lethalis peccati macula immunem reddat, quam iam tanquam fidei dogma sustinetur; ergo maior oppositio reperitur inter peccatum et Maternitatem Dei, quam inter gratiam habitualem et ipsum peccatum, quae gratia non dicit oppositionem cum veniali culpa: at dignitas Maternitatis Dei eam puritatem deposcit, ut ex morali quadam indecentia, iuxta communem Ecclesiae sensum, etiam vel levissimam culpam aversetur. Huc spectant verba s. Thomae, 3 p., q. 27, art. 4: *Virgo non esset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando, quia honor parentis redundat in prolem: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem*, II Cor. 6: *Quae conventio Christi ad Belial? tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in animo, sed etiam in utero*: dicitur autem, Sap. 1: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

1623. Quarto quia, ut alibi fusius ostendimus cum communi Doctorum suffragio, ab omni peccati fomite immunis fuit B. Virgo. Modo sic rationem efformo: indecens et indecorum censent Theologi cum Patribus aliquid in B. Virgine admittere, quod ad peccatum instigaret ac titillaret, vel peccati nomen redoleret, quia dignitatem Maternitatis Dei id merito dedecere existimant; ergo potiori titulo longe indecentius ac deformius existimare debemus, coniungere Deiparam cum actuali peccato ex natura rei; ergo in nullius Theologi mentem venire potest, si res aequa lance ponderetur, Maternitatem Dei habere potuisse consortium cum peccato. Horrent igitur Patres ac omnes Ecclesiae fideles, societatem admittere inter immensam Matris Dei puritatem et peccati foeditatem; ergo admittenda est in Deipara impotentia moralis ex natura rei ad peccandum: haec enim impotentia moralis nihil aliud est, quam ea, qua voluntas ob nimiam rei difficultatem, in nullo eventu constituitur in re ipsa agens, seu omittens opus, in quod moraliter impotens est, quamvis principia physica ipsius possint coniungi cum opere vel omissione: hac ratione voluntas viribus naturae dicitur ab universis Theologis moraliter impotens ad implendam diu totam legem, et ad vitanda omnia peccata venialia, quia nunquam ob rei arduitatem haec duo viribus naturae coniunguntur; videlicet voluntatem solis viribus naturae omnia peccata venialia vitare, aut totam legem implere. Sic etiam in Deipara repugnantia et impotentia ad peccandum adesse censetur, quia propter excellentiam et puritatem Maternitatis in nullo eventu providentia Dei sivit coniungi cum peccato illam dignitatem, licet physica reperirentur principia in Deipara ad peccandum. Nos equidem speciali Certamine hanc impotentiam in B. Virgine ad peccandum, non uno duntaxat modo tradidimus; quae valde conducent, ac novum robur addent huic Certamini.

CERTAMEN VI.

Ex sanctitate, qua corpus sanctificat Maternitas Dei, arguitur sanctitas, qua animam reddit sanctam.

1624. Hoc Certamen ostendit, Maternitatem Dei se sola sanctitatem invehere seorsim, et seiunctam a gratia habituali, ex sanctitate, quam in corpus derivat. Sic ergo construi potest robustum argumentum: corpus B. Virginis sanctum est sine gratia habituali ex sanctitate promanante a Maternitate Dei; ergo anima Beatae Virginis sancta est potiori ratione sine gratia habituali, ex sanctitate derivata a Maternitate Dei. Quod autem corpus Virgineum non fuerit sanctum ex grata habituali, inde patet, quia haec

gratia communis est reliquis iustis, et tamen illorum corpora non reddit sancta; solum ergo potuit esse sanctum corpus Marianum ex Maternitate Dei. Et confirmari potest ab exemplo: Christi corpus ex unione hypostatica sanctum praedicatur; ex quo recte deducimus Christi animam ab eadem unione hypostatica sanctam effici; ergo eadem ratione, proportione tamen servata, quia corpus Virgineum sanctum a Patribus decantatur, hoc fiet, non a gratia habituali, sed a Maternitate Dei; et ipsius etiam anima *a fortiori* sancta existet ab ipsa Maternitate, quia anima Deiparae capacior et aptior est ad sanctitatem recipiendam, quam corpus. Quod autem corpus B. Virginis tanquam sanctum a Patribus et ab Ecclesia proponatur, inclaret ex luculentis ipsorum testimoniis. S. Basilius, serm. de Incarnat., ait: *Id saeculum, in quo Maria vivebat, nihil cum Mariae puritate comparandum habuit, quae, ut Spiritus sancti operationem susciperet, electa est,* etc. *Ex sanctitate igitur compacta caro digna erat, ut Deitati Unigeniti uniretur.* Si ergo ex sanctitate compacta fuit caro Virginea ex Genitricis Dei dignitate; ergo sancta existit. S. Bonaventura in Speculo, cap. 8: *Maria singulariter tam corpore, quam anima est Aula Dei, domus Dei sanctissima, de qua in Psalmo dicitur: Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* S. Bernardus, serm. 3 super *Missus est: Dominus Spiritus sanctus est de quo concipis, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum.* En ex conceptione Filii et ex Maternitate Dei iuxta mellitum abbatem, Virgineus uterus sanctus efficitur. Ivo Carnotensis Episcopus, serm. de Nativit. Domini: *Quomodo,* inquit, *Matrem carnis suae sanctificaverit, deinceps audiamus,* etc. *Carnem quippe de carne eius sumens, eandem in divinam munditiem transformavit.* S. Hieronymus, epist. de Assumpt. B. Virginis ad Paulum et Eustochium, vocat uterum Virgineum impollutum, alienum a contagione peccati, et sanctum. Fulgentius in serm. de duplici Christi natura, sic fatur: *In secundi hominis Matre gratia Dei, et mentem integram ac sanctam servavit, et carnem.* Idipsum definit VI Synodus Generalis, act. 18, his verbis: *Confitemur Christum in vulva illibata Virginis habitasse, et corpus per Spiritum sanctum ex sancta et immaculata carne eius in propria substantia carnem sumpsisse.* S. Gregorius Nyssenus, orat. de natali Domini, eo carnis Virgineae sanctitatem extollit, ut superiorem quodammodo esse praedicet sanctitate animae in reliquis hominibus; ut vel hinc pateat, qualis sit sublimitas et altitudo sanctitatis animae ipsius: utramque autem hanc sanctitatem et carnis et animae a Maternitate Dei corrivatam fuisse, docet his verbis: *O beatum uterum illum, qui bonitatis suae praestantia ad se traxit animi bona! In reliquis omnibus vix animus purus Spiritus sancti praesentiam capit: hic autem caro fit Spiritus sancti receptaculum.*

Sed varie explicant Doctores hanc carnis Virgineae sanctitatem. Iacobus de Valentia super Cant., fol. mihi 14, ait, carnem B. Mariae ante animationem fuisse mundatam, et in ventre Matris sanctificatam. Robertus Holcot in cap. 13 Sapientiae, lect. 160, docet animam infusam fuisse in corpus B. Mariae purgatum, et emundatum ab omni qualitate inordinata, quam contraxerat ratione propagationis seminalis. Et quidem apte sanctitas haec explicari potest in hoc sensu iuxta alios Doctores; constat enim, semen, quod media sensibili delectatione deciditur, esse instrumentum transfusionis noxae originalis, ut probat Granado de Concept. disput. 1, c. 11; at parentes B. Virginis, sola Dei voluntate absque ulla inordinata delectatione, sive concupiscentia convenerunt, quorum semen ex divina ordinatione ac voluntate non fuit instrumentum transfundendi peccatum originale, quod Mariam nulla ratione infecit; rite igitur dici potest semen illud mundum ac sanctum, id est ordinatum a Deo ad formationem Virginis almae. Quod innuit s. Birgitta, lib. 6 revelat., cap. 55, ubi sic fatur B. Virgo: *Hora, in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora et pretiosa; quia alii coniuges conveniunt ex voluptate carnali, mei vero parentes convenerunt ex obedientia, et praecepto Dei.* In idem recidunt verba s. Ildephonsi in sermone brevi de Nativ. Mariae: *Maria,* inquit, *Virgo non sic est nata, sicut solent pueri vel puellae nasci, sed de Anna sterili et patre iam sene, extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem, et omnem amorum libidinis discessum, mundo corde et corpore, ab omni pollutione carnali, orta est.* Et s. Damascenus, orat. 1 de Nativit. Mariae: *O beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit!* id est sine libidine ulla et macula peccati. Deinde caro B. Virginis dici potest sancta ante infusionem animae rationalis, quia quod a Deo destinatum est ad sanctitatem, recte sanctum nuncupari potest: at Virginis B. caro ante infusionem animae praeelecta fuit a Deo, ut esset templum mundum ac Dei tabernaculum; ideoque speciali concursu formavit ac condidit Mariae corpus, ut esset animae sanctissimae domicilium, ac Filii Dei templum ac sacrarium: ergo dici debet caro Virginea sancta multo excellentiori modo, quam vasa illa templi, quae ad ipsius cultum destinabantur, quae saepe in sacra Pagina sacra dicuntur.

1625. Sciscitaberis, in quo sita sit haec corporis et uteri Virginei sanctitas. Ripalda, 2 tom. de ente supernaturali, disput. 79, num. 94, ait in eo esse sitam, quod denotet specialem Dei complacentiam, quam prae aliis fert uterus et caro Virginea, quia B. Virgo corpore suo munia materna exhibuit, nempe conceptione, partu, lactatione et similibus. Probat, quia aliter nequit explicari specialis ista corporis Virginei sanctitas, quam Patres carni Virgineae attribuunt. Tum quia ita Patres illam explicarunt; ait enim Bernardus, serm. 2 super *Missus est: Hic locum voluptatis, uterum Mariae intelligo,* etc. *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* Quod confirmari potest ex c. 4 Cant.: *Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa!* Quem locum Mariae sic aptat: *Quam gratae sunt oculis Patris mammae, quae Filium unicum a-*

luerunt! quam pulcrae sunt, quae lacte singulariter candido tumuerunt! Idemque dici potest de utero Virgineo, qui totis novem mensibus excepit, pavit, continuit Verbum Dei. Confirmatur, quia haec sanctitas corporis Virginei specialem quandam venerationem sortitur propter contactum Christi; ergo signum est residere in corpore Virgineo specialem sanctitatem: haec autem sanctitas nequit proficisci a gratia habituali, sed solum a Maternitate Dei; ergo cum anima aptior existeret ad sanctitatem recipiendam, uberius in animam prosiliit, eam gratia replens dignitas Maternitatis Dei: anima enim B. Virginis fuit causa princeps omnis obsequii materni praestiti Filio.

Secundo arguere possumus ex integritate Virginea debita corpori B.Virginis, quae ex dignitate Maternitatis Dei promanavit; sed haec integritas carnis arguebat integritatem ac puritatem mentis, quae est effectus formalis proprius formae sanctificantis; ergo Maternitas Dei seorsim est forma sanctificans; nam forma, cui debetur effectus formalis sanctitatis, nequit non esse sanctificans. Maior ex eo constat, quod esset indignum apud Patres Christo Domino ex carne impura ortum ducere, unde ex decentia connaturali debita erat Maternitati Dei carnis integritas omnimoda: atqui indignior esset Filio Dei, ipsumque magis dedeceret mentis impuritas, quam carnis; ergo si ex titulo Maternitatis Dei, carni Virgineae debebatur puritas et integritas carnis, multo magis integritas ac puritas animae; cum puritas et integritas animae coniuncta sit cum forma sanctificante, tanquam proprietas cum essentia.

Tertio, ex pulcritudine corporea, qua B.Virgo resplenduit, interior animi pulcritudo declaratur: at pulcritudo corporea non fuit effectus gratiae habitualis, quae communis est reliquis iustis, neque est proprium ipsius, derivare pulcritudinem in corpus, cum plures sint animae iustae maxima gratia habituali praeditae, quae tamen cum corporibus foedissimis copulantur; ergo pulcritudo Mariani corporis altioris ordinis pulcritudinem indicabat, nempe sanctitatem, quae cum Maternitate Dei esset annexa.

Quarto, desumitur argumentum non minoris roboris ex incorruptione corporis Virginei: omnium enim Theologorum ac fidelium suffragio tenet Ecclesia, Virgineum corpus ab omni corruptione liberum evasisse, et in caelos incorruptibile assumptum ex solo titulo Maternitatis Dei; indignum quippe censetur ac indecens, carnem, ex qua Verbum divinum carnem assumpsit, corruptioni ac vermibus subiacere: ergo indignius et indecentius esset, ut eadem B. Virgo, qua Mater Dei, peccati corruptioni subderetur; imo quia eius anima fuit immunis a peccati contagione, ex eo incorruptio in corpus promanavit: siquidem per peccatum, corruptionis supplicio homines addicti sunt; ergo cum Maternitas Dei indecentia quadam naturali arceat a corpore corruptionem, multo magis ex connaturalitate quadam decenti, ab animo omnem peccati corruptionem amovebit, quod proprius est effectus formae sanctificantis; adeoque Maternitas Dei forma erit sanctificans altioris ordinis.

Quod si obiecerit aliquis sanctitatem corporis Virginei integritatem, pulcritudinem, eiusdemque incorruptionem solum fuisse debitas Maternitati Dei ex congruitate et decentia quadam, novumque fuisse favorem Dei illas Maternitati adnectere; respondeo, negandum non esse, condignitatem respectu illarum, inesse Maternitati Dei, quod satis indicant Patres, idque Maternitatis Dei sublimis excellentia deposcit: non autem inficiamur, novum esse favorem Maternitati Dei superadditum; quippe condignitas moralis Maternitatis Dei, ut sibi vendicet praedictas excellentias, non respuit novum Dei favorem: siquidem gratia habitualis habet moralem condignitatem ad remissionem peccati, et ad filiationem adoptivam Dei et meritorum remunerationem, et tamen novus favor est Dei praedicta peccati remissio, filiatio adoptiva Dei ac gloriae retributio.Quid, quod ex maiori congruitate dignitatis Maternitatis Dei ad sublimiora privilegia, ad quae non habet moralem congruitatem gratia habitualis, maior excellentia Maternitatis Dei arguitur? Nam congruitas et decentia comitatur bonitatem et excellentiam rei, quae talem congruitatem includit. Maior autem congruitas in his rebus maiorem bonitatem et excellentiam denotat: at ex maiori excellentia Maternitatis Dei, maior etiam sanctitas ipsius deducitur.

Si vero instet quispiam, admittens puritatem animae ac pulcritudinem recte quidem aptari Maternitati Dei, non tamen superiores rationes evincere, id competere Maternitati immediate ratione sui, et formaliter, sed tantum in radice; formaliter autem, ratione gratiae habitualis ipsi Maternitati Dei debitae; quare non probari inde, ipsam Maternitatem Dei esse formam sanctificantem: respondeo, immediate et ratione sui competere Maternitati Dei puritatem et integritatem mentis; id enim exigit Maternitas Dei, adeoque quia Maternitas Dei sancta est immediate et per se, ideo per se et immediate exigit illam puritatem et animae pulcritudinem. Deinde, ut Maternitas Dei sit sanctificans, sat est sibi de condigno exigere gratiam habitualem, quia ex eo iam constituitur radix totius ordinis supernaturalis in Beata Virgine, quod proprium est formae sanctificantis: tum quia ex eo apparet, Maternitatem Dei, sublimiorem esse dignitatem gratia habituali, cum haec illam tanquam proprietas essentiam comitetur; perfectius igitur ac nobilius animam sanctam efficiet.

CERTAMEN VII.

Praecluduntur adversariae partis argumenta.

1626. Plura sunt argumenta doctrinae superiorum Certaminum adversantia. Primo igitur obiicitur: Potior et nobilior est Maternitas Dei moralis et filiatio adoptiva, quae sita est in adimplendis Dei praeceptis, quam Maternitas naturalis Dei; ergo sola Dei Maternitas non est forma sanctam reddens animam. Consequentia

liquet: si enim B.Virgo ex sola Maternitate sancta esset, sicut cum gratia habituali, ergo praeferenda est B.Virgo titulo Maternitatis, reliquis iustis custodientibus Dei praecepta ; atqui non ita est, imo Christus Dominus anteponit Maternitatem moralem iustorum, seu filiationem adoptivam ipsi Maternitati Dei, ut constat ex verbis illis: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti: quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* Luc. 11. Ubi Christus iustorum gratiam ac beatitudinem antefert gratiae ac beatitudini Maternitatis Dei. Quibus consonant verba illa, Matth. 12: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Ergo sola Maternitas Dei non est animae sanctitas. Minor patet ex pluribus Patribus, qui excellentiorem censent Maternitatem spiritualem, vel quod idem est, filiationem adoptivam omnibus iustis communem, quam ipsam Dei Maternitatem naturalem propriam solius Mariae. Sic Augustinus, lib. de Virginit., cap. 3: *Beatior Maria fuit percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Percipere autem fidem Christi simul cum charitate, est commune omnibus iustis. Idem censent alii Ecclesiae Patres, quos vide apud Suarium, to. 2 in 3 p., dis. 1, sect. 1; ergo dignitas Maternitatis naturalis Dei inferior est gratia habituali.

Huic obiectioni primo occurritur, si dicamus, Maternitatem Dei duplicem includere sanctitatem, corporis scilicet, et animi. Prima specialis est B.Virginis, nec alteri iusto competit. Altera participat aliquo modo rationem communem gratiae habitualis ; siquidem, ut supra ostendimus, Maternitas Dei est participatio Deitatis, et dicit repugnantiam cum peccato, et sibi vendicat amicitiam cum Deo; habet etiam ius ad gloriam, quae omnia conveniunt etiam gratiae habituali. Prima ergo sanctitas propria Maternitatis Dei, minus principalis est, quam secunda. Quod innuit Christus Dominus in praedictis verbis, quasi B. Virgo esset cultu excellentiori suspicienda propter sanctitatem mentis a Maternitate Dei derivatam, quam ratione sanctitatis ventris et corporis ab ipsa etiam Maternitate promanantem. Quod subindicat Guarricus abbas in Matth. verba praefata: *Igitur*, ait, *ubi eam Filius negligere videtur, ibi amplius honorasse invenitur, dum ei scilicet Materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eundem Filium, quem in alvo gestaverat incarnatum, etiam animo gestabat inspiratum.* Duas Maternitatis rationes accommodat B. Virgini, carnalem scilicet, et spiritualem; ita tamen ut spiritualis potior sit, et seorsim a gratia habituali, sanctitatem longe praestantiorem sibi vendicet.

Secundo dici potest, in praefatis locis Christum Dominum componere opus naturale praestitum in conceptione et gestatione ac lactatione, cum opere morali custodiendi verbum Dei, et obtemperandi ipsius voluntati in ratione bonitatis moralis et meriti; et secundum hanc considerationem, praeponit legi divinae obtemperantiam operi naturali pariendi, in utero gestandi et lactandi Filium Dei: haec enim obsequia, ut mere naturalia, et quasi necessaria B. Virgini, nullam bonitatem moralem aut meritum sortiebantur; non itaque confert Christus Maternitatem Dei, qua est participatio Deitatis, peccati expultrix, amicitiae Dei illatrix, et altiorem sanctitatem invehens in animam, cum gratia habituali iustorum ; sed confert opera et obsequia Matri naturalia ac necessaria, quae nullam ex se laudem ac meritum inducunt, cum obsequiis moralibus bonis, quae sunt meritorum capacia. Bene igitur potest Maternitas Dei esse sublimior gratia habituali iustorum absolute ac simpliciter, licet aliqua officia Maternitatis omnino necessaria ac naturalia, sint inferiora pluribus reliquorum iustorum operibus bonis in ratione moris et meriti.

Tertio occurrit Suarius, to. 2 in 3 p., dis. 1, sect. 2, Maternitatem Dei cum Filio dupliciter considerari posse: primo, si praescindamus Filium a Deitate et personalitate increata, qua homo est: secundo, si consideremus eum, qua Deus est. Cum ergo Christus praeponit coniunctionem spiritualem iustorum cum Deo, coniunctioni pure naturali Matris, loquitur primo modo, quia id solum intendebat mulier illa, dum dixit: *Beatus venter, qui te portavit*, quia Matrem Christi extollit ab uberibus et ventre : tum et Iudaei, qui, cap. 12 Matth., Matrem et fratres Christi foris stantes esse dixerunt, nihil profecto de Christi divinitate in mentem illis venit, sed solum coniunctionem carnalem cum humanitate Christi animo perceperunt. Nos autem hucusque loquuti sumus de coniunctione Materna cum Christo, quae respicit ordinem supernaturalem et unionem hypostaticam, et quatenus Virginem effecit non solum hominis, sed etiam Dei Genitricem, quae longe excellentior est dignitas et coniunctio cum Deo, filiatione adoptiva gratiae habitualis reliquorum iustorum, ac proinde vere animam sanctificare adstruimus.

1627. Secundo obiiciunt, hanc sanctitatem, quam Maternitati Dei deferimus, refragari communi Doctorum sensui et consensui, adeoque temeritatis nota dignam esse sententiam illam adstruentem, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem, et tanquam novam et inauditam explodendam. Respondeo, nequaquam adversari huic placito Theologos positive, cum de illo vix mentionem aliquam fecerint: duos autem vel tres, qui hanc controversiam invexerunt, nobis plane adfavere, Albertum, s. Antoninum et Bachonium supra relatos. Fatemur e nuperis Doctoribus plures oppositam partem docuisse; innituntur tamen his fundamentis, quae fundant oppositionem physicam inter gratiam sanctificantem et peccatum, iusque ad gloriam tribuunt gratiae, secluso novo favore Dei : at sententia, quae Maternitati Dei seorsim a gratia habituali sanctitatem defert, solam moralem oppositionem inter gratiam et peccatum admittit, et connexionem moralem cum gloria dependentem a favore Dei, ipsi gratiae sanctificanti tribuit. Quod

autem positive Doctores ac Patres huic parti affirmanti non adversentur, inde planum fit, quod vix aliquis hanc controversiam tetigerit, praesertim ex veteribus; ergo nequit temeritatis nota inuri, quippe illud solum assertum temeritatis notam incurrit, quod communi Doctorum iudicio adversatur positive.

Tertio arguunt: non repugnat ex natura rei, Maternitatem Dei cum peccato componi; at repugnantiam involvit ex natura rei, gratiam cum peccato coniungi; ergo Maternitas Dei non est gratia, seu forma sanctificans. Minor ostenditur, quia B. Virgo seiuncta a gratia habituali existens, tamen Mater Dei poterat physice ex natura rei peccare. Respondeo, falsum esse, gratiam sanctificantem ex natura rei dicere oppositionem physicam cum peccato, sed solum moralem, ut vidimus; quam etiam oppositionem moralem cum peccato dicit Dei Maternitas ex natura sua, ut pluribus ostendimus. Quocirca Virgo Deipara etiam a gratia habituali seiuncta, peccare non poterat, quia id petit condignitas moralis Maternitatis Dei, ut nequeat moraliter cum peccato componi, quod si novus favor Dei necessarius est Maternitati Dei, ut a peccato sit immunis, etiam novus favor Dei requiritur, ut gratia habitualis peccatum excludat.

1628. Quarto opponunt: Virgo Deipara in triduo mortis Christi non erat Mater Dei, quia non existebat in rerum natura Filius ab ipsa genitus; pereunte autem filiatione, necesse fuit, perire relationem Maternitatis, quia relatio haec pendebat ab existentia termini, quia erat praedicamentalis; et tamen in illo triduo non fuit minus sancta, nec minori veneratione et cultu suspicienda, quam reliquo vitae tempore; ergo formaliter non erat sancta per Maternitatem Dei. Occurrimus huic argumento, asserendo in triduo illo periisse Maternitatem Dei logice ac praedicamentaliter, id est iuxta relationem praedicamentalem consurgentem ex coexistentia fundamenti ac termini; non tamen periisse Maternitatem Dei moraliter, id est iuxta moralem aestimationem: quoad hanc enim sufficiet generatio praeterita. Et arguo *ad hominem*, quia in omnium sententia B. Virgo in illo triduo fuit adoranda Hyperduliae cultu, licet hic cultus formaliter proveniat a Maternitate Dei, quae excellentiori adoratione coli postulat; et tamen in illo triduo non aderat Maternitas Dei quoad relationem praedicamentalem, sed solum quoad moralem aestimationem. Sic regina, rege defuncto, eodem honore afficienda, licet actu non sit mater regis quoad relationem praedicamentalem.

Quinto, forma sanctificans intrinsece supernaturalis est, cum tamen Maternitas Dei sit intrinsece naturalis, quia est relatio consurgens ex generatione naturali humanitatis Christi; ergo non est forma sanctificans. Verum, ostensum est iam supra pluribus, Maternitatem Dei esse supernaturalem; cum enim nihil aliud sit, ut dixi in Physicis, agens de praedicamento relationis, quam denominatio resultans ex generante, et ex termino producto; suppositum autem genitum, quod formaliter relationem Maternitatis constituit, includit personalitatem Verbi hypostatice unitam humanitati, sine qua terminus genitus non est Filius B. Virginis, sola enim humanitas non dicitur filia Virginis, sed persona coalescens ex humanitate et hypostasi Verbi divini, dicitur vere Filius Mariae. Qui autem relationem modum esse aiunt, eum supernaturalem esse, opus est statuant, cum resultet ex supposito genito talem relationem terminante, at suppositum supernaturale est. Si vero duplicem hic distinguas relationem; alteram, qua B. Virgo refertur ad humanitatem Christi, tanquam causa ad effectum; alteram, qua Mater refertur ad suppositum coalitum ex humanitate et hypostasi Verbi, teneberis asserere, priorem illam relationem non constituere filiationem et Maternitatem, sed posteriorem, quia hae relationes sunt suppositorum. Videatur Granado, tom. 4, controv. 8, num. 8.

1629. Robustissimus omnium Achilles adversus nostram sententiam est argumentum, quod depromitur ex concilio Tridentino, sess. 6, cap. definiente formam sanctificantem nobis intrinsece inhaerere, nec hominem sanctificari posse per sanctitatem extrinsecam Dei, ut contendunt haeretici. At si Maternitas Dei esset forma sanctificans, iam B. Virgo sanctificaretur extrinseca Dei sanctitate, videlicet Filii sui subsistentia; siquidem per eam solum extrinsece constituitur Mater Dei. Rursus, vel relatio Maternitatis Dei est modus intrinsecus a fundamento et termino distinctus ex natura rei, vel solum est denominatio extrinseca desumpta a termino generato; si primum, fieri non potest, ut imperfectissimae essentiae ac naturae modi perfectio omnium sublimior, nempe sanctificandi, competat: longe enim ignobilior est modus iste, quam gratia habitualis; si vero relatio Maternitatis Dei sit solum denominatio extrinseca, ut iam maior et nobilior Philosophorum phalanx propugnat, tunc obstat Tridentina definitio: ergo ne ad has cogamur angustias, satius erit asserere, Maternitatem Dei non esse formaliter formam sanctificantem.

Verum neque hoc robustissimo Achille superari patiemur, praesertim cum in honorem tantae Matris digladiatio fiat: hoc ergo robur extenuare ac debilitare hoc loco contendimus. Primo igitur respondeo: si relatio Maternitatis Dei sit modus, ut plures volunt, recte poterit ipsi virtus sanctificandi competere; nam plurium Theologorum iudicio, dilectio Dei et Visio beata, formae sunt sanctificantes, cum tamen plures Philosophi ad libros de Anima, censeant hos actus esse modos, sive relationes transcendentales potentiae in obiectum pure modales. Deinde unio hypostatica utique modus est, qui est forma sanctificans apud plures Theologos nobilissimos: nec imperfectio modi obstare potest, quominus sanctificare dicatur; licet enim in esse physico sit ignobilior entitate physica, at in esse morali, et quoad moralem aestimationem, videlicet reddendi personam, cui inhaeret, honore et amore dignam, a peccato immunem, potest esse maioris aestimationis, quam gratia

habitualis, quia intimiorem coniunctionem importat cum Deo, sicut unio hypostatica in quorundam sententia, superatur in esse physico a gratia habituali; quae tamen in esse morali longe superatur ab unione hypostatica. Quid, quod modus relationis Maternitatis Dei, etsi ex genere suo physico imperfectus sit, caeterum ex differentia specifica potest esse perfectior, ac nobilior pluribus aliis entitatibus absolutis, praesertim cum hae tanquam proprietates modum subsequantur et comitentur, ut in unione hypostatica planum fit?

1630. Maior difficultas oritur in sententia relationem Maternitatis constituente in denominatione partim extrinseca, partim intrinseca ex coexistentia utriusque extremi consurgente. Verum adhuc in hac sententia, sicut Maternitas Dei reddit B. Virginem dignam adoratione Hyperduliae; ita etiam dignam eam efficit quae Filii amore colatur; haec enim adoratio ac dilectio prae aliis, Maternitatem subsequitur: sic etiam eadem Maternitas Dei poterit eandem Virginem Deo caram, pulcram ac amabilem amore, supernaturali, adeoque et sanctam reddere. Indeque ratio accommoda desumi potest, quia licet Maternitas Dei constituatur et consurgat ex dignitate Filii, quae physice extrinseca est Matri, aestimatione tamen morali intrinseca est ipsi, nam omnium aestimatione censetur Deipara per Maternitatem Dei in eam extolli dignitatem et eminentiam, ut ei intrinsecam amabilitatem et bonitatem importet, digniorem etiam aestimationem apud omnes conferat; quae unio moraliter intrinseca sufficere potest ad conferendam sanctitatem animae, cui inest: quemadmodum plures Theologi actum charitatis physice iam praeteritum docent animam afficere, quia censetur moraliter perseverare intrinsece; cur non etiam Maternitas Dei, licet physice extrinseca, cum moraliter intrinseca sit, poterit B. Virginem sanctam formaliter efficere? Respondere posset quispiam, disparem valde esse rationem inter actum charitatis et Maternitatem Dei, quia actus charitatis aliquando tanquam forma intrinseca affecit animam, adeoque censetur perseverare moraliter, dum non explodit per peccatum: at Maternitas Dei nunquam fuit forma intrinseca afficiens physice B. Virginem; concilium namque Tridentinum vult nos sanctificari per formam physicam aliquando saltem intrinsece inhaerentem animae.

Arbitror tamen huic sententiae nequaquam refragari Tridentinum, sess. illa 6 cit. Solum enim ibi intendit adversus haereticos, sanctitatem et gratiam, quae communis est omnibus iustis, non solum esse extrinsecam Dei sanctitatem ipsis extrinsece applicatam, sed esse formam unicuique iustorum intrinsece insidentem. Haec autem sententia, ut a nobis proposita est, nequaquam negat sanctitatem et gratiam communem omnibus iustis, physice et intrinsece inhaesisse B. Virgini; mentem autem concilii non subiit, aliam sanctitatem denegare, quae ex Maternitate Dei tanquam ex forma partim extrinseca physice, partim intrinseca moraliter consurgat: cum etiam adhuc post Tridentinum plures doceant, posse Deum sine gratia habituali inhaerente, hominem iustificare, sibique gratum constituere, per solam acceptationem suae voluntatis; qui neutiquam adversantur definitioni concilii, cum admittant aliunde gratiam intrinsece inhaerentem. Non ergo haec sententia opponitur definitioni Tridentini, licet admittat, Maternitatem Dei sanctificare animam B. Virginis, praeter sanctitatem, quam tribuit gratia habitualis communis cum reliquis iustis, et intrinsece inhaerens ipsi Deiparae. Quid, quod haeretici asserebant, sanctitatem Dei hominem reddere Deo gratum ac sanctum, per solam extrinsecam applicationem, et per imputationem fidei solam, qua homo credit Christum, ac Deum esse nostram iustitiam, et merita Christi pro nobis Deo Patri oblata, non vero moraliter coniunctissimam arctissimo Maternitatis Dei vinculo, tum et filiationis, quo Christi Filii sanctitas ac divinitas cum B. Virgine adnexa est: non enim solum est physice extrinseca B. Virgini, sed etiam intrinseca moraliter, quia est per unionem hypostaticam unita substantiae et carni ac sanguini Matris, ut loquuntur Patres, cum asserunt Deiparam et Filium unius esse naturae et substantiae, Filiumque inesse Matri per identitatem substantiae: iuxta quem dicendi modum, nulla ratione comprehenditur sanctitas Maternitatis Dei sub definitione illa Tridentini, qua haereticos solum sugillat ac ferit, qui nos Dei sanctitate sanctos esse per applicationem et imputationem extrinsecam comminiscebantur.

Itaque concilium citato loco duo decernit: primo, non iustificari hominem de facto per iustitiam extrinsecam Dei, vel alterius personae: secundo, hominem sanctum et iustum reddi per gratiam sibi physice inhaerentem. An autem praeter gratiam physice inhaerentem, sit alia gratia hominis iusti propria, qua moraliter reddatur iustus ac Deo gratus, non definit concilium; in hunc enim solum scopum collimabant Patres concilii, ut Lutheri et Calvini errores procul dispellerent; ipsi autem nec verbum de tali gratia morali fecerunt, sed formam physice inhaerentem, quam nos gratiam nuncupamus, inficiabantur. Integra ergo remanet concilii definitio de gratia intrinsece homini inhaerente; licet admittamus aliam gratiam moraliter solum hominem iustificantem: imo plures in dubium vertunt, utrum gratia intrinsece inhaerens homini sit adaequate intrinseca; plurimi enim Doctores censent, qualitatem gratiae non iustificare hominem solum vi sua nativa seorsim sumpta, sine extrinseco Dei favore: ergo in horum sententia favor extrinsecus Dei ingreditur constitutionem gratiae iustificantis, atque adeo nostra iustificatio componitur ex forma extrinseca et intrinseca.

1631. Insurget nonnemo, ex dictis inferri, B. Virginem per Dei Maternitatem esse infinite sanctam. Quod sic ostenditur: B. Virgo est sancta per Maternitatem Dei, quae extrinseca est ipsi, et constituitur formaliter per personalita-

tem et divinitatem Christi; sed sanctitas divinitatis, et hypostasis Christi est infinita; ergo et B. Virgo per Maternitatem est infinite sancta. Respondeo admittens aliquod infinitudinis genus inesse dignitati Maternitatis Dei, adeoque et ipsius sanctitati; sic enim Patres loquuntur, ut in superioribus monuimus: hanc autem infinitudinem solo Deo minorem esse fatentur, non tamen Deo aequalem, quia licet haec infinitudo includat Dei infinitudinem, minuitur tamen eius magnitudo, et excellentia ex modo unionis imperfectae, et extrinsece solum afficientis ipsam B. Virginem. Quemadmodum ergo Deipara est adoranda excellentiori cultu propter Maternitatem Dei, non tamen latriae absolute, sicut Deus, sed hyperduliae, licet excellentia B. Virginis in Maternitate Dei constituatur formaliter; sic etiam de eiusdem sanctitate philosophandum.

Hinc dubium suboritur; deduci enim videtur ex proxime dictis, infinitudinem sanctitatis Deiparae, qua Mater Dei est, esse sufficientem ad satisfactionem condignam pro peccato. Quod sic ostendi potest: dignitas Matris Dei est infinita saltem *secundum quid*; sed gravitas offensae, quae inest peccato, solum est infinita *secundum quid*, ex parte scilicet personae offensae; ergo tanta est sanctitas Mariae, qua Mater Dei, quanta est gravitas offensae; ac proinde poterat Mater Dei aequali et condigna satisfactione satisfacere pro peccato. Sequela autem refragatur Patribus ac Theologis in universum asserentibus, opus esse, ut homo-Deus satisfaceret ad condignam condonationem peccati. Respondeo, id nullatenus sequi ex nostra sententia, quia ad aequalem et condignam satisfactionem pro peccato, opus est, ut persona satisfaciens sit aequalis personae offensae; at infinitudo dignitatis Maternitatis Dei, non est aequalis, sed in infinitum longe inferioris ordinis et sphaerae, dignitate personae offensae, nempe Dei, quia infinitudo purae creaturae, qualis est Mater Dei, licet esset absolute infinita, nunquam tanta esse potest, quae compleat distantiam infinitam Creatoris offensi.

1632. Alius deducet ex dictis inferri, ex infinita sanctitate B. Virginis, qua Mater Dei est, fieri, ipsius merita fore condigna praemio simpliciter infinito, adeoque omnis gloriae possibilis: sicut homo per peccatum meretur de condigno poenam infinitam et privationem gratiae et gloriae possibilis. Respondeo, adhuc sub iudice litem esse, utrum peccatum sit dignum poena infinita, etsi certum sit, peccatorem indignum esse omni gratia et gloria possibili; unde negare etiam poterit meritis Virginis Deiparae dignitas praemii infiniti: vel, si mavis, dicito nullum fore absurdum admittere, merita Deiparae fore condigna praemio, simpliciter infinito, et collatione omnis gratiae habitualis, et gloriae possibilis.

Ultimo aliqui contendunt infirmare rationes, quibus toto huius Palaestrae discursu, usi sumus ad constabiliendam sanctitatem Maternitatis Dei, Patrumque testimonia nituntur exponere pro sententia communi. Primo igitur aiunt, argumenta superius adducta, Patrumque dicta pro fulcienda sanctitate Maternitatis Dei, probare solum, dignitatem Maternitatis Dei invehere sanctitatem et gratiam, non ita, ut sit Maternitas Dei formaliter sanctitas, aut gratia, sed ut secum adsportet gratiam habitualem communem reliquis iustis; in Virgine autem Deipara perfectissima in intensione. Itaque dum Maternitatem Dei extollunt, non utique nudam eius dignitatem accipiunt, sine gratia habituali, sed gratia, aliisque donis ac virtutibus supernaturalibus decoratam. Quare rationes productas pro nostra sententia, ac Patrum dicta non evincere dignitatem Maternitatis Dei seorsim a gratia habituali distinctam, esse gratiam sanctificantem formaliter animam B. Virginis.

Huic obiecto occurrendum est primo, asserendo rationes superius factas, tum et Patrum dicta attribuere dignitati Maternitatis Dei excellentiam multo superiorem, quam sit gratia habitualis. Item proprietates omnes, quae propriae sunt gratiae sanctificantis (quae tamen gratiae habituali nequaquam adaptari possunt), ipsi Maternitati Dei, ut vidimus, egregie competunt. Praeterea cum Patres cum Gabriele vocant Mariam gratia plenam, ac prae caeteris foeminis benedictam, perspicue docent, eam gratiam fuisse dignitatem Maternitatis Dei, ad quam fuit evecta. Rursus plura quae sanctitati Maternitatis Dei adscripsimus, in gratiam habitualem etiam intensissimam cadere nequeunt, utputa impeccabilitas, infinitudo, immunitas ab omni peccato etiam veniali, atque adeo sanctitas Maternitatis Dei necessario distincta esse debet a gratia habituali.

Instant tamen adversarii, eam sanctitatem et gratiam, quam contendimus esse annexam, et identificatam cum Maternitate Dei, solum esse dicendam gratiam latiori significatione, quatenus scilicet dicuntur gratiae omnia dona et auxilia gratiae, dignitas Apostolatus et Prophetiae, gratiae item gratis datae; non autem esse gratiam, qua subiectum dicitur essentialiter sanctum et iustum, gratumque Deo. Verum haec instantia iam praeoccupata fuit rationibus a nobis adductis; nam gratia et sanctitas, quam adiunximus dignitati Maternitatis Dei, est ipsa, qua B. Virgo praedicatur sanctissima, Deoque gratissima, ut constat ex superioribus Certaminibus. Et quidem gratia subiectum reddens immune ab omni peccato, est gratia sanctificans: at vidimus, Maternitatem Dei se sola exterminare peccatum a Deipara; ergo Maternitas Dei se sola, est gratia sanctificans.

CERTAMEN VIII.

Maternitati Dei competunt reliqua praedicata essentialia propria formae sanctificantis.

1633. Gratia sanctificans vel spectari potest in ordine ad Deum, vel in ordine ad alias virtutes infusas, ipsarumque actus, vel in ordine ad gloriam, vel denique in ordine ad naturam rationalem; ex his omnibus excellentiae et attributa gratiae habitualis desumi possunt. Si e-

nim conferatur cum Deo, recte dici potest participatio naturae divinae, amicitia cum Deo, et filiatio adoptiva: de quibus abunde in superioribus Certaminibus egimus. Si comparetur gratia sanctificans cum virtutibus infusis, dicitur natura quaedam supernaturalis, quae principium sit et radix ac forma virtutum. Si cum actibus virtutum componatur, appellatur dignitas et valor ipsorum, quia ipsis valorem tribuit in ordine ad merita. Si comparatio fiat cum gloria, vocatur semen gloriae, ac ius haereditarium ad illam, quia per illam homo ius acquirit in gloriam, atque ipsius haeres instituitur. Si denique collatio fiat cum natura rationali, dicitur gratia, iustitia, vita, pulcritudo, et mundities ab omni foeditate ac turpitudine peccati lethalis. Quae omnia praedicata ex decursu totius huius Palaestrae, Maternitati Dei competere iam constat.

Controverti autem solet inter Scholasticos, quaenam sit prima et praecipua formae sanctificantis perfectio, et attributum. Ripalda, to. 2 de ente supernaturali, disp. ult., sect. 5, docet illud esse primum ac praecipuum attributum gratiae sanctificantis, nempe esse naturam in ordine supernaturali, quae sit principium ac radix omnis habitus et actus supernaturalis, et cuiuslibet alius perfectionis supernaturalis. Et ratio esse posset, quia quodlibet aliud attributum, sive perfectio cadens in formam sanctificantem supponit, nempe quod sit principium universale, et sua natura deposcit omnes alias perfectiones supernaturales; ex eo enim forma sanctificans est scintilla, seu participatio divinae naturae, quia est quaedam excellens perfectio communionem habens cum illa; ut sit filiatio adoptiva, prius praeconcipere oportet excellentiam quandam et perfectionem cum natura divina convenientem, ex qua etiam amicitia resultat, quia includit bonitatem participatam expetibilem a Deo: ex hac igitur sublimi dignitate suppositum et personam nobilitante valor accedit, et refunditur in operationes ipsius personae operantis; sublimiori enim dignitate personae operantis operationum valor accrescit, et propter eandem excellentiam ius in gloriam acquirit; immunitas autem ab omni foeditate peccati lethalis supponit naturam pulcherrimam, quae huic foeditati opponatur. Quocirca sicut discrimen specificum naturae rationalis est perfectio secum adsportans virtutem intelligendi; sic specifica differentia formae sanctificantis est perfectio secum ferens virtutem radicalem virtutum, ac donorum supernaturalium.

Oppones: ut aliqua forma sit sanctificans, opus non est ut apprehendatur tanquam perfectio naturae supernaturalis, sed sat erit concipi ut perfectio quaedam excellens, et opposita peccato lethali; ergo ratio naturae supernaturalis non intrat conceptum essentialem gratiae sanctificantis; nulla enim perfectio concipi potest sine conceptu essentiali suo. Assumptum constat, aliquae enim sunt perfectiones sanctificantes, et tamen non sunt naturae supernaturales, vel principium virtutum supernaturalium, ut actus charitatis, visio beata, attributa, et relationes divinae, quae vim habent sanctificandi: imo Tridentinum, sess. 6, c. 7, solum deposcit ad formam sanctificantem, quod renovet et perficiat animam, ut eam emundet a peccatis, iuxta Dionysium de divinis nominibus, cap. 12, ubi sanctitatem definit, quod sit ab omni immunditia expers, et incontaminata mundities; ergo quaecunque perfectio, quae animam reddat mundam a peccato, licet non sit natura in ordine supernaturali, erit forma sanctificans.

Responderi potest, hic nos non statuere conceptum essentialem et primarium sanctitatis in genere, qui communis est omni formae sanctificanti, sed solum in specie, id est, gratiae habitualis. Itaque sanctitas, sive iustitia in communi non dicit conceptum naturae in ordine supernaturali, sed perfectionem oppositam peccato (ex quo facilius propendere poteris in sententiam asserentem, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem, quia forma sanctificans in communi solum dicit perfectionem dicentem oppositionem cum peccato: quod, ut vidimus, egregie in Maternitatem Dei quadrat). At vero gratia habitualis, quae est sanctitas in specie, constituitur per perfectionem, quae sit veluti natura in ordine supernaturali, quae sit principium et radix universalis virtutum et donorum supernaturalium.

. **1634.** Statuo igitur cum communi Theologorum consensu, reipsa competere gratiae habituali, esse veluti alteram naturam in ordine supernaturali, quae sit universalis radix omnium virtutum et donorum supernaturalium: quidquid reclamet Conink. 2 2, disput. 21, n. 75 et 127, cuius argumenta vide diluta apud Ripaldam cit., num. 62 et seqq. Quod etiam munus adstruo competere sublimiori modo Maternitati Dei, quia est, ut vidimus, excellentior participatio naturae divinae, quae sita est in convenientia muneris naturae in ordine supernaturali, quae sit principium et radix omnium virtutum ac donorum supernaturalium, quod vere primo et per se convenit Deitati, deinde unioni hypostaticae, et Maternitati Dei multo excellentius, quam gratiae habituali; esse autem instar naturae in ordine supernaturali, non est aliud, quam esse radicem, ex qua pullulant virtutes infusae, ipsarumque actus ac reliqua dona supernaturalia, quod competit B. Virgini, qua Mater Dei est, quia Maternitas Dei constituit Deiparam Matrem naturalem Dei; ergo Deo amabilem, amicam, et nobiliori modo filiam adoptivam Dei, atque adeo opus est, ac maxime decet, ut constituat eam operantem conformiter regulis morum, non solum in ordine naturali, sed etiam supernaturali: si enim filiatio adoptiva Dei evehit hominem ad statum supernaturalem, ideoque exigit facultates supernaturales proprias illius status; profecto potiori iure Maternitas naturalis Dei, quae maior dignitas est, quam filiatio adoptiva Dei, extollet Deiparam in statum supernaturalem, ac proinde exiget facultates supernaturales, id est habitus infusos, sine quibus imperfecta conciperetur: imo longe per-

fectius participat Maternitas Dei divinitatem, quam gratia habitualis: sicut enim sanctitas divinae naturae non admittit malitiam vel levissimam; ita singulari Dei dono Maternitas Dei non admittit nec leve aliquod peccatum, quod tamen non est incompossibile de facto cum gratia habituali.

1635. Tres aliae excellentiae, sive effectus formales, qui gratiae habituali competunt iuxta communem Theologorum sententiam, in Maternitatem Dei optime cadere breviter ostendam. Primus est, hominem constituere iustum, quod nihil aliud est, quam esse in actu primo radicali rectum, ac iuxta rationis praescriptum, et regulis morum conformem; quas quidem regulas illae virtutes, quae gratiam comitantur, praescribunt. Hanc vim operandi iuxta rationis praescriptum, tribuit Augustinus, lib. de Spiritu et litera, cap. 26, ipsi gratiae habituali, dum ait: *Sic intelligendum est: factores legis iustificabuntur, ut sciamus eos non aliter esse factores legis, nisi iustificentur, ut non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio praecedat.* Quis autem non videat, hanc excellentiam competere B. Virgini ob solam Maternitatem Dei seorsim a gratia habituali praecisam, cum sit Deo propinquior sola Maternitate Dei, quam homo gratia habituali affectus? qui autem Deo propinquior est, conformior etiam petit esse regulis rectae rationis, ac virtutum, quae Dei amicitiam consequuntur.

Ex quo effectu oritur secundus reddendi animam formosam ac pulcram; quae enim spectabilior pulcritudo? quis decor venustior, quam aptissima virtutum concordia, et consensio? quem virtutum splendorem adhuc et ethnicus Cicero subodoratus est, l. 1 offic.: *Quis*, ait, *non miretur splendorem, pulcritudinemque virtutis?* Hanc animi pulcritudinem, quam gratia secum importat, s. Augustinus commendat, to. 3, l. 15 de Trinit., cap. 8: *Natura*, inquit, *cum a suo Conditore iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam.* Et Chrysostomus, hom. 1 in 1 ad Ephes.: *Quomodo si quis scabiosum quendam, et peste, ac morbo confectum, statim formosum fecerit iuvenem, omnes homines pulcritudine vincentem*, etc.; *ita nostram instruxit et ornavit animam, pulcramque fecit, desiderabilem et amabilem.* Quod autem B. Virgo per Dei Maternitatem praecise omnium creaturarum pulcherrima praedicetur, constat ex certaminibus de pulcritudine Deiparae. Idcirco s. Augustinus ait de Virgine Deipara: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Hinc tertius resultat effectus reddendi Deo hominem gratum et amicum, iuxta illud Cantic. 5: *Comedite amici*, et Luc. 12: *Vos autem dixi amicos.* Nam per gratiae venustatem ac pulcritudinem, allicimus divinam voluntatem in nostram amicitiam, qua amici Dei reddimur. At B. Virgo, omni alio secluso dono, per solam Dei Maternitatem, ut Deo fuit coniunctissima, ita et necessitudine et amicitia fuit Deo gratissima et amabilissima, ideo saepe in Canticis amicae nomine donatur.

1636. Sciscitabitur aliquis, qua de causa necessaria fuerit in anima B. Virginis gratia habitualis, cum sufficere posset gratia Maternitatis Dei; sicut inquiri solet de Christo Domino cur data ei fuerit gratia habitualis, cum sufficeret gratia unionis. Siquidem gratia habitualis necessaria non fuit animae Deiparae, ut redderet ipsam gratam et amicam Deo, nec ut redderet sanctam, et oppositionem habentem cum peccato, neque ut operationes ipsius Deiparae coram Deo essent meritoriae: haec omnia habebat Virgo Deipara per Maternitatem Dei, ut tota hac Palaestra ostendimus. Respondeo primo ideo collatam fuisse gratiam habitualem B. Virgini, nempe ad consummatam perfectionem extensivam; per gratiam enim habitualem multum perfectionis et sanctitatis advenit ipsi, sicut etiam ex bonis operibus, in quibus in dies exercebatur, praecipue charitatis et amoris Dei actibus; siquidem haec omnia opera reddunt hominem sanctum, ac magis sanctum et amicum Deo. Secundo dicimus gratiam habitualem fuisse necessariam in Deipara ad eliciendas operationes supernaturales connaturali modo: per gratiam enim habitualem habuit Beata Virgo in se principium proprium, ac formale eliciendi opera supernaturalis ordinis; non quia talis gratia habitualis necessaria sit simpliciter ad eliciendos actus supernaturales, sed ut eos eliceret per proprium principium sibi inhaerens connaturale. Si enim caeteri iusti acceperunt gratiam habitualem a Christo tanquam a capite, multo magis anima B. Virginis utpote propinquior ipsi Christo debuit accipere gratiam habitualem. Deinde Virgo Deipara futura erat Collum Ecclesiae, per quod a Christi capite in reliquos iustos gratia habitualis derivaretur; oportebat ergo Virginem gratia habituali in gradu excellenti pollere.

PALAESTRA VICESIMASEPTIMA

Rerum omnium dominium nanciscitur Deipara

CERTAMEN PRIMUM

Temporale Christi et Deiparae regnum profligat.

1637. Quod Christus Dominus temporale regnum sortitus sit proprium, eiusdemque ordinis cum eo, quo gaudent caeteri reges, docent plures cum D. Thoma, lib. 3 de regimine principum, cap. 15, ubi perspicue ostendit Christum temporaliter esse Dominum orbis: et c. 13 docet Augustum Caesarem a Christi nativitate in terra Christi vices egisse, adeoque ipsius fuisse tanquam vicarium seu proregem, sicque ad descriptionem totius orbis properasse, licet tanti mysterii prorsus ignarum; non quidem quod sibi totus orbis pareret, sed quia Christi vices ac locum tenebat, cuius imperium per totum terrarum orbem protendebatur. Hincque divino actus consilio interdixit, ne in posterum ipsum Dominum vocarent; ac si ignarus suo iam cederet principatu, et quasi in verum ac legitimum orbis Dominum, nempe Christum, illum transferret. Ex sacris Literis suaderi potest haec sententia; quia Christus Dominus id non obscure innuit, dum Pilato sciscitanti, utrum Rex esset Iudaeorum utique temporalis, de quo quaestio et accusatio instituta fuit, respondet: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Ioann. 18, ubi ingenue fatetur se Regem esse; intulit enim Pilatus: *Ergo Rex es tu?* Cui Christus illationem concessit his verbis: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Et quidem sermo erat de temporali regnò, hoc enim sibi Christus usurpare accusabatur: igitur cum ad mentem Pilati respondet, se Regem esse temporalem affirmat; negavit autem fastum, ministrorumque strepitum, quo alii reges uti solent, quod subindicat adiiciens: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent.* Ubi solum externum fastum regum denegat; potestatem tamen regiam temporalem admittit eiusdem ordinis cum quovis alio rege temporali. Et quidem Christum Dominum esse Regem temporalem, propositio videtur infallibilis veritatis; quia Nathanaeli roganti, Ioann. 1: *Tu es Filius Dei? tu es Rex Israel?* annuit Christus, imo subdit Nathanaelis propositionem infallibilis esse certitudinis, ait enim: *Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis.* Ubi docet Nathanaelem credere, et quidem fide divina Christum esse Regem Israel, de quo quaestio erat instituta: non enim Nathanael tunc cognoscere poterat aliud regnum nisi temporale. Quod firmari potest verbis illis imperitae plebeculae clamantis Ioa. 12: *Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel*; approbavit enim populi voces sibi attribuentis temporale regnum, et contradicentibus Pharisaeis obiecit: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, Luc. 14. Et quidem regis nomen proprie temporale regnum adsignificat; ergo cum Christus Rex dicitur in sacra Pagina, proprie de regno temporali intelligendus est, alioquin regis nomen a propria significatione extraheretur, et solum ad metaphoricos sensus transferretur, cum tamen verba quantum fieri potest, dummodo aliquod incommodum non eluceat, in propria significatione sint accipienda. At quid incommodi apparet, si Christo Domino verum mundi regnum detulerimus? Nonne maxime decet, et valde honorificum est, ut potestas regia temporalis adsit Christo? haec enim complectitur potestatem legislativam, directivam, et coercitivam in impios; quae sicut non dedecent Deum, ita neque Christum ut hominem; ergo potestas regia temporalis eiusdem ordinis cum ea, qua singuli reges in ordine ad sua regna gaudent, Christo Domino competit, ipsique deferenda est. Roboratur haec ratio, nam potestas regia temporalis formaliter includit iurisdictionem ad leges civiles et politicas sanciendas; item ad lites inter cives componendas, et ad statuendum quidquid ad bonum regimen civile ac politicum conducit, omni secluso respectu ad finem spiritualem. Haec autem potestas regia temporalis quid distinctum est a dominio rerum supernaturalium, ut patet in quolibet rege, qui gaudet regia et temporali potestate in bona subditorum, ut possit leges circa illa condere, lites decidere, et alia eiusmodi, cum tamen non gaudeat dominio eorum bonorum.

Extreme oppositam sententiam tenent plurimi Doctores, Sotus, Abulensis, Canisius, Salmeron, Maldonatus, Bellarminus, Valentia, Pererius, Barradas apud Mendozam, to. 1 in lib. Reg., cap. 2, num. 10, annotat. 15, sect. 3, cuius sententiae momenta, quibus Doctores nituntur, infra afferentur.

1638. Mediam quandam viam alii aggressi sunt. Dicunt ergo Christum Dominum gavisum fuisse regno temporali in omnes creaturas, praecellenti tamen, et superioris ordinis; unde eminenter habuisse regnum temporale humanum eiusdem rationis cum eo, quo singuli reges potiuntur, non vero formaliter. Haec autem potestas regia altioris ordinis in eo sita est, quod sit perpetua, stabilis, accretioni, vel decretioni minime obnoxia; est etiam universalis, quia ad omnes creaturas porrigitur, homines scilicet, et Angelos; caelestia item et terrestria; non humanitus, scilicet per electionem, vel successionem haereditariam acquisita, sed divinitus communicata. Hanc sententiam defendunt Molinas, t. 1 de Iustitia, tractat. 2, disputat. 28; Suarez, t. 1 in 3 p., disput. 48, sect. 2; Vasquius, in 3 part., disp. 87, cap. 2; Salazarius in cap. 8 Proverb. ad illa verba: *Per me reges regnant;* Mendoza cit.

Probatur haec sententia verbis illis Christi Domini, Matth. 28: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra:* illud, *omnis*, species omnes dignitatis designat, sub potestate in communi contentas; ergo complectitur omnem potestatem creatam, sive spiritualem, sive temporalem, qui enim omnem dicit, nullam excludit. Similem sensum continent illa verba Ioann. 5: *Pater omne iudicium dedit Filio;* illud, *omne*, omnes iudicii species cohibet, temporalis et spiritualis; ergo omnis iudicii potestas Christo a Patre collata fuit. Noluit autem Christus eius potestatis usum exercere; ideo fratribus litigantibus respondit, Luc. 12: *Quis me constituit iudicem inter vos?* Non quia potestate careret, neque enim illam denegavit, ut falso existimat Gabriel Alvarez in suo illo discursu pro causa Marecae sub nomine Doctoris Dominici Garciae Prioris sanctissimae Virginis *del Pilar*: non ergo ibi denegat Christus potestatem sibi traditam, sed solum innuit eam ab homine non accepisse.

Secundo ex sacris Scripturis constat Christum Dominum duplici potestate distincta potitum, regali scilicet, et pontificia. De prima locutus est Isaias, cap. 33: *Dominus iudex noster, Legifer noster, Dominus Rex noster.* Et Paulus ad Hebr. 7 ait de secunda: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex.* Deinde Christus saepe Rex vocatur, Psalm. 2, Isai. 32, Zach. 9, Actor. 17, Apoc. 19. Rex autem proprie eum, qui temporalem potestatem nactus est, innuit: cur solum in Christo ad improprios et translatitios sensus transferri debet, praesertim cum quando dicitur Apocalyps. 19: *Rex regum*, temporales ac regiae potestates intelliguntur? cur ergo ibidem Regis nomine vera et propria temporalis potestas non intelligetur? nec enim credibile est nomen illud mox improprie, mox proprie accipi. Cum autem Patres adversari videntur huic verae sententiae, ut Augustinus, tract. 115 in Ioann.; Cyrillus Alexand., lib. 12 in Ioan.; Epiphanius, haeres. 29; Hieronymus in Ierem. cap. 22; Tertullianus, lib. 4 adversus Marcionem, cap. 38, solum intendunt eripere rerum temporalium usum, vel ad summum potestatem regiam humanam, non vero divinitus a Patre communicatam. Nec Christus negavit absolute se esse Regem; sed qualis ab hominibus fit: hoc tamen non tollit, fuisse proprie Regem temporalem per potestatem regiam excellentioris ordinis.

1639. Haec sententia verior mihi semper visa fuit: et suaderi potest ratione, quia eiusmodi potestas regia temporalis directa in res omnes sublunares, et caelestes potuit a Deo communicari Christo ut homini, nec ulla obtendi potest repugnantia: decet praeterea maxime Christum Dominum haec potestas regia temporalis, etiam ut redemptor est, cum caruerit usu rerum temporalium, coniuncta enim fuit cum summa paupertate, et animi demissione. Quod autem pluribus titulis sit Christo Domino debita, inde ostenditur primo ex unione hypostatica, per quam nacta est humanitas Christi in omnes creaturas dominium, quod omnino inseparabile videtur a natura unita Deo hypostatice, sicut inseparabilis est ab illa gratia unionis, et potestas patrandi miracula. Secundo obtinuit hoc ius regium in omnes creaturas redemptione a se perfecta: quippe ex eo quod homines proprio suo sanguine redemerit, potestatem regiam ac dominativam nactus fuit in eos et in omnes creaturas terrestres, quae propter hominem factae sunt, ipsique subiiciuntur; imo et in caelestes, praecipue gratiam intuitu meritorum Christi adepti sunt. Tertio, hanc sibi potestatem regiam temporalem vendicat titulo haereditatis, quia Christus, ut homo, est verus et naturalis filius Dei; ergo paternam nanciscitur haereditatem, iuxta illud ad Hebr. c. 1: *Quem constituit haeredem universorum.* Loquitur autem de Christo ut homine, iuxta Molinam cit.; ergo etiam potestatem regiam temporalem in omnes creaturas sibi vendicat. Quarto, iure etiam meritorum Christus Dominus promeruit, ut sibi omne genu flecteretur caelestium, terrestrium et infernorum, suoque imperio et ditioni creaturas omnes subiugaret; quod innuit Paulus verbis illis, Philip. 2, 8: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Ex quibus inferes Christum Dominum ex dono Patris hanc excellentiae potestatem super omnia temporalia ita nactum esse, ut non solum quatenus expediens fuerit ad finem spiritualem animarum, verum etiam absolute, ita ut sine cuiuspiam praeiudicio, sibi adsciscere potuerit cunctas orbis provincias, imperatores deponere, reges iure regio privare, ac de rebus omnibus temporalibus pro libito distribuere; id enim omne dignitas praecellens Christi deposcebat per unionem hypostaticam, per quam Caput hominum et Angelorum ex natura rei esse sibi vendicabat, iuxta Paulum ad Coloss. 2: *Est Caput omnis principatus et potestatis.* Et ad Ephes. 1: *Constitutus ad dexteram Patris in caelestibus supra omnem principatum et potestatem, et omne quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Neque pugnant cum hoc iure universali, ac praecellenti regnorum omnium, dominia et iura regnorum particularia a Deo concessa regibus particularibus, sive per electionem hominum, sive haereditario iure obtentorum: sicut neque pugnant cum iure et dominio universali in omnia regna ac res creatas, penes Deum existenti.

Hanc nostram sententiam sic explicatam plures ex Doctoribus, qui extreme oppositam sententiam tutantur, ex parte admittunt, ut videre est in P. Gabriele Alvarez cit., cap. 1, et in Soto in 4, distinct. 25, quaest. 2, artic. 1, ubi propugnat adversariam sententiam; et subdit, Christum ut hominem potuisse quidem, si voluisset, sibi arrogare universale orbis dominium, etiam saeculare; non tamen de facto sibi usurpasse nisi solum regnum spirituale: ubi fatetur in Christo ut homine residisse ius regium, et potestatem ad omnia creata sibi a Deo Patre col-

latam; si enim Christus hoc ius non haberet, neutiquam potuisset sibi usurpare orbis saecularem dominatum. Hinc etiam magis Christi paupertas emicat, animique submissio; si enim caruisset hac potestate regnorum, caeterarumque rerum temporalium dominio, non posset sine iniustitia sibi dominium regnorum arrogare, unde illa paupertas et abiectio Christo non ita fuisset voluntaria, ac commendabilis: at vero cum penes Christum fuerit ius et dominium omnium rerum, possetque sibi omnia adsciscere regna, tamen neque usum, neque administrationem rerum admiserit; sed unicuique suum ius ac dominium, simul et usum relinquens, ipse sponte sua sibi pauperrimam vitam delegit, in quo maxime elucent submissionis et obedientiae ac paupertatis clarissima exempla, quae Paulus extulit, II Corint. 8: *Scitis*, ait, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. Cum esset dives*, ait theologice Molinas, *quoad ius, et potestatem quam habebat usurpandi sibi omnia, tamquam verus Dominus ut homo, tamen factus est egenus propter nos, quoad usum et administrationem, vitam sibi pauperem abiectamque deligens.*

1640. Nunc superest ut fundamenta primae et secundae sententiae, si quo modo nostrae adversantur, convellamus. Argumenta ergo primae sententiae nostram omnino fulciunt. Qui autem asserunt omnes orbis reges Christi Domini esse vicarios, non proprie loquuntur, vel solum latissime sumpto nomine vicarii, et ita capiendus s. Thomas, ut bene docet Suarius. Cum autem Pilato interroganti Christus Dominus respondit, fateor equidem ad eius mentem respondisse de regno temporali, sed non humanitus habito, sed eminentiori modo, ac si diceret: Sum Rex temporalis, sed non sicut caeteri reges, sed excellentiori modo; et quidem duplici discrimine regnum Christi temporale a caeteris regibus dissidebat. Primo, quia non habebat regnum quoad usum, videlicet cum externo ministrorum apparatu. Secundo, quia non erat regnum eius de hoc mundo, id est humano aliquo titulo acquisitum, sed divinitus ab aeterno Patre collatum altioribus titulis supra relatis; ideoque regnum Christi excellentioris ordinis et altioris sphaerae fuit.

Pro secunda sententia opponitur primo, potestatem regiam et temporalem Christi Domini nobis assertam valde obstare paupertati Christi in gradu summo habitae; non enim dici posset Christum summam coluisse paupertatem, qui summa potitus fuit potestate, et dominio temporali. Et firmari potest, quia longe perfectior est paupertas quae abdicat a se dominium, et non solum usum omnium rerum; ergo haec paupertas est Christo deferenda. Respondeo potestatem et dominium in Christo exstitisse, non humano modo, sed excellentiori; quod quidem non confertur propter usum, sed propter personae dignitatem. Quando autem Pontifices definiunt Christum Dominum vel nullum, vel paucarum rerum dominium habuisse, loquuntur de illo, quod paupertati praeiudicium affert, quia ex ambitione et propter usum acquiritur: dominium autem hoc excellens, quod Christo deferimus, nihil de perfectissima paupertate detrahit, cum a solo Deo propter dignitatem personae communicetur: imo haec potestas, et dominium excellens in Christo conduxit valde ad finem redemptionis per animi submissionem et paupertatem; non parum enim extollit paupertatis et obedientiae exemplum voluntariae in Christo, qui, cum dives esset, et omnium rerum Dominus, in nostrum documentum egenus factus est. Ad confirmationem respondeo, verum esse assumptum in nobis, in quibus periculum est, ne, si dominium et ius ad res nobis retineamus, iterum earundem rerum usu et administratione irretiamur, ac a Dei contemplatione et perfectionis via avocemur: quod in Christo Domino longe abfuit.

1641. Opponitur secundo, quia frustranea esset in Christo haec regia potestas, ac dominium temporale, quo nunquam esset usurus; facultas enim, quae nunquam ad actum descendit, supervacanea iudicatur. *Potentia*, inquit Aristoteles lib. 9 Ethic., cap. 9, *ad operationem reducitur, et ipsum suum esse praecipuum in operatione consistit.* Respondeo, non fuisse frustraneam illam potestatem in Christo, quia decebat per se excellens haec dignitas Christum Dominum, ac debita fuit ipsi ex rei natura; usus tamen non erat expediens ad redemptionis finem; conducebat etiam dominium illud, ut maxime nobis commendaretur voluntariae paupertatis et obedientiae exemplum: tum denique, quia iuxta Molinam cit. disp. 28, ea potestate et dominio aliquando fuit usus, ut cum immisit Daemones in gregem porcorum in mare praecipitandum, Matth. 8, et cum permisit discipulos alienorum satorum spicas evellere et manducare, Matth. 12, ficulneam arefecit Matth. 21. Hi enim actus quatenus res alienas dissipabant, a potestate et dominio temporali promanabant: ex eadem potestate prodibat alienum asellum ad se adduci praecipere, quo veheretur, Matth. 21; ementes et vendentes e templo eliminare, eorumque aes effundere, mensasque nummulariorum evertere, Ioann. 2. In his ergo eventibus Christus Dominus nullam iniustitiae umbram exercuit, sed iure suo ac potestate temporali usus est.

Ad extremum ingenue fateor, plures Patres frequenter deferre Christo potestatem spiritualem, ut Iudaeos de sua illa haeresi confunderent, qua credebant Messiam temporali rerum usu, divitiarum opulentia et fastu, ministrorum apparatu, ac imperatoria maiestate de toto orbe dominaturum. Hunc ergo errorem, ut procul dispellerent, in extreme oppositam sententiam abire videntur. Verum si ipsorum verba penitus examinentur, nihil contra potestatem regiam temporalem praecellentem divinitus a Patre collatam Christo, pronunciant. Imo eorum aliqui temporale aliquod dominium ipsi deferunt. S. Chrysostomus, homil. 82 in Ioann., ait Christum Dominum Regem esse huius mundi corporalis et sublunaris, quanquam in caelo habeat imperium non humanum, sed longe maius atque praestantius. S. Gregorius, homil. 8 in Evang., in-

quit Christum natum fuisse in alieno secundum naturam, non tamen secundum potestatem; nam secundum hanc in propria venisse: quia licet natura humana Christi Domini secundum se spectata, proprietatem rerum temporalium non haberet, eam tamen pluribus titulis sibi adscivit. Consentit Bernardus, lib. 3 de Considerat., c. 1; s. Cyrillus Alex., lib. 12 in Ioann., c. 10 et 12; s. Augustinus, tractat. 115 in Ioann.

1642. Ex quibus perspicue deducitur cum Molina, Vasquio, Mendoza supra citatis, Christum Dominum habuisse dominium in res omnes creatas: eaedem quippe rationes, quae probant tribuendum esse Christo ius regni temporalis in omnes res creatas, simul evincunt et dominium. Ideo sine discrimine exagitatur a pluribus Theologis quaestio haec de regno et de dominio. Obiiciunt aliqui, in eandem rem dari non posse duplex dominium adaequatum. Mendoza citatus distinguit; non potest dari duplex dominium adaequatum eiusdem rationis et ordinis, verum est: si vero sint diversi ordinis, falsum, ut patet in dominio divino et humano; utrique enim una eademque res creata subiicitur: licet enim regnum Valentinum proprie sit sub dominio regis Hispaniae, id tamen non impedit, quominus sit etiam vere et proprie sub dominio Dei: cui responsioni subscribit Vasquius, t. 1 in 3 p., d. 77, cap. 6. Sed displicet; nam si Pater aeternus, et Spiritus sanctus humanitatem sibi assumerent, sicut Verbum divinum, revera ille homo Deus Pater, etiam ex vi unionis hypostaticae, nanciscetur dominium temporale in omnes res creatas, sicut eo gaudet nunc Christus; ergo in eandem rem dari potest duplex dominium adaequatum eiusdem ordinis. Respondeo ergo nihil implicantiae apparere in eo, quod detur duplex dominium adaequatum eiusdem ordinis in eandem rem; quando dominium illud est superioris ordinis in utroque illud habente, vel quando sunt diversi ordinis dominia illa: repugnat autem ut detur dominium duplex in eandem rem adaequatum, quando utrumque dominium est humanum, et eiusdem ordinis, quia est talis naturae, ut secum involveret pugnantia propter voluntates dominorum inter se pugnantes circa eiusdem rei usum; quod non reperiri posset in duplici dominio praecellenti Dei hominis Patris, et Dei hominis Filii propter conformitatem voluntatum ad rectam rationem, et inter se absque ulla dissidentia et contradictione. Instabis, quia lex, *Si ut certo*, 5 § *si duobus*, ff. *commodati*, tradit non posse duos esse dominos eiusdem rei, aut partis illius in solidum, quod de quocunque dominio etiam praecellenti intelligendum est. Sed dicendum est, id solum praecipi et sanciri iure civili; non est autem verum iure naturali, ut ostensum est; et quidem patet, nam vir et uxor sunt domini bonorum suorum, unusquisque in solidum, licet uxor sine mariti facultate, illa expendere non possit.

1643. Hinc pronum erit praecipuum nostrum intentum aggredi, videlicet B. Virginem Dei Genitricem vere et proprie reginam esse, ac dominam universi; nam eo nomine non semel ab Ecclesia et Patribus insignitur, ut infra ostendemus. Verum, opus est inquirere quo ex titulo sibi imperium, ac dominium totius universi adsciverit. Non nemo asserere posset, reginae nomen assumi aliquando ad innuendam praecellentiam alicuius rei inter caeteras, non vero proprium dominium, ius, aut potestatem regiam: sic de concionatore praestantissimo, aut poeta, recte dices esse concionatorum regem, vel poetarum regem et principem, ut innuas illius inter omnes praecellentiam. Quo sensu Virgilius, poetarum rex, vocat Venerem, reginam pulcritudinis: alii solem planetarum regem appellitant: illam, quia reliquas foeminas pulcritudine antecellebat; hunc, quia luce et splendore aliis omnibus anteponitur astris. Verum enimvero hic nos reginae nomen, non translatitie et improprie, sed vere et proprie, quatenus adsignificat ius regni, dominium ac potestatem in res ac subditos, desumimus. In proprietate ergo huius significationis dicimus multiplici ex capite, regnum hoc ac dominium in omnes res creatas nactam fuisse Virginem Deiparam: videlicet primo ex Maternitate Dei; secundo ex officio Corredemptricis, quia simul cum Filio omnes homines in libertatem asseruit, opusque redemptionis cum ipso peregit; tertio, quia Spiritus sanctus B. Virginem in sponsam sibi copulavit; quarto, ex dono iustitiae originalis: qui omnes tituli a nobis non levi calamo exagitandi sunt.

Censeo ergo Dei Genitricem Mariam sibi regnum et imperium in omnes creaturas adscivisse. Probatur primo ex titulo Maternitatis Dei: quaelibet enim dignitas et honos, quo a natura sua gaudet filius, in parentes etiam refunditur; sed Christus Dominus natura ipsa, et non per electionem vere et proprie Rex summus et Imperator inauguratus est; ergo ipsius Genitrix Maria vere et proprie, idem cum Filio regnum et imperium nanciscitur. Maior propositio traditur ab Aristotele, lib. 8 Ethic., c. 11, ubi haec habet: *Amicitia paterna beneficiorum magnitudine differt, est enim pater causa essendi, quod maximum esse certum est*, etc.; *unde natura pater filiorum imperium obtinet*. Itaque ex eo quod parentes in filios imperium ac superioritatem obtineant, probat Aristoteles, filios quantalibet dignitate, et honore natura ipsa gaudeant ac potiantur, semper parentibus suis inferiores existere, quia a natura ipsa illa potestas naturalis parenti inest in filium. Addit Aristoteles, eodem lib. c. 10: *Societas patris ad filios regni praesefert effigiem, nati namque patri sunt curae*. Ac si diceret, parentem naturae ipsius ductu superiorem esse filio, ac ipsius veluti regem; unde si filius a natura sortiatur regnum, sane pater rex erit regis, adeoque absolute rex; quaecunque enim filius a natura ipsa sortitur, in parentem necessario redundant.

Confirmo maiorem propositionem: quippe ex eo filii parentum regna ac ingenuitatem nanciscuntur iure quasi nativo, quia ductu ipso naturae ita persuasum est, ut liberi sint in omnibus, genitoribus adsimiles et aequales; quare a natura ipsa abhorret, ut titulus aliquis nobilitatis,

sive imperii, sive regni resplendeat in parentibus, in cuius consortium non ingrediantur filii: praesertim cum ab ipsa natura ita comparatum sit, ut parentes patria gaudeant in filios potestate; adeoque filiorum bona, fortunae, dignitas iure naturali huic potestati subiacent. Certum enim est filiorum emancipationes non iure naturae, sed positivo invectas. Quocirca omnis filii dignitas sive regni, sive imperii, in parentes naturae ductu derivatur; ergo asserendum est, omne Christi Domini filii Mariae regnum, ac rerum omnium principatum ab ipso in Virginem Matrem derivandum. Id non obscure tradit Petrus Damianus, serm. 2 de Nativ.: *In humano genere*, ait, *ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis insignitur. B. Virgo Maria licet generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit amplioris excellentiae genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus. Clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis, filia siquidem regum, sed Mater Regis regum.*

Secundo probatur assertum ex eodem Aristotele cit., asserente parentem ac filium pro eadem substantia reputari, quia filius censetur vel pars aliqua parentis, vel idem prorsus cum illo. *Pater et filius*, ait Gratianus, *una caro esse probantur*, 25 q., 3 c. *Contradicimus*, § *Hac auctoritate*; ergo sicut datur substantiarum identitas, ita et bonorum communio: nequit enim unitas in substantiis, bonorum, et dignitatis separationem, ac distinctionem invehere. Quod si obiectaveris ex iure civili, l. 1, ff. *de Senatoribus*, ubi haec habentur verba: *Consulares foeminas dicimus Consularium uxores. Adiicit Saturninus; etiam matres, quod nec usquam relatum est, nec unquam receptum.* Vides quomodo Ulpianus reiiciat Saturnini Iurisconsulti sententiam. Ulpiano consentiunt Bartolus, Petrus Ancharanus in c. 4 ad finem secundi notabilis, et alii. Respondeo, haec et alia iura supponere in filiis consulatum, et imperium per electionem, aut deditionem multitudinis; tunc enim fatemur filiorum regnum et imperium in parentes non remigrare, quia omnis illa potestas tantummodo ex electoribus pendet, solumque illi personae communicatur, in quam electorum voluntas dignitatem illam transferre vult. At vero cum regnum a natura ipsa filio obvenit, necessario etiam in parentes refunditur. At Christus Dominus non ex hominum electione, vel privilegio, sed iure ipso naturali sibi regnum, et imperium creaturarum omnium comparavit, nempe ex unione ad Verbum, quae sicut Christum substantialiter Sanctum ac Sacerdotem constituit, ita etiam summum Imperatorem effecit; ergo etiam eadem dignitas, et imperium in Dei Genitricem refundetur.

1644. Cui asserto adstipulantur plures ex Patribus. Arnoldus Carnotensis perspicuis verbis nostram sententiam tradit ac firmat. *Nec*, ait, *a dominatione, vel potentia filii mater potest esse seiuncta, una est Mariae et Christi caro, unus spiritus, una charitas; et ex quo dictum est ei*: Dominus tecum, *inseparabiliter perseveravit promissum, et donum. Unitas enim divisionem non recipit, nec secatur in partes; et licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest; et Filii gloriam cum Matre, non tam communem iudico, quam eandem.* Ubi ex Maternitate in regni et dominii societatem et communionem una cum Filio ingressam fuisse Mariam docet. Luculentius Damascenus, lib. 4 de fide Orthodoxa, c. 15, loquitur: *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater exstitit.* S. Athanasius alibi iam productus, serm. de Deipara, hoc regnum et dominium proprium ac verum defert Beatae Virgini his verbis: *Quandoquidem ipse rex est, qui natus est de Virgine, idemque Dominus est Deus; ea propter et Mater, quae eum genuit, et Regina et Domina et Deipara proprie et vere censetur.* Adfavet Rupertus in cap. 4 Cant.: *Haec*, inquit, *in caelis Regina Sanctorum, et in terris Regina regnorum est*; causamque adhibet: *Quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum; ac proinde constituta Regina totum iure possedit Filii regnum.* Quibus verbis ex titulo Maternitatis Filii regis, Mariae regnum ac dominium omnium regnorum, non per translationem, sed proprie defert. S. Anselmus, lib. de excell. Virg., c. 9, suffragium suum fert: *Super hoc, cum ipsam Dominam, per quam tanta bona illis provenerunt, prae oculis habuerint, iuxta Deum, quem de suo utero Virgo peperit, residentem, et iure materno coelo, terraeque cum eodem Filio suo praesidentem.* Clarius Nicetas in confessione illa, qua a Maurorum castris ad fidem catholicam receptus est, ubi haec habet verba: *Sanctam praeterea Virginem quae illum in carne pepererat, Dei proprie vereque Matrem esse credo et confiteor; eandemque, ut revera Dei, qui homo factus est, Matrem atque idcirco Reginam omnis creaturae divina gratia effectam adoro et veneror.* Iterum Damascenus, orat. 2 de Assump., ius in regna et dominium in omnes res creatas ob Maternitatis privilegium B. Virgini detulit; ait enim: *Oportebat Dei Matrem ea quae Filii erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis ut Dei Matrem adorari. Quanquam enim semper ita comparatum est, ut haereditas a parentibus ad filios devolvatur; nunc autem, ut eruditi cuiusdam viri verbis utar, sursum sacrorum fluminum fontes fluunt; etenim Filius Matri res omnes conditas in servitutem addixit.* Explicatius autem idem s. Doctor, orat. 1 de Assumpt., Mariani regni ac dominii iura explicuit, dum ait: *In caelo ac regiis sedibus sic Regina, Domina, Hera, ac vere Mater, et Genitrix Dei deposita es.* Ubi Mariae ius verum ad omnia regna, dominium item directum in res omnes conditas, potestatem etiam in omnes homines, tanquam in mancipia inhaerere censuit.

1645. Quod autem ex officio et titulo Corredemptricis cum Filio nacta fuerit imperium et dominium omnium creaturarum, asseruit s. Anselmus, lib. de excel. Virg., c. 11, his perspicuis verbis: *Utique cuncta, quae Deus bona et utiliter fecit, in eo statu, quo condita fuerunt, sicut dixi-*

mus, esse destiterunt, et per hanc Virginem in pristinum statum revocata sunt, ac restituta: sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pater est, ac Dominus omnium; ita B. Virgo Dei genitrix suis meritis cuncta reparando Mater est, ac Domina rerum. Deus est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo: et Maria est Domina rerum omnium, singula congenitae dignitati, per eam, quam meruit, gratiam, restituendo. Sicut ergo quia Christus Dominus homines suo sanguine ex captivitate peccati in libertatem asseruit, iure quodam Rex ac Dominus hominum est, et nuncupatur: eadem ratione Virgo Deipara, quia sanguinem suum in Christo subministravit sciens et volens in hominum salutem donando aliquid suum, etiam Reginae et Dominae ius in eosdem homines sibi merito vendicabit. *Haec*, ait Anselmus or. 1 de Assumpt., *omni profuit creaturae, quam veluti coemptam a servitute in libertatem asseruit.* Vox illa, *coemptam*, innuit sibi coemisse, adeoque quasi iure coemptionis soluto pretio, suo addixerit dominio ac potestati. Videndus Salazarius in Cantica ad illa verba: *Veni de Libano, veni coronaberis*; ubi Sponsus ius illud innuit, quod Deiparae advenit ad imperandum in omnes creaturas, ex eo quod corredemptrix fuerit, et salutis humanae causa, ut docent Anselmus et Albertus Magnus, quos vide apud Salazarium; titulo ergo emptionis super omnes homines regnum suum dilatavit.

Habuit ad haec Maria ius regni in totum mundum, et regiam potestatem in subditos, iure sponsae Spiritus sancti, qui vices sponsi sustinens uterum sine semine foecundavit; unde non animae solum, sed etiam corporis Virginei sponsus vocari potest Spiritus sanctus, quatenus sponsi vices compensans gravidavit sine viri opera. Atqui omnes statuunt, ut omnia sponsi bona sint communia sponsae, iisdemque illa gaudet privilegiis, ac sponsus; expresse id docet l. *Princeps*, ff. de legibus ubi dicitur: *Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quae ipsi habent.* Ergo ex hac bonorum societate cum Sponso B. Virgo vere ius regni in universum mundum, et in homines sibi subditos acquisivit. Videndus Salazar in Prov. cap. 8, num. 114.

1646. Demum ex dono iustitiae originalis regnum et imperium creaturarum sibi obtinuisse probandum est: et primum advertendum est, Adamo imperium delatum in omnes creaturas rationis expertes, simul cum iustitia originali. Sic enim habes, Gen. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Cum autem primus homo iustitiam originalem a se expulerit, imperium etiam, quod cum iustitia originali receperat, amisit. Cum ergo Deipara in originali iustitia concipitur, regnum illud deperditum recuperat, atque omnium creaturarum imperium sibi adsciscit. Confirmatur: ex eo Deus Adamum aliorum hominum caput constituit, et ius ad gratiam et iustitiam in reliquos homines transfundendam ipsi contulit, quia maiori gratia et iustitia illum cohonestavit; atqui Deus Beatae Virgini longe nobiliorem, et abundantiorem gratiam, ac iustitiam originalem distribuit super omnes homines et Angelos; ergo longe nobilius regnum, dignioremque potestatem in homines, et Angelos illi demandare oportebat. Hoc autem ius ac potestatem Deiparae in homines et Angelos bene expendit s. Bernardus, serm. de Nativ. Virg.: *Haec est voluntas Dei, quae totum nos habere voluit per Mariam, ut proinde si quid spei, si quid gratiae in nobis est, ab ea noverimus redundare: ideo enim gratia plena dicitur, ut ex plenitudine illius accipiant universi.*

CERTAMEN II.

Utrum hoc universale dominium nacta fuerit Deipara ab instanti sui conceptus.

1647. Ex dictis superiori Certamine inferat aliquis, Virginem Deiparam hoc creaturarum imperium non capessivisse, antequam Christum Dominum utero suscepit, quia ex Maternitate Dei sibi hoc regnum adepta fuit; sed dignitatem Maternitatis nacta fuit postquam utero Christum concepit; ergo tunc etiam regnum obtinuit. Quod innuit Damascenus citatus superiori Certamine verbis illis: *Vere omnium conditorum Domina effecta est, cum Creatoris Mater exstitit.* Ac si diceret, ante Maternitatem nec sceptrum orbis accepit, nec corona regni redimita fuit.

Dicendum tamen est, B. Virginem licet ob Maternitatem Dei creaturarum regnum adepta fuerit, tamen ab instanti sui conceptus, imperium hoc nactam fuisse. Suaderi potest primo, quia sola electio sufficit ad ius conferendum, ut docet Iurisperitorum communis glossa in l. *cum haereditas*, c. *Depositi*, ubi haec habent: *Principem, adhuc rege patre vivente, quantumvis regni administrationem et regimen non obeat, regem tamen et Augustum vocari.* Non ex alio capite, nisi quia ius constans ad regnum, et spes certissima illius comparandi, regni dominium, regisque appellationem principi defert. Sic filius, qui paternam aditurus est haereditatem, licet illam actu non possideat, paternae haereditatis dominus iure nuncupatur, quia ius in illa bona, antequam haereditatem capessat, illum eorum bonorum dominum efficit ac denominat. Quod ex Paulo licet deducere, ad Galat. 4: *Dico autem quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.* Ubi vocat haeredem parvulum omnium paternorum bonorum dominum, antequam haereditatem adeat: nam ius certissimum et inviolabile in bona paterna, illorum verum dominum constituit, antequam illorum bonorum haereditatem nanciscatur. Quod suo firmant suffragio Iurisperiti, L. *in suis*, ff. *de liberis et posthumis*. Atqui B. Virgo praefinita fuit a Deo et electa in Dei Matrem; ergo iam a primo suae Conceptionis momento certum et infallibile ius in omnium crea-

turarum regnum obtinuit. Id sonant verba illa Proverb. 8: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Vel ut transfert s. Anselmus: *Dominus praefecit me initium viarum suarum.* Nomine viarum, creaturae intelliguntur; *initium* vero principatum sonat; unde sensus erit, Dominus praefecit me creaturis omnibus. Quod ipsa Deipara suo testimonio confirmat, Proverb. 13, dum ait: *Ab aeterno ordinata sum.* Alii ex hebraeo fonte vertunt: *Ab aeterno inaugurata sum princeps.* Siquidem iustitia originali, quae a primo conceptus instanti ei collata fuit, obtinuit, ut Imperatrix in omnes creaturas inauguraretur, eo titulo, quia iustitia, originalis tanquam quoddam Maternitatis Dei semen id imperium ipsi contulit: sicut iusti omnes in via per Dei gratiam reges initiantur, licet nondum regnum capessant; quia gratia est semen gloriae, et certum regnandi ius obtinent, attestante Petro, I epist. 2: *Vos autem regale sacerdotium, gens sancta.* Eandem igitur vim sortitur certa et infallibilis successio, quam actualis possessio ad praestandum titulum dominii illi, qui certo succedet: si ergo B. Virginis successio in regnum totius orbis futura erat certa ac infallibilis; merito in instanti Conceptionis inauguratur Princeps et Regina. Anne hominis electio ius ad regnum alicui conferre poterit; et praefinitio Dei, decretumque efficax ius firmius et constantius ad imperandum B. Virgini ad dignitatem Matris Dei assumptae non conferet? Anne spes certissima regni, utpote Dei decreto absoluto et irrevocabili innixa, B. Virginem imperii in omnes creaturas dominio, et imperatricis appellatione fraudabit? Huc advoco s. Petrum Chrysologum, serm. 142, illa versantem verba, *Ne timeas, Maria*; ait ergo: *Ante causa dignitatis Virginis enunciatur ex nomine. Maria hebraico sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis; quam nasci, et vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit et imperavit auctoritas.* Ubi ex maiestate Filii nascituri a nativitate ipsius Virginis, eodemque titulo dicere posset a conceptione ipsius, creaturarum dominium in B. Virgine aucupatur: et quidem merito; sicut enim primus homo per originalem iustitiam, omnium creaturarum imperium adeptus est, iuxta illud Gen. 2: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae*; deperdita autem originali iustitia, eiusmodi imperio nudatus est; cuius imperii iactura instaurata fuit per Mariam, quia ob Maternitatem Dei, gratia et iustitia originali exornata fuit: sicut ergo amissam a primis parentibus iustitiam originalem recuperavit, ita etiam amissum dominium per iacturam iustitiae originalis in primis parentibus, redintegravit.

1648. Eiusmodi regnum Marianum in creaturas irrationales forsan innuebat Sponsus, Cant. 4, dum ait: *Veni, coronaberis de cubilibus leonum, et de montibus pardorum.* Loquitur iuxta nobiles interpretes de puncto Conceptionis; cum Virgo B. tanquam Adae filia Daemonis insidiis periclitabatur, qui merito Draco dicitur; sed ob iustitiam originalem ipsa contrivit caput eius, ac Regina rerum omnium inaugurata est. Qua de re exprofesso instituimus sermonem. Fuit ergo Virgo B. Regina, et Imperatrix creaturarum omnium inaugurata in primo suae conceptionis instanti: in cuius signum et argumentum, res omnes illi inservire certatim ambibant. Caelum quippe ipsam sole tanquam theristro vestit, *Mulier amicta sole;* luna crepidas plantis subministrat, *Luna sub pedibus eius;* ex syderibus corona intertexta caput redimit, *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Sphaeras caelestes in currus et quadrigas praemunit, *Gyrum caeli circuivi sola*; ignis in sui custodiam et satellitium fulmina vibrat, flammas attollit, igneos globos agglomerat, *Ego ero murus ignis in circuitu,* Zachar. 2. Aeris regio vapores attemperat, pellucidas nubes in ipsius thronum offerre gestit, *Thronus meus in columna nubis,* Eccles. 24. Mitescit mare, et fluctus componit, undas fraenat, compescit procellas, fluidumque salum in solum solidum commutat, ut ipsa tuto perambulare queat, *In fluctibus maris ambulavi,* ibidem. Terra undique commovetur, ut in ipsius auxilium promptior eat, *Adiuvit terra mulierem,* Apoc. 12. Denique nulla residet in utroque orbe creatura, quae ipsius obsequium non ambiat, *Tot creaturae serviunt Beatae Virgini, quot serviunt Creatori,* ait s. Bernardinus, ser. 15 de festivitate Virginis. Ex quo legitime deduces, Deiparam sine ulla peccati originalis nota fuisse conceptam, quia in illo instanti potita fuit supremo creaturarum omnium dominio; ergo non potuit peccati labe attaminari: haec enim duo pugnant inter se; siquidem primus homo per peccatum dominium in creaturas adeptum deperdidit, omnisque creatura ipsius iugum, et subiectionem excutere satagebat; quod imperium amissum nunquam Adamus instauravit, licet gratiam et amicitiam cum Deo recuperaverit: sicut ergo creaturae irrationales imperium hominis post delictum detrectarunt; potiori iure, creaturae omnes, quae imperio Virginis Deiparae subiiciuntur, illius dominium a se excuterent et abiicerent; si illa peccati originalis macula foedatam ac conspurcatam intuerentur, non solum in instanti Conceptionis, quando illam sub peccati iugo pressam conspiciebant, sed etiam postea iam a peccato liberam, et gratia decoratam inspicientes.

1649. Quam autem late pateat Marianum imperium, docet D. Bonaventura: *Hoc,* ait, *etiam competit tantae Imperatrici, quae revera Domina, est coelestium, terrestrium et infernorum. Domina, inquam, hominum, Domina Angelorum, Domina Daemonum.* S. Ildephonsus, serm. 3 de Assumpt., ex mente Augustini ait: *Si Reginam te Angelorum vocitem, vere esse comprobaris.* Arnoldus Carnotensis de laudibus Virginis: *Christus,* inquit, *Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam, et quicunque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat.* Et quidem rationes supra praemissae hoc Virgineum imperium ac dominium

tam late patere evincunt, sicut Filii regnum ac dominium: quemadmodum ergo Christi imperium late porrigitur in coelestia, terrestria et inferna loca, rationales et irrationales creaturas complectitur; sic etiam eaedem sub tantae Virginis imperio sunt. Quod si obiicias, Christum Dominum ab initio fuisse emancipatum, atque adeo a Matre exemptum, et patria potestate immunem, ex quo corruunt rationes a nobis factae: verum hac de re infra agendum, et inibi confirmantur, quae hoc loco statuimus.

Quatuor autem exstant regna, quae iure haereditario nacta fuit Virgo Deipara a primo sui conceptus instanti; nempe, regnum ac dominium creaturarum rationis expertium; hominum etiam in hoc mundo; angelorum in coelo; daemonum in abysso; quae omnia mirum in modum primatum Virginis nobilitant et extollunt. Primum regnum consecuta est ob gratiam et iustitiam originalem. Secundum, ut Corredemptrix cum Christo. Tertium, quia Angeli ab illa dependeruntanquam a vera Regina, et Imperatrice. Quartum, quia vere de Daemonibus triumphavit. De primo ait Damascenus, orat. 3 de nativit. Virg., Virginem Deiparam esse naturae Reginam. De secundo regno fatur D. Hieronymus, epist. de Assumpt., dum ait: *Deiparam veneramur salutis Auctricem.* Et Eusebius Gallic. hom. 1 de Nativit. Dom.: *Sanguinem*, inquit, *quem pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Et D. Augustinus, serm. de Assump. Virg.: *Mater est omnium fidelium et membrorum Christi, quia cooperata est charitate, ut ipsi in Ecclesia nascerentur.* Angelorum regnum Virgini Deiparae defert s. Athanasius, serm. de Deipara, cum ait: *Sicut Christus Rex est, et Dominus Angelorum; ita Virgo Angelorum Regina et Domina existit.* De Daemonibus ait abbas Guilielmus in cap. 4 Cant.: *Daemones Virginem formidant. Terribilis facta est spiritibus immundis, quia te sciunt Matrem Triumphatoris sui.* Quod autem B. Virgo humani generis reparationem, et Angelorum instaurationem perfecerit, probat Salazarius, de Concept. cap. 4, et cap. 21, et nos agimus speciali Certamine; de imperio in Daemones infra disputabo.

1650. De hoc dominio Mariano in utramque creaturam angelicam et humanam videndus Salazarius, tom. 1 in Proverb. cap. 8, ver. 15, ubi docet proprie et verissime gavisam fuisse Mariam hoc dominio, iure ipso naturali. Dupliciter autem regnum et dominium alicui potest competere. Primo modo, ita ut potestas ipsius solum in singulos subditos sit, non vero penes totum regnum, ut communitas est; tunc enim rex in rebus arduis ac maioris ponderis subiacet iudicio, et voluntati ipsius regni; non e contra, ut patet ex parte apud Arragones, et alios quorum arbitrium potentius est quam rex ipse. Secundo modo, quando rex non solum penes singulos regni, sed etiam penes totum regnum, etiam ut communitas est, plena et absoluta potestate gaudet; ita ut nulla in re, rex subdatur regni arbitrio ac voluntati, ut patet in regnis Castellae utriusque: in quo eventu rex potentior est regno. Deipara iuxta secundum modum absolutissimo dominio in omnes creaturas gaudet; ita ut non in singulos solum Angelos et homines, sed etiam penes omnem Angelorum et hominum communitatem imperio potiatur absoluto et despotico. Cuius rei ratio est aperta, nam hoc imperium Deipara per Filium et a Filio sibi comparavit, ac proinde eisdem conditionibus, titulis ac iurisdictione, et iuribus, quibus Filius potitur, ut late et erudite probat Salazarius cit.; sed Christus Dominus id imperium absolutum et supremum obtinet in omnes creaturas; ergo et Deipara. *Tot creaturae*, ait D. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, art. 3, cap. 6, *serviunt gloriosae Virgini, quot serviunt Trinitati; omnes enim creaturae, quemcunque gradum teneant, sive spirituales, ut Angeli, sive rationales, ut homines, sive corporales, ut corpora coelestia, vel elementa, et omnia quae sunt in caelo et in terra, sive damnati, sive beati, quae omnia sunt divino imperio subiugata; eadem gloriosae Virgini sunt subiecta. Ille enim qui Filius Dei est, et Virginis benedictae, volens paterno principatui principatum aequiparare maternum, ipse qui Deus erat, Matri famulabatur in terra, et erat subditus illi. Propterea haec est vera propositio: Divino imperio omnia famulantur, etiam Virgo; et iterum haec est vera: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.* Hucusque s. Bernardinus, ubi multiplex huius Mariani regni ius adstruitur, nempe in omnes creaturas, in Filium, et in seipsam, quia in Virgine nullum erat civile bellum inter appetitum et rationem: caro enim et appetitus in Maria semper subiiciebantur rationi. De potestate patria B. Virginis in Filium dicendum infra, tum et de imperio in Daemones.

1651. Quod vero in Angelos Marianum hoc imperium protendatur, docet Anselmus: *In aeternitate consilii sui eam Dominatricem, et Reginam fore Angelorum statuit.* Et D. Chrysostomus in Liturgia: *Dignum est glorificare Deiparam honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem Seraphim.* Petrus Blesensis, serm. de Assump. Virginis: *Datus est Virgini principatus Angelorum.* Et quamvis, si naturam spectemus, Deipara Angelis inferior fuit; hoc non obstat, quominus absolute illorum Imperatrix ac Domina nuncupetur. Quod autem D. Epiphanius asseruit in orat. de laudibus Virginis: *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, et Seraphim, et omni exercitu Angelico;* non ita intelligendum, ut Beatae Virginis natura excellat Angelorum naturas; hoc enim falsum est: sed vel quia nullum individuum angelicum intra suae naturalis perfectionis terminos ita perfectum conditum fuerit, sicut intra speciem humanam Maria; vel quia dignitas Matris Dei inter naturae perfectiones ab Epiphanio annumeratur: licet enim ad eam dignitatem evectam gratis, et liberaliter a Deo contemplemur, et supra naturae ordinem inviolata virginitate Christum genuerit, tamen dignitatis substantia in naturae ordine sita est, cum per illam naturalis Christi Mater vere fuerit:

quo sensu dici potest cum Salazario de Concep. cap. 32, num. 13, Virginem Mariam natura formosiorem esse, quam Cherubim et Seraphim, quia sibi adscivit dignitatem quandam ordinis naturalis, quae alias Angelorum praerogativas, ac perfectiones naturales longo intervallo superat. In hac ergo dignitate Matris Marianus principatus, ac regni iura in omnes creaturas constabiliuntur. Huc revocari possunt verba s. Bernardini, serm. 3 de nomine Virg., ubi verba illa Angeli ad Agar, Gen. 16, Deiparae non sine gustu accommodat: *Revertere ad Dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius. Mater*, ait nunc Senensis, *Domini effecta est Domina omnis creaturae; quomodo enim subiicitur creaturae, quae Mater effecta est Creatoris? Ideo merito dici potest ad quamlibet creaturam illud Genes.: Revertere ad Dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius. Quae verba dicta fuerunt Agar de Sara: quippe ipsa Virgo vere est Sara, quae Princeps interpretatur, quae verum genuit Isaac, scilicet Filium Dei, in cuius semine benedictae sunt omnes gentes.*

Nec solum dominium nacta est Deipara ratione Maternitatis Dei in omnia bona creata naturalia, sed etiam in supernaturalia, ut bene sanctorum Patrum evincunt testimonia. Ait enim Rupertus in cap. 4 Cant.: *Haec in caelis Regina Sanctorum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum; ac proinde Regina constituta totum iure possidet Filii regnum.* In quibus verbis Mariae defertur ius ad gratiam et gloriam, titulo Maternitatis Dei. S. Ildephonsus assertor est huius veritatis, serm. 3 de Assump.: *Quae*, ait, *ideo Beata dicitur iure inter omnes mulieres, quia omnes ex ea beatificantur. Collata quippe est beatitudo in specie, ut diffunderetur in omne genus Ecclesiae: unde nec immerito Beata hodie praecellit in gratia totius corporis, iureque antefertur in coelestibus, quae ultra omnes foecundata est in specie prolis.* Alibi etiam exprofesso ostendimus, nihil gratiae et gloriae in homines derivari non impetrante Maria, cum Bernardo et aliis.

CERTAMEN III.

Utrum Deipara in inferos imperium suum protendat.

1652. Hoc imperium Marianum in Daemones, et in inferna loca diffundi docet s. Bonaventura in Speculo, lect. 8: *Hoc etiam*, inquit, *competit tantae Imperatrici, quae revera Domina est caelestium, terrestrium et infernorum, Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, et Domina Daemonum.* Idem docent Idiota in contemplat. Virgin. cap. 6; Arnoldus Carnotensis in tractatu de laudibus Virg. Quae potestas in Daemones B. Virginis est coactiva. De hac Guilielmus in cap. 4 Cant. ita fatur: *Dilectus Filius, ut piam Matrem cunctis spiritibus malignis terribilem vehementer demonstraret, dixit de ea: Terribilis ut castrorum acies ordinata. Quasi dicat: Quia Te sciunt aereae potestates esse Matrem meam, Matrem Triumphatoris sui, verentur te Matrem terribilis illius, qui aufert spiritum Principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum. Tu quoque terribilis facta es, non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coercendum eos divinitus ordinatus.* Itaque sola Virgo Deipara tantae est potentiae ad coercendos omnes Daemones, quantae Angelorum phalanx. Hanc super tenebrarum Principes potestatem coercivam eleganti penicillo describit Alcuinus; serm. de Nativ.: *Quid enim*, inquit, *non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt praeter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere Foeminam, scilicet Mariam? Hoc est, incedebat Maria in mundo adversus aereas potestates belligerans; et cum in nomine eius cunctus sit armorum apparatus, quid non exhorrescerent Daemones? quid illas denigratas phalanges non perterrefaceret, cuius invocatio omnibus adversariis nostris semper est terrori?*

1653. Huius imperii Mariani in Daemones, et vis coactivae in eosdem argumentum maximum est, quod sagae, magi, aliique cum Daemone foederati, et cum eo paciscentes, dum se illi dedunt, non solum Deum Altissimum, sed speciatim etiam et B. Mariam abiurare debeant, iuxta Caesarium, lib. 2, cap. 12, et alios. Huc etiam pertinet, quod sagae vespere non portentur a Daemonibus ad suos conventiculos, nisi post pulsum campanae ad Salutationem angelicam: et matutino tempore ante eundem pulsum, eas domum reportant; quod si contingat, ut non antea domum pervenerint, sed adhuc portentur per aera, dum pulsus ad *Ave Maria* in templis auditur, confestim Daemon sagam deferens, eam ex aere in terram demittit, non sine magno laesionis membrorum periculo. Quod recte ponderat Triumphus B. Mariae Virginis, auctore Iodoco Lorichio, cap. 25. Quippe audito solum Mariae nomine perterrefiunt Daemones, ait Idiota doctus, lib. de Contempl. Deip., cap. 3: *Tantae virtutis est, et excellentiae tuum sanctissimum nomen, Beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius coelum ridet, terra laetatur, Angeli congaudent, Daemones contremiscunt, et infernus conturbatur.* Plus addit Hailgrinus in illa verba Cant. 3: *Statura tua assimilata est palmae.* Quae verba sic in Deiparam premit: *Sicut palma, id est arbor crucis, terribilis est malignis spiritibus; ita B. Virgo merito suae rectitudinis malignos spiritus terret, et expellit.* Quasi non minus formidabilis sit B. Virgo tenebrarum potestatibus, quam ipsa crux. Recte Maria cum virga Aaron componitur, de qua Exod. 7 haec habes: *Proiecerunt singuli* (videlicet malefici) *virgas suas, quae versae sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Sic Maria aerearum Potestatum imperium funditus evertit, easque suo subiugavit imperio. Ad rem Guilielmus: *Terribilis Daemonibus fuit Maria, per quam eorum imperium rueret.* Et Petrus Damianus serm. in Assump. Virg.: *Virga illa, qua retunduntur impetus adversantium Daemoniorum, Virga Aaron, per*

quam fiunt signa et mirabilia. Huc flectit Richardus de s. Laur., lib. 2 de laudibus Deip., part. 4, verba illa Isai. 55: *Mihi curvabitur omne genu. Ad cuius*, ait, *robustissimam vim nihil est quod subiectum, et humiliatum non corruat. Ante eius altaria, sive eius imagines, et cum recitatur nomen eius, genua flecte; quia ipsa dicit cum Filio suo: Mihi curvabitur omne genu.* Cuius imperii Mariani in aereas potestates typum alium accipe. Audisti ad conspectum arcae Dei, Dagonis idolum praecisis manibus, et amputato capite corruisse: ita enim habes I Reg. 5: *Cumque Azotii cives, altero die illucescente, ad eam videndam surgerent, Dagonem iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini invenerunt.* Cur ita ad praesentiam arcae Dagon truncus prosternitur? Nempe Diabolus coram Arca mystica, Maria, inermis iacet, victus ruit, truncus ad pedes Mariae obvolvitur, et curvatur; ita ut nec pedes ad effundendum sanguinem veloces habeat, nec manus ad adoriendum. Deficiunt viribus tartareae phalanges ad praesentiam Mariae: *Sicut magnus ignis*, inquit s. Bernardinus, serm. 1 de Nomine Mariae, *effugat muscas, ita ardentissima mente, et inflammatissima charitate, daemones effugabantur et pellebantur in tantum, quod non sunt ausi respicere mentem eius, nec de magno spatio appropinquare.* Aufugiunt tenebrarum principes huius Virgineae Aurorae splendentes et albicantes radios. Ad rem nostram Iobus, c. 24, ait: *Homicida, fur, et adulter, si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; et sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Sed quisnam hic homicida, fur, et adulter? quaenam haec aurora, cuius aurea luce fugantur? Optime rem enodat D. Bonaventura in Speculo, c. 3: *De homicida, fure et adultero ait Iob: Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Homicida Diabolus, fur Diabolus, adulter Diabolus est. Homicida est, quia genus humanum occidit: fur, quia quaecunque potest, nobis bona subtrahit: adulter, quia sponsam Dei animam corrumpit. Heu quanta nobis mala spiritus maligni faciunt! Perfodiunt namque in tenebris ignorantiae interiores domos mentium nostrarum: si autem subito apparuerit aurora, si cito nobis advenerit et supervenerit Mariae gratia et misericordia, arbitrantur umbram mortis, id est, sic timent Daemones, sic trepidant, sic fugiunt, sicut homines fugiunt et timent umbram mortis.*

1654. Addiderim: sicut homines pertimescunt Daemones, atque eius vel imagine, ac nomine exhorrescunt; ita Daemones, vel qualibet umbra Mariae terrentur, auditoque eius vocabulo contremiscunt. Quantumvis ergo serpens Daemon totam suam astutiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in caeca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose incedat lucifuga bestia, ut dicebat Tertullianus adversus Valentinum, cap. 3; audito tamen Nomine Mariae procul abscedit; imo plus ad Mariae praesentiam exhorret, quam ad ipsa tartarea tormenta. Idcirco forsan serpens Daemon propter patratum primorum parentum flagitium ipsius astu, ad aeternas cum muliere inimicitias mulctatur: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem*; Genes. 3. Hoccine tanti flagitii supplicium, dum ad vindictam tanti sceleris ipsis gehennalibus flammis acerbius quoddam, et atrocius tormentum sperare possemus? Profecto rideret Daemon, et irrideret futilem illam ac ridiculam poenam; nempe cum foemina simultatem iniisse. Verum enimvero, iuxta Richardi Victorini mentem, longe severius et atrocius supplicium fuit Daemoni ad aeternas cum Virgine Maria inimicitias plecti, quam tartareis flammis addici; plus enim perhorrescunt Daemones ad amoris Mariani flammas divinas; quam ad gehennalem inferorum rogum. *Virgo*, ait Richardus in Cantic., *tenebrarum Principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere non praesumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, et fervor devotionis.* Videtis, quomodo Maria acerbior sit Daemonibus gehenna, et ipso infernali incendio. Apte igitur dicitur: *Fortis est, ut mors, dilectio; dura, sicut infernus, aemulatio.* Divinus Mariae amor mors est Daemonum dicenda. Quaeque est gloria nostra, nostraeque beatitudinis spes firmissima, est simul Diaboli peracerba gehenna.

1655. Hic non incongrue in quaestionem vocatur, an B. Virgo Deipara aliquam a Daemone suggestionem passa fuerit. In qua re illud tanquam certum pono, Virginem Deiparam ab intrinseco nulla unquam tentatione pulsatam fuisse, imo ab intrinseco tentari non potuit, quia fomite ad peccandum carebat, ut vidimus, a quo omnia ab intrinseco tentamenta procedunt; tum etiam et ab inordinatis potentiis, quibus inferior appetitus adversus rationem insurgit, et inferiores facultates superioribus rebellantur. Cum vero in B. Virgine inferior appetitus rationi omnino subiiceretur, nec eiusmodi rebellionem unquam fuerit experta, ideo dicimus ab intrinseco nunquam tentari potuisse. At vero ab extrinseco, nempe a Daemone bene tentari potuit; nulla enim in hoc obvolvitur repugnantia, ut patet ex Suario, tom. 2 in 3 p., disput. 30, videndus idem de opere sex dierum lib. 4, cap. 1, num. 5 et deinceps. Siquidem permissio tentandi hominem non fuit Daemoni facta ratione delicti primaevi, cum constet ante delictum Evam invasisse; licet verum sit, quia Diabolus hominem tentando devicit, ius quoddam, seu potius licentiam a Deo eum obtinuisse, homines liberius aggrediendi; ipse etiam homo in poenam iustam, quoad hoc etiam iurisdictioni Daemonis traditus, sive mavis, permissus est. Ita s. Prosper, lib. 1 de vocatione Gentium, cap. 8: *Ad magnam*, inquit, *utilitatem fidelium, materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas.* Ideo Paulus tentatus, ne magnitudo revelationum illum nimis eveheret.

Modo solum vestigandum nobis, utrum reipsa Virgo Deipara dum in terris ageret, aliquam

a Daemone suggestionem, vel tentationem passa fuerit. S. Thomas in 4, dist. 49, quaest. 5, art. 3, quest. 1, affirmat; ait enim: *Quamvis Deipara pugnam non habuerit per tentationem, quae est a carne, propter eius perfectam sanctificationem; habuit tamen pugnam, quae est ab hoste, qui nec etiam ipsum Christum est reveritus; ut patet* Matth. 4. Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 20, sect. 1, § *Dico tertio*, docet B. Virginem, licet exterius potuerit, sicut tentatus fuit Christus Dominus, non tamen interius per inordinatum aliquem affectum, vel motum: in exterioribus vero tentationibus, vel apparentibus revelationibus, si fortasse interdum eas passa est, in hoc enim potuit Christo assimilari, quamvis incertum est id; in his, inquam, occasionibus credendum est, ita fuisse a Spiritu sancto illuminatam, ut certitudine quadam infallibili posset inter bonum et malum spiritum diiudicare. Haec Suarius. Adstipulatur huic sententiae Glossa ordinaria ex D. Augustino ad illa verba Gen., *Ipsa conteret caput tuum. Inter semen Diaboli*, inquit, *et mulieris inimicitiae ponuntur: semen Diaboli, prava suggestio; mulieris, fructus boni operis, quo suggestioni resistit: ideo observat plantam, ut si in illicita labatur, delectatio illam capiat: illa observat caput eius, ut ipsum initium malae suggestionis excludat.* Chrysostomus etiam de Maria verba illa interpretatur in Catena Lippom. in Gen.: *Neque ergo illud solum, sed et inimicam, foederisque nesciam faciam tibi mulierem, neque eam solam, sed semen eius semini tuo hostem perpetuum faciam; ipsa tuum servabit caput, et tu eius servabis calcaneum. Tantum enim robur concedam, ut continuo immineat capiti tuo. Te autem faciam sub pedibus eius tacere.* Et homil. 46 in Matt., cum praedicta verba de Virgine Deipara interpretaretur, bellum intestinum eleganti calamo describit inter Daemonem et eam; unde aliquo modo sententiae s. Thomas auxilium praestare videtur; ait ergo: *Magnum inter mulierem et serpentem certamen attendo, magnum bellum depositum esse considero, magnam sollicitudinem habendam cognosco; ab utrisque intentio provocatur, ut cautela adsit, sollicitudo intendat, securitas conquiescat. Stat enim mulier in procinctu, serpentis caput et observans, et vitans; observans, ut calcet; vitans, ut serpentis morsus declinet. Adest paratus et serpens callidus, et subtilis; callidus, ne mulieris pede calcetur; subtilis, ut eius morsu incauta mulier prosternatur. Hanc pugnam laetus adspicit Deus, libenter attendit Dominus Christus, si tamen illaesa mulier calcando devincat.* Suffragatur Fulbertus Episcopus Carnotensis apud Canisium, lib. 5 de Deip., cap. 9, § *Quod autem. Quid est*, inquit ille, *caput serpentis conterere, nisi principalem Diaboli suggestionem resistendo superare? Contrivit Maria, servando virginitatem, et humilitatem, quia haec extinxit mentis superbiam, et illa carnis concupiscentiam*, etc. *Contrivit autem Virgo caput, id est suggestionem eius, qui Evam decepit, et est caput Daemonum.* Imo s. Bernardus, hom. 2 super *Missus est*, pro hac stare videtur sententia: *Cui*, ait, *haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput venenatum contrivit, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum.*

1656. Censeo tamen multo verius esse, Virginem Deiparam nulla prava suggestione a Daemone tactam fuisse. Moveor primo, quia id innuere videntur plures Patres videndi apud Spinellum in suo throno, toto c. 24. Hic unum aut alterum libet producere. Richardus de s. Victore id perspicuis verbis tradit in Cant. c. suo 26: *Virgo*, ait, *tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non praesumpserint; deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, et fervor devotionis, stupebant immunem a peccatis.* Rupertus in illud Cant. 4: *Oculi tui columbarum. Nunquam*, ait Rupertus, *adventus spiritualis accipitris, hoc est Daemonis, aut te, o Mater misericordiae, consequi, nec tibi appropinquare potuit.* Idem praestat s. Bernardinus, tom. 2, ser. 51, ar. 3, c. 2: *Sicut magnus ignis effugat muscas, sic a sua ardentissima mente et inflammatissima charitate Daemones effugabantur, et pellebantur in tantum, quod solum in modico non ausi erant respicere mentem eius, nec de magno spatio illi appropinquare.* Videatur etiam Canisius cit. § *Postremo*. Venerabilis Thomas a Kempis in opusculis, 3 p., ser. 4, haec habet: *Expavescunt caeli Reginam spiritus maligni, et diffugiunt audito nomine sancto eius, velut ab igne. Horrent terribile et sanctum nomen Mariae*, etc. *Non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere, ubi noverint nomen clarere sanctae Mariae; tanquam tonitrum de caelo factum sit, prosternuntur ad sanctae Mariae vocabulum.* Tenent etiam hanc sententiam Castro in vita Deip., lib. 2, c. 1; Bernardinus Villegas, in libello qui inscribitur: *Favores B. Virginis*, Hispano idiomate, c. 17.

Deinde suadetur hoc placitum, quia reliquis hominibus Daemonum oppugnationes permittuntur ad maiora virtutum incrementa et ad coronae augmentum; hoc autem in Deipara locum non habuit, aliunde enim, et quidem aptiori via hae virtutum accessiones contingebant; quid, quod hae oppugnationes saepe non sint acquirendarum virtutum stimuli, sed maiori adipiscendae perfectioni impedimenta secum afferant? Alia igitur fuerunt B. Virgini praestita adminicula, quibus ad virtutum coronidem conscenderet gradu quamcitissimo. In hanc rem recte Richardus cit. c. 31: *Tentationis ventus virtutum exercitium ligat, et licet quis in statu tali, si bene se habeat, non minus meretur, minus tamen libere sive iucunde in gratia, vel virtutibus se exercere praevalet.* Deipara item nullum elationis discrimen subire poterat, aut superbiae, cum altissimas submissionis radices fixerit; non ergo ex hoc capite erat a Daemone oppugnanda. Omnes igitur rationes, ob quas Daemonum suggestiones contingunt, in Deipara nullum habere poterant locum; neque enim ad firmandam animi demissionem, divinumque inserendum timo-

rem, vel ad cumulandas virtutum accretiones, ac gloriae coronas augendas deservirent; siquidem aliis auxiliis longe nobilioribus excitabatur ad ea omnia praestanda.

1657. Tametsi autem Christus Dominus tentari a Daemone permiserit, hoc ideo factum, ut verus agnosceretur homo, et ut nobis patientiae in tentationibus documenta praeberet, et victoriae consequendae ab iniquo hoste omnibus esset exemplar. Ita s. Gaudentius, ser. de Villico iniquo: *Ut homini artem praeliandi atque vincendi in semetipso demonstraret.* Quid, quod regis est, ad pugnam praeire, et strenui ducis in aciem prosilire, et exemplo milites incitare, ne quisquam congressionis tempore fugam meditetur: at decet Reginam, regiam custodire foeminis comitatam nobilibus? Singulare ergo eiusmodi privilegio a Deo donata fuit Virgo B. ut Daemon in illam nec oculos coniicere auderet, nedum ipsi aliquam pravam suggestionem instillare. Oportebat ergo nulli certaminum generi subiacere illam, de qua regius Psaltes cecinerat, Psal. 75, 3: *Et factus est in pace locus eius, ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* Huc spectant verba Richardi de s. Victore, lib. 2 de Emmanuele, cap. 29, ad illa verba Psal. 45: *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae: arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* In quae verba, haec adiicit: *Quae est ista, obsecro, terra, de qua bella omnia auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur: Veritas de terra orta est? De hac itaque terra omnis pugna tollitur, arcum conterens, et confringens arma*, etc. *Per arcus intelligimus tentationes fraudulentas; per arma vero, tentationes violentas. Attende itaque, in quantae securitatis arcem se erexit, ad quam tam violenta, quam fraudulenta tentatio, nullum de caetero accessum habere iam potuit*, etc. *Dicta prophetia intelligenda videtur de sola Virgine Maria. In ipsa sane ab omni vitiorum impugnatione terra miserae conditionis nostrae plenam pacem obtinuit*, etc. *In caeteris Sanctis magnificum habetur, quod a vitiis non possint expugnari; in ista mirificum videtur, quod a vitiis non potest ipsa vel in modico impugnari.*

Parabat insidias Daemon Adamo et Evae in paradiso commorantibus invidia agitatus, machinatur ipsis lapsus, et exterminium a Paradisi loco, serpentis personam induit vafer, licet de loci sanctitate, valde vereatur repulsam, et male sibi ominetur; hominem non adoritur, sed mulierem blandiloquio allicit, Gen. 3, 1: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem*, etc. Sed disquirat aliquis, cur hominem primo non aggrediatur, ac dolis circumveniat, sed mavult foeminam sub verborum lenocinio fraudibus ac technis impetere. Si enim locum sanctum paradisi, quo Adam custoditur, veretur, ac male de sanctitate loci ominatur; profecto septis eisdem clauditur et Eva, et eadem loci sanctitate munitur. Quisnam igitur in hoc facto Daemonis astus? quaenam serpentina vafrities? Putarim Daemonem ausum non esse hominem adoriri, quia Adami corpus non solum figulabatur a Deo, sed etiam suum ipsi anhelitum infudit, spiritum ingessit: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* At Evam ex viri costa fabricatus est Deus, sed nusquam audimus vitae spiritum ipsi a Deo insufflatum fuisse (a): hanc ergo Daemon aggreditur, quam sine vitae spiritu in paradiso existentem videt, hanc verbis alloquitur, huic adblanditur ementitae divinitatis sponsione, ac demum decepit eam et in fraudem induxit. Adamum prudenti astu adoriri ausus non est, quia et loco, et Dei spiritu praemunitum videt: nimirum Daemonem non tam territat locus sanctus, quam homo divino spiritu adflatus, quem, Dei adflatus vaginam vocat Tertullianus. Verum foeminam licet eodem loco degentem, nullo tamen Dei spiritu agitatam, irridet et illudit Daemon; illamque facili negotio ad mandati divini transgressionem instigat. Scite Rupertus apud Lippomanum ad praefata Genesis verba absque divini Spiritus adflatu describit Evam his verbis: *Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quod non serpens praesertim a Diabolo corporaliter invadente possessus in paradiso fuerit, sed mulier corpore, et oculis vaga, dum incontinenter deambulat forte prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, locus Diabolo datus est, et occasio porrecta unde tentaret.* Cum ergo ex adverso Virgo Deipara esset divino Spiritu adflata, longe eminentiori modo quam Adamus: *Corde humilis*, ut inquit Ambrosius, lib. 2 de Virginibus, *verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior*, etc.: *nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis*, haudquaquam Daemon ausus fuit illam aggredi, imo tantae humilitatis, puritatis ac sanctitatis conspectu territus procul abigebatur.

1658. Ad praesentiam Mariae Daemonem fraudes ac technae prorsus evanescunt, quia sigillo imaginis Filii sui inusta est: *Pone me ut signaculum* etc. Ante Christum autem omnino desipit tentator, siquidem aggreditur Salvatorem in deserto fame laborantem, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides fiant panes.* Pane solo invitat, dum a proposito abstinentiae pertinacis avocare eum satagit: cur autem exquisitiores dapes non proponit? cur cibis bene conditis famem non provocat, et titillat? Mehercle desipuit hic tentator veternosus; sed mirum videri non debeat, quia

(a) Ex hac loquendi ratione Auctoris ne inferas, lector, Evae animam non fuisse a Deo infusam, vel ipsi gratiam sanctificantem, et statum innocentiae, cum caeteris donis adnexis non fuisse concessum. Adam siquidem et Eva eodem modo a Deo obtinuerunt animam ratione praeditam, ornatam gratia et innocentia, quod clarissime patet ex Eccli. XVII, et ad fidem pertinet; legimus enim: *Deus creavit de terra hominem.... creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala, et bona ostendit illis.* *Nota Editoris.*

coram Iesu, licet alioquin callidissimus, caecutit, supine errat: idem esto iudicium de Virgine Deipara, ante ipsam tentare nescit, eius astus evanescunt, deteguntur decipulae ac technae. Recte Chrysologus, serm. 11: *Miser malus esse vis, sed non potes; cupis tentare, sed nescis; esurienti tenera offerre, non dura debuisti, famem non asperis palpare, sed blandis; istis non modo Dei Filium, sed hominis Filium tu laqueare non possis: ad praesentiam Christi deperire tibi artes tuas, Tentator, intellige.* Quae recte etiam in Virginem Deiparam quadrant.

1659. Quam ob rem Virginem Deiparam adoriri suggestione nunquam ausus est Daemon, nec tentationibus invadere, licet Christum aggredi non exhorruerit. Pluribus agitabatur rationibus, easque secum mente volvebat Daemon, ne cum Christo congredi auderet, utpote qui vocem Patris in Iordane intonantem audierat: *Hic est Filius meus dilectus* etc. Verum quod magis ipsum Diabolum deterrebat, et exanimabat, ne Christum adoriretur, auctore s. Maximo, utique virginitas Matris fuit: *Animabat*, ait, *Daemonem praesumere congressum partus foemineus, sed terrebat virginitas parientis*, hom. 1 de ieiunio. Quidni potius exhorreret congredi cum Christo, quia diu eius innocentiam ac vitae integritatem expertus fuit, abstinentiam totis quadraginta diebus vires humanas omnino superantem, vocem Patris in Thaborea rupe auditam, contestantem eum esse Dei Filium; quam quia Filius Virginis? Adeo est terribilis, et exosa Daemonibus Mariae virginitas, ut sola cum ipsa cognatio exanimet vel tartareas phalanges, arceatque, quominus cum Christo manus conserere non audeant. Scite iuxta Canisium Maria rebellionem significat. Bone Deus! quid cum rebellione Maria, quae ipsam ebibit mansuetudinem, pacemque inter Deum et homines sempiterno foedere sancivit, quaeque rebelliones omnes tranquillat? rebellio autem animorum disiunctionem, concordiae interemptionem, ac tumultuariam pugnam praesefert. Apte tamen Rebellio dicitur Maria quia in gehennales acies rebellavit, cum in sui conceptus momento imminens primaevae tyrannidis sceptrum perrupit, iugum excussit, detrectavit imperium.

1660. Idcirco forsan malus Daemon ad Christum accedere ausus non est, dum Virgine Matre comitatus incedebat, sed dum ab illa avulsum in eremo solum invenit; videlicet quia B. Virginem adeo verebatur, ad eiusque conspectum ita perhorrescebat, ut non modo ipsam tentare, sed neque ad Filium cum Matre commorantem sit ausus accedere per triginta annorum spatium. De Deiparae potentia ac robore fatus Methodius ait, orat. in Hypapant.: *Tu potentem illum corpore* (nempe Christum), *tanquam decenti Panoplia, hoc est omni armorum genere, induisti* etc., *per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguantur.* Ubi vocat uterum Virgineum, armamentarium, in quo Christus Deus-homo omni armorum genere obarmatus fuit, indeque ad singulare duellum adversus tartareas phalanges cataphractus prodiit illas omnes solus expugnaturus.

Consulto D. Germanus vocat Mariam, Baculum peregrinationum Christi, quia iuxta s. Ildephonsum, Metaphrastem et Gersonem, B. Virgo in omnibus peregrinationibus individua fuit Filii comes. In duplici eventu solum illam Christus comitem non habuit; nempe et in eremo dum tentaretur a Diabolo, tum et in horto Gethsemani, iuxta Arnoldum. Quid autem inde factum est? videlicet in eremo Diabolus trina tentatione adoritur Christum: et in horto, tanta comite ac commilitone deficiente, omnium hominum peccata menti suae proposita, tanquam phalanges potentissimae aggressae, in sanguineum sudorem in terras usque diffusum adegerunt, Augustino teste. Itaque statim atque Christus a Virgine Matre avellitur, vel Daemon pravis assultibus ipsum aggreditur, vel hominum peccata in sanguineos sudores compellunt. Quod si dixeris, neque in rupe Thaborea, neque ad aquas Iordanis, cum Christus sacris undis abluitur, Virginem Deiparam praesentem adstitisse; id verum esse affirmo: verum in utroque eventu adfuit superus Pater, utrobique Filio patrocinium ferens. Quippe Virginis absentiam solus Pater aeternus supplere, et adimplere poterat, ipsiusque vices substituere; ut et hinc addiscas, o homo, nullibi sine Maria comite adesse, sive solus, sive comitatus incedas, sive dormias, sive vigiles, quocunque te vertas, neque ad instans a tanta, tamque fidelissima comite, socia et commilitone avelli patiare, si velis pravos cacodaemonum insultus longe propellere, illorumque technas et decipulas eludere.

1661. Recte in vertice montium sua fundamenta iecisse dicitur Maria, Psalm. 86: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quia eousque evecta fuit, ut nullas hostium pateretur insidias, sicut montium cacumina nec venti, nec imbres pertingere possunt, ut signate de Olympo tradidit Augustinus, lib. 1 de Genesi contra Manic., c. 15: *Mons ille Macedoniae, qui Olympus vocatur, tantae altitudinis esse dicitur, ut in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aerem humidum, in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur; quod ab eis perceptum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen conscendere, et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant. Quod fieri non posset, si ventum, aut pluviam locus ille pateretur.* Sic B. Virgo in gratiae verticem evecta, nullis Daemonum oppugnationibus concussa fuit, nullisque vitiorum illecebris allecta; de qua iam olim pepigerat David, Ps. 26, 6: *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Patres autem superius allati, qui huic placito refragari videntur, solum ibi loquuntur de suggestione in homines, non in B. Virginem, immissam: siquidem per Mariam tetras Daemonum suggestiones devincimus, quae fortissimum illum armatum Iesum genuit, qui Satanam mundi huius principem deiecit, sibique subiecit, ac ligatum in abyssum detrudit. Et favet Bernardus,

eadem hom. 2 super *Missus est: Non sic*, ait, *timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereae potestates Mariae patrocinium, vocabulum, vel exemplum.* Illa etiam verba Glossae, ex Augustino producta, eadem ratione intelligenda sunt. Itaque victoriam illam a Deipara de diabolo adsportatam, non de suggestione diaboli in Virginem Mariam instillata, per aliquam tentationem, vel pravum motum, sed de victoria peccati originalis et actualis, ac de triumpho a B. Virgine deportato per Filium interpretantur Ambrosius, Chrysippus, Chrysostomus, Beda, Alcimus, Augustinus apud Canisium, lib. de Deip., cap. 9, § *Quod autem*, et § *De Hieronymo*. Per quae non est audiendus auctor Imperfecti, dum ait, Matris et fratrum Christi adventum ad Christum, de quo Luc. c. 8: *Venerunt autem ad illum Mater et fratres eius* etc., Daemone impellente contigisse, ut Christi divinitatem tenebris offenderet. *Videns*, ait ille, *diabolus, quia persuadebat populis Christus, se esse Filium Dei, dicens: Ecce plusquam Ionas hic, et plusquam Salomon hic; timuit, ne, si Dei Filius cognoscatur ille, qui putabatur homo, ipse derelinquatur ab omnibus. Ad convincendos sermones eius, subintroduxit parentes eius carnales, ut per illorum contemplationem, divinitatis eius observaret naturam.* Sed frivola illatio ex antecedenti falsissimo; nam omnino falsum est, Deiparam Virginem a Daemone ad aliquid agendum impulsam fuisse, et erroris nota dignum. Deinde notum erat cunctis, Christum Dominum Matrem ac consanguineos habere; licet ergo illuc non venissent, iam illud apud eos tanquam certum erat. An vero adfuerit Daemon Mariae morienti, tractat Petrus de la Vega in vita B. Virginis, cap. 28, § 7. Censeo ex dictis haudquaquam adfuisse.

1662. Sciscitabitur hic aliquis, utrum Daemon apparuerit aliquando in forma B. Virginis. Censeo id nunquam contigisse: ita habetur in Historia generali B. Mariae de Mercede per Fr. Alphonsum Remon edita, lib. 3, c. 3, ubi s. Raymundus Nonat. id asserit; cum enim a quodam confessario audiret, se nunquam in aliquo legisse, Daemonem B. Virginis formam assumpsisse, licet Christi crucifixi, sanctorumque Angelorum figuras saepius assumpserit: *Id ita crederem*, dixit s. Raymundus. Suarius, to. 2 in 3 p., disp. 51, sect. 4, § *In hac re*, ait apparitiones interdum fieri virtute Daemonis transformantis se in Angelum lucis, ac divinum Christi nomen sibi arrogantis, ut in vita s. Martini, Antonii, aliorumque sanctorum legimus. Ex dictis probari potest hoc assertum, quia B. Virginis formam ita reveretur Daemon ac detestatur, non secus ac canis baculum, quo percussus est; ait enim sacer Textus: *Ipsa conteret caput tuum*. Unde quoties et nomen et formam Mariae Virginis viderit, protinus se fugae committit, illius vim ac praesentiam praesentiens. Ad haec, in sententia veriori, Daemones nulla ratione assumunt corpora mortuorum, qui in hac vita de diabolo triumpharunt, quippe Spiritui sancto Sacrarium seipsos exhibuerunt: nec enim congruum videretur, ut Deus permitteret sacra Dei templa ab iniquo Daemone profanari. Videatur Thyrrhaeus, lib. de Apparitionibus, cap. 9, num. 20. Multo ergo minus Deus permitteret, ut sub Deiparae forma aliquando Daemon appareret. Demum nullus, quem viderim, affirmat, Daemonem in agni seu columbae specie apparuisse: quod non sine singulari Dei nutu contigisse reor; id profunde expendit Sententiarum Magister verbis his: *Venit spiritus malignus in serpentis specie, qui forsan, si permitteretur, in columbae specie venire maluisset, sed non fuit dignum, ut spiritus malignus eam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus sanctus apparaturus erat.* Multo ergo minus Deus permitteret, ne Daemon B. Virginis formam assumeret, quae verum Dei Filium utero concepit, ipsiusque Daemonis caput contrivit. De quo videndus Pintus Ramirez de Conc., Thyrraheus cit., num. 14. Huc spectat quod nusquam in sacra Pagina permissum legitur Diabolo nomen Mariae usurpasse, tametsi Ambrosius, lib. 4 in Luc., cap. 4, et nomen Dei, et sacrosanctum nomen Iesu saepius legamus usurpavisse, et quidem omnium primum. Habes verba s. Ambrosii: *Nec quemquam movere debet, quod Iesu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de caelo Angelus ad Virginem detulit: est enim huius impudentiae, ut inter homines aliquid primus usurpet, et ad homines quasi novum deferat, quo terrorem suae potestatis incutiat. Denique et in Genesi primus Deum homini nuncupavit, sic enim habet: Et dixit serpens mulieri: quid utique dixit Deus, ne edatis ab omni ligno.* Itaque qui permisit ut Deum, et sanctum nomen Iesu ore proferret Daemon, Mariae nomen ore putido pronunciare vetuit. Hugo Carensis in illud Gen. 6: *Cur praecepit vobis Deus?* sic habet: *Nota quod diabolus inter omnes creaturas primo nominaverit Deum, ut hic. Similiter in Evangelio primus nomen Iesu expressit*, Marc. 1. Causam autem inquirens, cur diabolus Dei nomen primus protulerit, subdit: *Quia novitas multum placet diabolo.*

1663. Reliquum est ut videamus quomodo Virgo Deipara in gehennalia loca dominium suum exerceat. Verba s. Petri Damiani, serm. 11, qui est de Annunciat., quaestioni huic aditum aperuit, ait ergo: *In huius Virginis utero maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta sicut adipe, et pinguedine replevit terras, infudit caelos, inferna respersit.* D. Bonaventura supra datus, clarius huius principatus Mariani meminit in Speculo, c. 3, ubi vocat Infernorum Dominam. Haec potestas, et imperium Virgineum in inferna loca, declarari potest primo, quia plures aeternis addicerentur flammis, ni Virginis Mariae patrocinio protegerentur. Hoc sensu inquit Bernardinus, tom. 3, serm. 1, art. 1, cap. 3, sub persona Mariae: *Penetrabo inferiores partes terrae; scilicet quae sunt frigidae et obscurae, et adspiciam, scilicet oculo misericordiae omnes dormientes, id est caecos et negligentes, et illuminabo omnes sperantes in Domino, id est, illuminatione mea faciam, quod agnoscant Deum, et sperent in eo.*

Quasi homines sceleribus obrutos, ac gehennae candidatos suo patrocinio, dispulsis scelerum tenebris, sua illuminatione ac luce benevola erigat in spem salutis. Ob hanc causam dicitur B. Virgo Officina, in qua quidquid in gratia mirificum et eximium est, perpetratum fuit. Audi Bernardinum, tom. 3, serm. 11, art. 2, cap. 3: *Spiritus sanctus occurrit Virgini gloriosae, eam recognoscens fornacem sui amoris, et officinam suae stupendae operationis* etc. *In hac officina, et per eam fabrefecit quidquid in gratia mirificum operatur.* In hac officina quoties peccatorum sceleribus Spiritus sancti amor tepescit et alget, veluti in sui amoris fornace accenditur et ardet. Quot, Deus bone, aeterno illi carceri manciparentur, nisi in hunc asylum confugissent! Huic innititur rationi s. Germanus ad confirmandam hanc thesim, in Encomio de Virginis Zona, ubi ita eam alloquitur: *Tu cum habeas maternam apud Filium tuum fiduciam et potentiam, nos qui sumus condemnati, et non audemus intueri coeli altitudinem, tuis interpellationibus et intercessionibus Deo nos efficis familiares, das salutem, et ab aeterno liberas.* Hoc igitur sensu recte dici potest Virgo B. in infernum dominari, quatenus suarum precum fusione, a peccatis nos reddit immunes, quae viam in illum locum sternunt. Quod pie et verissime meditatus fuit Richardus de s. Laurentio, lib. 8 de laudibus Virg.: *Subtracto*, ait, *nobis adiutorio Mariae, statim labimur in peccatum, indeque in infernum.* Atque ideo forsan factum fuit, eodem die lunae, quo conditus fuit infernus, teste Galatino, lib. 3 de arcanis catholicae veritatis, cap. 13, Mariam Virginem fuisse conceptam, ut docent aliqui, ut inde nobis persuaderemus, ipsius Mariae patrocinio, ab infernis flammis liberari, et ob hanc rationem dici potest B. Virgo in inferos dominari; quod elicit s. Bernardinus, serm. 3 de glorioso Nomine Mariae, art. 2, cap. 2, ex verbis Eccles. 24: *Et profundum abyssi penetravi.* Ubi haec habet: *B. Virgo dominatur in regno inferni, propterea ait: Et profundum abyssi penetravi.*

1664. Secundo dici etiam potest in loca illa gehennalia dominium exercere, quia aliquos aeternis iam flammis destinatos ab illis tormentis immunes fecit. Quod innuit Richardus de s. Laurentio, lib. 4 de laudibus Virg.: *Qua*, inquit, *iustitia, vel quo iure ipsa salvet damnabiles, et sine poenitentia defunctos, qui sufficiat enarrare? Constat autem quod ita facit* (a).

Tertio, quia, ut commune habet Theologorum proloquium, damnati puniuntur citra condignum, quod primo divinae miserationi tribuendum est; deinde etiam Marianae protectioni, et patrocinio: quod affirmant aliqui bonae notae Doctores, Rutilius Benzonius, c. 32, ubi haec ait: *Quantitas poenae damnatorum ex Dei misericordia, et intercessione Beatae Mariae, citra condignum taxatur.* Videatur Dionysius Carthus., serm. 2 de Assump.; Aloysius Novarinus in Umbra Virginea, l. 4, num. 799; Bernardinus de Villegas, libello de favoribus B. Mariae, lib. ult., cap. 22. Verum obiici potest adversus hanc tertiam rationem ex Suario in 3 p., quae. 8, art. 3 in comment., ubi ait, Christum Dominum ex eo non dici caput damnatorum, quia non sunt in statu, in quo possint participare aliquid influxus meritorum Christi; quod autem puniantur citra condignum, non profectum ex meritis Christi, quia meritum non communicatur alicui nisi per fidem, vel saltem remote propter dispositionem aliquam ad fidem obtinendam ordinatum; licet ergo poena sit remissior in damnatis, non est ex meritis Christi, sed ex quadam generali providentia et benignitate Dei. Haec Suarius. Responderi tamen potest, cum Christus fuerit caput damnatorum dum erant viatores, iam influxisse in illos gratias excitantes, vel fidem, vel gratiam gratum facientem: siquidem omnes homines redimit quoad sufficientiam, atque adeo recte dici potest per merita sua puniri in inferno citra condignum, et consequenter B. Virginem id etiam obtinuisse mediis suis precibus.

Item per Mariam praeciditur vita damnatis, ne vita in longius tempus protracta, peccata peccatis accumulantes, graviores in inferno poenas darent, tum etiam impedit, ne peccatorum damnatorum corpora in infernum statim cum anima detrudantur. Utrumque docet s. Birgitta revelat. Extravag. cap. 89, his verbis: *Illis qui non obtinent poenitentiam, abbreviabit gladius meus aliquam poenam corporalem ante mortem, ne diabolus plenam potestatem habeat super corpus, dum in mundo vixerit, sicut habet potestatem in inferno. Vellet diabolus, ut homo habens voluntatem peccandi, quandiu vixerit, diu viveret, ut post mortem magis doleret, et ideo gratia mea derumpit laqueum, abbreviat vitam, contra voluntatem diaboli, ne fiat dolor ex iudicio iustitiae ita horribilis, ut desiderat inimicus.* Itaque animae inferna loca incolentes hoc etiam B. Virgini debent, ne a Daemonibus eorum corpora torqueantur, et in gehennam simul cum anima detrudantur; et quod leviores poenas luant, vitae filum illis abrumpens suis precibus, ne saeviora tormenta praesentiant. Vide hanc quaestionem erudite exagitatam apud Mendozam in Viridario, lib. 2 de floribus sacris, problem. 5, a n. 32. Novarinus etiam in umbra Virginea hanc thesim probat a num. 800.

1665. Addunt nonnulli in die Marianae in caelos Assumptioni sacrato, tartareos illos carnifices in damnatos non ita desaevire, ac refrigerium aliquod illis in locis illo die experiri: cuius asserti fertur auctor s. Odilon, serm. de Assumpt. B. Mariae, ubi eo die omnes gaudio exilire affirmat, et subdit: *Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli praesumptione, dicam pia temeritate: totus mundus hodie condigna iubilatione laetatur; tartarus tantummodo ululat, fremit, et submurmurat, quoniam gaudium et laetitia*

(a) Haec verba non sunt intelligenda eo sensu, quatenus B. Virgo salvet defunctos sine poenitentia, et sine ulla detestatione peccati, quod esset contra fidem; sed quatenus post mortem in peccato ipsis impetret ut non sint finaliter condemnati donec, vel eos in vitam revocando, vel quoque modo ipsis locum poenitentiae tribuendo, efficit ut resipiscant, detestentur peccata, et sic aeternam evadant damnationem. *Nota Editoris.*

huius diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium et refrigerium praestat; non audent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine. Verum id censet Luysius Turrianus in Selectis disp., centuria 3, dub. 52, esse omnino improbabile et temerarium, contra sensum Ecclesiae, et errori proximum; licet enim, ait ille, innitatur testimonio Ildephonsi vel alterius Patris, non ideo excusatur a censura, quia in tractatu de locis Theologicis, docent Theologi, unius Doctoris auctoritatem non liberare aliquod assertum a censura; tum quia ex Patribus quidam in aliquibus controversiis in aliquem errorem prolapsi sunt, quia nondum res ita perspicuae erant, et tractu temporis Ecclesia veritatem stabilivit. Hanc Odilonis sententiam adscribit P. Eusebius Nierembergius s. Ildephonso, lib. de amore Mariae, c. 1, nec displicet nostro Hadriano Lyreo, lib. 3, tono 7. Assentior tamen censurae Luysii Turriani, quia contraria sententia conformior est rectae Theologiae.

1666. Vestigabis, utrum etiam hoc dominium Marianum in purgatrices animarum flammas locum habeat. Affirmat s. Vincentius Ferrerius, serm. 2 de Nativit. Mariae, ubi ait: *Maria bona existentibus in Purgatorio, quia per eam habent suffragium.* Et s. Bernardinus, serm. 3 de glorioso nomine Mariae, intelligit de B. Virgine illud Ecclesiastici 24: *Et in fluctibus maris ambulavi.* Ait enim: *B. Virgo in regno Purgatorii dominium tenet, iuxta illud Eccl.: Et in fluctibus maris ambulavi. Poena enim Purgatorii ideo dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur, Maris, quia est amara. Ab his tormentis liberat B. Virgo maxime devotos suos, scilicet visitans, et subveniens necessitatibus suis.* Idipsum contestatur Christus Dominus dum Matrem alloquitur apud sanctam Birgittam: *Tu es Mater mea, tu consolatio eorum qui sunt in Purgatorio.* Imo nudum Mariae nomen levat animarum cruciatus, ut refert Dionysius Carthus., lib. 3 de laudibus Virg.: *Qui in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum aeger iacens in lecto, cum audit verbum solatii.* Et ipsius B. Virginis precibus instar roris cuiusdam cruciatus illi levantur, levioresque redduntur. Huius sententiae fuit pius ille auctor Ludovicus Blosius, cap. 13 Monilis spiritualis, confirmans ex s. Birgitta: *Audivit*, inquit, *sancta Birgitta ipsam B. Dei Genitricem dicentem: Ego sum Mater Dei, et Mater omnium, qui sunt in Purgatorio, quia omnes poenae, quae debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas qualibet hora, aliquo modo mitigantur.*

Quanquam autem B. Virgo, et reliqui Beati non impetrent gratuitam remissionem poenae de lege ordinaria, quia in illo statu iam non gratia cernitur, sed iustitia; nec satisfaciat pro illis animabus, cum sit extra statum satisfaciendi, qui proprius est degentium in hac vita, multis tamen modis illis animabus prodesse potest Marianum patrocinium. Primo a Christo Domino impetrando, ut de sua infinita satisfactione illis tantum applicet, quantum satis sit, ut a poena liberentur, unde iam non erit gratuita remissio. Secundo applicare potest suam propriam satisfactionem habitam in vita, quae in Ecclesiae thesauro reposita est, et ad B. Virginem spectat pro suo arbitrio illis, quam voluerit, satisfactionem applicare. Tertio a Christo Filio enixe deposcendo, ut excitet plurium in hac vita degentium animos ad necessaria suffragia, et condignam satisfactionem exhibendam: quolibet ex his tribus modis potest Virgo Deipara animabus in Purgatorio existentibus suffragari. Quod vero Beati ac Virgo Deipara suis precibus has animas iuvent, ipsisque opitulentur, docet Augustinus, lib. de cura pro mortuis agenda, c. 4; Gregorius Mag. lib. 4 Dialog.; cap. 50; et docent Theologi in 4, dist. 45; D. Thomas, ibid. quaest. 2, art. 3, quaestiun. 3; Suarius, tom. 4 in 3 p., disp. 48, sect. 5; Bellarminus, lib. 2 de Purgatorio, c. 5, cuius haec sunt verba: *Nec ulli dubium esse debet in Purgatorio laborantibus animas cum Christo regnantes orare, cuius contrarium temere asseruit Dominicus Soto.* Et quidem Ecclesia in quadam defunctorum collecta deposcit a Deipara, ut apud Deum ob merita Christi Domini pro animabus a poenis Purgatorii liberandis preces suas interponat.

Idipsum nos docet eadem Virgo Deipara apud s. Birgittam, lib. 4 revelat., cap. 13, ubi sic fatur: *Mater sum omnium qui sunt in Purgatorio, quia omnes poenae quae debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas mitigantur quodam modo: ita placet Deo, ut aliqua ex his poenis, quae debentur eis de rigore divinae iustitiae, minuatur.* Et lib. 6, c. 10: *Nulla poena est in igne Purgatorii, quae propter me non sit remissior, et levior ad ferendum, quam aliter esset.* Et lib. 1, cap. 9, eadem Deipara id fusius confirmat, dum Filium his verbis alloquitur: *Fili mi, quia misericordiam ego a te consecuta sum, ideo misericordiam et auxilium peto miseris. In Purgatorio indigent triplici misericordia, quia tripliciter affliguntur; turbantur quippe auditu, quia nihil audiunt nisi poenas, et miserias. Affliguntur visu, quia nihil vident nisi miseriam suam. Affliguntur tactu, quia sentiunt calorem ignis intolerabilis, et gravis poenae. Da eis, Domine et Fili, misericordiam tuam propter preces meas. Respondit Filius: Libenter dabo eis propter te triplicem misericordiam: primo auditus eorum alleviabitur; visus mitigabitur; poena remissior, et mitior erit: insuper quicunque ab ista hora sunt in summa poena Purgatorii venient ad mediam, et qui sunt in media venient ad levissimam, qui autem in levissima poena sunt, transibunt ad requiem.* Quae omnia confirmari possunt ex Petro Damiano, op. 34, c. 3, ubi refert animam mulieris notissimae iam pridem defunctae, Romae visam, a qua cum conquisitum esset, quidnam mortua inter vivos ageret: respondit venisse in templum Deiparae ipsi gratias relaturam, quia eius ope eo die a Purgatorii flammis libera evaserat; et subdidit: Tanta animarum multitudo per eiusdem suffragationem hodie est ab eisdem poenis erepta, ut numerum totius romanae ple-

bis excedat. Romae autem centum millia capita censeri solent. Ut et hinc videas quam late protensus sit Virginis Deiparae in piacularem illam vita functorum stationem dominatus.

1667. Ad rem nostram Ferdinandus de Salazar in Cantica, vocat Mariam Salaciam; sic dicebatur Dea Thetis apud ethnicos, quia inferiores aquas regebat: sic Virgo B. praesidet aquis inferioribus, videlicet in Purgatorio existentibus, aquas illas salsiores degustantibus: ita s. Bernardinus supra productus, redditque rationem: *Qui enim in Purgatorio existunt, filii eius cariores sunt, cum sint in gratia confirmati, atque adeo de gloria sua securi.* Hoc etiam Marianum patrocinium confirmat s. Bonaventura in Psalterio Virginis, Psal. 15: *Ne*, inquit, *proiicias nos in tempore mortis, sed succurre animae meae cum deseruerit corpus suum, sentiat in poenis refrigerium tuum, et da ei locum inter electos Dei.*

Demum addiderim ex bonae notae Doctoribus, B. Virginem iam iam ex hac vita migraturam, et ad caelestem patriam profecturam, a Filio suo efflagitasse, ut omnes animas, quae purgatoriis flammis addicebantur, secum in caelum deferret: quod postulatum sine dubio consecuta est. Videatur Dionysius Carthus., ser. 2 de Assump.; Gerson super *Magnificat*, tract. 4 in fine. Salmeron, tom. 4, tract. 16, prope finem, haec habet: *Optima Virginis Deiparae fuit pars, quae non modo purgatorias poenas evasit; sed, ut pie creditur a nonnullis, evacuavit Purgatorium, ac postremo assumpta in caelum fuit.* Raulinus, to. 2 de Sanctis, serm. 45, ait: *Pie creditur Dei privilegio in B. Virginis Assumptione evacuatum esse Purgatorium; dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quanto magis in coronatione Deiparae.* Vide Novarinum in Umbra Virginea, excursu 86. Addo nunc ex Petro Damiano quotannis in die Assumptionis plures animas ipsius B. Virginis rogatu e purgatorio carcere in caelum migrare: ita ille, lib. 3, epist. 10, quae est in ordine 52, et in Mariae honorem pie credi potest, in quocunque B. Virginis festo plures animas a purgatoriis poenis eximi.

CERTAMEN IV.

Utrum Deipara habuerit in Christum patriam potestatem.

1668. Dicendum censeo, Virginem Deiparam habuisse etiam dominium in Christum Dominum, ita ut Christus ob divinitatis et humanitatis societatem in eadem subsistentia, a Matris potestate non fuerit exemptus, sed illi subiectus, ut alii filii suis parentibus. Quod suaderi potest, si prius ponamus Divinitatem, aut hypostaticam unionem, qua Christus Dominus ab omni alia potestate liber erat et exemptus, quia unione Hypostatica supremus rerum omnium Dominus, regumque Rex constituebatur, a patria B. Virginis potestate non reddidisse illum immunem; siquidem obsequium filii erga matrem pietas est, atque virtutis officium, nihil ergo Christum dedecebat: de quo bene ait Ambrosius: *Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? non utique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* Quasi dicat: Nihil dedecoris, vel indecentiae, vel turpitudinis includit, subiici Christum Dominum patriae Deiparae potestati. Absque ulla igitur formidine pronunciamus Christum Dominum exstitisse sub patria Mariae Virginis potestate, ipsamque Mariam auctoritatem habuisse in Filium. Quod ex sacra Pagina probatur primo, ubi ait Lucas: *Et erat subditus illis.* Probat deinde Salazarius ex Patribus, to. 1 in Prov. cap. 8, vers. 16; unum hic Ildephonsum in medium afferam, qui lib. de Virginitate Mariae, cap. 8, haec habet: *Ut per hanc Virginem Christus Deus fieret homo, Verbum fieret caro, et Filius Dei factor omnium, fieret Filius Matris, quam ipse formaverat; essetque Dominator nascendo subditus ancillae, quam ipse condiderat; sicque haberet ancilla potestatem in subditum Dominum.* Pater Maldonatus, in cap. 2 Luc., ad praefata illa verba: *Et erat subditus illis*, probat ratione unionis hypostaticae non fuisse exemptum patria potestate, qua reliquae matres praesunt filiis suis, licet ab omni imperii saecularis dominio et potestate fuerit immunis. Remque tanquam certam supponunt Patres, Christum Dominum devinctum fuisse praecepto naturali parendi suae Genitrici; ipsaque ratio suadet; siquidem iure naturae filius tenetur honorare, et obedire parentibus arctiori lege et vinculo, quam reliquis hominibus: quod illustri confirmat testimonio Gerson, serm. de Annunc.: *Melius*, ait, *eam appellare non possumus, quam Matrem Dei, quoniam per hoc habet veluti auctoritatem, et naturale dominium ad totius mundi Dominum, et a fortiori ad omne id, quod huic subiectum est Domino.* Et Richardus de s. Laurentio, lib. 2 de laudibus Virg.: *Quia pro salute famulantium sibi non solum potest Filio supplicare, sicut alii Sancti, sed etiam potest auctoritate materna eidem imperare; unde si oramus eam: Monstra te esse Matrem, id est quasi imperiose et materna auctoritate supplica pro nobis Filio*, etc. Et lib. 1, c. 3, in illa verba, *Dominus tecum*, subdit: *In his duobus verbis notatur Mariae dignitas et dominium super Filium suum; cum enim de omnibus caeteris Sanctis dicatur: Et magnum sit eis esse cum Domino, Maria maius aliquid caeteris hominibus sanctis sortita est, ut non solum ipsa subiiceretur voluntati Domini, sed etiam Dominus voluntati ipsius: ideo Cantic. 8 dicitur innixa super Dilectum suum, quasi superior Dilecto. Item Cantic. 2 dicit ipsa: Dilectus meus mihi, subditus scilicet, et obtemperans, et obediens sicut Matri.* Quod ius et dominium Matris in Filium agnovit Hugo Victorinus, tom. 2, lib. de modo orandi, cap. 3, in illa verba: *Dicit Mater Iesu ad eum; Vinum non habent.* Haec ille subiicit verba: *Non dixit: peto ut defectum poculi vinum creando, aut commutando suppleas, sed hoc Maternae reverentiae privilegium deberi existimavit, ut, quidquid vel innuendo se velle significaret, pati a Filio repulsam non debuisset: et hoc quidem iustum fuerat, si tale aliquid ab eo petivisset, quod ille facere posset secundum naturam, quam ab eo acceperat.* Et s. Ildephonsus, lib. de virginitate Mariae, c. 8, illud in Virgine Maria

inter omnia privilegia maximum agnoscit: *Ut haberet ancilla in subdito Dominum, ancillam Dominus in praelato.* Quod ius et dominium perspicue sonant verba s. Bernardini supra relata: *Haec est vera propositio: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.*

1669. Ex hac patria potestate infertur Filii in Matrem subiectio, et obsequentia; si enim Deipara iure Maternitatis potestatem in Christum habebat, ergo Christus Virgini Matri obsequium et honorem impendere tenebatur. De hac subiectione fatur Gerson in serm. de Concept. ad illa verba: *Tota pulcra es, amica mea.* Subdit ille: *Cum tu summus princeps velis habere Matrem carnaliter in terra, illi certe debebis honorem, obedientiam, reverentiam, servitium; nunc autem apparet illam legem non bene adimpleri, si in eiusmodi abominatione, immunditia, et subiectione peccati originalis aliquo tempore permitteres illam, quae esset habitaculum, templum, et palatium totius puritatis.* Hanc Filii pietatem in Matrem, vel in extrema vitae periodo Christus servavit, teste Ambrosio, lib. 10 epist., cap. 79: *Hoc,* inquit, *testamentum Filii est de Matris integritate; haec Mariae locuples integri pudoris haereditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, et emisit spiritum consummans omne mysterium bono fine pietatis.* Clausit igitur Christus Dominus ultimam vitae suae clausulam optimo pietatis officio, Matrem scilicet virgini Ioanni commendans.

Si vero iuxta ius divinum ac naturale, filius parentibus honorem deferre debet, ad ipsius honores eos evocando, cuius ipse compos est, nihil ex his Christo defuit; si enim ipse supremus rerum omnium Dominus est, iussit etiam et B. Virginem similiter rerum omnium reginam ac dominam haberi; si ipse Mediator ac redemptor nostrae salutis est, suo modo etiam Deipara Mediatrix ac redemptrix nostrae salutis ab Augustino compellatur: de quo nos suo loco plura dicturi. Ideo iuxta ius civile mater in legitimam liberorum successionem vocatur, ut statuit Iustinianus in § *Sed nos,* Inst. de S. C. Tertulliano, ubi haec habet: *Sed nos constitutione, quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subveniendum esse existimavimus, respicientes ad naturam, et puerperium, et periculum, et mortem saepe ex hoc casu matribus illatam; et dedimus ius legitimum plenum matribus, ut sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.* Ratio est perspicua, quia filius naturae ductu parentibus subiicitur, et natura ipsa parentes filiis superiores sunt; unde quidquid naturaliter filius sibi adsciverit, parentes etiam ipsius naturae ductu sibi comparant.

1670. Adversus dicta opponat quispiam: Divinitas evexit humanitatem ad eam excellentiam, quae Christum omnino immunem redderet ab omni dominio, et potestate regum, imperatorum ac sacerdotum; imo illum omnium regum ac sacerdotum Regem ac summum Sacerdotem constituit: ergo similiter eadem Divinitas illum a patria potestate exemit, et extraxit, quod profecto tantam Christi maiestatem decebat; siquidem emancipatio quoddam est libertatis genus. Ob quam rationem Cardinalis Toletus in cap. 2 Luc. huic parti subscripsit. Favetque Gregorius Nyssenus apud Salaz. citat. num. 141, ubi Christum Dominum immunem ab hac patria potestate facit; quia in Christo non reperiuntur causae, ob quas eiusmodi patria potestas in filiis admitti solet. Titus etiam Bostrensis dicit Christum Dominum spontaneo ac libero obsequio parentibus se subiecisse, non autem ex debito naturae ac generationis.

Nostrum tamen assertum omnino tenendum est cum Maldonato citat., Salazar, et pluribus Patribus ac Doctoribus, qui Christo pietatem erga Matrem attribuunt: pietas autem innititur naturali debito erga parentes. Et ratio *a priori* est, quia haec pietatis subiectio et obsequium filiorum erga parentes, non servitus quaedam est, vel indecens aliqua infirmitas, sed pietas ac virtus quaedam sublimior, quae summae Christi Domini libertati, ingenuitati, et excellentiae nihil detrahit; debitum enim naturale submissionis filiorum erga parentes ingenuitatem, ac libertatem quantumvis nobilissimam nihil dedecet, cum constet apud omnes, filii nomen libertatem sonare, omnem penitus servitutem, excludentem; quis autem eat inficias, hoc debitum naturale filiorum erga parentes ita cum ipsa filiatione coniungi et adnecti, ut nullo modo possit ab ea seiungi et secerni? Quare sublato hoc pietatis vinculo erga parentes, tollatur etiam omnino, et abradatur filiatio necesse est. Hoc debitum naturale Christi in Virginem parentem clarissimis adstruit verbis s. Methodius, serm. de Purificat. Virg.: *Euge quae debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Hanc Christi naturalem pietatem in Virginem Matrem commendat s. Hyppolitus in orat. de Sanctificat.: *Qui dixit: Honora patrem et matrem; ut decretum a se promulgatum observaret, omnem gratiam Matri et honorem impendit.*

Ex quibus patet responsio obiectioni adversus nostrum placitum allatae. S. vero Gregorius Nyssenus, quem pro se patronum laudat Toletus, potius nobis patrocinatur; addit enim Iesum Matrem sic alloquentem: *Maternum autem consilium quod minime in tempore adhiberetur, reiecit dicens: Quid mihi et tibi, mulier? Visne me ante aetatem praeesse, ac imperare? Nondum venit hora mea, quae praebet aetati ut imperet, ac sit sui iuris.* In quibus verbis innuit s. Doctor Christum Dominum quo tempore miraculum illud in nuptiis Canaam patravit, adhuc sui iuris non fuisse, sed sub patria potestate; et, ut opinor, Virgo Deipara hac patria potestate erga Filium frequenter usa fuit: imo Cardinalis Petrus Damianus censet modo in caelis, dum pro nobis Filium interpellat, B. Virginem hoc etiam uti iure, ait enim: *Accedis ad aureum illud divinae severitatis tribunal non rogans, sed imperans; Domina, non ancilla: quomodo potestati tuae obviare poterit Potestas illa, quae de tuis visceribus traxit originem?*

1671. Quaeri hic possit, an Deipara aliquo

modo dici posset Christi Domini serva. Censeo nullo modo dici posse. Ita Albertus Magnus discrimen adnotans inter Matrem Dei et alios homines, quod hi utpote peccati obaerati servi dicuntur, et sunt pluribus titulis; at Deiparae iure Maternitatis Dei digniorem competere libertatem. Unde idem Albertus in tractatu de laudibus Virginis ait: *Hoc dicimus quia B. Virgo secundum omnem dignitatem, et nobilitatis modum fuit nobilissima et dignissima in summo.* Ratio autem *a priori* desumitur ex Aristotele dicente, parentem nulla ratione dici posse servum filii sui, nihil enim magis oppositum dignitati matris in filium, quam servitutem, ita ut videatur omnino adinaton, matrem filii sui ancillam esse vere et proprie; siquidem mater habet potestatem in filium ipsa natura duce; ergo nequit aliquo titulo, vel eventu ista haec patria potestas deperdi, et serviliter filio suo mancipari. Nec vero dominium cum servitute ita pugnat, sicut patria potestas; nam contingere potest ut dominus servi sui mancipium fiat, nunquam tamen accidere potest, ut mater filii sui serva fiat. Ex quo deducit idem Philosophus in Ethicis parentem bello captum, aut emptum a filio, vel quocunque alio iure vel titulo acquisitum, non esse filii servum, sed semper liberum, ingenuumque manere.

Modo sic probari potest assertum, quod scilicet Deipara nec sit, nec dicatur Christi serva in quantum homo: Humanitas enim Christi Domini Divinitate inuncta, non fuit exempta a patria potestate B. Virginis; ergo non poterat Mater Christi ipsi humanitati ancillari: patria sedenim potestas naturali iure omnem servitutem adimit. Antecedens tenent Maldonatus in Luc., et Ambrosius quos citat Salazarius in c. 8 Prov., v. 16, num. 142. Et ratio est, quia debitum submissionis erga parentes nihil libertatis et ingenuitatis adimit; imo liberorum nomen ingenuitatem praesefert, et libertatem sonat, quod debitum naturale filiorum erga parentes ita imbibitum est cum ipsa filiatione, ut qui velit Christum ab hoc debito eximere, Filium quoque ipsius Virginis negare videbitur. Ex quo fit B. Virginem nequaquam debito peccati originalis fuisse obnoxiam, esset enim contra eius ingenuitatem, et serva aliquo modo nuncupari posset, imo serva peccati, de quo Paulus Rom. 5: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt.* Dices: B. Virgo vere et proprie subiicitur Christo tanquam Capiti corporis mystici, et tanquam Redemptori, cum vere et proprie fuerit redempta Christi sanguine; ergo et dici poterit Christi serva. Respondeo admittendo antecedens, neganda tamen est consequentia propter rationem Maternitatis, ut supra ostensum. Solum ergo Virgo Deipara dicitur ancilla Dei, non alterius, quod sonare videtur illud Psal.: *Et filius ancillae tuae.*

PALAESTRA DUODETRICESIMA

De merito B. Virginis in ordine ad se.

CERTAMEN PRIMUM

Quantitas meriti Virginei ex quibus capitibus desumenda sit.

1672. In hac Palaestra vasto nos Marianorum meritorum pelago committimus, quae a Deo inclyta, immensa et nobis plane incomprehensibilia omnino sunt, ut hominibus et Angelis liceat solum ea admirari, religiose ac studiose laudibus evehere. Quid enim in Mariae cogitationibus, desideriis, consiliis, dictis, factis, moribus fuit non nitidum, non integrum, non absolutum, non meritorium, non summo Deo gratum, non denique ipsis Angelis et hominibus iure suspiciendum? Ex variis autem capitibus horum Marianorum meritorum quantitas pensanda est, videlicet ex multiplici fine, a quo opera meritoria Deiparae proficiscebantur; ex charitatis fervore, quo operationes omnes fiebant; ex iugi bonorum operum exercitio absque ulla interceptione; ex oblatione tanti Filii ad mortem; valor autem meritorum in eiusmodi oblatione desumi solet ex offerente, et ex re oblata: at in offerente dignitas personae, et in re oblata excellentia, et magnitudo multum meritum adaugent. Ex his sane capitibus infinitus pene valor meritorum B. Virginis consurgit. In hoc autem Certamine solum exagitabimus, utrum Marianum meritum ex dignitate maternitatis Dei accresceret.

In primis denegabunt B. Virginis meritum augeri a dignitate Maternitatis Dei, quotquot negant meritum accrescere ex maiori gratia habituali; et quidem potiori iure: hi sunt Vasquius, tom. 1 in 3 p., disp. 6, c. 4; Medina 1 2, q. 114, art. 8, dub. ultimo; Cabrera in 3 p., q. 1, disp. 4, n. 41; Lorca in 3 p., disp. 6, n. 13; Zumel in 1 2, q. 114, art. 2.

Affirmanti tamen sententiae meritum Marianum excrescere ex dignitate Maternitatis Dei acquiesco: praecipue si vera sunt, quae fuse tradidimus speciali Palaestra, nempe Maternitatem Dei esse formam sanctificantem. Sentiunt enim plures Theologi ex maiori gratia sanctificante, caeteris paribus, meritum adaugeri, quibus suffragatur Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 4, sect. 4, et lib. 22 de gratia, c. 22; Salas, tom. 2 in 1 2, tract. 13, disp. 5, sect. 17; Cardinalis Lu-

go in 3 p., disp. 6, sect. 2; Petrus Hurtado, tom. 1 in 3 p., disp. 11, n. 54; Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disp. 81, sect. 2.

Probatur primo, quia Patres ac Theologi sustinent opera Christi esse meriti infiniti, ex eo quod procedant ab infinita dignitate et gratia personae; ergo dignitas personae, et sanctitas multum conducit ad maius meritum. S. Cyrillus Alex. in concilio Ephesino, tom. 4, c. 25, haec habet: *Iesus Christus ingens pro vita nostra pretium, utpote proprium sanguinem, impendit; unus hic namque cunctis dignitate praestabat, imo universam creaturam dignitate multis partibus excellebat.* Et Clemens VI in Extrav. *Unigenitus, de poenit. et remiss.*, ait Christum suis meritis infinitum thesaurum hominibus comparasse, cuius quidem una solum gutta sanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset; imo Pius V, et Gregorius XIII damnat propositionem vicesimam Michaelis Baii dicentis: *Opera iustitiae, et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem.* Ubi advertes non solum damnari, quod opera Christi non habuerint infinitum valorem, sed etiam quod ex maiori dignitate personae non augeatur valor meriti, nisi quatenus auget rationem virtutis et boni. Hoc posito, sic arguo pro Deipara: Opera Christi Domini licet essent bonitatis finitae in se, quia tamen oriebantur a Christo Deo erant meriti infiniti; ergo opera Deiparae, quia eliciebantur a persona pene infinitae dignitatis, etiam erant meriti pene infiniti: quia sicut se habet unio hypostatica Christi Domini in ordine ad eius opera, ita se habet Maternitas Dei in ordine ad opera B. Virginis; sicut maternitas Dei extrinseca est operibus B. Virginis physice, solum moraliter intrinsece illa afficiens; ita unio hypostatica extrinseca est physice operibus Christi Domini, et nihilominus tribuit valorem infinitum operibus Christi, quia procedunt a supposito infinite sancto: ergo etiam Maternitas Dei quae facit B. Virginem summe et pene infinite sanctam, tribuet operibus B. Virginis longe maius meritum.

Secundo sic argui potest: opus bonum secundum se a gratia praecisum, non habet aequalitatem meriti, neque condignitatem cum praemio; sed fit condigne meritorium praemii per gratiam habitualem, tanquam per partem essentialem valoris habentis aequalitatem, et condignitatem cum praemio, ut bene probat Ripalda cit., disp. 78, sect. 2; ergo per maiorem gratiam, et dignitatem personae fit opus condignum maiori praemio: siquidem aucta perfectione alicuius partis essentialis compositi, sicut etiam crescente bonitate, intensione, aut libertate operis, crescit etiam meritum, quia crescit una pars ex constitutivis ipsius meriti; ergo cum dignitas personae sit pars essentialis meriti, crescente dignitate personae, crescit meritum; sed ex Maternitate Dei crescit dignitas in immensum B. Virginis; ergo et meritum ipsius.

1673. Dicat aliquis: iustus homo constituitur sanctus essentialiter ex gratia habituali et ex natura rationali, et tamen per accretionem perfectioris naturae rationalis, non est homo iustior, aut sanctior, alioquin natura angelica sanctior esset humana, licet gratia et sanctitate aequali in intensione esset praedita cum humana; ergo neque accretione maioris dignitatis, et gratiae crescet augmentum meriti. Respondeo ex augmento effectus formalis recte deduci augmentum formae, et ex intensiori augmento formae maior accretio effectus formalis, ut patet in calore, qui quo intensior est, dicitur subiectum magis calidum. Gratia ergo, sive dignitas sanctificans tribuit valorem meriti operi, sicut forma informans, reddensque opus condignum praemii; at natura rationalis non constituit effectum formalem Sancti, tanquam forma, sed tanquam subiectum, et materia; dignitas autem personae in ordine ad opus meritorium, non est pars materialis, sed formalis.

Tertio probatur: meritum in ratione meriti accrescit ex maiori augmento obsequii cedentis in maiorem gloriam et honorem Dei, ut recte probat Ripalda, disp. 61, sect. 1; sed opera quae proficiscuntur a B. Virgine cum dignitate Matris Dei, augent obsequium Dei cedens in maiorem ipsius gloriam; ergo ex dignitate Matris Dei meritum excrescit. Quis enim negare possit, facinus a persona nobiliori et digniori exhibitum cedere in maiorem honorem principis, cum honorabilius sit principi a praestantioribus in dignitate coli ac suspici, quam ab infimae plebis hominibus? sed Maternitate Dei augescit nobilitas, et dignitas in B. Virgine operante, quia est intimior participatio Deitatis; ergo ex Maternitate Dei accrescit obsequium cedens in maiorem gloriam Dei. Firmatur: idem praemium non est aequalis aestimationis et magnitudinis comparatione inaequalium personarum; quia donum, quod comparatione alicuius infimae notae hominis magnum et pretiosum habetur, parvum et exiguum comparatione excellentis et eximiae personae reputabitur; ergo cum Maternitas Dei constituat B. Virginem multo excellentiorem et venerabiliorem, etiam ipsius opera excellentius praemium deposcent; ergo ex Maternitate Dei accrescit maius augmentum gratiae et gloriae. Ex eo enim Christi Domini operibus praemium exhibetur infinitum, quia respectu personae infinitae, nullum praemium, nisi infinitum, est pretiosum et excellens. Confirmatur quia Filio gratiora sunt obsequia parentis, quam servi; ergo Filio Dei et Mariae, gratiora erunt opera Matris, quam aliorum iustorum; sed opera, quae sunt Deo gratiora, eo sunt magis meritoria apud ipsum; ergo opera B. Virginis augebant meritum ex dignitate Maternitatis Dei.

1674. Opponitur primo ex sacris Paginis asserentibus, conferendam esse mercedem unicuique iuxta ea quae operatus est, videlicet iuxta operum quantitatem, et non iuxta mensuram gratiae sive maioris dignitatis; hinc natum commune illud proloquium, *hominem promereri actibus, et non habitibus.* Respondeo mercedem retribui iusto, iuxta ea quae gessit in

corpore secundum operum quantitatem; sed id fieri inspectis omnibus circumstantiis operantis, et operis ipsius, ex quibus operum valor accrescit: multum autem conducit ad maiorem valorem dignitas operantis, et sanctitas; sicut enim ad mercedis retributionem necessarius est saltem primus gradus gratiae et sanctitatis, sine quo opera non mererentur de condigno beatitudinem; sic etiam ex maiori gratia, sanctitate, et dignitate personae augescet operum meritum, quia maiori dignitate et sanctitate accrescit condignitas operantis, ut per opera plus mereatur.

Opponitur secundo: opera prodeuntia a persona sanctiori, et maiori dignitate praefulgida, non sunt digna maiori laude, quam eadem opera proficiscentia a persona minus sancta; ergo neque digna erunt maiori praemio, quia dignitas meritoria praemii est essentialiter dignitas laudis, laus enim est imputatio perfecti operis, et maior laus imputatio perfectioris et excellentioris operis; ergo si opera B. Virginis non essent perfectiora aliis, neque esset laudabilior aliis, ergo neque maiori praemio digna. Hoc argumentum deficit primo in Christo, cuius opera, quia procedebant a persona digniori, erant laudabiliora, et magis meritoria. Secundo deficit, quia probat opera iusti non esse digna praemio vitae aeternae, quia opera iusti, et peccatoris, aequalis perfectionis, aequalis essent laudabilitatis, et aequalis praemii. Respondeo ergo opera iusti digna esse maiori laude, quam opera peccatoris, atque a Deo opera a sanctiori persona profecta, maiori etiam laude, quam profecta a minus sancta.

Tertio obiiciunt adversarii: dignitas sanctificans per se non est condigna alterius gratiae, nec tanquam haereditas, neque tanquam coronae; ergo ex maiori gratia non augescit meritum alterius gratiae. Antecedens patet, quia sola beatitudo est haereditas formae sanctificantis, item corona correspondet merito, gratia autem per se non est meritum; licet enim gratia una cum bono opere sit meritum alterius gratiae, non tamen constituit meritum dignum coronae, si opus non sit dignum corona, non enim opus accipit vim meritoriam a gratia, si ipsum non sit meritorium. Neque hoc argumentum multum urget. Quippe actus naturales iusti sine gratia non respiciunt praemium supernaturale; at vero gratia informati merentur de condigno gloriam. Secundo sanctitati Christi Domini secundum se non debetur praemium infinitum redemptionis humanae tanquam corona; sanctitas enim secundum se non est meritoria, imo opera Christi Domini praecisa a gratia, cum sint bonitatis finitae, non sunt meritoria praemii infiniti; quia tamen procedunt a persona infinitae sanctitatis, respiciunt meritum infinitum: ex opere ergo, quod se solo non respicit maius praemium, et ex dignitate maiori sanctificanti constituitur dignitas meritoria maioris gratiae, ita ut gratia et opus constituant meritum tanquam partes heterogeneae.

1675. Quarto arguunt: dignitas Sacerdotis, et Episcopi, licet apud Deum plurimi aestimentur, non tamen efficit, ut eorum opera, caeteris paribus sint maioris meriti: tum etiam in ludis equestribus, ac poeticis certaminibus praeferri solet nobilis quisque, vel poeta, si dexteritate ille, hic acumine superet alios quoscunque, quavis dignitate et excellentia praefulgeant; ergo similiter ex maiori dignitate, et gratia apud Deum iudicem integerrimum et incorruptum, non accrescet meritum nec praemium in operibus, si reliqua sint paria. Respondeo in adversariorum etiam sententia, gratiam habitualem, et unionis conferre operi valorem, opus enim sine gratia, vel ab hac praecisum, non habet illum valorem; si itaque iam gratia confert valorem operi, ergo etiam ex maiori gratia, et dignitate, maior valor, et meritum accrescet. Quod aliis dignitatibus non competit. Ratio vero ob quam gratia sive dignitas sanctificans constituat meritum, non vero aliae dignitates, ea est, quia gratia in ordine supernaturali gerit munus naturae, non vero aliae dignitates, quae cum peccato reperiri possunt. Meritum autem apud Deum attenditur ex bonitate operis respicientis maiorem vel minorem benevolentiam Dei, quae conciliatur maiori dignitate gratiae: meritum autem apud homines in publicis ludis, ac certaminibus metitur solum ex operis secundum se dexteritate, robore, vel acumine. Quid, quod poterat princeps, vel respublica praemia inaequalia statuere pro inaequalitate personarum sine alicuius praeiudicio, ita ut duobus poematis aequalis ingenii constituerentur praemia inaequalia, iuxta inaequalitatem dignitatis personae componentis? Quibus legibus stetit de facto Deus in remunerandis iustorum meritis, et operibus.

Quinto inferunt ex hac sententia sequi illud absurdum, quod scilicet actus remissus in quolibet iusto ingenti gratiae portione praedito, intensiorem gratiam promereatur, quam actus valde intensus hominis, qui se modo ad Deum convertit; nam praemium respondet operi ex maiori gratia profecto; quod absurdum videtur adversus operariorum parabolam, ubi ad undecimam horam vocati, et per solius horae spatium labori incumbentes pariantur ob actaum fervorem et intensionem his, qui pondus diei et aestus portaverunt. Respondeo hominem minori sanctitate praeditum aequari in merito operis viro sanctissimo, siquidem meritum non solum augescit ex maiori augmento gratiae, sed etiam ex maiori intensione operis, arduitatis, continuationis, et durationis, et ex modo tendendi, tum ex maiori libertate, et aliis circumstantiis, in quibus homo minus iustus superare potest virum sanctissimum, licet hic superet illum in gratia.

Sexto argumentantur: maior gratia constituit opus bonum subsequens condignum maiori praemio; ergo maior malitia habitualis constituit opus malum maiori supplicio dignum; sicut enim maior gratia efficit subiectum Deo gratius, ita maior praecedens malitia efficit peccatorem Deo magis invisum et exosum; ergo sicut plus

meretur opus bonum sanctioris personae; plus etiam demerebitur poenae peccatum hominis nequioris. Responderi posset primo, nullum esse absurdum concedere, peccatum subsequens ratione malitiae habitualis praecedentis esse dignum maiori poena, quam sit ea, qua de facto punitur, iuxta commune Theologorum placitum; Deum videlicet de facto punire citra condignum; quare Deum potuisse maiori poena punire peccatorem ea, qua de facto eundem punit, non solum ratione malitiae peccati subsequentis, sed etiam ratione maioris malitiae habitualis praecedentis: assignari igitur potest differentia inter primum peccatum post innocentiam patratum, et alia subsequentia peccata, quod Deus aequissimus augeret supplicium peccatis subsequentibus potius quam primo peccato, nam ad non condonandam poenam subsequentium peccatorum sufficienter moveri poterat ex malitia primi peccati; at vero ad non condonandam poenam debitam primo peccato, cum non praecedat aliqua antecedens malitia, quae illum a condonatione avocaret, facilius remitteret.

Secundo responderi potest disparem esse rationem augendi supplicii ac praemii, siquidem nunc Deus nostra remunerat opera iuxta condignitatem respectivam, et solius proportionis, non vero iuxta condignitatem absolutam, et aequalitatem rei ad rem, iuxta quam peccata punit. Deus igitur iuxta hanc condignitatem respectivam, et proportionis, potest augere praemium ex maiori dignitate gratiae, non vero supplicium ex maiori indignitate personae. Praemium ergo condignum iuxta condignitatem proportionis necessario maius est, quam praemium condignum condignitate absoluta, et rei ad rem; ad quod praemium conferendum supra quantitatem absolutam meriti movetur Deus ex magnitudine innata sui ipsius; non vero ad statuendam poenam maiorem ea, quam peccatum ex condignitate absoluta meretur; tum quia ad augendam poenam supra condignitatem absolutam, et aequalitatem rei ad rem, reclamat positiva peccatoris voluntas invite poenam sustinentis: at vero ad augmentum praemii supra condignitatem absolutam meriti libenter venit voluntas merentis alacri animo praemium admittentis. Adde, decere maxime Dei liberalitatem profusam, ut praemium augeat supra condignitatem absolutam meriti, inspecta dignitate personae; dedecere autem eiusdem aequissimam bonitatem, punire culpam ultra condignitatem absolutam delicti.

1676. Maneat igitur certum, meritum B. Virginis multum fuisse adauctum ex dignitate Maternitatis Dei praecipue in nostra sententia, quae adstruit Maternitatem Dei esse formam sanctificantem incompossibilem cum peccato. Et firmari denuo potest ex doctrina s. Thomae docentis primam contritionem quae non est meritoria gratiae de condigno, eo ipso quod gratia informatur, mereri gloriam de condigno. Quare docet, gratiam quae personam dignam reddit, aliquid valoris moralis actui supernaturali attribuere; sicut ergo se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Confirmatur, siquidem amicorum obsequia pluris aestimantur; quo enim amicus intimior est, eo eius dona pluris habentur, eiusque intercessio efficacior est. Et patet ex sacra Scriptura, ubi mos est Prophetis personarum singulariter Deo dilectarum meminisse, ut earum recordatione et interventu preces sint apud Deum efficaciores, et postulata ab eo extorqueantur. Ideo amici Iob, cap. ult., iubentur ipsum interpellare, et mediatorem interponere, subditque Deus: *Iob servus meus oravit pro vobis, faciem eius suscipiam.* Et Danielis c. 3: *Propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum,* etc. Ubi interponuntur hi Dei amici, ut a Deo, quod in votis erat, consequeretur. Unde argumentum est fieri Deo opus magis gratum, quia adnectitur personae Deo gratiori, quamvis opus secundum se maius non sit.

CERTAMEN II.

A quo tempore inceperit meritum Marianum.

1677. Refert P. Vasquius, t. 1 in 3 p., d. 75, c. 1, ac refellit aliquos Theologos, qui adstruunt Christum Dominum instanti primo Conceptionis, non potuisse mereri: nixos aliquibus rationibus, quae etiam militant in B. Virgine, pro eodem instanti. Quae rationes recte convelluntur ab ipso Vasquio, c. 2 et 3, ubi probat potuisse Christum Deum pro illo instanti mereri. Alii asseruerunt in primo instanti Conceptionis, nullum actum liberum elici potuisse a B. Virgine: quia in instanti nullus actus liber esse potest, ut docet Hugo de s. Victore in sum. sentent., tract. 2, c. 2, et lib. 1 de sacram., p. 5, c. 22; nulla enim creatura simul ac est, operari potest, ut opinatus est Alensis, 2 p., q. 29, memb., 1, art. 7, sed falsum supponit.

Certum tamen arbitror in primo instanti Conceptionis, B. Virginem habuisse actus liberos supernaturales, quibus gratiae consensit; quia id de Angelis plures affirmant cum Suario, de Angelis lib. 5, c. 7, n. 3. Et de primo homine docet s. Thomas, 1 p., q. 95, art. 1, nempe in primo instanti creationis habuisse actum, quo gratiae cooperatus fuerit; ergo idem dicendum de B. Virgine, et quidem sanctificatio sine actu proprio est proprie infantium, adulti enim et qui ratione utuntur, semper mediis propriis actibus sanctificari solent: ideo s. Basilius, in Psal. 32, ait Angelos non fuisse creatos in infantili statura. Praeterea perfectior est sanctificatio, quae fit per proprios actus, quam per solam infusionem gratiae habitualis. Dein ex parte B. Virginis aderat capacitas, ut illuminaretur, et ut haberet revelationem rerum fidei; quid ergo obstare poterat, quominus actum fidei, et dilectionem Dei eliceret? Licet enim haberet actus cognitionis, et amoris naturalis, hoc nihil impediebat ad actus supernaturales eliciendos: non enim erant incompossibiles inter se, ita ut simul esse non possent: nec B. Virgo indigebat tempore ad deliberandum, sed in primo instanti

habuit plenam deliberationem sufficientem ad libertatem, quia plene advertebat ad varias rationes boni et mali in obiectis propositis: sufficit autem ut voluntas praecedat indifferens in actu primo, ordine, seu prioritate naturae, non temporis, ut opinabatur Hugo.

Secundo arbitror B. Virginem in primo instanti conceptionis se disposuisse per proprium actum liberum, ad infusionem gratiae habitualis. Id enim de Angelis asserunt Suarius cit. et alii. Probatur, quia pro eo instanti habuit plenum liberum arbitrium, potuitque Deus illi conferre auxilium actuale, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis ad actus fidei, spei et charitatis; ergo nihil defuit ut se disponeret ad gratiam habitualem recipiendam: quippe actus fidei et spei sunt suapte natura priores actu charitatis, et quidem de actu fidei scilicet esse priorem actu spei et charitatis, constat ex eo, quia est cognitio ad illos necessaria, et de actu spei secundum modum communem operandi viatoris esse priorem actu charitatis sentiunt communiter Doctores; actus item charitatis potest aliquo modo praecedere infusionem gratiae habitualis: potuit ergo Deipara se ad illam disponere per hos actus. Quod si instes, defuisse tunc sufficientem libertatem, quia ad hanc requiritur indifferentia voluntatis ad operandum, et non operandum, quam non potuit habere B. Virgo in primo sui conceptus momento, nisi respectu temporis sequentis: occurram hoc non obstare, quia ad libertatem non est necessarium, ut voluntas prius duratione reali sit indifferens ad operandum; sed sufficit quod prius natura praecedat cum tali indifferentia: neque aliud exigit D. Thomas, licet enim neget, Angelum potuisse peccare in primo instanti suae creationis, non negat id ob defectum libertatis, sed ob aliam causam.

Disposuit itaque se Virgo B. ad hanc primam sanctificationem per actus fidei, spei, et charitatis: qui enim se disponit, cooperatur aliquo pacto suae iustificationi; praestantius autem est cooperari, quam mere passive se habere respectu illius: nobilior autem ac praestantior sanctificandi modus tribuendus est B. Virgini, praecipue cum Angelis et Adamo tribuatur a Theologis: tum etiam quia conditio cuiuslibet creaturae intellectualis exigere videtur, ut non conferatur ei gratia sanctificans, nisi per aliquos actus, in id quod ei confertur, consentiat, ac proinde ad illud recipiendum se disponat; ad hanc autem dispositionem nulli actus aptiores, quam praedicti. Et firmatur, quia per gratiam fit creatura amica Deo, ac veluti connubium spirituale intercedit, de ratione autem amicitiae, seu matrimonii est, ut voluntas consentiat; ergo ex parte B. Virginis prioritate naturae praecessit actus voluntatis, quo se ad gratiam disposuit: unde de lege ordinaria, quaecunque creatura capax actualis usus rationis, prius se praeparat ad gratiam actibus dispositionis ad illam, iuxta illud Thren. ult.: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Hi ergo actus, quibus se disposuit B. Virgo ad primam gratiam recipiendam, non fuerunt eliciti ab habitibus infusis, quia non poterant disponere ad illos, et ab ipsis procedere; sed fuerunt eliciti ex speciali motione, et auxilio Dei, quia liberum arbitrium B. Virginis nihil poterat suis solis viribus relictum, quod conduceret ad aeternam salutem per se; tum quia illi actus erant supernaturales. Vasquius in 3 p., tom. 2, probat nostrum assertum disp. 119, c. 3, cum s. Bernardino, ser. 51 de B. Virgine, c. 2, art. 1; quia Ioannes in utero matris per proprium actum iustificatus est, ut late probat; ergo et B. Virgo.

1678. Negant autem nostrum assertum in Angelis, idemque potiori iure negabunt in B. Virgine, Capreolus in 2, dist. 4, q. 1, art. 3; Sotus, Victoria, Molina de Angelis. Primo, quia ex sententia D. Thomae, q. 16 de malo, art. 4, talis debet esse ordo operationum, ut naturalis procedat, et supernaturalis subsequatur; ergo cum in primo instanti conceptionis, in quo B. Virgo gratia habituali cohonestata fuit, elicuerit primo actum naturalem, et hic non sit sufficiens dispositio ad gratiam; consequens est, ut gratiam receperit sine propria dispositione. Nihil tamen urget haec ratio; licet enim illud asseruerit D. Thomas, non tamen probatur ratione sufficienti, tum quia adversatur his quae docet s. Doctor 1 p., q. 63, art. 5, ubi affirmat omnes Angelos in primo instanti creationis meruisse gloriam. Praeterea licet admitteremus praecessisse in B. Virgine actum aliquem naturalem prioritate aliqua naturae, non tamen est cur negare debeamus, habuisse B. Virginem simul in eodem instanti reali actus supernaturales fidei, spei, et charitatis prioritate naturae antecedentes infusionem gratiae, quibus disponeretur ad illam recipiendam.

Ut ergo propius titulo Certaminis respondeam, censeo B. Virginem incepisse mereri a primo suae conceptionis instanti, ita ut in primo sui esse puncto esset praedita meritis perfectissimis. Suadetur ex supra dictis, quia in illo instanti reperiebantur in B. Virgine conditiones omnes a Theologis requisitae ad verum et proprium meritum: erat enim libera, Deo grata, cum usu perfectissimo rationis, viatrix etiam; quid ergo deesse potuit ad meritum? tum etiam habebat scientiam infusam, in cuius usu et exercitio nihil dependebat a corpore, neque a phantasmatibus; deinde actus meritorius in instanti perfici potest; potuit ergo in illo primo instanti actu intendere in Dei bonitatem, et beneficia a Deo in se collata; quid ergo potuit impedire, ne in illo instanti Deum intensissime diligeret, eique gratias referret? Si ergo B. Virgo potuit in illo instanti mereri, procul dubio de facto meruisse fatendum est: tum quia gratiam in gradu quodam excellentissimo in prima sui conditione sortita est, quae illam in Dei amorem adigebat; nihilque erat, quod ipsam ab eiusmodi actibus retardaret. Nobilior etiam Theologorum pars id ipsum admittit in Angelis, quod scilicet in primo suae creationis instanti meruerint per proprios actus. Imo s. Thomas docet quemlibet hominem, statim atque ratio-

ne ac libertate utitur, teneri se, et omnia sua in Deum referre : ergo cum B. Virgo in primo instanti suae Conceptionis perfectissimo rationis usu et libertate gauderet, tenebatur utique hoc praecepto convertendi se ad Deum; alioquin praeceptum hoc a D. Thoma inventum non adimpleret, si in instans subsequens, illius observationem differret. Quae quidem rationes aeque probant, B. Virginem ab instanti primo sui conceptus semper, et sine ulla intermissione meruisse, ut infra ostendimus. Itaque semper ab uno actu in alium transibat continuis actibus et auctibus merendo; forsan non semper in eodem numero actu perseveravit etiam amoris, sed ab uno in alium procedebat, ita ut nunquam eius voluntas a primo creationis instanti ab actu amoris in Deum feriaretur.

Obiectabit quispiam, B. Virginem in primo instanti suae conceptionis non potuisse mereri, in nostra sententia adstruente conceptam fuisse in gloria; ergo actus amoris beatificus fuit omnino necessarius; ergo nullo modo meritorius: libertas enim una est ex conditionibus ad meritum, ergo Virgo B. mereri nequivit, neque seipsam disponere ad gratiam, saltem per actum amoris. Sed infirma est obiectio, siquidem ad veritatem nostri asserti sufficit ut meruerit per alios actus virtutum supernaturalium; actus enim honesti, supernaturales sunt meritorii, dummodo in operante supponant habitum charitatis, sive actum, quamvis non supponant meritum in actu charitatis. Sed neque est cur denegemus B. Virgini perfectionem actus amoris; nam praeter actum amoris beatifici, alius est admittendus actus amoris Dei liber et supernaturalis, procedens ex cognitione scientiae infusae: sicut enim in B. Virgine in instanti Conceptionis admisimus duplicem cognitionem, nempe beatificam et infusam; ita duplex actus amoris admitti debet, alter liber, necessarius alter, uterque utrique cognitioni respondens; et licet per actum amoris beatificum non meruerit, per actum alium amoris meruit: ita nobiles Theologi de Christi amore in via philosophantur. Videndus Suarius, de Incarnat. d. 39, s. 2. Quae doctrina vera est, sive illi actus amoris specie secernantur, sive solo numero. Probabiliter aliqui docent specie differre inter se, quia amor beatificus tendit in amabilitatem Dei propter omnem perfectionem, qua est amabilis; quia per visionem beatificam omnis Dei perfectio clare intuetur, et voluntati proponitur; amor vero procedens ex scientia infusa solum fertur in aliquam perfectionem specialem, vel fertur in summum bonum confuse cognitum, ac propositum a scientia infusa: qui modus tendendi diversus satis est ad specificam actuum distinctionem. Alii aiunt actus illos esse solo numero distinctos, qui tendunt in suum obiectum diverso modo applicatum; neque aliquod putant inconveniens, quod duo accidentia solo numero distincta, praesertim quae respiciunt terminum, vel obiectum extrinsecum, in eodem subiecto multiplicentur.

1679. Censeo secundo B. Virginem ab instanti mortis suae, nihil ultra meruisse. Deus enim constituit, ut tempus merendi cum ipsa vita finiretur. Id colligunt Theologi ex verbis Eccli. 9: *Quodcunque potest agere manus tua, instanter operare*, etc. Dicere posset aliquis, hanc legem solum intelligendam, ut quis possit sibi mereri, non vero aliis: quare potuit B. Virgo mereri aliis, qui nondum sunt constituti in termino; aliqui enim admittunt posse Beatos mereri saltem de congruo: et D. Thomas de animabus Purgatorii verba faciens in 4, dist. 21, q. 1, art. 3, id asserit. Sed omnino negandum est, B. Virginem mereri aliis, neque Beatos propter rationem traditam. Locutio autem illa meriti de congruo tam respectu Beatorum, quam animarum in Purgatorio existentium est valde impropria; aliquando enim impetratio meritum de congruo compellatur; non tamen est meritum, atque adeo idem D. Thomas, 1 p., q. 62, art. 9, negat esse meritum in Beatis: idemque docet de animabus Purgatorii, q. 7 de malo, art. 2. Instabis: B. Virgo nunc pro nobis etiam orat in coelis, et exauditur semper et infallibiliter; ergo et nobis meretur. Respondeo B. Virginem non ideo in coelis orare, ut aliis mereatur, sed tanquam efflagitans, quod alias titulo iustitiae propter merita Filii, et sua, iam erat debitum.

CERTAMEN III.

Utrum Virgo Deipara meritum in somno interrumperet.

1680. In primis tanquam certum statuo, Virginem Deiparam somno moderato usam. Primo, quia iuxta communem Doctorum sententiam cum D. Thoma, 1 p., q. 9, art. 4, et q. 93, art. 3, etiam in felici innocentiae statu somno homines se dederent: quidquid refragentur alii apud s. Thomam in 2, d. 19, qu. 1, art. 3, illo ducti fundamento, quod in paradiso homo nec labori, nec lassitudini, nec morbo, nec alicui dispendio succumberet; ergo somno ibi indulgere opus non erat. Bene enim Tertullianus, l. de anima, c. 43, de somno ait: *Illum credimus recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, medicum laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit.* Quidquid autem sit de hac quaestione, in qua pro affirmativa sententia stat communis, adstruo de Virgine Deipara aliquando se somno dedisse, quia longiorum itinerum lassitudo id deposcebat; tum virium iactura tot laboribus invecta, somno utique recuperanda erat: et quamvis in Maria crassiorum vaporum colluvione defaecatum caput somnum non expeteret; bene tamen suavis ac moderata purioris halitus affluentia ex alimento frugali orta, somnum etiam moderatum, et ab operibus sensuum vacationem quandam efflagitabat.

Aliqui Doctores existimarunt somnum absque dormientis Virginis libertate contigisse. Ita Ioannes Maior in cap. 1 Matth., dub. 8, et in cap. 1 Luc., ubi haec habet: *Anima Christi tam in somno, quam in vigilia, divina essentia fruebatur; non sic Deipara, quae in somno liberi arbitrii actus, ut puto, non elicuit, soporis tamen parca ob parsimoniam cibi, fervoremque contemplationis divinae, aliunde non occupata contemplatio-*

ne parcissime relaxabat. Eiusdem est sententiae Gerson, tract. 5 super *Magnificat*, et Abulensis III Reg., q. 4, et q. 12, et super Matth. 1, q. 55.

Pro huius rei pleniori intelligentia animadvertendum est, in statu innocentiae aliter futurum somnum, atque modo in statu naturae vulneratae. Alexander Alensis, p. 2, q. 89, memb. 3, ait in paradiso non futurum somnum, nec crassos vapores illum excitantes, sed futurum quendam soporem sine laesione libertatis sensus ligantem; citat pro hac doctrina Gregorium et Isidorum. Estius in 2, dist. 20, § 7, refert Isidorum et Gregorium, necessitatem somni ab statu illo felici expulisse. Alii, quorum meminit D. Thomas in 2, dist. 19, quaest. 1, art. 3, negarunt homines in statu innocentiae somnum capturos, vel ita dormituros, ut libertate et merito non privarentur. Suarius, tom. 2 in 3 p., d. 18, sect. 2, refert Augustinum dicentem in statu innocentiae: *Tam felicia erant somnia, quam vita vigilantium.* Ubertinus de Cassali docet somnum paradisi, nec meritum, nec libertatem ablaturum. Poterat id suaderi, quia ideo in statu praesenti dormientibus libertas adimitur, quia phantasia et interni sensus confunduntur vaporum redundantia in somno, non remanente debita specierum ad salvandam libertatem distinctione; sic quotiescunque eiusmodi interni sensus aliqua specierum confusione turbantur, tollitur libertas, ut patet in phreneticis et insanis. Sed in paradiso, neque in vigilia, neque in somno turbarentur, aut confunderentur interiores sensus; ergo in paradiso somnus nullo modo libertatem et meritum adimeret.

1681. His praemissis, dicendum est Virginem Deiparam in somno libertate et merito non caruisse, licet nulla alia scientia esset ornata, nisi ea quae a sensibus et phantasmate dependet. Probatur primo; quia, ut saepe alibi tradidimus, Maria fuit condita cum omnibus privilegiis ac praerogativis intrinsecis, quibus Eva in statu innocentiae, et multo maioribus; sed in illo statu iuxta citatos Doctores non privaret somnus merito, et libertate hominem; ergo idem dicendum de Deipara. Franciscus Ximenez, lib. 5 de vita Christi, cap. 34, ait plures ex nobilioribus Theologis sui temporis opinatos fuisse somnum Mariae eisdem fuisse donatum privilegiis, quibus somnus paradisi. Deinde probatur, quia etiamsi in natura lapsa somnus sit ligatio sensuum externorum ad animantium quietem; at reperiuntur individua quae dormiant uno, vel duobus, vel etiam tribus sensibus non ligatis, et ut docet Aristoteles, lib. 6 de generat. anim., c. 1, aliquos homines apertis oculis, imo et bruta per loca periculosa incedere, et aliquas vigilantium operationes exercere; ergo dari potest somnus, qui nullum sensum liget, aut ita ligare, ut linquat functiones sensuum internorum sufficienter expeditas ut intellectus et voluntas libere operari possint. S. Gregorius Nyssenus in cap. 4 Cant. sententiam Aristotelis approbat; ait enim, si dormienti imponatur cinnamomum, nulla re impediri dormientem, quominus interrogantibus respondeat. Cuius rei rationem affert Fracastorius, lib. 2 de intellect., et Garcia de locis affectis, disp. 4, cap. 1 et 4. Cum ergo ex natura rei detur somnus quidam imperfectus, et quasi dimidiatus, in quo aliquis sensus evigilet; ergo dari potest somnus ex natura rei, qui omni sensu externo impedito, et communi etiam sensu ligato quoad operationes, quae praesentia obiecta praesentiunt; sinat tamen solutam imaginativam, et aestimativam facultatem, scilicet phantasmata, mediis quibus intellectus et voluntas libere suos actus eliciant: quare libertas solum erit accidens, quod potest adesse, et abesse a somno, eius natura integre perseverante.

Tertio probatur, quia in B. Virgine dormiente interni sensus nullam specierum confusionem admittebant, quae in reliquis hominibus in poenam peccati contingit, ut bene Suarius, tom. 2 in 3 p., dis. 18, sect. 6, contra Gersonem et Cordubam: imo maxima specierum distinctione, et perfectissima imaginum relucentia pollebat in somno, ita ut libertatem et meritum exercere posset. Pro hac sententia stant plures Doctores, s. Bernardinus ser. 51, patriarcha Ximenez citatus cap. 33, ubi ait hanc esse plurium Doctorum mentem. S. Birgitta orat. 4, Mendoza in Viridario, lib. 4, problemate 16, ubi citat pro hac sententia Rupertum, Ambrosium, Bernardum, Anselmum et Epiphanium. Spinellus etiam c. 20, n. 8, et c. 21, n. 30; Ambrosius, lib. 2 de Virginibus, de Maria verba attexens ait: *Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat.* Clarius locutus s. Bernardinus, tom. 2, serm. cit.: *Somnus*, ait, *qui abyssat, et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo, quod talia in B. Virgine fuerit operatus; sed anima eius libero ac meritorio actu tunc tendebat in Deum, unde illo tempore erat perfectior contemplatrix quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit; unde ipsa Cant. 5, ait: Ego dormio, et cor meum vigilat, scilicet in contemplatione perfecta a nulla actione debilitata.* Idemque inculcat tom. 1, serm. 61, art. 3, cap. 3; et tom. 3, serm. 11, art. 2, cap. 3. Rupertus etiam in cap. 5 Cant. ait, plures animas corde vigilare per rerum coelestium contemplationem, non solum in vigilia, sed etiam dormiente corpore, anima vero coelestia per somnium cogitante: et Virginem Deiparam alloquitur: *Sed, o tu coelum Dei, unica sedes Domini in utroque vigilantiae modo cunctis mortalibus eminentior fuisti.* Dionysius Carthus. apertissime stat pro hac sententia versans cit. Cant. verba: *Hoc sanctissima Virgo praeeminenter dicere potuit*, etc. *In somno corporali cor eius pervigil fuit, et ex ardentissima charitate, ex splendidissima, et exuberantissima sapientia sibi infusa, et contemplatione in vigiliis, pene aut prorsus continue, et tempore somni, vigili corde fuit Deo coniuncta, et pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat.* Hoc idem sentiunt Bustos in Mariali 3 p., serm. 1, p. 3; Canisius, lib. 1 de Deipara, c. 13; Albertus Magnus,

de B.Virg. c.176, 177; s.Antoninus, 4 p., tit.15, c. 20, § 6, et c. 44, § 8, ex Odilone haec refert: *Unum pro certo scimus, quia omnis Mariae actio, et intentio semper fuit intenta in Deo.* Videndus Suarius, tom. 2 in 3 par., disp. 18, sect. 2, § *Dico* 4.

1682. Novior quidam Interpres optimae literaturae premens verba illa Cant. 5: *Ego dormio, et cor meum vigilat*, ea Ecclesiae aptat; ac si diceret: tempore passionis, dum crucem agerem, ac tormenta perferrem cum Christo patiente sponso meo, dormiebam quidem, sed non tota, et corpore quanquam somno sepulta, animo vigilabam: dormiebam in discipulis, cum sopore premebantur in horto: verum evigilabam in parte potissima, Maria, quam nunquam somni huius torpor invasit; sed fide constans, spe inconcussa, charitate ardentiori fervens, mente vigil, omni depulsa desidia, die noctuque excubias agebat. Et quidem merito Mariam corporis mystici Ecclesiae Cor nuncupabis: in medio discipulorum stabat, tanquam cor, ex quo vitales spiritus reliquis membris subministrantur, visque omnis vitalis proficiscitur a corde, nobilissima corporis portione, et sanguinis vitalis sedes est, et asylum; ubi purissimi ac omnino defaecati spiritus, ab omni impuriori sanguine secreti, resident, vitamque continent. Sic Deipara post Christum in Ecclesia omnis puritatis sedes, nulla impuriorís affectus faece permixta, nec unquam afflatum sanguinis faeculenti libavit. Cor item unum de membris omnibus somnum non videt, imo caeteris sopori alto deditis solus vivit, et excubias agit, cuius signum perpetuus ille motus existit. Cor semper vigil in humano corpore, velut in magnis aedibus agit vigilias, ne quid per nocturnas tenebras discriminis obrepat. Dicatur ergo Deipara Ecclesiae Cor, cui solo id concessum, ut quantum ad superiorem animi partem nunquam dormierit; sentiebat illa quidem corpore lassitudinem, ac fatigationi levamen sopore necessario quaerebat; sed dormiente corpore, minime eisdem soporis nebulis mens obvolvebatur, quin potius cum Deo liberius agens nobilissimarum virtutum vacabat officiis, ut nec ab amando Deo cessaret, nec etiam in illius animo aliam faciem somnus, aliam vigilia videret.

Secundo probatur nostrum assertum, quia, ut alibi dedimus, ex pluribus Doctoribus, B. Virgo ab instanti Conceptionis habuit scientiam infusam, illamque absolute fuisse in B. Virgine asserunt s. Bernardinus, serm. 4 de B. Virgine, art. 1, c. 4; Albertus M., lib. de B. Virg., cap. 71, et cap. 96; D. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 17 et 18; Dionysius Richelius super cap. 5 Canticor. Sed scientia infusa est omnino independens in sua operatione a phantasmate, et operatione sensuum; ergo poterat B. Virgo adhuc dormiens uti illa scientia, et per actus illius libere operari: praesertim cum id de Salomone aliqui affirment, quod scilicet dormiret corpore, et mente vigilaret: id asserunt Nicolaus de Lyra, Dionysius Carthus. quod non obscure colligitur ex illo loco cum ait, in somno petiisse a Deo sapientiam; haec autem petitio fuit in illo actio a libertate pendens. Et constat ex Iob cap. 33, prophetas ex speciali Dei dono divina mysteria penetrasse; ait enim: *Quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Unde D. Thomas, 1 2, q. 113, art. 3 in illa verba Numer. 12: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum*, docet tunc relinqui in propheta usum liberi arbitrii; imo in somnis aliquando contingere posse ut mens vigilet, docuere Abulensis, lib. 1 Paralip., c. 1, q. 18; Petrus Tyrrhaeus de apparatu imag. cap. 5; Pererius, lib. 2 de observatione somniorum, q. 4; Pineda in Iob ad c. 33, vers. 15, et in praevio Solomone lib. 3, c. 8, num. 6, quem consule. Addit s. Thomas q. 13 de verit., art. 2, talem fuisse contemplationem Adae in sopore illo a Deo immisso, quando ex ipsius costa Evam formare decrevit, quem soporem fuisse ait cum perfecta cognitione, et intelligentia mysteriorum Dei: ita etiam D. Hieronymus ad cap. 5 Ephes.; Augustinus, lib. 9 de Genesi ad liter., cap. 19; Tertullianus, lib. de anima, c. 1; Suarius, tom. 2 de Relig., lib. 2 de orat. et devot., q. 19, n. 5.

1683. Ex quibus inferes B. Virginem diutius vixisse, quam plurimi mortales: quod de Adamo dici solet, qui triginta supra nongentos annos natus obiit, nullam infantiam, neque pueritiam expertus, cumque illius aevi pubertas, et adolescentia tardior esset, inspecta proportione durationis reliquae, conditus fuit Adam annorum quasi quadraginta, unde licet non vitae longinquitate saltem senectute reliquos superavit: eadem ratione dicere possemus B. Virginem quoad intellectum et voluntatem, in aetate perfecta fuisse conditam, adeoque longiora vitae spatia emensam fuisse; nam obiit annos 72 natam, quibus si addideris annos viginti, vel triginta, qui sine dubio requirebantur, ut illam cognoscendi ac diiudicandi inter obiecta, illaque eligendi rationem attingeret: superaddenda deinde totidem annorum spatia, quae somno dederit, si in illo non vigilaret, sed rationem et meritum interciperet. Omnes quippe fere homines tertia vitae parte a somno tanquam crudelissimo exactore privantur: non sic Deipara, quae in somno vigilabat, cognitionem perfectissimam ac meritum non interrumpens, integros vixit annos 72, a quibus nihil expungendum, neque per infantiam, vel pueritiam, neque per somnum; cum alii septuagenarii vix annos quadraginta compleant.

In summam ergo redigentes quae diximus, aimus B. Virginem nunquam meritum interrupisse in somno, cum Cornelio a Lapide in Cant. ad illa verba: *Ego dormio, sed cor meum vigilat*, ubi ea attribuit B. Virgini in somnis operanti, et Deum amanti. Primo, quia Adae et Evae id concessum ab Augustino, lib. 1 contra Iulianum, cap. 9. Deinde quia Angeli ex quo in primo instanti suae creationis conversi sunt in Deum, nunquam ab illius actuali amore cessarunt; ergo multo magis id credi potest de B. Virgine

Angelorum induperatrice. Demum quia B. Virgini indita est scientia, per se infusa, qua uti posset sine sensuum adminiculo: quare etiam noctu dormiens sopita phantasia, ac sensibus externis, illa scientia uti potuit. Huic sententiae iterum favet Rupertus, lib. 5 in Cant., ubi haec habet: *Multarum quoque animarum fuit, et est, non solum secundum similitudinem otio sancto dormire, id est a terrenis curis vacare, et in coelestibus per contemplationem corde vigilare; verum etiam eodem modo, quo et Iacob dormivit, secundum corpus dormire, et secundum coelestia vigilare. Sed tu, o coelum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilandi modo, cunctis mortalibus, sicut terrenis omnibus, longe eminentior exstitisti, longe studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.*

CERTAMEN IV.

Utrum Virgo Deipara per omnes et singulas vitae suae actiones meruerit.

1684. Virginis Deiparae operationes, aliae virtutis ex obiecto honestae et meritoriae, aliae ex obiecto indifferentes, quae scilicet in bonum et commodum naturae dirigebantur, utpote honesta recreatio in naturae levamen, somnus moderatus post productiores vigilias, post defatigata membra quies, inambulatio corpori exercendo, victus ac potus ad levandam famem ac sitim, ac vires resumendas. Hae omnes actiones, sive ab agendo vacationes nunquam in Maria a rectae rationis regula exorbitarunt, imo semper ad legis aeternae praescriptum conformabantur; quare nihil in illis non laude dignissimum; si vero ad finem scopumque Deiparae operantis intendamus, aeque bona ac laudabilia censebis, cum semper in illis in maiorem Dei gloriam collimaret. Itaque dum ex longis itineribus fatigaretur, quietem carpebat, et vigiliis frequentibus imbecillis, somno aliquantulum indulgeret, et honestae recreationi aliquantisper vacaret naturae levandae causa, sive ambulationi, ut corpusculum refoveret; vel mensae accumberet ut famem pelleret, sitimque minueret; cum enim natura humana constaret, imbecillitates eiusdem subiit, ut nobis documenta praeberet, etiam in his reperiri, quod ad honestatem ac laudem conduceret. In his ergo omnibus operationibus ita se gerebat, ut nusquam a recto virtutis tramite deflecteret; et quamvis infirmitates humanae viderentur, in illis tamen semper virtus constans, stabilis, inconcussa, et aliquid divinum relucebat. Finis etiam agendi, operandique scopus unus Dei honor et gloria ipsi ob oculos erat, hominumque salus; sic ex hoc capite, non minus Deo grata eiusmodi opera ex obiecto indifferentia, quam excelsa quaeque haberi possent.

Observandum igitur est in Virgine Deipara alias fuisse operationes honestas, et virtutes ex obiecto suo, et specie, quales sunt actiones virtutum moralium; alias earum virtutum, quae quia Deum immediate respiciunt, theologicas vocamus; alias denique ex obiecto suo indifferentes in naturae commoditatem institutas, siquidem cum Deipara natura humana constaret, dempto peccato, eiusdemque fomite, qui ad peccandum allicit, reliquas omnes imbecillitates quae hominis sunt propriae passa fuit; de quibus late a nobis dictum, ubi etiam excepimus aliquas, quae quia indecentiam secum adsportant, a tanta Virgine amandavimus. Fatigabatur itaque labore, lassabatur peregrinationibus, famem ac sitim subibat dum aberat cibus ac potus, operum contentione, et continuatione naturales facultates languore quodam marcebant; his ergo naturae imbecillitatibus occurrendum erat, ne omnino natura fatisceret virium defectu: quare labori quies, vigiliis somnus, fami ac siti cibus, potusque succedebat.

1685. Modo ergo hic disquirimus, utrum B. Virgo per singulos actus, singulisque momentis vitae continue meritum adauxerit. In qua re censeo per omnes et singulos actus, quos in vita mortali exercuit post primam sanctificationem, sibi augmentum gratiae promeruisse. Probatur primo, quia Virgo Deipara nullos habuit actus indeliberatos, et multo minus malos in genere moris, ut late a nobis ostensum est peculiaribus Palaestris. De actibus autem indifferentibus in individuo, licet aliquos elicuerit actus ex obiecto indifferentes non tamen ex fine, existimo ergo cum Vasquio, tom. 2 in 3 p., disp. 119, cap. 6, nihil unquam B. Virginem indifferens in individuo fecisse, aut voluisse; non enim credimus eam affectu deliberato aliquid voluisse, ad quod non moveretur ex fine vel obiecto honesto alicuius virtutis. Decebat igitur tantam Virginem haec perfectio operandi, ut nihil absque perfecta deliberatione ageret, aut vellet: quod tradit Albertus Magnus, lib. de B. Virgine, cap. 176 et 177 et 197; ubi docet, hanc peculiarem gratiam B. Virgini fuisse a Deo collatam, ut quolibet tempore et opere mereretur. Ita etiam refert s. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 2, § 6. Addimus cum ipso Virginem Deiparam non meruisse actionibus mere naturalibus, ut oscitatione, et nutritione, sed illis solum, quae pendebant ex libero arbitrio; quia actiones illae tametsi sint hominis, humanae tamen non sunt, neque a voluntate fiunt, ideo neque laude dignae nec merito. Omnes igitur actus suos referebat Deipara in Deum, nullo enim inordinato pulsabatur affectu. Deinde pleno in suos actus gaudebat dominio, nec externis distrahebatur occupationibus praeter voluntatem suam, nec mentem unquam a divina contemplatione avocabat; sat erat, si ad externas actiones interiorem mentis attentionem nonnihil remitteret, non tamen omnino suspendebat. Nihil itaque in singulis B. Virginis operationibus deesse poterat ad meritum.

1686. Nulla igitur in Maria toto vitae mortalis spatio exstitit vel minima cogitatio, vel affectio aliqua, vel desiderium, neque motus primus insurgens contra rectam rationem; imo neque ante ipsius rationis imperium: omnis quidem actus sive ab intellectu, sive a voluntа-

te elicitus, fuit omnino deliberatus, sive consilium, sive electio, sive intentio, sive discursus et speculatio. Huic sensui auxilium ferunt verba illa trita s. Bernardi in *Signum magnum: Candidissimus, seu calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed nec obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Si ergo in Maria nihil non lucidum, nihil non fervens, nihil non micans radiis sanctitatis; procul a Maria actus omnis indifferens, vel alicuius teporis et imperfectionis capax. Et sicut idem Vasquius, t. 1 in 3 p., disp. 75, cap. 4, ait de Christo nullum opus in individuo effecisse, aut defectu considerationis, et libertatis, aut defectu finis virtutis, quia nullum habuit motum voluntatis sine libertate, neque ob solam commoditatem temporalem operatus aliquid est; eadem ratione de B. Virgine dicendum pronunciamus. S. Odilon, serm. de B. Virgine, haec habet: *Unum pro certo scimus, quod omnis Mariae actio semper intenta fuit in Domino.* Exigua quaelibet Mariae opera Deo commendatissima. Ideo ait ipsa in Canticis 5: *Digiti mei pleni myrrha probatissima*, id est minima quaeque in B. Virgine maxima fuere. Vide Umbram Virgineam excursu 172, a num. 1696, ubi vel capillus Marianus Christi cor feriebat. Nulla ergo sine Deo dies, hora, vel momentum ibat, nullae cogitationes aliorsum vela dabant, nulla vota extra hunc scopum tela mittebant. Nunquam et nusquam illo incomitata pedem movebat: ille claudebat latus, possidebat pectus, animamque totam, ut nihil non solum praeproperum elaberetur, aut venia dignum, aut poenitentia emendandum, aut scopis verrendum, aut delendum spongia; sed nec minus bonam cogitatiunculam, vel remissiorem actum unquam elicuit. Omnia in Maria optima, omnia ex fine sublimia, ex obiecto excellentia, ex imperio nobilissima, ex conatu et affectu in Deum intensissima. Nunquam B. Virgo a bonis operibus feriabatur: Mariae sunt illae voces: *Veniat dilectus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.* Sed quando invitat Sponsum Sponsa? Nullum profecto tempus determinat, quia quocunque ille tempore venerit, in Mariae pomario bonorum operum poma reperiet: nusquam enim instar ficulneae fructibus fuit orbata: ita innuit Ailgrinus in illa verba: *An quidquam*, ait Canisius, lib. 2 de Deip., cap. 16, *in Mariae cogitationibus, desideriis, consiliis, dictis, factis, moribus fuit non nitidum, non integrum, non absolutum, non meritorium, non summe Deo gratum, non denique simul et Angelis, et hominibus iure suspiciendum?*

Modo scire avebis utrum Virgo Deipara operata fuerit aliquando ex motivo solum naturali, honesto tamen; nonnemo enim id affirmare posset, quia obiectum naturale conforme rationi habet sufficientem bonitatem naturalem honestam, ut voluntatem alliciat ad actus naturales conformes suis obiectis; ergo non est, cur B. Virgini denegetur talis operandi modus, cum actus illi sint simpliciter boni, et conformes naturae rationali. Et firmari id potest, quia eliciebat B. Virgo actus scientiae acquisitae, ut per se notum est; ergo et actus virtutum acquisitarum qui correspondent illi scientiae; atqui hi actus solum sunt ex motivo honesto naturali; ergo, etc. Arbitror tamen B. Virginem nunquam operatam fuisse ex motivo mere naturali quantumvis honesto, siquidem operabatur perfectissime; ergo ex aliquo motivo supernaturali. Deinde omnes suas cogitationes, verba, et operationes saepissime ac frequentissime in Deum summe et unice dilectum dirigebat: nunquam ergo ex solo motivo naturali operabatur, sed ex motivo bonitatis supernaturalis Dei. Itaque eliciebat Virgo B. actus bonos naturales ex motivo naturali, sed praecipiebantur ab actu amoris ferventissimi in Deum, in quem finem in omnibus operationibus tam naturalibus, quam supernaturalibus collimabat; imo omnes hi actus non solum a charitate in Deum imperabantur, sed etiam ab aliis virtutibus infusis supernaturalibus.

1687. Sciscitaberis utrum per actus eiusmodi virtutum moralium ordinis naturalis, licet a B. Virgine actu non referrentur in Deum, vel in finem aliquem supernaturalem, meruisset augmentum gratiae. Id enim affirmare aliquis posset his permotus rationibus. Quia dignitas Maternitatis Dei illos omnes actus ita dignos praemio reddebat, ut haberent omnem proportionem ad meritum: sicut Virgo B. per Maternitatem Dei ad eum statum et ordinem est evecta, ut ratione illius debeantur ipsi alia dona, nempe gratiae celsissimae et gloriae, tanquam connaturales proprietates; ergo similiter omnes actus honesti Virginis Deiparae etiam ordinis naturalis, ratione dignitatis Maternitatis Dei, erant Deo gratissimi, ac quocunque supernaturali praemio dignissimi. Firmatur, dignitas enim Maternitatis Dei magis confert ad proportionem, et valorem meriti supernaturalis, quam quaevis alia conditio tenens se ex parte actus, et quam relatio operantis ad finem extrinsecum supernaturalem. Atqui relatio, et habitudo ad finem extrinsecum supernaturalem in operante elevat actum naturalem, ipsique capacitatem indit praemii supernaturalis; ergo etiam habitudo eiusdem actus intrinseca ad Maternitatem Dei, quae est ordinis supernaturalis in operante, indet ipsi actui capacitatem et proportionem cum praemio supernaturali. Roboratur: actus virtutis naturalis imperatus a quacunque virtute supernaturali est meritorius gratiae; ergo actus virtutis naturalis elicitus a persona, quae est Mater Dei, seclusa omni alia habitudine ad alium finem supernaturalem, erit meritorius gratiae: nequit enim percipi ab intellectu, Deo futurum gratiorem et digniorem actum virtutis naturalis, ex eo quod imperetur a virtute supernaturali, v. g. Temperantiae, quam si eliciatur a persona cum Dei Maternitate coniuncta. Quis enim neget gratiorem multo fore Deo Maternitatem, Dei donis et gratiis ipsi debitis comitatam, quam unam virtutem temperan-

tiae supernaturalis? Demum confirmatur hic sentiendi modus, quia actus virtutum naturalium in Christo Deo quamvis non referrentur in finem supernaturalem, poterant esse meritorii praemii supernaturalis, et gratiae, quia dignitas suppositi sat erat, ut omnem proportionem dicerent ad meritum quodcunque supernaturale, ut bene ostendit Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 39, sect. 2, § *Dico denique;* ergo cum proportione aliqua actus virtutum naturalium in Deipara, ex Maternitate Dei sufficientem proportionem sortiebantur cum gratia, et praemio supernaturali. Propter haec fundamenta hic opinandi modus aliquam probabilitatis speciem praeseferre videtur.

Extreme tamen opposita sententia est communis et vera, actus scilicet virtutum naturalium in B. Virgine, dum non referrentur in finem aliquem supernaturalem, non esse meritorios gratiae, vel alicuius praemii supernaturalis. Ratio est, quia nullam proportionem praeseferunt cum praemio supernaturali; sunt enim illi actus in alio ordine longe inferiori, quam gratia, et aliud praemium supernaturale: siquidem una ex conditionibus requisitis ad meritum est, ut opus habeat valorem condignum, et aliquo modo illi aequalem, quia ratio meriti pertinet ad iustitiam, et ideo aequalitatem aliquam inter meritum et praemium deposcit. Nec refert, quod illi actus procederent a persona cum Dei Maternitate coniuncta, adeoque Deo gratissima; quia etiam actus virtutum naturalium in D. Ioanne Baptista eliciebantur a persona Deo gratissima, utpote insigni gratia praecaeteris ornata; et tamen nemo asseret, Divum Ioannem meruisse actibus honestis ordinis naturalis, licet eos non referret ad finem aliquem supernaturalem, gratiam, eiusve augmentum, sive aliud praemium supernaturale: et quidem rationes superioris sententiae, si aliquid probant, cum proportione probant, et procedunt de hominibus iustis, gratia et aliis donis supernaturalibus praeditis. De Christo autem Domino aliter sentiendum, quia omnes actus et operationes illius personae erant Dei-hominis, et Theandricae.

CERTAMEN V.

Utrum Virgo Deipara toto vitae suae tempore usque ad mortem continue meruerit.

1688. Quorundam fuit sententia, B. Virginem ab Incarnatione Filii usque ad mortem non potuisse mereri. In hanc sententiam inclinat Scotus in 4, dist. 4, q. 6, ad 5; Almainus in 3, dist. 3, q. 3. Favent Richardus, Alensis apud Suarium, tom. 2 in 3 p., disp. 18, s. 1, § *De tempore*, dum aiunt, B. Virginem post Incarnationem Filii fuisse iam in statu plenae gratiae, et perfectae charitatis: imo s. Thomas subsidiari videtur 3 p., q. 27, art. 5, ubi ait: *Gratiam Virginis fuisse consummatam in Conceptione Filii.* Et s. Bernardinus, serm. 51 de Concept., aperte docet B. Virginem in Filii conceptione tantam sibi gratiam nactam fuisse, quantam acquirere, et accipere potest viatrix creatura. Hunc sensum amant, et non alium, verba difficilia s. Ioannis Damasceni, orat. 1 de Dormit. Deiparae: *Mors enim eos* (id est alios iustos) *perficit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat. Minime tamen hoc in te usurpabimus, neque mors tibi beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliavit. Omnium enim bonorum initium, medium, et finis, securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte Conceptione posita fuit.* Ratio etiam huic opinandi modo patrocinari videtur: maxime enim rationi consonum fuit, ut B. Virgo ad concipiendum Filium his donis ac gratiis praemuniretur, quantas pura creatura capere posset, ac proinde ulterius progredi non potuit in adaugenda gratia, ac meritis.

Dicendum existimo, potuisse Virginem Deiparam post Filii Incarnationem in gratia excrescere, et meritorium auctus novos facere. Ita Doctorum communis sententia: s. Thomas, 3 p., q. 27, art. 5, ubi triplicem perfectionem gratiae Marianae distinguit: primam, qua disposita fuit, ut Christi idonea Mater existeret; alteram, quam adepta fuit in Incarnatione Filii; tertiam demum, quam nunc habet in gloria. Quod luculentius explicuit Rupertus, lib. 6 in Cant., ubi ait B. Virginem in sua prima sanctificatione fuisse ut auroram, in Filii conceptione ut lunam, in morte ut solem, quia semper in gratia profecit, et merita auxit. Sub hac eadem metaphora hanc sententiam declarat s. Bonaventura in Speculo, c. 9 et 11. Durandus expresse tenet hanc sententiam in 3, dist. 3, q. 4; ait enim, B. Virginem, licet non potuerit peccare post Filii Incarnationem, potuisse tamen in meritis accrescere, cum esset viatrix. Gabriel item ibidem q. 2, art. 3, dub. 1, ubi probat B. Virginem adhuc post Filii Incarnationem libero arbitrio usam ad actus praeceptos, quia alioquin non potuisset merere, nec de facto meruisset. Eidem sententiae adhaeret Andreas Vega, lib. 10 in Concil. Trid., c. 2, cuius accipe verba: *Quis enim neget ipsam sanctiorem et gratiorem Deo fuisse, postquam Filium Dei concepit, peperit, nutrivit, et pro nobis patienter tulit in cruce mori? Si fieri potest, ut gratior sit aliquis apud Deum uno tempore, quam alio; nescio quemadmodum possit quis credere, tam parvi apud Deum fuisse tanta illa ac praecellentia obsequia, ut non eam post ipsa, multo habuerit cariorem, et gratiorem: nam quod quidam existimant, datam ei esse in conceptione Filii Dei totam gratiam, quam postea meritura erat, somnium est absque ullo fundamento contra legem Dei effictum, quod eadem facilitate, qua dicitur, merito est contemnendum.* Sotus etiam id perspicuis verbis docet in 4, d. 5, art. 2: *Quis,* inquit, *ambigat, quin cum merita praemium praecedant, per tam egregia virtutum omnium officia, quae post sacratissimum partum accumulavit, cumulatior etiam in dies, et excellentior illi accresceret gratia? fuit quidem gratia plena ante conceptionem Filii, quan-*

tum par erat ut fieret Christi Mater: attamen gratia illa non fuit eo modo summa, ut non posset deinceps meriti augeri. Ubi hi Doctores et rationes ad probandam hanc thesim producunt, et verbis Patrum in oppositum adductis satisfaciunt. Imo hanc sententiam Patres ac Theologi quasi certam potius supponunt, quam probant, ut bene Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 18, s. 1.

Nonnulli adstruunt, Virginem Deiparam potuisse toto vitae suae tempore mereri, non quidem augmentum gratiae de novo obtinendae, sed iam ab instanti Incarnationis obtentum. Arbitrantur enim, in illo momento collatam fuisse B. Virgini omnem illam gratiam, quam toto vitae tempore promeritura erat, ut hoc modo amplius esset et Deo gratior disposita dignitati Maternitatis Dei. Haec autem gratis conficta, et adversantur legi ordinariae, et praescripto a Deo statuto circa rationem merendi, quo voluit, ut meritum antecederet praemium. Inde etiam fieret ut principium meriti cecidisset sub meritum; si enim universa gratia, quae praemium erat exstitura meritorum B. Virginis, praeivisset tempore eisdem meritis, utique necessario extitisset principium illorum: gratia siquidem quae praeit in operante operum exercitium, illorum est principium, quia grata sunt Deo, et meritoria, adeoque B. Virgo principium meriti meruisset; quod Theologi etiam in ipso Christo non admittunt. Vide alia absurda apud Suarium cit., quae ex sententia inferuntur.

Neque urget quod afferunt, Angelos plura Deo exhibere obsequia ex perfectissimo in Deum amore; cum tamen per illa, nulla ratione mereantur. Christus etiam Dominus suis operationibus non reddebatur Deo gratior: latum tamen est inter Angelos et Deiparam discrimen; haec enim dum vixit apud nos, fuit viatrix, neque statum comprehensoris attigerat; nihil ergo obstat, iuxta praescriptam a Deo legem, ut mereri posset, cum gratia semper excrescere et augeri possit in via, et hoc quidem concessum est omnibus viatoribus; cur ergo id B. Virgini denegandum, quod in Angelis denegant Theologi, quia sunt iam in termino, et comprehensores? Christus autem Dominus quia erat infinite gratus ob dignitatem suae personae, et secundum animam Beatus, et *ut sic* non erat viator: opus ergo fuit, ut ab instanti sui Conceptus ei conferretur gratia infinita, vel in gradu summo: quid, quod ut viator erat, de facto nobis omnibus meruit omnem gratiam et gloriam, et sibi etiam aliquod praemium, cuius capax erat? Cum vero D. Thomas allatus docet B. Virginem in Filii conceptione fuisse in gratia consummatam, non est mens ipsius, asserere ipsam fuisse in termino, nec loquitur de consummatione futura in Beatis; sed ita confirmatam fuisse in bono, ut amplius peccare non posset, ut bene s. Doctor seipsum explicat illis verbis: *In conceptione Filii consummata est in gratia, confirmante eam in bono.* Eademque ratione intelligendi alii Scholastici, qui non ita clare locuti sunt in hac parte. Fateor verba s. Damasceni esse explicatu difficilia, eodem tamen modo exponendus est, ni velimus asserere, s. Doctorem in ea fuisse sententia, ut existimaret, Virginem Deiparam a momento Incarnationis Christi fuisse iam plene beatam. S. Bernardinus solum intendit, B. Virginem in illo Incarnationis instanti tantam gratiam fuisse adeptam, quantam viator quisque adeptus fuit; non tantam, quantam ipsamet in fine vitae suae sibi comparatura erat. Quocirca quemadmodum non debebatur Virgini Deiparae ob dignitatem Matris Dei, ut iam ab instanti conceptionis Filii ad statum beatitudinis et termini eveheretur; sic etiam, nec ut omne illi gratiae augmentum exhiberetur, sed solum quod statui viatoris debebatur.

1689. Dicendum secundo, B. Virgo ita meruit singulis quibuscunque actibus aliquod gratiae augmentum, ut statim illud nancisceretur; quod ita declaro iuxta varios inter Theologos opinandi modos: sunt enim qui existiment, augmentum gratiae quod iustus promeretur, sive per operationes intensas, sive remissas, statim conferri. Iuxta hunc dicendi modum certa est assertio, quia meritum in B. Virgine erat proportionatum praemio, et sufficiens ipsius causa. Alii arbitrantur non exhiberi statim augmentum gratiae, nisi meritum innitatur actu intensiori et ferventiori: in horum Doctorum opinione aeque certa est nostra assertio, iuxta ea quae supra docuimus, nempe B. Virginem semper tantum cooperatam fuisse gratiae vocanti, quantum poterat iuxta vires divinae gratiae sibi collatae. Quod ex eo suaderi potest, quia quidquid perfectionis praecipue in genere gratiae sanctificantis alicui creaturae collatum fuit, B. Virgini excellentiori modo concessum fuisse affirmandum, ut late alibi monuimus: at illa perfectio gratiae collata fuit Angelis, tum et nonnullis iustis, saltem pro aliquo vitae spatio, ut Apostolis; ergo meliori iure id affirmandum est de B. Virgine, in qua nullus fuit obex, quo retardari posset, quominus divinae gratiae vocanti secundum totam intensionem cooperaretur; carebat enim fomite ad peccandum, imo pollebat fomite ad virtutes insectandas, facultates inferiores omnino subdebantur rectae rationis praescripto; quemadmodum ergo Angeli ob hanc causam cooperati sunt divinae gratiae secundum totam intensionem, ita etiam B. Virgo, praecipue cum donis et aliis privilegiis longe Angelos antecelleret. Quare cum Virgo Deipara Deum diligebat semper ex tota charitatis intensione, et ex totis gratiae tam habitualis, quam actualis seu moventis viribus, et energia operabatur; ac proinde semper promerebatur gratiae augmentum. Itaque existimo B. Virginem semper tactam fuisse motione, qua intensius operaretur, ut bene Suarius cit. sect. 2, § *Dico secundo:* nunquam ergo B. Virgo, iuxta s. Bernardinum serm. 51, cap. 3, gratiae vocanti non respondit: *Nihil unquam,* verba sunt s. Bernardini, *elegit, nisi quod ei sapientia divina demonstrabat, tantumque semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimavit.* Nihil enim aliud in homine viatore exigi potest, ut se ad novos

gratiae actus apparet, ac praemuniat, nisi ut divinae gratiae respondeat, et ut ex totis divinae motionis viribus operetur: quemadmodum enim, ut habet commune proloquium, Deus facienti quod est in se ex priori gratia non denegat suam gratiam; potiori iure non denegabit idem Deus praemium augmenti gratiae operanti secundum omnes collatae sibi gratiae vires. Quae doctrina applicari potest omni merito Deiparae, quod nitebatur quibuscunque actibus cuiusque alterius virtutis a charitate; nam cum Virgo Deipara per omnes virtutes meruerit, per actus et operationes perfectissimas ex tota intensione et energia seu efficacitate gratiae et auxilii moventis, statim obtinebat praemium augmenti gratiae ipsi operi debitum.

1690. Dicendum tertio, Virginem Deiparam a primo suae conceptionis instanti usque ad punctum mortis suae, sine ulla interceptione, meritum continuasse. Ita Suarius cit, § *Dico quarto*. Canisius lib. 1, cap. 13, § *Nisi forte*: *Quid*, inquit, *Maria felicius quae, ubicunque degeret, sempiternum illud nomen ob oculos sibi contemplandum proponere, tantam maiestatem intime revereri, Patrem in spiritu et veritate semper adorare, nihil nisi purum et divinum puro illo sanctoque pectore concipere ac conservare solebat?* Idem innuit Petrus Damianus, serm. 3 de Nativ. Mar.: *Flagrabat passim Maria odore boni operis, intendebat ad sublimia intensione continua cordis.* Hoc assertum eisdem rationibus stabiliendum, quibus usi sumus in hoc et superiori Certamine ad probanda superiora placita. Hoc enim assertum illorum est corollarium. Ad rem nostram Ludovicus Legion. componit B. Virginem cum oneraria navi, quae noctu diuque sine intermissione enavigat, et somno sopitis, vel aliud agentibus vectoribus, ipsa semper secundis ventis longissima spatia dimetitur. Sic Deipara in bene operando nunquam constitit, unde recte dicitur, Prov. cap. 31, 14: *Facta est velut navis institoris.*

Imo arbitror cum Suario de Fide, tract. 3 de Charitate, disp. 3, actum amoris per omne vitae suae spatium non interruptum, sed iugi continuatione elicitum, neque in suo transitu ad patriam fuisse morte interceptum; sed eundem in patria, quamvis necessario, continuasse. Quam etiam sententiam amplectuntur Salazarius, to. 2 in Proverb. c. 31, n. 137; Vasquius, tom. 2 in 3 p., disp. 118, c. ult.; Cornelius a Lapide in c. 31 Prov., n. 137 et 139; Barradas, tom. 1 in Evang. lib. 6, c. 5; Novarinus in Umbra Virginea, l. 4, excursu 28; Spinellus, cap. 9, n. 19. Vide etiam Petrum Hurtado, de fide disp. 151, § 2; Suarium iterum, tom. 2 in 3 p., disp. 21, sect. 2, § *Unde obiter*. In opinione autem illorum, qui aiunt amorem viae, et patriae, esse eiusdem speciei, facilis est probatio; quia id ad tantae sanctitatis cumulum spectare videtur: ab actu ergo amoris viae immediate transivit ad actum amoris patriae sine ulla intermissione: siquidem nullo impedimento retardabatur, neque corporis dolore, vel sensuum perturbatione impediebatur. Quin potius cum ex divina revelatione optime nosset momentum sui discessus, quo magis ad terminum seu centrum sui amoris appropinquabat, eo vehementiori ac ferventiori dilectione ferebatur: quare primum non esse amoris in via, quod ipsum erat primum non esse hominis, fuit primum esse amoris in patria, in quo et videre Deum, et illum amore beatifico diligere exorsa est; sicut de amore animae Christi dici solet: eademque praerogativa deferenda est Virgini Deiparae. Itaque quando tota extreme laborantium cura in praesens vertitur discrimen et suprema cogitatio, omnem ad se hominis attentionem evocat, a qua pariter, et a corpore animus discedens liberatur; ita ut loquendo moraliter, continuari nequeat actus amoris in reliquis hominibus: in B. tamen Virgine aliter sentiendum. Et probatur *a simili* de Angelis, qui iuxta Suarium, lib. 5 de Angelis, c. 11, n. 19, transeundo de via ad patriam eundem amoris actum continuarunt.

CERTAMEN VI.

Utrum Deipara Maternitatem Dei promeruerit de congruo.

1691. Sapienter Seneca dixit: *Nulla est tam bona fortuna, de qua nihil queri possit.* Nullum compendium sine dispendio; nulla felicitas humana sine felle venit, quod vel nomen ipsum imbibit. *Risus*, ait Sapiens, *dolore miscebitur, extrema gaudii luctus occupat.* Nulla rosa sine spina; nullus honos sine onere venit. Nanciscitur ille post plures annos dictaturam et praefecturam, sed rem omnem familiarem in subornationibus absumpsit. Alius Episcopatum diu exambitum subit, sed pensionibus et oneribus onustum; et sic de reliquis fortunae bonis. Solum Maternitas Dei fuit omni ex parte fortunatissima, de qua nihil queri possit: ideo Beatitudinis nomine donatur iuxta illud, *Beatus venter, qui te portavit.* Quia nomine Beatitudinis omnium bonorum cumulus sine ullius mali mixtura venit. Quod si aliquis asserat B. Virgini hanc Maternitatis dignitatem plurimi constitisse, iuxta s. Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Bernardum et alios, qui Maternitatem Dei a B. Virgine fuisse promeritam opinantur; occurrendum est, haec merita Mariana congruitatis rationem non excessisse, iuxta commune Theologorum placitum: quare nihil ei de omnigena felicitate detraxisse. Apte Fulgentius: *Et concipere, et parere, non humanis meritis, sed nascentis Dei dignitate promeruit.* Quod innuebat Sponsus, cum ventrem Mariae cum acervo tritici componit, liliis circumsepto: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis*, Cant. c. 7. De liliis autem Christus pronunciat, Luc. 12, 27: *Neque nent, neque serunt, neque sollicita sunt, et tamen Deus illa vestit.* Lilia sine ullo ipsorum labore et merito suam ostentant pulcritudinem, quae cum regio vestimentorum luxu de pulcritudine et ornatu contendere possit; ut ostenderet Deus nulla in Maria merita condigna antecessisse, quae illam ad tantum dignitatis fastigium proveherent, sed donum fuisse, ac beneficium omnino gratiosum, ac bonam fortunam, de qua nihil queri possit: ideo ventrem Sponsus genera-

tionis, et Maternitatis Dei officinam liliis circumvallavit.

In primis in ipso huius Certaminis limine eliminanda prorsus aliquorum censio infausta nimis, utpote infausto sydere nata, quia sydus Marianum fulgentissimum si non denigrat et offuscat, saltem de lucidissimo ipsius splendore aliquid extenuat, ac detrahit, quos immerito Lorca assectatur in 3 p., q. 2, art. 6, conclus. 3. Aiunt ergo Mariam nullo merito proprio Maternitatem Dei obtinuisse, nisi eo sensu, et acceptione, qua illud Ecclesiae decantatur: *O felix culpa, quae talem ac tantum habere meruit Redemptorem.* Hic quidem opinandi modus omnino explodendus, non solum quia Patribus adversatur; et quia valori meritorum B. Virginis multum exosus, sed etiam quia nullis rationum momentis innititur, nullo Patrum, sive Doctorum fulcro sustinetur: imo omnes unanimi consensu in Mariae meritis provehendis plurimum desudarunt, ut ex toto hoc, et sequenti Certamine patebit.

Obtendunt tamen nobis Ragusa in 3 p., q. 2, art. 11, cum Lorca citato et Sylvio, B. Virginem nulla ratione meruisse Dei Maternitatem, etiam in executione, quia alias principium meriti caderet sub meritum; siquidem Deipara solum mereri poterat Maternitatem Christi per gratiam ab ipso Christo acceptam; ergo meruit aliquo modo Incarnationis existentiam; ergo principium meriti caderet sub meritum Deiparae. Huic rationi primo occurrere possumus, si dixerimus, Virginem Deiparam non influxisse concursu effectivo ad productionem humanitatis Christi, neque ad eius existentiam, ut plures volunt, sed tantum subministrasse purissimum sanguinem, ex quo Christi humanitas formaretur; iuxta quam sententiam conceptio Christi Domini solum attribuitur Deiparae, non tanquam principio efficienti, sed tanquam materiam suppeditanti, ut de aliis matribus docent aliqui cum Aristotele, 1 generat. animalium, cap. 20. Tunc sic: Deus decernere potuit producere Christum, non decernendo absolute id fieri ex materia, quae antea fuisset sanguis, et a B. Virgine exhiberetur, adeoque independenter ab ea: praevisis vero Christi meritis, decrevisse exhibere B. Virgini gratiam, ut posset mereri Maternitatem Dei, hoc est, ut disponeret materiam, et aptaret ad Christi formationem, in qua sententia B. Virgo non meruit, ut Christus absolute esset, sed ut illa materia, ex qua Christus formaretur, prius fuisset ipsius Virginis, quod accidentarium valde est existentiae Christi. Ex quo recte inferes, Christum Dominum prius fuisse praefinitum a Deo cum hac numero actione quoad substantiam independenter a praefinitione Deiparae, eiusque sanguinis administratione: solus enim Deus produxit humanitatem Christi sine concursu efficienti Deiparae; ergo post praefinitionem productionis humanitatis, potuit Deus praefinire et praevidere materiam B. Virginis purissimam ac defoecatam, ex qua Christi humanitas formaretur. Per decretum ergo Dei de Christi productione fuit praefinita haec numero actio quoad substantiam, quae est productio humanitatis, quin B. Virginem praefiniret ut Matrem ex vi huius decreti: postea vero praevisis iam Christi meritis et Virginis Deiparae, potuit Deus illis permotus decernere, ut Deipara Virgo sanguinem suppeditaret purissimum, illumque disponeret proxime ad Christi formationem, ac proinde potuit B. Virgo mereri Maternitatem, quin meruerit aliquo modo incarnationis existentiam, nec humanitatis productionem. Dicta locum habent in sententia negante concursum activum B. Virgini in productionem humanitatis Christi.

1692. In nostra autem sententia admittente in B. Virgine activum concursum in productionem humanitatis, id omne componi potest per varia Dei decreta. Primum ergo Dei decretum attigit Christum, Virginem, et actionem productivam humanitatis independenter a meritis B. Virginis; ex quo decreto iam concipitur Maternitas futura sine ordine ad merita. Deinde praevidetur B. Virginis meritum innixum Christi meritis, quo permotus Deus aliud habuit decretum, eligendi scilicet B. Virginem in Matrem Christi propter merita ipsius praevisa. Hinc autem non deducitur, B. Virginem meruisse Incarnationem, sed actionem productivam unionis inter materiam et formam; siquidem actio haec nullam habet connexionem cum unione hypostatica, nec ratione sui illam postulat ex se; solum ergo connexionem habet cum unione hypostatica, ex suppositione, quod partes, quas unit, sint unitae hypostatice Verbo; unde bene poterit cadere illa actio sub meritum, quin cadat unio hypostatica: non ergo principium meriti ideo caderet sub meritum, quoniam Deipara ad summum meretur humanitatem compositam resultantem ex unione unitiva, quae solum est principium *quo* physicum meriti, non vero meretur principium meriti morale, de quo est sermo in illo communi proloquio, *principium meriti non cadit sub meritum.*

Nec dixeris inde fieri, Deiparam meruisse etiam Incarnationem; quia si meruit esse Mater Dei, ergo meruit, ut Deus ex illa fieret homo; ergo meruit ut Christus homo-Deus in rerum natura produceretur, et existeret: inficianda tamen est sequela; valde enim inter se distant, Maternitatis Dei meritum, et Incarnationis meritum; meritum enim Maternitatis iam praesupponit meritum Incarnationis, et ipsam Incarnationem futuram, facta enim hac hypothesi, videlicet decretae iam a Deo Incarnationis, meruit Maternitatem, quin meruerit Incarnationis sacramentum: quod planius fiet exemplo. Statuat rex efficaciter Saguntum venire, habiturus comitia; impetret postea vir nobilis precibus ac donis ut potius in suum divertat hospitium, quam in alterius; tunc non bene dixeris, virum illum regis adventum in urbem promeruisse, sed solum ut in suam domum veniret: eadem ratione aliud est, B. Virginem mereri, ut Christus antecedenti decreto iam futurus, et praefinitus efficaciter, potius ex suo purissimo sanguine intra sua viscera efformaretur, quam ex alio; aliud

autem, mereri Incarnationem ipsam; meritum enim Maternitatis supponit iam Christum secundum se incarnandum.

1693. Quod vero Virgo Deipara dignitatem Maternitatis Dei meruerit, est iam receptissimum inter Theologos assertum, s. Patrum suffragio constabilitum. Parco ipsorum verbis, unum aut alterum producam. S. Augustinus, ser. 83 in Assumpt.: *Tu*, inquit, *meruisti esse Mater Redemptoris et Iudicis.* Et lib. unico de natura et gratia contra Pelag., c. 36: *Unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit Deum, quem constat nullum habuisse peccatum.* S. Bernardinus, tom. 2, ser. 51, art. 3, cap. 1: *Virgo in illo admirando consensu virginitatem meruit, et in virginitate Maternitatem Filii Dei.* Et ibidem c. 3 sic subiicit: *Optimum est, super quod nihil est melius; et in pura creatura supra B. Virginem non est factibilis status, et quia talis status B. Virgini honorabiliter datus est, ideo fuit ante collatum sibi copiosissimum donum, unde hunc sublimem statum mereri posset, ac sibi eligere, sicut velit. Proinde volens Dominus exprimere dignitatem ex merito etiam sui: Potius, inquit, elegit sibi quam data est sibi.* Ut vel hinc Mariana celsitudo magis praefulgeat, quae tali ac tanta gratia praeventa fuit, ut gratiam omnium optimam, nempe Dei Maternitatem promereretur, quod meritum indicatur apud s. Bernardinum verbo illo, *Elegit.* S. Thomas, archiepiscopus Valentinus, conc. 4 in natali Dom.: *Haec Virgo*, inquit, *Beata nobis Deum protulit, et hominem, haec sua eum pulcritudine, et decore a coelis allexit: amore illius captus est, et humanitatis nostrae nexibus irretitus.* In cuius rei confirmationem expendit illud Psalmi 28: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Nomine Filii intelligit Genebrardus Christum: *Christus*, ait, *apparebit sicut unicornis, quae cum non videretur in sylvis, incipit apparere post densas sylvarum arbores disiectas et discussas vi ventorum et fulminum.* Diserte unicornis nomine venit Christus, qui alioquin animal desaeviens, obiecta Virgine cicuratur et mansuescit, feritatisque oblitus in puellae sinu se laqueis vinciri sustinet: id totum Valentinus Praesul, Deiparae ac Christo aptat. B. Virgo igitur virginitate, reliquarumque virtutum ornamento allexit Deum, in Agnum mitissimum mansuefecit, et in sinum attraxit, foecunditatem promeruit, Maternitatem aucupata est.

Quam false autem Lorca pro sua sententia adducat s. Thomam, vel inde perspici potest, quod 3 p., q. 2, art. 2, sic habet: *Quia meruit eum puritatis gradum, ut congrue esset Mater Dei.* Et in 3 sent., dist. 4, q. 3, art. 1: *Dicendum, quod B. Virgo non meruit Incarnationem; sed praesupposita Incarnatione, meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigno, sed merito congruo.* S. Ambrosius aperte pro hoc merito Mariano decertat; ait enim Praeparatione secunda ad Missam: *Et ut efficax sit haec mea deprecatio, B. Mariae Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerre, et nulla praeter ipsam tam novum acciperet, ut Deum Virgo pareret, et post partum Virgo maneret.* S. Gregorius Mag. ad lib. I Reg. c. 1, auxilium huic merito Virgineo praestat his verbis: *Incomparabilibus illustrata meritis Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum praeparavit uterum.* Petrus Damianus, ser. 1 de Assump.: *Singularis*, inquit, *eius sanctitas, et gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter iudicata est digna.* Idipsum perspicuis Ecclesiae verbis demonstratur ita Deum alloquentis: *Omnipotens Deus qui gloriosae Virginis Mariae Matris corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, praeparasti.* Quod confirmat Basilius, tom. 1, hom. 25: *Ex sanctitate*, inquit, *compacta caro digna erat Divinitati Unigeniti uniri.* Idipsum docuit Bernardus, ser. 9 ex parvis: *Quae* (nempe Dei Sapientia) *adeo mentem eius replevit, ut de plenitudine mentis foecundaretur et caro, ac Virgo singulari gratia eandem ipsam Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat.* Subditque eadem Ecclesia causam tantae praeparationis, videlicet: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur*, hoc est, ut mereretur saltem de congruo esse Dei-hominis Mater.

Ratione etiam facile suadetur assertum, quia hoc Marianum meritum multum effert sanctissimae Virginis dignitatem; itaque eximiis gratiae auxiliis praeventa se disposuit per insignia ac praeclarissima virtutum opera, ac per actus supernaturales, ut in utero Christum conciperet, id autem vocatur meritum saltem congruum ac decens. Suarius, de Incarnat. d. 10, sect. 8, cum aliis statuit, non meruisse B. Virginem, ut eligeretur in Dei Matrem, bene tamen meruisse illam dignitatem in executione. Probat, quia quidquid fuit meriti in Deipara, promanavit ab hac electione, illamque praesupposuit. Prima enim gratia B. Virginis, ex qua meritum omne subsecutum fuit, originem habuit ex hac electione; ex eo enim gratia adeo excellens illi collata fuit, ut proportionem servaret cum dignitate Matris Dei: unde electio ad gloriam in Deipara posterior fuit electione ad dignitatem Matris, ut ostendi alibi; ergo quemadmodum Deipara non meruit electionem suam ad suam gloriam, ita nec mereri potuit electionem suam ad Maternitatem Dei.

CERTAMEN VII.

Utrum B. Virgo condigne meruerit Maternitatem Dei.

1694. Negant Vasquius, de Incarnat. disp. 24, n. 14; Cardinalis Lugo ibidem, disp. 8, non solum eam actu meruisse, sed etiam mereri potuisse de potentia absoluta. Primo, quia merita purae creaturae utpote a sola gratia adoptionis proficiscentia, solum sunt digna ex se augmenti gratiae et gloriae, quorum tantum sunt semen connaturale. Deinde, quia nullum opus est condignum praemio ex divina acceptatione extrin-

seca, vel ordinatione operantis, sed tantum ex sua intrinseca dignitate: at istam non habent merita Beatae Virginis respectu Maternitatis Dei, quia merita Mariana licet excellentissima, sunt tamen eiusdem rationis substantialis cum meritis aliorum Sanctorum; sed haec non sunt condigna Maternitatis Christi, quia alias, omnes sanctae foeminae potuissent eandem dignitatem promereri; ergo merita B. Virginis non sunt condigna Maternitatis Dei.

Censeo tamen potuisse B. Virginem de potentia absoluta condigne promereri Maternitatem Dei. Ita Suarius cit., de Incarnat. disp. 10, s. 1, et communiter recentiores. Probatur primo, quia licet sua natura gratia habitualis ad id non ordinetur praemium, potest tamen a Deo ordinari, et quidem opera procedentia ex gratia habituali maxime intensa habent valorem sufficientem, et aequalem aestimationem moralem cum Maternitate; ergo possunt etiam esse meritoria eius condigne. Si enim Maternitas accipiatur praecisa ab aliis donis et gratia, non est maioris aestimationis, quam gratia habitualis, auctore D. Augustino asserente maius esse concipere Deum mente, quam ventre. Si vero Maternitas accipiatur moraliter coniuncta cum aliis donis gratiae, sententia communi non habet maiorem aestimationem quam gratia habitualis intensissima: in nostra autem sententia, licet Maternitas Dei sit forma sanctificans altioris ordinis, nihil obest; potuit enim antecedenter praesupponi in B. Virgine tanta donorum, gratiarum ac privilegiorum plenitudo, qua digna efficeretur Maternitate Dei.

Quod si obiicias, condigne mereri Maternitatem Dei, est condigne mereri Incarnationem; hanc promereri non potuit B. Virgo; ergo neque Maternitatem: respondeo, id verum esse, si absolute et nulla facta suppositione B. Virgo meruisset Maternitatem, non vero si ex aliqua suppositione; tunc enim solum mereretur illud mysterium, ut si perficiendum esset, in eius visceribus perageretur, ut exemplo apposito supra ex Suario producto ostendimus. Deinde adverte, actionem productivam unionis inter materiam et animam Christi, non habere cum unione hypostatica connexionem per se, et ratione sui, neque illam postulare, neque esse eius inductivam: solum enim habet connexionem cum illa ex suppositione, ex eo quod partes, quas unit, inter se sint unitae hypostatice Verbo: adeoque potest illa actio sub meritum cadere, quin sub idem meritum cadat unio Hypostatica.

Utrum vero reapse de facto Virgo B. meruerit Maternitatem, gravis est disceptatio inter noviores Theologos. Suarius et Vasquius cit. cum communiori id denegant, et aliqui partem affirmantem, vel temerariam vel erroneam vel improbabilem appellant, magis tamen innixi nimia sua proclivitate in censuras ferendas, quam robusto aliquo fundamento. Probatur primo pars negans, quia nulla est facta B. Virgini promissio de Maternitate sub conditione operis alicuius; ergo eam de facto non meruit. Contra tamen est, quia non est necessaria promissio antecedens, sed sufficit ordinatio divina ad praemium, quam interfuisse in praesenti, sat ex eo constare videtur, quod Angelus obtulerit B. Virgini Maternitatem dependenter ab eius consensu, eumque expectaverit, ut Patres aiunt, ille etiam fuit dispositio ad Maternitatem, quam saltem de congruo meruit: at eam non meruisset congrue sine ordinatione divina, vel promissione, vel acceptatione eius actus in ordine ad illud praemium; ergo interfuit sufficiens ordinatio.

Secundo, quia inde fieret, antiquos patres condigne promeruisse etiam esse Christi progenitores, cum illis hac de re facta fuerit promissio. Illatio ab aliquibus admittitur: imo aliqui noviores Theologi audacter concedunt plures foeminas veteris Testamenti meruisse Maternitatem Dei, quos refert suppresso nomine Ludovicus Torres, opusc. de conditionibus ad meritum de congruo, disp. 6, dub. 2, n. 6: quod, ait ipse, absurdum est; et ita censuerunt multi viri doctissimi huius aetatis. Et confirmari potest, quia alioquin esset admittendum modo de facto mereri iustos quolibet bono opere novam Incarnationem de congruo; et plures similiter foeminas mereri de congruo nunc novam Maternitatem Dei: quae tanquam absurda explodunter a Theologis; quod tamen admittendum esset, si meritum de congruo solum dicat opus ex gratia factum absque ordinatione aliqua Dei; non enim sufficit ordinatio operantis: si enim haec sufficeret, fieret modo posse hominem iustum mereri de congruo novam Incarnationem. A nobis tamen neganda est illatio, quia non fuit in illis tanta gratiae perfectio, quanta in B. Virgine, quae aequare posset valorem moralem ad merendam dignitatem progenitorum Dei-hominis; idemque suo modo dicendum est de aliis exemplis, quae adduci solent. Tametsi ergo Abrahami sanctitas esset eiusdem ordinis cum sanctitate Deiparae, licet impar in intensione; tamen cum nullum sit fundamentum in Scriptura, Conciliis, ac Patribus, aut Doctoribus ad illud meritum Abrahamo tribuendum, non est cur illud deferamus ipsi: at magnum reperitur, ut illud deferamus B. Virgini, cuius privilegia prae aliis sunt specialissima.

1695. Equidem animus semper propensior est, et totis votis exoptat pro Mariana dignitate decertare. Quare cum de facto B. Virginem condigne meruisse Maternitatem, plures tum ex veteribus, tum ex recentioribus Theologis obviis ulnis excipiant; illis libens et volens assentior. Hoc igitur condignum meritum posuere ex veteribus, Gabriel in 3, dist. 4, q. unica, art. 3, dub. 3; Almainus ibidem q. unica, dub. 3; Abulensis, Paradoxo 1, c. 34 et 38; et alii plures superioris saeculi, ut Suarius docet, de Incarnat. disp. 10, sect. 7, qui eam probabilem censet, sicut Cabrera, de Incarnat. q. 2, art. 11, disp. 6. Eam tanquam veram defendunt Martinus Perez, de Incarnat. disp. 12, sect. 10; Augustinus Bernal ibid. d. 17, sect. 4, § 3; et alii plures ex modernis. Probatur, nam illi actus

submissionis, fidei, obedientiae, et charitatis, et aliarum virtutum procedentium a gratia adoptionis, quibus consensum praebuit in dignitatem Matris Verbi divini per illa verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, gaudebant conditionibus omnibus necessariis, ut condigne mereretur B. Virgo Maternitatem Dei; ergo de facto illam promeruit. Antecedens inde patet, quia inprimis adfuit valor et condignitas sufficiens in illis actibus, tum et proportio moralis cum Maternitate Dei: haec enim iuxta communem Patrum et Theologorum sensum, non est quid maius gratia habituali, vel visione Dei. Deinde ordinatio requisita in consensu Virgineo, tum ex parte B. Virginis, tum ex parte Dei non defuit; siquidem consensus ille dirigebatur a B. Virgine ut Verbum divinum homo fieret in ipsius visceribus. Item Deus antecedenter promiserat hanc Maternitatem Mariae Virgini, Isai. c. 7 illis verbis: *Ecce Virgo concipiet;* et iterum: *Egredietur virga de radice Iesse.* Praecessit etiam decretum Dei de non exhibenda dignitate Matris, nisi dependenter a consensu Virgineo, ut constat in Gabriele annunciante Incarnationem, ipsiusque Virginis consensum extorquente ut Deus-homo fieret in eius utero, quo consensu elicito, statim Deus opus Incarnationis peregit.

Firmari potest haec thesis, quia potuit B. Virgo condigne Maternitatem Dei promereri, quin ipsius gratiae habituali aliquid detraheretur, quod ab ipsius natura exigeretur; si cum Bellarmino et aliis censeamus, gratiam habitualem ex se non dirigi in gloriam, sed id solum sortiri ex mera Dei institutione. Quid ergo obstare potest, quominus B. Virgo condigne promereretur Maternitatem Dei, quin eius gratia habitualis extraheretur ab eo, quod natura deposceret: praesertim cum tametsi gratia habitualis ex sua natura, et de lege ordinaria sit solum principium merendi gloriam et augmentum gratiae, tamen potest esse principium merendi aliud praemium, si non superetur in valore ab actu meritorio, si adsit Dei ordinatio et promissio, quae non addit condignitatem, vel valorem actui meritorio, sed complet eum in ratione meriti actualis: ergo cum gratia habitualis, et opera bona ab illa promanantia in B. Virgine fuerint intensissima, et condignitatem haberent cum Maternitate Dei, potuerunt etiam a Deo dirigi ad ipsam Maternitatem, ut ad praemium ex pacto et promissione; potuerunt utique illam condigne promereri. Confirmatur ex aliquorum Theologorum sententia arbitrantium gratiam habitualem, quae de facto posita Dei ordinatione, non est principium merendi alteri gloriam de condigno, sed solum illi, qui ea gaudet, quia illum solum statuit haeredem, ac filium adoptionis Dei, tamen de potentia absoluta, si a Deo ita ordinaretur, posset utique esse principium merendi condigne gloriam aliis, quia habet sufficientem proportionem, et condignam ad tale praemium; ergo nihil mirum, si dixerimus, gratiam habitualem B. Virginis, ac actus ab illa proficiscentes de facto, ex ordinatione divina promeruisse augmentum gratiae et gloriae, et simul Dei Maternitatem. Ex quibus elicies, si consensui Virgineo solum exhibitum fuisset augmentum gratiae et gloriae, non vero Dei Maternitas, ipsi nequaquam praemium adaequatum collatum iri, posita iam Dei ordinatione, ac pacto, seu promissione B. Virgini facta conferendi illi Maternitatem tanquam praemium illius consensus: quare Maternitas Dei simul cum augmento gratiae et gloriae in ea intensione, quae ipsi operi meritorio illius consensus debetur, fuit praemium adaequatum illius consensus.

Refragantur adversarii ex recentioribus hac unica ratione innixi, quam dicunt insolutam fuisse usque adhuc. Cuicunque enim actui B. Virginis exhibitum fuit a Deo praemium condignum gratiae et gloriae; ergo non potuit ulterius condigne a Deo affici Maternitatis Dei praemio, siquidem gradus gratiae et gloriae per se sunt praemium condignum consensus illius Virginei; ergo si Maternitas addatur, aliquid praemii supra condignum confertur; sed enim totum hoc aggregatum ex Maternitate, gratia, et gloria, maioris aestimationis est, quam sola gratia et gloria. Urgeo, quia soli gradus gratiae et gloriae collati consensui B. Virginis praecisa Maternitate, sunt praemium adaequatum eius; ergo si addatur Maternitas, datur aliquid supra praemium adaequatum, et supra meriti valorem. Antecedens claret, tum quia, si non esset adaequatum, non esset proprie condignum, tum quia nostris actibus confertur praemium gratiae et gloriae aequans valorem eorum; ergo si consensui B. Virginis non est collata gratia et gloria per se aequans valorem meriti, minus gratiae et gloriae confertur meritis B. Virginis, quam nostris. Quod si detrahis aliquid gratiae et gloriae, ut posset Maternitas in praemium adaequatum ingredi, profecto dum B. Virginem niteris extollere, eximiam eius deprimis sanctitatem.

Si dixeris, Maternitatem primo datam congrue augere dignitatem subiecti, atque adeo opus subsequens Maternitatem in instanti reali sequenti potuisse eandem Maternitatem promereri de condigno: insto, quia principium meriti non cadit de facto sub meritum condignum, alioquin plura merita condigna assignanda essent de facto, et prima gratia congrua esset etiam ex merito subsequenti; imo ipsi Christo Domino de facto propter hanc eandem rationem denegatur meritum Incarnationis.

Aliqui ex recentioribus hunc gordianum nodum dissolvere se putant, dum docent valorem moralem meriti et praemii habere latitudinem, nec in indivisibili consistere; ad eum modum quo pretium aequale et condignum habet gradum infimum, medium et supremum; ita etiam meritum et praemium: ac proinde gradus gratiae et gloriae qui conferuntur nostris, et B. Virginis meritis, esse quidem praemia condigna, non ita tamen, ut non possit illis aliquid superaddi intra condignitatem; et hoc pacto Maternitatem cum gratia et gloria posse constituere unum praemium adaequatum. Huic solutioni non acquiescunt alii, quia nititur dubio fundamento, cuius nulla ratio nullave coniectura assignari potest; nempe gradus gratiae et gloriae a Deo

praefixos nostris meritis non esse in supremo gradu praemii; si enim in isto sint, nulla illis fieri potest additio intra praemium condignum. Oppositum autem, videlicet eos gradus esse in supremo gradu praemii, elicitur ex communi Theologorum effato, Deum scilicet remunerari supra condignum; quod adeo verum censent nonnulli, ut existiment, Deum in patria aliquid gratiae et gloriae addere supra nostrum meritum, decet enim munificum Principem plus merito ac debito munerare, vel quia Deus confert praemium in supremo gradu, licet posset in inferiori remunerare iuxta dicta de latitudine praemii, quia decet Deum hoc pacto merita et opera nostra compensare, iuxta illud Luc. 6: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Nec est, cur id negemus meritis et praemiis omnium iustorum, ut praedictum meritum de condigno B. Virgini deferatur.

1696. Arbitror, nodum illum bene dissolvi praecedenti solutione; maiori tamen indiget declaratione. Illud igitur inprimis advertendum est cum communi Theologorum, nempe opus bonum etiam supernaturalis ordinis, et liberum non deposcere se solo in praemium, augmentum gratiae et gloriae, sed ad id opus etiam esse actuali aliqua Dei ordinatione; quod certissimum est in actibus Christi Domini meritoriis, quibus nihil gratiae et gloriae Christus sibi comparabat: patet etiam in actibus liberis Beatorum honestis supernaturalibus, quibus nihil sibiipsis, neque aliis gratiae vel gloriae merentur de condigno, quia ad eiusmodi praemium non ordinantur a Deo. Ex quo illud etiam elicitur, quod plures recentiores cum Suario admittunt, videlicet actus meritorios iustorum praesertim perfectissimos, non modo habere proportionem cum gratia et gloria, ut cum praemio condigno, sed etiam cum aliis rebus, vel seorsim sumptis, vel simul cum gratia et gloria coniunctis; et cum Cardinali Bellarmino supra protulimus, gratiam ex natura rei non connecti cum gloria. Quocirca potuit Deus actum iusti meritorium condigne praemiare non addicta gratia, vel gloria, vel solo augumento gratiae maiori, quam de facto exhibet, vel augmento gratiae quod nunc praebet, et simul aliis auxiliis ad eliciendos alios actus; vel etiam augmento aliquo gratiae propriae, et aliquo augmento gratiae alienae; licet refragetur Cardinalis Lugo, disp. 9 de Incarnat., num. ult. Quia autem de facto actus meritorii iustorum destinantur ad solum praemium gratiae et gloriae; in hac ipsa destinatione potest intercedere aliquod Dei arbitrium, ita ut actui fidei, sive alterius virtutis possit assignari a Deo praemium condignum sive infimum, sive medium, sive supremum, ut in mercibus videre est. Quod ex eo firmari potest, quod actus fidei ut octo elicitus a subiecto sanctitate praedito ut octo, ex se et ex natura rei non deposcit hoc determinatum praemium, sine Dei ordinatione; nec se solo petit, ut destinetur ad tale praemium: ergo quamvis a Deo ordinandus sit ille actus meritorius ad praemium gratiae et gloriae, non postulat ordinari indivisibiliter ad tantam gratiam et gloriam, sed ad Dei arbitrium. Ex quibus inferre licet, praemium condignum, quod assignavit Deus operibus meritoriis iustorum de lege ordinaria, non esse tantum, ut non potuerit esse maius, quia actu non pervenit ad metaphysice summum, quia modus hic assignandi praemium in re habente latitudinem non solet esse moralis. Deinde aequum fuit, ut Deus facultatem sibi relinqueret, ut, si vellet, aliquem iustum sibi carissimum hoc singularissimo favore prosequeretur, ut ei praemium aliquod assignaret condignum suis meritis ultra communem taxationem.

Ex quibus iam apparet argumenti supra propositi dissolutio: consensu itaque in Annunciatione praestito, condigne meruit B. Virgo Maternitatem Dei, eodemque consensu illum gradum gratiae et gloriae, quem simili actu meruisset quilibet alius iustus aequali sanctitate praeditus, vel ipsamet B. Virgo, si tali consensu non meruisset Maternitatem Dei condigne; cuius ratio est, quia ex singularissimo Dei favore actui illi Maternitas Dei fuit designata in praemium, non quidem medium, quemadmodum reliquis iustis de lege ordinaria destinatur; sed summum, quod coalescebat ex illa portione gratiae et gloriae, quam alius quilibet actus ab aequali sanctitate profectus, meruisset, et ex Dei Maternitate: gratia ergo et gloria, quae iuxta communem designationem esset praemium condignum, scilicet medium, simul cum Maternitate complevit praemium condignum summum illius Mariani consensus. Quod videtur mihi innuere voluisse D. Bonaventuram in 3, dist. 4, art. 2, q. 2, ubi docet, *meritum de condigno in Mariam, ut Dei Mater fieret, non cadere, sed congrue tamen illam ante Christi Incarnationem hoc meruisse, quoniam prae nimia sua puritate, humilitate, et benignitate ut Dei Mater fieret, erat idonea. Post Annunciationem vero, postquam consensit, et Spiritus sanctus in copiositate gratiae in eam descendit, non solum congruitatem, sed et dignitatem habuit.* Haec Bonaventura, quem sequitur Marsilius, ibid. q. 5, art. 3, dub. 3, conc. 3; uterque enim omne meritum condignum nasci putant ex Dei designatione, et uterque meritum istud appellant dignum, ut distinguerent a condigno communi, quod solum respicit gratiam et gloriam; id etiam non obscure docet Clictovaeus, lib. 2 de Venerat. ss., cap. 13, his verbis: *Recte tam excellenti virtuti illud tribuimus praeconium, quod meruerit portare Regem coelorum, et Dominum, id est, digna fuerit, atque idonea ex Dei munere primum; et deinde sua ipsius apta dispositione per bonorum operum studium, ferre castis suis visceribus Christum Dei Filium.*

1697. His etiam praecluditur aditus obiectioni Lorcae, qui aiebat, ex eo B. Virginem non potuisse ex merito condigno Maternitatem Dei promereri, quia iam eius opera alias de condigno vitam aeternam promerebant; nequeunt autem eidem merito duo praemia diversae rationis respondere: et ratio est, quia si unum praemium condigne respondet merito, ergo alterum praemium excedit condignitatem illius meriti; per

primum enim praemium absorbetur tota condignitas illius praemii. Sed insto ex D. Thoma, quia ultimus puritatis gradus *ut sic*, et quatenus dispositio ultima ad Maternitatem, promeritus fuit a B. Virgine: ergo etiam ipsa Maternitas, cum sint eiusdem rationis; cum tamen merita B. Virginis, quibus illum ultimum puritatis gradum promeruerunt, simul vitam aeternam promeruisse in comperto sit apud omnes: idem profero de augmento gratiae exundanti, quo B. Virgo per quotidiana opera in immensum crescebat: nec obest, gratiae augmentum dicere ordinem ad vitam aeternam, non vero Maternitatem, quae ideo pertinet ad praemium diversi generis; falsum enim assumitur, Maternitatem Dei non ordinari ad vitam aeternam: ex eo enim B. Virgo in supremum gloriae fastigium evecta fuit, quia Maternitatis dignitate donata fuit iuxta ss. Patres, quos longum esset percensere. Sufficiat unus pro pluribus s. Augustinus, ser. 18 de Sanctis: *Quae coeli in se Opificem corporavit, hinc promeruit gloriam.* Item res est sine lite inter Doctores, B. Virginem promeruisse parere sine dolore ac fastidio, quod nullum ordinem ad vitam aeternam dicit. *Maria*, inquit Augustinus, lib. unico de Assumpt. Virg., cap. 4, *non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter aestimata est digna: non ergo immerito excipitur a quibusdam generalibus, vera aestimatione, quam tanta servat gratia, et attollit dignitatis praerogativa.* Ubi s. Doctor de praemio de condigno verba facit dubio procul, et tamen singularis B. Virginis sanctitas promeruit pariter vitam aeternam, etiam de condigno; ergo perperam ibimus inficias, merita B. Virginis ex eo Maternitatem de condigno non promeruisse, quia de condigno iam vitam aeternam promeruerint. Recte Hugo de s. Victore in Cant.: *Nec alia talem decebat, nec alius talis inveniri poterat. O digna digni, formosa pulcri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, Mater Dei!*

1698. Nunc iuvat fusiori calamo pactum, seu ordinationem necessariam ad meritum condignum Maternitatis Dei ex Scripturis evincere. Nonnulli id probant ex verbis illis Psalmi 44: *Audi, filia, et vide*, etc. Quae verba concors Patrum censio B. Virgini adaptat. Quasi pacisceretur Deus, foedusque iniret cum Maria, quod si mundum neglectui haberet, gentique pravae longum vale diceret, obsequioque Dei singulari virginitatis voto se manciparet, consensumque praeberet Angelo, supremum Maternitatis Dei honorem consequeretur; illa enim verba quae subduntur, Psal. 44: *Et concupiscet rex decorem tuum*, pactum sonant, quia praemium post meritum spondent, post partam victoriam triumphum promittunt, promissionem indicunt. De quo Lorinus in verba cit.; Pineda in praevio Salomone, lib. 5, cap. 4. Praemium itaque propositum ac ex merito debitum, supponit opera, quibus tale praemium promittitur. Ea igitur sententia verbis illis imbibitur. Si B. Virgo saeculum proterat, omnemque ipsius pompam despicatui ducat, Deoque se totam dedat ac devoveat, virginitatis votum nuncupet, paupertatem in votis habeat, aurem inclinet Angelo, consensum praebeat; sic his exornata virtutum operibus, hac elegantia exculta perfectionum, hoc decore ac pulcritudine, Regem regum e sinu Patris extorquebit, et in sinum suum adiget, brachiis excipiet, ulnis complexabitur, adorandumque hominibus exhibebit. Hoc pactum in praedictis verbis latens subodoratus est Gregorius Thaumaturgus, ser. 1 et 2 de Annunciat.: *Quoniam s. Maria, in carne dum esset, purissimam vitam, omnique genere virtutum excultam, optimamque supra humanam consuetudinem gerebat; ideo aeterni Patris Verbum carnem suscipere ex ea dignatum est.* Eandem pacti solemnitatem adstruit Chrysippus Hierosolymit., ser. 2 de Deipara: *Ne posthac attendas animum huic inferiori cognationi, et audi quanto te amore prosequitur is, qui Conditor omnium est: Concupiscet enim, ait, Rex decorem tuum: ipse Pater te sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus coefficiet ea, quae ad desponsationem pertinent, et Filius ipse Templi tui decorem assumet, ipse formator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies, et cum caeteris adorabis Dominum.*

Idem foedus sublatere in Legatione angelica innuunt Patres illi, qui legationem Gabrielis cum praedicto vaticinio Davidico componunt: hi sunt Athanasius, epist. ad Marcel., Chrysippus, ser. 2 de Deipara; Augustinus, de Genesi ad lit., c. 28: *Responde*, inquit, *verbum, et suscipe Filium: da fidem, et senti virtutem: pande sinus roseos, Virgo perpetua, fides tua mundo aut aperit coelum, aut claudit.* Nec mirum alicui videri debeat, quod in hoc consensu Virgineo Angelo praestito meritum condignum Maternitatis Dei sublatere ostenderimus; praeclara enim virtutum supellex eluxit in illo: firmum ac constans virginitatis votum iam a primo Conceptionis momento nuncupatum, stabilis et inconcussa fides, profunda animi demissio, ferventissimus in Deum amor, ingens parendi promptitudo, excelsa animi ad ardua quaeque adorienda magnitudo, spes Deum utero suo concipiendi sublimis, officiosa religio, cauta et sapientiae plena circumspectio; ergo consensus ille tot virtutum apparatu comptus, tot gratiarum undis exundans, in summa meritorum vertice sedem fixit; ergo nihil repugnantiae obtendi potest, quominus dicamus illi veluti conditioni onerosae Maternitatis Dei praemium fuisse sponsum, et appositum; nihil ergo defuit ad veram pacti promissionisque rationem. Hoc fultus argumento s. Bernardinus stat pro hac sententia meriti condigni, t. 1, ser. 61, c. 3, art. 1: *Plus meruit*, ait, *gloriosa Virgo in uno suo consensu, scilicet Conceptionis Filii Dei, quam omnes creaturae, sive Angeli, sive homines, in cunctis suis actibus et cogitationibus.* Quod late ostendit ex eo quod Maternitatem Dei meruerit: nec dubium esse potest, illum de merito condigno verba instituisse, dum plura illic memorat, quae meritum condignum designant. Hoc idem meritum condignum innuunt verba illa Christi

Domini: *Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror, et mater est.* Per quae Marianum meritum mire extulit; siquidem a meritis B. Virginem Matrem nuncupavit; ac si luculentius ostenderet, ex eo B. Virginem ad celsissimum Maternitatis Dei fastigium provectam, quia praepeti virtutum volatu, celeribusque meritorum gressibus condigne se disposuit ac comparavit, ut bene expendit s. Iustinus in explicat. quaest., q. 133: *Et quoniam non quamvis mulierem Deus delegit, quae Christi Mater fieret, sed quae caeteras virtutibus anteiret; idcirco etiam Christus ab ea virtute Matrem suam Beatam dici volebat, ex qua digna habita est, quae Virgo Mater fieret.*

1699. Alii inficiantur hoc meritum condignum in B. Virgine, quia gratia ipsius eiusdem rationis specificae fuit cum nostra; omnis autem haec gratia suapte natura solum semen est gloriae, qua solum tanquam adaequato praemio contenta est; ergo Mariana merita Maternitatem Dei pro praemio respicere nequiverunt. Ita plures secuti Vasquium, tom. 1 in 3 p., disp. 23, n. 13, ut meritum condignum in ordine ad Maternitatem oppugnent, quos refellit Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 10, sect. 7, dum contendit, innatam esse condignitatem Virgineis meritis respectu Maternitatis, si semel admittatur, pactum intercessisse, quia ex divina acceptatione, et promissione omnis meriti condignitas perficitur, atque completur. Praeterea iuxta communem Theologorum consensum, Christi gratia habitualis eiusdem rationis est cum nostra, praemium vero valde diversum specie cum nostro, quia illa gloriam essentialem non promeruit, nec gratiae augmentum sibi ipsi; Angelis autem, et hominibus gratiam, et gloriam, et alia plura, quae in nostram gratiam habitualem non cadunt. Nec confugias ad valorem infinitum meritorum Christi, quia infinitudo illa refunditur in personam divinam; praemium vero solum respondet gratiae habituali. Gratia itaque habitualis ex natura et suopte ingenio sufficiens principium existit cuiuslibet praemii a divina ordinatione statuti. Quo fundamento nixi arbitrantur aliqui, posse purum hominem pro alterius satisfacere peccato quoad culpam: sicut de facto satisfacit quispiam pro alterius poena, dummodo pactum divinum interveniret. Perperam igitur denegabis B. Virgini meritum condignum in ordine ad Maternitatem, ex eo quod gratia habitualis ipsius non respiceret illam, siquidem novum praemium potest Deus spondere strenue ex gratia habituali operantibus; nec opus esset novum gratiae genus infundere.

His innixi Patres vocant gratiam B. Virginis causam Maternitatis, et Maternitatem ipsam effectum gratiae, quod cum intelligi nequeat de concursu efficienti physico, explicandum est de morali, et meritorio: unum producam Augustinum, qui lib. unico de Assump. B. M.: *Quam*, inquit, *tanta comitata est gratia, ut Mater Dei dicatur, et sit.* Et iterum ibid. c. 1: *Sanctificante Spiritu sancto tuo, in ea uterum humanum ad conceptionem Filii tui, cuius dignitatis et gratiae effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Sed praestat ex verbis tanti Doctoris rite perpensis condignitatem Mariani meriti depromere; subdit ergo eodem loco: *Ubi aequa Dei censura, quae unicuique reddit secundum sua merita, si ergo merito Mariae viventi prae omnibus donata est gratia, mortuae erit minuenda?* Ut ergo suadeat Augustinus praecelsam gloriae sublimitatem in coelis collatam meritis suis condigne debitam, affirmat viventi Mariae hac vita mortali propter eiusdem merita prae omnibus dilargitam fuisse gratiam Maternitatis: nihil autem roboris inesset argumento, si utrobique non esset sermo de merito condigno; sicut ergo B. Virgini propter merita ipsius, exhibita fuit a Deo maior omnium gratia, videlicet Maternitas Dei, ita etiam ipsi Virgini in coelis imperanti exhibitum fuit omnium maximum praemium propter eiusdem merita; atqui Mariana merita promeruerunt condigne gloriam, et beatitudinem omnium maximam; ergo eodem modo merita ipsius Virginis condigne Dei Maternitatem promeruerunt: nec enim in tam brevi verborum intervallo credendum est, rationem meriti sub diverso sensu sanctum Doctorem usurpare voluisse.

Nec obest si dixeris: Maternitas Dei ob sui excellentiam praetergreditur omnem gratiae habitualis sphaeram; siquidem gratia habitualis ultra praemium beatitudinis non porrigitur, nec ullum aliud praemium ulterius deposcit, alioquin, ut bene urget Vasquius, in 3 p., tom. 1, disp. 23, n. 14, omnes sanctae foeminae condigne Maternitatem Dei mereri possent; ergo nec merita B. Virginis ad Maternitatem Dei condigne referebantur. Verum maximum est discrimen, ut supra innui, inter Mariana merita, et aliarum sanctarum foeminarum, non solum quia pactum et promissio intercessit ex parte Dei acceptantis merita B. Virginis ad tantam dignitatem, non vero alterius foeminae; sed praecipue, quia merita Mariana, licet ex gratia habituali proficiscerentur, ita tamen in immensum excreverunt, ut summum perfectionis gradum contingerent, ac Maternitatis Dei confines attingerent, Deitatisque consortium exambirent, cuius effati duos nobiles patronos in subsidium advoco, s. Thomam non semel docentem: *Omne quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione, quae sit supra suam naturam.* Ita habet 1 p., q. 12, art. 5, ex quibus verbis sic efformo argumentum: Maternitas Dei in omnium sententia superior existit omni sphaera gratiae habitualis, quia gratia nec ex se respicit, nec dicit ordinem ad Maternitatem Dei; ergo nec poterit dirigi ad gradum illum summum sanctitatis, in quo sita est dispositio proxima, quam Maternitas Dei deposcit; quae illatio adversatur verbis allatis ex D. Thoma. Deinde nobis adfavet s. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, c. 12: *Quod foemina*, inquit, *conciperet et pareret Deum, fuit miraculum miraculorum; oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quandam aequalitatem divinam, per quandam quasi*

infinitatem perfectionum et gratiarum; quam aequalitatem creatura nunquam experta est. Itaque ex mente utriusque Doctoris B. Virgo ad quandam Deitatis viciniam conscendit altissimo meritorum volatu, et quadam quasi perfectionum infinitudine disposita fuit, ut digna Dei Parens constitueretur: quod quidem gratiarum pondus, ac perfectionum fastigium nulla alterius creaturae gratia attingere potuit, in quem virtutum gradum adeo eminentem, et quandam infinitudinem praeseferentem, nemo purus homo quantalibet gratia exornatus collimavit. Sileat ergo omnium foeminarum sanctitas, conticescant omnium merita quantumvis sublimia, si cum Mariana gratia eiusdem meritis componantur. Scite s. Thomas a Villanova, serm. 3 de Nativit.: *Antequam conciperet Filium Dei, iam idonea erat, ut esset Mater Dei; sed qualis est haec dignitas? utique habet quandam infinitudinem, esse Matrem Infiniti et Omnipotentis. Quae autem excellentia, quae perfectio, quae magnitudo decuit eam, ut esset idonea Mater Dei? hic iam sileat lingua carnis. Fecit, inquit B. Virgo, mihi magna qui potens est.* Cum ergo B. Virgo ad hoc perfectionis culmen meritis suis conscenderit, cum ad hunc summum gratiae gradum, quem Maternitas Dei pro sui dispositione proxima deposcit, collimaverit condignis meritis; quid iam deesse poterat, quominus Maternitatem ipsam de condigno pariter promeruerit? Rem finiat Anselmus, lib. de excel. Virg., c. 9: *Sed haec Virgo mox ubi in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfecte resplenduit, ut eam ipsa Sapientia Dei vere dignam iudicaret, per quam in homine veniens*, etc. Quasi, iuxta mentem Anselmi, pluris unius B. Virginis merita apud Deum steterint ad conferendum nobis singulare Incarnationis beneficium, quam infinita propemodum hominum demerita ad supplicia eisdem inferenda.

CERTAMEN VIII.

Utrum B. Virgo meruerit suam electionem, ut esset Mater Dei.

1700. Hac de re agunt Suarius, de Incarnat. disp. 10, sect. 6, § *Dico secundo*, et sect. 8, § *Dico primo*, et tom. 2 in 3 p., disp. 1, sect. 3; Bernal de Incarnat.; Molina, tom. 6 de iustitia et iure, disp. 51 in fine. Hucusque egimus de merito Mariano in ordine ad dignitatem Maternitatis Dei, seu ad ipsius consecutionem; nunc agendum de merito ipsius Virginis in ordine ad praedestinationem seu electionem ipsius Virginis ad eam dignitatem. In qua re primo statuendum est, potuisse Deum praedestinare et eligere B. Virginem in Matrem Dei ex praevisis meritis B. Virginis; ita ut prius secundum rationem praedestinaverit et decreverit mysterium Incarnationis abstrahendo a circumstantiis talis temporis, gentis, matris, et aliis, postea vero praeviderit in Maria futura talem dispositionem et merita, propter quae decreverit illam eligere in Matrem Dei prae aliis, tunc autem meruisset Virgo B. electionem suam in Matrem Dei: hic tamen discursus procedit de potentia Dei absoluta. An vero de facto ita contigerit, modo disputandum; utrum scilicet ex suis meritis electa fuerit, ut esset Mater Dei, an solum ex Dei misericordia, et ex meritis Christi Filii sui futuri, et nihilominus cooperante ipsa libere ad sua merita, eisdem meritis, cooperante Spiritu sancto seipsam comparaverit ac praemunierit, ut dignum Filii sui habitaculum fieret.

Censeo, B. Virginem fuisse ab aeterno electam ac praedestinatam, tum ad gratiam et gloriam, tum etiam ad dignitatem Matris Dei ante omnem meritorum ipsius praevisionem. Quod constat ex communi Doctorum consensu adstruentium omnes homines praedestinatos, et electos fuisse absque propriis meritis. Quam veritatem communibus et obviis Patrum locutionibus constabilire possemus, quibus asserunt, Verbum divinum elegisse sibi Matrem, eamque sola sua voluntate ab aeterno sibi praeordinasse. Ita s. Augustinus, lib. 2 de peccat. merit. et remis., c. 25; Bernardus, hom. 2 in *Missus est;* Cyprianus, ser. de Nativit. Christi, quo sensu Virgo Deipara antonomastice nuncupatur *Vas electionis.* Quo de late nos egimus tota prima Palaestra.

Censeo secundo: B. Virgo de facto non meruit neque de congruo suam electionem ad Maternitatem Dei. Hoc assertum plane infertur ex primo. Probatur primo, quia B. Virgo fuit ante omnia merita, vocatione quadam, et gratia specialissima praeventa, quae procul dubio ex speciali eius electione ortum duxit; ergo illa electio praeivit ante omnia merita, fuitque causa et principium omnium meritorum. Deinde per illam specialem gratiam dirigebatur, ut se disponeret ac compararet ad concipiendum Deum; ergo illa gratia iam supponebat electionem ad hoc munus in B. Virgine; ergo haec electio non cecidit sub meritum ipsius Virginis, sed potius ipsum meritum ab illa profectum est. Confirmatur *a simili*, quia ideo, iuxta communem Theologorum sententiam, veteres patres non meruerunt, neque de congruo praedestinationem Incarnationis, quoad circumstantias eius, quia non es compararunt ac disposuerunt ad suscipiendum tale mysterium tali tempore potius, quam alio, nisi per auxilium gratiae, quod omne meritum praecessit; atqui hoc auxilium tali tempore exhibitum, et non alio, ex sola Dei voluntate provenit; ergo prima temporis praedefinitio, quo Christus incarnandus fuit, non fuit ex hominum meritis praevisis, sed ex voluntate Dei: eadem prorsus ratione efformari potest argumentum de electione B. Virginis in dignitatem Maternitatis Dei. Electio itaque in Matrem Dei fuit prior omni gratia, et bono motu B. Virginis, et fuit radix illius. Ad haec, omne meritum Marianum nitebatur merito Christi venturi; ergo iam supponebat Christum venturum, ergo praedestinationem, et electionem B. Virginis in Dei Matrem. Et quidem si de facto id admitteremus in B. Virgine, meruisse scilicet suam electionem in Matrem Dei, nihil obstare

videretur, quin pariter dici posset, Ioannem Baptistam fuisse electum ad Praecursoris munus ex praevisis ipsius meritis; Abrahamum, et Davidem, ut essent Christi progenitores, imo et Hebraeos meruisse, ut a Deo eligerentur speciatim in populum Dei, reclamante Scriptura divina, Deuteron. 9: *Neque enim propter iustitias tuas, et aequitatem cordis tui ingredieris ut possideas terras earum.* Quidquid ergo meriti exstitit in B. Virgine, ab hac electione traxit originem, illamque supponit; ideo enim tanta, et tam sublimis gratia, tamque maturo tempore collata fuit, ut per ipsam, viam praemuniret tantae dignitati Maternitatis Dei, ad quam electa fuit: imo ipsa electio ad gloriam in B. Virgine antecessit dignitatis Matris electionem, non enim B. Virgo prius praedestinata fuit ad gloriam, quam ad tantum ac tam praecelsum gloriae fastigium; ad hoc enim fuit electa, quia decebat valde, futuram Dei Matrem supra omnes puras creaturas evehi, ac in celsissimo throno constitui; atqui non promeruit nec de congruo electionem suam ad tantam gloriam, ut supponimus ex tractatu de Praedestinatione; ergo multo minus promeruit electionem suam ad dignitatem Maternitatis Dei.

Neque huic asserto adversarius est Ambrosius, epist. 82, non longe a principio, ubi sic habet: *Quid loquar, quanta sit Virginitatis gloria, quae meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum?* Late enim ibi sumit *eligendi* verbum, ad significandum potius ipsum usum, vel executionem collationis Maternitatis Dei, quam ipsam Dei internam electionem qua elegit et praedestinavit ab aeterno B. Virginem in Matrem Dei-hominis. Vel etiam solum intendit ibi Ambrosius laudibus extollere decorem, pulcritudinem ac dignitatem virginitatis, cuius excellentiam inde colligit, quia scilicet Deus hanc virtutem elegit, ut ex ea homo fieret: elegit ergo Mariam in Matrem, non quia futura erat Virgo, quin potius elegit eam, ut Virgo permaneret, quia virginitatis pulcritudo, et excellentia Dei Maternitatem multum decebat. Non ergo in verbis allatis intendit Ambrosius agere de merito proprio, quod situm est in actione operantis, sed de merito quasi passivo, quod situm est in excellentia ipsius virginitatis.

CERTAMEN IX.

Utrum Beata Virgo meruerit accelerationem Incarnationis de condigno.

1701. Quam exile sit meritum de congruo, tractant Scholastici, Valentia tom. 2, q. 6, punct. 1, Coninck de actuum supernaturalitate, disput. 8, num. 17; quia ergo meritum quod congruitatis metas non transilit, non dicitur proprie et simpliciter meritum, sed improprie et *secundum quid*; non ergo multum commendant Virginem Mariam, qui de congruitate tantum aiunt, eam meruisse Incarnationis acceleration-em: hoc enim meruisse absolute et simpliciter non est, nec B. Virginis meritum supra sanctorum patrum olim existentium laudem extollunt. Aliquid ergo maius, et in ratione meriti singulare tribuunt Patres B. Virgini, tum et Doctores scholastici, cum subtiles praefinitionum series excogitarunt; si autem post tam ingeniosum cogitationum apparatum solum deferant B. Mariae meritum congruum, profecto tanto mentis labori condignum pretium non responderet: aliquid ergo magnum aggressi Patres et Doctores, cum meritum Marianum usque ad instaurationem humani generis per peccatum corruentis pervenisse omni conatu contendunt. De quo alibi: nunc praestat auscultare s. Petrum Damianum, serm. de Annunc.: *Ac per ipsam*, inquit, *cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectum.* Anselmus item, lib. de excell. Virg., cap. 11: *Utique cuncta, quae Deus bona et utiliter fecit in eo statu, quo condita fuerunt, sicut diximus, et ostendimus, esse destiterunt, et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt, et restituta.* Vides quomodo s. Patres Virginem Deiparam totius orbis instauratricem fateantur, ac pleno ore depraedicent; si vero solum de congruo meruisse dicamus accelerationem Incarnationis, nihil Marianis meritis deferimus, quod non deferatur antiquorum patrum meritis; illi siquidem, iuxta commune Theologorum placitum, Incarnationis accelerationem precibus et suspiriis, adeoque ex congruitate et decentia promeruerunt. Sanctorum igitur Patrum locutiones aliquod maius, ac nobilius meritum B. Virgini, ac antiquis patribus deferre contendunt, sed nequeunt intelligi eorum locutiones de merito condigno ipsius Incarnationis; hoc enim puram creaturam excedit; ergo ita interpretandae, ut de merito condigno B. Virginis intelligantur, respectu accelerationis Incarnationis, quod innuit Bernardus, hom. 4 super *Missus est*, cum ait, omnes veteres patres a B. Virgine extorquere assensum Incarnationis contendisse. *Hoc*, ait, *totus mundus exspectat tuis genibus provolutus, nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam.*

Condigne ergo B. Virgo promeruit accelerationem Incarnationis; et quidem suaderi potest ex illo Dan. c. 9: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, ut consummetur praevaricatio.* Quod testimonium a Gabriele sumptum, iuxta Canisium, lib. 2 de Deipara, cap. 16, ut solaretur Danielem: quod autem ait abbreviatum esse tempus, Messiam properanter venire significat. Quod si aliquid impetrarunt suis precibus ardentibus antiqui patres, ut de priori decreto, quod longiora temporum intervalla deposcebat, aliquid detraheret, ac citius maturaret adventum, quod innuit Psaltes: *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus*; multo ergo potiori iure id erit deferendum precibus ac meritis B. Virginis, quae Patris aeterni gratiam ad Messiam citius mittendum nobis conciliavit. Videndus Suarius, de Incarnat. disp. 10,

sect. 6, § *Dico tertio*, et deinceps. Bis ergo Deus dedit, quia cito dedit Filium suum propter Mariae merita. Et Gregorius Nazianzenus, orat. de pauperum amore, scite protulit: *Beneficii gratia promptitudine et celeritate congeminatur.* Quasi duplex Redemptionis habeamus beneficium, et quod redempti simus, et quod festine eam gratiam acceperimus. Redemptionis substantiam Christo soli debemus; at Redemptionis accelerationem sibi speciali titulo vendicat Maria: et hoc novo titulo dici potest Corredemptrix ac Reparatrix generis humani: hinc dicitur Christus Verbum abbreviatum, quia B. Virgo illud abbreviaverit; unde ait Ildephonsus, lib. de parturit. Virg.: *De propitiatorio Mariae vobis quotidie loquentem audite, quia in ipso et ex ipso est summa Redemptionis nostrae.* Hoc est compendium, vulgo *cifra*, vel *abbreviatura*.

Ut rationibus assertum stabiliam, praemittendum cum Valentia cit. disputat. 8, q. 6, punct. 2; Coninck, de actuum moralium supernaturalitate disp. 8, dub. 3, num. 32, ad rationem meriti permagno conducere non solum valorem operis, sed etiam operantis dignitatem, promissionem etiam vel ordinationem conferentis praemium: ex promissione enim, et ordinatione eiusmodi fieri potest, ut ex duobus idem opus praeclare gestum perpetrantibus, alteri praemium solum de congruo exhibeatur, alteri vero de condigno. Exhibeamus exemplum in milite gregario, qui in expugnatione urbis murum conscendat, hostiumque vexillum surripiens, proprium in altum attollat: idem praestet facinus vir de primoribus et optimatibus, hic a Rege ad exercitus regimen, tanquam praemium condignum assumetur, cum tamen militem illum tanto honore cohonestare solum ex decentia, et congruitate quadam teneretur rex; idem enim opus ex personarum distinctione, et congruitatem solum et condignitatem sortitur: imo pura creatura nullo opere quantumvis praecellenti alteri primam gratiam de condigno de facto promereri potest; bene vero Christus Dominus.

Quo posito, sic efformari posset ratio ad probandum, B. Virginem de condigno meruisse accelerationem Incarnationis, quia possunt ob aequalia facinora aliquid a Rege precibus extorquere duo: at unius preces utpote viri primarii sortientur apud Regem valorem meriti de condigno: at vero preces militis proletarii, licet innitantur pari facinore, solum obtinebunt valorem meriti de congruo. Cuius rei ratio ea est, quia facinus a primario viro profectum in aestimatione morali pluris habetur, quam idem facinus, prout a vulgari milite praestitum; pluris enim est, virum Principem tanto vitae discrimini se obiecisse. Eodem ergo modo B. Virginis preces, ac merita poterant de condigno a Deo accelerationem Incarnationis extorquere, quam de congruo solum antiquorum patrum supplices rogatus, ac suspiria repetita mererentur; quia Maria plus dignitate, gratia ac virtutibus, illos praecellebat, quam vir ille primarius gregarium illum militem.

Sed ais, meritis B. Virginis de condigno correspondisse tantam gratiae et gloriae portionem, adeoque a granditate et excellentia praemii iam exhaustam fuisse, ac sufficienti praemio cohonestatam meritorum B. Virginis excellentiam, valorem ac dignitatem; quidquid enim ex obligatione debebatur ad aequalitatem per praemium gratiae et gloriae collatum, sufficienter compensatum fuit. Verum id non obstat, quia praemium condignum non hisce coarctatur cancellis, quo enim personae dignitas amplius excrescit, eo etiam amplius condignum praemium augescere opus est; si ergo dignitas et valor meritorum B. Virginis excrevit usque ad Maternitatem Dei, adeoque fere in immensum; ergo et praemium multiplex non unius rationis, sed diversae prope in infinitum crescere necesse est; ergo licet gratia et gloria tanquam condignum praemium respondeat meritis B. Virginis, ulterius superaddi poterit de condigno Incarnationis acceleratio: at patrum veterum vota satis compensata iudicantur, si de congruitate et decentia Incarnationis accelerationem assequantur.

1702. Novum accipiat robur hic discursus ex eo quod nobiles Theologi decernunt, Lorca, tom. 2 in 1 2, disput. 46 de gratia, circa finem; Coninck, de actuum moralium supernaturalitate disput. 8, dub. 3, num. 35; Granado, tom. 2, controv. 8 de gratia, disp. 2, sect. 4, num. 74 cum aliis: aiunt ergo nos, quia ut membra sumus Christi capitis nostri, actus bonos elicimus, plus praemii condigni mereri, quam si ipsius membra non essemus, licet cum gratia eosdem actus operaremur; itaque dignitas Christi refunditur in membra, nostrumque meritum adauget; ergo pari modo cum proportione, praeter valorem, ac dignitatem, quae refundebatur in opera B. Virginis a gratia habituali ipsi Virgini inhaerente; etiam a Maternitate Dei, dignitas et valor illorum operum accrescere poterat: opera ergo a B. Virgine prodeuntia, ut a gratia habituali eiusdem proficiscebantur, et gratiae et gloriae augmentum tanquam adaequatum praemium de condigno merebantur; at vero prout eadem opera et actus B. Virginis eliciebantur a persona, quae erat coniuncta cum dignitate Maternitatis Dei, vel reipsa, vel in electione, novo titulo ulterius promereri poterant aliud praemium de condigno, nempe accelerationem Incarnationis, praesertim cum a Deo B. Virginis merita in hoc praemium dirigerentur.

Vulgaris difficultas obtendi solet contra hunc dicendi modum, videlicet quod principium meriti non cadat sub meritum: Incarnatio Christi D. fuit principium ac radix omnis meriti, ita ut propter Christum collata fuit B. Virgini gratia, qua Incarnationis accelerationem mereretur; sed hoc ipsum meritum fuit causa accelerationis Incarnationis Christi; ergo Christus posteriori fuit merito B. Virginis; ergo iam Christus, qui principium est meriti, cecidit sub meritum B. Virginis. Firmatur: Christus promeritus est B. Virgini gratiam, qua eadem Virgo meruit accelerationem Incarnationis; ergo nequit B. Virgo per sua merita efficere, ut Christus celerius veniret; sin

minus Christus Deus et B. Virgo sibi invicem causae existerent in eodem genere causae moralis, et meritoriae; unde eadem causa foret prior et posterior se ipsa. Roboratur: Christus solum ut praevisus et existens extra suas causas, promeruit B. Virgini gratiam; nisi enim in aliqua differentia determinata temporis existeret, non posset movere Deum ad conferendam gratiam B. Virgini qua mereretur accelerationem Incarnationis; sed repugnat, B. Virginem promeruisse talem festinationem, nam Deus nunquam decretum semel habitum de Incarnatione Christi pro tali differentia temporis mutavit; at concipi non potest, quod tempus Incarnationis acceleratum fuerit, quin concipiatur per ardentia Mariae vota, precesque supplices Deum decrevisse Christi Incarnationem tempore anticipato, et diverso ab illo, in quo decreverat ipsum Christum producere, nisi a Marianis precibus Incarnationis acceleratio extorqueretur; ergo iam Deus mutavit decretum prius, quo statuerat Christum condere post multo plures annos, quam de facto condidit.

Hunc nodum, quem communis etiam sententia dissolvere tenetur, quae asserit B. Virginem, veteresque patres de congruo meruisse Incarnationis accelerationem, facile extricabimus, si admiserimus in Deo ordinem intentionis, et executionis penes duo signa rationis. Itaque in primo signo rationis, in quo concipitur ordo intentionis, intelligitur etiam decretum Dei absolutum, quo Deus intendit absolute producere Christum, nihil cogitando in particulari de modo productionis, nec de tempore; solum ergo est decretum, Christum producendi, non est autem determinata in particulari executio productionis Christi, in quo signo intentionis decernit simul Deus conferre Christo auxilia efficacia determinata ad bene operandum: pro alio vero signo posteriori in ordine executionis, postquam praevidit Deus Christi producendi opera bona, licet non actione aliqua determinata, vel determinato tempore, sed quae non possit non esse aliquo modo ac tempore; potuit absolute decernere conferre veteribus patribus gratiam in executione ad bene operandum propter praevisa merita Christi ordine intentionis; et in eodem signo posteriori executionis etiam potuit Deus absolute decernere propter patrum et B. Virginis merita, ut Christus nasceretur ex hac determinata Virgine, praevidensque huius Virginis merita, potuit absolute decernere, ut Christus nasceretur potius in hoc, quam in alio tempore. Nihil enim obstat, rem a pluribus causis dependentem decerni a Deo secundum substantiam absolute, absque eo quod decernat causam et actionem singularem. De quo Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 10, sect. 6; Salazarius de Concept., cap. 24, § 5, num. 76. Quod explicari potest obvio hoc exemplo: Decernat Deus producere crastina die hunc numero effectum fulguris, sive meteori alicuius, vel se solo, vel simul cum nube collisa, simulque intendat in illo priori decernere in posteriori signo executionem talis meteori, vel se solo, vel simul cum causa secunda; tunc meteorum illud absolute futurum est, et ut tale cognoscitur a Deo, et tamen adhuc in illo signo priori non praevidetur a Deo, nec est aliqua actio determinate futura, sed solum haec aut illa; solum enim habitum fuit decretum circa substantiam effectus futuri: nec aliqua apparet implicantia, cur non possit praevideri res ut absolute futura, quin praevideatur aliqua actio determinata, a qua pendeat. Quod amplius ostenditur, quia effectus ille in illo priori signo rationis decretus necessario est futurus, et ut talis praevidetur, posita absoluta et efficaci Dei intentione, quae irrita esse nequit; ergo cras non potest non esse, et ita a Deo praevidetur; ergo praevidetur ut futurum crastina die: in illo enim priori signo rationis meteorum illud praevidetur a Deo, non ut pure possibile, cum habeat decretum determinans ad existendum, non ut existens, cum nullum adhuc habeat esse extra causas; nec ut futurum sub conditione, quia Deus absolute, et non sub conditione decrevit illud meteorum producere: ergo vidit illud ut absolute futurum; nec enim aliquo ex capite necessum est, ut Deus in eodem illo priori, quo absolute decernit rem producere quoad substantiam, determinet hanc vel illam actionem, sat enim erit in posteriori signo illam determinare; solum ergo in priori illo signo futura erat actio aliqua indeterminate.

Quibus praeiactis, facile dirimitur quaestio proposita: Christus ergo promeruit gratiam patribus ac B. Virgini singulari modo prae caeteris; rursus iidem patres de congruo Incarnationem meruerunt quoad executionem, at B. Virgo condigne eiusdem accelerationem, quia Christus pro aliquo signo rationis potuit promereri totum id, cum quo non habet necessariam connexionem; atqui pro primo signo rationis, ordine intentionis Christus non dependet a suis progenitoribus, nam in illo priori signo Christus non est futurus ex determinatis causis, sed vel a solo Deo, vel a parentibus his, vel illis, de quibus nihil tunc decretum fuit; adeoque potuit Christus illis promereri gratiam, et etiam quod in ordine executionis in alio signo posteriori ex hac individua Virgine ortum duceret. Praeterea antiqui Patres suis bonis operibus bene potuerunt mereri id, quod bona sua opera nec supponebant, nec cum eo necessariam connexionem habebant: quare cum non necessario dependerent ab hac unione hypostatica determinate, nec eam supponerent, nihil implicabant, quod illam de congruo promereri potuerint.

1703. Deinde potuit Deus maturare Incarnationem precibus veterum patrum, et singulariter illis B. Virginis permotus; siquidem Deus ex vi primi decreti habiti in illo priori de Verbo incarnando, solum tenebatur uniri humanitati alicui pro aliquo tempore; cum igitur posset amplius prorogare Incarnationis tempus, statuit illud maturare, et accelerare Incarnationem in executione propter merita condigna B. Virginis, ac veterum patrum de congruo. Ex quibus satis constat, non elici ex nostra doctrina causas esse sibi invicem causas in eodem genere, sed in diverso: quod non implicat, imo est ipsa veritas,

ut latius ad 1 lib. Physicorum; nec principium meriti cadere sub meritum, quippe principium meriti erat Unio hypostatica indeterminate futura. Nec vero urgeas: Christus praevisus ut absolute futurus cum hac, vel illa unione hypostatica, potuit Deum allicere, ut sibi exhiberet hanc numero unionem, quam de facto nactus est, quae quidem fuit prima gratia; ergo iam poterat Christus per bona opera ex gratia unionis proficiscentia, mereri ipsam unionem; ergo tunc prima gratia unionis iam caderet sub meritum, atque adeo principium meriti cadit sub meritum. Sed dicendum est, illam determinatam unionem, quae conferretur post decretum absolutum de aliqua exhibenda unione, nulla ratione posse habere rationem praemii; et patet vulgari exemplo: si enim aliquis ante obsequia et officia a me exhibita, ex aliis titulis constrictus est centum mihi aureos donare, quantumvis non teneatur hos potius, quam illos conferre; non mihi ad aequalitatem compensare censebitur, eo quod hos potius centum aureos contulerit determinate, cum aliunde adstringeretur hos vel illos mihi exhibere, cum omnes eiusdem essent valoris. Ex vi ergo absoluti decreti, quo Deus voluit existentiam unionis Hypostaticae, sive gratiae huius, vel illius indeterminate, iam adstringebatur unionem aliquam exhibere, et gratiam aliquam producere; cum ergo teneretur Deus ante praevisionem bonorum operum Christi, aliquam unionem et gratiam conferre indeterminate, quod hanc dederit potius unionem, et gratiam determinatam prae caeteris aequivalentibus, non ex eo Deus praemio aliquo afficit Christi opera, nec locus potest esse merito, ut patet.

Hinc nonnemo quaerat, num antiqui patres et parentes B. Virginis, licet non meruerint substantialem Virginis Mariae existentiam, bene tamen eius accelerationem. Quod autem patres antiqui nulla ratione meruerint Mariae existentiam quoad substantiam, eisdem rationibus probandum cum proportione, quibus Theologi idem assertum ostendunt de existentia Incarnationis quoad substantiam: et quemadmodum hominum peccata substantiam adventus Christi Domini mundo intulerunt, tanquam occasio; at merita ss. Patrum, praecipue vero B. Virginis, ipsius Christi adventum maturarunt: ita etiam plures Theologi de B. Virgine locuti sunt apud Salazarium de Concept. a cap. 2 usque ad 25; itaque occasione peccati, et in ipsius medelam mundo fuit invecta ac condita Maria in rerum natura, saltem iuxta praesens Dei decretum.

Nunc ergo disquirimus, utrum ss. patres, quamvis suis precibus Mariae existentiam quoad substantiam promereri non potuerint, an saltem ipsius accelerationem, et quod ex his parentibus ederetur, meritis suis obtinuerint. Et quidem pars affirmans placet, et eadem via probanda est, sicut de acceleratione Incarnationis ostendunt Theologi; quod innuit eadem Virgo B. verbis illis Cant.: *Ideo adolescentulae dilexerunt te;* vel, ut alii vertunt: *Traxerunt te*; alii transferunt: *Dilexerunt te, et traxerunt me,* quasi diceret B. Virgo sub nomine Sponsae: Animae ss. patrum conditionis meae accelerationem maturarunt. Huius est sententiae Salazarius in Cantic. tom. post., fol. 141, § *in hac interpretatione.*

CERTAMEN X.

Utrum B. Virgo meruerit circumstantias Incarnationis.

1704. Ratio dubitandi est: primo quia inde fieret, principium meriti cadere sub meritum; quippe B. Virgo per gratiam a Christo acceptam merebatur esse Mater Christi; ergo merebatur existentiam Incarnationis, quae erat principium meriti. Deinde fieret, etiam esse Christum causam sui ipsius saltem mediatam et remotam, nam Christus meruit B. Virgini eam gratiam qua ipsa meruit esse Mater Christi; ergo fuit sui ipsius causa; quod enim est causa causae, est causa causati. Tertio, quia Christus est causa meritorum B. Virginis; ergo est prior illis; ergo in hoc priori concipitur ut productus independenter a B. Virgine, et sine illa; ergo existentia Christi non fuit dependens a B. Virgine, adeoque neque mereri potuit existentiam, vel executionem Incarnationis.

Ad pleniorem huius rei intelligentiam, libet praenotare iuxta aliquorum Theologorum sententiam, B. Virginem active non influxisse in unionem partium humanitatis Christi, sed tantum suppeditasse materiam purissimam, eamque fovisse, ac praeparasse. Ita censet Suarius, to. 2 in 3 p., disp. 10, sect. 2, cum D. Thoma, Aristotele et aliis asserentibus matrem non concurrere active; adduntque eum concursum ad rationem matris necessarium non esse: imo in Virgine Deipara, et rationi et pietati conformius esse meditantur, si concursus activus denegetur; sic enim eius virginitas splendidior rutilat sine activo concursu et sine transmissione seminis. Qua posita doctrina, cum actio a B. Virgine non effluxerit, nec eam transcendentali respectu terminaverit, recte potuit a Deo per primum decretum decerni Christus, et haec numero actio, quin Deus per illud decretum attingeret B. Virginem ut Matrem: postmodum ex praevisione meritorum Christi, et B. Virginis, potuit Deus decernere, ut B. Virgo exhiberet hanc numero materiam, eamque aptis dispositionibus praemuniret, et hac ratione Maternitatem mereretur. Qua sententia sic explicata, recte occurritur rationibus dubitandi adductis. Siquidem per primum decretum praeconcipitur Christus promereri independenter a B. Virgine: haec autem omnia unico decreto haberi potuerunt, quo Deus attingeret actionem, et unionem illam sine dependentia a meritis Marianis saltem praecise; Maternitatem vero consistentem in illis officiis videlicet suppeditandi materiam, illam disponendi, decerneret Deus propter merita praevisa in signo futuritionis, ante ullius decreti actualitatem, ut latius alibi dedimus.

Verum hic opinandi modus non ita cohaeret cum his, quae supra diximus, dum ostendimus, B. Virginem effective concurrisse in generationem Iesu, adeoque non ita arridet; tum quia vel actio productiva unionis partium humanitatis

erat connaturalis humanitati, vel non. Si hoc secundum dixeris, nimis violentum esset humanitati Christi toto vitae spatio actione connaturali caruisse, praesertim cum B. Virgo potuerit connaturali virtute eam materiam disponere, et concursum praestare ad calorem, humiditatem ac reliquas qualitates, quae necessariae sunt ad introductionem formae et unionis ; ergo ea materia sic disposita naturali exigentia postulabat productionem connaturalem unionis ; ergo sine fundamento sufficienti asseritur, non fuisse actionem unionis connaturalem. Quod si instes, in primo instanti non fuisse actionem dependentem a dispositionibus, atque adeo neque connaturalem, postea vero aliam actionem subrogatam conservativam, quae humanitati connaturalis esset ; sed hoc est libere dictum, et inventum ; inde etiam fieret, Christum Dominum meruisse Maternitatem B. Virgini adaequate solum per meritum primi instantis Incarnationis Christi, quia merita sequentium instantium iam erant dependentia a B. Virgine, media scilicet actione connaturali, quod adversatur communi Theologorum sententiae asserenti Christum Deum omnia sua merita passione ac morte consummasse ac perfecisse.

Si autem asseratur primum, videlicet actionem productivam unionis partium humanitatis, esse connaturalem humanitati ; iam illa actio sua natura poscebat qualitates disponentes, quia unio connaturaliter non educitur, nisi praeviis dispositionibus, quae dependebant a B. Virgine connaturaliter ad eas concurrente ; ergo iam illa actio prima dependens fuit a B. Virgine ; ergo et meritum Christi : unde incidit haec sententia in eadem incommoda, quae supra retulimus. Dices primo, actionem illam fuisse in substantia naturalem, imo et connaturalem in ordine ad dispositiones, quas de facto habuit connaturales ex B. Virgine ; verum voluntatem Dei circa illam actionem non fuisse illi connaturalem, quia licet illa actio exigebat connaturaliter praefatas dispositiones, ac proinde pendere mediate a B. Virgine, tamen de facto decrevisse Deum eam actionem extra causas ponere volitione independenti a B. Virgine ; ita ut licet ipsa, aut alia Mater non concurreret, ex vi eius actionis, et volitionis exstitisset Christus a parte rei, unde ex vi eiusdem fuit tota vitae periodo conservatus, et meruit independenter a B. Virgine gratiam illam, qua promeruit materiam exhibere, eamque praeparare ac fovere, atque adeo Maternitatem. In quo opinandi modo solum admittitur aliquid non connaturale extrinsecum. Dices secundo actionem illam in entitate fuisse supernaturalem, ut aliqui Doctores censent ; aiunt enim eam actionem esse ipsammet unionem ad Verbum. Addique potest, eam supernaturalem actionem toto vitae tempore in Christo permansisse, et hac ratione potuit Christus Deus recte passione ac morte B. Virgini mereri independenter ab ipsa, eam gratiam, qua ipsa B. Virgo Maternitatem Dei mereretur. Qua duplici responsione utcunque videtur probabilis haec sententia.

1705. Alius est opinandi modus in sententia extreme opposita admittente in B. Virgine concursum activum, qui duplici via componi potest cum merito B. Virginis. Prima est posito duplici decreto, quorum primum attingat Christum, Mariam, et actionem, qua producitur unio inter partes Christi Domini independenter, saltem abstractive a meritis Marianis : ex quo decreto iam erat futura Maternitas sine ordine ad meritum. Postmodum praevidetur Christus per sua opera mereri, et simul praevidentur merita B. Virginis, propter quae secundo decernit Deus executioni mandare Maternitatem, propter merita Christi iam praevisa, et hoc modo B. Virgo mereretur actionem productivam unionis inter materiam et formam humanitatis Christi ; non tamen mereretur Incarnationem. Addo, licet aliquo modo mereretur humanitatem Christi, ut totum quoddam compositum est, ac proinde etiam aliquo modo mereretur principium meriti, quod est humanitas Christi ; non tamen mereretur secundum eandem rationem, qua est principium meriti, quia mereretur existentiam, et futuritionem eius, virtualiter aliquo pacto distinctam ab ea, quam ex vi secundi decreti obtinebat. Nec repugnat, idem esse causam sui ipsius remotam in diverso statu, ut videre est in fine : et licet per primum decretum praevideatur Christus prius merens independenter a meritis B. Virginis circa Maternitatem ; praevidetur tamen merens dependenter a B. Virgine active influente in actionem productivam unionis : postea vero ex vi secundi decreti, iam illa actio est dependens extrinsece a meritis B. Virginis. Haec autem via scrupea ac perdifficilis visa est. Primo, quia in Deo ponit decretum, quod feratur in Christum praecise a meritis ipsius, et B. Virginis ; hinc enim fieret, decretum fuisse Christum, prout abstrahit ab statu possibilitatis, et impossibilitatis, et hoc falsum omnino est, quia nequit decretum ferri in commune, sed necessario ferri debet in particulare, qua ratione futura est res *a parte rei* : Christus autem prout praescinditur ab statu possibilitatis, et impossibilitatis, non poterat esse futurus ; ergo neque sic poterat decerni. Secundo, quia admittit, aliquo modo principium meriti cadere sub meritum : nec obstat dicere, mereri principium meriti, non secundum idem ; si enim mereretur actualem existentiam et futuritionem humanitatis, quod est principium meriti, ergo non solum aliquo pacto, sed simpliciter et omnino mereretur principium meriti : siquidem humanitas Christi Domini ut actualis, et extra causas posita merebatur, et erat principium meriti ; sed B. Virgo in hac sententia meruit actualem existentiam, et futuritionem humanitatis ; ergo meruit omnino principium meriti.

1706. Quocirca facilior ac securior via est, si unicum decretum admittatur, quod post praevisionem meritorum Christi, et B. Virginis, ut late ostendimus Palaestra I, simul terminetur ad Christum, et ad illam actionem productivam unionis, propter merita B. Virginis ; hac tamen ratione, ut propter merita Mariae solum decer-

nat Deus praedictam actionem, et omnia alia, quae ex illa necessario consequuntur per se; quod decretum eodem modo hic explicandum est, quo loco citato fuse ostensum est. Ex hoc autem opinandi modo non bene deduces, principium meriti cadere sub meritum; non enim B. Virgo meretur Incarnationem, sed actionem praefatam, vel, ut summum, humanitatem compositam ex suis partibus, quae est principium physicum meriti Christi Domini. Unde non meretur morale principium meriti, id est dignificans, ac proinde principium meriti saltem adaequatum non cadit sub meritum. Neque hinc sequitur, idem adaequate esse causam suiipsius, sed solum inadaequate, remote, et in diverso genere, quod non implicat, ut patet in causa finali. Nec demum opus est, ut Christus merita sua perficiens, sit prior Maria prioritate *in quo*; sed simul esse possunt, si eodem decreto attingantur, ut dicto loco abunde declaratum est.

Hinc deduces B. Virginem meruisse etiam executionem Incarnationis, quae est etiam una ex circumstantiis ipsius, quia gratia B. Virginis sufficiens erat ad hoc meritum; licet enim gratia creata sit inferioris ordinis, quam gratia unionis, et ex natura sua id non petat, tamen ex suppositione, quod unio illa sit decreta, ex divina ordinatione habet iam aliquam proportionem; quippe nullus modus aptior et congruentior ad executionem Incarnationis, quam gratia, oratio, et alia bona opera procedentia a gratia: sic in Christo Domino gratia habitualis fuit dispositio aptissima ad gratiam unionis, ut docent Theologi apud Suarium, tom. 1 in 3 p., d. 10, sect. 6, § *Dico tertio*. Siquidem dispositio supernaturalis in persona grata ad effectum supernaturalem, meretur illud de congruo saltem, licet non interveniat proportio omnimoda, praesertim cum suppleri possit per ordinationem divinam, et quia per supernaturalem amorem, fidem, spem, et petitionem huius mysterii, elevatur anima et unitur ipsi Christo.

Neque obstat, B. Virginem habuisse gratiam et bona opera ex praevisis Christi meritis; non enim est minus perfecta gratia, et minus efficax, quae datur ex Christi meritis, quam illa, quae gratis omnino daretur, et non ex meritis Christi: sicut ergo B. Virgo potuisset mereri Incarnationis executionem per gratiam, quae non daretur ipsi ex meritis Christi; ergo et per gratiam, quae ipsi exhibita fuit ex praevisis Christi meritis.

1707. Secundo idipsum suaderi potest, quia tametsi praefinita fuerit a Deo Incarnatio sine ullis meritis, tamen potuit decerni, ut non mandaretur executioni, nisi propter merita B. Virginis, ut de facto admitti solet in praedestinatorum gloria; ergo licet Deus praedestinaverit Christum, et propter merita ipsius praevisa dederit gratiam B. Mariae, potuit ipsa mereri saltem de congruo Incarnationis executionem. Firmatur, nam negari non potest, quin B. Virgo per opera bona procedentia a gratia, impetraverit a Deo executionem Incarnationis, cum id Theologi antiquis patribus concedant; ergo potiori titulo id deferendum est Deiparae. Dein in precibus et aliis bonis operibus B. Mariae aderant conditiones, quae exiguntur ad efficaciam impetrationis, sed non minus efficax est oratio ex Christo, quam meritum, siquidem auxilium ad digne orandum, et acceptatio orationis, et fides, qua innititur, est gratia ex Christo; ergo sicut Christus est principium omnis meriti, etiam est principium omnis orationis efficacis ad impetrandum; ergo nihil apparet incommodi, si asseramus B. Virginem meruisse principium sui meriti modo iam declarato. Confirmatur: nullus enim eat inficias, B. Virginem seipsam comparasse ut Christum digne susciperet, cum tamen ipse Christus esset principium illius bonae dispositionis. Disponebatur ergo, ut susciperet in se principium suae dispositionis in re ipsa; ergo pari modo mereri poterat executionem Incarnationis. Hinc docet communis Doctorum sensus, consensum Virgineum Angelo annuncianti exhibitum fuisse medium ad executionem ipsius Incarnationis, et tamen ille consensus procul dubio propter praevisa Christi merita fuit in Maria; ergo iam idem actus fuit medium ad executionem suimet principii in genere meriti. Demum, B. Virgo fuit causa realis physica Christi Domini, siquidem exstitit vera ipsius Mater, quod tamen totum hausit ex meritis Christi, quod vera et condigna Mater exstiterit ipsius, et quod digne tali munere functa fuerit: ergo similiter in praesenti. Quare illud axioma, *Principium meriti non cadit sub meritum*, explicari oportet: principium ergo meriti quod supponitur actu existens, prius quam fundet meritum, illud quidem non cadit sub meritum, qualis est prima gratia, seu vocatio, quia non solum est principium quasi morale, sed etiam physicum, quod praeire debet effectui; si vero principium meriti est quasi morale, et non causat ut actu existens, sed tantum est praevisum, tunc potest secundum executionem subesse merito, ut sic enim non supponitur, nec antecedit, sed est quid posterius.

Nec vero ad hanc executionem, ipsiusque celeritatem maturandam aequaliter merita veterum patrum iuverunt, ac unius Mariae merita, siquidem illorum merita, ac vota non ita Deum impulerunt, ut illa seorsim sumpta, et sine B. Mariae meritis, executionem Incarnationis pro aliqua differentia temporis a Deo extorquerent: bene vero Marianae preces, ac vota seiuncta a patrum priscorum meritis, Incarnationis executionem impetrarent, quod s. Bernardinus innuit, tom. 2 fer. post Domin. Palm., serm. 51, art. 1, cap. 3, cum ait: *Ipsa siquidem fuit felix clausula totius expectationis, et desiderii, ac postulationis adventus caelestis Sponsi*. Quemadmodum ergo Christi mors reliqua ipsius merita perfecit, sine qua reliqua totius vitae opera Redemptionem non impetrassent; sic merita Mariana sine patrum veterum meritis sufficerent ad exequendam Incarnationem, non vero illorum merita sine Virgineis meritis: admitto tamen, Dei decretum efficax praesens exequendae Incarnationis, non solum ob vota B. Virgi-

nis, verum etiam ob merita et preces veterum patrum. Assero tamen Mariana merita ea fuisse, ut ipsa sola, seclusis illorum precibus, Deum inducerent, ab ipsoque extorquere iure quidem possent Incarnationis executionem, et acceleration em.

CERTAMEN XI.

Utrum B. Virgo meruerit Incarnationem, seu unionem Hypostaticam.

1708. Arbitror haec duo esse inter se valde diversa, videlicet mereri de condigno Maternitatem Dei, et mereri de condigno Incarnationem: plures enim docent de facto, ut vidimus, meruisse Mariam de condigno Maternitatem Dei, qui tamen negant, meruisse condigne Incarnationem; unde meritum Incarnationis non necessario clauditur sub merito Maternitatis Dei. Et ratio est, quia Maternitas est dignitas multo inferior unione hypostatica, ac proinde poterit subesse alicui merito, sub quod non cadat illa.

Nonnulli Doctores ex dictis de merito condigno B. Virginis circa Maternitatem Dei, inferunt, meruisse etiam ut Deus ex illa homo fieret, atque adeo meruisse etiam Incarnationem; ex eo sedenim quod meruit esse Mater Dei, meruit etiam et Christum in rerum natura producere: ergo meruit ut hoc compositum Christus, ut Deus et homo est, in rerum natura existeret. Ex dictis tamen facile argumento occurritur. Dupliciter enim considerari potest hoc meritum: primo absolute et simpliciter, absque ulla suppositione, qua consideratione tale meritum includit meritum Incarnationis; tunc enim eo ipso, quod B. Virgo posset mereri esse Mater Dei-hominis, ex iustitia movere posset Deum, ut ex illa fieret homo, hoc enim continetur in illo: ideo communi Doctorum assensu fieri non potest, ut pura creatura promereatur hac ratione Incarnationem, seu unionem hypostaticam, propter improportionem meritorum purae creaturae cum unione hypostatica, quae altioris est classis. Secundo modo considerari potest hoc meritum solum sub conditione, seu ex suppositione, quod Deus futurus sit homo, qua ratione recte praescindi potest meritum Maternitatis Dei a merito Incarnationis, iam enim primum supponit Incarnationem futuram, et ex alio capite meritum potest habere aliquam aequalitatem cum dignitate Maternitatis Dei, non vero cum Incarnatione. Quae doctrina recte explicare potest obvio illo exemplo de principe venturo iam in regnum nostrum, qui tamen precibus motus alicuius viri nobilis potius in suam, quam in alterius domum divertit, de quo supra.

Instabis: B. Virgo non potuit mereri Maternitatem Dei, nisi merendo formam, qua formaliter constituitur generans Deum, adeoque et Dei Mater; sed haec forma nihil aliud est quam actio illa physica, per quam ultimo constituitur unio hypostatica, ad eum modum, quo per unionem materiae et formae rationalis ultimo constituitur homo; ergo B. Virgo mereri non potuit esse Mater Dei, quin simul mereretur unionem hypostaticam, et consequenter Incarnationem. Quin potius iuxta aliorum probabilem opinandi modum asserentium, esse matris non esse aliud, quam ipsam actionem generandi, idem omnino erit unio hypostatica, ac forma Maternitatis Dei; ergo sicut B. Virgo condigne meruit Maternitatem Dei, ut supra docuimus, etiam meruit unionem hypostaticam, et Incarnationem. Huius argumenti vis aeque in omnes adversarios retorqueri potest. Qui enim inficiantur, B. Virginem physice concurrisse ad generationem, vel ad unionem hypostaticam, et meritum condignum ipsius in ordine ad Maternitatem, negare nequeunt, quin B. Virgo vere fuerit causa saltem moralis illius formae, qua constituitur Dei Mater; haec autem forma secum semper praesefert unionem hypostaticam; si ergo meruit congrue Maternitatem Dei, ut ipsi affirmant, ergo meruit etiam congrue unionem hypostaticam, quod negant. Eodem modo in eos arguere possumus, qui Mariae deferunt meritum condignum, non vero admittunt physicum influxum ipsius.

Nos autem negamus, B. Virginem meruisse unionem hypostaticam et Incarnationem ut supra. Ad probationes, et instantiam argumenti propositi respondeo: tametsi aliqua B. Virginis actio necessario requireretur, tanquam vera forma constituens eam Matrem Dei, nulla tamen ipsius actio necessaria erat, ut Verbum divinum fieret homo; ideo monuimus prius fuisse decretam Incarnationem, et totum Christum praevisum, quam aliqua B. Virginis actio decerneretur. Quocirca dum propter merita Christi ita praevisi promerebatur B. Virgo ut esset Mater Dei, non tamen mereri poterat, ut Verbum incarnaretur, sed ut Christus qui iam praevidebatur independenter a B. Virgine, ipsam veram in Matrem haberet; quod non est mereri simpliciter, ut unio hypostatica exhiberetur, cum haec ante hoc meritum Marianum iam praesupponeretur futura; sed ut una numero unio assumeretur, ita tamen ut actio illa praeelecta vere B. Virginem Dei Matrem constitueret. Quod ita amplius declarari potest, ita ut Deus decreverit primo Christum, et unionem hypostaticam a solo Deo tanquam a causa particulari pendentem. Meruit autem Maria, ne Christus a solo Deo, sed etiam per veram actionem a B. Virgine promanantem primo produceretur: quae quidem actio, iuxta nobiles Philosophos ac Theologos, cum fuerit unitiva, et materiae et formae rationalis inter se, et unionis ipsarum cum Verbo, vere fuit Dei generatio, per quam B. Virgo vera Dei Mater constituitur. Quod solum ex suppositione, quod Verbum esset incarnandum, fuit mereri esse Matrem Dei, non simpliciter; ac proinde non fuit promereri Incarnationem, vel unionem hypostaticam simpliciter et absolute, sed solum ex suppositione.

1709. Ob id opinantur aliqui apud Suarium, de Incarnatione disput. 10, sect. 7, § *Sed quaeret*, adeo certum esse, B. Virginem non meruisse condigne Incarnationem seu unionem hypostaticam, ut contrariam sententiam erroris seu

temeritatis nota inurant, quia saepe sacra Volumina soli divinae gratiae et liberalitati beneficium Incarnationis attribuunt, ut constat ex epist. ad Rom , 3 et 4 cap. Nihilo tamen secius, asserere B. Virginem meruisse de condigno Incarnationem, seu unionem hypostaticam, nulla nota, ac censura inurendam esse talem propositionem, sed ad summum minoris probabilitatis censeo: ita Suarius cit., quia illam tenent graves Doctores, ut ait Suarius, neque ex Scriptura, et Patribus convinci potest; imo pleraeque locutiones Patrum multum adfavent huic merito Mariano: loca autem ex Paulo cit. desumpta, et alia quae adduci solent, solum probant, veteres patres non meruisse de condigno Incarnationem, quod verissimum est; cum autem merita B. Virginis fuerint longe altioris ordinis, quam merita Abrahae ac reliquorum patriarcharum, ac prophetarum, non mirum, si aliquid detulerimus Marianis meritis in hac parte, quod reliquorum meritis denegaverimus; esto tamen pro Suarii et communi sententia tanquam verissima.

Hic etiam aliqui disquirunt, utrum B. Virgo promeruerit, ut ex materia sui corporis formaretur Christus. Et pars negans suaderi posset, quia non meruit Maria habere illam individuam materiam ita sibi coniunctam, ut opus erat ad formationem Christi; hoc enim potius spectabat ad ordinem naturalium effectuum, et causarum, quam ad rationem meriti. Itaque causae naturales ita fuerunt dispositae, ut illa pars materiae esset sub forma purissimi sanguinis; quibus ita dispositis B. Virgo meruit, ut ex suo purissimo sanguine Verbum divinum carnem assumeret. Verum nullum apparet inconveniens, licet asseramus B. Virginem promeruisse, ut ex materia sui corporis Christus formaretur; non enim insolens, ac novum est, ut naturalia possint subesse merito in ordine ad spiritualia, ut probant Theologi in tractatu de Praedestinatione; ergo nihil obstare potest, quominus opinemur, B. Virginem meruisse ut illamet materia, ex qua Christus erat formandus, prius esset pars materialis sui corporis et sanguinis, ac proinde meruisse similiter, ut plures partes Christi Domini in Eucharistia existentis prius informarentur tanquam verae partes materiales sui corporis anima rationali B. Virginis. Unde ad rationem dubitandi initio propositam, negatur antecedens.

CERTAMEN XII.

Aliae difficultates de merito Virginco expediuntur.

1710. Prima difficultas est, an B. Virgo meruerit de condigno primam gratiam. Assero cum Suario certum esse, B. Virginem per primum actum, quem in conceptionis suae primo momento elicuit, non meruisse primam gratiam, nec augmentum ipsius, sicut dici solet de aliis, qui actu proprio et auxilio gratiae Dei iustificantur. De quo Vasquius, in 1 2, disput. 219, cap. 2. Et ratio est, quia ante omne meritum exhibita fuit B. Virgini prima gratia, itaque ipsa gratia primitus collata fuit radix omnis meriti; non potest autem principium meriti cadere sub meritum secundum connaturalem ordinem, quia meritum antecedere debet praemium saltem ordine naturae; et licet primus actus B. Virginis iuxta aliquorum opinionem antecesserit quoad entitatem suam gratiam habitualem, tamen ut meritum de condigno non antecessit illam, quia per illam formaliter constitutum est in ratione et valore meriti de condigno; ideoque sub ratione talis meriti non potuit in eandem gratiam reflecti: idemque asserendum est, et potiori iure in aliorum sententia, quae docet gratiam habitualem ordine naturae praecessisse primum actum B. Virginis, tanquam principium illum efficiens. Ex quo etiam inferri videtur, nec de congruo, B. Virginem primam illam gratiam promeruisse, quia illa infusa non est propter ipsius actus, nec actus antecesserunt illam in aliquo genere, quod in omni merito necessarium est. Si autem cum Suario asseruerimus primum actum B. Virginis ortum fuisse ex speciali auxilio gratiae, sicut in reliquis hominibus et Angelis, tunc verissimum est, B. Virginem promeruisse congrue primam gratiam habitualem: sicut enim per primum actum bonum B. Virgo se comparavit ad gratiam modo convenienti, ita per eandem dispositionem, gratiam habitualem impetravit, ac congrue illam promeruit, quia actus primus bonus, ex motione Spiritus sancti elicitus, et proportio actus sufficit ad meritum congruum. Ex his etiam infertur, non potuisse B. Virginem per primum actum elicitum in primo suae conceptionis momento, augmentum gratiae mereri, quia prima gratia sanctificans confertur ratione talis actus, et eidem respondet gloria illi gratiae proportionata; adeoque non habet talis actus valorem ad novum gratiae gradum promerendum.

Secunda difficultas, utrum B. Virgo per primum actum bonum elicitum in primo instanti conceptionis meruerit gloriam. Respondeo affirmando. Probatur, quia saltem ordine naturae praecessit actus meritorius gloriam in illo instanti conceptionis. Deinde, quia in primo instanti conceptionis concurrerunt requisita omnia ad meritum condignum gloriae: erat enim sancta, et operabatur libere ex gratiae auxilio, Deumque diligebat: licet autem in illo instanti, visione beatifica fruita sit, et consequenter actum amoris necessarium elicuerit; nihil tamen obstabat, quominus alios actus liberos eliceret submissionis, gratitudinis, obedientiae, imo et amoris, ex cognitione scientiae infusae provenientes; qui autem sic operantur, vitam aeternam promerentur, ut ait Iacobus 1: *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.*

1711. Tertio quaerimus utrum B. Virgo suis precibus sibi gloriam sui corporis maturaverit. In qua re praemitto, votum esse de re honesta, quando quis concupiscit, et expetit et animae et corporis aeternam, et immortalem felicitatem. Sic Paulus ad Philip. 1 utrumque ardentibus votis deposcebat, corporis scilicet vinculis

solvi, et Christo adhaerere animo, ac corporis gloria immortali supervestiri; ideo locutus sub illa metaphora, nempe ut quod mortale est, a vita absorberetur immortali: et II Cor. 5, fulgentissimo Redemptoris sui corpori conformari ambibat.

Censeo itaque, B. Virginem ex summa quadam in Deum spe ac ferventissima in Filium charitate, dum in vivis degeret, frequenter id, et quidem enixe a Deo flagitasse, non solum animae, sed et corporis aeternam felicitatem, videlicet ut ex singulari Dei privilegio meritis Filii sui, corpus quod domicilium praebuit Verbo divino, a corruptione indemne, integrumque permaneret, Filiique corpori redivivo in totum conformaretur. Ita Canisius, lib. 5 de Deipara, c. 5. Suaderi potest, quia B. Virgo quo iuculentius ac perspicacius de gloria, ac dotibus corporis gloriosi penetrabat prae caeteris Sanctis, eo ardentius illam corporis gloriam exoptabat. Deinde quo plus Virgo Deipara Christum deperibat, eo avidius ipsi animo ac corpori coniungi expetebat, praesertim cum plures partes corporis sui in Filii corpore glorioso contemplabatur. Dices, probe sciebat B. Virgo omnia corpora usque in diem iudicii non vivificanda, idque universaliter a Deo decretum, ut experimento ipsa Deipara comprobabat in reliquis defunctis; ergo non erat obiectum a B. Virgine expetibile, velle scilicet ex privilegio speciali contra Dei decretum gloriam corporis sui maturare. Respondeo, id desiderium a Spiritu sancto fuisse instillatum; hos, inquam, pios motus, fidei, spei et charitatis ad immortalitatem citius impetrandam corporis sui, Spiritus sanctus B. Virgini suggessit, tanquam Deo gratissimos, ipsique Virgini plurimis ex titulis debitos: nec mirum, quod ex speciali privilegio corporis immortalitate donaretur, quae tot praerogativis et privilegiis super omnes cohonestata fuerat. Praeterea tot Sancti, Dominicae anastasis tempore forsan, immortalitate corporis donati fuere, ut plures Doctores constanter defendunt; et innuit illud Evangelistae: *Plura corpora mortuorum surrexerunt*, etc. Quae omnia apprime callebat B. Virgo, nec ignorabat plura alia ac multo maiora Deum privilegia in ipsam congessisse; ac proinde prudentissime iudicare potuit, hoc immortalitatis privilegium a Deo precibus consecuturam, ut reapse impetravit. Ad haec, cum Deipara divino Spiritu afflata, ac singulari ipsius lumine edocta, tanquam vera Prophetissa, verba Prophetarum, licet primario de Christo, de se tamen secundario intelligenda, sibique ipsi optime aptari sciebat. Quare Deum allocuta cum Propheta decantabat, Psal. 4: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Et iterum Psal. 15: *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe.* Nihil est enim quod ambigamus, B. Virginem, sicut Christum Deum de corporis sui gloriosa anastasi, brevissimo post mortem tempore secutura, praenovisse, et hoc privilegio donandam fore, quod immortalitate corporis praedita simul cum anima in caelestibus regnis beetur, ac triumphet.

Ulterius firmatur ratione ex Durando deprompta in 3 sent., dist. 3, q. 1: incineratio, seu conversio corporis humani in pulverem est poena peccati originalis, iuxta Dei sententiam: *Pulvis es, et in pulverem reverteris;* sed B. Virgo immunis fuit a labe originaria; ergo ab hac poena tali peccato debita, quod bene callebat B. Virgo. Roboratur: Corpus Christi sumptum de corpore Virginis Deiparae fuit immune a tali corruptione, et die tertia immortalitate fuit donatum, iuxta illud: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem;* ergo corpus similiter Virgineum fuit immune a tali corruptione, et gloria condecoratum. Cum ergo haec omnia B. Virgini integre patescerent, potuit quidem a Deo enixe postulare corporis sui gloriam ante praescriptum tempus, Deusque moveri B. Virginis precibus, et impetratione, ut hanc Virginei corporis gloriam acceleraret; praesertim cum Deus B. Virginem iam prorsus immunem fecerat ab illo communi maledicto in omnem sexum foemineum, Gen. 3, 16: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris.* Quemadmodum ergo Virgo Deipara ab omni macula et peccato experta fuit, nullam ex his poenis inflixis in foeminas incurrit, singulari Dei beneficio; potuit etiam ei in mentem venire, et ab Spiritu sancto edoceri, pari ratione per preces, ac vota a poena illa in omnes homines inflicta, liberandam, ac immortalitatem sui corporis singulari Dei privilegio maturandam. Quae ratiocinatio desumitur ab Augustino, serm. 1 de Assumpt. Virg., ait enim: *Aerumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransivit; sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri potestate deguit, scilicet mariti,* etc. *Sacratissimum ergo corpus, de quo Christus carnem assumpsit, escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco.*

PALAESTRA UNDETRICESIMA

De merito B. Virginis Deiparae in ordine ad nos.

CERTAMEN PRIMUM

Utrum Deipara impetraverit nobis peccati originalis expiationem.

1712. Affirmat Salazar de Concept., cap. 15, idque probat ex Patribus cap. 21, num. 7, quod perspicue docere videtur s. Cyrillus in Hom. Ephesi adversus Nestorium habita: *Salve*, inquit, *Virgo, per quam sanctum baptisma obtigit credentibus.* Sed baptisma elicit maculam originalis; ergo culpae originalis remissio est per Mariam. Huius sententiae fuit Chrysippus Hierosolym., serm. de laudibus Virg.: *Verisimile est*, ait, *hostem generis humani secum loqui, dum videt nos per mulierem revocatos ad filiorum adoptionem, quam initio habebamus: nonne haec dicit, et queritur? Qui fit, ut instrumentum, quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi adversetur? Mulier mecum effecit, ut in genus humanum tyrannidem occuparem, et mulier me a tyrannide deturbavit: antiqua Eva me erexit in altum, et nova deiecit.* Favet Augustinus, ser. 3 de Assumpt.: *Haec*, ait, *primae matris damna resolvit; haec homini perdito redemptionem adduxit: Mater enim generis nostri poenam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit.* Eandem contestatur veritatem D. Hieronymus ad Eustochium dicens: *Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariae.* Non absimilia sunt verba Ildephonsi, serm. 2 de Assumpt.: *Haec est illa, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, et caelestis benedictio in toto venit mundo.* Eiusdem censionis est Andreas Cretensis, homil. de dormit. Mariae: *Sola*, inquit, *nobis introducto gaudio expulit dolorem primae parentis*, etc. *Impletum est quidquid est creatum tua gloria: sanctificatum est universum unguento tui odoris, per te deleta est peccati occasio, transmutata est in laetitiam primae parentis execratio.* Damascenus perspicue auxilium fert huic asserto, dum hom. in Assumpt. Virginis, ore primorum parentum sic fatur: *Tunc sane Adam atque Eva nostri generis primi parentes exultantes clare suis labris exclamarunt: Tu, Beata Filia, delevisti poenas nostrae transgressionis: Tu cum a nobis originem duxisses, ut bene simus, vicissim reddidisti, doloris partus solvisti, mortis fascias perfregisti, nobis antiquum constituisti habitaculum: nos clausimus paradisum, Tu ligni vitae viam aperuisti: per nos ex his, quae bona erant, venere, quae erant molesta; per Te ex his quae erant molesta, rediere quae erant iucunda.* Bernardus non semel his adstipulatur praesertim in serm. cuius titulus est, *Virginis deprecatio*, luculentius huic adhaeret sententiae, ubi haec habet: *Vides hanc tunicam pelliceam, quae nos circumdedit? Tunica Evae parentis nostrae est, quam ad nos olim misera illa transmisit, et supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua: et quis liberabit nos a corruptela huius miserrimae pelliculae? gratia Salvatoris nostri Filii tui, o Maria: et quis tam idoneus ut loquatur ad cor Domini nostri Iesu Christi, ut Tu, felix Maria?* etc. *Exsurge virus hoc exinanitura mortiferum, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quando succi noxialis gustu ebriata est, et reliquias dimisit parvulis: utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, et non item in nos diffudisset.* Adnectendus Bernardo Petrus Damianus, serm. de Assumpt. ubi eleganter probat primos parentes tenebrosam mundo peccati originalis voraginem invexisse, et humanum genus in densissimam conglobatum nigredinem nocte terribili sepelivisse, et postmodum attexit: *Sed nata Virgine, surrexit Aurora, quia Maria veri praevia luminis, nativitate sua mane clarissimum serenavit.* Quid dilucidius afferri posset ad probandum, Virginem Deiparam nobis peccati originalis expiationem consecutam fuisse, et primaevae noxae maculas, quae universum humanum genus foedaverant, detersisse, suorumque meritorum micanti fulgore totius humani generis originarias tenebras depulisse ac dissipasse? Reliqui autem Patres, ut vidimus, aperte innuunt, Deiparam suis meritis saltem de congruo pro matris delicto satisfecisse, et Adami lapsum posteros in casum impellentem a B. Virgine fuisse restitutum: *Ipsa*, ait Bernardus (ser. 1 super *Missus est*) *B. Virgo Patri pro matre, scilicet Eva, satisfaciat.*

1713. Omnia igitur haec Patrum testimonia aperte convincunt B. Virginem, non minus ad totius humani generis reparationem concurrisse, quam Eva ad lapsum et suorum posterorum subversionem; atqui Eva, ut in confesso est apud omnes, causa exstitit subversionis per peccatum originale; ergo instauratio gratiae, ac eiusdem peccati originalis depulsio, eidem Deiparae erit attribuenda. Deinde quidquid Christus Deus vel nobis, vel ipsi Virgini, unam si demas primam gratiam ipsius, suis meritis promeruit ex condignitate, id omne saltem ex congruitate impetravit B. Virgo; sed Christus suis meritis peccati originalis expiationem nobis comparavit; ergo et B. Virgo suis meritis eiusdem peccati expulsionem et obliterationem nobis saltem ex congruitate promeruit. Minor probatur, quia decretus fuit Christus ex primaria intentione propter peccatum Adae, et singula posterorum originalia, quidquid dicat Vasquius, 1 p., disp. 95, cap. 3, asserens Christum praedestinatum fuisse post praevisionem peccati Adami, ut imminentis in

posteros, non vero ut in eos transfusi. Salazar est pro nobis, de Concept. cap. 24, § 6. Et ratio est, quia ante decretum praedestinationis Christi praecessit in Deo sufficiens scientia omnium peccatorum originalium, ut constat ex Palaestra secunda; ergo decretus est Christus primo propter omnia peccata originalia. Deinde in eo signo, in quo ante decretum Christi praevisum est peccatum Adae, non est praevisum, ut personale tantum; ergo ut peccatum capitis; ergo praevisa sunt omnia peccata originalia posterorum. Et patet antecedens, et prima consequentia, quia praevisum est peccatum in sententia Vasquii ut imminens in alios; sed ut mere personale, praecisa ratione capitis non est peccatum Adae imminens aliis; ergo non est praevisum ut personale tantum, sed etiam ut capitis. Adamum autem esse et operari, ut caput aliorum, nihil aliud est, quam ex vi decreti divini, constitutas esse in Adamo moraliter omnes posterorum voluntates, et istas operari moraliter cum Adamo operante: ergo peccare Adamum ut caput, nihil aliud est, quam ipso peccante, peccare simul moraliter cum illo omnes posterorum voluntates, in eo moraliter constitutas; ergo in eo signo, in quo praevisum fuit peccatum Adae, ut capitis, praevisum etiam fuit, ut procedens moraliter a voluntatibus posterorum in Adamo constitutis, ac proinde praevisa sunt necessario reliqua posterorum originalia, ut actu in Adamo contracta.

Quod vero nobis obiicit Vasquius, videlicet, si ante decretum Christi praevisa sunt singula originalia peccata contracta; ergo nullus poterit excipi a contractione peccati originalis; unde neque B. Virgo. Consequentia patet, quia exceptio fieri debet ex meritis Christi praevisis, ut passibilis; sed tunc adhuc non esset Christus passibilis decretus; ergo, etc. Facile solvi potest; nam in primo signo ante actualitatem decreti praevidit Deus absolute futura merita Christi passibilis; unde in primo decreto, quo voluit Deus Christum ut caput hominum, voluit etiam ut illud caput per merita praevisa, morte et passione consummanda, refunderet in B. Virginem gratiam, eamque simul per eadem merita exemit a lege communi transgressionis peccati, vel potius illam non inclusit in ea lege. Hanc nostram sententiam tenet expresse D. Thomas, 3 p., qu. 1, art. 4, ubi docet primaria intentione venisse Christum propter peccatum originale, quod traductum est originaliter in posteros. Ubi traductum asserit, non vero traducendum: et ibidem affirmat venisse Christum principalius propter peccatum originale in unoquoque curandum, et hoc sibi voluit idem Doctor, 3 p., q. 27, art. 2, dum ait: *Si Virgo nunquam incurrisset maculam peccati originalis, non indiguisset Redemptore.* Quasi diceret, ex eo nunc indiguit Redemptore, quia ante Redemptionis praescientiam, per gratiam praeventa, ut a peccato originali servaretur, non indiguisset Christi redemptione, qui subinde post peccatum originale, in omnibus Adae posteris derivatum, praedestinatus est.

Obiiciat aliquis: si propter omnia, et singula peccata originalia posterorum Adae Filium Dei ex primaria intentione hominem factum adstruamus; ergo fatendum est, si aliquod peccatum originale alicuius hominis futuri non esset, ex vi praesentis decreti Christus non incarnaretur. Verum quid inde? Admitto sequelam cum Salazar de Concept. cap. 24, § 6, n. 100: Vasquius enim, eiusque sectatores affirmare non verentur, Incarnationem fuisse praefinitam propter unum peccatum Adae; ergo nihil mirum si dixerimus propter peccata omnium hominum esse decretam Incarnationem, ita ut uno deficiente ex vi praesentis decreti illa non foret. Hincque beneficium Incarnationis ita pro omnibus fuisse exhibitum, ut unusquisque sibi illud arrogare possit, ac si sibi uni id esset praestitum: tum quia omnis Incarnationis fructus singuli ita integre, ac perfecte sibi nanciscuntur, ac si pro se tantum decreta fuisset Incarnatio: tum quia cum ex vi praesentis decreti propter omnes homines, et propter omnium peccata originalia, decreta fuerit Christi Incarnatio; ita ut quolibet deficiente, non incarnaretur, iam quilibet homo illam propter se factam pia audacia proferre poterit.

1711. Ex quibus elicies primo B. Virginem meruisse de congruo quoad sufficientiam omnibus hominibus, omnis peccati sive actualis, sive originalis remissionem. Probatur, quia quod Christus Dominus meruit de condigno aliis, B. Virgo meruit de congruo; Christus autem meruit aliis remissionem peccati actualis, et originalis, ideo etiam et Maria, id enim decebat Matrem Dei, et hominum, tum et Angelorum, et totius mundi Reginam; sicut ergo ex eo Christus meruit de condigno hominibus omnis peccati remissionem, quia condigna eius satisfactio, et meritum fuit pro hominum delictis oblatum; at Filii satisfactio, et merita condigna a B. Virgine oblata fuere aeterno Patri pro peccatorum remissione, quae quidem oblatio maxime Deo grata fuit, et oratio exaudita, utpote quae oriebatur a persona tantae dignitatis et gratiae, quanta Matrem Dei decebat. Quod suo firmant suffragio sancti Patres. S. Ildephonsus, serm. 1 de Assumpt.: *Haec est illa per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum.* Petrus Damianus, serm. de Nativit. Virg., cap. 6: *Mariae benedictionis novae fluentum, totum detersit maledictionis contagium.* Richardus de s. Laur., l. 1 de laudibus Virg., cap. 6: *Opprobrium primorum parentum per eam a nobis ablatum est, et insuper adeo generosi facti sumus, quod Regis, et Reginae caelorum effecti sumus fratres.* Hinc dicitur Deipara in hymnis Graecanicis apud Buteonem, p. 131: *Auctrix reformationis intelligibilis.* Exuimus formam pristinam, scilicet imaginem Dei per peccatum, formamque belluinam induimus; hac igitur Dei forma, ac similitudine excisos satagebat Apostolus, nova sibi parturitione refingere, donec in eis Christus formaretur. Dicitur ergo Deipara *Auctrix reformationis intelligibilis,* quia omnes adepti sumus per Mariam reformationem internam, edito nobis ab ea Christo, qui factus est omnibus reparatio, et re-

stitutio ad integrum. Praeterea hi omnes, qui internam animi pulcritudinem, videlicet gratiae splendorem, ac reliquarum virtutum habitus recuperant, id fit B. Virginis suffragatione et interventione sua; quare merito *Ianua poenitentiae* nuncupatur: ob eandem causam dicitur eadem Deipara, *Beneplacitum Dei erga mortales*, in Hym. Graecanicis apud Buteonem., p. 118, quia est reconciliatio hominis ad Deum, dum favorem et benevolentiam inter peccatores et Deum interponit, quia precibus suis iuges divinorum beneficiorum imbres in mortales e coelo devocat, impetratque eam bonam Dei in nos voluntatem; ideoque iure vocatur Beneplacitum Dei erga nos. Et quia nunquam remittitur peccatum originale, vel actuale nisi per gratiae collationem, ex eo quod nobis omnibus omnium peccatorum remissionem suis precibus promeruerit, ut ostendimus; eadem ratione nobis omnibus congrue promeruisse primam gratiam dicendum est.

1715. Secundo inferes, B. Virginem de congruo omnibus hominibus gloriam promeruisse. Per gratiam siquidem fiunt homines quasi gloriae candidati, et in caelitum albo conscripti; B. autem Virgo meruit nobis gratiam; ergo et gloriam: gratia enim dicitur semen gloriae; imo nulla gloria, sive essentialis, sive accidentalis comprehensoribus obtigit sine Mariae meritis. Quod eodem modo ac de gratia probandum est. Huius rei umbra fuit illa vitae arbor, ex cuius viriditate reliquae paradisiacae arbores et amoenitatem, et virorem sibi comparabant, teste Ambrosio: *Inter alia*, inquit, *ligna*, *lignum vitae Deus produxit in medio Paradisi, ut caetera ligna de illius viriditate florerent.* Ad rem nostram Anselmus, tract. de laudibus Virg., vocat Mariam, *Vitae arborem caeli vertice tanquam in paradisi medio locatam, et caelum amoenitate sua exhilarantem.* Si vero scisciteris, quomodo vitae arbor in reliquas Paradisi arbores virorem ac pulcritudinem derivaret, iuxta Ambrosium; respondeo, id fieri potuisse, quia ex eius radicibus ortum ducebat fons ille, cuius fluenta in varios rivulos dissecta omnem paradisum ductibus frequentibus foecundaret. Vel quia, ut observarunt rerum naturalium indagatores, in pluribus plantis ea innata vis est, ut nisi de societate ac vicinitate aliarum, vel sterilescant, vel prorsus infoecundae reddantur: ex quo aliqui rerum agrestium periti arboribus arbores, sicut mares cum foeminis, uxores cum maritis coniunxerunt ac maritarunt; sic de arbore vitae nonnemo opinari posset, nempe ex vicinitate, et aurae attactu, reliquas Paradisi arbores, virorem, amoenitatem, ac fructuum ubertatem in se derivare. Verum quidquid sit de umbra, hoc unum certum, Virginem Deiparam in coelis verissimam esse vitae arborem, e cuius conspectu et vicinitate reliquae omnes Sanctorum arbores in perpetuas aeternitates virorem mutuantur, floribus vernant, gloriae accidentalis frondibus virescunt, splendentibus corporis dotibus ornantur, opimis ac iucundissimis essentialis gloriae beatificae fructibus ditescunt. Huic cogitatui applaudit Richardus de s. Laur. lib. 9 de laudibus Virg.: *Quidquid*, ait, *beatitudinis ab illa infinita bonitate Dei ad genus humanum pervenit, totum per hanc venam Mariam refluxit.* Et lib. 7 haec subiungit: *Ideo dicitur electa ut sol, quia sicut sol ad hoc factus est, ut illuminet totum mundum; sic Maria ad hoc facta est a Deo Trinitate, ut misericordiam, veniam, gratiam et gloriam, quasi lumen a Deo impetret toti mundo.* Sicut ergo sublunaria omnia corpora solis influxibus subiacent, ita ut nulla creatura ab eius eximatur influxu; sic nulla creatura intelligibilis aliquid gratiae et gloriae sibi nancisci potest, quod non sit, impetrante Maria. His adstipulatur Anselmus, de excell. Virg. cap. 9, his verbis: *Super hoc, cum ipsam Dominam, per quam tanta bona illis provenerunt, prae oculis habuerint iuxta Deum, quem de suo utero Virgo peperit, residentem, et iure materno coelo, terraeque cum eodem Filio suo praesidentem.* Quibus verbis fatetur sanctissimus Praesul Beatos omnes coelestia bona, quibus fruuntur, in unam B. Virginem post Deum referre. Et quemadmodum Christus Dominus caput est hominum et quoad animas, et quoad corpora; ita etiam B. Virgo collum corporis huius mystici nuncupatur, tam quoad animas, quam quoad corpora: sicut ergo ex eo dicitur Christus caput respectu animarum, ait Vasquius, tom. 1 in 3 p., disp. 48, cap. 2, num. 7, quia constat, omnia gratiae bona, quae conferuntur hominum animis, utique exhiberi per Christum; ex eo autem dicitur caput hominum respectu corporum, quia etiam in omnium hominum corpora virtus aliqua a Christo derivatur, quia per auxilium gratiae exhibent membra sua arma iustitiae in sanctificationem; tum quia in resurrectione electorum corpora gloriae dotibus exornabuntur per Christi Dei merita, vel quia per Eucharistiam influit in animas et corpora fidelium: sic cum proportione Virgo Deipara collum huius corporis compellatur, respectu nostrum animorum, quia omnia gratiae bona nobis omnibus per ipsam derivantur; et Christus in Eucharistia nobis exhibetur Mariae meritis; et etiam per ipsius merita ad poenitentiam membra nostra praemunimus; et tandem quia Beatorum dotibus in coelis donabimur per Mariam.

Quae omnia recte roborantur, quia id omne pertinet ad excellentiam, dignitatemque Virginis Deiparae, tum et ad Dei providentiam, cuius est proprium, ut inferiora per superiores causas suos fines attingant et consequantur; omnes autem homines inferiores sunt Christo Domino et Virgini Deiparae; ergo per utriusque merita gratiam omnem ac gloriam sibi comparare omnino rationi consentaneum fuit. Deinde Adamus, et Eva in mundum peccatum invexerunt: ergo decuit, ut non solum Christus Dominus, sed etiam Virgo Deipara omnis peccati expiationem, gratiam omnem ac gloriam nobis omnibus consequerentur. Unde huic uni Virgini Mariae post Christum Dominum quisque et remissionem peccati cuiuscunque mortalis et originalis, et primam gratiam, eiusdemque perseverantiam, tum et gloriam debere fateatur, necesse est.

1716. Dicta procedunt etiam de hominibus, qui Mariam praecesserunt; sicut enim Christus Deus potuit mereri de condigno ipsis gratiam omnem, et gloriam ante ipsius Incarnationem; ita et B. Virgo potuit eisdem mereri eadem dona congrue: nec enim necessum est, ut meritum reapse praemium antecedat, sat erit si praecedat in mente illius qui exhibiturus est praemium; non enim est causa physica praemii, sed solum moralis movens et alliciens largitorem ad conferendum. Gratia igitur collata antiquis patribus ordine executionis, prior fuit Virgine Deipara; ordine tamen intentionis, quo Deus decrevit illorum expiare peccata ob Christi et Mariae merita, ipsisque gratiam exhibere, posterior fuit; nam in praescientia Dei antecessit Christi et Mariae meritum. Audiendus s. Bernardinus, ser. 61: *Maria sola per multa annorum millia, antequam nasceretur, primo et principaliter Adam, et Evam, et totam eius posteritatem praeservavit in esse. Constat enim, quod ex propria transgressione Adam et Eva non solum mortem, sed etiam annihilationis exterminium meruerunt: et divina ultio, quae personarum acceptionem ignorat, sicut nec culpam angelicam, sic nec humanam dimisisset impunem, sed propter praecipuam reverentiam, et singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, praeservavit.* Luculentius autem stat pro nobis eodem loco, dum haec subiicit verba: *Propter istam nobilem creaturam Deus salvavit parentes primos de prima eorum transgressione, Noe de diluvio inundante, Abraham de caede Chodorlahomor, Isaac de Ismaele, Iacob de Esau, iudaicum populum de Aegypto, et de impia Pharaonis manu, et de mari rubro et vitulo in deserto, de manibus diversorum regum et tyrannorum: et, ut brevi sermone comprehendam, omnes liberationes et indulgentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse solum propter huius benedictae Puellae reverentiam et amorem, quibus eam Deus in suam praedestinationem praehonorandam cunctis operibus suis ab aeterno praedestinavit.*

Dictis novum robur accrescit ex his, quae docet Salazarius, de Concept., c. 24, § 12, n. 151, ubi de Christo sermonem instituens ait, Christi merita ex natura rei, non indiguisse peculiari aut generali applicatione ipsius Christi, ad divinam voluntatem permovendam, sed ex sua natura referri ad omne praemium, quodcunque Deus propter illa retribuere vellet. Quod assertum suo modo applicari posset meritis B. Virginis, qua ratione faciliori via defendi potest, B. Virginem promeruisse veteribus patribus gratias omnes. Ad cuius rei planiorem explicationem unum aut alterum exemplum subiiciam. Sicut ergo Adamus ex pacto et lege Dei, hominum Caput assertus est, ita ut si in iustitia originali perduraret, quantumvis opera, ac merita suae perseverantiae non applicaret expresse posteris suis, tamen illis gratiam originalem mereretur ex congruitate, iuxta s. Thomam, 1 2, qu. 63, art. 3; sed et Virgo Deipara una cum Christo Corredemptrix generis humani instituta est a Deo; ergo licet non applicaret expresse merita sua pro antiquis patribus, qui ipsam praecesserunt, merita B. Virginis ex natura sua, et ex intentione Dei ad humani generis instaurationem referrentur: ita ut Deus illorum intuitu ipsis sanctis patribus gratias omnes, aut quaecunque alia beneficia conferret. Deinde B. Virginis ac reliquorum Sanctorum merita in Ecclesiae thesauris asservata, iuxta unanimem Theologorum consensum, potest Pontifex potestate sibi a Christo tradita applicare, ac dispensare his, vel illis, ad poenarum satisfactionem, quae per Indulgentias exhibetur, tametsi Sancti illi sua merita aliis expresse non applicaverint; ex eo praecise, quia fideles omnes eiusdem corporis membra unius Capitis Christi reputantur; ergo quamvis B. Virgo sua merita de facto sanctis patribus antiquis non applicaverit, quia praecipuum ac nobilius membrum post Christum erat, poterat Deus ipsius merita ad omne beneficium, et gratiam hominibus conferendam acceptare, et propter ipsa quodlibet donum hominibus dilargiri. Quod stabiliri potest exemplo ab humanis ducto: quippe reges plura beneficia in filios ac nepotes distribuere consuescunt, intuitu meritorum parentum ac proavorum, quae beneficia ipsi nunquam deposcere excogitarunt; sed reges propter parentum merita, quae ex sua natura ad illa et alia similia beneficia et praemia referri poterant, moventur: imo ipse Deus sicut parentum delicta usque ad quartam generationem saepe punit; ita etiam parentum benefacta in filiis praemio afficere solet, quantumvis parentes nunquam bona sua opera filiis applicuerint, vel pro ipsis Deum exoraverint; ergo urgentiori titulo de B. Virginis meritis idem proferre possumus, quae ex praefinitione divina propter nostram reparationem, et humani generis salutem praedestinata fuit Corredemptrix, et communis Mater effecta est; ita ut magis ad ipsam omnes homines spectemus, quam filii ad proprios suos parentes; praesertim cum ex speciali Dei decreto, ut inferius fusius agemus, statutum fuit, ne quod donum, aut beneficium, aut gratia in homines descenderet, quae ipsa Virgo Deipara, applicatis singillatim meritis a Deo, precibus suis non extorqueret. Quo posito decreto, ac promissione Dei, ipse Deus simplici affectu ductus, excitavit et movit Deiparae voluntatem, ut sua merita pro salute huius in particulari consequenda ipsi Deo offerret; quibus meritis permotus, efficaciter praefinivit vocationem congruam illi largiri: quod decretum sufficienter ex verbis Bernardi deducemus. Hoc autem decretum, seu promissio, quam ex eo admittimus, ut stabiliamus, Christum Deum et B. Virginem causam fuisse electionis horum hominum prae aliis, non fuit relata, aut directa ad beneficia et gratias antiquis patribus factas, quia in his non potuit voluntas Patris exspectare applicationem meritorum Christi, et B. Virginis pro his potius, quam pro aliis. Primo, quia pro illis non alio modo Christus et Deipara merita applicare poterant, nisi referendo gratias pro acceptis beneficiis; iam ergo beneficia accepta et praestita erant. Secundo, quia

iuxta doctrinam Vasquii, 1 p., disp. 94, cap. 3, Christus Dominus merita sua, nec precibus, nec gratiarum actione ita offerre potuit pro antiquis patribus, ut esset causa electionis horum potius quam aliorum, idemque censendum est de meritis Beatae Virginis. Hinc ergo facile deduci potest discrimen eorum hominum, qui ante Virginem Mariam exstiterunt, et eorum qui post ipsam, in ordine ad merita ipsius Virginis: siquidem pro hominibus, qui post Mariam exstitere in rerum natura, necessaria fuit applicatio meritorum ipsius Virginis facta ab ipsa singillatim, non quia ea applicatione indigerent illa merita, nam secundum se, ex natura rei merita Mariana aptissima erant, et sufficientem condignitatem secum adsportabant, ut Deus pro illis ea omnia dona hominibus largiretur, quae de facto contulit; sed propter speciale decretum Dei, quo praefinierat nihil gratiae alicui ex his, qui post B. Virginem nati sunt, impendere, nisi ipsa Virgine flagitante, et precibus extorquente. Verum pro antiquis patribus, qui ipsa Virgine Deipara priores fuerunt, non ita se res habuit, quia nulla poterat esse specialis applicatio meritorum Mariae, quae ipsam donorum collationem non supponeret; sed tamen omnia illa dona ex meritis non solum Christi, sed etiam Deiparae, illis obvenerunt, quia decretum efficax collationis donorum in patres antiquos, non antecessit praescientiam meritorum Mariae, sed ipsam potius subsecutum est: unde per haec merita iam praescita Deus induci potuit ad decernendam illorum donorum collationem.

1717. Percontaberis, an iustitia originalis Adae collata in statu innocentiae fuerit ex meritis Mariae Virginis. Profecto qui id denegant meritis Christi Domini, multo potiori iure denegabunt meritis Marianis; unus ex his est Sotus, lib. 1 de natura et gratia, c. 6. Qui vero docent Adamum accepisse iustitiam originalem per fidem Christi venturi, ex ipsiusque meritis, non minori probabilitate tueri possunt id de merito congruo B. Virginis. Et quidem, Adamum veram habuisse fidem Christi Domini probat Suarius, de Incarn. q. 1, art. 3 in Comment.; ideo forsan vocat D. Hieronymus Adamum vatem primum, qui de Christo prophetavit, et D. Thomas 2 2, q. 2, art. 7, docet, primum hominem ante peccatum habuisse explicitam fidem Incarnationis Christi. Ex quo fit, Adam cognovisse Christum ut viam et medium, quo gloriam sibi comparaturus erat; credidit ergo in Auctorem gratiae sibi collatae. Ex quo ulterius eadem probabilitate colligi potest, Adamum praeditum fuisse cognitione B. Virginis, ex qua Christus nasciturus erat post longissimam generationum seriem. Ex eo itaque fides Christi est necessaria ad salutem, quia per Christi merita gratiam omnes consequimur; sed haec fides fuit Adae necessaria ad salutem, ut docet D. Thomas cit.; ergo per eam fidem adeptus fuit iustitiam originalem; atqui Deus statuit, ut quidquid hominibus distributurus est, sit impetrante Maria, ac per ipsius meritum congruum praevisum; ergo Adamus est consecutus iustitiam orginalem per meritum congruum B. Virginis praevisum: nihil enim nos cogit ad excipiendum ex hac generali regula, primam primorum parentum iustitiam originalem. Prima itaque gratia accepta fuit a primis parentibus per fidem Christi, ipsiusque Matris, sive explicitam et perfectam, sive implicitam et imperfectam. Haec autem fides Christi, eiusque Incarnationis, non erat nisi in ratione capitis, a quo omnis gratia in humanum genus erat promanatura, non vero in ratione Redemptoris, ac proinde independenter ab omni peccato. Vide Vasquium, tom. 1 in 3 p., disp. 12, c. 1; ubi rationes quas ibi proponit, probant Christum Dominum meruisse Adamo iustitiam originalem, tametsi ille c. 2 oppositam assectetur sententiam.

CERTAMEN II.

Meruit nobis Virgo Deipara gratias omnes excitantes, adiuvantes, ac dona omnia iustificationem subsequentia.

1718. Constanter affirmo omnia gratiae auxilia excitantia, cooperantia, hominibus exhibita, ut se ultimo disponant, et praemuniant ad gratiam iustificantem obtinendam, esse effectum primo meritorum Christi, deinde meritorum B. Virginis. Haec enim omnia statuit Deus per merita Christi tanquam condigna, ac per merita Matris tanquam congrua nobis distribuere, ut infra ex Patribus ostendemus. Nunc unum exhibeo s. Cyrillum Alexandr., hom. contra Nestorium, ita fantem cum Deipara: *Per te omnis creatura idolorum errore detenta conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles omnes ad sanctum baptisma pervenere.* Et quemadmodum primus parens Adamus ob sua demerita in omnes posteros invexit omnis gratiae privationem, omnisque auxilii divini; ita Virgo Deipara haec omnia nobis suis meritis impetravit; non enim putandum est, Adamum potentiorem ad malum exstitisse in ordine ad posteros, quam Mariam ad auxilia gratiae in ordine ad nos.

Hinc primo inferes, meruisse B. Virginem omnibus adultis omnes dispositiones ad gratiam: haec enim dona supernaturalia per gratiam excitantem et adiuvantem conferuntur; ideo Porta lucis fulgida, ac caeli fenestra, ab Ecclesia compellatur. Huc revoca applicationem mediorum omnium, quibus homo consequitur primam gratiam; haec autem applicatio mediorum seu meritorum Christi, fit vel ex dispositione operantis, ut per contritionem, vel ex opere operato, ut per susceptionem sacramentorum; sed quocunque modo id contingat, haec applicatio est maximum Dei donum ad salutem multum conducens: ergo fit per merita B. Virginis. Apte in rem nostram Richardus de s. Laurentio, lib. 1 de laudibus Virg., cap. 4, ex eo vocari gratia plenam ait: *Haec plenitudo consistit in duobus, in plenitudine dignitatis, et sanctitatis. Plenitudo dignitatis in hoc attenditur, quod ipsa est Mater Dei: ideo se comparat cedro, quae altitudine omnes transcendit arbores; sic et ipsa omnes homines. Plenitudo sanctitatis, in hoc quod non solum sancta est in se, sed et alios sanctificare*

potest, et a peccato sanare. Quem sensum ex s. Hieronymo potuit eruere Epist. de Assumpt., ubi haec habet : *Ob quod Dei Genitrix electa et praeelecta, iure ab Angelo gratia salutatur, et praedicatur plena. Vere plena, per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura.*

1719. Inferes secundo, Deiparam congrue meruisse, non modo quoad sufficientiam omnibus hominibus omnia dona gratiae, sed etiam electis quoad efficaciam meruisse specialia auxilia et dona, per quae infallibiliter salutem consequerentur. Id enim concedunt Theologi merito condigno Christi; ergo idem proferendum de merito congruo B. Virginis, iuxta infra dicenda ; quod insigniter confirmat Iudae casus, et Latronis conversio ; plures enim ex Doctoribus id tribuunt, quia pro bono Latrone, et reliquis Apostolis preces suas interposuit Deipara, non pro Iuda. Idem asserit Iustinus M., q. 23 ad Orthodoxos de Christi oratione illa: *Sanctifica eos in veritate*, nempe non fuisse pro Iuda ; fuit enim efficax, sed pro reliquis Apostolis. Sicut ergo aliter oravit Christus pro hominibus in genere, aliter pro Petro et aliis; et quidem pro omnibus passus est sufficienter, pro aliquibus quoad efficaciam, quia ipsis solum applicuit efficaciter sua merita: ita Virgo Deipara pro aliquibus specialiter preces fudit, et propter Christi merita infallibiliter consecuta est effectum; recte enim sciebat, non omnes esse electos ; unde non aliter per Christi merita, et suas preces pro illis offerebat, nisi prout sciebat Dei voluntatem esse, ut illi infallibiliter consequerentur aeternam salutem, non vero alii; in quo se Dei voluntati conformabat. Ex quo igitur tempore, illud potentissimum B. Virginis *Fiat*, opus omnium praestantissimum, nempe Christi Incarnationem, mundo invexit, et absolvit; tanti habitum est Mariae *Fiat* in coelo, ut nihil gratiae, aut donorum a Deo in homines derivetur, ad cuius expeditionem non interveniat B. Virginis *Fiat*: si vero huius tantae Imperatricis *Fiat* semel obtineas, quaecunque a Deo dona poposceris, obtinebis.

1720. Inferes tertio nobis etiam B. Virginem promeruisse omnia dona gratiae primam iustificationem subsequentia. Haec enim auxilia sunt veluti connaturalia ipsi gratiae, sicut concursus ad operandum est debitus cuicunque facultati, et cadunt sub idem Marianum meritum, sub quod cadit ipsa prima gratia : sicut ergo Virgo Deipara nobis primam impetrat gratiam, eiusdem etiam conservationem impetrat. Omnia igitur gratiae auxilia subsequentia gratiam iustificantem, nobis impetrante Maria impenduntur; ut enim alibi ostendo, B. Virgo attingit sua cognitione quidquid Deus videt, scientia visionis, ac proinde omnes homines, illorumque cogitationes, pericula, discrimina, calamitates praevidet, et contemplatur ; ergo poterit suffragatione et interventione sua illis auxilia ferre ; neque enim piissima Mater aequo animo ferre posset, hominum necessitates mentis oculis intueri, quin illis remedium adhiberet, praecipue cum possit. Quid, quod omnium hominum curam suscepit? ex quo tempore ipsorum Regina ac Mater effecta est, ut contemplatur Idiota, lib. de contemplatione Virginis in Prologo: *Sicut est omnium Regina, sic omnium Advocata et Patrona est, et cura illi est de omnibus.* Et firmari potest ex eo, quod Angeli custodes idipsum praestant pro illis, quorum cura ipsis a Deo demandata est; ergo multo potiori iure id de Maria asserendum est respectu omnium hominum. Praeclare in rem praesentem s. Bernardus, serm. 1 de Assumpt. Mariae, ait : *Ascendens in altum dabit ipsa quoque dona hominibus : quidni daret? siquidem nec facultas deesse poterit, nec voluntas. Regina caelorum est, misericors est, denique Mater est Unigeniti Filii Dei.* Et Richardus Victor. ad illud Cant., *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli : A Deo*, inquit, *pietate replentur ubera tua, ut alicuius miseriae notitia tacta, lac fundant misericordiae, nec possis miserias scire, et non subvenire.*

In regis curia pleraque sunt consilia, utique Italorum, Arragonum, Castellae, Ordinum, belli, rei familiaris, Indiarum, et a secretis : unusquisque pro re sua illorum auditores adit, sollicitat, precibus urget, ut rem suam agant : ultra hos regis consiliarios, solet esse vir primarius ita regi familiaris et coniunctus, ut nihil consiliarii expediant sine illius ductu ac consilio. Eadem ratione in regni caelestis curia unusquisque hominum habet Angelum custodem, in sui custodiam et munimen destinatum; quaelibet provincia gaudet patrono, ac suarum rerum advocato, unaquaeque virtus suo tutelari. At ob specialissimum Regis caelorum privilegium Maria super omnes constituitur, omnibus praeest, omnibus suffragatur, nihilque gratiae expeditur in coelesti Curia, non interveniente Maria : *In omni gente, et in omni populo primatum habui*, Eccli. 24, 9. De hoc Mariano primatu scite expendit Hugo Cardinalis : sicut apud nos reperiuntur honores primarii, sive praefecturae, ad quas confugiunt in gradu appellationis ex dioecesibus inferioribus; sic Deus primatum contulit in Mariam, erga Angelorum et hominum rempublicam, ut cum Deus nobis poenas et calamitates infligit, aut aliquo laboris et afflictionis gravamine nos onerat, Marianum omnis mansuetudinis Tribunal adeamus, ut nos protectionis suae suffragio indemnes servet, a Deoque aequissimo iudice veniam exoret, remissionem extorqueat. Audi Hugonis verba: *Inter omnes Sanctos, et omnes Angelos principatum obtinui, et sicut ad primatum recurritur pro omni gravamine et afflictione, ita ad me recurrant omnes homines.* Ob hunc praefecturae primatum vocat B. Virginem s. Damascenus, orat. 1 de Nativ. Virg., *Vitae antistitem.* Cuius primatus beneficio pinguissimo, hanc unam pensionem, et onus imposuit Deus, nempe ut omnium hominum saluti prospiceret, omnibus suffragaretur. *Quocirca*, inquit Damascenus, *vitam natura praestantiorem Deo habebis, ob quem in vita prodiisti, ut orbis universi salutis administram te praeberes.*

1721. Ulterius quae diximus de gratia iustificante, intelligenda sunt etiam de habitibus infusis, de virtutibus theologicis et moralibus, quae gratiam comitantur, tum de donis Spiritus sancti; quae enim supra adduximus ad probandum, primam gratiam dari hominibus per meritum B. Virginis congruum, eadem probant, hos omnes habitus infundi nobis per eiusdem meritum post Christum. Aliqua etiam conferri solent auxilia extraordinaria, et uberiora aliquibus hominibus, solum ex voluntate Dei sine merito suscipientis; sicut ergo verum est, exhiberi illa ex meritis Christi Domini, ut probat Suarius, de Incarn. disp. 41, sect. 3, eadem ratione censeo illa concedi, impetrante B. Virgine, ut aeque probant superius adducta. Donum etiam perseverantiae, effectus item est meritorum Mariae post Christum: hoc enim donum claudit singularia auxilia per quae iustus infallibiliter in gratia decedet; at hanc auxiliorum seriem ostendimus provenire a Virgine Deipara. Et confirmari potest, quia hoc donum est praecipuum ad consequendam beatitudinem: ergo cum B. Virgo nobis aeternam promeruerit felicitatem, ut diximus, etiam donum perseverantiae per eiusdem merita electi nanciscuntur. Eisdem fundamentis probandum, augmentum gratiae et gloriae, et actus ad illud augmentum conducentes B. Virginem nobis de congruo promeruisse; sicut enim Christus tanquam caput influit in membra, ut ait concilium Trident., ses. 6, c. 16, ideoque id augmentum nobis de condigno promeruit; atqui B. Virgo est huius corporis mystici collum; ergo per illud omnes influxus gratiae, et augmentum ipsius in membra derivari necesse est, ac proinde propter ipsius congrua merita. Idemque dicendum de remissione poenae temporalis, quae nobis tribuitur propter actus satisfactorios, et de remissione venialium culparum: item de remissione poenae in animabus Purgatorii, quae etiam provenit ex impetratione et merito Mariae, quando poena vel remittitur, vel minuitur ex applicatione indulgentiarum, vel satisfactione bonorum operum, quae a vivis applicantur. Poena vero, quae remittitur, vel potius solvitur per condignam satis passionem animarum in Purgatorio existentium, non est effectus impetrationis B. Mariae, quia neque est effectus meritorum Christi; ibi enim animae solvunt quantum debent poenae, nisi forsan quando remissius cum ipsis agitur, et puniuntur citra condignum. Demum gratiae sacramentales, sacramentorum characteres, et spirituales potestates, haec omnia, et quidquid gratiae per sacramenta *ex opere operato* nobis confertur, fit per merita B. Virginis, quia sacramenta omnem suum effectum sortiuntur ex meritis Christi de condigno, adeoque ex meritis congruis B. Mariae.

Nec mirum alicui videri debeat tot nobis, ac tanta dona Virginem Deiparam promeruisse, quippe ex infinita Maternitatis Dei dignitate sumi potest ratio efficacissima ad valorem meritorum Mariae exaggerandum; ea enim est Matris Dei sublimitas et excellentia, ut, si cum praemio componatur, quo Deus merita Mariana remunerat, adhuc supersit in ipsius meritis condignitas, ut nobis gratiae dona etiam de condigno promereri possit. Quia de facto merita Virginea solo praemio finito afficiuntur; ergo infra dignitatem Matris Dei, sicut de meritis Christi Domini cum proportione Theologi loquuntur; ergo remanet in meritis Virgineis condignitas ad maius praemium, quod nobis impendi possit, ut bene probat Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disp. 96, et amplius roborari potest; siquidem ratio, ob quam iustus homo non potest aliis mereri quidquam de condigno, ea est, quia meritorum ipsius condignitas tota exhauritur de facto praemio gratiae et gloriae, quod ipsi merenti dilargitur; sed condignitas meritorum B. Virginis, qua Mater Dei est, exhauriri nequit praemio finito sibi a Deo collato; ergo superest in Virgineis meritis condignitas ad promerenda nobis gratiae dona; praecipue cum dignitas Matris Dei non solum a Deo destinata fuerit in proprium ipsius B. Virginis commodum, sed etiam in hominum emolumentum; ideo eam ss. Patres passim Patronam, Advocatam, ac Mediatricem praedicant. Haec igitur Maternitatis Dei dignitas radix est, ac fons omnium donorum et gratiarum B. Virginis, cui innumerabiles aliae adnectuntur. Bene Bernardinus: *Ex qua, velut ex Divinitatis oceano, omnes rivi gratiarum promanarunt.*

CERTAMEN III.

Quidquid nobis Christus meruit de condigno, cadit sub meritum congruum B. Mariae.

1722. Opinantur aliqui gratiam Dei latius patere, quam gratiam Christi, et consequenter quam eam, quae ex meritis B. Virginis exhibetur. Primo, quia gratia Angelis communicata, neque fuit gratia Christi, neque ex meritis B. Virginis. Secundo, gratia, quae collata fuit primis parentibus in statu innocentiae, non fuit gratia concessa propter Christum, ideoque neque ex meritis Mariae. Tertio, aliquae gratiae exhibentur hominibus lapsis, quae neque sunt ad salutem animae, neque ad bonos mores, sed vel ad scientiam naturalem, vel ad aliud naturae commodum, ut quod Deus Aristotelem aliqua peculiari gratia donaverit, qua scientiam rerum naturalium apprime calleret, quod Apelles in pingendi arte prae omnibus polleret; et sic de aliis: hae enim gratiae videntur non fuisse collatae ex meritis Christi, atque adeo neque ex merito congruo Mariae: non enim Christus passus est, ut boni philosophi, vel pictores evaderemus, sed ut sancti; ideoque gratia, quae confertur non ad recte vivendum, non provenit ex meritis Christi, nec B. Virginis: quod aperte docere videtur s. Augustinus, Epist. 90, 91 et 105; ergo iam datur aliqua gratia, quae sit gratia Dei, et tamen non sit neque ex meritis Christi, nec B. Virginis. Quarto, demum probatur, quia gratia ipsi Christo, Beataeque Virgini collata non fuit ex meritis Christi, non enim ipsam sibi meruit; ergo neque fuit ex meritis

B. Virginis : gratia etiam prima B. Virgini collata non fuit ex merito B. Virginis, quia, ut diximus, gratia prima, seu principium meriti non cadit sub meritum.

Multo tamen verius censeo de facto, et secundum legem statutam, omnem gratiam conferri per merita Christi et B. Virginis, sive Angelis sive hominibus, in quolibet statu: et quidem de Angelis in superioribus ostendimus; de quo etiam Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 42: de hominibus in statu innocentiae diximus Certamine 1 huius Palaestrae. Idemque dicendum arbitror de qualibet gratia gratis data, vel speciali auxilio ad scientias naturales assequendas; licet enim eiusmodi gratia non semper conferatur ad salutem animae consequendam, multum tamen conducit ad utilitatem Ecclesiae, eiusque splendorem, ac proinde redundat in maximum Christi, eiusque Matris honorem, praecipue cum omnis haec gratia cadat recte sub infinitum Christi meritum, et sub sublime B. Virginis, ut hac ratione maior hominum erga Christum, eiusque Matrem amor excitetur, ipsiusque Virginis honos gloriosius eluceat, magisque ipsius cultui devinciamur, cum nullum sit auxilium, nulla gratia, nullus favor, qui non dicat habitudinem primario ad Christum tanquam ad causam principalem meritoriam de condigno, et ad Virginem Deiparam tanquam ad causam meritoriam de congruo. Hic autem non est sermo de gratia Christo, et B. Virgini collata in instanti conceptionis, neutra enim cecidit sub meritum Virginis, nec gratia Christo collata fuit ex meritis Christi; bene tamen gratia prima collata B. Virgini. Gratia ergo specialis requisita ad omnes scientias acquisitas copulative est gratia Christi, et confertur etiam ex meritis B. Virginis; sicut etiam gratia requisita ad omnes practicas veritates morales, ad referendos actus bonos morales in finem supernaturalem, ut ad actum studendi logicae et aliis scientiis propter Dei gloriam, ad vincendas graves tentationes, et unamquamque earum, ad vitanda omnia peccata mortalia contra legem naturalem, et ad servanda omnia praecepta legis naturae, ad diligendum Deum super omnia, ut auctorem naturae et gratiae.

1723. Percontaberis, utrum conservatio vitae uniuscuiusque hominis sit ex meritis de congruo B. Virginis. In qua re praemitto cum communi Theologorum sententia, primum creationis donum non esse adscribendum meritis Christi Dei, solam inter omnes homines excipio primam B. Virginis formationem, quae, ut alibi ostendimus, fuit singulariter ob merita Christi: reliquorum autem hominum prima productio naturalis sub Christi merita non cecidit. Vide Salazarium, de Conceptione c. 20. Deinde conservatio vitae cuiuslibet hominis, universim loquendo, est beneficium quoddam ad gratiam externae protectionis spectans, quodque sub nomine auxilii sufficientis extrinseci venire potest, adeoque dicenda est gratia collata ex meritis Christi: et quidem nemo eat inficias, plurimos vitam propter Christi merita prorogasse, ut patet in his qui Sanctorum precibus, diuturniorem vitam adepti sunt, et passim sacra Volumina filiis propter observantiam in parentes, aliisque iustitiam et aequitatem colentibus, longioris vitae prorogationem promittunt. Rursus, illa vitae conservatio, quae cum aliquo beneficio, sive gratia per Christum parta coniungitur, qualis est conservatio pueri usque ad baptismum, et etiam peccatoris usque ad iustificationem, imo et cuiuscunque hominis usque ad operationem aliquam honestam, sub meritum Christi cadit; singulare enim beneficium existimandum est, quod vita tunc tot cincta discriminibus incolumis servetur; cum vero respectum dicat ad aliquod donum ob Christi merita comparatum, asserendum est, esse gratiam Christi. Ulterius roboratur hic dicendi modus, quia simul atque primus parens deliquit, ac reliqui posteri peccatum primi parentis contraxerunt, merito eos Deus vita privare posset, ut de facto plures antequam baptismo tingantur, morte mulctantur, quorum mors iuxta Augustinum peccato originali imputanda est; ergo quisquis a morte liber evasit, ex singulari Dei beneficio id nactus est; non enim est donum debitum naturae, nulla enim naturalium causarum series ita sibi constans, ut sine praeiudicio naturae mutari non possit, cumque omne donum naturae indebitum sit ex meritis Christi, etiam talis vitae conservatio in Christi merita erit referenda. Quare censeo vitae naturalis prorogationem ac conservationem, meritis de congruo B. Virginis adscribendam esse. Probatur ratione saepius repetita, quia quidquid Christus Dominus de condigno meruit, id omne Mariae merita congrua nobis impetrarunt: si ergo condigne vitae naturalis conservationem Christus hominibus emeruit; ergo eiusdem vitae conservationem merita Mariana hominibus pepererunt. Quisquis ergo de vano syderum adspectu vitae longitudinem auspicaris, hanc fallibilem astrorum observationem a te procul arce, hanc unam adspice Stellam, voca Mariam, vitamque in plurimos annos protendes.

1724. Guilielmus apud Delrio in Cant. in illa verba: *Pasce haedos tuos*, nihil ponet in Christo de merito condigno, quod Marianae suffragationi deneget, ait enim: *Recte hi vocantur, licet peccatores sint, haedi Mariae; tum quia Psalmus in persona Christi, qui delictum non fecerat, sed delicta venerat purgare, dixit: Longe a salute mea verba delictorum meorum; tum quia Propheta alius ait: In sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, Zachar. 9. Vinctos eius dixit, non quos ipse vinxerat, sed quos solvere venerat; tum quia medicus usitato sermone vocat aegrum suum, non quem ipse fecit aegrum, sed quem suscepit curandum. Sic piae Matris haedi vocantur, non quos ipsa facit, vel vult esse haedos, qui statuantur ad sinistram, sed quos magis magisque convertit in oves ponendos ad dexteram.* Mariae ergo suffragio haedi in agnos convertuntur ad dexteram ponendi, lacte suo aliti. Et quidem sicut Filius Patri reconciliavit

peccatores; ita Genitrix Maria Filio eosdem parturivit intercessione. Sic fatur s. Ephraemus, orat. ad Virginem: *Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro Filio tuo; Tu captivorum redemptio, et omnium salus. Ave, Mediatrix gloriosissima: Ave, universi terrarum orbis reconciliatrix.* Sed qua veritate et quo sensu theologico dicatur Virgo Deipara Redemptrix orbis, late disseram infra in speciali Palaestra. Itaque quod Christi sanguis operatus est apud Patrem aeternum, hoc idem apud Filium praestat lac Marianum. Filius sanguine suo Genitorem placat, ac rebelles homines Deo reconciliat, ac velut toxico quodam tartareas Potestates interemit. Mater lacte suo Gnatum placat, contumaces homines in Filii sui gratiam reddit, ac saevum prostravit Daemonem, sicut olim Iahel trucem bellatorem Sisaram, Iudic. 5: *Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.* Id potiori titulo de Virgine Matre concines. Quemadmodum ergo sanguis Christi omne in nobis delictum emaculat, pravos peccatorum assultus consopire facit, viresque addit, ut anima eiusmodi hostes, qui in nos arma ministrant adversariis, edomet, prosternatque: sic Virgineum lac, id est merita Mariae ob Maternitatem, et lactationem Filii Dei parta, nobis novos animos suggeret, ut potestates omnes ac principatus truculentos subiugemus, ac indomitos affectus, qui militant adversus nos, devincamus ac funditus evertamus. Quidquid enim Christus meritis condignis promeruit nobis, Dei Genitrix congrue nobis ipsis comparavit. Huc respiciebat Arnoldus Carnotensis in tractatu de laudibus Deiparae, tom. 6 Bibliothecae PP., dum ait: *Habet homo Mediatorem causae suae Filium ante Patrem, et ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt, et orant omni lingua disertius haec clementiae monumenta, et charitatis insignia.* In hoc Marianum lac oculorum obtutum defigebat Isaias, c. 55, verbis illis: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite et emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac.* Invitantur iuxta Lyram omnes nationes, ut vino sacratissimi cruoris Christi reficiantur, quo hausto, omni moerore depulso, aeternam felicitatem nanciscantur. Rursus ad lac sugendum vocantur, videlicet ut non modo ad Christi vulnera oculos intendant, sed et ad Matris ubera, ut lactentur ab ubere, et a cruore satientur; imo sicut Pater aeternus ad Filii vulnera respiciebat, ait Arnoldus citatus, tract. de 7 verbis Domini, ut sontibus veniam impertiretur; ita Filius ad pectus Matris et ubera intendens, delinquentibus parcit, quia, ut inquit Bernardus, serm. 2 de nativ.: *Redempturus humanum genus pretium universum contulit in Mariam.* Non quod Maria passa fuerit, vel crucifixa pro humani generis salute; nec enim purae creaturae operibus quantumvis excellentibus delicta penitus aboleri possent; sed praeter virtutem sanguinis Christi de condigno nos emundantis, opus fuit lacte Mariano, quo nobis Deipara congrue omne bonum emeruit, imo virtus sanguinis Christi in ubera Mariana veluti transfusa fuit a Filio, auctore Bernardo serm. de aquaeductu: *Altius*, inquit, *intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria.* Universum itaque bonum ex condignitate inest sanguini Christi propter infinitam personae sanctitatem; ex congruitate tamen et decentia, et propter Filii ordinationem et beneplacitum inest etiam uberibus Mariae, ipsiusque meritis. Quod mehercle speciali ac altissima Dei providentia factum est, nempe quia infantibus ac parvulis, Christi sanguis instar vini meri ac vetustissimi futurum erat, illud lacte attemperavit. Quocirca omnes advocat Isaias omni metu semoto, quia qui fortis ac robustus est, pascatur a vulnere, sanguinem ebibat; qui vero infantulus et pusio terrore tanti Dei correptus, lac sugat ab ubere Mariae.

Sapienter s. Thomas in praefatione expositionis Epist. Canon. ait: *Deipara dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiae, cuius Filius Rex est iustitiae.* Itaque B. Virgo ab aeterno destinata in hunc finem, ut quidquid gratiae mortalibus confertur, illius impetratione donetur, sicut quidquid gratiae hominibus impertitur, ex merito Christi condigno conferri decretum est infallibile. Et in verba Estheris c. 7, n. 3, subdit Doctor angelicus: *Traditi enim eramus ut iugularemur, in corpore periremus, et in anima contereremur; id est simul iugularemur, corporaliter periremus, spiritualiter contereremur, id est continue tereremur aeternaliter. Sed Esther regina, id est Virgo B. placuit in oculis Regis ad restaurationem generis humani, et invenit gratiam coram eo, non solum pro se, sed pro toto humano genere.*

CERTAMEN IV.

Nullum bonum a Deo in nos dimanat non impetrante Maria.

1725. Firmissime tenendum censeo nihil boni in nos conferri, quod non sit per Virgineorum manuum tubulos transfusum. Quod placitum suadetur ex Patribus, quorum locutionibus, et praesens thesis stabilitur, et praeteritae novitus roborantur. Praeeat s. Damascenus in orat. 2 de Assumpt. Virginis, ubi sic Virginem loquentem inducit: *Quicunque morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum obliterationem, et in universum quicunque bonum aliquod sitit, cum fide ad me veniat, et ex ea gratia, qua plena sum, hauriat. Quemadmodum enim aquae, terrae, aeris, ac splendidissimi solis actio simplex licet, atque una sit, varie tamen, et accommodate ad earum rerum, quae ipsius participes fiunt, natura immutatur, fitque in vinea vinum, in olea oleum*, etc. *Ad eundem modum gratia quoque, quae in me est, quamvis una sit, varie tamen et con-*

gruenter ad uniuscuiusque utilitatem eos, a quibus accipitur, beneficiis afficit. Vis rationis, qua utitur Damascenus, in eo sita est, ut sicut omnia sublunaria ab elementis et a sole suum qualecunque esse et incrementum recipiunt, sic nos singula bona dependenter ab una Maria recipimus. Quam rationem confirmat Gregorius Venetus in Harm. Cant. 1, ton. 4, c. 38: *Non abs re*, ait, *lunae assimilatur Mater illa omnium gratiarum plena, quae ea, quae a supernis fontibus per diversos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium dispositione.* Sicut ergo omnis caelestis influxus in sublunaria a luna immediate derivatur; ita nihil boni e caelo delabitur, nisi impetrante Maria. Sicut ergo astronomi, et medici, et agricultores periti lunae motum, decrementa et incrementa, crises, et alia contemplantur, et observant ad eclipses, ac rerum futurarum divinationes, ad insitiones arborum, plantationes, sectiones, medicamentorum usum, nihilque ea inconsulta praestant; ad eum modum et nos imperitiae, et imprudentiae merito coarguemur, si quid vel aggredi, vel intendere, vel conari voluerimus, quin prius hanc Ecclesiae lunam Mariam consuluerimus, eiusque motum, nutumque exspectaverimus, cum sit compertum, nihil gratiae, nihil auxilii, nihilque boni ad nos defluere, renuente Maria. In hunc sensum versat D. Bonaventura, serm. 2 de Domin. in Pass., verba illa Cant. 8: *Pone me ut signaculum super cor tuum;* ait ergo Bonaventura: *Cum homines soleant credere sigillo, quare vos non creditis sigillo Maternae Virginitatis?* etc. *Sub hoc sigillo per Christum, et per Evangelium suum, tanquam per literas regales, sententia mortis aeternae revocata est. Digitus Dei Spiritus sanctus dicitur: annulus huius digiti donum est Spiritus sancti, quo impressa est Virginitas Mariae.* Nihil est in rebus humanis adeo firmum et stabile ac ratum, quam regales literae Regis inscriptione, et regio sigillo munitae: at B. Virgo est sigillo Spiritus sancti munita, in qua et per quam tanquam per regales literas Dei ipsius sigillo impressas, peccatoribus venia, et omnia hominibus bona promittuntur: has tibi schedulas regales comparare contende, omnique in B. Virginem obsequio nancisci stude; sic enim ratam ac firmam peccatorum veniam consequeris, ac bonorum omnium affluentia exundabis.

Luculentius stat pro nobis Germanus Patriarcha Constantinop., orat. de Zona et fasciis Deiparae: *Nullus*, inquit, *est, qui salvus fiat, nisi per Te, o sanctissima; nullus est qui liberetur a malis, nisi per Te, o purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per Te, o castissima; nemo est, cuius misereatur gratia nisi per Te, o honestissima.* Cui adstipulatur Divus Bonaventura, in Speculo: *Gratia enim Mariae colligit malos, impinguat bonos, liberat universos.* S. Petrus Damianus, serm. de Annunciatione, Mariae tribuit post Christum, totius nostrae salutis negotium. *Per ipsam*, inquit, *cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil re-*

fectum sit. Hinc etiam Deipara passim a Patribus, aquaeductus nomine, scalae, colli, ac portae donatur, quae in universum omnia dona per Mariam nobis obvenire satis demonstrant. Explicatius tamen omnibus rem hanc tradidit mellitus Bernardus non semel; ait itaque ser. de Nativ. Mariae: *Totis medullis cordium, totis quidem praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia est haec voluntas Domini, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Ubi decretum infallibile supponit, ut nihil a Deo in nos conferatur doni aut gratiae, quod Mariae precibus, ac meritis non debeamus. Sermone item 3, in vigilia natalis Domini ait: *Sed quia indignus eras; cui donaretur, datum est Mariae, ut per illam acciperes quidquid haberes.* Serm. etiam de nativ. Mariae: *Si quid spei, si quid salutis, si quid gratiae in nobis est, ab ea noverimus redundare.* Ubi nihil excipit boni, quod nobis non impendat Deus, et non derivetur in nos per Mariam. Si vero dixerit aliquis, unius Christi merita sufficere, ut omnia gratiae auxilia nobis conferantur, sine ullo B. Virginis merito de congruo, atque adeo id omnino superfluum; occurrit Bernardus ser. de Assumpt. Virg.: *Ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Iesus, sicut omnis sufficientia nostra ex ipso est; sed bonum non erat nobis, hominem esse solum; congruum magis erat, ut adesset nostrae reparationis sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.*

1726. Hunc beneficentiae Marianae sinum protendi etiam ad dona naturalia, et beneficia cuicunque creaturae concessa, qualia sunt conservatio ad existendum, concursus ad operandum, facultas ad potiendum bonis naturalibus, haberi per Mariam docet noster Iulius Caesar Recupitus, lib. 6 de veritate, quod recte colligit ex aliquibus Patrum locutionibus; ait enim sapiens Idiota, lib. de contemp. Mariae in prolo go, illi curam esse de omnibus. Quod suffragio suo confirmant Albertus Mag. super *Missus est;* s. Antoninus, 4 p., tit. 15, c. 14, § 3; Bernardus, serm. 4 de Assumpt., dum aiunt: *Latitudo misericordiae eius replevit orbem terrarum, ut eius quoque misericordiae plena sit omnis terra.* Et D. Bonaventura in Speculo c. 8: *Quis est* ait, *super quem sol non luceat? quis est, super quem misericordia Mariae non resplendeat?* Unde opportune Albertus cit. vocat Mariam omnium Matrem, cuius lacte nutriantur universi. Ex quibus non abs re subinfert P. Hadrianus Lyraeus in suo Trisagio Mariano, lib. 3, tono 5, parvulos in Limbo degentes experiri etiam munificam huius communis omnium Matris beneficentiam, cum Deus neminem quidpiam consequi voluerit, quod per hos Marianos tubulos prius non transierit, quam utique et cognoscunt, et suspiciunt modo, et in aeternum suspicient, ac utroque poplite flexo venerabuntur; ait enim s. Bernardinus, serm. 15 de fest. B. Mar.: *Tot creaturae serviunt Mariae, quot Creatori.* Et s. Athanasius, ser. de Deipara: *Decet Matrem, et quae Filii sunt, possidere, et ab omnibus adorari.* Et Arnoldus Carnotensis, tract. de laudibus

Virg.: *Quicunque Iesu curvat genua, pronus quoque supplicet Mariae.* Quare postquam extremo iudicio iudicandi comparuerint in perfecta virili aetate, nullis morbis obnoxii, nullis calamitatibus subiecti, optima quatuor humorum temperatura praediti, perfecte sani, omnino impatibiles, nullis deordinatis animi motibus, seu assultibus perturbati, Iudicis ac Matris venerandam maiestatem alte venerando, accepta benigna Iudicis sententia, qua tametsi a caelesti regno exclusi, statum tamen naturae rationali concernentem nanciscentur, vel in eodem loco, quo antea, vel alibi, ubi aura iucunda, ac pura, ac fornice diaphana gaudeant, ac solis, reliquorumque astrorum lumine, collustrentur, ac in iucundissima rerum omnium naturalium, tum praecipue et Creatoris distineantur; ut ex s. Thoma in 2, dist. 33, q. 2, art. 1; Bonaventura in 2, distinct. eadem, art. 3, q. 1; Alexandro, p. 2, q. 105, memb. 10; Marsilio, et Gabriele docet cit. Lyraeus: in eo ergo loco vitam traducent felicissimam, teste eodem s. Thoma, ac multo fortunatiorem, rerum omnium naturalium cognitione perfectissima praeditam, quam in hoc mundo naturaliter haberi posset. Addit Lessius apud eundem Lyraeum divinam benignitatem non defuturam illis ad suam imaginem conditis, qui quidem nulla sua propria culpa a bonis supernaturalibus, meritissime tamen, fuerunt explosi, ad nanciscenda ea bona, quae dignitati et excellentiae illius naturae sunt consentanea, ut suum Creatorem, eiusdemque Parentem laeti et alacres per omnem aeternitatem suspiciant, et venerentur: quorum ope et auxilio illam felicitatem se nactos fuisse aeternum profitebuntur. Cui censioni non parum mihi visus est suffragari totius Theologiae sydus illud fulgentissimum Suarius, dum tom. 2 in 3 p., q. 56, art. 1, disp. 50, sect. 5, sic loquitur de his infantibus: *Et mihi quidem probabile est, hos infantes habituros aliquam cognitionem Christi, eumque tanquam Dominum, ac Principem, et Benefactorem suum veneraturos; nam cum Daemones coacti credant, et contremiscant, et in nomine Iesu, vel inviti genua flectant; isti infantes, qui non habebunt animi deordinationem per odium in Deum, vel desperationem, vel alios pravos affectus, non invite, sed voluntarie subiicientur Christo, quem ex aliqua facti evidentia cognoscent esse dominatorem omnium. Quamobrem licet ipsi simpliciter sint expulsi a regno, et inter damnatos ac reprobos computentur, quoad poenam damni; nihil tamen obstat, quominus a Christo et per Christum acceperint haec beneficia, et conformitatem cum ipso, in his quae ad naturae perfectionem, et convenientem statum naturalem spectant, quibus omnibus bene usuri sunt, et in aliquem honorem, et laudem ipsiusmet Christi.* Ostendimus autem, quidquid a Christo, et per Christum acceperint universi, accepisse etiam per Mariam Matrem eius; unde quidquid hic Doctor profert de his parvulis in ordine ad Christum, recte in Virginem Matrem recidunt, ut probant quae supra ex ss. Patribus produximus.

Instabis, haec omnia Patrum testimonia solum iudicare omnia Dei bona nobis derivari per Mariam, quasi in radice, nempe quia causa exstitit totius boni, cum enixa est Salvatorem, qui caput et origo est omnium bonorum, ac gratiarum per merita sua. Respondeo praedicta ss. Patrum dicta non solum id significare, sed aliquid excellentius intendere, nimirum omnia et singula bona, et auxilia gratiae nobis per B. Virginis impetrationem conferri, quod elegantissime, ac verbis luculentis testatur Idiota, lib. de contemp. Virginis in prologo: *Ipsa est Thesauraria gratiarum ipsarum. Caeteri sancti iure quodammodo patrocinii, pro quibusdam sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia caelesti, quam pro alienis. Beatissima vero Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Advocata et Patrona est, et cura illi est de omnibus, et sic nemo est, qui se abscondat a calore eius, id est a charitate et dilectione ipsius.* Quibus verbis in eo discriminat reliquos sanctos a B. Virgine, quod illi suis precibus plura bona gratiae quibusdam solum hominibus, nempe suis clientibus impetrent: at B. Virgo omnibus omnia gratiae bona a Deo derivat. Ideo Andreas Cretensis illam vocat, commune Propitiatorium. Et D. Bonaventura in Speculo cap. 3, idcirco ait Mariae omnium gratiarum genera fuisse impertita, ut eas omnibus hominibus distribueret. *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, dum omnia charismata intrant in Mariam; flumen enim gratiae Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiae Patriarcharum, flumen gratiae Apostolorum*, etc. *Omnia flumina intrant in Mariam, id est, omnia omnium gratiarum genera intrant in Mariam. Sed quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?*

1727. Apposite Virgo Deipara vere est, et nuncupatur Primogenita, ut iam alibi monuimus. Quia primae proli pater dare debet clavem, et annulum custodiae, causa. l. *cum Pater*, § *Pater pluribus*, ff. de leg. 2: quem textum recte ponderant Bartolus, et Baldus. Unde Deus primogenitae Mariae tradit claves vitae et misericordiae. Habere aureum annulum dicitur, ne quid Deus triste nobis decernat, quod sit authenticum, scilicet sigillo munitum, nisi Mariae sigillo signetur. Clemens Alexandrinus, lib. 3 paedag., c. 11, optabat annulis signatoriis imprimi anchoram, quod faciebat Seleucus rex in signum confidentiae: anchora spei insculpta est in sigillo Deiparae, quia omnibus spem libertatis et veniae pollicetur. Sigillentur haec omnia aureo sigillo Honorii Augustodun. in sigillo apud Delrium in illa verba Cantic. 5: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo;* ait ergo Honorius: *Virgo ostium fuit, per quod Christus in mundum introivit. Pessulum autem erat moles peccatorum, quod ideo ab ea apertum dicit, quod ab Spiritu sancto praeservata: non, sicut caeteri, in peccato creditur concepta; insuper et recte vivendo peccata declinavit, sicque Dilecto ingressus patuit, quia per ipsam ipsa misericordia in Ecclesiam venit. Quotidie etiam peccatorum pessulum removet, et per*

eam ingressus gratiae ad nos venit. Nec mirum; nam et decretum Incarnationis exequi noluit Deus, nisi Virgo B. divinae gratiae subscriberet, ac velut suum candidum calculum adderet. Quare ingeniose Idiota, lib. de B. Virgine, in Prologo, ait: *Quia per ipsam Virginem, et in ipsa, et cum ipsa, et ab ipsa habet mundus, et habiturus est omne bonum.*

Ratione item assertum constabiliri potest, quia id maxime decebat tantam Virginem, nec iniuria aliqua Christi meritis irrogatur, cum Christus haec omnia bona de condigno nobis emeruerit, at Maria congrue, et precum impetratione: omnisque Mariae honor in Christum Filium refunditur; si enim singula bona a Maria in nos derivantur, Filium honoramus, qui tantae Parenti hanc tantam detulit gloriam, ut nos debitores omnium, ac singulorum bonorum uni Mariae post Christum grates ageremus. Praeterea quidquid magnum et excellens, Mariae est adscribendum, dummodo fidei, aut sexui, aut Creatori non derogetur, iuxta Patrum ac Scholasticorum regulam: quod autem Deus hominibus bona omnia impendat per Mariam, non fidei adversatur, nec sexui foemineo, nec Christi meritis quidquam detrahitur, nec Creatoris dignitas in aliquo minuitur; imo in maximam Filii, Matrisque gloriam cedit; ergo id non est denegandum. Belle in rem nostram fatur Theophilus Alexand. in lib. de Incarnat. Verbi, hanc rationem illustrans: *Gaudet Filius orante Matre, quia omnia, quae nobis precibus suae Genitricis evictus donat, ipsi Matri se donare putat, et acceptae ab illa sine patre humanitatis vices reddere.* Sapienter profecto debitum Christi erga Matrem extollit, cum uni Virgini tantum Christus se debere fateatur, quantum alii filii utrique parenti; ac proinde ut hoc meritum compenset ac vincat, quaecunque Mater a Filio exposcit, nobis Filius libentissime impertitur, ratus id omne uni se Matri rependere. Divus etiam Augustinus, lib. de s. Virgine, cap. 6, annuit huic sentiendi modo, ait enim: *Fuit Mater spiritu, non Capitis nostri, quod est ipse Salvator, a quo illa magis spiritualiter nata est, sed plane Mater membrorum eius, quae nos sumus, quia cooperata est charitate sua, ut omnes fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius Capitis membra sunt, corpore vero Mater ipsius Capitis.* Ex quibus verbis ita efformari potest ratio, quae nostram sententiam firmet. Dum in vivis manet Christi corpus, scilicet fideles, quasi in ventre gerit spiritualiter, donec illos caelo pariat; ergo sicut proles dum geritur a matris vulva, eo alimento et non alio innutritur, quod mater scilicet suppeditat: sic corpus hoc mysticum nihil gratiae excitantis, vocantis, cooperantis, quod animae alimentum est, accipit, nisi quod a Mariae precibus derivatur.

Cuius rei ratio *a priori* ea est, nempe decretum Trinitatis volentis Filiae Patris, Genitrici Filii, ac Spiritus sancti Sponsae tantam potestatem tribuere, ut ipsa suis meritis, ac precibus omnia bona hominibus impetraret: quod Dei decretum licet ex Scriptura non constet, satis tamen aperte colligitur ex ss. Patrum locutionibus, quae superius allatae sunt ex D. Bernardo, et aliis. Verba item D. Augustini, ser. de Assumpt., multum conducunt ad praesens institutum, ait enim: *Ubi Scriptura divina nihil de Virgine commemorat, inquirendum est, quid conveniat rationi, fiatque ipsa ratio auctoritas; sine qua neque est, nec valet auctoritas.* Quamvis ergo Scriptura sacra nihil de hoc et aliis innumeris privilegiis, quae iam communi Ecclesiae plausu Mariae deferuntur, commemoret; tamen cum id ratio suadeat, nec fides renuat, nec Creatori iniuria fiat, imo id totum in maiorem Christi gloriam cadat, asserendum est, omnia ac singula bona spiritualia descendere a Patre luminum per merita Christi Domini condigna, et precibus ac impetratione B. Virginis.

1728. Huc revocare possumus quod subnectit Dionysius Carthus. de compassione B. Virginis fatus: *Quia si Paulo dicere licuit ad Colos. 1: Suppleo quae desunt passionum Christi in corpore meo, pro corpore eius, quod est Ecclesia; quanto plus sacratissimae Matri hoc dicere fas est?* Et quidem verius id Mariae aptabis, quia toti generi humano salutem meritis de congruo comparavit, et sicut mors Christi reliqua merita consummavit, quia Deus decrevit nihil hominibus conferre propter alia quaecunque opera, licet alioquin dignissima, nisi morte et passione perficerentur (ita enim Deus statuit), ita etiam cum proportione sit mihi fas affirmare, in gloriam ac decus tantae Matris, passionem ac dolores Mariae hoc sensu complevisse merita Christi, morte ac passione ipsius consummata: non ita, ut merita Christi, eiusdemque mors ac passio non fuerint ex se undequaque meritoria ex condignitate; ita ut merita B. Virginis complementum aliquod, aut valorem intrinsecum meritis Christi morte ac passione consummatis adiecerint; sed dici potest adimplevisse B. Virginem passione, ac doloribus merita Christi Dei passione ac morte sua perfecta, quia statuit Deus nihil nobis donare, quod non procederet ex meritis, ac mortis Christi, et etiam ex praevisione passionis ac doloris B. Virginis, quae traditura erat Filium suum sponte sua in salutem humani generis, tanquam rem suam, ac partem, seu portionem suae carnis ac sanguinis: in quo sensu verba D. Pauli, nec Paulo, nec alicui Sanctorum adaptari possunt; verissime tamen ac singulariter congruunt Deiparae. Cui sensui adfavet Guilielmus in illa verba Cant. 8: *Soror nostra parva est, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostrae, quando alloquenda est?* Ubi Christus alloquitur cum Virgine B. ad reliquos fideles. Inquit ergo Christus iuxta praedictum Doctorem: *Ecce facio quod petis; ignosco eis super hoc, intervenientibus meritis tuis; sed video quod hoc solo contenta non sis, video quid amplius velis; pete quod vis, dic expresse quod velis. Quid faciemus? id est quid vis ut faciamus? ecce in voluntate tua pono quid faciam eis. Non est quod amplius honoretur Mater a Filio: quid ergo faciemus ego et tu sorori nostrae? Ego per auctoritatem, Tu per intercessionem; ego divine ope-*

rando, Tu pie cooperando. Imo Dei dona per hos Virginearum manuum tubulos transfusa multo dulciora, et iucundiora veniunt ad nos, teste D. Bernardino, serm. de B. Maria: *Quae quidem,* ait, *per manus Mariae collata dulcius sapiunt. Et si mihi a Deo daretur, an vellem dona ab ipso fonte sic immediate haurire, ut non per preces et manus Mariae ad me descenderent, sed soli Deo debitor fierem; vel potius vellem eadem bona per hunc caelestem aquaeductum recipere, et Virgini debere id quod gratia Dei essem: ego fateor, genibus flexis instantissime a Deo peterem, ut per hoc coeleste collum divinae influentiae ad me descenderent, ut per eam possem ascendere ad Deum, per quam Deus descendit ad me.*

Ideo erudit nos Christus Dominus ut nunquam oratio nostra ad Deum fiat, quin simul vel tacite auxilium Mariae imploremus, ut securius et suavius postulata bona nanciscamur. Hinc quaerat aliquis, cur Christus Dominus informans nos in re orationis, illam ad Patrem fieri iubeat, Matth. 6: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in caelis.* Idem inculcat Luc. 11. Consultius foret, si ad Spiritum s. preces ac supplicationes nostrae perferrentur, qui gratiarum omnium Scaturigo nominatur: vel etiam ad Dei Verbum, cum factus homo negotium Redemptionis nostrae peregit, adeoque nobis iam sanguinis necessitudine coniunctum aptius in nostra vota descenderet: vel saltem tendant in Deum nostrae preces, quia cum subsistat absolute in tribus Personis, sic nulla Persona praetermittitur, sed triplex exorabitur. Nihil horum, inquit Christus, sed orabitis: *Pater noster, qui es in caelis.* Profecto Patris nomine, aliquid arcani innuitur, quod ad melius opem implorandam conducat. Detexit hoc arcanum Tertullianus, lib. de orat., cap. 2, dum ait: *Sic ergo vos orabitis, Pater noster,* etc. *In Patre Filius invocatur, nec Mater quidem praeteritur: siquidem in Filio et Patre, Mater recognoscitur, de qua constat et Patris, et Filii nomen.* Ac si diceret, omnis Ecclesiae oratio non tendat ad numen sub Dei solius appellatione, non sub Verbi nomine, neque sub Spiritus sancti invocatione, licet omnium donorum elargitor munificus existat; sed sub Patris nomine, quia in Patre Filius exoratur, nec Mater praeteritur, siquidem in Filio et Patre nomen etiam Matris elucet. Noverat utique Christus precum ad Mariam tendentium efficaciam; ut ergo irrita nostra vota non maneant, edocet nos, ut, si velimus bonorum omnium affluentiam facilius ac suavius nobis nancisci, nolimus preces nostras ad Deum solum dirigere, sed media interventione et suffragatione Mariana.

Vidit Elias quondam praeclarum huius rei symbolum in parva illa nubecula bonorum omnium nuntia, III Reg. 18: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Quam Deiparam obumbrasse existimat Ioannes Hierosol., lib. de inst Mona., cap. 32: *Revelavit,* inquit, *Deus Eliae, quod quaedam infantula, scilicet B. Maria per illam nubeculam significata, et instar illius nubeculae per humilitatem parva nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare.* Quo iacto fundamento, ait modo Elias loc. cit.: *Ascende, comede, et bibe: quia sonus multae pluviae est.* Quia ex quo Deipara in lucem edita est, omnium gratiarum scaturigo in homines redundavit, et quidem suavius et placidius, ut pluvia placide e caelo delabitur, terramque foecundat. Bene Albertus Magnus in Luc. 19: *Statim clamat sermo propheticus, et omnis bonorum coetus, quod sonus inundantis est multae pluviae, quia terrestres complevit in gratia et venia; caelestes in illuminatione gloriae; et infernales, scilicet animas in Purgatorio existentes in indulgentia.* Hebraea Lectio luculentius rem nostram declarat: *Impetum,* inquit, *ingentis pluviae.* Vatablus, *Strepitus multitudinis pluviae.* Ex quo enim Maria illuxit in orbe, gratiarum fluenta instar vehementis pluviae, vehementis, ut abundantiam innuant, pluviae, ut facilitatem ac placiditatem denotent, mundum compleverunt.

1729. Dicat aliquis: ut ea quae in assertione protulimus vera sint, opus esset, ut Virgo Deipara omnium hominum actiones, sensa, conceptus ac liberos voluntatis actus introspiceret, omnium etiam necessitates ac pericula praesciret ac dignosceret, ut scilicet nobis postulantibus exoret auxilia, opemque ferat periclitantibus. Admitto totum; et quidem Suarius in 3 p., tom. 2, disp. 20, sect. 4, ait Virginem Deiparam, omnes ac singulas res in Verbo videre, quas omnes simul Beati in illo contemplantur; et subiungit: *Pie quidem et probabiliter colligo, B. Virginem videre in Verbo quidquid Deus vidit scientia visionis, his solum exceptis, quae singulariter ad Christum et ad interioris animi cogitationes spectant, quia cum B. Virgo sit longe inferior Filio, tam beatitudine, quam dignitate, non decet ut sine manifestatione et consensu eius, omnes interiores illius actus cognoscat.* Idem sentit Salazar, tom. 1 in Proverb. cap. 3, num. 178; ubi pro certo definit, Dei Genitricem, omnes homines, omniaque illorum opera, cogitationes liberas, omnes eorundem necessitates, ac discrimina e coelis praevidere. Suaderique potest primo ex D. Thoma, nam quilibet Beatus in Verbo contemplatur omnes actiones, et consilia eorum hominum, qui aliqua ratione ad ipsum spectant, videlicet Religionum fundatores, quae ad suos regulares pertinent. Videatur D. Thomas, 3 p., q. 10, art. 1, ubi haec habet: *Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quae ad ipsum spectant.* Atqui B. Virgini tanquam supremae Imperatrici subiiciuntur omnes homines, imo et Angeli; ergo omnes illi ad Deiparam pertinent, plus quam ad parentes filii, et ad Religionum auctores subditi regulares; ergo Virgo Deipara omnium hominum actiones et cogitationes inspicit in Verbo. Quam rationem insinuat Idiota, lib. de Contemp. Virg. c. 1: *Virgo,* ait, *Maria sicut est omnium Regina, sic omnium Advocata et Patrona est, et cura est illi de omnibus.* Quis autem advocatus ignoret clientum causas? Deinde custodes Angeli, quorum custodiam subeunt, cogitationes, opera ac discrimina norunt, ut communis Theologorum sen-

sus definit; sed Virgo Deipara sollicitiorem curam uniuscuiusque hominis gerit, quam custos Angelus illius hominis, cuius cura ipsi demandata est; ergo potiori titulo inspiciet Virgo Deipara in Verbo omnium hominum cogitationes, actiones, et pericula. *Quis post Filium tuum*, ait Germanus Patriarcha, hom. de Zona et fasciis B. Virginis, *curam gerit generis humani, sicut Tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Tu enim, cum habeas maternam apud eum fiduciam et potentiam, nos tuis interpellationibus ei efficis familiares.*

Hunc sensum amant etiam verba illa Ieremiae 31: *Foemina circumdabit virum.* Quae ex communi Interpretum suffragio de Deipara in sensu literali exponenda sunt. Alibi ad trutinam vocavi verbum illud, *Circumdabit*, innuit enim dignitatem et excellentiam quasi infinitam B. Virginis; omnis enim circularis figura, quae initio et fine caret, infinitum adumbrat. De quo plura Pierius et Drexelius noster, libello aureo de aeternitate. Nunc libet expendere in alio sensu, verbum illud, *Circumdabit*; non enim ex eo solum quod Christum suo gremio circumdedisse, sed etiam quod ad praesens attinet, quia Christi concursum ad reliquas creaturas, veluti obsidione circumdat, et cohibet, ut quasi nequeat Christus influxum aliquem gratiae extra se praebere, quin transeat per Mariam: sicut enim ex centro ad peripheriam nihil egredi quoquo modo potest, quin per circulum immediatiorem centro transeat, ac derivetur; ita omnino nihil caelestis influxus, nihil donorum et gratiae a Christo in reliquas creaturas profluere potest, quod a meritis etiam Marianis non proficiscatur. Vide in Salazario, in Cantic. tom. post., fol. 122, cogitatum Ioannis Pierii Mirandulani.

CERTAMEN V.

Utrum praedestinatio iustorum cadat sub meritum de congruo Mariae.

1730. Electio divina dupliciter considerari potest, vel quatenus est specialis, et efficax sive intrinsece, sive extrinsece praedestinatorum dilectio; vel quatenus efficax illorum prae aliis, quod potius indicat ac praesefert electionis nomen. In hoc ergo Certamine solum est sermo de Praedestinatione, quatenus est electio efficax, sive, ut formalius loquar cum Schola, specialis et efficax praedestinatorum dilectio: nam de Praedestinatione secundo modo sumpta, videlicet, quatenus est efficax horum prae aliis electio, Certamine sequenti fuso calamo est nobis agendum.

Nunc assero, dilectionem efficacem electorum innixam fuisse meritis Christi Domini et Divae Mariae. Cui placito aliquo modo subsidiatur Vasquius in 1 p., d. 94, c. 5, dum contendit, hominem iustum posse esse causam praedestinationis alterius, omniumque effectum praedestinationis, quod pluribus probat; ac proinde si quilibet iustus mereri potest de congruo alterius praedestinationem; ergo et B. Virgo emereri potuit electorum praedestinationem etiam quoad omnes effectus. Suarius e contra in 1 p., lib. 2 de causa Praedestinationis, c. 24, neganti subscribit parti, nempe hominem iustum esse non posse causam praedestinationis alterius. Verum arbitror eum non loqui de B. Virgine; quod si id intendat, omnino displicet; idemque assero de P. Herice 1 p., disp. 29, c. 5, ubi sententiam Suarii assectatur Quidquid autem de his sit, nostrum probatur assertum. Velle efficaciter beatitudinem huic praedestinato, absolute solum includit dilectionem praedestinati, sed Christi Domini merita ac Marianae preces et impetratio potuerunt esse ratio, propter quam Deus diligeret praedestinatos; ergo etc. Quod vero Christus Dominus de condigno, et B. Virgo consequenter ex congruitate meruerint hanc praedestinatorum dilectionem, innuit Paulus cit.: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Et clarius iterum, Ephes. 1: *Qui praedestinavit nos per Iesum Christum in ipsum.* Ubi sermo est de dilectione efficaci, per quem electi ordinantur ad summum bonum consequendum.

Nec obstat, si quispiam dicat, merita Christi et Mariae non fuisse praevisa ante iustorum dilectionem: siquidem in primo signo, quo decrevit Deus Incarnationem, elegit Christum et Mariam simul cum omnibus praedestinatis; ergo non potuit antecedere praevisio meritorum Christi et Mariae, dilectionem, vel praedestinationem iustorum. Id, inquam, non obstat; licet enim simul tempore exstiterint in divina praescientia, ratione tamen antecessit meritum Christi et B. Virginis, quibus praevisis Deus voluntate absoluta homines elegit, et Angelos ad gloriam, quae utriusque merita fuerunt ratio sufficiens ad permovendum Deum, ut praedestinatos diligeret; quod autem nos elegerit prae aliis, solum in divinam atque abstrusissimam voluntatem cecidit. Consule quae dicta sunt Palaestra II.

1731. Ex quibus elicies, B. Virginem dici posse causam meritoriam nostrae praedestinationis. Meruit enim B. Virgo congrue dilectionem efficacem iustorum, tota autem praedestinatio ortum ducit ex illa dilectione, atque adeo iustorum praedestinationem meruit. Deinde B. Virgo meruit nobis omnes gratiae effectus, qui in electos derivantur, ut patet ex dictis in superioribus Certaminibus: at praedestinatio nihil aliud est, quam auxiliorum ac mediorum conducentium ad vitam aeternam series et coacervatio; si ergo omnia illa auxilia nobis emeruit, etiam praedestinationem. Si occurras, quia multa bona naturalia, ut ad salutem conferunt, esse praedestinationis effectus; ut hoc tempore in lucem edi, hoc loco nasci, ex his parentibus ortum ducere, et similia: at haec nunquam obveniunt ex meritis B. Virginis, sed ipso naturalium rerum usu, cursu et ordine universi; ergo praedestinatio nostra non est ex meritis B. Virginis, quatenus sub se cohibet omnium mediorum, conducentium ad consequendam aeternam feli-

citatem, seriem: respondeo, illa naturalia media, prout ex speciali Dei intentione referuntur ad vitam aeternam praedestinati, meruisse de congruo B. Virginem: sicut enim per Christi merita id impetrare potest iustus pro aliis, meliori titulo B. Virgo id poterit impetrare pro universis electis. Verum igitur est, effectus illos naturales ex causis naturalibus, illarumque cursu ac dispositione ortum habere: at vero ut conducunt ad iustorum praedestinationem, et diriguntur ad illam, cadunt utique sub merita Christi Domini ac B. Virginis.

Laeti igitur de spe veniae cum s. Cyrillo Alex. hom. contra Nestorium, proclamemus: *Salve, sancta Deipara, pretiosus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, sceptrum rectae fidei, templum insolubile, locus Eius, qui loco capi nequit. Salve, per quam sancta Trinitas per orbem glorificatur, per quam coelum exultat, per quam Daemones fugantur, per quam lapsus homo in coelum recipitur, per quam gentes ducuntur ad poenitentiam.* Per Mariam ergo, quae Virga est, post baculum crucis Domini peccatores in spem veniae eriguntur: et quidem vox hebraea, *Schebet*, quae baculum significat, seu virgam, etiam significat calamum et sceptrum: Baculum est B. Virgo, cui fideles innitimur, quo stamus et sustentamur, nec ruimus in interitum, et quo hostes nostros percutimus et ferimus; et simul est calamus, quo Deus nobis multa dona decernit, imo aeternam nostram salutem in libro vitae describit; calamus quo nostra scelera delet, ac nostrorum delictorum veniam exarat, eiusque studiosis divinae praedestinationis executionem subscribit. Quo spectat illud Richardi de s. Laurentio, lib. 12 de laudib. Virginis, illud Ieremiae c. 1 versantis: *Virgam vigilantem ego video.* Subdit ille: *Virga vigilans, idest ad vigilias excitans, est B. Virgo: videns ergo Deus totum genus humanum dormitare, misit nobis virgam vigilantem, idest B. Virginem, ut precibus suis, meritis et exemplis excitaret nos a somno peccati, quod saepe fit meditando de ea, eam orando, amando, eique serviendo: nullus enim per alicuius Sancti meritum excitabitur, nisi per eam excitetur*, etc. *Nota, postquam dixit Ieremias, se vidisse virgam vigilantem; statim subdit videre se ollam succensam ab aquilone, quia qui non evigilaverit ad hanc virgam, casurus est in ollam succensam, id est in gehennam.* Ubi nota gratias excitantes a B. Virgine in nos provenire; et quemadmodum Mariae cultor a flammis gehennalibus immunis servabitur, ita qui eius auxilium despicatui ducit, aeternis addicetur tormentis.

Omnes igitur electi per Mariam praedestinati fuerunt. Hoc sensu dicitur Maria Prov. 8: *Ab aeterno ordinata sum;* vel ut alii vertunt: *Ab aeterno praecognita, et praedestinata*, non solum temporis duratione, vel naturae; sed etiam quia fuit aliis antelata, et ante alios praescita, utique quia per ipsam alii praedestinandi erant. Per Mariam Deus emensus est Baptistae ingentem gratiarum cumulum, Petri celsitudinem et primatum, Pauli et aliorum gradus sanctitatis, quia meritis etiam Mariae post Christum, ad eam sanctitatis magnitudinem pervenere. Imo ab Apostolis parta de Lucifero, ac tartareis mundi Potestatibus victoria, omniumque gentium conversio singulariter meritis B. Virginis defertur ab Ubertino, apud Carthusianum lib. 4 de laudib. Mariae, art. 16: *Ipsa*, inquit, *dignissima Virgo singulariter totum mysticum corpus cum vero Christi corpore suo portavit in utero, et in continuis cordis sui doloribus assimilata doloribus sui Filii parturivit. Cui attribuitur tota corona duodecim Apostolorum, quoniam meritis eius fucrunt vocati, atque per eius instructionem edocti. Per eius quoque suspiria, et orationes Spiritu sancto repleti. Unde et Virgini sanctae singulariter attribuitur tota per Apostolos facta mundi victoria.* Duodecim Apostoli post Christi mortem, sicut informes leunculi vocibus, et lingua, precibus et doctrina huius Leaenae Mariae in viros perfectos informantur.

1732. Ex quibus proclive est litem illam dirimere inter Doctores et Patres exagitatam; nempe quam veritatem habeat illa propositio: *Impossibile est Deiparae cultorem damnari.* Alicui enim plus iusto audentior videatur hic loquendi modus. Verum rite inspectis ac perpensis ss. Patrum locutionibus, quivis eam propositionem verissimam esse fatebitur. Hanc igitur impossibilitatem pereundi aeternum Mariae cultorem, revocant s. Ignatius, et s. Bernardus in Marianum patrocinium. S. Ignatius M. apud Celada de Iudith figurata, c. 10, n. 69: *Impossibile est*, inquit, *aliquem salvari peccatorem, nisi per tuum, o Virgo, auxilium, et favorem; quia nos non salvat Dei iustitia, salvat sua intercessione Mariae misericordia infinita.* D. Bernardus, serm. super *Missus est*, haec habet: *Sicut a te despectus, et aversus, necesse est quod pereat, sic ad te reversus et a te respectus, impossibile est, quod pereat.* Et serm. 2 in *Missus est*: *Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.* Luculentius s. Anselmus stat pro hac sententia apud Viridarium Mendozae, lib. 2, problem. 9: *Qui ad Mariam*, inquit, *accesserit, impossibile est ut pereat si ipsa velit, et nequaquam salvi esse non poterimus.*

Deinde sacra Volumina hanc impossibilitatem admittunt in aliis rebus, quibus ita bene competere videatur, ut Luc. 17: *Impossibile est, ut non veniant scandala.* Et Marci c. 10, ait Christus Dominus de divite, esse impossibile intrare in regnum coelorum. Et ad Hebr. c. 6 ait Paulus: *Impossibile est, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum caeleste, rursus revocari ad poenitentiam.* In his omnibus absolute dicitur impossibile, licet alioquin liberum sit. Sic etiam licet homo Deiparae cultor libere possit damnari, aut non damnari, tamen quia Deipara suo patrocinio impetrat a Filio suo auxilia gratiae congrua, quibus homines Mariae addicti, tametsi scelerati, resipiscant; congrua enim auxilia licet infallibiliter effectum sortiantur, libertatem tamen non tollunt. Quare cultores B. Virginis quasi indamnabiles nuncupari

queunt, quamvis enim peccare ac delinquere possint, et finaliter in peccato perseverare, non tamen perseverabunt, quia Deipara auxilia congrua illis a Filio consequetur, quibus infallibiliter in gratia decedant. Unde s. Birgitta, lib. 6 revelat., cap. 10, ore ipsius Mariae ait: *Nullus est adeo maledictus, qui quandiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a Daemonibus, quam aliter tentaretur: nullus est ita alienatus a Deo nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habebit misericordiam.* Nec silentio praetereundum, quod fertur a Ludovico Blosio in Monili spirituali, nempe Patrem aeternum s. Catharinae Senensi dixisse: *Mariae Unigeniti Filii mei gloriosae Genitrici a bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur a Daemone infernali; haec enim est a me electa, parata, et posita, tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, et praecipue animas peccatorum.* Ideo inclamat Augustinus: *Pande sinus roseos, Virgo perpetua, fides tua mundo, aut aperit caelum, aut claudit.* Et s. Bonaventura in Speculo, c. 5, ex D. Bernardo refert haec verba: *Maria, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo Iudici reconcilies.* Instar sedulae Ruth, quae reiectaneas spicas colligit: sunt utique plures spicae derelictae a messoribus, videlicet doctoribus, et concionatoribus; nunquid ergo hae rationales spicae omissae tanquam despectae, et in malo velut obstinatae flammis adiudicabuntur aeternis coniunctae cum paleis? Sed adest adumbrata Ruth, nempe Maria, quae spicilegium faciat, ac derelictas spicas ab Evangelicis messoribus in Dei messem admittat: *Maria*, ait Bonaventura citatus, *in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est animas a messoribus derelictas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores nisi Doctores et Rectores? O vere magna Mariae gratia, qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui a Doctoribus, et Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur.* Nemo igitur ita a Deo derelictus, quibuslibet peccatis obrutus a Deipara derelinquitur, quin prius ille Mariae auxiliare patrocinium subterfugiat. Hos igitur peccatores veluti iam desperatos colligit, dolore triturat, ac conterit, Spiritus sancti aura, tanquam vanno perpurgat, ac in Dei horrea immittit.

Nec mirum videri debeat, quod has reiectaneas et rationales spicas aveat Maria, quae ait Prov. 8: *Et deliciae meae, esse cum filiis hominum*, quibus peccatum agnatum est. Cur ita peccatores ad suum convictum ac familiaritatem admittit? Nempe ut eos ad meliorem frugem vertat, et Deo pariat: deliciatur cum peccatoribus Deipara, quia in eorum cordibus quotidie enititur Christum Filium, ac proinde quotidie Maternitatis Dei dignitatem renovat, ac Maternitatis Dei praerogativam novitus sibi in peccatoribus nanciscitur. Pulcre Bozius Eugubinus, l. 9 de signis Ecclesiae, c. 6, in illud Apoc. *Mulier amicta sole*, docet hanc mulierem esse Virginem Deiparam, quae Dei dono Christum peperit, et meritis Christi Christum parit quotidie interventu precum suarum in mentibus humanis.

1733. Adstipulatur huic nostrae sententiae s. Damascenus, orat. 1 de Dormit. Deip., ubi ait: *Atque ita Mediator Dei et hominum factus, inimicitiam sustulisti, eosque, qui a Patre tuo defecerant, ad eum adduxisti: quod a via deflexerat in viam revocasti, quod corruptioni obnoxium erat, ad statum corruptionis expertem traduxisti. Denique eum, qui ita mulctatus fuerat, ut ei in terram reverti atque infernum incolere necessum erat, in solio regio, in te ipso collocasti. Quisnam igitur immensorum bonorum horum officina exstitit? an non perpetua illa Virgo, quae te in lumen edidit?* Audisti ex ore Damasceni, qua ratione per Mariam rebelles in Dei populum revocentur. De his fatur Habacuc c. 1: *Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum.* Pende verba illa: *Totum in hamo sublevavit.* Recte contumaces homines piscibus libere vagantibus comparantur, quorum capturae incumbit Deus, misitque hamum, nempe Verbum incarnatum e crucis calamo pendens, quo hos pisces in altum sublevavit, ipso attestante Ioan. 12, 32: *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Totum ergo in hamo levavit. Sed qua esca? nunquam enim hamus sine esca pisces prehendit. Nulla quidem alia nisi Maria, ait Epiphanius, ser. de Assump. Mariae: *Ave gratia plena, hami esca spiritualis; in te siquidem hamus Divinitas.* Qua inescati pisces hi grandiores, Dei cibus electus effecti sunt. Hinc aiebat Sponsus, Cant. 1: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce haedos tuos.* Non oves, aut agni Mariae committuntur, sed haedi. Petro agnorum et ovium cura demandatur, dum ipsi dicitur: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, Ioan. 21. Mariae tamen modo haedi sceleratorum, qui ad sinistram Iudicis sistendi erant, quia videlicet per Mariam convertuntur in agnos, et ad Christi laeta pascua per mandatorum observantiam revocantur, ut bene expendit Guilielmus abbas apud Delrium supra datus: *Piae Matris haedos vocat, non quos ipsa fecit, vel vult esse haedos, qui statuantur ad sinistram, sed quos magis magisque convertit in oves ponendos ad dexteram.* Idipsum sonant verba illa Cant. 1: *Posuerunt me custodem in vineis;* hoc est hominum exlegum, ait Rupertus ibi, *id est ingentibus, quae non quidem erant, sed ex mea custodia factae sunt vineae Domini.* Mariae tutelae te devove; licet enim eremus inculta et sylva infructifera, spinis obsita, virtutum infoecunda, nullis repagulis coercita, feris patens, tamen in vineam Domini commutaberis. Alibi tradidi, bonum Latronem media suffragatione B. Virginis, viam poenitentiae iniisse, via iniquitatis ablegata,

quia videlicet Deipara iuxta crucem Filii morientis stabat, medians inter crucem et Latronem, unde illius conversio in eam referenda est, de quo P. Iulius Recupitus, tract. 1, lib. 6, q. 38; Spinellus, cap. 26 Throni; Hadrianus Lyraeus, lib. 2, modo 45; Alphonsus Salmeron, tom. 10, tract. 40; ubi docet ex ser. quodam Cardinalis Petri Damiani B. Virginem pro bono Latrone preces fudisse, ideoque ad meliorem frugem conversum. Verba Petri Damiani haec sunt: *Latro in cruce conversus est, sed cur non ante? cur non resipuit, cum Iesum in via sequebatur? cum eum crucem suam ferentem vidit, et comitabatur? Tunc convertitur, cum Maria iuxta crucem stabat; tunc ex Latrone factus est martyr, cum pro eo Maria deprecabatur.* Subdit citatus Recupitus, ante illam mirandam solis eclipsim, ut e situ et positione crucis appareret, umbram B. Virginis in dexteram partem versus Latronem bonum fuisse protensam; ut omnes intelligerent, tam admirabilem illam vitae mutationem ad umbram et patrocinium tantae Virginis esse referendam: ita ut verissime dicere posset Richelius, lib. 2 de laudib. Virg., esse iniquorum Advocatam, et singulare perditorum refugium.

1734. Alio ex capite dicere possemus, Mariae clientes fieri non posse ut damnentur, quia habet ius introducendi homines ad coelum. Ita Canisius Ambrosianae eloquentiae aemulator, lib. 1 de B. Virgine: *Hebraei*, inquit, *inter arcana sua celeberrimum ducunt, unam inter caeteras omnes creaturas, longe praestantissimam esse ipsi Mitraton, id est principem facierum appellant, quia semper stet ante faciem summi Imperatoris, et ius habeat ad ipsius praesentiam benemeritos introducendi. Animadversum ab eruditis Mariae nomen cum illo Mitraton haud perperam convenire.* Hinc plures verba illa Ps. 126: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, de Deipara interpretantur apud Moralez in Matth. lib. 3, tract. 11. Non igitur Mariae cliens studiosus confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, nempe mortis, in qua non confunditur a spiritibus malignis, inquit Strabus in Glossa morali. Concinit Nicolaus Lyranus: Haec porta, inquit, est ea, qua de loquitur Sapiens 6: *Qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam pro foribus suis inveniet.* Fores hae sunt ipsa mortis, sive iudicii porta. Invigilat Maria, ne peccator Virginem auxiliatricem deprecans et implorans, in extrema iudicii ac mortis hora discrimen aeternum subeat, quia ei praestat auxiliarem opem.

Quisquis ergo sub tali Virginis patrocinio, ac clientela vitam degit, tametsi Iudas sit, salutem sibi, et aeternam felicitatem spondeat. Opportune huic thesi Philippus abbas, totam Iudae calamitatem inde profectam innuit, quod videlicet suspendium praeceps praevenerit, ac laqueo suffocatus mortem temerarius oppetiit, Marianum patrocinium, ac clientelam subterfugiens: quippe Iudas laqueo se suspendit antequam Virgo Deipara omnium discipulorum Mater a Christo constitueretur in Ioanne per illa verba: *Ecce Mater tua.* Licet enim Iudas nefario ausu Christum prodiderit, at Petrus etiam non semel Christum denegavit, reliqui Apostoli relicto Christo fugerunt. Cur ergo caeteris sub ingenti Passionis diluvio non pereuntibus, solus Iudas sanguinis Iesu oceano submergitur? Nempe quia omnes discipulos, qui tunc superstites erant, Ioannes iuxta crucem adstans repraesentabat, et in eo omnes alloquitur Christus, crucem agens, dum ad Ioannem sermonem intendens ait: *Ecce Mater tua.* Ii ergo omnes, quos tantae Matris patrocinium consecutum est, sub tantae Matris ac Virginis tutela in tanto sanguinis cataclysmo submersi non sunt superstites Apostoli. Solus Iudas omnino periit, quia suspendii morte praeventus, sub patrocinio tantae Matris non fuit. Libet audire pium abbatem praefatum, lib. 3 in Cant., c. 8: *Omnes denique tulit aqua, laesit diluvium, culpa mersit, sed caeteris per gratiam evadentibus, Iudas perditus non emersit, ille quippe diffidentia suffocatus, laqueato gutture se suspendit: Ioannes arcem gratiae, vivendi fastigium apprehendit, quia Christus in cruce patiens curam Iudae a sua longe benevolentia relegavit; Ioannem vero diligens, curam eius Matri Virgini delegavit: Mulier, inquit, ecce Filius tuus.* Fortunati illi, qui Marianae tutelae demandantur, ac sub tantae Matris patrocinio commorantur, hi dubio procul a delictorum naufragio incolumes evadent.

CERTAMEN VI.

Utrum B. Virgo praedestinationem emeruerit unius prae alio, his potius, quam aliis, sua merita applicans.

1735. Similis disceptatio discutitur apud Suarium, lib. 2 de causa Praedestinationis, c. 24, n. 21, et tom. 1 in 3 p., disput. 41, sect. 4; et Vasquium, 1 p., disp. 94, cap. 3: ubi eventilant, utrum Christus Dominus meruerit electionem praedestinatorum prae aliis, ita ut sua merita pro his potius obtulerit; et partem negantem sustinet Suarius, eamque ratione et sacra Scriptura firmat ac stabilit. Vasquius ex adverso partem affirmantem nervose propugnat, quem assectantur Lessius, lib. de praedestinat. Christi, sect. 3; Cornelius a Lapide in Epist. Pauli ad Ephes. 1, v. 4; Herice in 1 p., disp. 29, c. 3, n. 22; Salazar in Cant. tom. post., c. 1, vers. 3; iuxta quorum Doctorum sententiam, quae magis semper arrisit, haec nostra disputatio dirimenda est, e cuius decisione ingens profecto gloria Mariana adaugetur.

Censeo igitur, B. Virginem emeruisse electionem praedestinatorum, ut est electio unius prae alio, sive dilectio unius et non alterius. Probatur ratione saepius repetita: quidquid Christus Dominus de condigno nobis promeruit, saltem de congruo Virgo B. eisdem emeruit; sed Christus Deus condigne meruit horum praedestinatorum dilectionem prae aliis; ergo eandem dilectionem emeruit congrue Virgo Beata. Maior

propositio in superioribus Certaminibus suffulta manet; minor late ostenditur a Vasquio aliisque citatis Doctoribus; quam sic firmo. Siquidem convenit inter utriusque partis Doctores, per Christi merita decretam fuisse praedestinationem, saltem ut libere respiciebat effectus; ergo omnes affirmare tenentur, Christum meruisse omnes actus, in quibus sita est praedestinatio; ergo Christus Deus meruit speciale illud beneficium praedestinationis, prout electio est unius prae alio: nihil ergo est sive in actibus divinae voluntatis, sive in effectibus horum actuum, quod Christus non promeruerit. Declaratur amplius haec doctrina: Christus Dominus primo praesciebat omnes homines incursuros primum protoparentis peccatum; adeoque si sua merita offerret Patri pro omnibus hominibus indiscriminatim, praenoscebat Patrem divinum electurum hos prae aliis ad gloriam, ac proinde cum obtulit merita sua indifferenter, voluit virtute electionem, et dilectionem horum prae aliis ad gratiam, quia praedestinatio Patris connectebatur cum illa oblatione indifferenti suorum meritorum; ergo fuit volita indirecte saltem praedestinatio in oblatione illa suorum meritorum, adeoque indirecte saltem fuit volita electio horum prae aliis ad gloriam. Cum igitur Christus cum praescientia illa et cum speciali complacentia in effectu, quem praenoscebat sub conditione futurum, offerret sua merita aeterno Patri, eius voluntas fuit non solum indirecta, sed et directa effectus illius, nempe dilectionis horum potius, quam aliorum. Nec obstat, Deum libere eligere hos potius, quam illos; licet enim Christus Dominus praehabuerit applicationem illam meritorum erga praedestinatos solum, tamen libere eos eligit Deus. Quae doctrina recte applicari potest electioni B. Virginis, quae similiter ex praescientia voluntatis Dei, et Christi Domini applicandi his potius quam illis sua merita, applicuit suam suffragationem, et interventionem his potius quam illis ex praevisione, quod Pater aeternus eligeret hos praedestinatos ad gloriam, efficaciter hos prae aliis praedestinans ex praevisis meritis utriusque; ita tamen ut tam Christus Dominus quam B. Virgo voluerint his prae aliis conferre merita sua, per quae his potius, quam aliis beneficium praedestinationis consequerentur; nam cum oblatione meritorum utriusque indifferenti habebat infallibilem connexionem praedestinatio Patris aeterni; ergo in oblatione illa, qua Christus Dominus et B. Virgo obtulerunt sua merita indifferenter pro omnibus hominibus, fuit ab ipsis volita praedestinatio horum potius quam aliorum, quia praesciebat uterque per scientiam conditionatam, quod si sua merita offerrent indifferenter pro omnibus hominibus, tunc Pater hos prae aliis ad gloriam eligeret. Nec tamen diffitendum est, praedestinatos suam electionem Patris aeterni liberalitati debere, quia libere et spontanee hos potius prae aliis ad gloriam designat, et praeterea se gratum exhibet Filio ac B. Virgini, ut ita dicam, dum speciali complacentiae utriusque, ut supra dixi de Christo, sese accommodat. Deinde praedestinati suam electionem debent voluntati Christi Domini et B. Virginis, quia uterque sua merita applicuerunt, licet indifferenter pro omnibus hominibus, tum cum complacentia voluntatis utriusque, et praescientia electionis Patris aeterni horum prae aliis ad gloriam; ac proinde Christum Dominum condigne, et B. Virginem congrue meruisse electionem horum prae aliis ad gloriam, certum arbitror.

Quid, quod iuxta aliquos recentiores valde probabile est, Christum Dominum specialiter applicuisse sua merita pro praedestinatis? Et idem dic de B. Virgine: de quo videndus Herice in 1 p., disp. 29, c. 3, n. 26. Iuxta horum Doctorum sententiam, negotium praedestinationis ita se habet. Christus Dominus ante ullum meritum et ante ullam Dei electionem ad gloriam, per scientiam conditionalem noverat omnes Adae posteros futuros in tali differentia temporis et loci, auxilia item congrua, et non congrua; et idem dicendum cum proportione de B. Virgine: vidit etiam uterque sua merita, Patrique aeterno obtulit, ut his prae aliis vocationes, et auxilia congrua conferret his locis et temporibus, in quibus noverat congrua futura usque ad perseverantiam finalem in gratia. Praeterea idem Christus et Virgo Deipara sua merita applicuerunt pro reprobis etiam, ut Deus conferret eis vocationes et auxilia, quae noverant futura solum sufficientia, quia ipsi reprobi ipsis non assentirentur, adeoque in peccato decessuri e vita. Quod vero praedestinationis negotium sic peractum fuerit, probant plura Scripturae loca, quae agglomerat citatus Herice, quibus ostenditur, totam praedestinationis rem Christo Domino commissam fuisse; quod vero B. Virgo etiam adiuverit, probant plura ss. Patrum suffragia, toto hoc opere dispersa, quae perspicue ostendunt, omnes gratias auxiliantes, cooperantes, subsequentes, ac demum nihil boni a Deo derivari in homines, et praecipue in praedestinatos, quod non fit impetrante Maria.

Res amplius illucescet, si animadverterimus, modum, quo se mutuo conformaverint voluntas Dei, et voluntas Christi et Mariae in re praedestinationis electorum. Primum ergo ex parte Dei antecessit scientia conditionata qua praescivit, futurum esse, ut si Verbum divinum uniretur humanitati in Christo, persolveretur sufficiens et aequivalens pretium ad redemptionem hominum de condigno; eadem etiam scientia conditionata praenovit fore, ut si Verbum divinum in utero B. Virginis carnem assumeret praeveniret eandem B. Virginem, cumularetque donis pluribus, ac gratia habituali immensa, qualis decebat eam, quae futura erat Mater Dei: qua scientia posita in Deo, videlicet meritorum Christi et Mariae, novit etiam Deus ab humana voluntate Christi, tum et Mariae, applicatum iri utriusque merita specialiter pro his omnibus, potius quam pro aliis; ex quibus actibus scientiae conditionatae in Deo, duplex complacentiae actus considerari potest. Primus, quo sibi complacuit in existentia futu-

ra sub conditione meritorum Christi et Mariae; secundus vero actus, quo sibi complacuit, in applicatione speciali sub conditione futura meritorum Christi et Mariae. Post hanc scientiam conditionatam, et complacentiam decrevit Pater aeternus efficaciter Christi Incarnationem ex B. Virgine, quo posito decreto cum scientia conditionata supradicta, vidit absolute futura merita Christi et Mariae, eorundemque applicationem specialem ex parte utriusque. Tunc Christus et Maria ex vi praesentis decreti, vel scientia beata, vel infusa, vel utraque, noverant actus illos scientiae conditionatae Dei, et utramque complacentiam Dei supradictam erga obiecta illa conditionata: noverant deinde eadem scientia, ex decreto efficaci Dei, merita utriusque esse iam absolute futura in tali differentia temporis, eaque applicuerunt speciali voluntate pro praedestinatis, ut scilicet illis, qui a Patre electi fuerant, conferret Deus vocationes, et auxilia congrua illis temporibus et locis, in quibus noverat congrua, et efficacia esse futura; quos praedestinatos iam tunc noverant Christus et Maria, per scientiam conditionatam, ut supra dictum est: ante hanc autem meritorum applicationem, eorundemque existentiam, ex parte Dei solum praecedebat complacentia illa voluntatis divinae in futuritione conditionata, tum meritorum Christi et Mariae, tum specialis applicationis utriusque. Ex eo autem Christus et Maria specialiter sua merita applicuerunt pro illis praedestinatis, quia scientia conditionata praenoverunt Deum ex praescientia conditionalium sibi complacuisse in futuritione conditionata consecutionis gloriae praedestinatorum, non vero complacuisse in simili futuritione conditionata, quam praenoverat ex parte reproborum, si eis conferret alia auxilia congrua in alio rerum ordine. Quocirca quia Christus Dominus et B. Virgo praenoverunt propter hanc complacentiam Dei circa hos electos, gratissimum fore Patri aeterno, si efficaciter sua merita eis applicarent, ideo de facto, ac re ipsa ita executioni mandatum est; quod innuit Christus D., Ioa. 17, dum ait: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*; et iterum: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Quasi diceret Christus: te oro petitione efficaci non pro hoc mundo, id est pro sceleratis, utpote indignis tanto beneficio, sed pro his qui tui sunt, quia tu specialiter ac liberaliter complacuisti in eis. Quae etiam verba applicari possunt cum proportione B. Virgini. Hoc ergo modo tota praedestinationis series se habuit, ac mutuis complexibus unitae voluntas Mariae ac voluntas Filii, et utraque cum voluntate Dei conformata fuit; siquidem ex una parte Christus Dominus et B. Virgo primum sua merita liberaliter obtulerunt pro omnibus hominibus quoad sufficientiam, deinde specialiter pro praedestinatis: licet enim ad hanc specialem meritorum oblationem Christus et Maria adducti fuere a complacentia illa Dei praevisa in futuritione conditionata eius applicationis; ea tamen Dei complacentia nullam inducere potuit obligationem in voluntatem humanam Christi Domini aut B. Virginis, solum enim fuit illa complacentia Dei, simplex quidam affectus in statu conditionato illius specialis applicationis, unde talis applicatio in Christo et Maria omnino liberalis exstitit.

Praevisis ergo ex parte Dei meritis Christi et Mariae, et praevisa eorundem applicatione, et petitione efficaci utriusque pro praedestinatis, sibi complacens Deus in hac Christi, et Mariae voluntate, decrevit efficaciter praedestinationem horum prae aliis, et seriem auxiliorum efficacium, quod quidem Dei decretum efficax fuit antecedenter, id est quatenus decernebat dona, quae non pendebant a libera cooperatione voluntatis, inefficax autem consequenter in conferendis donis, et auxiliis, quae ab illa pendent: at praevisa iam liberi arbitrii cooperatione, erat iam absolutum et efficax.

1736. Sed huic doctrinae obstare primum videtur, quia ex illa necessario inferri videtur, illam causalem esse veram: Ideo praedestinati a Deo specialiter electi sunt per auxilia congrua, quia Christus Dominus et B. Virgo pro eis sua merita specialiter obtulerunt: et reprobi ideo electi non sunt ad gloriam, nec auxiliis congruis praeventi, quia Christus et Maria sua merita pro his specialiter non applicuerunt. Haec autem propositio difficilis plane videtur, ac dura; ex ea enim fieret, reprobationem hominum necessario inferri, tanquam ex causa, nempe ex defectu illius specialis applicationis Christi et Mariae, quod falsum omnino est; quia apud Theologos constans sententia est, causam reprobationis esse peccatum reprobi, non vero defectum applicationis meritorum Christi et B. Virginis. De quo videndus Herice 1 p., d. 33, c. 3, late rem hanc confirmans. Quod vero illatio illa sequatur ex causali illa, videlicet, primam radicem reprobationis referri ad defectum specialis applicationis meritorum Christi et Mariae, inde patet; si enim Christus Dominus et B. Virgo sua merita efficaciter obtulissent etiam pro non electis a Patre ad regnum, et ut a Patre consequerentur auxilia congrua, quae praenovit congrua futura; non dubium, quin Pater aeternus Christi et Mariae meritis adactus, reprobi auxilia illa congrua nanciscerentur, et in albo electorum conscriberentur: quare legitime infertur, quia Christus Dominus et B. Virgo non applicuerunt merita sua ad comparanda auxilia congrua pro reprobis; ideo non electi a regno coelorum excluduntur, et aeternis cruciatibus addicuntur. Fateor, hoc argumentum multum nervi, ac roboris secum afferre adversus physicae praedeterminationis assertores, qui adstruunt, auxilium sufficiens talis esse naturae, ut negatio adimpletionis praecepti obligantis ita essentiali connexione coniuncta sit cum illo, ut nec de potentia absoluta ipsorum voluntas instructa solo auxilio sufficienti, potens sit illud praeceptum obligans adimplere: unde in horum Doctorum sententia, quasi merito conqueri possent non electi, quod Christus Dominus et B. Virgo solum obtinuerint suis meritis, ac precibus a Patre aeterno, ut

ipsis conferretur auxilium sufficiens, quocum nec de potentia absoluta decedere poterant in gratia.

Verum enimvero in nostra sententia, quae tuetur, nullum esse discrimen physicum inter auxilium sufficiens et efficax; imo saepe contingere potest, ut auxilium sufficiens quoad entitatem physicam maius sit, et plus habeat de entitate gratiae, quam auxilium efficax; facillimo, inquam, negotio in hac sententia occurri potest proposito argumento: siquidem Christus Dominus ac B. Virgo sua merita pro singulis hominibus applicuerunt, ac suis meritis uterque singulis hominibus omnia auxilia, quae in qualibet differentia temporis futura erant, obtinuerunt: quare verissimum est, Christum et Mariam singulis hominibus promeruisse auxilia, quibuscum proxime et immediate voluntas cooperari posset, quin opus esset alia virtute ad operandum ex parte auxilii. Quod autem haec auxilia congrua respectu praedestinatorum, et efficacia exstiterint, tribuendum est bono usui liberi arbitrii ipsorum gratia adiuti; et similiter quod ea auxilia respectu reproborum solum fuerint sufficientia, et inefficacia, tribuendum est tanquam radici ipsorum liberae voluntati, qui cooperari renuerunt, non defectui virtutis ad operandum in auxilio, sed quia ipsi libere noluerunt cum ipso cooperari. Ex quo elicitur, Christum et Mariam non meruisse reprobis auxilia inefficacia reduplicative ut inefficacia, sed sufficientia, et indifferentia ad efficaciam, et inefficaciam: falsum ergo est, Christum et Mariam suis meritis obtinuisse a Patre, ut reprobis impenderet auxilia sufficientia, et inefficacia *ut sic*, nec ortum habuit ex precibus Christi Domini et B. Virginis, quod gratiae non congruae, et inefficaces ipsis reprobis distribuerentur; sed id petendum est ex libera reproborum voluntate, qui libere cooperari renuerunt cum illis auxiliis, quibuscum si cooperati fuissent, gratiae non congruae iam factae fuissent congruae, et efficaces; auxilium enim inefficax in eo differt ab efficaci, quod secum involvat liberam negationem cooperationis liberi arbitrii, non vero quia dicat defectum virtutis ad operandum, hanc enim, vel parem, vel etiam maiorem habet auxilium sufficiens, quam efficax: Christus autem Dominus et B. Virgo ex se ardenter ambibant reproborum salutem, et ut cooperarentur eum auxiliis a Deo collatis, ut in gratia decederent.

Instabit nonnemo: Christus Dominus et B. Virgo sua merita Patri aeterno obtulerunt, ut ea numero auxilia reprobis conferret, quae reipsa in aliqua differentia temporis impendit: nunc sic: ultimum auxilium, v. g. Iudae proditori collatum involvit negationem efficacitatis; ergo saltem indirecte Christus Dominus et B. Virgo obtinentes suis precibus illud auxilium, voluere ut Iudas in vitae fine non responderet, neque in gratia decederet: nam illud ultimum auxilium numero differt ab alio quod praesciebatur a Christo et Maria futurum efficax in illamet occasione, si conferretur; ergo indirecte noluerunt negationem alterius numero auxilii efficacis, et consequenter ut non responderet Iudas gratiae vocanti sub postremam illam vitae periodum. Sed facile occluditur via huic instantiae, si distinguatur antecedens illud, nempe, ultimum auxilium Iudae proditori datum involvit secum negationem efficacitatis, ex malo usu liberi arbitrii, verum est; non tamen ut provenit a Christo et Maria, tanquam a causa meritoria, ut sic enim est indifferens ad efficax, et non efficax; ex quo fit, consequentiam esse falsam primi et secundi enthymematis. Ad cuius rei pleniorem intelligentiam observare oportet, in illo auxilio, quod sufficiens est, duplicem negationem reperiri; alia est negatio alterius numero auxilii, quod si conferretur foret congruum, quia tunc voluntas cum illo cooperaretur. Altera negatio est boni usus liberi arbitrii in cooperatione ipsius; prior illa negatio essentialiter adnectitur entitati auxilii sufficientis illius in individuo: posterior negatio est accidens valde contingens illi auxilio, adeoque adesse, et abesse potest, quin entitas illius auxilii destruatur. Quocirca libens admitto, Christum Dominum ac B. Virginem suis meritis, ac precibus obtinentes a Patre, ut Iudae conferretur hoc ultimum auxilium tali loco, et tempore, indirecte intendisse negationem alterius numero auxilii: falsissimum tamen est, Christum et Mariam directe, vel indirecte intendisse secundam negationem boni usus; quae negatio solum contingenter advenit illi auxilio. Et ratio est, quia ad voluntarium indirectum non sufficit voluntas causae indeterminatae, et indifferentis, sed determinatae aut ex natura rei, aut ab aliqua obligatione morali ex officio.

1737. Secundo obstare videtur nostrae doctrinae superius explicatae; non enim apparet, quo motivo adigi potuerint Christus et Maria, ut applicuerint sua merita, suasque preces obtulerint Patri aeterno, ab eoque impetraverint auxilia congrua praedestinatis, solum vero sufficientia non electis: non utique quia uterque praescivit scientia conditionata, electos melius usuros illis auxiliis, ac maiorem gratitudinem erga Deum habituros pro tanto beneficio, quam reprobos, si eligerentur ipsi ad gloriam, ut patet: ergo illi applicationi meritorum Christi et Mariae aliquid inesse videtur vel apparentiae, vel umbrae acceptionis personarum. Nec satisfeceris dicens, eam complacentiam specialem praevisam in Patre aeterno, novisse Christum et Mariam ad illam applicationem faciendam potius pro electis, quam pro reprobis: nam tunc easdem exerit vires argumentum in voluntatem Patris; cur, inquam, Pater specialiter sibi complacuit in futuritione conditionata electorum, non vero in eadem futuritione conditionata non electorum, quo fine honesto adactus Pater ibi sibi complacuit in electis, non vero in reprobis? praesertim cum pari gloria tam Deus, quam Christus afficerentur, si alii in praedestinatorum album collocarentur.

Respondeo, nihil inhonesti reperiri in electione horum prae aliis, sicut quando Princeps liberali donatione suffragatur his, et non aliis

in eadem calamitate constitutis, quibus sua liberalitate non subvenit. Cum ergo Deus sit Dominus suorum donorum, ea cui vult, liberaliter erogat, neque ulla umbra, sive vestigium acceptionis personarum hic inesse potest; siquidem ad vitium acceptionis personarum opus est inter alia, ut homines, inter quos bona aliqua distribuenda sunt, aliquod ius acquirant ad illa bona; deinde ut qui illa distribuit, non respiciat personae dignitatem, ut illam digniorem praeferat aliis: at in nostro eventu nihil horum reperitur, nam hominum communitas nullum sibi ius adsciscere potuit ad auxilia et gratias congruas, vel non congruas, cum plenum horum donorum dominium sit penes Deum et Christum Dominum et ex privilegio penes B. Virginem. Cum autem in non electis nulla sit dignitas, imo propter malum liberi arbitrii usum, ac in Deum ingratitudinem, maxima illis indignitas reperiatur, nulla nec umbra hic acceptionis personarum apparet, licet Christus et Maria his prae aliis sua merita ac preces applicent, et uberiora ac maiora hi prae aliis auxilia nanciscantur. Constat ergo specialem illam Christi et Mariae applicationem suorum meritorum ex obiecto fuisse honestissimam, liberaliorem respectu electorum, liberalem etiam respectu non electorum.

Ulterius adhuc insurget aliquis, ex nostra sententia sic explicata fieri, B. Virginem omnes praedestinatos, ac reprobos in individuo cognovisse; imo auxilia, aliaque media conducentia ad ipsorum praedestinationem, quod sine fundamento fateri cogimur, ut nostram solum tueamur sententiam. Ita Raynaudus in Diptychis, ubi contra Salazarium negat, per Mariam praedestinatos fuisse cognitos, et una contendit hoc decus Marianum non esse solidum. Respondeo admittens libens sequelam, adeoque negans id sine sufficienti fundamento a nobis asseri; quod ut penitius inspiciatur, recolenda sunt, quae in superioribus de scientia et cognitione B. Virginis plurimis egimus, et adhuc de scientia eiusdem beata infra disseremus. Hic audiendus s. Bernardinus alibi datus, affirmans in primo conceptionis puncto, B. Virginem attigisse sua cognitione homines et Angelos, quibus ipsa aliquid a Deo erat efflagitatura; rationi enim consonum videbatur, ut hominum et Angelorum Imperatrix sapientissima, ac providentia summa, et amore erga subditos praedita, latissimum suum imperium longe lateque diffusum calleret, omniumque Mediatrix et Advocata a summo Deo constituta, omnium clientum curam susciperet, ac proinde ipsorum causas, negotia ac necessitates agnosceret, et omnes in individuo mente versaret. Cui suasioni favet Albertus M. in Mariali, cap. 149, admetiens cognitionem ac scientiam B. Virginis cum ipsius dignitate. *Omnium*, inquit, *creaturarum stantium cognitionem habuit per gratiam et contemplationem.* Stantium nomine, vocat creaturas futuras, eas a possibilibus secernens. Albertum sequitur D. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 17, § 1, quibus assentitur Salazar mox citandus, licet neget, Deiparam universalem istam cognitionem omnium praedestinatorum, ac reproborum per totam vitam habuisse, sed solum aliquando ex revelatione Dei. Verum non video, cur ad tempus solum cognitionem illam limitet in Virgine Deipara, cum citati Patres absolute, et sine ulla limitatione loquantur; et quidem ratio assignata non solum de aliquo tempore probat, sed de toto tempore, quo in via imperatricis ac mediatricis munere functa est: nam primo suae Conceptionis momento Mater Dei censeri coepit, et illius dignitatis iura capessere; unde tritum illud dictum Chrysologi, serm. 2 de Annunc.: *Aut Genitrix quando non, quae saeculorum genuit Auctorem?* Aio igitur, cognovisse B. Virginem omnes homines, ac media gratiae, quibus aeternam salutem adipiscerentur, et quidem non confuse et imperfecte, sed clare, et in particulari, et perfectissime, quod Albertus nuper cit. ostendit his verbis: *Nihil ignoravit eorum, quae sibi ad beatitudinem suam, et aliis ad salutem conducere poterant.* Tempestive s. Germanus, serm. de Assumpt. ait: *Spiritus tuus, o Maria, vivit in aeternum: omnia observas, omnia intueris, et inspectio tua ad omnes se porrigit.*

Urgeat quispiam: B. Virgo excitata fuit efficaciter per Christi merita ad efflagitandam horum potius salutem, quam illorum; ergo praecessit in Christo voluntas efficax his potius optandi salutem aeternam, quam aliis; alias Christus non potius excitaret Matrem, ut hos prae aliis salvos esse deprecaretur, nisi Christi voluntas eosdem aliis anteferret: necessarium ergo fuit, ut Christi voluntas efficax praedestinandi hos prae aliis, praeiret voluntati Matris; ergo tunc Deus exspectabat B. Virginis voluntatem, ut his beneficium praedestinationis impertiretur: sed poterat Matris voluntas sponte in alicuius electione a Filii voluntate averti; ergo iam tunc efficax Christi voluntas in ordine ad alicuius praedestinationem frustraretur, quod nefas est dicere. Respondeat aliquis, Deum simul voluntatem Christi et B. Virginis movisse, ut uterque conspirarent, et exposcerent horum, et non illorum praedestinationem; ita voluntas Christi non antecederet, sed simul comitaretur voluntatem Matris, ita tamen ut motio voluntatis B. Virginis ex meritis Christi conferretur, non tamen procederet ex electione voluntatis humanae Christi, sed voluntatis divinae, quemadmodum loquuntur Doctores de auxiliis collatis a Deo antiquis patribus, et de excitatione congrua Christi, ut hos exposceret a Deo praedestinatos, non illos. Utraque ergo voluntas Christi et Mariae a Deo excitata divinam voluntatem impulerunt, ut hos potius quam alios in salutem aeternam destinaret. Quae sat probabiliter defendi possent, nec video aliquam repugnantiam, seu indecentiam, quae huic opinandi modo obstare possit.

Nihilominus multo conducibilius respondet Salazar citandus; quod scilicet Mariana voluntas cum Christi voluntate sic conformaretur, sicut Christi voluntas cum voluntate Dei: Deus ergo antequam de voluntate efficaci Christi quidquam decerneret in ordine ad praedestinationem, solum habuit voluntatem simplicem in ordine ad

electionem praedestinandorum, ex qua Dei simplici voluntate motus efficaciter excitavit voluntatem Christi congrua quadam motione, ut his prae aliis meritorum suorum fructum libere applicaret: unde praedestinatio primum tribuitur Deo, qui primo efficaciter movit Christi voluntatem, ut hos prae aliis eligeret; deinde etiam Christo talis praedestinatio debetur, cum Dei voluntati sic moventi et excitanti se omnino conformaverit, efficaciter et libere hos prae aliis eligens ad vitam aeternam, Dei nutum sequens. Non dissimili modo de Mariae voluntate statuendum censeo: Christus itaque, antequam praevideret voluntatem efficacem Matris, impetrandi his potius quam aliis beneficium praedestinationis, solum habuit voluntatem simplicem, et inefficacem, ex qua ductus, a Deo meritis suis obtinuit Matri suae motionem, seu excitationem congruam et efficacem, ut his potius quam aliis exposceret in gratia perseverantiam usque ad vitae finem. Statim atque Christus Dominus efficacem Matris voluntatem in ordine ad hos praedestinatos cognovit, efficaciter una cum voluntate Matris a Deo flagitavit eorundem electionem et praedestinationem: Deus autem utriusque efficaci voluntate praevisa, ac Christi meritis condignis, Matris vero congruis perculsus, horum prae aliis aeternam felicitatem firmissimo, ac irrevocabili decreto stabilivit. Hunc sentiendi modum, ac decretorum seriem confirmat Arnoldus Carnotensis in tract. 6 de verbis Domini: *Cooperabatur*, ait, *plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille Matris affectus, cum tam propria, quam Matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret: unumque erat, quod diversa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater sancta intendebat, quod in communi elaborabat dilectio, simulque se complectebantur pietas et charitas et bonitas, Matre supplicante, Filio interpellante, Patre propitiante.* Ubi vides piissimum et acutissimum abbatem in Mariae votum, ac voluntatem efficacem electionem praedestinatorum retulisse, siquidem aeternus Pater, et Christus Dominus veluti voluntatem Mariae praestolabantur, ut voluntate efficaci hos prae aliis in salvandorum numerum adscriberent.

1738. Cum his consonat elogium, quo donatur Deipara a Georgio Veneto in harmon. mundi, Cant. 2, ton. 3, quo de egimus Palaestra II, Certam. 1; nunc autem libet novitus enucleare: vocat ergo eam, *Praedestinationis Christi Primiceriam.* Quo nomine donabatur primarius scriba regius vel protonotarius, cuius intererat milites conscribere, libellos obsignare, decreta regia sigillare, et alia eiusmodi munia praestare. Scite ergo B. Virgo *Primiceria Redemptionis Christi* vocabitur, quia non modo eius nomen in Libro vitae relatum est, sed quotquot aliorum nomina in eo Libro recensentur, ipsius est illa rescribere, ac subsignare, ac nota characteristica sigillare. Quod suo roborat suffragio s. Bonaventura in Psalt. alibi productus: *Et qui hunc habuerit characterem, annotabitur in Libro vitae.* Et ibidem Virginem alloquens ait: *Deduc me in portum salutis, ac per te inter iustos scribatur nomen meum.* Hinc praedestinati sigillati dicuntur, Psalm. 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* et II ad Cor. 1, 21: *Qui unxit nos, et signavit nos*; et ad Ephes. 1: *In quo et credentes signati estis.* Ad hanc igitur Primiceriam spectabat, omnes electos in album Libri vitae recensere, Deique decreta obsignare, quorum praedestinatorum Caput post Christum ipsa ferebat. Plus addit Hugo Cardinalis cap. 25 Eccles. cum vocat Deiparam *Librum vitae*; quippe qui in illo sunt scripti, infallibiliter salvantur, id est qui Mariae addicti sub eius vexillo militant, ipsiusque virtutes aemulantur.

Eundem sensum referunt verba Chrysologi, serm. 99 sic fantis: *Maria huius fermenti implet typum, similitudinem praefert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum Verbi, et humanam carnem in albeo Virginis coelestem totam conspersit in massam.* Ubi totius humani generis massam fermentavit, ac coelestem fecit Maria, quia nos omnes coelestes effecit, et per illam in cives coelestis Hierusalem adscribimur. Nec mysterio viduum est, quod vocet Chrysologus Deiparam, *Albeum*, qui etiam tabulam lusoriam latrunculorum adsignificat, ubi calculi candidi ac nigri videntur; quia B. Virgo et iustos in caelum perducit, et peccatoribus veniam exorat, et extorquet: ideoque Virginea alvus in albeum transfertur, ubi iustorum candor ac peccatorum atredo locum habent, quia omnes coelo peperit. Confovet ergo Maria in suorum viscerum albeo, homines veluti calculos candidos ac nigros, quia in ludo cum daemone ac mundo, ubi de aeternae salutis discrimine res est, omnes electos suis precibus Deo lucratur; ita ut homines scelerati, deposita peccatorum atredine, coelo aptantur. Quod ad citharae modulos iam olim occinuit regius Psaltes: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me. Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethyopum, hi fuerunt illic. Nunquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea?* Plures Patres transferunt: *Mater Sion dicit: Homo*, etc. Itaque in albeo Virginis Mariae et est candor lucis aeternae, id est Christus, et Aethyops, scilicet peccator: idcirco dicitur, *Homo, et homo natus est in ea.* Ita praefatum locum commentatur s. Thomas a Villanova Archiepisc. Valent., conc. de Nativit. Virg.: *De hac Virgine pulcre Psalmus personat dicens, Mater Sion dicit: Homo, et homo natus est in ea. Quis homo? utique homo, propter quem factus est in ea homo, qui fundavit eam Altissimus. Mater ergo Sion dicit: reus homo, dicit etiam: Altissimus homo, quia utriusque hominis, Dei videlicet, et rei Mater est*, etc. *Mater ergo Sion dicit: Aethyops homo, Aethyopes non abiicit Virgo decora, sed amplectitur ut parvulos, diligit ut filios, si tamen faciant quod subiungitur: Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me: sciant ergo ipsam Matrem.*

Ex hoc ludo delectationem summam hauriebat Virgo B. iuxta illud Prov. 8: *Delectabar per*

singulos dies ludens coram eo, ludens in orbe terrarum: et deliciae meae, esse cum filiis hominum. Quisnam fuerit hic ludus, explicat Hugo Cardinalis in illud Eccles. 32: *Praecurre prior in domum tuam: illic*, ait Hugo, *lude cum Domino, qui tecum ludit, omnia mirabilia ostendendo, tibi gaudium et laetitiam infundendo, iuxta illud: Delectabar per singulos dies*, etc. Quae verba, ut nosti, Ecclesia B. Virgini adaptat. A primo igitur Conceptionis instanti contemplabatur Maria homines praedestinatos tanquam oves ex lupis, et scorpionibus effectas per ipsius merita, videbat in magno mundi theatro quasi gladiatorios ludos, quomodo truculenti leones, ac lupi rapaces Daemonum, reproborum haedos, ac praedestinatorum oves aggrederentur usque ad saevam internecionem; ac tandem victores per sanguinis effusionem, per ieiunia, per corporis cruciatus victoriam ab ipsis, per Filii, ac sua merita devictis reportarent. Quem ludum eleganter depingit Rupertus, lib. 10 de Victoriis Verbi, cap. 3: *O ludum sapientiae deliciosum, scilicet Christus et Mariae, praescire, ac praedestinare certum aliquem numerum Angelorum, et hominum, et in Libro vitae nomina conscribere singulorum. Putare quod de multitudine haberet emergere quispiam; qui conaretur cessare propositum tam bonum: unde merito vocaretur draco magnus, serpens antiquus, et mente tractare qualiter illi foret illudendum per ipsum Verbum.*

Hos theatrales ludos paravit Deus tantae Imperatrici hunc orbem ingredienti, videlicet menti suae obiicere tot Angelorum, et hominum myriades per merita Filii ac Matris in praedestinatorum album adscriptas, quibuscum immensa gaudia carpebat ac deliciabatur. Cave, o homo, ne tuae praedestinationis cooperatrici rebellis sis; sin minus iterum tibi cave, ne ab illa audias: abi, lupe rapax Dominici gregis insidiator et helluo: procul esto, hoede salax luxuriis ac libidinibus immerse. Nescio te leonem arrogantem, draconem maledicum, taurum cornupetam, vulpem fraudulentam. Sub cuius veritatis umbra, Adamo condito, iussu Dei ei obviam fiunt cuncta animantia, ut eis tanquam rex ac dominus nomina imponeret: *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius.* Sic Maria in primo conceptionis momento plenissimam omnium hominum notitiam hausit, et auxiliorum efficacium ac sufficientium, merita etiam ac demerita; unde recte eos suo nomine compellare poterat, alios, hoedos; alios, oves. Quod igitur de Christo protulit s. Anastasius Sinayta, lib. 9 Hexam., idem cum proportione dixerim de Maria: *Introduxit Deus omnes gentes belluinas, et eas adduxit ad Christum* (addo equidem et ad Mariam) *ut videret quid vocaret eas: unumquemque convenienter suis meritis et vitae, quam egerit: et ideo vocavit quidem oves, eas, quae statutae sunt a dextris; hoedos vero qui a sinistris; agnos autem, ut qui Christum sequantur; unde etiam nominat lupos, qui gregi insidiantur, Iudaeos, et genimina viperarum, et alios vulpes et omne quod vocavit, hoc est ei nomen.* Quid ad nostram thesim opportunius? Adduxit ergo Deus ad Mariam homines in puncto Conceptionis, eorumque merita ac demerita demonstravit, ut videret quid vocaret eos, videlicet ut per merita Filii, ac sua collata auxilia introspiciens quibuscum aeternam felicitatem adipiscerentur, eorum nomina in vitae Libro adscriberet, reliquos in sinistram Iudicis abire sinens. Huc flecto verba Richardi de s. Laurentio, lib. 4 de laudib. Virg., ubi haec habet: *Cum eadem sit potestas Matris et Filii, quae ab omnipotente Filio omnipotens est effecta; quia non est potestas nisi a Deo (ad Rom. 14). Unde dicit cum Filio, Matth. 18: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra, tamen excellenter potens est in Ecclesia Triumphante: unde dicit Eccl. 14: In Hierusalem superna potestas mea, imperandi scilicet quod volo virtutibus angelicis, et animabus sanctis, et faciendi beneplacitum meum, et quos volo, introducendi.* Ubi expressis verbis nostrum propugnat assertum.

1739. Mater praedestinatorum Maria coronas illis texit, ut nuptias cum Agno celebrent, cuius rei umbram habes in triumpho Iudith de Holoferne reportato, Iudith. 15: *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, et virginibus, et iuvenibus in organis et citharis.* Quae verba in Translatione graeca fusius habentur, sic enim transtulit Serarius: *Et concurrit foemina ex Israel, ut ipsam videret, et benedixerunt ipsam, et fecerunt ipsi chorum ex se ipsis, et ipsa suis manibus Thyrsos sumpsit, deditque mulieribus, quae secum erant, et coronarunt se oleaginis coronis tam ipsa, quam cum ipsa illae. Ipsa autem populum universum progrediebatur in chorea foeminas omnes ducens, et sequebatur omnis vir Israelis armatus cum coronis, et hymnis in ore ipsorum.* Ubi habes, viros et foeminas post Iuditham corollis redimitos incedere; a qua una omnium serta promanarunt: sic etiam et potiori iure omnes praedestinati coronas gloriae referunt acceptas ab una Deipara; ideo D. Ephraemus, orat. de laudibus Mariae, eam salutat: *Ave, Domina sceptrum fidelibus tuis impetrans.* Quasi sceptrum et diadema gloriae ex meritis Mariae praedestinatis obveniat. Ideo consultissime idipsum fatentur ipsi praedestinati Apocal. 5, dum aiunt: *Dignus es, Domine*, etc., *quia fecisti nos Deo nostro regnum.* Alii vertunt: *Fecisti nos reges, et regnabimus.* Ubi Agno gratias referunt, quod in regnum assumpti sint, cum tamen sedenti in throno solum referant, quod omnia condiderit Apoc. 4; cum ergo in throno sedens idem sit, ac ipse Agnus, cur non sedenti tribuant, quod illos reges constituerit? Opportune quidem, quia per throni sessionem, divinitas a Patre accepta obumbrabatur; at per agni mansuetudinem, humanitas quae a Maria acceperat, designabatur, nempe vellera, quibus regia purpura electis parabatur, per quam iam tunc in reges augurabantur, quod innuit Basilius Seleucus, orat. de Verbi Incarnat.: *Quae lingua*, inquit, *adeo est diser-*

ta, et sonora, quae Virginem illam pro dignitate decantare queat : per eam enim illustribus bonis ditati sumus ? Ex ipsa namque Flos Iesse exortus est, genusque nostrum gloria et honore coronatum est. Quasi universos praedestinatos gloriae coronas uni Virgini Mariae referre oportere necessum sit, quasi ab ea acceptas, ipsiusque meritis partas. Quo singulari beneficio electi omnes Mariae aeternis amoris vinculis, et gratitudinis ingentibus obsequiis obstringuntur.

1740. Quod videor mihi videre adumbratum Prov. 9 : *Sapientia aedificavit sibi domum*, Vatablus habet: *Sapientia aedificavit domum suam.* Quae de Maria passim Patres accipiunt: ibi autem domus significat etiam familiam, ut alias saepe. Luc. 1 : *In domo David patris eius. Et regnabit in domo Iacob in aeternum.* Sensus itaque erit : Pater aeternus, qui vera Sapientia, omnisque sapientiae scaturigo est, cui perampla familia coeli terraque sunt, aliam selectissimam familiam sibi adscivit per Mariam, nempe electos omnes, quos sibi tanquam filios adoptavit. Cui cogitatui multum iuvat verbum illud, *Aedificavit*, quod verti potest iuxta aliquos, *filiavit;* ut hinc elicias idem fuisse, aedificasse sibi domum Patrem aeternum, id est Mariam, ac sibi filiam comparasse, et in ea peramplam ac praedivitem familiam instituisse, quia per Mariam eiusque merita, tota praedestinatorum familia Deo obtigit ; per Mariam enim haereditas Dei, et cohaereditas Christi in omnes praedestinatos devolvitur. Iuvat audire Caesarium, Dialog. 1 : *Solam ex omnibus selegit Mariam, in ipsa ineffabiliter uniens sibi, et copulans naturam nostram. Elegit nobis haereditatem sibi, pulcritudinem Iacobi, quam dilexit, Mariam perpetuo manentem Virginem significans.* Huius familiae, cuius primatum tenet Maria, institutorem, et erectorem constituimus Patrem aeternum ; et merito, utpote qui vocatur ab ipso Christo paterfamilias, Matth. 2. Haec ergo filiorum adoptivorum familia, quae conformis debet esse imagini Filii sui ac Filiae, nempe Christi et Mariae, in album praedestinatorum ingreditur per Christi condigna merita, simultanee etiam per merita B. Virginis congrua. Quia propter Mariam, qui non erat populus Dei, efficitur populus Dei, ut videre est in Osea, cap. 1 : *Et erit in loco, ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filii Dei viventis.* Quae verba sic premit s. Damascenus, orat. 1 de Nativit. Mariae : *Factus fuerat populus Domini, non populus ipsius, et qui misericordiam consequutus, non misericordiam consequutus, et qui dilectus, non dilectus. Ob eam causam nunc Virgo priscae fornicationis adversaria paritur, ac Deo despondetur, Deique misericordiam parit ; atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat.* Itaque salutem ac praedestinationem debent electi suam Deiparae tanquam Corredemptrici, omnesque ipsi arctissimis gratitudinis et amoris nexibus devincimur. Dicant ergo Dei electi : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen Dei Christum, eiusque Matrem, quasi Sodoma fuissemus.*

Idcirco universa et militantis Ecclesiae, et triumphantis domus fuit Deiparae commissa, iuxta Carthusianum, lib. 1 de laudib. Mariae, cap. 4: *Domus bonae mulieris est sancta Ecclesia tam militans Virgini gloriosae, quam triumphans ex Angelis et hominibus constituta. Itaque sicut sol materialis suo splendore totum illuminat, et praeornat hemisphaerium nostrum, sic felicissima Virgo omnium optima mulierum universam decorat, illustrat, laetificat militantem, triumphantemque Ecclesiam.* Cuius universae huius domus ius in B. Virginem delapsum pulcre notat Epiphanius, orat. de laudib. Mariae : *Virgo Maria invenitur esse caelestis Sponsa, et Mater, quae donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit ; dotis vero gratia, coelum una cum Paradiso.* Ac si diceret, vice dotis, per amplam et militantis et triumphantis Ecclesiae domum ius Mariae tribuitur. Ubi animadverte, ea, quae ad dotem foeminae spectant, a marito alienari non posse sine ipsius uxoris consensu, nec in alterum rei illius ius transferre. Cum ergo bona Ecclesiae militantis, scilicet gratiam, tum et Ecclesiae triumphantis, nempe gloriam et aeternam felicitatem penes Mariam sint, tanquam propria ipsius, et specialis dos, nihil gratiae et gloriae sine consensu Mariae erogari ac distribui cuiquam poterit. Ac proinde cum Christus Dominus crucem ageret, et testamentum conderet, in quo animam Deo Patri, hominibus in coelestem patriam accessum, Latroni paradisum distribuebat, opus fuit ut Deipara iuxta crucem staret : *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius*, Ioan. 19, cuius consensu illa bona sua distribuerentur.

CERTAMEN VII.

Utrum B. Virgo potuerit aliis mereri de condigno gratiam iustificantem

1741. Illud inprimis unanimi Doctorum consensu tanquam compertum supponitur, de lege ordinaria, neminem, dempto Christo, posse mereri alteri de condigno gratiam, sive peccatori, sive iusto. Ratio est, quia iustorum opera ea destituuntur condignitate, cum iam de facto tota eorum condignitas exhauriatur per praemium augmenti gratiae ipsis collatum, cum iam Deus ipsis contulerit praemium adaequatum valori intrinseco operum iusti. Quod si Deus non contulisset iustorum operibus condignum praemium, tunc recte posset iustus suis meritis auxilia gratiae efficacia de condigno aliis emereri ; tunc enim adhuc superesset in eis condignitas ad collationem auxilii efficacis, quod nihil maius continet, quam augmentum gratiae et gloriae, quod de facto sibi vendicat, et condigne meretur iustus per ipsius bona opera. Atqui nequit iustus aliis mereri gratiam condigne de lege ordinaria, nisi mereatur ipsis auxilia efficacia, quibus disponantur ad ipsam gratiam ; ergo de

lege ordinaria nullus iustus promereri potest meritum condignum alienae gratiae.

De lege absoluta negant, posse iustum promereri alteri, etiam non peccatori condigne gratiam, P. Vasquius, tom. 1 in 3 p., disput. 4, cap. 5; Torres, opusc. 8, disp. 4, dub. 2; Hurtado Complut. de Incarnat. disp. 1, difficult. 14; Maeratius de Incarn. disp. 4, sect. 3; Cardin. Lugo, tom. 1 in 3 p., disput. 5, sect. 8, num. 147. Iustus enim indiget sibi gratia alteri adipiscenda, quia adhuc plenitudinem gratiae non est adeptus; si enim iam obtinuisset, iam tunc posset alteri promereri. Fundamenta, quibus suam firmant sententiam, refert ac convellit Ripalda, tom. 2 de ente supernaturali, disput. 96, sect. 1, quorum praecipua nos infra refellemus.

Censeo, Virginem Deiparam potuisse mereri condigne iustis gratiae sanctificantis augmentum. Suaderi potest primo, quia praemium, quo de facto Deiparae Deus remunerat merita, est finitum et limitatum; ergo infra eius condignitatem; ergo in meritis Marianis adhuc resplendet condignitas ad excellentius praemium; ergo ex meritis Marianis condigne adhuc impendi posset iustis gratia sanctificans. Ratio enim, ob quam iustus nequit aliis iustis gratiae dona mereri, vel aliud quidpiam condigne, est utique, quia meritorum ipsius condignitas omnis de facto exhausta est per praemium gratiae et gloriae, quod ipsi iusto confertur; sed meritorum Deiparae condignitas non fuit exhausta praemio finito ipsi collato, quia dignitas Matris Dei immensa a Patribus, et infinita praedicatur, ut ostendimus suo loco; ergo semper superest condignitas in meritis Marianis, ut possit iustis emereri gratiae dona; ergo licet alii iusti nequeant aliis condigne mereri gratiam iustificantem, poterit tamen Virgo Deipara, quia dignitas Matris Dei longe sublimior est, ut vidimus, gratia habituali; tum quia in eum scopum intenta a Deo fuit, ut non solum in ipsius B. Virginis commodum cederet, sed etiam in aliorum emolumentum; ideo enim mediatricis, et advocatae munus obit.

Secundo probatur: gratia habitualis, et dignitas Maternitatis Dei tribuunt meritis Marianis valorem satisfactorium cum condignitate pro poenis debitis aliorum; ergo eadem dignitas, et gratia Mariana poterit conferre condignitatem meritoriam pro alterius iusti gratia. Antecedens a nemine negatur, quia cum B. Virgo sibi nequiverit satisfacere, nullum enim peccatum commisit, et de facto condignam satisfactionem pro aliis emeruit: consequentia est legitima; nam dignitas gratiae habitualis, et Maternitatis Dei in Maria operante, duplicem sortiebatur vim; alteram alliciendi voluntatem Dei remunerativam ad collationem praemii, quae est vis meritoria, aliam movendi voluntatem vindicativam Dei ad remissionem poenae, quae est vis satisfactoria; sed gratia habitualis, et Maternitas Dei protendere potuerunt vim satisfactoriam operum B. Virginis ad satisfaciendum condigne pro poenis alienis; ergo similiter protendere potuerunt vim meritoriam eorundem operum ad merendum dona gratiae aliis condigne. Sic dexter et strenuus miles suis praeclare gestis de rege benemeritus, beneficia et honores in suos consanguineos impensos tanquam sibi collatos acceptat, quibus praeclara sua facinora digno afficiuntur praemio.

Tertio Virgo Deipara nobis emeruit congrue, ut supra tradidimus, dona gratiae; ergo potuit promereri eadem dona de condigno, meritum enim condignum et congruum solum discriminantur, quia meritum condignum est aequale praemio(a): at meritum congruum non adaequat praemium, ut probat Ripalda cit., disp. 71, sect. 2. Haec autem inaequalitas, quam secum adsportat de facto meritum congruum, nascitur ex eo, quod valor operis de facto exhauritur adaequato praemio gratiae et gloriae sic operanti collato; ac proinde nihil remanet in opere condignum, quod possit aliis erogari; atqui potest divinitus non insumi totus valor operum B. Virginis in praemio gratiae et gloriae ipsi B. Virgini collato, adeoque poterat superesse condignitas, quae etiam adaequaret praemium alterius: sic potuit iustus de condigno mereri bona temporalia, et auxilia gratiae cum aliqua iactura suae gratiae habitualis; nam quidquid meriti insumeretur in praemio bonorum temporalium, et auxiliorum gratiae, detraheretur iusto de augmento gratiae habitualis: sicut ergo prudenter applicare posset partem suorum meritorum pro bonis temporalibus, ita prudentius eam partem meritorum applicare posset pro donis gratiae alterius; esset enim actus charitatis, praesertim si a Deo statutum esset, ut nulla gratia sanctificans, vel saltem non omne debitum augmentum merenti tribueretur, sed alteri, cui merens vellet applicare.

Quarto, condignitas operum B. Virginis non vendicat aequalitatem arithmeticam cum praemio, sed geometricam et proportionis, quae admittit latitudinem maioris vel minoris praemii, ut bene docet Ripalda, tom. 1, disp. 16, praesertim cum dignitas Maternitatis Dei sit et dicatur immensa, gratia autem habitualis B. Virgini collata non sit infinita, nec adaequet dignitatem Matris Dei aequalitate arithmetica, sed aequalitate eiusdem proportionis. Nunc sic: ponamus Deum de facto cuilibet actui charitatis Marianae ut octo, conferre gratiam sanctificantem ut sex, quo praemio poterat adaequate, et condigne praemiare Deus actum charitatis a B. Virgine elicitum, quia Deus non servat in remunerando opera iustorum aequalitatem arith-

(a) Ratio discriminis inter meritum de condigno, et de congruo ab Auctore adducta non est adequata. Communiter Theologi dicunt meritum de condigno haberi cum merces debetur ex iustitia; secus, si merces datur ex liberalitate, meritum haberi ex congruo. Et quia nunquam opera nostra possunt habere proportionem ad beatitudinem supernaturalem, hinc requirunt promissionem ex parte Dei ad inducendam iustitiam in retributione; ac proinde ad constituendum meritum de condigno inter alias conditiones assignant istam, nempe ut adsit promissio ex parte Dei; quae conditio in merito de congruo non requiritur. Vide Bellarminum, De Iustific: lib. V, praesertim in cap. XIV. *Nota Editoris.*

meticam, sed geometricam et proportionis. Modo sic efformatur ratio: poterat Deus acceptare actum charitatis Marianae ad gratiam ut octo, vel ut decem, vel ut sex ipsi Deiparae conferendam; ergo recte potuit acceptare eundem actum charitatis ut octo ad solos sex gradus gratiae ipsi B. Virgini conferendae, et alios duos vel quatuor gradus aliis erogandos. Firmatur ex doctrina Cardinalis Lugo, tom. de Incarn., disp. 5, sect. 8: si Deus conferat iusto gratiae plenitudinem, tunc, ait ille, posset gratia opera ipsius iusti digna reddere ad conferendam gratiam aliis; atqui hanc gratiae plenitudinem tribuunt sacrae Scripturae, ac Patres ipsi Deiparae; ergo potuit Deus impendere B. Virgini condignum propriae sanctitatis augmentum, et simul ex condignitate operum, et meritorum ipsius ei augmento adnectere sanctitatem reliquorum iustorum, quia praemium condignum meritorum Deiparae admittit valde distantem inaequalitatem intra proportionem geometricam, quae metienda est pro libito Dei remunerantis.

Opponat aliquis, recte posse Deiparam, sanctitatem alienam, id est reliquorum iustorum, tanquam praemium suorum meritorum acceptare, id tamen non erit meritum condignum, sed congruum. Contra tamen est, quia si aliena sanctitas potest esse praemium congruum operum bonorum B. Virginis, etiam poterit esse praemium aequale valori ipsorum, atque adeo condignum. Si enim opera meritoria B. Virginis sunt aequalia et condigna propriae sanctitatis, exempli gratia, ut quatuor; ergo etiam et alienae, quae non superet gratiae intensionem, quia gratia ut quatuor, alteri collata iusto, non est maioris valoris, quam eadem collata ipsi merenti. Praeterea perfectio, quam Maternitas Dei una cum gratia habituali confert virtutum actibus in genere causae efficientis, quae nihil aliud est, quam bonitas, seu honestas; non solum B. Virgini est conveniens, sed etiam aliis, quia Maternitas Dei ipsi Deiparae obtigit in ordine ad hominum commoda; ergo similiter perfectio, quam confert gratia habitualis in Deipara, ipsius virtutum actibus in genere causae formalis et moralis, quae nihil aliud est, quam condignitas, et valor, non est determinata ipsi commodo B. Virginis solum, sed etiam extendi potest ad commodum et emolumentum aliorum; cum tam vis operandi efficiens, quam moralis pertineat ad participationem naturae divinae sive essentialem, sive integralem.

Demum probari potest hoc nostrum placitum, deprompto ab humanis exemplo: quippe amicus suis obsequiis apud amicum, filius apud patrem, regis a secretis apud Regem promerentur non solum ut sibi, verum ut aliis munera, honoresque impertiantur; si enim ea munera pro aliis postulata denegarentur, quasi de violato amicitiae iure, sive naturali filiationis, ac familiaritatis, merito illi conqueri possent: atqui Maternitas Dei longo intervallo superat perfectiones illas naturales amicitiae, filiationis, et familiaritatis humanae; ergo Maternitas Dei tribuit operibus B. Virginis condignitatem ad merendum, non solum sibi, sed etiam aliis; multo enim eminentiori modo Maternitas Dei constituit B. Virginem apud Deum, amicam, filiam, ac Matrem, tum et familiaritate coniunctissimam; quidquid enim perfectionis confertur illis qualitatibus, seu dignitatibus, scilicet amicitiae, filiationis, et familiaritatis in ordine naturali et humano; inficiari non debet amicitiae, filiationi, et familiaritati in ordine supernaturali et divino.

1742. Censeo secundo: Potuit Virgo Deipara condigne promereri gratiam iustificantem aliis, etiam peccatoribus. Ita Doctores quotquot id asserunt de quolibet iusto (a). Hi sunt Granado, controvers. 1 de Incarnat., tract. 2, disp. 1, sect. 3 et 4; Tannerus, to. 4, disp. 1, quaest. 2, dub. 8; Ripalda, de ente supernaturali tom. 2, dis. 96, sect. 3. Dupliciter autem potuit contingere hoc meritum. Primo, si B. Virgo mereretur alteri gratiam habitualem cum remissione peccati: secundo, si mereretur gratiam absque remissione peccati. Utroque modo potuit Deipara nobis promereri gratiam, quia potuit condigne innocentibus gratiam promereri; ergo potuit etiam promereri gratiam seorsim sine remissione peccati, quia maius beneficium est, constituere amicum Dei cum iure haereditario ad beatitudinem, quam solum mereri gratiam habitualem absque remissione peccati; sed Deipara potuit mereri de condigno gratiam innocentibus; ergo et peccatoribus sine remissione peccati. Confirmatur: maius donum est in genere beneficii auxilium efficax, quam mere sufficiens; sed gratia peccatori collata sine remissione peccati solum se habet sicut auxilium sufficiens, at gratia innocenti collata habet se sicut auxilium efficax; in priori enim eventu solum manet sufficiens sine efficacia effectus subsequuti, scilicet remissionis peccati; in posteriori autem existit efficax cum effectu suo adaequato: ergo cum Deipara potuerit mereri gratiam innocentibus condigne, potuit etiam mereri gratiam peccatoribus sine remissione peccati.

Nec officit, si dixeris, gratiam collatam cum indignitate subiecti maius longe beneficium esse, quam gratiam compositam cum dignitate subiecti; siquidem ex indignitate recipientis augetur valde aestimatio beneficii; cum ergo in-

(a) Quidquid sit de Doctoribus ab Auctore citatis, communis Theologorum doctrina est solum Christum Dominum posse aliis mereri de condigno iustificantem gratiam: et haec est etiam doctrina D. Thomae, qui 1 2, q. CXIV, a. VI, quaerens *Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam*, respondit: « Patet, quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus; quia unusquisque « nostrum movetur a Deo per donum gratiae, ut ipse ad vitam « aeternam perveniat: et ideo meritum condigni ultra hanc « motionem non se extendit. Sed anima Christi mota est a « Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam « vitae aeternae, sed etiam ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiae, et auctor salutis humanae, secundum illud Heb. I, 10: *Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis* etc. ».

Nota Editoris.

dignitas peccatoris sit maior quam dignitas meriti, non ex eo quod potuit condigne promereri Deipara gratiam innocentibus, statim infertur, potuisse etiam mereri eandem gratiam peccatoribus. Dico tamen hoc verum esse, quando beneficio gratiae exhibito tolleretur indignitas subiecti per peccati remissionem; cum autem gratia relinquat subiectum cum peccato, ut supponimus, adeoque cum eadem indignitate, non debet beneficium gratiae aequari malitiae ipsius indignitatis: sicut nemo prudens dicet maius esse beneficium dari homini cum peccato existenti auxilium sufficiens, quo indignus est propter peccatum, quam eidem in statu gratiae existenti conferri augmentum gratiae; praesertim cum doni magnitudo non solum accrescat ex indignitate subiecti, sed etiam ex maiori amore conferentis beneficium, Deus autem plus diligit iustum, quam peccatorem, dum confert illi solum auxilium sufficiens; siquidem aliquem diligere, nihil aliud est, quam velle bonum ei: grandior ergo amor est maius bonum velle; maius autem bonum est, velle alicui auxilium efficax ad augmentum gratiae et gloriae, quam velle auxilium sufficiens, sive gratiam habitualem sine remissione peccati.

Modo probatur assertum quoad secundam partem, videlicet potuisse Deiparam mereri condigne peccatori gratiam iustificantem cum remissione peccati, saltem condignitate geometrica, et proportionis; quia ut meritum Deiparae sit condignum remissionis peccati sibi, vel alteri, opus est et sufficit, habere bonitatem allicientem Deum ad tale beneficium, quae aequalis sit bonitati et dignitati gratiae habitualis; sed merita Deiparae secum ferebant bonitatem et dignitatem allicientem Deum ad conferendum tale beneficium; ergo meritum B. Virginis condignum poterat esse gratia sanctificans cum remissione peccati aliis praestanda. Minor ex eo constat, nam meritum Deiparae constituitur ex dignitate Matris Dei, et gratiae habitualis, et ex bonitate actus; at haec bonitas, et dignitas Matris Dei, et gratiae habitualis digna est, cui adnectatur remissio peccati alieni, Deusque de condigno allici potest ex intuitu gratiae ad remittendum peccatum: inficiari enim nemo iure potest, Deum adeo sibi complacere in meritis Deiparae, sicut in bonitate et dignitate Matris Dei; nam meritum Deiparae complectebatur bonitatem, et dignitatem Matris Dei, et honestatem moralem operum ipsius; ergo vis allectiva in Deo ad condonandum peccatum tanta est in meritis Deiparae, quanta erat in dignitate Maternitatis Dei. Firmatur: si actus bonus sit tantae bonitatis, et dignitatis, quantae est gratia habitualis, potest homo sibi mereri condigne remissionem peccati; siquidem bonitas gratiae habitualis digna est tali remissione: idcirco docet Ripalda cit. disp. 88, actum charitatis iustificantem meritorium esse condigne remissionis peccati; ergo eodem merito posset etiam alteri mereri remissionem peccati; atqui de facto quodcunque meritum Deiparae tantae bonitatis et dignitatis fuit, et multo maioris, quantae est gratia habitualis; ergo meritum Deiparae potuit esse condignum remissionis peccati.

Roboratur amplius secundum assertum: inter meritum Deiparae, et praemium remissionis peccati sufficiens apparet aequalitas geometrica et proportionis, ut faciat condignitatem meriti; ergo potuit Deipara condigne mereri aliis peccati remissionem. Antecedens patet, nam aequalitas geometrica, seu proportionis meriti cum praemio, secum adsportat distantiam quasi infinitam, ut bene docet Ripalda, tom. 1, disp. 16, sect. 4. Et ratio est, quia nostra merita, quae si aequalitate arithmetica, et rei ad rem remunerarentur sola visione beata aequalis durationis cum ipsis meritis praemiari deberent; modo autem remunerantur aequalitate proportionis, bravio aeternae beatitudinis, quod praemium si conferatur cum instantaneo nostrorum operum labore, infinito pene intervallo levis et momentaneus labor superatur a praemio; siquidem ea proportio admetienda est iuxta excellentiam remunerantis, quae infinita est, et ad remunerandum et benefaciendum infinite propendens; tum commensuranda est ea aequalitas, et proportio dignitati merentis Deiparae, quae Maternitate Dei praefulget, quae est dignitas pene infinita; sed dignitas et excellentia remunerantis, et Deiparae merentis invehit proportionem et aequalitatem geometricam inter meritum Deiparae, et remissionem peccati; praesertim cum gratia suapte natura inferat, et adsportet remissionem peccati; ergo licet peccati remissio arguat infinitatem quandam *secundum quid*, poterit meritum Deiparae, quae est etiam dignitas infinita *secundum quid*, ad aequalitatem proportionis pervenire cum peccati remissione. Quae omnia denuo confirmantur communi Theologorum sententia adstruente gratiam iustificantem concurrere positive ad meritum condignum vitae aeternae: quod si Maternitas Dei foret forma sanctificans, ut contendimus, multum adaugeret moraliter Mariana merita: sicut ergo dignitas gratiae substantialis in Christo concurrit positive ad valorem meritorum Christi, alioquin non apparet, qui possit esse infinitus, siquidem ex parte bonitatis operum desumi nequit haec infinitudo, cum illa finita sit, et limitata; ergo simili proportione dicendum est de operibus B. Virginis, illorum scilicet valorem accrescere ex dignitate Maternitatis Dei, simul et ex gratia habituali ipsius. Quemadmodum enim se habet gratia infinita substantialis ad valorem infinitum operum Christi; ita se habet gratia Maternitatis Dei pene immensa ad valorem pene immensum operum B. Virginis. Quis enim negare ausit opera procedentia a Matre Dei multo esse gratiora eis, quae proficiscuntur a quolibet filio adoptivo Dei? Ergo opera B. Virginis accipiunt positivam aliquam dignitatem a dignitate Maternitatis Dei.

1743. Ex his iam infero tertium assertum: Potuit Deipara condigne mereri remissionem peccati condignitate arithmetica, et rei ad rem. Suadetur, quia ad plenam aequalitatem praemii et meriti, sat est ut tanta sit dignitas meriti,

quanta est excellentia praemii; sed dignitas meriti Deiparae tanta est, quanta est excellentia, et bonitas remissionis peccati; ergo datur omnimoda aequalitas, et condignitas meritorum Deiparae cum remissione peccati. Minor probatur; licet bonitas remissionis non sit tanta, quanta est malitia peccati, non tamen superat dignitatem meritorum Deiparae: quod vero bonitas remissionis peccati non sit tanta, quanta est malitia peccati, inde probari potest, quia malitia peccati tanta est, ut hominem obnoxium reddat summae infelicitati; bonitas autem remissionis peccati tanta non est, ut hominem reddat summe felicem: nemo enim dicet praecise per remissionem peccati, hominem a Deo constitui in eo felicitatis gradu, quo peccatum hominem summe infelicem constituit; homo enim cui peccatum condonatur, adhuc discrimini itenum peccandi subiacet, et pluribus aliis privilegiis ac donis indiget, ut ad statum summe felicem provehatur, nempe gratia et amicitia Dei, virtutibus ac donis infusis, visione denique beata: atqui sola summa felicitas est tanta bonitas, quanta est malitia peccati, quae est summa infelicitas; ergo bonitas remissionis peccati tanta non est, quanta est malitia peccati: nam per peccatum fit homo Deo invisus et adversarius; at per remissionem peccati praecise non fit absolute dignus amicitia Dei. Urgeo hanc rationem, quia beneficium remissionis peccati maius non est, nec aliud, quam hominem revocare in pristinum statum quem habebat ante peccatum: at status ille pristinus antecedens peccatum, non est tantae bonitatis, quantae est malitiae peccatum; siquidem vilior, foedior, ac turpior est homo per peccatum, quam sit bonus, pulcher, ac pretiosus homo constitutus solum in pura natura. Quod in Virgine Deipara sic confirmo, quae potuit mereri de condigno praeservationem a peccato sibi et aliis, nempe promerendo auxilium efficax ad impletionem legis et praeceptorum; sed praeservatio a peccato, nihil aliud est, quam indemnitas, et status, quem homo acquirit per remissionem peccati, imo maioris aestimationis moralis est haec praeservatio a peccato, quam sit ipsa peccati remissio; quia maius beneficium fuit B. Virgini, illam a peccato praeservari, quam sit illud beneficium, quo reliqui gaudent remissione peccati originalis per baptismi susceptionem.

Adversus hoc tertium assertum arguitur primo, quia Patres in universum docent, non posse purum hominem liberare genus humanum a peccato; si autem Deipara posset aliis gratiam, ac peccati remissionem promereri, posset consequenter genus humanum a peccato liberare. Patrum locutiones affert Vasquius, tom. 1 in 3 p., disput. 4, cap. 3; Granados de Incarnat. tract. 2, disputat. 1, sect. 3. Verum respondeo, Patres solum agere de satisfactione condigna pro peccato, et non de merito condigno remissionis peccati: valde enim inter se discrepant meritum satisfactorium, et quod est pure meritum; nam ad condignitatem meriti sufficit aequalitas inter dignitatem operis et bonitatem remissionis: meritum enim directe solum respicit praemium, quo remuneratur: at vero ad satisfactionem pro peccato condignam requiritur aequalitas inter operis satisfacientis dignitatem, et malitiam peccati, quam necessario respicit satisfactio: ad hoc enim, ut per satisfactionem persona offensa digne reddatur placata, opus est, ut tam grata sit ei bonitas satisfactionis, quantum ingrata est et invisa malitia offensae: sed meritum B. Virginis aequari poterat bonitati remissionis peccati, non vero malitiae peccati; maior est enim malitia peccati quam bonitas uniuscuiusque operis iusti; potuit ergo opus Deiparae esse meritorium de condigno remissionis peccati, quin satisfactorium sit de condigno pro ipso peccato. Imo Christus Dominus potuit de condigno mereri remissionem peccati hominibus, quin de condigno satisfaceret pro illorum peccato: nam si Pater exigeret determinate Christi mortem ad satisfaciendum pro hominum peccato, utpote opus poenale satisfactionis proprium; at vero ad extinguendum ius aversionis iustae deposceret aliud quodcunque opus sive internum, sive externum, licet non esset poenale: in hoc eventu, quolibet actu bono a Christo elicito, promereretur de condigno remissionem peccati, non vero de condigno satisfaceret pro malitia peccati, nisi eiusdem Christi morte. Itaque ante Christi mortem, posset homo in Dei amicitiam venire per quemlibet actum bonum a Christo elicitum, semper tamen tunc esset ille homo satisfactionis malitiae peccati reus.

Aliud etiam ingens discrimen reperitur inter meritum remissionis peccati, et satisfactionem ipsius; siquidem in satisfactione, qui satisfacit est debitor; cui fit satisfactio, est creditor: at in merito, e converso, nam merens, apud quem meretur est veluti creditor; remunerator vero est tanquam debitor: unde meritum Deiparae potuit de condigno mereri remissionem offensae alienae, licet non satisfaceret pro illa. Cum igitur Ecclesiae Patres denegant homini puro quantumvis sanctissimo, adeoque et Deiparae, vires ad redimendum genus humanum, loquuntur de satisfactione condigna, quatenus a merito condigno differt, quia denegant puro homini eam sufficientiam ad redimendum mundum, quam Christo Domino tribuunt: at Christi sufficientia ad mundum redimendum condigna fuit ad satisfactionem peccatorum: quod ex ipsorum verbis pronum est colligere; aiunt enim hanc impotentiam puri hominis desumendam esse ex gravitate et malitia peccati, cui nequit aequari dignitas aut excellentia puri hominis, aut etiam Deiparae; ea autem aequalitas intelligenda est respectu solius satisfactionis, non vero respectu meriti remissionis peccati. Alii dicunt nullum opus poenale puri hominis posse esse pretium, et holocaustum necessarium ad solvendum debitum per hominum peccata contractum; quae omnia ad satisfactionem spectant, ac satisfacientem debitorem ponunt; non vero ad remissionem peccati, quod e contra merentem creditorem facit, illum autem apud quem meretur debitorem statuit.

1744. Arguitur secundo ex Hurtado Salman-

ticensi, de Incarnat. disp. 10 et 52: si Deipara posset mereri de condigno aliis remissionem peccati; ergo et posset satisfacere de condigno pro illo, quia per meritum illud satisfieret aeterno Patri pro peccati debitis de condigno; quia meritum Deiparae esset pretium aequans peccati debitum, pretium autem aequans debitum de condigno satisfacit debito. Respondeo, iam nos dedisse discrimen supra inter meritum condignum remissionis peccati, et satisfactionem condignam pro peccato; itaque potuit meritum Deiparae condigne mereri remissionem peccati alieni, non vero condigne satisfacere pro illo, quia non aequaretur malitiae peccati, ut iam praemisimus.

Tertio arguitur: Meritum condignum remissionis peccati tantam in se continere debet bonitatem et excellentiam, quantam malitiam et vilitatem claudit peccatum; sed meritum puri hominis etiam Daiparae non est tantae bonitatis et excellentiae; ergo neque de condigno merebitur remissionem peccati. Maior probatur: bonitas et excellentia meriti condigni aequari debet bonitati, et excellentiae praemii; inter meritum enim condignum et praemium intercedere debet aequalitas: sed bonitas, et aestimatio remissionis peccati est tanta, quanta est malitia, et vilitas peccati; ergo bonitas et excellentia meriti condigni remissionis peccati debet esse tanta, quanta est vilitas et malitia peccati. Minor suaderi potest, nam bonitas, et aestimatio privationis mali aequatur quantitati mali qua privat, sicut etiam malitia privationis boni debiti aequat quantitatem boni; tanta enim est iactura mille aureorum mihi debitorum, quanta est bonitas et aestimatio ipsorum: quod amplius explicari potest, quia in malitia nulla est pars, neque gradus in ipsius intensione, cuius privatio non sit bona; ergo quot sunt partes, seu gradus in forma subiecti mala, tot etiam erunt partes et gradus bonitatis in privatione ipsius formae malae; ergo quanta est malitia formae, tanta erit bonitas privationis ipsius, et tanta erit amabilitas privationis mali, quanta est odibilitas mali; pari enim gradu amabilitas sequitur bonitatem privationis mali, et odibilitas mali eiusdem malitiam; nec minori amoris affectu prosequitur voluntas amabilitatem, seu bonitatem privationis mali, quam eadem voluntas detestetur, et aversetur malitiam eiusdem mali.

Huius argumenti vis iam supra enervata fuit, cum contendimus remissionem peccati non esse tantae bonitatis, quantam malitiam cohibet sub se peccatum. Nunc subiiciamus exempla, quibus eadem veritas suffulciatur: Carentia unionis hypostaticae non continet infinitam malitiam, licet ipsa unio hypostatica claudat bonitatem infinitam. Deinde bonitas actus praecepti formaliter est privatio malitiae omissionis ipsius, quae tamen bonitas non est tanta subiecto, quanta est malitia peccati omissionis; nam bonitas actus praecepti non mereretur tantum gaudii, quantum doloris et tristitiae malitia peccati omissionis, plus enim infelicitatis adsportat malitia peccati, quam felicitatis bonitas actus. Praeterea in malis naturae multo acerbior est praesentia ingentis doloris in ratione mali, quam sit bona absentia illius in ratione boni; siquidem ingens dolor cogit naturam sentientem ad positivum moerorem et angorem, ac molestiam per sensionem ipsius doloris: at absentia illius doloris non inducit naturam ad positivum gaudium, seu delectationem. Ad argumentum ergo respondetur, tantam bonitatem reperiri in privatione mali, quanta est malitia in ipso malo extensive, non vero secundum intensionem; itaque tot reperiuntur privationes bonae mali alicuius, quot sunt partes, seu gradus malitiae; opus tamen non est, ut unaquaeque privatio mali sit secundum intensionem tantae bonitatis, quantae est malitiae unaquaeque pars, seu gradus malitiae in malo, quo privat. Insuper dupliciter possumus privationem mali amare, et privationem boni odisse: primo propter bonitatem, seu malitiam intrinsecam ipsius privationis: secundo propter bonitatem, seu malitiam boni seu mali, quo privat: quamvis ergo amore boni, affectu odii feramur in privationem ipsius; et odio mali, amore prosequamur eiusdem mali privationem; cum tamen privatio mali appetitur propter malitiam ipsius mali, et non propter bonitatem ipsius privationis; et privatio boni odio habetur propter bonitatem ipsius boni, et non propter malitiam ipsius privationis; tunc potest odium mali esse maius secundum intensionem, quam amor privationis; et amor boni, maior secundum intensionem, quam odium privationis, quia potest esse maior bonitas boni, quam malitia privationis, ut patet in unione hypostatica, eiusque privatione; et potest esse malitia mali maior, quam privationis bonitas, ut subductis exemplis ostendi.

1745. Ex his omnibus, quae toto hoc Certamine fuse explanavimus, inferre possumus, omnia auxilia gratiae, quae hominibus a Deo dilargiuntur, cadere sub meritum condignum B. Virginis. Probatur, quia ea est sublimitas meritorum Deiparae, ut exhauriri nequeat aliquo cumulo finito auxiliorum, et donorum gratiae, sed semper ulterioris gratiae, vel praemii capax est; sicut de dignitate meritorum Filii dici solet, cum aliqua proportione: quam meritorum Deiparae excellentiam ex Patribus depromere possumus, qui dignitatem Matris Dei infinitam, immensam, et cognitione creata adhuc ipsius Deiparae incomprehensibilem extollunt; ergo nequit exhauriri donis finitis. *Vas*, inquit Bonaventura alibi datus, *immensum non potest nisi immensa repleri, gratia scilicet;* ergo praeter gratiam sibi datam potuit Deipara ulterius nobis promereri auxilia gratiae de condigno. Roboratur: quacunque intensione gratiae, et quocunque donorum cumulo Deiparae collato, inferior ille semper existit infinita dignitate Matris Dei; ergo ut adaequetur condignitati Matris Dei, maior et amplior illi exhibenda est: dumque finitae gratiae limites non praetergreditur, nunquam immensitati dignitatis eius adaequabitur. Idem esto iudicium de dono perserverantiae iustorum, cadere scilicet sub meritum condignum Deiparae propter rationem eandem.

Insurges, praemium meriti condigni debetur ex iustitia merenti: at nullum auxilium efficax ad perseverandum debetur Virgini Deiparae respectu aliorum, quia nulla exstat promissio Dei, quae necessaria est ad meritum iustitiae. Respondeo, ad meritum condignum sufficere voluntatem Dei remunerantis ex operis condignitate profectam, ut bene probat Ripalda, t. 2, disputat. 82, nec alia obligatione iustitiae antecedente, vel promissione remunerationis opus est; licet enim Deus antecedenter non promisisset operibus iusti gloriam, posset ea remunerare de condigno, si ex condignitate intrinseca ipsorum operum moveretur ad illam conferendam; potest ergo Deus conferre aliis donum perseverantiae ex merito condigno Deiparae, licet nulla lex, vel promissio Dei antecedat. Et confirmari potest, quia docent Theologi non ignobiles, Deum promisisse precibus iustorum rite fusis ex fide, confidentia, et perseverantia, dona et auxilia ab eis postulata, inter quae saepe a iustis deposcuntur auxilia gratiae efficacia; si ergo ponamus iustorum preces, quales Deus exigit ad infallibilem impetrationem ex promissione antecedente, tunc certum est non deficere connexionem operis ex promissione antecedente Dei, et tamen deficit meritum condignum, non ex defectu promissionis, sed condignitatis operum. Quid, quod arbitror adesse antecedentem legem et promissionem Dei, qua voluit, ut per merita B. Virginis omnes iusti auxilia efficacia ac perseverantiae donum consequerentur, ut ex superioribus Certaminibus inclaret? Nunc sic arguere possumus: opera Deiparae non indigent condignitate intrinseca ad praemium doni perseverantiae respectu aliorum, quia de facto meritorum Deiparae condignitas non exhauritur praemio augmenti gratiae et gloriae ipsi Deiparae exhibito; ergo adhuc superest condignitas ad retributionem auxiliorum efficacium, ac doni perseverantiae respectu iustorum. Ulterius roboro nostram propositionem, quia instantes ac piae iustorum preces a Deo impetrare possunt, ac per consequens de congruo mereri sibi et aliis perseverantiae donum, nempe collectionem auxiliorum efficacium, quibus omnia praecepta divina serventur, ac caveantur peccata usque ad postremam vitae clausulam; ergo poterit Deipara aliis promereri hoc perseverantiae donum de condigno. Si enim congruum est, et divinae liberalitati consentaneum, ut propter eximia iustorum opera, auxilia efficacia petenti aliis conferat usquedum ad optatum finem perveniant; ergo poterit Deus allici et moveri propter Deiparae merita condigna ad conferendum perseverantiae donum reliquis iustis; praecipue cum nullo gratiae et gloriae cumulo, neque ullis auxiliis efficacibus, licet aliis iustis applicarentur, exhauriri possit Marianorum meritorum condignitas immensa.

Hoc sensu intelligi possunt verba Methodii, orat. de Hypapante Dom., ubi Virginem Deiparam ita alloquitur: *Tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti.* Si ergo dedit Deo Incarnationem, ergo iure quidem tantundem exigat a Deo debitore: quid ergo pro Incarnatione reddere potest Deus Virgini Beatae? Merito ipse Methodius, serm. de Purific., ait: *Euge quae debitorem habes Eum, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Tot ergo sunt Virginis dotes, tanta divitiarum opulentia, tantusque gratiarum thesaurus, ut illis potuerit creaturas omnes cumulare, ut verissime affirmare possit Damascenus, orat. 1 de Assumpt.: *Haec omni profuit creaturae, quam veluti coemptam a servitute in libertatem asseruit.* Tantus est in Maria divitiarum affluxus gratiarumque cumulus, ut sufficiens sit ad solvendum pro universis creaturis: imo pro Deo ipso fideiussionem praestare potest, iuxta Andream Cretensem serm. 2 de Assumpt., asserentem: *Haec* (scilicet Maria) *est divinarum reconciliationum, quae pignore data fuit, fideiussio.* Quasi Virgo Deipara divinae omnipotentiae thesauros exhauserit, atque adeo iam Deus Deiparae fideiussione opus habebat; ita ut, si Deus nollet solvere aut satisfacere pro debitis totius generis humani, una B. Virgo posset pro Deo fideiussionem sufficientem exhibere: imo iuxta aliquorum Theologorum mentem apud Celada in Appendice de Iudith figurata, § 3, num. 16, potuisset condigne suis meritis reconciliationem humanam apud Deum praestare, et aeque pro debitis totius generis humani satisfacere, si pactum intercessisset. Ita Sotus in 4, dist. 1, q. 5, art. 4; Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 4, sect. 7.

CERTAMEN VIII.

An potuerit Virgo Deipara condigne satisfacere pro peccato alieno (a).

1746. Qua de re videndi Suarius, tom. 3 de gratia, lib. 12, c. 16; Vasquius, t. 1 in 3 p., dis. 4, cap. 5, num. 45 et 48. Nunc praemittimus meritum condignum dupliciter accipi posse. Primo modo, ita ut sumatur condignitas perfecta ex omni rigore satisfaciens pro alienis peccatis. Secundo modo, pro condignitate aliquo pacto non rigorose accepta.

Nunc arbitror primo puram creaturam, atque adeo Deiparam, satisfacere posse aliquo pacto condigne pro alieno peccato, ita ut attingat sufficientem, et propriam condignitatem, licet non omnino perfectam, et rigorosam. Ita Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 4, sect. 7; Ragusa, de Incarnat. disput. 4, proposit. 8; Lorca, disposit. 6, aliique, quos ipsi citant. Probatur; nam potuit Deipara de potentia absoluta mereri alteri condigne primam gratiam habitualem, ut vidimus Certamine superiori; ergo potuit similiter de potentia absoluta mereri condigne alteri remissionem peccati; ergo potuit condigne de potentia absoluta pro alieno peccato satisfacere; peccati

(a) Quae in hoc pertractantur Certamine, uti etiam in praecedenti, intelligi debent, ut inquit Auctor, de potentia absoluta: hoc est seposita praesenti providentia Dei, et rerum oeconomia, quid Deus absoluta sua potentia, et oeconomia potuisset facere. *Nota Editoris.*

sedenim remissio est effectus subsequens de facto infusionem gratiae; unde cum Deipara potuit mereri condigne alteri gratiam primam, etiam remissionem peccati potuit mereri necessario consequentem ex illa: at satisfactio condigna nihil aliud est quam exhibere actionem aliquam liberam habentem valorem aequalem, et sufficientem ad tollendum debitum; sed actus qui meretur primam gratiam habitualem sic se haberet; ergo, etc. Minor suadetur, nam ille actus haberet condignum valorem cum remissione offensae, etenim potest illam condigne mereri; deinde posito actu tollitur offensa: ergo etc.

Variis modis adversarii hanc rationem labefactare contendunt. Aiunt enim aliqui gratiam sanctificantem non posse sine alio favore extrinseco peccatum pellere, nempe sine voluntate condonandi, quae potest de potentia absoluta separari a gratia. Sed contra est, quia saltem ex natura rei, infusio gratiae, et expulsio peccati habent necessariam connexionem; ergo illud quod ex natura rei habet sufficientem condignitatem cum gratia, habet etiam ex natura rei condignitatem cum remissione peccati. Deinde actus Deiparae condigne meretur positionem gratiae, iuxta naturam et exigentiam ipsius gratiae, adeoque cum effectibus illis connaturalibus, et quidem maior valor requiritur ad merendum positionem gratiae, supra, aut contra eius naturam; quam iuxta exigentiam ipsius gratiae: itaque positio connaturalis gratiae esse debet cum effectibus ipsi connaturalibus, nempe cum expulsione peccati; ergo si Deipara promeretur condigne positionem connaturalem gratiae, condigne etiam promerebitur peccati remissionem.

1747. Satius occurrunt alii, dum concedunt posse Deiparam condigne mereri alteri iusto augmentum gratiae habitualis, vel etiam homini existenti in puris naturalibus mereri posse primam gratiam habitualem, non tamen illam posse mereri peccatori, quia non potest huic condigne mereri primam gratiam, quin eodem pacto condigne mereatur illi remissionem peccati, quam non posset condigne mereri ob improportionem hominis puri cum Deo offenso. Quod si illis respondeas, remissionem peccati non esse diversum donum a collatione gratiae, quam potest Deipara alteri promereri de condigno; instare possunt in genere moris, et in morali aestimatione distinctum beneficium esse conferre eandem gratiam peccatori, imo et maius beneficium quam eandem conferre non peccatori: quemadmodum conferre idem auxilium in ea occasione, in qua obtinuit effectum, distinctum et maius beneficium est, quam idem auxilium praebere eo tempore, quo vel nullum, vel minorem effectum sortiretur. Verum ad praesens intentum, exemplum non est accommodatum; siquidem non est effectus connexus necessario, et ex natura rei cum entitate eius auxilii; imo entitas physica ex natura rei sine dicto effectu consistere potest, ideoque collatio eius auxilii in tempore in quo sortietur effectum, est quidem distinctum beneficium; at vero entitas gratiae habitualis ubicunque reperitur, si adsit peccatum, exigit ex sua natura eius expulsionem, quia habet necessariam connexionem cum carentia peccati; imo *ad hominem* sic arguo: collatio auxilii est distinctum beneficium, et maius eo tempore, quo effectum nanciscetur, quia voluntas cum illo auxilio non dicit necessariam connexionem cum effectu, et potest ex natura rei sine illo consistere; atqui oppositum omnino experimur in gratia, ut dictum est; ergo collatio gratiae non reputatur tanquam distinctum beneficium a carentia peccati.

Ad haec animadvertendum est primo, tametsi conferre eandem gratiam peccatori, sit maius beneficium, quam eandem exhibere non peccatori; excessum tamen istum non esse tantum, qui non possit multiplici actuum, et gratiae incremento instaurari; quia gratia, et remissio offensae non est effectus habens infinitatem in se, nulla est enim forma infinita, quae illi infinitudinem conferat; ergo potuit incremento gratiae, et actuum saltem infinito, a gratia sanctificante infinita compensari: quid enim impedire potest? Dices obstare infinitatem offensae resistentem gratiae introductioni? Sed contra primo, quia infinitudo offensae est tantum *secundum quid*, ut infra ostendam. Deinde forma infinita tolli potest per formam finitam illi oppositam; nam gratia habitualis sanctificans si existeret infinita in subiecto, tolleretur quovis peccato mortali, quantumvis ponatur offensa finita; et actus scientiae infinitus tolleretur unico actu erroris finito. Secundo animadvertendum est, idem meritum quod est sufficiens ad merendam gratiam secundum se, esse etiam sufficiens ad merendam carentiam peccati. Sed meritum Deiparae est sufficiens ad gratiam secundum se, ut ostendimus; ergo etiam est sufficiens ad gratiam et carentiam peccati. Maior propositio est nota, quod enim est meritorium alicuius, est etiam meritorium eorum omnium, cum quibus habet necessariam connexionem; sicut quod est demeritorium gratiae, demeretur etiam omnia, quae illam necessario consequuntur. Subiicio demum, neque carentiam peccati, prout est eius remissio, esse distinctum beneficium ab infusione gratiae; aliud autem est, gratiae collationem esse maius beneficium respectu peccatoris; aliud vero est, remissionem peccati esse distinctum beneficium a gratia: primum verum est, secundum falsum reor; quia licet gratia non semper habeat connexam remissionem peccati, neque in omni subiecto, hoc non provenit ex parte gratiae; imo gratia secundum se ex natura rei deposcit remissionem peccati in subiecto capaci; ergo Deus ex natura rei non potest gratiae secundum se denegare remissionem peccati, ubicunque illam efficere poterit; ergo remissio peccati non est beneficium distinctum supra collationem gratiae: repugnat enim rationi beneficii ratio debiti ex natura rei. Confirmo: ex eo enim quod gratiae debiti sint habitus supernaturales virtutum proportionati subiecto, ideo infusio habituum dictorum comitantium gratiam non est beneficium distinctum a collatione gratiae secundum se, nec tamen iidem

habitus virtutum comitantur gratiam in quocunque subiecto, cum non omnes virtutes supernaturales, quae comitantur gratiam in homine puro, comitantur illam in Angelo, aut in Christo; ergo idem dicendum de remissione peccati.

1748. Censeo secundo, non posse puram creaturam, atque adeo nec Virginem Deiparam de potentia absoluta satisfacere pro alieno peccato condigne omnino perfecte. Hoc intendunt Patres citati a Vasquio, qui ex eo contendunt necessariam fuisse Incarnationem. Probatur assertum, quia ad omnino perfectam satisfactionem non satis est quaelibet condignitas, sed ut pro compensatione offerantur illa, quae aliis titulis debita non sunt, nec exigi possunt; sed omnis actus purae creaturae, nempe Virginis Deiparae, est Deo debitus pluribus titulis; ergo nequit satisfacere condigne omnino perfecte. Maior liquet, quia si aliquod opus debitum pluribus titulis, acceptaretur a Deo pro alieno peccato, aliquam supponeret Dei liberalitatem; ergo iam non satisfaceret omnino perfecte rigorosa condignitate. Iuxta hoc placitum intelligendi sunt Patres, inter quos D. Thomas, quando asserunt puram creaturam non posse condigne satisfacere. Caietanus interpretatur Divum Thomam de pura creatura operante viribus naturae, sine auxilio gratiae. Sotus intelligit de satisfactione omnino perfecta, ut dixi.

Refragantur primae conclusioni Conink, to. 2 de sacramentis, disp. 10, dub. 2; Lessius, de perfectionibus divinis, lib. 13, c. 26 et 27; Hurtado Salmant., de Incarnat. disp. 9, sect. 3; Bernal ibid., disp. 4, sect. 3. Ex eo igitur inficiantur condignam satisfactionem purae creaturae, atque adeo Deiparae, pro peccatis alienis, quia offensa peccati est infinita simpliciter; sed nulla satisfactio hominis puri quantumvis sanctissimi esse potest infinita simpliciter; ergo nulla satisfactio, licet sit B. Virginis, potest esse aequalis et condigna. Quod autem offensa peccati sit infinita simpliciter, probant aliqui, quia peccatum mortale dignum est poena simpliciter infinita. Sed hinc eodem modo probarent malitiam peccati esse simpliciter infinitam, siquidem peccatum ex sola ratione malitiae *ut sic*, meretur dictam poenam infinitam; ergo si poena est simpliciter infinita, malitia ex qua oritur, erit etiam simpliciter infinita: quod ipsi renuunt admittere. Itaque licet peccatum promereatur poenam durationis infinitae, ex eo tamen non bene deducitur infinitudo simpliciter offensae; nam illa duratio infinita poenae non oritur ex infinitudine simpliciter offensae, sed ex inordinatione culpae mortalis, quae per se, et ratione sui aeterna est, eo quod per se a nostris viribus sit irreparabilis; unde cum poena tamdiu duret quamdiu culpa, cum culpa per se, et ratione sui aeterna sit, poena etiam aeterna erit. Nec mirum damnatos semper torqueri, continuo blasphemant, et sic quasi semper peccant, semper ergo plectuntur. Dum viverent, corrigi noluerunt semper peccaturi, si semper victuri; ergo iam semper puniendi, aeternum cruciandi. Voluissent utique sine fine vivere, ut possent sine fine peccare. Ad iudicis ergo aequitatem spectat, ut nunquam careant supplicio, qui dum viverent, nunquam peccato carere voluerunt.

Alii secundo probant, quia culpa lethalis est maius malum, et magis detestabile, quam poena sensus, et damni infinita; ergo meretur poenam infinitam. Non urget, quia etiam peccatum veniale est magis malum, et magis detestabile, quam quaelibet poena, nec tamen meretur poenam infinitam; quare neganda est consequentia. Instas, quamlibet poenam superari a culpa lethali? Respondeo id verum esse de poena ut malum est, falsum tamen, ut poena adhibita est in remedium contra inordinationem culpae, et punitionem peccantis; quia hoc modo aliqua poena aequat mortale peccatum in ratione demeriti. Exemplum est in naturis substantialibus, quarum proprietates aequales illi non sunt in perfectione, in ratione tamen proprietatis sunt aequales secundum proportionem, quia sunt tam perfectae, sicut natura substantialis eas exposcit. Eodem modo dicimus peccatum lethale in ratione mali superare omnem poenam, non tamen in ratione demeriti et poena.

Tertio, nulla poena sufficit ad satisfaciendum pro culpa lethali; ergo quamcunque assignaveris, adhuc culpa lethalis digna est maiori, adeoque infinita. Sed haec consequentia probat etiam omnia peccata lethalia mereri aequalem poenam, ut inferius ostendam. Nego ergo consequentiam, quia nullam poenam posse pro culpa satisfacere, provenit ex defectu conditionis personae satisfacientis, et ex eius inaequalitate cum persona offensa. Licet ergo nulla poena sufficiens sit ad satisfaciendum, bene tamen ad satis patiendum, nempe ad patiendum quantum quisque debet pro peccato; ad hoc autem sufficit poena in se finita, infinitae tamen durationis.

Quarto arguunt: mortale peccatum meretur privationem unionis hypostaticae; ergo meretur poenam simpliciter infinitam. Probatur consequentia, quia illa privatio saltem moraliter privaret bono simpliciter infinito; ergo in morali aestimatione esset infinita. Antecedens primum probatur, si enim Deus creasset Luciferum, ut mereretur condigne gloriam, et congrue unionem hypostaticam, per peccatum merito privaretur ea unione. Respondeo permittens modo antecedens, et negans primam consequentiam, quia eadem ratione probaret actum nostrum bonum mereri infinite, scilicet possessionem summi boni, et infiniti saltem moraliter: sicut ergo actus bonus habet meritum finitum, quia directe meretur praemium finitum, nempe visionem finitam Dei, ita peccatum meretur poenam finitam, nempe privationem visionis Dei, vel unionis hypostaticae, quae privatio immediate, et per se est carentia unionis terminativae Dei. Adde peccatum privare unione hypostatica secundum se, quia illi opponitur secundum se, ex quo nulla colligi potest infinitudo: calor enim licet finitus privat infinitis gradibus frigoris possibilibus, et sic de aliis. Permisi autem antecedens, nam sunt aliqui, qui illud in examen vocant, ac negant.

Quinto, peccatum lethale condigne meretur carentiam totius boni; sed bona possibilia sunt infinita ; ergo malitia peccati lethalis est infinita : peccator enim redditur indignus omni bono. Sed contra est, quia eadem ratione probari posset omnia peccata etiam venialia esse digna aequali poena. Quare neganda est maior , licet enim per peccatum fiat subiectum minus aptum ad plura bona, quia cum inimicus sit Dei, redditur indignus omni bono; non tamen demeritorie meretur in ratione poenae omne malum , sed finitum , neque carentiam omnis boni. Instant : gravis offensa eo est maior, quo persona offensa est dignior ; sed Deus offensus per peccatum est simpliciter infinitus ; ergo offensa gravis in Deum est simpliciter infinita. Distinguenda est maior , tanta est gravitas offensae , quanta est gravitas personae offensae, vel quanta est distantia inter offendentem, et offensum, falsa est maior; vera autem, si intelligatur de aliquo excessu , et augmento, nempe quod ratione excessus, et distantiae personae sit offensa altioris ordinis et status , atque adeo offensa in Deum sit offensa in supremo ordine : sicut actus creatus crescit ex obiecto perfectiori, non tamen est infinitus simpliciter, licet habeat pro obiecto Deum. Alii e contrario argumentantur: gravitas offensae crescit ex vilitate personae offendentis in ordine, et cum respectu ad personam offensam; sed vilitas creaturae respectu Dei est infinita simpliciter; ergo etiam offensa. Sed distinguenda maior eodem modo. Minor est falsa, vilitas enim creaturae in recto est entitas ipsius substantiae creatae , haec autem absolute est finita, licet distet infinite a Deo: haec vero distantia non tribuit offensae gravitatem ad aequalitatem, ut dicam.

1749. His adversariorum fundamentis convulsis, censeo malitiam peccati lethalis non esse simpliciter infinitam. Probatur, quia vel est entitas realis actus mali, quae est simpliciter finita, vel est carentia alicuius rei finitae nempe rectitudinis et bonitatis actus oppositi, aut gratiae , aut amicitiae Dei, iuxta varios opinandi modos ; ergo offensa peccati lethalis absolute non est simpliciter infinita, sed *secundum quid*; ac proinde infinitudo haec offensae non poterit obstare, quominus pura creatura , nempe Deipara , possit condigne satisfacere pro peccatis alienis. Ita Suarius, de Incarnat. disp. 4, sect. 7 ; Vasquius, ibidem disp. 2, c. 2; Salas, 1 2, tract. disp. 15, sect. 6; Cardinalis Lugo, de Incarnat. disp. 5 , sect. 3. Probatur, quia infinitudo simpliciter peccati lethalis nequit desumi ex poena infinita, alioquin eodem pacto colligeretur infinitudo malitiae peccati, nam poena infinita simpliciter esset debita, esset enim maius malum quacunque poena; mereretur etiam privationem unionis hypostaticae, et totius boni , non secus ac offensa ; deberetur etiam illi poena aeterna, quibus rationibus nituntur adversarii ut invehant infinitudinem offensae simpliciter. Deinde fieret etiam, omnia peccata lethalia mereri aequalem poenam , siquidem ratio , quae probat debitam esse cuilibet offensae poenam infinitam, probat etiam debitam esse omnem poenam possibilem ; omnis enim poena possibilis minus malum est, quam culpa : ergo omnis poena est debita cuicunque offensae : ergo omnes offensae merentur aequalem poenam, scilicet omnem ; quod tanquam absurdum merito ab omnibus exploditur: offensae enim inaequales cum inaequalitate demeriti et poenae commensurari debent. Fieret etiam ex consequenti unum peccatum lethale esse dignum tanta poena, quanta omnia simul peccata, quia mereretur omnem poenam possibilem.

Rursus neque esse potest infinita offensa ratione formae. Hanc autem formam quidam dicunt esse Deum offensum prohibentem actum nullum. Ita nuperi quidem Theologi, quos refert Arriaga, disp. 8 de anima, sect. 4, subsect. 2, n. 93, eamque videtur supponere cit. Lugo, disp. 5, sect. 3, n. 41. Quae sententia omnino displicet. Primo quia offensa formaliter nihil est aliud, quam malitia, vel peccatum ipsum, quatenus Deum extrinsece denominat ; ergo forma offensae neque est Deus, neque infinita ex hoc capite. Antecedens probatur, tum quia id quod opponitur prohibitioni divinae , vel est contra illam , est formaliter et realiter offensa, praeciso quocunquo alio; sed nihil divinum, at solum peccatum factum libere cum advertentia prohibitionis, est oppositum prohibitioni divinae; ergo solum peccatum omni alio secluso, tanquam forma, est realiter et formaliter offensa Dei. Maior est certa, quia neque Deus, neque homo potest iure censeri offensus , nisi efficiendo id, quod est contra ipsum ; et hoc supposito , non potest non dari offensa; et hoc sublato, non potest non tolli. Deinde illud est offensa realiter, et formaliter, quod est iniuria Dei ; sed nihil divinum, sed solum peccatum praeciso quocunque alio tanquam forma, est realiter et formaliter iniuria Dei ; ergo solum peccatum est ratione sui realiter et formaliter offensa. Maior est certa , quia in nullo videntur differre offensa, et iniuria ; si ergo realis iniuria Dei est distinctum a Deo adaequate ; ergo et offensa. Minor probatur, quia iniuria nihil est aliud, quam id quod est contra ius; sed nihil divinum , sed solum peccatum est contra ius divinum: ergo etc.

Secundo sic arguo : Offensa formaliter et realiter reduplicative accepta, est obiectum odii divini, et creati liciti; sed nihil divinum etiam partialiter, est obiectum odii divini et creati liciti ; ergo nihil divinum potest esse offensa etiam partialiter. Maior ex se constat, quia Deus odio prosequitur offensam , et licite quis odio habet Dei offensam *ut sic*. Firmatur : denominatio offensae reduplicative accepta potest esse obiectum alicuius actus liciti voluntatis divinae et creatae ; sed non actus prosecutionis , cum offensa habeat etiam rationem alicuius malitiae; ergo potest esse obiectum actus fugae et odii. Iam vero minor illa superioris syllogismi probatur; quia quidquid divinum est, etiam est realiter summum bonum morale, est etiam reapse Deus, et sanctitas substantialis , sed neque Deus, neque sanctitas substantialis licite pot-

est odio haberi : ergo nihil divinum potest esse offensa etiam partialiter. Rem dilucidius ostendo : si enim quid divinum esset forma offensae partialiter, vel esset odium, quo Deus prosequitur peccati malitiam ; vel lex, qua Deus peccatum prohibet ; vel iudicium dictans illud esse malum vel prohibitum : sed nihil horum potest odio prosequi licite, nam quamvis quodlibet ex his sit disconveniens et oppositum peccato, lex vero divina, odium Dei, aut quid simile, ut disconveniens peccato, illud prohibens, non est malum morale obiectivum ; ergo non potest specificare actum licitum fugae, et odii, ut patet in Deo ; qui licet ut punitor est, et ipsa lex divina decernens poenam possit odio haberi, non licitum est illud odium, quia eius obiectum non est malum morale.

Urgent adversarii, in hoc actu : *In Deo non est Trinitas*, forma falsitatis est Trinitas, et tamen actus ille malus est, et odio dignus. Verum hoc exemplum, et similia neque solvunt difficultatem, nec multum urgent, licet enim ab obiecto aliquam denominationem extrinsecam dissimilis et difformis accipere possit actus ; non tamen eam denominationem falsi, quae est specificativa actus odii liciti, vel cui inest malitia moralis obiectiva : Trinitatem enim non esse illi actui conformem, seu difformem, non est malum, sed bonum morale obiectivum ; unde negato antecedente nullam vim habet argumentum. Instant, plura reperiri, quae seorsim sumpta non sunt mala, aggregatum tamen ex ipsis malum est. Quod nos verum esse concedimus. Inquiro tamen, num aliquod individuum seorsim bonum coniunctum cum alio, possit esse malum morale obiectivum, et odio dignum? Hoc non affirmant ; si vero id denegant, non constituit Deus realiter offensam etiam partialiter, quia offensa essentialiter, et adaequate constituta est obiectum morale malum. Primum autem dici non posse, patet primo, quia alias Deus non esset summa bonitas moralis. Secundo, quia si ob aliquam causam ita esset, maxime quia est prohibens peccatum, et illi disconveniens ; at ratio ista, non est moraliter mala obiective ; nam Deum prohibere peccatum, et illi disconvenire, non est contra rationem, sed illi conforme ; ac proinde aggregatum ex Deo, et actu malo non est difforme rationi, nisi ratione unius duntaxat membri. Cum autem dicunt offensam *ut sic*, id est formam offensae, neque esse malam, neque odio dignam : respondeo vim argumenti semper consistere, probat enim in offensa *ut sic*, sive in conceptu essentiali, et denominatione offensae reperiri malum, et odio dignum.

Respondent alii, quamvis offensa componatur ex Deo, actum tamen odii divini, et creati liciti, solum terminari ad actum malum, qui dicitur offensa, non vero ad Deum. Sed contra primo, offensa *ut sic* terminat illud odium ; ergo quae sunt de constitutivo essentiali offensae terminant odium, offensa enim nihil est distinctum ab eius constitutivis ; ergo si offensa *ut sic* terminat odium, idem terminant constitutiva offensae; alias offensa non terminat odium, quia pars offensae non est offensa, sicut rationale quod est pars hominis non est homo. Secundo, quia iste actus : *Odio habeo offensam Deo, ut sic* est licitus, et honestus ; vel ergo attingit saltem partialiter aliquid divinum tanquam obiectum, vel non : si primum, ergo aliquid divinum erit licite odio prosequutum : si secundum, ergo nihil divinum est offensa etiam partialiter ; nam ille actus attingit conceptum offensae, et nihil attingit divinum. Tertio si offensa dicitur licite odio prosequi ex eo quod odium terminetur ad unam partem malam ; ergo si actus terminetur ad alteram partem bonam amando illam, dicetur offensa *ut sic* licite amari, quod absurdum omnino est.

1750. Quidam aliam infinitudinis formam assignant in peccato, desumptam scilicet ex vilitate personae offendentis Deum, quam vilitatem aiunt esse infinitam, quia distat infinite a Deo. Verum vilitas haec, et distantia iuxta id quod dicit in recto, est ens physice finitum, nempe entitas finita creaturae ; dicitur tamen infinita ratione termini infiniti. Impugnatur haec sententia. Vilitas personae, et distantia infinita a Deo, non auget offensam ad aequalitatem ; ergo licet vilitas et distantia sit infinita, non deducitur, offensam esse infinitam. Antecedens patet ab exemplo, quia gratia habitualis sanctificans non auget valorem ad aequalitatem ; ergo neque vilitas, et distantia personae auget offensam ad aequalitatem ; vilitas enim personae non communicatur operibus intrinsece physice, sed extrinsece moraliter ; ergo non communicat tantam indignitatem, quantam in se habet. Consequentia patet, quia sicut maioris valoris et aestimationis est habere aliquam perfectionem intrinsece et physice, quam solum extrinsece et moraliter ; ita minoris indignitatis est participare extrinsece, et moraliter imperfectionem, et indignitatem aliquam, quam eandem intrinsece et physice continere, ut patet in aliis formis, quae se extrinsece communicant : actus enim eo perfectior est, aut imperfectior, quo obiectum perfectius, aut imperfectius est, non tamen univoce et ad aequalitatem cum obiecto : sic actus externus participans bonitatem aut malitiam ab interno actu, non est aequaliter bonus, aut malus, ac internus actus. Praeterea vilitas, et distantia personae non auget offensam, addendo per seipsam formaliter rationem offensae, aut malitiae, quia vilitas, et distantia non est formaliter malitia, aut offensa ; ergo solum auget offensam quasi active, vel tanquam conditionem praesuppositam : qui modus augendi non est ad aequalitatem, ut videre est in aliis causis auctivis aequivocis.

Secundo impugnatur, fieret enim inde peccatum veniale habere infinitatem simpliciter : nam eo gravior est offensa levis, quo persona offensa dignior, et offendens vilior. Si dixeris peccatum veniale non esse proprie offensam, sed aequivoce ; quidquid tamen de hoc sit, sane in culpa veniali, datur propria et formalis transgressio legis obligantis sub veniali ; sed

haec transgressio crescit, crescente dignitate personae offensae, et vilitate offendentis; ergo, etc. Maior inde patet, quia datur praeceptum obligans sub veniali, nempe praeceptum non mentiendi, et alia eiusmodi, quae ex suo genere solum obligant sub veniali, vel quia ratione parvitatis materiae solum obligant sub veniali; non enim repugnat obligatio levis praecepto vel voluntati superioris volentis eam tantum venialem obligationem; quid, quod actus prohibitus sub veniali, si eliciatur cum advertentia eius praecepti, est formalis, et propria transgressio eius? Formalis enim transgressio praecepti nihil aliud dicere potest, quam effectionem liberam actus prohibiti; sicut enim effectio actus oppositi legi graviter prohibenti, est formaliter transgressio eius, ergo effectus actus oppositi legi sub veniali prohibenti, erit formalis, et propria eius transgressio. Maior enim illa argumenti ostenditur; si enim offensa crescit ex dignitate personae, etiam iniuria, et transgressio levis ex eo capite crescet; sicut enim datur etiam levis contemptus, qui vere sit contemptus, sed contemptus crescit ex dignitate personae, gravius enim est caeteris paribus vilem plebeium etiam leviter regem contemnere, quam aequalem contemnere; eo quod maiorem reverentiam illius dignitati exhiberi oporteat; sed peccatum leve est etiam levis contemptus; ergo crescit infinite ex Deo contempto.

1751. Et quamvis permittamus adversariis id, quod verum non est, nempe offensam in Deum continere in se infinitudinem illam assertam; adhuc censeo minime probare puram creaturam, nempe Deiparam, non posse pro illa satisfacere. Primo, quia etiam aliquis actus bonus Deiparae posset obtinere bonitatem infinitam simpliciter; ergo posset satisfacere pro infinitudine offensae. Antecedens probatur, quia actus conformis legi divinae praecipienti, habet bonitatem desumptam a lege divina, quae infinita est; etenim ea conformitas est aliqua honestas, non minus ac conformitas cum ratione; illa etiam conformitas specificare potest actum honestum. Deinde ea conformitas, vel honestas, vel desumitur formaliter a lege divina, et sic erit infinita, non minus ac offensa desumpta formaliter a Deo: vel saltem si lex illa non sit forma illius conformitatis, crescet perfectio conformitatis, caeteris paribus, ex perfectione eius, cui conformatur, melius enim est conformari rei meliori; ergo crescet infinite ex conformitate cum re infinita. Ad haec, infinitudo offensae est extrinseca; ergo poterit compensari per infinitudinem intrinsecam actus boni satisfactorii: adversarii autem admittunt esse possibilem actum bonum in Deipara cum infinitudine intrinseca. Praeterea neque ista infinitudo offensae impedit, quominus possit pura creatura, nempe Deipara, mereri condigne alteri primam gratiam, et remissionem peccati, quia aequalitas in hoc merito non debet existere inter actum bonum, et offensam; sed inter actum bonum meritorium, et primam gratiam ac remissionem peccati, quarum neutra est infinita.

Postremo alii asserunt, offensam non esse aliquid divinum, sed aliquid morale ab illo derivatum. Verum praeterquam quod hae moralitates sunt omnino fictitiae; sciscitor ab eis, an illa moralitas realiter aliquo modo differat a divina perfectione, a qua desumitur, vel sit idem cum ea. Si primum fatearis, ergo offensa non erit simpliciter infinita, quia nihil quod non sit divinum de facto est simpliciter infinitum in se. Si secundum adstruas, iam supra ostendimus, nihil realiter divinum posse formaliter ingredi constitutivum offensae. Quod si s. Thomae mentem inspexerimus, solum concedit offensae infinitudinem *secundum quid*, 3p., q. 1, art. 2, ubi docet, peccatum contra Deum, quandam infinitatem habere ex infinitudine divinae Maiestatis. Eandem infinitudinem *secundum quid* tribuit peccato, 1 2, q. 87, art. 4, et q. 2 de malo, art. 9, ubi haec habet: *A bono infinito aliquis avertitur actu finito, et ideo peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* Hanc eandem infinitudinem *secundum quid* tribuit s. Doctor dignitati Maternitatis Dei: ostendimus autem Palaestra superiori, meritum B. Virginis excrevisse ratione Maternitatis Dei: sicut ergo offensa crescit ex dignitate personae offensae, ita meritum ex dignitate merentis: quemadmodum ergo peccatum includit infinitudinem *secundum quid* in ratione offensae; ita meritum Deiparae poterat sortiri aliqualem infinitudinem ratione Maternitatis Dei, quae dicit infinitudinem *secundum quid;* ac proinde poterat satisfacere ex hoc capite pro peccato alieno Virgo Deipara.

CERTAMEN IX.

Aliae rationes adversus condignam purae creaturae satisfactionem disploduntur.

1752. Aliam rationem satis plausibilem, ac primo adspectu speciosam, ut vocat Vasquius, efformant plures Theologi, ut denegent condignam satisfactionem purae creaturae, atque adeo Virginis Deiparae. Aiunt ergo: offensa Dei, quia augetur ex dignitate personae offensae, est in supremo ordine; ex alio capite, valor satisfactionis crescit, vel minuitur ex dignitate vel vilitate personae satisfacientis: sed Virgo Deipara satisfaciens est finita, et infimae conditionis respectu Dei; ergo eius satisfactio erit in infimo genere; ergo nunquam poterit adaequare offensam Dei. Haec quidem argumentatio populari sensui multum arridet; at, ut recte notat Vasquius, applicari non potest omni iniuriae et satisfactioni, sed solum iniuriae, quae infertur contra honorem per verum contemptum; sive contingat ipso opere, ut cum quis alapam impingit alteri; sive verbo, ut cum alienus honor contumeliis lacessitur. Deinde est vera illa argumentatio in satisfactione, quae fit ad honorem compensandum, si fiat animi submissione, honore praestito, cultu exhibito, obsequiis impensis. Caeterum praedicta ratio universalis non est, quia offensa in damno pecuniario eiusdem rationis est, sive fiat principi, sive plebe-

io: item satisfactio eius condigne fieri potest, sive a plebeio, sive a nobili fiat, si tantundem restituatur quantum ablatum fuit. Patet etiam in ablatione famae, si quis enim principi famam abstulerit, condigne satisfaciet, quamvis plebeius sit, si illam restituat; ut cum diceret coram testibus, se esse mentitum.

Verum hanc argumentationem libet enervare. Primo enim satisfactio purae creaturae, ut puta B. Virginis, ita potuit per actus bonos excrescere, ut posset aequare moraliter offensam Dei, eiusque debitum condigne compensare: siquidem res inferioris ordinis potest ita excrescere circumstantiarum additione, ut in morali aestimatione aequet, et superet rem superioris ordinis. Argentum enim vel magnitudine, vel pondere ita augeri potest, ut in communi hominum aestimatione aurum valore vincat. Actus etiam supernaturalis alicuius virtutis moralis elicitus ab homine iusto, potest excrescere in intensione, vel eius repetitione, vel duratione, ut aequet, et superet unicum actum amoris theologici, licet sit superioris ordinis, et habeat infinitatem *secundum quid*, ratione obiecti; ergo satisfactio, licet inferioris ordinis, poterit moraliter ita crescere, vel multitudine actuum, vel intensione, ut condigne compenset offensam superioris ordinis. Insuper siquis ex infima plebe, oblata occasione, se vitae periculo exponeret, ut regem, quem offenderat, incolumem servaret; tunc prudentium iudicio censeretur condigne satisfecisse debito pro offensa superioris ordinis apud homines.

Obiiciat quispiam, offensam et satisfactionem esse heterogeneas, nempe diversi generis, et speciei moralis, quia desumuntur ex personis diversis; at vero res assignatas in exemplis propositis esse homogeneas, et eiusdem speciei, et aestimabilitatis moralis. Verum occurro, partem secundam falsam esse: deinde ex homogeneis recte deducitur argumentum ad heterogeneas. Item satisfactio et offensa non desumitur, neque crescit ex solis personis, ut infra ostendo. Instas, nunquam venialia ita crescere, ut aequent unum mortale; ergo neque res inferioris ordinis aequare possunt rem superioris ordinis. Respondeo antecedens verum esse in ratione malitiae, ratione oppositionis inter illa peccata, quia eo ipso veniale non esset veniale. Verum addo existimare aliquos Doctores, posse ita excrescere poenam sensus debitam in Purgatorio pluribus venialibus, ut superent poenam sensus debitam in Purgatorio pro aliquo mortali remisso. Ita Bellarminus, tom. 3, controv. 2, lib. 7, c. 13, citans pro se s. Augustinum.

Secundo impugnatur illa argumentatio initio proposita, quia satisfactio per actus charitatis esse potest simpliciter infinita in multitudine et intensione, et procedere a persona habente gratiam infinitam; ergo erit maioris aestimationis et valoris moralis, quam gravitas offensae, quae tantum est infinita *secundum quid* iuxta adversarios. Firmatur, quia visio beata est infinita *secundum quid* ratione obiecti, et tamen actus quilibet supernaturalis procedens a gratia sanctificante aequat valorem illius, eamque meretur condigne; ergo poterit aliqua satisfactio infinita *secundum quid* resarcire offensam *secundum quid* infinitam.

Tertio, satisfactio non crescit solum ex persona, sed etiam ex multiplicitate actuum, intensione, duratione, aliisque circumstantiis; ergo remanente persona in ordine inferiori, poterit satisfactio ex aliis capitibus ita augeri, ut in aestimatione morali aequet offensam superioris ordinis simpliciter finitam. Confirmatur, quia offensa Dei, licet crescat ex persona, et suprema sit, ita tamen ex aliis capitibus minui potest, ut absolute sit offensa inferioris ordinis, ut patet in peccato veniali; ergo ita potest ex aliis capitibus augeri satisfactio, ut aequet offensam superioris ordinis.

1753. Arbitror ad haec, communes offensas contra Deum, non esse proprie in materia honoris, et contemptus, sed valde materialiter, atque adeo rationem communem allatam non obstare compensationi condignae; quia, ut dixi, procedit solum ea ratio in offensis, quae proprie sunt contra honorem Dei. Ratio huius est, quia in humanis offensae communes, quae consistunt in sola mandatorum transgressione, non sunt in materia honoris, ita ut per illas censeatur proprie laedi honor hominis, et contemni legislator; ergo idem erit in communibus offensis contra Deum, ut puta in transgressione ieiunii, et aliis. Sed aliqui ex adversariis negant consequentiam; quia per offensam Dei dissolvitur eius amicitia. Contra tamen est, quia dissolutio amicitiae, non est proprie laesio honoris, aut contemptus rigorosus, qui per honorem restituendus est. Deinde in humanis aliquando transgreditur praeceptum legislatoris cum dissolutione amicitiae, nec tamen laeditur honor proprie, nec adest obligatio restituendi honorem laesum.

In offensis item communibus, ut transgressionis ieiunii non est duplex malitia, altera intemperantiae, altera contra honorem divinum, quia non est in eis propria laesio honoris divini; non enim potest esse propria laesio honoris sine iniuria, et malitia contra illum. Antecedens ostenditur, quia licet servi ex iustitia teneantur ad plura obsequia respectu dominorum; non tamen omnia servorum peccata contra imperium domini, sunt etiam contra eius iustitiam, etsi dominum graviter offendant; ergo idem dicendum est de hominibus respectu Dei. Explicatur id amplius; licet enim dominus possit ita praecipere aliquid servis, ut hi teneantur ad illud ex iustitia, non tamen quoties dominus praecipit aliquid servis, censetur obligationem velle inducere: quare non semper peccant servi contra iustitiam. Eadem ratione, licet Deus actum nempe temperantiae, ex iustitia praecipere possit, tanquam dominus exigens servorum opera, vel quasi exigens tributum, ita tamen de facto praecepisse Deum, ut velit obligationem iustitiae inducere, non constat: nec imponenda est tam gravis obligatio sine sufficienti fundamento, de quo nullo modo constat. Deinde potuit Deus

praecipere non tanquam dominus titulo dominii proprietatis, sed tanquam legislator ob iurisdictionem gubernativam, ex qua sola non derivatur obligatio ex iustitia; ergo dum aliud non constat, dicendum est, hoc pacto solum praecepisse Deum; praesertim cum praeceptum, quo Deus exigeret nostros actus ex iustitia, non esset naturale, sed positivum divinum: at nullibi exstat tale praeceptum positivum; ergo nullum est. Maior ostenditur, tum quia simile praeceptum inter dominum et servum in humanis, positivum est et liberum, non naturale; nec servi tenentur omnia opera ex iustitia efficere; tum quia Deus absolute obligationem iustitiae in istis actibus auferre, et velle solum ex aliis virtutibus obligare potest; ergo praeceptum est positivum, non naturale.

1754. Huic tamen nostrae sententiae it obviam Suarius, lib. 7 de gratia, cap. 14, n. 48, primo quia Scriptura et Patres appellant peccatum, offensam, contemptum, et iniuriam contra Deum, eiusque honorem. Respondeo aliqua solum peccata esse contra Dei iustitiam rigorose; alia vero solum appellari contemptum, eo quod sint contra Deum legislatorem, et praecipientem dominio iurisdictionis gubernativae, non vero dominio proprietatis; quo pacto proprie, et sine metaphora appellantur offensae contra dictum dominium Dei, cum tamen illud dominium rigorosum non sit, nec spectans ad iustitiam.

Secundo arguit: Deus est verus Dominus hominum, et hi proprie sunt ipsius servi. Ex quo tria deducit. Primum, teneri hominem Deo obedire, tanquam servum domino imperanti ex proprio dominio. Secundum, omnes actiones, et opera hominis, utpote servi, esse sub dominio et potestate Dei tanquam legitimi domini. Tertium est, homines peccantes committere propriam iniustitiam contra Deum, quia non solum offendunt legislatorem, sed etiam Dominum; tum quia abutuntur re propria Domini supremi contra eius voluntatem. Admitto antecedens, ex quo solum fit, Deum habere ius ad hominum opera praecipienda ex iustitia, si velit; non tamen constat ita praeceptum esse in hominibus. Unde ad primum asserò id verum esse, quando Deus imperat dominio proprietatis; falsum vero, quando ex dominio solum iurisdictionis gubernativae. Ad secundum quod deducit, dicendum est, non omnes actiones esse de facto Dei tanquam domini illas praecipientis ex dominio proprietatis. Tertium vero corollarium falsum est, quia cum Deus de facto non praecipiat ex dominio proprietatis, non offenditur in omnibus peccatis rigorose tanquam dominus, neque abutuntur peccantes rigorose aliqua re, ad quam teneantur ex iustitia respectu Dei.

Tertio argumentatur: qui peccat graviter, constituit suum ultimum finem simpliciter in creatura; ergo privat Deum honore ultimi finis; ergo sicut constituens alium regem peccat contra honorem et ius veri regis, ita etiam privans Deum honore et dignitate ultimi finis. Respondeo: licet peccans lethaliter, aut venialiter constituat finem ultimum *secundum quid* in creatura, non tamen finem ultimum simpliciter proprie, et rigorose ut ait Vasquius 1 2, disp. 3 c. 2; Salas, tract. 8, disp. 1, sect. 2, quia peccans non refert se, suaque omnia in obiectum peccati lethalis, tanquam ultimum finem simpliciter existimans talem esse, et sui omnis appetitus expletivum; imo potest peccans habere expressam nolitionem referendi se, et omnia sua ad illud obiectum malum, cum proposito revertendi se ad Deum finem simplicer ultimum. Dicitur autem peccans graviter constituere in creatura ultimum finem simpliciter metaphorice tantum, quia per actum peccati, plus amat creaturam, quam Deum, cui praefert creaturam; quod contingit etiam suo modo in transgressionibus legum humanarum; nec tamen omnes illae transgressiones honorem proprium legislatoribus, et dominis auferunt.

Quarto, si peccatum non esset iniustitia contra Deum, non teneretur peccator satisfacere pro illis. Respondeo, non teneri pro omnibus ex iustitia, sed vel ex charitate erga Deum, quae sicut obligat ad amorem, obligat ad tollenda impedimenta amicitiae, et ad inducendam dispositionem ad amicitiam, vel ex charitate propria, vel ex gratitudine, aut aliis virtutibus. Instat Suarius: homo dum peccat, utitur re aliena invito domino, utitur enim suis potentiis, et aliis rebus creatis Deo renuente; ergo committit iniustitiam. Sed negandum est antecedens de dominio proprietatis, et concedendum de dominio nolente, et prohibente ex dominio gubernativo, et tanquam superiori, quod ad iniustitiam satis non est.

Ultimo arguit: qui frangit legem, principe graviter ferente, praesente et vidente, censetur contemnere, et illum parvi pendere; sed hoc contingit in omni peccato respectu Dei; ergo in omni peccato reperitur contemptus Dei, atque adeo iniustitia. Respondeo maiorem falsam esse ea ratione qua in argumento ponitur; nam ut vera esset, requireretur, ut qui frangit legem, notitiam haberet praesentiae et visionis principis actualem; quid enim refert adstare principem, et videre, si hoc lateat frangentem praeceptum? Respectu autem Dei requireretur in peccatore actualis advertentia praesentiae Dei, et videntis, ut eo peccato censeretur contemnere Deum; saepe autem in peccantibus, eius praesentiae et visionis nulla est advertentia, nulla recordatio; ergo tunc nullus imputabitur contemptus: quare ex communi praeceptorum transgressione nullus tenetur adhibere proprie satisfactionem honoris *ut sic;* ergo illis transgressionibus non est laesus honor divinus: si enim honor esset laesus, debita esset satisfactio in materia honoris; nam satisfactio debita, et quae solet fieri, est per dolorem peccatorum, et propositum emendae; sed haec satisfactio licet materialiter redundet in honorem Dei offensi, non est tamen satisfactio in materia honoris, aut propter honorem laesum, haec enim fit per signa et notas submissionis, reverentiae, etc. Unde si quis Deum offendisset asserens illum non esse veracem, neque verum Deum, profecto non in

tegre satisfaceret solo dolore, idem etiam dicendum, si Deum offenderit in honore. Itaque non quaelibet transgressio legis est contra honorem Dei, vel Principis, sed ea quae est contra Principem per verba, aut signa contemptus, quales sunt contumeliae, irrisiones, et alia eiusmodi, cum voluntate formali, aut virtuali inhonorandi illum, ratione cuius debetur satisfactio propria honoris. Quod non accidit respectu Dei in quavis transgressione, maxime si procedat ex fragilitate; recte enim potest componi haec transgressio cum significatione bonae opinionis, quam habet transgressor de excellentia divina.

1755. Invehitur etiam in nostram sententiam Durandus, primo, quia non possumus Deo agere gratias aequales pro beneficio accepto; ergo neque satisfacere condigne pro peccatis. Falsa est consequentia; sin minus, eodem modo probaret non posse nos aliquid apud Deum condigne mereri: discrimen autem in eo est, quia opus illud, quo Deo gratias referimus, est etiam novum beneficium Dei, ideoque novarum gratiarum debitores nos constituit. Secundo arguit: nequit homo satisfacere regi, aut reipublicae pro debito, quo merebatur poenam mortis; ergo neque Deo pro peccato lethali, quo mortem animae promeretur. Respondeo hoc argumentum procedere de satisfactione pro peccato proprio, quod non militat contra nos, qui solum locuti sumus de satisfactione pro peccatis alienis. Deinde permitto nunc antecedens, negata illatione; ideo enim antecedens verum esse potest, quia nullum reperitur opus aequalis valoris pro debito mortis; at pro peccato lethali potest dari opus aequalis valoris; nempe amor Dei ferventissimus, si a subiecto gratissimo oriatur, qualis est Deipara.

Insurgit Almainus, quia licet homo offerre possit actum aeque bonum, quam fuit malum peccatum; tamen pro aeterna poena nihil condignum Deo solvit. Respondeo falsum id esse, quia ille qui meretur condigne gratiam, meretur etiam condigne liberationem ab aeterna poena, quae pro peccato lethali infligitur. Instat Capreolus ex Anselmo: quilibet actus bonus est Deo debitus pluribus titulis, et posset illum Deus pluribus titulis exigere ab homine. Sed haec ratio solum probat, non posse puram creaturam satisfacere pro peccato alieno perfecte, et ex rigore iustitiae, non vero probat de merito absolute condigno, alioquin eodem pacto probaret, nullum actum bonum posse apud Deum mereri aliquid condigne.

Quinto, obiiciunt Scotus, Gabriel, et Medina; quia nihil est quod nos mundet a peccato, vel quod possit satisfacere pro culpa sine favore, et acceptatione Dei; ergo Deipara non poterat satisfacere pro alienis peccatis, sicut neque alia pura creatura. Sed permittamus illis modo antecedens, neganda tamen est consequentia; quia inde nequit tolli condignitas meriti, et satisfactionis, alioquin nulla pura creatura posset condigne aliquid promereri, neque ipse Christus.

Sexto opponit Vasquius, de Incarnat. disput. 4, cap. 4, quia homo sanctus purus deberet satisfacere per opera procedentia a gratia sanctificante accidentali; atqui haec non est principium meriti condigni pro altero; ergo nulla pura creatura, atque adeo nec Deipara promereri posset pro alieno peccato satisfactionem. Neque haec ratio urget, quia, ut aliqui Theologi, tract. de merito, aiunt, potest quis divinitus mereri alteri condigne primam gratiam habitualem, si merita ad hoc praemium ordinarentur: primo, nam determinatus gradus gratiae conferendus alteri non excedit valorem operis meritorii, cum sit eiusdem rationis, et intensionis; imo potest esse minoris valoris, ac ille, quem habet subiectum merens: ergo potest esse eius praemium divinitus, si ad illud ordinaretur. Secundo, quia posita voluntate Dei, potest quis ordinare propriam satisfactionem ad aliud suppositum, ut de facto accidit; ergo poterit etiam, posita voluntate Dei, ordinare meritum ad alium.

Ultimo argumentatur Cardinalis Lugo, de Incarnat. disp. 5, sect. 4; quia offensa, licet sit finita, est tamen tanti ponderis, ut inducat hanc impotentiam compensationis, ne vilescat, et facilis reddatur offensa. Hoc tamen inconveniens extrinsecum omnino est, quo non immutatur condignitas operum secundum se. Cum itaque opera bona nostra sint in sua condignitate independentia a peccato, quaero utrum habeant tantam condignitatem ad placandum Deum, quantam peccatum ad offendendum, vel non habeant. Si primum, ergo quantum est ex se, et in actu primo possunt satisfacere pro peccato. Si secundum; huius rei vestigamus rationem, quid desit operi bono, quominus sit condignum ad dictum effectum; aut quid sit in offensa, ratione cuius ab intrinseco superat illum valorem, et exigat dictam impotentiam. Praeterea inconveniens assignatum posset varie vitari, maxime si Deus non acceptet opus alienum ad satisfaciendum pro peccato alterius, sicut de facto non acceptat ad merendum alteri condigne gratiam et gloriam, iuxta communem Doctorum sententiam.

PALAESTRA TRICESIMA

Virgo Deipara mediatricis officio fungitur ad Deum pro nobis

CERTAMEN PRIMUM

Virgo Deipara in caelis residens orat, ideoque imploranda a Christi fidelibus.

1756. Negat id Iacobus rex Angliae in praefatione sua monitoria, ubi haec iactat insipienter, ac petulanter de Virgine Deipara : *Nec illud quidem in animum induco, tam otiose eam* (loquitur de Deipara) *in coelis degeret, ut absurdis cuiuslibet inepti hominis orationibus pateat, seque eius rebus, ac negotiis immisceat.* Et infra non minus stolide subdit : *In coelis, in aeterno sanctarum animarum receptaculo in aeterna est felicitate collocata, nunquam a tantis gaudiis, ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine avocanda.* Eundem funem trahunt Protestantes, quibus adfavet spurcus ille imperator Constantinus Copronymus, cuius edictum exstat apud Suidam, et Paulum diaconum relatos a Canisio, lib. 3 de Deipara, c. 10, § *Ubi aliud*, quo Deiparae cultum interdixit ; sic autem se habebat : *Ne Mariae quidem intercessionem quisquam petat, neque enim iuvare illa quempiam potest.* Videndus Baronius, tom. 9, an. Christi 767, n. 27, eoque audaciae devenit nequam imperator, ut scribat Theophanes relatus a Suario mox citando, illum adiecisse illa verba: *Si quis corruens, vel dolens solitam christianorum invocationem emitteret illis verbis : Dei Genitrix iuva; ut inimicus imperatoris proscriberetur.* Et Theosterictus, illius aevi scriptor apud Nicetam haec habet : *Huius* (scilicet Deiparae), *venerandum nomen multis modis ab Ecclesia expellere studuit, eius vero intercessiones, per quas mundus consistit, illas nec nominare quidem voluit, cum iudicaret nemini eam posse opitulari.*

Hunc foedissimum (hominem-ne, an grunnientem porcum?) secuti homines fanatici in ea deliria venerunt, ut petulanter garrirent, totam Christi Ecclesiam tandiu in tenebris iacuisse, ac idololatriae sordibus immersam, quandiu hae voces sonuerunt : *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.* Furiosius quid, ac maledicentius ausus fuit effutire Guilielmus quidam Rodingus in Apologia quadam contra scholas Iesuitarum, cum inducit Virginem Deiparam ita loquentem : *Desine me salutare, et salutando venerari : desine Sanctos, et vita defunctos adorare: istam tuam salutationem, tuasque preces execramur : tu ubi terrarum sis, neque scimus, neque curamus quid agas, vivas, an mortuus sis : tantum abest, ut deprecantem exaudiamus.* Haec ex Canisio, lib. 3 de Deipara, cap. 10, § *Ubi ex.* Huic nefando ac virulento monstro persimiles sectarii, qui B. Virginem adeo caecam, surdam, ac impotentem confingunt, ut neque homines de caelo adspicere, nec eorum vota auscultare, nec bonorum aerumnis affici, neque opem afferre mortalibus a Deo, vel quidpiam impetrare posset. Quos omnes bene perstringit Bernardus, serm. 1 *in Salve Regina*, his verbis : *Oportet ut nobis praesentem esse dicamus, quam praesentem salutamus, et ut totam animae nostrae Trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Agnoscit certe, et diligit diligentes se, et prope est invocantibus se.* Videatur Canisius, lib. 5 de Deipara, cap. 17, ubi Copronymum impium Mariomastigem confutat, et alios huius farinae homines tartareis flammis addictos, Lutheri etiam asseclas, cuius illa impia vox fuit : *Mariam pro Advocata nolumus habere.* Aeque blasphemus Nicolaus Selnecerus, qui subiungit : *Invocatio Mariae est idololatrica, et teter error.*

1757. Vera tamen et catholica sententia docet, Virginem Deiparam invocandam a Christi fidelibus : ita erudite probat Suarius contra regem Angliae, lib. 2, cap. 7, num. 8, ubi plures Patres agglomerat ad hanc veritatem constabiliendam. Videndus etiam idem Suarius, tom. 2 in 3 p., disputat. 23. Nos hic aliquos proferemus. S. Gregorius Nazianzenus in Tragoedia de Christo patiente, haec habet :

> ..... Senectae exspers supremo ex aethere
> Benigna adesto vocibus meis : preces
> Admitte Virgo, o inclyta.....

Eadem in Mariam pietate fertur Chrysostomus in prooemio ad Psal. 118 in fine : *In quibus*, ait, *confirmabit vos Dominus Deus dans vobis uberes misericordias, et per intercessiones incontaminatae Dominae nostrae Deiparae, ac semper Virginis.* S. Basilius Seleucus, orat. 1 de Annunc. Deiparae, ita finit : *O ter sacrosancta Virgo, adspice nos de coelo oculo propitio, et nunc quidem educ nos hinc cum pace : ad Iudicis autem thronum, a confusione liberos nos siste, ac stationis tandem ad dextram participes nos effice.* Haec eadem antiquitas Deiparam deprecandi colligitur ex Ambrosio, precatione 2 praeparationis ad Missam, ubi haec adiicit : *Et ut efficax haec mea sit deprecatio, B. Mariae Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, et nulla praeter ipsam tam novum acciperet.* S. Augustinus, serm. 8 de Sanctis, insignem continet deprecatiunculam ad Virginem Deiparam, ex qua Ecclesia sibi desumpsit illa verba : *S. Maria, succurre miseris.* Hae et similes deprecationes reperiuntur passim in Patribus ad B. Virginem ; ex quibus facile erui potest, hanc consuetudinem Deiparam invocandi fuisse vetustissimam, neque unquam interceptam, sed in omnium fidelium cordibus radicatam, altaque

mente repostam : perperam ergo rex Iacobus eam inter novitias, ac nuperas reponit.

Ineptissime autem rex ille arbitratus est, nostras preces aliquantulum gloriam B. Virginis imminuere, vel impedire ; cum enim visio beata sit aliqualis participatio divinae scientiae, qua se Deus comprehendit ; ergo sicut contemplatio, qua Deus seipsum videt, nihil obstat, quominus nostra respiciat, ac nobis omnibus sapientissime provideat ; ita cum proportione, licet B. Virgo Deum clare videat, non impedit quin nostrarum calamitatum cognitionem exactissimam habeat, nobisque opem ferat. Quae doctrina expressa est in sacris Litteris ; ait enim Christus, Matth. 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in coelis est.* Et tamen est de fide illos esse hominum custodes, iuxta illud Psal. 33: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* et D. Paulus: *Omnes sunt administratorii spiritus propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* Modo sic: Angeli licet semper Deum clare videant, possunt hominibus auxilium ferre, quin illam aeternam felicitatem, vel tantisper intermittant ; ergo multo melius Angelorum Regina, tametsi ad summum visionis beatificae gaudium evecta, in nostra tamen vota, precesque intendere, pro nobis etiam a Filio auxilium implorare poterit, quin ab aeternis gaudiis avocetur.

Dicat quispiam, Deiparam in coelis pro nobis orare, oratione solum interpretativa, videlicet per sua merita, quae Deo praesentia sunt; item ostendendo ubera, quae Filium Dei lactaverunt, non vero oratione expressa, scilicet flagitando a Deo nobis auxilium : qua ratione Rupertus probat Christum orare pro nobis, nempe oratione interpretativa, non expressa, et formali. De quo videndus Suarius, de Incarnat. disp. 45, sect. 2.

1758. Vera tamen sententia est, B. Virginem oratione expressa et formali, et non solum interpretativa pro nobis in coelis orare. Idipsum de Christo asserunt nobiliores Theologi apud Suarium cit., § *Nihilominus.* Et quidem de B. Virgine in coelo pro nobis orare, docet esse de fide, ex communi sensu, et traditione Ecclesiae Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 23, sect. 2, § *Dicendum,* et tom. 2 de Relig., lib. 3 de orat. voc., cap. 9, n. 9; Morales in Matth., lib. 3, tract. 10, n. 21. Id etiam Patres attestantur; D. Bernardus in serm. de nativ. Virg. : *Exaudiet Matrem Filius, et Filium Pater.* Ecclesia suo suffragio confirmat, dum ait : *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.* Pertinet etiam ad munus advocatae, orare pro clientibus, de quo infra : neque hoc dedecet munus Matris Dei iam in coelo existentis ; alias nec Sancti in coelo orarent, quod falsum omnino est ; neque oratio includit aliquam imperfectionem repugnantem dignitati Matris Dei, ipsiusve beatitudini. Tum quia oratio est actus religionis Deo debitus ; at B. Virgo nunc Deum colit, adorat, laudat, gratias illi agit; cur etiam non exposcat pro nobis? Demum quia id multum decet communem omnium Matrem, pro salute scilicet filiorum semper aliquid operari; cum ergo id possit, et non repugnet, non est cur denegetur. *Una matris lacryma,* dixit olim magnus Alexander, *multas delevit epistolas.* At communis Parens nostra Maria modo licet lacrymas fundere possit, in vita tamen mortali, et lacrymis, et lacte suo; modo autem precibus, quot, bone Deus, syngraphas, et chirographa peccatorum adversus nos conscripta quotidie abolet. Recte Astronomi inter leonem, libramque, virginem signum coeleste constituunt; nos similiter inter Leonem de tribu Iuda, idest Christum Iudicem, et libram illam Iudicii extremi exactissimam, qua omnes vel levissimae cogitationes ac verba minutissima ad examen vocanda, ipsam Virginem Deiparam Iudicis Parentem, omniumque nostrum Advocatam interponamus. Cuius rei praeclarum accipe symbolum in sapientissimo illo legislatore Lycurgo, de quo habes, quod noluit magnus legislator in postrema illa vitae periodo ad examen vocari, nec rerum a se gestarum rationem reddere apud illius Senatus iudices incorruptos et integerrimos, quin sub patrocinio tantae Matris Deorum iudicium perageretur; ut vel hinc sumamus exemplum in extremo cuiusque nostrum iudicio, non comparere coram integerrimo vivorum et mortuorum Iudice, quin veri Dei Parentem precibus sollicitemus, eiusque patrocinium exambiamus, illamque pluribus obsequiis subornemus.

1759. Obiiciat quispiam : B. Virgo cum ad Deum pro nobis preces fundit, vel praenoscit eventum futurum, vel non ; si enim praescit preces suas non habituras effectus, ergo supervacanea erit talis Mariae oratio, neque tunc aliquid deposcet, cum habeat voluntatem suam maxime voluntati divinae conformem ; non ergo aliquid a Deo precibus extorquere tentabit, nisi illud, quod noverit fuisse a Deo volitum, vel decretum. At tunc quando praenoscit effectum esse futurum, non erit opus illius consecutionem exorare, cum praesciat preces hominum exaudiendas, vel Deum sua libera voluntate decrevisse illud beneficium exhibere. Haec tamen verae nostrae sententiae adversari nullo modo possunt, ut patet in anima Christi Domini, quae dum orabat, per scientiam visionis perspicue sciebat, ac in Verbo videbat dilucide omnia effecta, quae in omnium temporum differentia eventura erant : quamvis ergo optime sciret, quid Deus praestiturus esset, nihilo tamen minus rogavit Patrem, ut mitteret in nos Spiritum sanctum, et pro praedestinatis, et ut transferret a se calicem passionis, cum tamen sciret infallibiliter, id non esse a Patre concedendum. Idem ergo contingere potest in Virgine Deipara; ut enim certum reor cum Suario, tom. 2 de Relig., lib. 1 de orat. in comm., cap. 11, n. 5, B. Virgo videt omnia, quae Deus in Ecclesia operatur ; ergo dum preces fundit ad Deum, optime praescit quid Deus praestiturus sit, eiusmodi precibus permotus. Cuius rei ea est optima ratio, quia praescientia illa non excludit preces ; si enim noverit orationem suam futuram efficacem ad impetrandum, tunc maiori

affectu in preces ibit, quia scit simul Deum, illum effectum exhibere decrevisse illis precibus perculsum ; si vero praesciverit, orationem non sortituram effectum postulatum, tamen ex effectu simplici, et ex amore alicuius hominis postulantis, ad orandum adigi poterit, ut Christus Dominus oravit in horto, ut ostenderet affectum suae naturae : quae oratio cessit in honorem Dei, ipsiusque cultum, nec per transversum unguem a voluntate efficaci Patris avocabatur, sed ipsi omnino se subiecit per voluntatem efficacem : eadem ratione orat nunc Virgo B. aliquando ex affectu simplici charitatis erga proximum petentem ; et tamen omnino subdit efficacem suam voluntatem Dei voluntati, ac decreto efficaci : unde exercet actum religionis in Deum, et charitatis in proximum, et resignationis et conformitatis cum voluntate efficaci Dei.

Insurgunt ulterius haeretici adversus dicta, spem nostram in Deo solo reponendam, non vero in creaturis, licet sanctissimis, cum dicat Ierem. 7 : *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Hinc redarguunt catholicos, quod B. Virginem spem nostram vocitemus : de quo videndus Canisius. Sed quidquid ipsi grunniant, communis catholicorum sententia stabilis ac firma est, non solum licere nobis, sed valde expedire, ac necessarium esse, B. Virginem precibus invocare, ab ipsaque nobis bona plurima sperare ; siquidem spei obiectum est beatitudo, ad hanc autem consequendam plurimum a B. Virgine, ope sua, ac patrocinio iuvamur ; ergo possumus ac debemus in ea spem nostram, ac fiduciam reponere omnem post Deum : ideo merito universa Ecclesia salutat Deiparam verbis illis : *Spes nostra salve.* Et D. Augustinus, ser. 2 de Annunc., qui est 18 de Sanctis, haec habet : *Tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, et in te, Beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum.* S. Bernardus, ser. de Nativ. B. Virg. : *Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? potestne Filius repellere, aut sustinere repulsam?* S. etiam Damascenus, orat. 2 de nativ., vocat Virginem Deiparam, Spem nostram, et s. Ephraem Syrus, orat. ad Virginem : *Ave*, inquit, *propitiatorium laborantium: Ave animae meae spes bona: Ave Christianorum omnium firma salus.*

His perstringuntur haeretici Lutherus, et Calvinus cum suis asseclis, qui in solo Deo spem nostram collocandam dictitant. Rumpantur ergo, et exviscerentur sectarii, nobisque obtrectent, quod proprios titulos honoris Christo soli attributos Virgini Deiparae deferamus, et novam idololatriam invehamus. Sed zelus est ementitus, vel potius scelus infandum horum emissariorum Satanae, dum calumniantur Patrum mentem eam fuisse, iuri Christi aliquo modo detrahere, ipsiusque honorem imminuere, dum deferunt eiusmodi titulos in Virginem Deiparam. Sensus igitur a Patribus intentus, et ab universa Ecclesia per illos titulos, nihil aliud est, quam Beatam Virginem suis precibus, et impetratione a Deo, aut ex Christi generatione, ac proinde mediate, et per Christum, hoc, aut illud efficere posse : quare illi tituli, *spes nostra, fons gratiae*, et alii similes sunt proprii Dei, si sumantur formaliter, immediate, et independenter ab alio ; et hac ratione nullo modo tribuuntur ab ullo catholico Virgini Deiparae, sed solum ratione impetrationis, ac meritorum, per quae nobis Deipara gratiarum affluxus a Deo derivat.

1760. Quod innuit ipsa Deipara Proverb. 8, dum ait : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Paraphrastes chaldaeus legit : *Habebit beneplacitum a facie Dei:* id est, qui Virginem B. adit, quasi Deum adierit, et ab eius facie quidquid petierit, impetrabit. Pagninus legit : *Educet quod voluerit a Domino.* Caietanus : *Quidquid voluerit.* Vatablus : *Hauriet voluntatem a Domino*, id est B. Virginis suffragatione quasi omnipotenti, dum quis voluntatis suae vota supplex Mariae aperit, voluntatem a Domino haurire dicatur, et voluntatis suae compos fiet, et postulata quaecunque consequetur a Deo. Supplices ergo ad Mariae pedes provolvamur ; de quo habes, Apoc. 12 : *Signum magnum apparuit in caelo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius.* Id est, tota fidelium congregatio, nempe Ecclesia, Mariae pedibus substernitur acclinis, et ut eius vestigia sibi ad imitandum proponat, et ut religiosiori cultu suspiciat, et adoret, et ut eius sacra vestigia lambens, postulata per Mariam a Deo feliciter extorqueat. Consulto sub pedibus Mariae iacet Ecclesia, sub lunae specie, quia ad pedes Mariae provoluta, a sole tota splendet : *Sicut ergo*, ait Maria in Revelat. s. Birgittae, lib. 7, cap. 25, *humilis fui in mundo, cognita soli Deo ; sic etiam nunc sum humilis sedens in sublimissimo throno, parata praesentare Deo omnium orationes rationabiles ; sed respondeo per infusiones divinas.* O quam praeclara responsa Mariae, quae orationibus humanis per infusiones divinas, et affluxus coelestes respondet!

Ad cuius rei pleniorem notitiam, ac catholicae sententiae confirmationem, animadvertimus, B. Virginem et Sanctos posse esse obiectum duplicis spei ; alia est, quae virtus theologica dicitur, cuius obiectum formale est Deus : quemadmodum ergo charitas theologica, quae in Deum tendit tanquam obiectum formale, fertur etiam in obiecta materialia, sed ingenti discrimine ; ita etiam spes theologica diverso modo fertur in B. Virginem et in ipsum Deum, qui est obiectum formale spei theologicae : ex eo enim quod B. Virgo possit nobis auxilium ferre, et obtinere nobis bonum, quod intendimus, ideo potest esse obiectum materiale proportionatum, ut in ea secundum seipsam speremus, et confidamus tanquam in obiecto secundario ; licebit itaque de B. Virgine, sicut de agente secundario et instrumentali aliquod sperare bonum spe theologica. Praeter hanc spem alia dari potest, quae virtus est moralis contradistincta a theologica ; sicut enim non diliges B. Virginem amore theologico, quando eam dilexeris ob

singularissimas praerogativas, gratias, ac dona ipsi inhaerentia, tanquam per obiectum formale: sic non erit spes theologica, quam in eadem Virgine collocaveris, propter eadem dona, et praecellentes gratias, tanquam propter obiectum formale sperandi aliquod auxilium, tanquam ab agente secundario, licet fateamur, hanc spem, sive confidentiam non theologicam, sed moralem esse supernaturalem et infusam, ut bene docet Ruiz, tom. de Praedestinatione, disputat. 37, sect. 2 et 3.

CERTAMEN II.

Una B. Virginis oratio omnium Sanctorum precibus copulative sumptis potentior.

1761. De potenti vi, et efficacia Marianae orationis plura producunt Patres, ita ut illam cum efficacia orationis Christi componere videantur. De Christo ait Paulus, Hebr. 5: *Exauditus est pro sua reverentia.* Ita et Bernardus ait de B. Virgine: *Pro sua reverentia exauditur etiam Maria.* Christus mediator Dei, et hominum dicitur, I Timoth. 2. Mediatrix Dei, et hominum dicitur Maria ab Augustino. Propitiatorem Deus proposuit Christum, Rom. 3. Propitiatricem Deus constituit Mariam, per Hieronymum. De Christi nomine dicitur in Actis Apost. c. 4: *Non est aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri.* De Mariae nomine ait s. Germanus: *Potens est eius auxilium ad salutem, et non indiget aliquo alio intercessore.* De Christo adstruitur, Ioan. 11: *Quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* De Maria ait Anselmus de excell. Virg., c. 12: *Quidquid tu, Virgo, velis, nequaquam fieri non poterit.* Christi oratio infinito modo gratior est Deo precibus omnium Beatorum: idem audet affirmare Damascenus de Maria: *Matris*, inquit, *Dei, et servorum Dei, infinitum est discrimen.* Demum Christus de se ait, Matt. 28, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Et Petrus Damianus, serm. 1 de nativ. Virg., ait de Maria: *Data est tibi omnis potestas in coelo, et in terra, et nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem salutis revocare.*

Hanc Marianarum precum vim et efficaciam commendans Sponsus, Cant. c. 4, ait: *Labia tua sicut vitta coccinea, et eloquium tuum dulce.* Alii exscribunt: *Sicut funiculus coccineus labia tua.* Sed quae connexio potest reperiri inter labia, et vittam, seu funiculum? Profecto maxima. Quid enim in Deo formidare possint peccatores nisi oculos, quibus scelera inspiciat, quin ullum scelus, vel levissimum, vel occultum, divino eius adspectui subduci queat? Quod innuere voluit Solymaeus Rex, Psal. 138, 12: *Et nox sicut dies eius illuminabitur: sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.* Divino aspectui tenebrae spississimae sunt, sicut lux meridiana; nihil ita occultum et absconditum, aut impervium, et caliginosum, quod oculis divinis non pateat: Dei etiam manus maximum timorem incutiunt; siquidem illis delicta inspecta oculis punit: De quibus Paulus ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Si ergo aliquis tantae esset virtutis ac potentiae, qui posset linceos Dei oculos vitta contegere, ne nostra intueretur peccata, eiusdemque manus multiplici funiculo vincire ac religare, ne eadem puniret, profecto ingens esset potentiae argumentum. Id igitur Sponsus Deus tribuit labiis Marianis, cum preces pro peccatoribus fundit: *Labia tua sicut vitta coccinea;* nempe quia tuis coram me suffragantibus verbis pro scelestis, ac refractariis peccatoribus tanquam vitta coccinea oculos meos contegis et obvelas, ne eorum delicta videam, manusque alligas, et tanquam funiculo vincis, ne illos ulciscar utpote quia verba tua dulcia mihi, et saccharea, adeoque omnipotentia ad exorandum, et extorquendum, iuxta illud Davidis: *Audient verba mea, quia potuerunt.* Alii legunt: *Quoniam speciosa fuerunt.* Alii: *Quoniam dulcia fuerunt.* Alii: *Quoniam munita sunt satellitibus.* Mariana verba potuerunt coram Deo postulata extorquere, quoniam pulcra et speciosa et dulcia, ac saccharo condita, ideoque quasi satellitibus munita, ut Deum ipsum vinciant et apprehendant, ne in peccatores animadvertat.

1762. Aio igitur, unius Virginis Deiparae preces ad permovendum Deum, universae Beatorum curiae precibus potiores, efficaciores ac potentiores existere. Ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 23, sect. 2 in fine, cuius tanti Doctoris verba libet referre: *Ultimo colligitur ex dictis non solum intercedere pro nobis B. Virginem, sed etiam eius intercessionem esse omnium efficacissimam; quin potius existimo a B. Virgine in hac potestate, et efficacia, non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam caelestem curiam superari: itaque si cogitatione fingamus, B. Virginem aliquid postulare, totamque curiam coelestem illi resistere (sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat) potentior esset, maiorisque efficaciae, et valoris apud Deum, B. Virginis, quam reliquorum Sanctorum omnium oratio: et ideo Ecclesia frequentius, et altiori quodam modo orat ad Virginem, quam ad reliquos Sanctos.* Idem tenet Franciscus Mendoza in Viridario, lib. 2 de foribus sacris, problemat. 2, n. 10; Salazar, tom. 1 in Proverb. c. 8, 223. Ratio *a priori* huius asserti est, quia una Virgo Deipara maiorem multo gratiam sortita est, quam omnes reliqui iusti Angeli, et homines simul sumpti; ergo plus potuit una Deipara apud Deum, quam omnes praedestinati simul sumpti; ac proinde preces unius Deiparae potentiores sunt, quam reliquorum omnium iustorum ad aliquid a Deo extorquendum. Huc flecti possunt verba B. Thomae Archiep. Valent., conc. 3 de nativ. Mariae, cuius haec sunt verba: *Sicut in creatione mundi, in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmus dicitur; sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesiae et Sanctorum perfectio; unde Microcosmus Ecclesiae dici potest: quidquid in quolibet Sancto fuit illustre, fuit in illa.* Hinc illud Imperfecti in c. 1 Matth.: *Maria speciosior facta est, et dignior, quam totus mun-*

dus; quia quem mundus non merebatur accipere, in cubiculo uteri sui suscipere meruit. Ubi non iam microcosmum vocat Mariam, sed mundum etiam maiorem. Et quidem, ut inquit s. Cyprianus, suis saepe orationibus frustrantur Sancti; at frustrari nequit, ait Bernardus, ser. de nativ., quod exposcit Maria. Verba item sunt Augustini: *Virgo, quae meruit pro liberandis proferre pretium, plusquam omnes libertatis impendere potest suffragium.*

Quocirca audenter ait s. Germanus, ser. de Zona Virginis, alloquens Mariam: *Potens ergo est tuum auxilium, o Deipara, ad salutem, et non indiget aliquo alio ad Deum intercessore.* Ideo ductoribus Angelis, pastores Iesum infantem positum in praesepio repererunt. Magi, duce stella, eundem in Bethlehem vestigarunt: una Virgo Deipara duodennem puerum in templo, nulla duce stella, nullis ductoribus Angelis, adinvenit, quia maior Angelis, ac omni sydere praestantior ac lucidior existit, et nullo suffragatore opus habet. Nos ergo bene hortatur Bernardus, ser. de nativ.Virg.: *Quaeramus*, ait, *gratiam per Mariam, quia quod quaerit, invenit, et frustrari non potest. Exaudiet itaque Matrem Filius, exaudietur ipsa pro sua reverentia.* Luculentius stat pro nobis Richardus de s. Vict., part. 2 in Cant. c. 23, ubi ait: *Itaque cum tam Angeli, quam sanctae animae pro peccatoribus sollicitae sint, et eis tam meritis, quam intercessione subveniant, credendum est, B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utramque hanc creaturam; imo utraque potior iudicatur.* Qui ergo pro se habuerit Virginem B. pro Deo exorando, plus quidem poterit, vel Richardo iudice, quam si universus Angelorum ac ss. hominum coetus in sui auxilium Deum deprecaretur.

1763. Hinc dirimi potest quaestio illa, cur Christus D. Petro universam Ecclesiam tradidit, Ioanni vero discipulo dilectissimo usque ad crucem comiti individuo, solum curam unius Deiparae commisit? Censeo itaque iuxta dicta, in eo Christum Dominum praeposuisse Ioannem Petro; siquidem una Deipara toti Ecclesiae, et quidem non soli militanti, sed etiam apud coelites triumphanti praefertur, et utraque potior et praestantior existit. Huc respiciebat Guarricus abbas, serm. 4 de Assump., ubi ita fatur: *Sic quippe inter Petrum, qui plus diligebat, et Ioannem, qui plus diligebatur, haereditatem suam Christus divisit, ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam.* Quare vel ex hoc uno maior Christi Domini in Ioannem amor perspici facile potest, quod maiorem ac potiorem haereditatis portionem largitus fuit uni Ioanni, ipsi unam Virginem Deiparam exhibendo, quam Petro, cui universam Ecclesiam commisit, iuxta illud regii Vatis, Psal. 2, 8: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam.*

Hanc elucubrationem illustre s. Anselmi testimonium in eius operibus auctis a P. Theophylo Raynaudo Societatis Iesu, in alloquiis coelestibus n. 21, multum corroborat; ait enim: *Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos, et optimos adiutores, quos ego supplex orare concupisco: tu vero, Domina, omnibus his adiutoribus melior et excellentior es, quia istis et aliis Sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus, necnon regibus, et potestatibus, mundi divitibus, pauperibus, dominis, servis, maioribus et minoribus Domina es; et quod possunt omnes isti tecum, Tu sola potes sine illis omnibus.* Subiicit autem sanctissimus Praesul causam tantae virtutis, et efficaciae in Deo exorando: *Quare*, inquit, *hoc potes? Quia Mater Salvatoris nostri, Sponsa Dei, Regina coeli et terrae, et omnium elementorum.* Potiora igitur accepit una Dei Mater, et plus apud Gnatum potest, quam reliqua omnium iustorum portio gregatim sumptorum. Quod subindicat Cardinalis Hailgrinus in illud Cant.: *Oleum effusum nomen tuum: Nam sicut oleum caeterum liquorem supernatat, sic nomen eius, ipsiusque invocatio omnium Sanctorum nomina, et invocationes nominum superexcellit, et superat in efficacia subventionis, et obtentu divinae gratiae, et Daemonum fugae.* Hanc Virginearum precum efficaciam ac vim corroborat Arnoldus Carnotensis, tract. de laudibus Mariae, per haec gravissima verba: *Securum accessum iam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causae suae Filium habet ante Patrem, et ante Filium Matrem: Christus, nudato latere, Patri ostendit latus, et vulnera; Maria Christo pectus, et ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt, et orant omni lingua disertius haec charitatis insignia.* Maternitatis officia Filio proponit, quia ex dignitate Matris facta sunt apud ipsum omnium gratissima ac potentissima: itaque Materna auctoritas tribuit supra gratiam habitualem, efficaciam impetrationi Mariae; quod proprium est gratiae sanctificantis. Hanc vim precum Deiparae innuunt verba illa Sponsi, Cant. 1: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hoedos tuos.* Quasi diceret Sponsus: si tuae virtutis, vis ac potentiae ignara es prae animi demissione, o Virgo Mater, tuam ipsam virtutem in homines ostenta: exere tuam in sceleratos quosque potentiam; siquidem potens eris haedos in agnos traducere: quisque iuxta praesens rerum statum, ob scelera ingentia ad Iudicis sinistram sistendi erant, tua potentissima vi, ob Filii merita, eiusque, imo et tuo, sanguine abluti, mitissimum ingenium, niveumque candorem nacti, iam ad Patris dexteram beatitudine donati considebunt. Pasce igitur haedos tuos; tibi enim a Deo peccatores concrediti sunt, quae ex quo tempore Dei Mater electa fuisti, simul et peccatorum patrocinium nacta es. Tui sunt, ut eos a Dei arceas vindicta, quantumvis aequissima, ut illos palabundos et errantes in viam veritatis referas. Ad te accedentes humanitus amplectaris, eosque a scelerum sordibus emacula, a peccatorum nigredine emunda, Aethiopes in candidos dealba, corvos in cygnos transfer, haedos in agnos converte, accipitres in columbas transmuta, daemones in Angelos mirabili

metamorphosi adscisce. Scite Epiphanius, ser. de Deipara, illam salutat: *Ave gratia plena, hami esca spiritalis, in te siquidem hamus, divinitas.* Videlicet peccatorum animos, ac corda Deus omnipotens per Deiparam expiscatur; haec enim esca est illiciumque hami divinitatis, quo allicit homines, prehendit, et a delictorum voragine in crystallinas poenitentiae undas traducit.

1764. Idem nostrum placitum confirmat illud Iacobi, Gen. 32: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Illa utique, inquam, vel caelites ipsi oculorum mentis obtutum defigentes attoniti proclamarunt: *Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens?* Cant. 6. In quae verba Rupertus ait: *Quandoquidem sicut aurora finis est praeteritae noctis, et initium sequentis diei; sic Maria mundo exoriens finis exstitit dolorum, et consolationis initium.* Merito ergo Angelus, cuiuscum confligebat Iacob, exclamat, *Dimitte me;* ac si diceret: cur obsecro, o tu quisquis es, multo luctamine, ac repetitis pugnis, quasi colluctando clamoribus coelum impetis, precibus, ac ploratibus instanter Divos fatigas, ut votorum tuorum compos fias: iam enim aurora promicat, iam in posterum tibi cum Angelis, ac reliquis Sanctis res non est agenda, neque eorum opis imploranda: si rem brevi conficere aves, alia tibi ineunda via est, ut mox petita nanciscaris: irradiat aurora coelo, quae sinu suo solem fovet, illumque complexu suo tanquam epicyclo defert, diemque pulcherrimum ac lucidissimum in orbem invehit, nempe una Deipara cuius preces, ac potentissimum patrocinium efficacius intercedit, instantius interpellat, potentius exauditur, frequentius exorat, quam si universa coelitum cohors simul ad Deum suas preces interponat; tantum illa ulnis, ac sinu suo Filium foveat, uberibus affigat, lacte infantem irroret; idem quippe qui inter ubera Virginea ludit, pascitur etiam inter lilia: quae autem haec lilia, nisi Virginis Deiparae ubera lacte foecunda? Scitum autem, et compertum est, lilium clarissimum esse spei symbolum: ubi ergo adsunt ubera Deiparae, ibi tota hominum, etiam sceleratorum spes, sed plena prata liliis foecunda efflorescunt, atque adeo hominis spe multiplici corroborant; id innuebat Sponsus Cant. 4, dum ait de B. Virgine: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae.* Per hos duos hinnulos, aliqui intelligunt universam Beatorum societatem ex Angelis et hominibus constantem: et tamen Mariae ubera universae Sanctorum multitudini pariantur, ex eo procul dubio, quia Mariana intercessio coram Deo pluris sit, quam multiplex omnium Sanctorum interventio et patrocinium.

1765. Harum precum potentissima vis traxit summum Parentem ad Filii Incarnationem; imo audet amplius quispiam, nempe tanti ponderis ac vis exstitisse Marianas preces, ut, si Pater aeternus non necessario, sed libere Filium posset gignere, nec ante Mariam illum generasset, sine dubio Marianis precibus adactus, ad ipsius generationem adduceretur; qua ratione lacrymarum vim expendit Petrus Cellensis, lib. de panibus, c. 12, aiens: *Aqua haec, aut facit, aut invenit paradisum.* Id est, ea est lacrymarum vis ac potentia, ut, si Deus nullam coelestem beatitudinem condidisset, poenitentiae lacrymis permotus coelestem patriam constitueret: sic ea est Marianae orationis potentia, ut, si per impossibile Pater aeternus Filium non genuisset, illius vi adductus illum progenuisset ex Maria. Quod subinnuit illud Cant. 4: *Vulnerasti cor meum.* Symmacus legit: *Excitasti cor meum*, hoc est Patris viscera, ait nonnemo, quae Mariae precibus excitata Filium mundo pepererunt. Hinc Ecclesiast. 36: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Quae verba in Mariam flectit Hailgrinus apud Delrio in Cant. c. 4: *Huius*, inquit, *mulieris speciem sic concupivit Dominus, et ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus sit omnipotens.* En tibi quonam modo Marianis precibus excitatus Pater Filium suum humano generi devoverit.

1766. Aiebat Angelus, B. Virginem salutans Luc. 1: *Ave gratia plena.* Illa vox, *Ave*, sic explicatur a P. Salmerone, tom. 3, tract. 5, in verba praefata: *De prima voce, Ave, adverte dici a verbo, Aveo, quod est desiderare; et ita idem est dicere, Desidera. Ave ergo, B. Virgo, seu desidera, quia quodcunque aveas, et supra quod aveas, obtinebis.* Quasi vel sola B. Virginis desideria, ac vota apud Deum efficacia sint ad impetrandum; et ipsum desiderare Mariae, sit impetrare. Opportunius flectes in Mariam, quod Clemens Alexandrinus de viro iusto protulit, lib. 7 Stromat., c. 6: *Ait Deus Virgini Matri: Pete, et dabo tibi: cogita, et faciam.* Quasi idem sint votum, aut desiderium in Matre, et desiderii adimpletio in Filio: vix Maria mente cogitat, cum orat; et Filius facit, ac praestat opere. In hanc rem conducunt verba Sponsi, Cant. 4, ad Mariam: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa.* Septuaginta Interpretes, et Vatablus transferunt: *Abstulisti mihi cor, sive excordasti me.* Alii cum Cornelio inibi: *Cor mihi inseruisti, sive indidisti, ut illud in me operetur.* Quasi facta fuisset cordis Deiparae translatio in Sponsum: unde quidquid B. Virginis cor velit, et aveat, Filius velit et opere compleat, et ad gustum Matris cuncta regat ac moderetur; ac si idem esset cor Virginis Matris ac Filii, eademque utriusque voluntas; ita ut audacter et sine ulla haesitantia affirmare possit Gregorius Nicomediensis, orat. de oblat. Deiparae: *Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile*, etc. *Nihil tuae resistit potentiae, nihil repugnat tuis viribus. Omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuae potestati serviunt.* Itaque reliqui Sancti ac Beati Deum orant et obsecrant, Dei beneficentia innixi: at Deipara, quasi supplici imperio iubet, vel imperiali supplicatione rogat. Quod disertis verbis tradit s. Antoninus, 4 p., art. 15, c. 17, § 4; et discrimen adducit inter preces reliquorum SS. et Virginis

Matris : *Oratio,* inquit, *Sanctorum non innititur alicui rei, ex parte sui, sed tantum misericordia ex parte Dei : oratio autem Virginis innititur gratiae Dei iure naturali, et iustitiae Evangelii : nam Filius non tantum tenetur audire Matrem, sed et obedire, iuxta illud Apostoli: Filii, obedite parentibus vestris; quod etiam est de iure naturae : oratio Deiparae erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem iussionis, et imperii ; tum quia impossibile erat, eam non audiri, iuxta illud, quod in figura eius dixit Salomon matri suae Bersabeae ; cum aliquid petere vellet : Pete, inquit, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Ex quibus facile deduces et efficaciam et virtutem Marianarum precum, prae omnium Sanctorum precibus simul sumptis; siquidem Maria quasi imperio supplici iubet : reliqui Sancti orant, aliquando non exorant ; at Maria petit, et impetrat ; orat, et exorat ; cogitat, et facit Deus : et iuxta D. Antoninum fieri non potest, ut Maria non exaudiatur.

1767. De Deipara ait Sponsus, ipsius omnipotens patrocinium exaggerans, Cant. 6 : *Pulcra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ubi componit Sponsus Marianam vim ac potentiam cum acie castrorum ordinata ac munitissima, videlicet cum omnium Angelorum potentia ad exsibilandos daemones. Quia licet omnium Angelorum acies congrediatur cum tenebrarum potestatibus, ex alia parte, sola Maria pro hominum tutela adversus omnem daemonum vim in arenam prosiliat; procul dubio maior erit vis Deiparae unius ad debellandas aereas potestates. Quod subindicat Guilielmus apud Delrium in Cant. : *Nobis sancti Angeli sunt castrorum acies ordinata, id est ad spirituale praelium contra aereas potestates pro defensione hominum praeparata. Dilectus igitur ut piam Matrem demonstraret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem ut castrorum aciem ordinatam : Quia te sciunt aereae potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris et spoliatoris sui, verentur te Matrem terribilis, et eius, qui aufert spiritum principum, id est destruit superbiam malignorum spirituum; tu quoque terribilis illis facta es, et non mediocriter, sed sicut est illis terribilis angelicus exercitus ad coercendos eos divinitus ordinatus.* Adfavet Richardus de s. Laurentio, lib. 4 de Mariae laudibus : *Ipsa dicitur terribilis, ut castrorum acies ordinata; ipsa enim tantum daemonibus est terribilis, quantum Angelis et Sanctis est venerabilis ; id est sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Angelorum, Confessorum, Virginum, et omnium, qui ordinate contra Diabolum pugnaverunt, ita terribilis est daemonibus, sicut universa collectio omnium sanctorum aliorum.*

Una Maria recte dicitur similis integrae aciei castrorum ordinatae: quae autem sit haec acies castrorum, cui Maria similis appellatur, respondet Ioannes, Apoc. 12: *Factum est praelium magnum in coelo*: *Michael et Angeli eius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli eius: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo.* Universa coeli militia, coelitumque cunei, duce Michaele, adversus tartareas phalanges belligerant, easque devincunt. Verum quod universa coelitum cohors nanciscitur adversus universam daemonum aciem, duce Lucifero, id totum una Maria se sola consequitur: *Tu quoque*, ait Guilielmus apud Delrium, *terribilis illis facta es, et non mediocriter, sed sicut est illis terribilis angelicus exercitus.* Haec est turris David, quae aedificata est cum propugnaculis : *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, Cant. 4. Videsne, nulla hic ad offendendum arma reperiri, plurima vero ad protegendum? Ambrosius, ser. 4 in Psal. 118 : *Mille ostia pendent in ea*, quia videlicet plurimae ianuae nobis in coelum per Mariam patefiunt. Haec est *Filia regis in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*, Psal. 44. Hieronymus vertit : *In scutulatis.* Quasi aliae heroinae, et imperatrices aureas induant vestes, holosericis ornentur, ut se hominum conspectui praebeant, et vanam sui ostentationem exhibeant. Non sic Deipara, sed scutulatis vestibus amicitur, seu scuta sibi induit, ut sibi addictos protegat, peccatores a Dei vindicta avertat, quia revera Deiparae merita ac preces apud Deum, peccatorum demerita superant.

1768. Huius rei rationem aliam libet afferre ex Tertulliano, et Methodio; ille ait, lib. 4 contra Marc., cap. 36: *Qui vult videre Iesum David filium, credat per Virginis censum.* Ubi Tertullianus fidem et reliqua omnia bona a Deo nobis collata, per Mariam nobis exhiberi docet, tanquam redditus sortis, seu principalis, quod in Christo sibi debitore collocavit per obsequia, et officia quamplurima in eum exhibita ex ipsius gratia. Id ipsum s. Methodius affirmavit per illa verba: *Euge, euge, quae debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus, tibi vero etiam ille debet.* Cumque tanto aere alieno sit obaeratus Filius, quippe Maria illum concepit, utero portavit ac peperit, cuius lac suxit, ipsique alimenta suppeditavit, fasciis involvit, aliaque ipsi ministeria exhibuit, totque illum meritis per totam vitae periodum devinxit; tantum igitur debitum, ac meritorum cumulum vix potuit Matri persolvere; quare quasi redditibus annuis sorti, principalique debitis, nempe Maternitati per modum census respondet ipsi, et propter ipsam, ipsius clientibus. Unde quidquid gratiae ac bonorum Deus nobis impertit, sunt quasi redditus illius sortis meritorum.

Ad haec, non modo Marianum patrocinium potentius est et efficacius omnium Sanctorum, sive Angelorum, sive hominum patrocinio, et intercessione; verum etiam nihil boni Sanctorum preces nobis exorare possunt, quin Mariae preces accedant. Quod ex Astronomis scite probat Georgius Venetus, Harm. Cant. 1, tom. 4, cap. 38. Apud Astrologos enim invaluit, solis, aliorumque planetarum influxus prius a luna recipi, cuius interventu, et moderatione, in orbem hunc inferiorem derivantur, et nihil e coe-

lestibus signis ad nos advenire, quod prius non temperet luna, et quasi sinu suo foveat ac moderetur. *Luna*, inquit Venetus, *sol alter non incongrue a quibusdam dicitur, quia ea quae sol superius vi masculina generat, haec ipsius, et aliorum etiam planetarum, et signorum foetum suscipiens inferiori mundo sibi vicino edit; ideo eius motus prae caeteris observatur, quasi omnium conceptum parientis.* A sole ergo vim accipit luna, ac influxus reliquorum planetarum, quos sinu suo complectens, ac fovens, ac veluti concipiens, rerum omnium sublunarium foetus producit. *Cum venere*, subdit Venetus, *caput regit, cum tauro collum, cum geminis brachia, cum cancro pectus, cum leone humeros, seu scapulas, cum virgine ilia, cum libra, sagittario, capricorno, et aquario alia membra; ita ut omnium influxus ab eis suscipiat, et tanquam rerum omnium inferiorum mater in terras vicinas derivet.* Astra sunt utique rationalia Beati omnes in coelesti curia collucentia, iuxta Danielem, in perpetuas aeternitates; nihil autem gratiae, sive alterius coelestis defluxus in nos influunt, nisi B. Virginis interventu, quae ceu Ecclesiae luna reliquorum omnium syderum, scilicet Sanctorum, affluxus haurit ac moderatur, et in nos derivat. Rem absolvit Venetus: *Ideoque non abs re lunae assimilatur Mater illa omnium gratiarum plena, quae ea, quae a supernis fontibus per diversos canales, largitur quidem inferioribus pro recipientium dispositione.* Itaque Virgo Deipara se sola, sine alterius interventu plurima nobis impetrat bona: reliqui Sancti sine ipsius suffragatione nihil nobis exorare queunt. Praeterea diversi Sancti diversis Ecclesiae statibus e coelo favent, milites militibus, uxorati coniugatis, coelites virginibus, litterati litteris addictis. Deinde alii pestium abolitionem nobis impetrant: alii marinos fluctus sedant, tempestates cohibent: alii fruges usque ad maturitatem tuentur: alius recuperandis rebus perditis praeficitur. Denique diversi coelites diversorum corporis naturalis membrorum potissimam curam suscipiunt; ille capitis, hic dentium, ille oculorum, alter gutturis: at vero una Maria omnibus prodest, omnibus necessitatibus subsidiatur.

CERTAMEN III.

Deipara advocatae munus obit, Deum inter et homines.

1769. Ringuntur haeretici Galasius, et Kemnitius, quod B. Virginem Advocatam ac Mediatricem generis humani nuncupemus. S. Irenaeus, lib. 3 adversus haeres. c. 33, vocat Mariam *Evae advocatam:* at irridet Kemnitius; si Maria quatuor fere mille annis post Evam condita, quomodo advocata ipsius esse potuit? *Quis ergo*, inquit haereticus, *vel per febrim somniavit, Evam invocasse Mariam advocatam suam, quae nondum nata erat?* Sed animadvertere debuisset, Deiparam in hoc divinitus electam, ut fieret Mater Christi, ac eo ipso, non modo Evae, sed omnium hominum causam susciperet, ac redemptionem omnium fidissime tanquam vera Mater, Advocata, ac Patrona suis precibus impetraret; impetrantis autem vox illa fuit, et orbi salvando fundamenta praestruentis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Mens autem Irenaei Mariam Evae advocatam compellantis, ea videtur esse, ut ab aeterno Deus praeelegerit foeminam, quae primaevae matris errata corrigeret, et ut ait Bernardus, hom. 2 de B. Virg., Filia pro matre responderet, eiusdemque opprobrium auferret, ac pro eadem aeterno Patri satisfaceret, ut sexus uterque nostrae reparationi incumberet: licet ergo potens mediator Christus, Virgo tamen Maria ad Christum mediatorem mediatrix existit. Non ergo a ratione alienum alicui videatur, quod Eva Beatam Virginem tanquam Advocatam habuerit, praesertim cum eam, multo antequam existeret, cognoverit, suspexerit, ac ambiverit. Quod non obscure elici potest ex promissoriis Dei verbis ad primos parentes; nempe venturam aliquando foeminam, quae serpentis caput contereret, ac genus humanum collapsum erigeret. Qua fide munita Eva, in sui Redemptoris Matrem mentis oculos coniiciens, illam tanquam Advocatam intuebatur, absentemque summa iam veneratione suspiciebat. Huc respiciebat Fulgentius, dum ait, maledictam Evam, per Mariam ad benedictionem gloriae remeasse, per quam etiam omne genus foeminarum restauraretur.

Ideo dicitur Maria divinam misericordiam fabricare, et quasi sustentare. Qua de re scite philosophatur Cardinalis Petrus Damianus, serm. in Vigilia Nativitatis: *Adest Deus et Homo, Mater et Virgo*, etc. *Foecunda virginitas, aeterna novitas*, etc. *Et in his omnibus misericordia fabricatur.* Quasi foecunda virginitas, Mater et Virgo Dei misericordiam fabrefacerent. Itaque Maria Verbo foeta tanquam officina misericordiae, omnia misericordiae opera fabricat et sustentat. Profecto misericordia Dei *ad extra* primaevi flagitii, et omnium subsequentium in posteris scelerum immensa mole, veluti lassata, quasi fatiscens nutabat, ruinamque in dies minabatur; at per Mariam, tanquam per turrim firmissimam sustentatur, stabilis, ac inconcussa perseverat, quasi Maria fulcimentum et munimen foret constantissimum, ne fatisceret misericordia Dei *ad extra*, et immani flagitiorum pondere praegravata labasceret ac corrueret, et mortales omnes opprimeret.

1770. Dicendum ergo est, Virginem Deiparam ita esse inter Deum, et homines advocatam ac mediatricem, ut hoc munus nulli alteri purae creaturae adscribi possit. Quia propter ipsam, et per ipsam omnes electi sunt Deo grati post Christum. Gaudet ergo nomine advocatae et mediatricis, et nobis omnibus omnes gratiarum affluxus titulo Mediatricis promeruit, quod nulli alteri purae creaturae adaptari potest. Firmatur, quia Virgo Deipara salutem humani generis meritis suis impetravit: sicut enim Christus voluntarie mortem perferens pro omnibus satisfecit; sic Deipara Filium suum voluntarie morti devovens, salutem in orbem invexit. Quod insigniter Arnoldus Carnot. expendens, totum mediatricis et advocatae officium perstrinxit: *Omnino tunc*

erat, ait, *una Christi, et Mariae voluntas, unumque holocaustum ambo offerebant; haec in sanguine cordis, ille in sanguine carnis: unde communem mundi in salutem cum illo effectum obtinuit.* Quod munus advocatae soli Virgini B. inter puras creaturas adscribendum censuit, lib. de excellentia Virgin., cap. 9, illis verbis: *Quis igitur ista perpendens aestimare queat, qua laude digna sit, quae tantorum beneficiorum sola prae cunctis effici debuit Mediatrix?* Ex qua mediatricis dignitate, gratiae Marianae magnitudinem prae caeteris omnibus auspicatur s. Laurentius Iustin., serm. de Annunc.: *Quomodo non est plena Maria, iuxta Gabrielis oraculum, gratia, quae effecta est Paradisi scala, coeli ianua, interventrix mundi, Dei, atque hominum verissima Mediatrix?*

De quo audiendus s. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 19, § 2: *Sapientia*, inquit, *advocati, et eloquentia manifestatur in tribus: scilicet quod obtineat apud iustum, et sapientem Iudicem; secundo, contra adversarium astutum, et sagacem; tertio, quod in causa desperata. Sed Virgo Maria advocata nostra obtinuit apud sapientissimum et iustum Iudicem Deum, contra astutissimum adversarium Diabolum, in causa desperatissima, inter Deum et hominem, in qua nullus hominum, qui Eam praecesserant, loqui audebat.* Albertus Magnus docet aptari posse Mariae illud Sap. 6: *Ipsi cura est de omnibus;* cum adhuc non rogata faveat, necessitates antevertens, ut patet in nuptiis Cana. De quo sic fatur s. Bernardinus, tom. 3, serm. 9, art. 3, cap. 2: *Mater in nuptiis Cana interpellat, ac si ad eam cura omnium pertineret, et omnium hominum advocatam se sentiens, quae prae omnibus creaturis, cunctarum facta fuerat Virgo Mater, officium advocationis, et piae auxiliatricis assumpsit etiam non rogata.*

Ratio autem, propter quam Deipara a Patribus advocata et mediatrix nostra decantatur, ea est, quia sublimis Maternitatis Dei sanctitas confert eius precibus vim, ac robur impetrandi apud Deum longe efficacius, quam praestet gratia habitualis, hincque potentissima ipsius apud Deum intercessio extollitur. Accedit etiam intima cum Filio coniunctio, quam ex dignitate et sanctitate Matris sortitur; ratione cuius, media Filii redemptione, et impetratione, apud Deum plurimum valere dicitur. Quod pie et eleganter docuit Bernardus, serm. de Nativit. Virg.: *O homo, quidquid illud est, quod offerre paras, Mariae commendare memento, ut eodem alveo, ad largitorem gratiae gratia redeat, quo influxit. Nec enim impotens erat Deus, et sine hoc aquaeductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere; forte enim manus tuae sanguine plenae sunt, et ideo modicum istud, quod offerre paras, et desideras, gratissimis illius manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam: securum enim habes accessum ad Deum, ubi Matrem habes ante Filium, et Filium ante Patrem. Mater pro te ostendit Filio pectus, et ubera; Filius Patri latus et vulnera; et quid negabit Pater Filio, et Filius Matri?*

Obiectaverit quispiam, id munus advocatae et mediatricis officium non soli Virgini Deiparae, sed et reliquis Sanctis competere, quippe ipsi precibus suis multa nobis assidue impetrant, ut quotidiana miraculorum patratione experientia demonstrat. Verum ad huius advocationis et mediationis officium non sufficere putamus, ut aliquid impetres aliis; sed illud esse per se necessarium, ut illud etiam quod impetras, prius promerearis, ac merita et obsequia tua offeras pro illis, quibus impetrare vis, et quod ille acceptet, a quo aliquid impetras: eo igitur inficias, proprie mediatoris officium reliquis Sanctis hoc sensu aptari posse; quamvis enim plura nobis bona impetrent a Deo, illa tamen bona nec nobis promeruerunt, dum hac vita mortali viverent, quia neque in hunc finem sua merita collimarunt, nec Deus illa in hunc finem acceptavit: ut patet in innocentibus martyribus, et aliis pluribus Beatis, qui nullis meritis propriis in coelum translati, aliqua suis precibus bona a Deo nanciscuntur ipsos implorantibus. At in Virgine Deipara aliter res se habet; nihil enim gratiae, nullum donum coeleste nobis impetravit, quod dum esset viatrix, prius non fuerit promerita, quia pro nobis omnibus ipsa obtulit Deo sua omnia merita, ac Deus illa acceptavit. Quod perspicue docet D. Bonaventura, ex s. Augustino; ait enim ille in Speculo: *Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim B. Augustinus: Gratia es plena, Maria, quam apud Deum invenisti, et per totum mundum effundere meruisti.*

1771. Ideo Mariam adeamus cuncti sicut ad nostrarum precum complementum; in ipsa enim, quidquid nostris meritis deest, adest sufficiens ratio et supplementum, cuius interventu postulata a Deo feliciori fortuna nanciscamur; in cuius nutu totius generis humani salus, calamitatum propulsatio, ac famis redemptio sita est, multo melius, quam olim in Iosephi arbitrio Aegyptiorum salus, ut pie meditatur Richardus de s. Laurentio, l. 2, p. 1: *Salus nostra in manu Mariae est, ut et dicere multo melius valeamus nos christiani, quam dixerunt Aegyptii Ioseph: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum Domina nostra, et laeti servimus Filio eius. Ipsa enim vere potest figurari per Ioseph, qui interpretatur Augmentum, quia ei accrevit gratia foecunditatis super gratiam virginitatis: ideo dicitur de ea gratia super gratiam*, etc. *Ipsa est enim causa salutis generis humani, et quaedam ratio, et complementum post Filium suum omnium, quae facta sunt, et quae futura sunt.* Saepe sceleribus obrutis nobis deficit ratio ad petendum et impetrandum a Deo; et Maria est ratio, et complementum, quod cumulate nostras preces adimplet; ipsa tanquam Advocata rationem exhibet suis clientibus ad novos supplices libellos conficiendos, quibus a Deo petita consequamur. Quod si forsan non suppetat sufficiens obtinendi ratio, ipsa est nostrarum precum complementum. *Accede igitur*, ait Idiota, lib. de B. Virg., in Prologo, *per devotam mentis contem-*

plationem ad gloriosissimam Virginem Mariam, quia per ipsam, et cum ipsa, et ab ipsa habet mundus, et habiturus est omne bonum. Cum ergo Maria a nobis precibus sollicitatur, et ipsa pro nobis Filium orat; tunc abyssus abyssum invocat, ait D. Bonaventura, in spec. c. 5.

Virgini ergo Deiparae aliquod proprium impetrandi munus adscribitur a Patribus, quod commune non sit cum reliquis Sanctis: unde displicent aliqui, qui ex eo Mariam Mediatricem dici opinabantur, quia Incarnationem congrue promeruit; hoc autem etiam veteribus patribus ac patriarchis plures Theologi deferunt. Alii ex eo Advocatam et Mediatricem nuncupari aiunt, quia Maria pro omnium salute deprecata est: at plures ex antiquis patribus, ut Ioannes Baptista, procul dubio pro omnium salute preces fuderunt, sicut modo plures viri apostolici id quotidie a Deo enixe exposcunt; unde neque hoc munus proprium fuit solius Deiparae, cum plures beati hoc nomine digni censerentur. Addunt aliqui, B. Virginem Christum peperisse, qui fuit totius nostrae salutis causa; sed neque id praecise totum advocatae ac mediatricis nomen et officium adaequat. Aiebat enim impie Constantinus Copronymus, crumenam auro plenam ostentans: Quanti haec valet? utique permagni: aureos postmodum nummos effundens, iterum repetebat, illam auro viduam, ac vacuam nihili aestimari; subdebat impius impostor, idem ferendum iudicium de B. Virgine, nihil, inquam, hominum saluti contulisse; nisi pretium nostrae salutis effudisse. Addendum ergo, Virginem Deiparam obtulisse Filium suum, tanquam quid proprium, morti sponte sua pro mundi salute; unde aliquid suum obtulit. Debemus ergo Mariae non solum quod in lucem ediderit Filium suum, sed quod tanquam aliquid suum nobis pro mundi salute donavit. Quod recte ponderat Epiphanius, serm. de laudibus Virginis: *Virginem,* ait, *appello velut Sacerdotem pariter, et altare, quae quidem mensam ferens, nobis dedit coelestem panem Christum in remissionem peccatorum.* Unde sicut vera Sacerdotissa hostiam redemptionis aeterno obtulit Patri. Solius ergo Virginis est, Christum pro nobis offerre, et non alterius, quia suum aliquid erat: sicut ergo Christus mortem voluntarie perferens pro mundi salute satisfecit, ita B. Virgo Filium morti sponte devovens, omnium salutem impetravit. Id sonant verba illa Cantic. 1: *Posuerunt me custodem in vineis.* Id est, quacunque diffunduntur fidelium catholicae vineae, Advocata miserorum a tribus Personis divinis constituta sum, ut cunctas calamitates propulsem, miserias sublevem, molestias depellam, preces et ubera mea interponens pro hominibus apud Deum Trinum et Unum. Addit: *Vineam meam non custodivi*; scilicet Iudaeam, et praecipue Hierosolymam, quia a Romanis obsessa est; quia ob perfidiam, et cor plusquam lapideum, lapides enim, ac saxa Christi morte perrupta sunt, Iudaeorum autem cor, saxis et adamantibus obstinatius permansit; ideo illos Deipara tanquam impoenitentes dereliquit. Quae omnia amplius ex Certamine sequenti patebunt.

CERTAMEN IV.

B. Virgo utrum dici possit causa et reparatrix nostrae salutis.

1772. Quaestionem hanc exagitat Suarius, tom. 2 in 3 part., disp. 23, sect. 1. Huc etiam oculos coniiciunt plures ex Patribus, qui Evam cum Virgine B. componunt; aiunt enim Evam peccatum, ac mortem in mundum invexisse, cum ad transgressionem Adamum allexit, atque adeo dicunt illam causam et originem totius nostrae ruinae exstitisse: sic etiam Maria dici potest nostrae salutis causa, quia Christum nobis peperit, illumque precibus allexit (alioquin spontanee in nostram redemptionem currentem) ut mandatum Patris exequeretur, Deumque nobis infensum placaret sanguinis effusione. Depraedicatur ergo Virgo Deipara tanquam nostrae salutis causa, non quia pro culpis satisfecit Deo, quod proprium est solius Christi Redemptoris, sed precibus et suffragatione sua. Sic D. Hieronymus, seu quisquis sit auctor epistolae de Assumpt., ait: *Veneremur salutis Auctricem, quae dum Auctorem suum concepit de coelo, nobis Redemptorem praebuit in terra.* Et Irenaeus, lib. 3 contra Valentinum, cap. 33: *Universo generi humano causa salutis facta est.* Et iterum: *Quid est, quod sine Mariae consensu non perficitur mysterium Incarnationis? Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium.*

Illud tamen in confesso est apud omnes catholicos, B. Virginem nulla ratione fuisse causam primariam, et veluti principalem nostrae salutis; hoc enim proprium est solius Christi, qui ad aequalitatem satisdedit, et ad integrum satisfecit pro hominum peccatis. Ex eo igitur dicitur a Patribus nostrae salutis causa, quia Filium propria sponte crucis tormentis ac morti obtulit; cum enim Filius aliquid Matris proprium haberet, offerendo Filium, aliquid quod suum erat pro nostra omnium salute Patri obtulit. Unde ait D. Bonaventura: *Sic Maria dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Itaque Virgo B. Christum nobis gignens, materiam subministravit; ex qua Deus nummum excudit nostrae redemptionis, nempe Christi humanitatem, medium profecto, ac remedium in hunc finem aptissimum; in illa enim Deus imprimens sui infiniti valoris sigillum, eam constituit aequivalentem summam, ac pretium superabundans, ut nos sibi coemeret, redimeretque a potestate et servitute Diaboli. Itaque B. Virgo auri materiam suppeditavit; Verbum autem divinum infinitum valorem illi addidit, materiam excudens, et sigillans, atque adeo non parum nostrae Redemptioni auxiliata fuit: quemadmodum si quis ad redimendum captivum Argillae, argenti materiam rudem, et informem largiretur; rex autem eam excudens, valorem ipsi inderet, eam sigillo suo muniens, quo nummus usualis redderetur; ille profecto, qui argenti materiam exhibuit, non parum captivi redemptioni favisset, ipsique procul dubio, licet non integre, magna tamen ex parte redemptio tribueretur. Cum ergo Virgo Deipara humanitatem tanquam argenti defaecatissimi materiam

exhibuerit Christo, a cuius Divinitate valor infinitus advenit in operationibus Theandricis Christi Domini, quas ipse excudit Divinitatis sigillo, quo pretium infinitum pro nostra, infinitorumque hominum libertate ac redemptione praestitit: nunquid et illa Corredemptricis munus recte obiit?

Plus addidit s. Thomas Archiepisc. Valent., serm. 1 de Assumptione Virginis, scilicet ipsum Filium Dei a B. Virgine aliquo modo fuisse redemptum: ait enim, Filium Dei pro captivo homine sub peccato spopondisse, factumque fideiussorem illius; adeoque veluti captivum Filium Dei redemisse. Sed auscultemus tanti Praesulis verba: *Venit ad Virginis mensam, et inde numerosam pecuniam accepit, quam redderet creditori, accepit namque carnem, unde Patri redderet pro amico, quem sibi fecerat ex servo, tot pretia peccatorum. O quam plene solutum est ab eo peccati debitum! O quam bene numeratam pecuniam creditori dedit super crucis mensam! Quot flagella, quot alapas, quot punitiones, quot vulnera, quot iniurias, quot lacrymas, quot tormenta, denique atrocissimam mortem! Ecce captivi pretium, quo solutum est ab ergastulo. Pretium ergo redemptionis Christus persolvit; sed haec mulier dedit illi unde solveret. Ipse Redemptor est, sed ab illa accepit unde redimeret. O quantum tibi tenemur, B. Virgo! quid tibi pro tanto beneficio retribuemus?* Ubi vocat Virginem Deiparam Redemptricem, non peccati, sed Christi, qui ab sponsione sua et fideiussione fuit liber et redemptus. Attexo hic eiusdem s. Praesulis verba, Conc. de Purific.: *Statutum est veluti decreto, ut omnis primogenitus venderetur, nempe Exodi 13: Et cum ille Virginis primogenitus nasceretur, ipse quoque emeretur a Matre, non sibi soli, sed mundo; et per hanc eius emptionem in omnia illius opera mundus actionem sortiretur, et ius.* Sic ergo emit Christum Maria, ut non sibi solum, sed etiam illum nobis Redemptorem tradiderit. Iam igitur noster est duplici titulo, donationis, et emptionis; emptionis, quia a Matre emptus nobis; unde Christus viator non sibi vixit, sed nobis, quibus a Patre donatus est, et a Matre emptus: *Nobis datus, nobis natus*, occinit Ecclesia.

1773. Ex quo scite eliciunt aliqui, cur proditor ille nefandus suspendium potius delegerit, quam aliud mortis supplicium; nempe quia fur erat, et latro: huius autem criminis poena a legibus cauta, est suspendium; deprehensus igitur in latrocinio, dum Christum a Maria emptum, hominibus a Patre supero donatum furatus fuit, ac Iudaeis vendidit; tanto furto a conscientia propria tanquam a iudice comprehensus in crucem agitur. Exhibeo huius acuminis auctorem s. Thomam citatum: *Quid*, inquit, *synagoga, a Iuda comparas Redemptorem? Vendere alienum ille non potest. Virginis Christus est: illa prior emit, secunda non valet emptio. De duabus venditionibus prior iure valida est: unde venditor ille videns, quia incassum vendiderat alienum, ne iudicio adstaret, suspendio se finivit; cognovit enim, quia damnatus esset, quoniam vendiderat alienum. O bone Iesu, iam noster es, et duplici iure te Mater emit nobis: noster es, quia datus; noster es, quia emptus: duplici te iure possidemus.*

Quod autem Deipara seipsam pro totius generis humani redemptione, et etiam Filium suum tradiderit morti, docet Arnoldus Carnotensis, tract. de illis verbis: *Mulier, hic est filius tuus.* In quae verba subdit haec pius abbas: *Ipsa sine strepitu seipsam mactans in altari interiori, et ligna, et flammas, et latices conferebat. Optabat Maria ad sanguinem animae, et carnis suae addere sanguinem, et elevatis in crucem manibus celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, et cum Domino Iesu corporali morte Redemptionis nostrae consummare mysterium.* Ratio igitur prima, qua suaderi potest, B. Virginem esse veluti Corredemptricem humani generis, petitur ex verbis Arnoldi; quia scilicet seipsam pro humani generis salute morti, ac cruci ardentissimo desiderio, ac voto addixit. Quod innuunt Ambrosii verba, lib. 10 in Luc.: *Maria ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia spectabat, non pignoris mortem, sed mundi salutem, aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem, mundi redemptionem, aula regalis putabat se, et sua morte publico muneri aliquid additurum.* Nec defuit voto sua peracerba mors, toties enim Virgo B. mortem pertulit, quoties cruciatuum ac tormentorum magnitudo, quae in Filio tolerabāt, per se sufficeret, ut ad mortem iret, nisi divina virtute mors procul abigeretur. Deinde quia et Matris et Filii voluntas in unum conspirarunt, ut Filium suum in hominum redemptionem morti devoveret: sicut ergo Filii voluntas omnino conformis cum voluntate Patris aeterni in negotio Redemptionis; ita et Mariae voluntas cum utriusque voluntate conspiravit in re salutis humanae, ut bene expendit Bernardinus Senensis, tom. 1, serm. 51, cap. 4: *O mira circa nos utriusque parentis Iesu Christi pietatis dignatio! O inaestimabilis Dei, et Virginis dilectio charitatis! qui ut servum redimerent, communem Filium tradiderunt propter nimiam charitatem, qua Deus et Virgo nos miseros peccatores dilexerunt.*

1774. Subiungo ex hac voluntatis Virgineae cum voluntate Patris concordia, me deducere, B. Virginem impulisse Filium ad subeundam mortem: sicut enim Eva ad transgressionem per vetiti pomi esum, Adamum allexit; ita etiam Deipara Filium ad mundi remedium suis precibus, et cohortationibus impulit. Plus audeam, si Patris aeterni voluntas defuisset, solius Matris voluntate adactus Christus necem ac crucis tormenta subiret. Eo enim amoris studio hominum salutem ambibat Maria, ut si, per impossibile, aeternus Pater Filii mortem non decrevisset, ipsa tamen voluntate efficaci vellet Filium pro hominum salute mortem subire. Ac proinde merito Christi Coadiutrix et Corredemptrix dici potest; ita ut de Maria affirmari queat, in ordine ad Christum, ipsi nempe adiutorium quoddam simile fuisse datum, quia nimirum salutem generis humani ardentibus votis expe-

tivit, imo et aliquando suo cohortatu firmavit, et quam salutem hominum Christus de condigno fuit promeritus, ipsa congrue consecuta est. Si ergo Pater aeternus voluntate efficaci non decrevisset Filium suum cruci, ac morti pro hominum salute devovere, sola Matris voluntate permotus, sponte crucem sibi seligeret Filius, mortemque adoriretur, Matris voluntati obtemperans; tanti enim erat apud Filium Matris voluntas. Quod ex eo firmari potest, quod Christus mortem, tanquam rem valde arduam ac difficilem ex pluribus motivis respicere, ut innuunt verba illa: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Hanc ergo arduitatem nulla alia re superare potuit, praeter Patris aeterni voluntatem, nisi Matris voluntate allectus; haec Filii animum dolore perculsum levavit: et quemadmodum Patris voluntas agnita Filio calcar addidit ad mortem aequo animo subeundam, iuxta illud: *Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas;* ita Matris voluntas a Filio perspecta animos ad labores, crucemque ferendam auxit. Quae res fortassis fuit in causa, cur Christus animam agens non Matrem, sed mulierem eam dixerit: *Mulier, ecce filius tuus.* Quia B. Virgo non tanquam Mater, sed instar mulieris alterius Filium suum cruci, ac tormentorum pelago devoverit, quasi materni affectus oblita. Eandemque ob causam Patrem non iam Patrem, sed Deum voce compellat: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Videlicet quia ita Pater Filium suum morti addixerat, paternum velut exuens affectum, ut iam non Pater esse videretur; ita Virginem, non tanquam Matrem, sed tanquam mulierem alienam alloquitur. Uterque sedenim Parens, ita Filium suum sponte morti offerunt pro hominum salute, ut erga illum tanquam alienum, et extraneum se gerant, ac parentum viscera deponant. Quod apte confirmat s. Bonaventura in 1 sentent., dist. 48, q. 2: *Mater,* inquit, *per omnia conformis Patri, et Filio, in hoc miro modo debet laudari, et amari, quod adeo compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta, quae Christus pertulit, ipsa libentius sustinuisset, et nihilominus placuit ei, quod Unigenitus eius pro salute generis humani offerretur. Vere ergo fuit fortis, et pia, dulcis pariter, et severa, sibi parca, et nobis largissima.* Hinc supra Epiphanius vocat Mariam Sacerdotem pariter, et Altare; sacerdotis enim in morem, obtulit Filii hostiam pro mundo: dicitur etiam altare, quia Christus semel solum in ara crucis, at in Virgineo corde quotidie offerebatur, quotiescunque eum sponte neci devovebat.

1775. Eundem sensum amant verba illa Arnoldi Carnotensis, de laud. Mariae: *Hoc stupendum est, quod consummata dispensatione Incarnationis, exspiraturus Iesus Matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, et quasi sui immemor ad Matrem de cruce convertitur, et colloquitur intimans, quanti apud Deum meriti esset, et gratiae, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam capite vulnerato, fossis manibus, et pedibus in ultimis esset. Movebat enim eum Matris affectio, et omnino tunc erat una Christi, et Mariae voluntas, unumque holocaustum; ambo pariter offerebant Deo, haec in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verum brevi est sermone colligendum, quo initio, quo progressu ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta pervenerit, ut cum Christo communem in salute mundi effectum obtineat.* Vides ex mente Arnoldi quomodo Virgo B. cum Iesu in unum coeant pro salute humani generis reparanda, eundemque cum Christo reparationis effectum sortitur: Christus universum exhibet valorem iustitiae, Maria preces interponit, ut quod est gratiae et favoris nanciscatur. Quocirca verba Anastasii Synaitae, lib. 9 Hexam., de Ecclesia fantis, aptius flecterem in Mariam: *Adhortor Iudaeum, et Graecum, seu Gentilem, ut quaerat et possideat illam adiutricem, quam Deus fecit, ad ferendam opem toti generi hominum; adiutricem non carnis, et voluptatis, non seminis, et sanguinis adiutricem, et coniugem, et quae nequaquam fuit insidiatrix, sed salutaris, sed conservatrix, sed illuminans, sed benevola, peccata purgans, non faciens, in regnum Dei introducens, non ex eo expellens; adiutricem, quae parit filios vitae, et haeredes vitae aeternae; adiutricem, quae magos fecit Apostolos, et facit publicanos Evangelistas, redditque meretrices virgines honestiores.*

Profecto Christus Dominus redemptionis opus cum Matre partitus est, ut dicebat Ambrosius, lib. 10 in Luc.: *Pluris putat, quod Victor suppliciorum, atque poenarum, Victor diaboli, pietatis officia dividebat, quam quod regnum coeleste donabat.* Reservavit sibi Christus integrum satisfaciendae iustitiae munus: at pietatis, et gratiae officia cum Matre divisit; imo novus Adam Christus in B. Virgine adiutorium sibi simile in redemptionis opus invenit, quia Verbum divinum ex Mariae utero traxit, quod Patri aequivalenter satisfaciat pro humani generis alieno aere. Luctam Iacobi memoria recole, Gen. 32: *Vir luctabatur cum eo.* Cur homo Dei Filio viribus non impar apparet? Ambrosius, lib. 2 de Iacob, cap. 6, quaestionem dirimit: *Quia ex eius erat generatione Dominus Iesus oriundus ex Virgine, qui Deo nec impar, nec inaequalis esset.* Quia ergo Iacob post longum generationum catalogum ex Maria Virgine, et per ipsam progeniturus erat Iesum Deo aequalem; ideo Iacob in lucta Dei Filio pariatur. Si ergo Virgo B. per seipsam immediate Dei Filium ex suis visceribus progenuit, carne ac sanguine aluit, quid mirum si dixerimus in lucta, et in opere Redemptionis non imparem, sed Filio similem exstitisse? Huc revoca illud Cant. 7: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Itaque uterus Virgineus Christum Iesum granum tritici frumenti acervo foecundius reservat, ac lilia candidissima progignit, nempe iustos, qui non solum ex vicinitate et opimitate frumenti suam foecunditatem, candorem, et pulcritudinem ebibunt, sed etiam ex uberrima et opima Virginei paradisi gleba virent, florent, et candicant: non solum ergo candentia, ac viridantia praedestinatorum lilia Christi sanguine

irrigata crescunt, sed etiam lacte Mariano irrorata adolescunt, et in pulcherrimos flores exsurgunt, cum sanguis Christi a sanguine ac lacte Mariano originem duxerit. Unde opportune nobis adest auxiliator Amadaeus, hom. 6 de laudibus Mariae: *Vallata*, inquit, *Sanctorum liliis Redemptoris Mater aptissime hunc illis congruentem poterit proferre sermonem: Gaudium meum, et corona mea, omnes vos estis acquisiti sanguine meo, et carne sumpta de carne mea.*

1776. Imo si fieri posset, ut animus Patri deficeret, ut morti ac cruci Filium addiceret, animos acciperet ex contemplatione valentissimi roboris ac virtutis, quacum Deipara Filium cruci ac morti devovebat; ita ut Pater aeternus a Maria, si fieri posset, animos resumeret, ut Filium morti addiceret. Sic Paulus ad Hebr. 11, ait de Abrahamo: *Abraham fide obtulit Isaac, unde in parabolam accepit eum.* Alii ex Graeco transferunt: *In exemplum accepit eum.* O egregium profecto facinus, quod Deus ipse in exemplum sibi ad imitandum proponere posset! Verum id Abrahami factum non fuit opere completum; verum Virgo Deipara et re, et voto Filium cruciatibus pro hominum genere devovet, ita ut si animus Patri supero deficere posset ut morti ac cruci Filium offerret; ipsa B. Virgo exemplo praeiret, animosque indere posset, praesertim cum ille Pater esset, illa Mater: ille Deus, haec foemina; et tenerior quia Mater, et ut foemina, debilior. Id innuit Bernardus, serm. de verbis Apoc.: *Fidelis*, inquit, *Maria, quae salutis antidotum, et viris et mulieribus propinavit; illa, nempe Eva, ministra seductionis, haec, nempe Maria, propitiationis; illa suggessit praevaricationem, haec iniecit redemptionem.* Non quippe alio modo, nisi cohortationibus et suasionibus Filium impellens, ut crucis mortem acerbissimam in totius humani generis reparationem sponte subiret, et iuxta crucem stans intrepida, et inconcussa forsan voce ac nutibus pia Mater Filium ad cruciatus, ac mortem perferendam pro hominum salute incitabat, addebat animos, ac ardentissimis patiendi votis Filio calcar erat.

Merito ergo a Patribus Deipara tanquam Corredemptrix nostra plausibus succlamatur, cum humano generi reparando libens ac lubens cooperata fuerit consensu suo explicito per verbum, *Fiat.* Ideo Incarnationis mysterium in Maria somno sopita haudquaquam peragitur, sed Gabriel ad Mariam vigilem et excubantem mittitur; non sic olim Eva e costa Adami fabricatur, in totius humani generis parentem, sed ex Adamo sopori immerso, altoque somno dedito prosiliit, ne Adamo in Evae parentis nostrae formatione quidquam genus humanum deberet, a quo dormiente, nec consentiente, solum patiente, Eva fuit in lucem edita, ut soli Deo ob tantum beneficium devinciremur. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius*, Gen. 2. Non sic autem ex Maria Virgine Christus Dominus, qui in humani generis Redemptorem praestruebatur, sed ex Maria vigilante, ac sponte consentiente Incarnationis mysterium perficitur; ita ut quemadmodum Christus carnis suae debitor exstiterit Mariae, sic nos tantae Virgini, tanquam reparatrici, ac corredemptrici nostrae, tanti beneficii debito obaerati gratias rependeremus. Do huius cogitationis auctorem Guilielmum ad c. 1 Cant. 11, 1: *Incarnandus Dei Filius ex Virgine, praemisit ad eam unum ex familiaribus suis, ut ad auriculam eius revelaret, et arcano, quod absconditum fuerat a saeculis, reserato, consensum et cooperationem eius flagitaret. Quippe nolebat Omnipotens suae Incarnationis miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsa, nec carnem volebat sumere ex ipsa, non dante ipsa. Itaque non tantum ex ipsa carnem suscipere volebat, sed etiam ab ipsa. Non sic olim, non sic, quando immisit soporem in Adam, ut de corpore nescientis tolleret, unde ille mulierem formaret.* Et post alia, quae ibi interserit, addit ex ore Gabrielis: *Tu venienti Unigenito Dei occurre, et quoniam hilariter dantem diligit Deus, prompta et hilari fide da illi de carne tua victimam reconciliationis humanae.*

Ideo Virgo Deipara dicitur adiutorium exhibuisse secundo Adamo in opere Redemptionis. De quo sic habet Richardus de s. Laurentio, lib. 1 de laudib. Mariae: *Fuit Dominus cum Maria, et ipsa cum Domino in eodem labore, et in eodem opere nostrae Redemptionis. Mater misericordiae Patrem misericordiarum adiuvit in opere nostrae salutis; unde praedictum erat de prima muliere: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Illa enim literalis Eva viro suo non fuit in adiutorium, sed in destructorium magis: haec autem in adiutorium, quia in manu foeminae tradidit Dominus Sisaram, et una mulier hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Idcirco dicitur Christus solus passionis torcular calcasse; quia nullus vir eum, sed foemina adiuvit. *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*, Isai. 63. Solus dicitur hanc cruentam victoriam adeptus, solum tamen adiutorem excludit, de foemina subticet, ut bene ponderat Richardus cit.: *Quid est quod Dominus dicit: Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum? Verum est, Domine, quod non est vir tecum; sed mulier tecum est, quae omnia vulnera, quae tu suscepisti in corpore, suscepit in corde: et sicut lancea militis perforavit latus tuum, ita gladius doloris eius animam pertransivit*, etc.; *et sicut tu salutem humani generis in cruce sitiisti, sic et ipsa sitivit.* Ita ut merito aliquis suspicari posset, noluisse Patrem aeternum salvari mundum in solius Filii morte sine corredemptrice Maria. Huc flectit idem Richardus, lib. 2, locum illum Michaeae 6: *Nunquid dabo Primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animae meae?* per haec verba: *Charitate sua, qua vulnerabatur, Unigenitum suum dedit pro sceleribus nostris, et fructum ventris sui pro peccatis animarum nostrarum. Tunc impletum est illud, quod de prima muliere dixerat Deus in figura Mariae, quasi loquens de secundo Adam: Non est bonum, ho-*

minem esse solum : faciamus ei adiutorium simile sibi. Nolebat siquidem Deus Pater, si liceat ita loqui, solius Filii morte salvari genus humanum, et Diabolum condemnari, sed disposuerat in manu foeminae tradere Sisaram. Pia verba et audaciae sanctae plena: temetsi ergo Deus-homo Filius Iesus solus condigne hominum redemptionem facere potuit; ita etiam sola Maria, quia Dei Mater congrue eandem promeruit, ideoque ad excellentissimum Corredemptricis munus adscisci potuit.

1777. Huc spectat titulus ille, quo Virginem Deiparam compellat Hugo Cardin. in Psal. 90, dum vocat illam, *Adiutorium Altissimi*, quia Christum coadiuvat ad reparationem generis humani, precibus impetrando nobis opportuna ad gloriae assecutionem subsidia, tam temporalia, quam spiritualia. Verum alio deflectit mens Hugonis, dum adiutorium illud Christo exhibitum a B. Virgine interpretatur; ait enim foeminam viro coniunctam Gen. 2, vocari ab ipso Deo *Adiutorium viri*. Unde de latere, non de talo condita est, ut pateret, foeminam non esse mancipium viri, nec ad servitium conditam, ut rite Tertullianus expendit, lib. 2 contra Marc., c. 11; sed ad adiutorium, tam ad procreationem, et educationem liberorum, iuxta s. Ambrosii sensum de paradiso, c. 10; quam ad rei domesticae procurationem, et augmentum, iuxta Chrysostomum hom. 22, ex variis in Matth. Putavit tamen Anastasius Synaita, illud *adiutorium simile sibi*, de uxore carnali intelligi nullo modo posse: qui enim fieri potuit, ut viri adiutorium esset, quae virum bicorporem sua ad eum adiunctione facit? ut disserit Antiphan. apud Stobaeum ser. 68, adeoque duplici onere ac cura gravat. Ergo verba illa Dei: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, de B. Virgine accipiunt Hugo citatus, s. Bernardus ser. in *Signum magnum;* Richardus a s. Laurentio lib. 2. Procul tamen hic abigenda sunt Magusaeorum, et Persarum connubiorum figmenta cum matribus; hic enim omnia purissima, ac nitidissima, non enim dedecet in spiritu, eandem esse matrem et sponsam, eundemque esse filium et sponsum, ut alibi monemus. Hoc ergo sensu vocari potest Virgo Deipara, *Adiutorium Altissimi*, id est Christianorum Mater, ac Christi sponsa, quae ad procreationem, educationemque filiorum multum adiuvit; ac circa domesticam curam Ecclesiae, quae est Christi domus, valde fuit sollicita: hincque nostram cum Christo fraternitatem optime elicit Galfridus, serm. 7.

Opportune in rem praesentem Cardinalis Hailgrinus apud Delrium in Cant. cap. 4, v. 9, ait: *Species mulieris exhilarat faciem viri potentis, eumque humiliat, severum et austerum emollit. Huius mulieris speciem sic concupivit Dominus, et ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus sit Omnipotens, et qui est vita viventium, emollitus sit ad mortem.* Quod ut penitius calleas, perpende Verbum divinum in primo suae conceptionis momento a Patre optionem habuisse, ut seligeret, vel mortem subire pro universo humano genere; vel, si nollet pati mortem, ipse immortalis permaneret. Si primum mallet, iam ex tunc hominum saluti incumberet, cruciatibus addictus, tormentis expositus, in crucem actus; si vero mortem, nec tormenta subire nollet, immortalis et impassibilis foret, verum cum dispendio generis humani, quod morti aeternae erat necessario adiudicandum : utrumque autem aeque gratum foret Patri, ut placet pluribus Theologis; at Dei Filius potius delegit pro hominum salute mortem, ac tormenta subire. Cur autem Christus maluit vitam hanc ludibriis ac tormentorum diluvio expositam, id enim ex divina natura non hausit, cum aeque Deus sibi complaceret, quod moreretur Christus, vel quod morti non subiiceretur. Quae doctrina nititur verbis illis Christi Matth. 26: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi* etc.. Praeceptum ergo imposuit Filio Pater Redemptionis generis humani per crucem, cuius tamen praecepti perseverantia foret in potestate Christi; ita ut quoties a Patre peteret ut praeceptum auferret, ita fieret. Posito vero praecepto, liberum non erat Christo non mori; semper tamen erat ipsi liberum rogare Patrem ut praeceptum auferret: quae oratio aeque Deo grata foret, sicut ipsa praecepti adimpletio. Id innuit Paulus ad Gal. 4: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Statim atque ex Virgine Maria homo prodiit, sub Patris lege seipsum constituit. Ita Athanasius apud Baezam, tom. 1 de Christo, c. 1, § 12. Arbitror ergo, Christum Dominum emollitum fuisse, ut pro homine redimendo morti turpissimae addiceretur, non a divinitate, sed ab humanitate hausta a Maria : tantam igitur pietatem ebibit, tantum mansuetudinis hausit a lacte Mariano. Ex mititate B. Virginis in salutem hominum, quos deliciarum loco habebat, propendentis, hausit, ut mallet perpeti mortem pro hominum salute. Quod subindicat ipsa B. Virgo, Cant. 1; ait enim: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum: fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.* Unde tam repentina rerum commutatio? Rex sedebat in accubitu tanquam in throno maiestate pleno, ubi flagellum appropinquare non potest, neque spinae; et protinus illa omnis maiestas occultur, regalis thronus obvelatur; ac solum fasciculus myrrhae, nempe crucis, lanceae, spinarum, flagellorum, clavorumque oculis obiicitur; quique immortalis, impassibilis, et aeternus suspiciebatur, iam subito morti, ac tormentis obnoxius prospectatur. Causam subiicit Deipara : *Nardus mea dedit odorem suum.* Quae verba ita enucleat s. Amadaeus, hom. 2 de laudib. Deiparae : *Bonus odor, qui Regem in accubitu suo existentem per Virginem provocavit, ut ad nos veniens nostra reciperet, sua daret.* Hoc igitur novo, ac singulari titulo dici potest Deipara Reparatrix generis humani, quia propter ipsam Christus Dominus emollitus fuerit ad crucem, ut aiebat Hailgrinus supra. Bernardus, ser. de verbis Apoc. ait: *Bonum non erat,*

hominem esse solum, sed congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Magni ponderis verba sunt ad praesens institutum illa Arnoldi Carnotensis, tract. de laudibus Mariae, ubi sic fatur: *Dividunt coram Patre inter se Mater et Filius pietatis officia, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanae negotium, et condunt inter se reconciliationis nostrae inviolabile testamentum, Maria Christo se spiritu immolat, et pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat.*

1778. In eandem rem faciunt verba s. Ildephonsi, lib. de Virginit. Mariae, c. 12, ubi Virginem alloquens subiicit: *Concedas etiam mihi adhaerere Deo, et Tibi, illi sicut Redemptori meo, Tibi sicut operi redemptionis meae. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuae personae veritate formavit.* Ubi audis Mariam non solum suam redemptionem in seipsa perfecisse, sed etiam omnium hominum redemptionem complevisse, ut scilicet Christi redemptio, quae quoad sufficientiam affatim perfecta est, quoad efficaciam singillatim in unoquoque effectum sortiatur.

Ideo Deipara apposite adumbratur per fontem illum paradisiacum omnia irrigantem. De quo auscultandus s. Bernardinus, tom. 1, ser. 52, art. 1, c. 2: *Figurata fuit Virgo Maria in fonte illo, de quo Gen. 2: Qui de terra ascendens, irrigabat universam superficiem terrae.* Et subdit ad rem Bernardus, ser. 4 de Assumpt.: *Quis misericordiae tuae, o Benedicta, longitudinem, et latitudinem, sublimitatem, et profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam, subvenit universis: latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra; sic et sublimitas eius civitatis supernae invenit restaurationem, et profundum eius sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem.* Quare merito Marianum suffragium protenditur ad omnes. *Gloriosa Virgo Maria,* ait Bernardinus tom. 3, ser. 11, art. 1, c. 2, *elevata fuit ad altitudinem regni, ut de ea dici possit, quod non solum dominatur a Dan usque Bersabee, sed dominatur a mari gratiae, usque ad mare gloriae, et a flumine influxuum divinorum, usque ad terminos orbis terrarum, super omnem creaturam regnans.* O late porrectum imperium Marianum! cum maria gratiae et gloriae, tum et flumina divinorum influxuum unius Mariae nutui subdantur. Quisquis avet gratiarum fluenta, ac gloriae undas dulces haurire, ac e coelesti flumine divinos affluxus sibi corrivare, Mariam sollicitet, et obsequiis subornet, quae maribus gratiae et gloriae, tum et fluminibus divinorum influxuum praesidet.

Ut enim ostendimus, nulla vocatio congrua, nullum auxilium efficax a Deo in nos derivat, quod per B. Virginem ad nos non deveniat: ideo dicitur, redemptionem generis humani complere, quia gratiam per Christum nobis praeparatam, per Mariam de facto nanciscimur. Quod Arnoldus, in tract. 6 de verbis Domini in cruce, perspicuis verbis ostendit: *Cooperabatur plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille Matris affectus, cum tam propria, quam Matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret.* Item B. Virgo Christi passiones formavit, atque complevit longe nobiliori modo, quam Paulus, cum iactavit Colos. 1: *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in corpore meo.* Si ergo Paulo licuit id asserere, id multo verius dicere poterat B. Virgo, cum illam vocet Arnoldus Carnotensis, tract. cit. in illa verba: *Mulier, ecce filius tuus,* Consummationem passionis; ait enim: *Oportebat quidem ad sanguinem animae, et carnis suae addere sanguinem, et elevatis in cruce manibus, celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, et cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostrae consummare mysterium.* En tibi quomodo Maria dicatur complementum passionis Christi: tum quia Christus in Maria multum toleravit, tanquam Filius in Matre, atque adeo non in aliena carne, sed in sua, quidquid Deipara perferebat, ipse patiebatur: *Christus,* dicebat Arnoldus citatus, *expensis iam in eum contumeliis iam hora propinquante, in Matre amplius, quam in seipso pati videbatur.* Ita ut leviores experiretur in se cruciatus ex flagris, spinis, clavis, et ex cruce ortos, quam ea tormenta, quae ex Matre patiente hauriebat, propter ipsius erga illam amorem ardentissimum: hi igitur Christi cruciatus, quos in Parente dilectissima patiebatur, formarunt ac compleverunt passiones Christi, iuxta Ildephonsum, et Arnoldum. Vel si mavis, ex eo dici potest, B. Virginem formasse, et complesse passionem Christi, quia quantum ipsa Christi redemptio posset, in seipsa perfecte expressit, omnesque illius fructus sibi hausit; quidquid enim passio Christi efficere potuit, et in aliis desideratur, in Maria expletur; nam beneficium creationis, originalis etiam iustitia, et aliae innumerae gratiae meritis Christi, collatae sunt Virgini Mariae, quae aliis non sunt exhibitae.

1779. Alii ex eo vocant Mariam humani generis reparatricem, quia videlicet mediatricis officium subivit apud Mediatorem Iesum, ut ait Bernardus, serm. de verbis Apoc.: *Opus enim est Mediatore apud Mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quam Maria.* Virgo igitur Deipara de salute humani generis vota Filio patefaciebat, quae Filius pro reverenti in Matrem pietate, ac observantia acceptabat, qui et Matris, ac sua de hominum reparatione sensa, et affectus Patris offerens, votorum executionem instabat; utriusque vero preces Pater exaudiens, optatis annuit, ut supra docuimus cum Arnoldo: ergo mundi reparatio non solum Christo, sed etiam suo modo a Patre aeterno Virgini Deiparae demandata fuit; ita tamen ut Filius prima et principalis causa nostrae Redemptionis, meritorum condignitatem pro nostro debito Patri obtulerit in pretium, et redemptionem, et B. Virgo tanquam causa instrumentalis eandem redemptionem saltem sollicitaverit, et impetra-

verit; id enim auctoritas tantae Matris deposcebat, ut eius quoque merita, ac vota una cum meritis, ac votis Filii, totius humani generis salutem cooperarentur, et uterque humani generis reparationi incumberet. Cui sententiae auxiliator adest s. Damascenus, hom. de Assumpt.: *Neque enim*, ait, *tui ipsius causa progenita es; quocirca a Deo vitam habebis, ob quem in vitam prodiisti, ut orbis universi saluti administram te praeberes.* S. Germanus Constantin. vocat Mariam *rerum antiquarum renovationem.* Laurentius Iustin. de casto connubio: *Ipsa*, inquit, *est renovatio eorum, quae erant inveterata.* Sapiens Idiota, de laudib. Virg. cap. 4: *Qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Richardus de s. Laur. lib. 2, p. 1: *Ipsa enim est causa salutis generis humani, et quaedam ratio, et complementum post Filium suum omnium, quae facta sunt, et quae futura sunt.*

In cuius rei pleniorem notitiam animadvertendum est, Deum produxisse Mariam tanquam ideam, sive exemplar creatum, quod esset initium operum suorum, tam in ordine naturae, quam gratiae; ideo Verbum divinum idea, et exemplar increatum illapsu suo, totam occupavit Mariam iuxta illud Angeli: *Dominus tecum.* Et quidem seipsum expressit in Maria, ut hac ratione omnium creaturarum ideas melius exprimeret, utpote, quia omnes creaturae in Maria ad pristinum statum, imo multo praestantiorem, restituendae erant; nempe quia homo per Mariam ad primum gratiae nitorem restitutus est, et reliquae omnes creaturae, quibus homo constat, tanquam illarum omnium compendium, deperditam suam pulcritudinem recuperarunt; primo per Verbum Dei carne vestitum, de quo ait s. Thomas, 3 p., q. 3, art. 8: *Verbum Dei, quod est aeternus eius conceptus, est similitudo exemplaris totius creaturae; et ideo sicut per participationem huius similitudinis, creaturae sunt in propriis speciebus institutae, sed mobiliter: ita per unionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem. Nam et artifex per formam artis conceptam, qua artificatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat.* Vides Verbum divinum in se cohibens rerum omnium exemplaria, qua ratione deperditum ipsarum rerum nitorem instauraverit, eas iterum ad primam et aeternam ideam revocans. Quod vero id praestitum fuerit adiutrice Maria, docet Damascenus, orat. 1 de Nat. Mariae: *Omnis creatura una copuletur, ac sacrae Annae sacerrimum rationale laudibus prosequatur. Bonum enim thesaurum, quique nulla vi eripi possit, mundo peperit. Per eam quippe Creator naturam omnem interiectae humanitatis beneficio in melius commutavit. Nam cum homo media quadam inter mentem, et materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum, tam quae in adspectum cadunt, quam quae oculorum sensum fugiunt, nodus ac vinculum sit; profecto etiam Artifex, Dei Verbum humanae naturae copulatum, per eam cum universis rebus conditis unitum est.* Ideo igitur necessum fuit, ut Maria creaturarum omnium exemplaria, ac semina in se contineret, et ut Verbum divinum totam Mariam pervaderet, eius scilicet mentem, ventrem, aurem, sensus, potentias, corpus, animumque, ut in Maria, et per Mariam omnis creatura redintegraretur. Quod autem per Mariam universa sint reformata, luculenter confirmat s. Bernardinus tom. 2, ser. 48, ponderans verbum illud *Fiat* B. Virginis: *Vide*, inquit, *quantae potestatis Virginis desiderium fuerat apud Deum, quia quidquid per plurima Fiat, a Domino factum est, ipso dicente Gen. 1: Fiat, lux* etc., *nunc in B. Virginis unico verbo Fiat, redditur reformatum. Fiat, inquam, mihi in corde per fidem, in ore per confessionem, in ventre per Incarnationem.*

Postremo ostendit ex dictis s. Antoninus, 4 p., tit. 15, c. 20, § 10, B. Virginem opus recreationis, seu reparationis Universi cooperatam fuisse in quadruplici genere causae, nempe efficientis, materialis, formalis, et finalis; quare pleno ore Reparatrix generis humani nuncupari potest. In genere, inquit, causae efficientis post Deum, sub Deo, et cum Deo, quia ipsa nobis illum progenuit, qui nos omnes recreavit, ac in pristinum statum redegit per passionem suam, virtutem gratiae conferentem in sacramentis, et ut Filium suum gigneret, promeruit. Causa materialis fuit huius recreationis et instaurationis nostrae, quia Spiritus sanctus de purissimis eius sanguinibus, medio consensu accepit, quod in corpus efformavit Christi, per quod redemptio nostra operata fuit. Causa vero formalis, quia sua conversatione coelesti, speculum est omnibus se ad Deum convertendi. Causa denique finalis, quia totum opus redemptionis post Deum, in Christi Filii eius, ut homo est, addo et in eiusdem B. Virginis honorem ac gloriam, collimavit.

PALAESTRA TRICESIMAPRIMA

Theologia Mariana in ordine ad Deum Trinum et Unum.

1780. Non modo B. Virgo, Verbi Officina, cum Andrea Cretensi, orat. in Salut. Angel., recte nuncupatur, ubi artifex Spiritus sanctus stupendam suam operationem ostendit, in qua et de qua fabrefecit quidquid in gratia eximium et egregium reperitur; sed etiam aptissime eam appellabis Officinam, in qua Pater et Verbum *ad intra* operantur. Siquidem in Maria Christus Deus dicitur concipi, generari, seu nasci etiam ante externam de utero nativitatem post novem menses peractam; ait enim Angelus Matth. 1: *Quod enim in ea natum est* (seu generatum), *de Spiritu sancto est.* De ea nasci, ait Glossa, est in lucem produci; in ea vero nasci, est concipi: ita Strabo Fuldensis in Glossa. Quid ergo, an Christus ut Deus, et aeterni Patris Filius in Maria, in utero, inquam, eius nascitur? Appositissime in hanc rem philosophatur s. Bernardinus, tom. 1, serm. 61, c. 8: *Reperio*, ait, *in Rege nostro Iesu duas dignissimas dignitates, videlicet quod sit aeternus Deus genitus ab aeterno, et aeternum Deum producat, eo quod Spiritum sanctum spiret: et ipse clausus in Virgineo utero. In aeternitate a Deo Patre generabatur aeternus: et in eadem aeternitate idem ipse Puer in ventre Matris Deum spirabat, et producebat.* Itaque in Virginis almae utero Christus concipitur, et in eodem a Patre nascitur, et in eodem Spiritus sanctus spiratur. Duplex ergo generatio in Mariae utero peragitur, et Verbi a Patre, et Christi a Matre, et etiam Iesus clausus spirabat Spiritum sanctum. O Virgineum Mariae uterum, totius Trinitatis Officinam admirandam! ubi arcanum sanctae Triados mysterium operatur!

CERTAMEN PRIMUM

Quo iure Deipara Trinitatis Complementum depraedicetur.

1781. Primum expediri oportet, an titulus ille, nempe *Trinitatis complementum*, qui ex Hesychio depromptus, iure ex eodem B. Virgini affigatur. Ratio autem dubitandi ea est, quia illud elogium ex mente Hesychii prolatum non fuit de B. Virgine, ut bene observat Raynaudus noster in libello quodam, ubi B. Virginis elogia adnumerat, et ad examen vocat. Mens igitur alio respicit, et quidem scite quispiam obiiciat in quosdam nuperos Doctores illud sancti Hilarii, lib. 1 de Trinitate: *Optimus lector est qui dictorum intelligentiam expectet potius ex dictis, quam imponat; retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumpserit intelligendum.* Quantum autem Hesychii mentem obtorqueant omnes illi, quotquot elogium illud ab ipso Virgini Deiparae delatum ferunt, ex loco integro fideli examine transcripto, quilibet facile perspiciet. Hesychius ergo, orat. 3, dum verba interserit de B. Virgine, eamque cum arca Noetica componit, subiungit: *Illa* (nempe arca Noe) *erat animalium arca: haec autem* (nempe Maria) *arca vitae: illa corruptibilium animalium; ista vero vitae incorruptibilis: illa ipsum Noe; haec vero ipsius Noe factorem portavit: illa duas aut tres contignationes, et mansiones habebat; haec autem universum Trinitatis complementum; quandoquidem et Spiritus sanctus adveniebat, atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat: Spiritus enim sanctus, ait Gabriel, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Haec omnia Hesychius: ex quibus verbis perperam aliqui Doctores invehunt titulum illum praetensum; videlicet Virginem Deiparam esse, et vocari ab Hesychio *Complementum Trinitatis;* nam solum dicit, ipsam habere, seu continere Complementum Trinitatis: quia Pater in Maria fuit obumbrans, iuxta illud Angeli. *Et virtus Altissimi* (nempe Patris) *obumbrabit tibi:* deinde supervenit Spiritus sanctus; Filius etiam carne vestitus fuit in eius utero. Aliud ergo est, continere; aliud, esse: non enim quis recte inferat: Beata Virgo continet in utero Verbum divinum, ergo est Verbum divinum. Vel etiam dici potest, Virginem continere Complementum Trinitatis, quia iuxta Cyrillum Alexandrinum, lib. 14 thesaur., c. 3, de Spiritu sancto sermonem attexens, ait: *Sanctae Trinitatis, Spiritus sanctus Complementum est.* Cum ergo Maria in se contineat Spiritum sanctum, apte dicitur continere Complementum Trinitatis.

Verum enimvero, tametsi ex Hesychio illud elogium non apte in Mariam deflectas, forsan aptius illud erui potest ex verbis s. Ambrosii, de Benedicto patriarcha, c. 11, ubi aliquo modo suffragatur Doctoribus illum titulum Mariae Deiparae deferentibus, ait enim: *Sicut illam ex Patre generationem intelligimus, ita etiam ad consummationem fidei, generationem Mariae intelligamus.* Ubi D. Ambrosius vocat generationem Verbi humanitate vestiti ex Maria, *Consummationem fidei*, hoc est complementum fidei Trinitatis, utpote quae consummat et complet generationem primam ex Patre; non ita ut aliquid incrementi ipsi adiiciat, sed ut priorem generationem evulget ac propalet, ipsiusque sit declaratio; sicut sermonem internum labia retegunt, et declarant per verborum prolationem externam. Itaque haec nova generatio Verbi ex Virgine B. est veluti appendix generationis ex Patre, quia intra eiusdem Verbi seriem, cuius proprium est ab intellectu produci, et deinde ab ore proferri. Huic cogitationi subsidiatur Magnus Athanasius, t. 2 in quaestionib., q. 4, ubi rationem exhibet satis opportunam, propter quam Virgo Deipara complementum Trinitatis

dici possit : siquidem Verbum divinum, *ut sic*, est filius naturalis superi Patris, e cuius intellectu producitur in similitudinem naturae: cum autem sit sermo, seu verbum interius, exambit exterius prodire, omnibusque manifestari; quod factum fuit, cum idem Verbum per generationem ex Maria carnem assumpsit, exteriusque prolatum fuit : ex hac autem secunda generatione Filius iterum naturalis Patris aeterni nascitur, quam naturalem filiationem perfecit Virgo Deipara ; ob quod iure Trinitatis Complementum dici potest ; quia per primam solum generationem a mente Patris per aeternitatem, nondum filiatio secunda Verbo divino, nec Paternitas haec secunda Patri conveniebat, nec sacrum Pneuma tanquam utriusque fibula iuxta hanc secundam generationem temporalem adnectebat utrumque, Patrem scilicet et Filium. Dicatur ergo Deipara Trinitatis Complementum, quia complet ac perficit Paternitatem ac Filiationem ortam ex secunda generatione, ac nexum etiam Spiritus sancti inter utrumque, quoad illam considerationem. Vel aliter dici potest esse Complementum Trinitatis quoad nos, quia nobis detegit Trinitatem, eiusque obscuritatem, qua in seipsa delitescit, nobis revelat ac pandit : quod ingeniose satis s. Athanasius tradidit nuper allegatus : *Quemadmodum*, inquit, *sermo hominis duas habet generationes, unam ex anima, et alteram ex labiis; ita etiam Dei Sermo duas habet generationes, unam quidem ex Deo Patre, quae et prima generatio dicitur; alteram ex carne, quae et secunda generatio dicitur : et quemadmodum sermo noster, quando natus est secundum primam generationem ab anima, obscurus est, et non aperitur ; ita Dei Sermo quamvis ante saecula a Deo Patre natus, non tamen manifestabatur hominibus.*

In hac autem secunda generatione dicitur Christus filius dilectionis Patris, non sui intellectus: concludit Athanasius: *Et quemadmodum sermo noster, quando volumus, nascitur ex labiis nostris; ita et Dei Sermo, quando ei visum fuit, natus est ex labiis Prophetarum, et ex ter castissima Maria, et tunc manifestus factus est.* Quare non incongrue Trinitatis Complementum quoad nos B. Virginem compellabis; quia quoad nos Trinitas incognita, adeoque quasi incompleta, nondum enim completa Trinitatis cognitio inerat mundo ; cum autem ex Maria Verbum humanitate vestitum prodiit, iam Trias divina nobis perfectissime manifestata fuit. Est igitur Deipara imago perfectissima Trinitatis, divinarumque emanationum, quia Maria de substantia carnis suae Christo carnem suppeditavit. Haec vero caro incrementum in Christo suscepit per nutrimentum ; ex carne ergo B. Virginis, et Christi, effosso latere prodiit Ecclesia: complet ergo quoad nos cognitionem Trinitatis, per eam enim nobis amplius innotescit.

Dicitur etiam Trinitatis Complementum, quia ex Incarnationis mysterio in Maria peracto, Trinitatis opera *ad extra* singulari luce enituerunt, ipsumque Trinitatis mysterium maxime patuit; quia tres divinae Personae ad tanti mysterii sacramentum coierunt. Hinc subdit Hesychius, serm. 2 de laudib. Deiparae : *Quandoquidem et Spiritus sanctus hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat.* Quid igitur? Deus quodammodo extrinsecus compleri ac perfici dicitur, dum perfectionem suam infinitam creaturis propalat, ac bonitatem suam creaturis communicat ; aliter enim Deus suam perfectionem complere minime diceretur, nisi seipsum extra se diffunderet, ait enim s. Dionysius, de coelesti Hierarchia c. 4 : *Est enim omnium causae excellentisque bonitatis id proprium, ut ad consortium sui quae sunt invitet, et attrahat omnia, singula scilicet pro captu, et modo rationis suae*, etc. *Ut enim sol noster non cogitatione, aut voluntate, sed eo ipso quod est omnia illustrat, quae eius lumen pro modo suo capere possunt; sic etiam summum bonum per se, ipsaque essentia sua, iis quae sunt, omnibusque pro eorum captu totius bonitatis radios immittit.* Non ergo essentia Dei Unius et Trini completa diceretur, nisi seipsum excellentiori modo, quo posset, diffunderet, quod peractum fuit in Incarnatione; quia ergo Trinitatis opera nullibi explicatius ostenduntur, quam in Virgine Deipara, merito Trinitatis Complementum nuncupatur, quia in ipsa divina bonitas se effudit, et Personarum distinctio magis innotuit. Dicatur itaque complevisse Trinitatem, quatenus in Maria maxime exeruerunt vim suam divina attributa, quorum nullibi tanta energia et efficacitas proditur, quanta in B. Virgine, quae proinde sub ea ratione est Complementum sin minus ipsius Trinitatis, at saltem attributorum Trinitatis.

1783. Neque his satis exhauritur sensus illius elogii Mariani : aliae adhuc supersunt exquisitissimae illius nomenclaturae interpretationes. Prima est, quia cum Pater aeternus Verbum generet, Pater autem et Verbum producant Spiritum sanctum ; quae communicationes sunt infinitae, ac perfecte complentes Patrem et Filium ; solus Spiritus sanctus ut infoecundus, sic incompletus manere visus est, nisi se B. Virgini ea communicatione (cuius stillam Corinthiis, I ad eos ep. c. 13, apprecabatur Paulus) mirabiliter infudisset, ostendens in eâ quantum ipse valeret, ut egregie dixit Beda: et quod maxime ad rem facturum videtur, producendo in ea Filium, cuius Conceptione ex Spiritu sancto, propulsata ab eo quantum fieri poterat infoecunditatis nota, videri posset; sic enim Spiritus sanctus, ac proinde Trinitas, quia Spiritus sanctus veluti incompletus existere videri posset, Complementum a Virgine Deipara dici posset accepisse ; quia per Mariam quaelibet Trinitatis Persona foecunda ostenditur, per quam foecunditatem tota Trinitas completur. Pater virtute foecunda intellectus, Filium ac Verbum progignit ; Filius cum Patre virtute foecunda voluntatis, Spiritum sanctum spirant: hic autem omnino infoecundus *ad intra* manet: at dum Verbum divinum in utero Mariano progignitur factum homo, quandam foecunditatem nanciscitur ; quia nempe generatio Christi, qui

est persona divina, peculiari ratione in Spiritum sanctum quadrat. Quare virtus Altissimi, obumbrante Spiritu sancto, Christum perfecit: ex quo Spiritus sanctus sterilis et infoecundus *ad intra*, vim foecundam producendi Personam divinam *ad extra* nactus est. Praeterea sicut Pater aeternus infinitae suae bonitatis mensuram explet communicans Filio essentiae infinitudinem, perfectionum, et attributorum: Filius item cum supero Patre eandem infinitudinem Spiritui sancto communicat; quo utriusque se communicandi sitis expletur: solus Spiritus sanctus, tametsi eandem infinitam bonitatem participet, hunc appetitum non satiat; unde desiderari videtur alia Persona, cui Spiritus sanctus suae infinitae bonitatis perfectionem communicet, ut sic tota Trinitas completa quoad nos conciperetur: haec fuit Maria, cui adornandae ita profuse bonitatis suae thesauros prodigit, ut infinitam illam se communicandi appetentiam, si non explere, saltem levare possit, congerendo in Maria infinita gratiarum dona, immensum charismatum pelagus, innumerabilem privilegiorum thesaurum.

Rursus quemadmodum Spiritus s. a Cyrillo Alexandrino supra vocatur Trinitatis Complementum: et s. Anastasius Synaita, lib. 1 de rectis Fidei dogmatibus, ait: *Spiritus sanctus complet sanctam Trinitatem;* quia videlicet omnem virtutem productivam in divinis exhaurit, et complet; perficit enim emanationes divinas: sic cum proportione quadam Virgo Deipara dici potest Trinitatis complementum. Quod ergo Spiritus sanctus est, et dicitur in ordine ad Patrem et Filium; hoc B. Virgo respectu Trinitatis esse praedicatur: et sicut Spiritus sanctus complet Patrem et Filium in ratione Spiratoris, ita suo modo B. Virgo complet Trinitatem in ratione communicationis: et quemadmodum sine complemento Spiritus sancti, Pater et Filius nihil spirarent, deficeretque in divinis relatio Spiratoris, et spiratio passiva; ita cum proportione, sine Deipara deficere videretur aliquid attributum in divinis, scilicet omnium donorum communicatio, quae sola reperitur erga Mariam; omnipotentia item, quae in ordine ad Mariam, pulcrius ac potentius innotuit, iuxta illud: *Fecit potentiam in brachio suo*: idemque dicendum de aliis Dei attributis. Dein novum quoddam attributum, quod ex Deipara accrevit Deo, nempe quod Filius novo quodam, et inaudito modo sit Filius procedens ex voluntate Patris, penitus delitesceret; ut supra innui. Aeternus ergo Pater non libere, sed necessitate adactus ex intellectu Filium generat, non ex voluntate; non autem videretur completa, et adaequata virtus foecunda, ni generaret per voluntatem Verbum *ad extra*, cum posset; ex voluntate ergo Patris procedit Filius in utero Mariano: quare a Paulo vocatur Filius dilectionis Patris; quod innuit Ambrosius in Psal. 1, cum vocat Verbum divinum, Lignum sapientiae plantatum in utero Virgineo voluntate Patris: et iuxta hunc sensum quasi compleri dixeris foecunditatem Patris, quia iam per voluntatem producit Filium ex Maria libere et spontanee, qui solum ab aeternitate, et *ad intra* Filium producebat per intellectum necessario.

Quod ulterius et enucleatius emedullandum est: Verbum igitur divinum, qua homo, oritur ex Maria, non ex Patre; et tamen Christus ut homo, Filius Dei vocatur, quod non obtinuit antequam prodiret ex Maria, nondum enim erat homo, unde neque ut homo, Filius naturalis Dei vocari poterat; postquam vero ut homo prodiit ex B. Virgine, iam novitus Filius naturalis Patris nuncupatur, quasi ex maternitate Mariae Christum generantis, nova relatio Paternitatis de novo in Patre aeterno succrescat. Rem scite excogitavit s. Laurentius Iustinian. serm. de Annunc.: *Erit*, inquit, *quem paries, magnus, et Filius Altissimi vocabitur*, etc. *Istud enim nomen novum, recentemque dignitatem nequaquam sortietur ex Patre, cum sit illi Filius coaeternus, Verbumque incommutabiliter manens in Patre, sed eidem tribuetur ex gratia, per humanitatis naturam, quam sumet ex te.* Itaque Verbum divinum, ut homo, incepit esse Filius ab instanti, quo illum B. Virgo in utero concepit: itaque Marianus venter Altissimi virtute foecundatus divinam sobolem simul cum supero Patre nactus est. Quod subodorabatur regius Psaltes, Ps. 21, dum pangit: *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea, ab uberibus Matris meae: in te proiectus sum ex utero.* Alloquitur Christus ex ore Davidis, quasi diceret: Virgo ignota viro in lucem, hominumque conspectum me edidit; sine Patre natus tanquam exposititius, in te tamen, o Pater, proiectus; licet enim nullum Patrem sortiri videar, nemo me tanquam spurium reputet, quia eam Matrem nactus sum, quae talem cum Patre divino coniunctionem iniit, ut Matre cognita, quisque in Patris mei cognitionem deveniat: ex Matre quivis Deum Patrem coniicere poterit. Itaque alma Virgo Mater ex utero sobolem suam statim in summi Parentis Dei sinum detulit, ut significaret foetum a tali Virgine editum, non esse alterius Patris, nisi aeterni ac divini. Quod insigniter expenderat Tertullianus in Apolog., cap. 21: *Filius*, inquit, *Dei non de coniugis alienae Deum Patrem passus est.* Quod ergo Verbo divino Filio naturali Patris aeterni ex Incarnatione, atque adeo per Virginem Deiparam accreverit nova filiatio naturalis respiciens totam Trinitatem, cuius Christus est Filius, vel respiciens Patrem ut terminum filiationis secundae naturalis, et Spiritum sanctum ut nodum indissolubilem, Patrem simul ac Filium in tempore colligantem: hoc, inquam, B. Virgini tanquam officinae aureae huius catenae deferendum est. Hanc ergo sanctissimae Trinitatis capacitatem, ut supra relationes aeternas, hos temporarios respectus subiret, complevit Beatissima Virgo, cum Filius Dei ex ea fuit progenitus; indeque decantari potuit Complementum Trinitatis.

1784. Subiiciamus et aliam huius elogii declarationem, quod videlicet Virgo Deipara compleverit Trinitatem, complendo Filium, qui ante Incarnationem non erat aliquo modo perfectus,

iuxta doctrinam Hyppoliti; poterat enim assumere humanitatem, et in ea subsistere, quod est Personam illam, ac Filium extensive perfici: quod quidem peractum fuit, cum Verbum divinum in utero Mariano factum est homo; adeoque a Maria completus, ac perfectus dicitur Filius Dei; ac per Verbum, seu Filium, Trinitas in illa una persona Filii, iuxta illam considerationem incompleta, aliquod subiit complementum, ac perfectionem extensivam; vel, ut alii malunt, ideo Virgo Deipara Trinitatis Complementum dici potest, quia cum Patre, Filio, et Spiritu sancto suam contribuit operam ad compingendum Christum. Tota quippe Trinitas intervenit ad Christi formationem, Pater mittendo Filium, Filius humanitatem terminando, Spiritus sanctus Mariam obumbrando, ac supplendo creati Patris officium: in ratione ergo principii intervenientis ad Christi productionem complevit Virgo Deipara Trinitatem, cum tota Trinitas, non nisi interveniente materno ministerio, Christum compingere ac producere decreverat. Concurrit ergo Virgo Mater ad Incarnationem Filii cum tota Trinitate, eamque complevit, ad tanti operis executionem.

Demum alii contendunt, B. Virginem ex eo appellandam sanctae Trinitatis Complementum, quia, dempta Maria, nulla creatura fuit opus Dei Trini *ut sic;* reliqua Dei opera non a Deo ut Trino, sed ut Uno procedunt, ut habet Theologorum communis sensus cum suo duce s. Thoma 1 p., q. 32, art. 1: *Virtus,* inquit, *creativa Dei est communis toti Trinitati; unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem Personarum.* Unde serio deducunt Theologi, ex rerum creatarum cognitione, haudquaquam posse intellectum nostrum sanctae Triados cognitionem pertingere, bene autem Dei unius: at vero per Virginis Deiparae cognitionem *ut sic,* ascendit intellectus noster in cognitionem Dei Trini *ut sic*; atque ideo merito sanctae Triados Complementum dici potest: non enim recte Mater Filii Dei compellaretur, si Filius Dei non constitueret distinctam in Trinitate Personam a Patre: si enim Filius, ergo ex Patre distincto progenitus, et ex utroque necessario Amor mutuus procedit, qui Spiritum sanctum constituit. Hinc tota Trias dum Incarnatio peragitur, retegitur, et innotescit, per illa verba: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* En tibi tertia et prima Persona his verbis adlucent, postmodum addit Angelus: *Ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; quae est secunda Trinitatis Persona. Igitur Maria dum Mater Dei efficitur, arcanum sacrae Triados sacramentum evulgat, quia uniuscuiusque Personae divinae notiones exprimit, ac veluti notam characteristicam resculpit. Opportune ad rem nostram Titus Bostrensis ad Angeli Annunc. adiicit: *Observare hic licet, quomodo dum Spiritum sanctum, virtutemque Altissimi nominat, totam sanctissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* Adfavet Origenes, hom. 3 in Iosue, cap. 1: *Illi priores, qui per legem habebantur, contigerint quidem scientiam Trinitatis; non tamen integre, ac perfecte, sed ex parte; deerat enim illis in Trinitate etiam de Unigeniti Incarnatione cognoscere.* Quasi sine Verbi divini Incarnatione in utero Mariano peracta, imperfecte valde, et incomplete Trinitatis arcanum cognoscatur: ideoque in B. Virgine Triados cognitio perficitur, et completur. Addat huic cogitatui perfectionem ac complementum idem Origenes citatus, et congressum absolvat: *Erat enim fides illorum non integra, pro eo quod nondum in Christo fuerat dispensatio carnis impleta; propterea tribus illae neque duae sunt, nec patres extra fidem, et salutem sint Trinitatis; nec tres integrae, et perfectae, ne Beatae Trinitatis in illis iam sacramentum videretur impletum.*

CERTAMEN II.

Beata Virgo a tribus divinis Personis contentione quadam expetitur et ambitur.

1785. Sine praeiudicio communis illius asserti inter Theologos et Patres, nempe Incarnationis opus a tota Trinitate fuisse peractum, quia opera *ad extra* toti Trinitati attribuuntur: *Filium suum,* ait Fulgentius contra sermonem Fastidiosi, c. 8, *solus quidem Pater genuit, sed non solus fecit: in Filio enim Unigenito, solius aeterna generatio Patris, et in eodem Filio facto, una totius est operatio Trinitatis.* Sine ullo, inquam, praeiudicio, hoc loco vestigabimus, cui maxime Trinitatis Personae Incarnationis opus in utero Virgineo perfectum arrogetur: siquidem unaquaeque ex tribus Personis sibi adsciscere quasi aemula contentione exambit, adeoque et Virginem Mariam sibi in Sponsam assumere.

Sunt qui pro Spiritu sancto sententiam ferant: adstruunt enim generationem temporalem Verbi divini ex Maria, opus esse ex Spiritus sancti virtute. Quibus adstipulatur Albertus Mag. in Mariali, cap. 238: *Quaeritur,* inquit, *de quo facta sit conceptio, tanquam de causa efficienti per appropriationem. Videtur quod de Patre; conceptio enim fit de generante: Patris autem solius est proprium generare. Item generatio temporalis imago est generationis aeternae; sed illa est a Patre; ergo et ista. Item idem est nobis Filium dari, quod generatio temporalis; sed illa datio est a Patre; ergo et Conceptio. Dicimus quod haec Conceptio est opus Trinitatis appropriabile tantum Spiritui sancto: Patri autem congruit generatio, quae est in identitate substantiae; omnis enim pater generat in identitate suae naturae et substantiae, ut Deus Deum, homo hominem: item generatio temporalis quamvis habeat cum aeterna convenientiam remotam, non tamen propinquam; in ista enim temporali est differentia eiusdem naturae inter Patrem, et Filium. Unde hoc non appropriatur Patri, sed Spiritui sancto, cuius est donorum distributio.* Hinc forsan Clemens Alexandrinus, l. 1 Paedagog., c. 6: *Carnem porro,* inquit, *Spiritus sanctus hoc adorando te germine ineffabiliter impraegnavit.* Auxiliatur Ecclesiae, quae in symbolo Christum conceptum de Spiritu sancto decantat.

Sunt etiam qui pro Patre aeterno litem diri-

mant, ut Rupertus, lib. 5 in Gen. cap. 37: *Nam Pater*, ait, *est qui Virginem impraegnat; Filius, qui natura induitur humana; Spiritus sanctus, cuius operatione concipit Virgo.* Chrysippus etiam, orat. de laudibus Virg.: *Ipse Pater sibi ipsi desponsabit; Spiritus sanctus coefficiet ea, quae ad desponsationem pertinent; et Filius ipsum templi tui decorem assumet.* Rupertus perstat in sententia, lib. 1 in Cant.: *Quam*, (nempe Virginem Mariam) *non vir terrenus, sed Pater coelestis, de Spiritu sancto gravidam fecit.* Ratio autem huius appropriationis ex philosophia erui potest; siquidem pater foetum producit in matris utero, interveniente animi virtute, quae in semine reperitur, mediis spiritibus vitalibus, quibus perficitur virtus activa, quae in illo residet: at vero Spiritus sanctus vocatur *Virtus Patris:* ergo merito dicitur Pater progenuisse Filium ex Maria de Spiritu sancto, qui virtus est Altissimi, videlicet Patris. Cui cogitatui suffragatur D. Thomas, 3 p., q. 32, art. 1; ait enim: *Nam ipse Spiritus sanctus est Spiritus Filii secundum illud ad Galat. 4: Misit Deus Spiritum Filii sui. Sicut autem virtus animae, quae est in semine per spiritum, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum; ita virtus Dei, quae est ipse Filius, per Spiritum corpus formavit, quod assumpsit.* Quod profunde meditabatur Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 1, acriter decertans cum Hebione: *Non competebat*, inquit, *ex semine humano Dei Filium nasci, nisi totus esset Filius hominis: et ita non esset Dei Filius, nihilque haberet amplius Salomone, et Iona, ut de Hebionis opinione credendus erat: ergo iam Dei Filius, ex Patris Dei semine, idest Spiritu, ut esset hominis Filius caro, et sola, erat ex hominis carne sumenda, sine semine: vacabat enim viri viri semen apud habentem Dei semen.* Ac si diceret: supervacanea omnino fuit omnis mariti operatio et influxus, ubi divinus Pater concurrebat; imo quasi adynaton reputabatur a Tertulliano, quod Verbum caro factum, ex viri semine nasceretur, quia ex semine divino iam oriebatur.

1786. Verum ut explicatius eruamus sensum Tertulliani illis verbis occlusum, subiiciamus exemplum ex penu scholae depromptum: quemadmodum ergo species intelligibilis obit munus seminis spiritualis, respectu intellectus, ut Verbum mentis in intellectu gignatur; ita tamen ut ipsa natura divina substituatur ipsi Patri aeterno, loco speciei intelligibilis, ut Verbum gignat divinum: quo ducti fundamento plures Theologi eliminant omnem speciem intelligibilem Dei creatam, quia vices ipsius gerit ipsa essentia divina intime praesens intellectui Beati: sicut ergo semen, quo Pater aeternus gignit, est species, sive id quod vices habet speciei, nempe ipsa natura divina, reddens intellectum Patris foecundum, neque indigentem alia specie intelligibili, qua Verbum seu visionem Dei producat, et generet intellectus Beati, quia ipsa essentia divina affixa, et intime afficiens intellectum Beati concurrit ad visionem Dei cum intellectu Beati. Eodem modo in generatione Filii ex Maria, non fuit opus semine virili, quia virtute foecunda Dei intime affixa B. Virgini, quae vices gerebat seminis virilis, Christus progenitus fuit. Eundem sensum admittunt verba Damasceni, orat. 1 de Nativit. Mariae: *O filia semper Virgo, quae virili opera ad conceptionem minime opus habuisti; sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti.* Ubi igitur virtus infinita Genitoris adest, omnis alius externus influxus superfluus omnino est. Procul ergo ab hac generatione exulet virilis omnis influxus, ubi Patris aeterni virtus infinita subrogatur. Bene Gregorius Thaumat., serm. 1 de Annunciat.: *Dominus tecum, et non terrenus sponsus, sed ipsa sanctificationis Dominus, Pater castitatis, incorruptionis auctor, qui ex terra virgine creavit hominem, et ex illius latere, ac costa Evam assumpsit.* Ubi non sine acumine vocat Deum Patrem, Patrem castitatis, ac si nòn minor gloria Deo Patri accrescat, quod Pater castitatis nuncupetur, quam si Pater Verbi divini decantetur. Pater castitatis dicitur in ipsa generatione, in qua alias temerari solet virginitas; qua virtute suffulta B. Virgo Christum generans, Mater castitatis merito nuncupatur in concipienda prole divina totam Patris aeterni castitatem ebibit, ac in se infinitam castitatem divinam resculpsit. Quod acute discussit s. Bernardinus, tom. 3, ser. 26, art. 2, c. 3: *Cum Deus*, inquit, *sit summa puritas et castitas . . . , constat quod, quanto altius in divina ascenditur, tanto divinae puritatis regio fortius a mente sentitur: ergo cum Virgo per hunc consensum in Dominum vere concipiendum ascenderit, oportet hunc consensum, sensu et affectu divinae castitatis ineffabiliter fuisse imbutum.* Res mira! B. Virgo per consensum generationis ad summum castitatis apicem devenit, quando reliquae uxores per consensum generationis, castitatem deperdunt, ac Virginitatis nitorem deflorant. Quod autem Verbum divinum sibi in sponsam selegerit Mariam, speciali Certamine infra probabimus.

Tota igitur Trinitas veluti Virginem Mariam deperiens pia quadam concertatione, et aemula contentione eam exambit; adeoque Verbum divinum concepturae, totae tres Personae ipsi adstant, eamque donis cumulant, ut unaquaeque Persona ad se alliciat. Audi Gabrielem: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In quae verba audiendus Andreas Hierosolymit. de laudibus Mariae: *Vide, qualiter Trinitatis manifestetur mysterium; Spiritum enim sanctum dicens, non alium quam Paraclitum dicit: per virtutem vero Altissimi, aperte Filium innuit; nam voce hac Altissimi, Patris infertur persona.* Et Titus Bostrensis in c. 1 Lucae supra relatus. Clarius Paulinus Aquileiensis contra Elixandum: *Spiritus sanctus superveniet in te; habes Spiritus sancti tertiam Personam: et virtus Altissimi obumbrabit tibi; in virtute namque Altissimi, Filii persona demonstratur; in Altissimi nomine, Patris persona accipienda est* etc., *cum tota Trinitas in utero immaculatae operata sit Virginis.* Tota Trinitas in Mariam allabitur, ut aemulatione qua-

dam locupletent, certatimque muneribus sibi devinciant. Opportune Petrus Damianus, serm. de Annunc., fatur: *A Deo electam et praeelectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus.* Itaque quam Pater sibi delegerat, ac dilexerat, quam Filius praeelegerat, Spiritus sanctus quasi zelotypia tactus festinus in Mariam supervenit, quasi sibi uni in sponsam Mariam praeripere contenderet. Tota Trinitas contentiose ad se Virginem Mariam allectat quasi gratiis ac muneribus eam subornans: *Eiusdem Christi Filii Dei*, ait Rupertus, lib. 5 in Gen., c. 37, *Incarnationem praesentia suae maiestatis, tota Trinitas in hospitio Virginei ventris operatur, et exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, toti mundo publica praedicatione declaratur. Nam Pater est, qui Virginem impraegnat; Filius qui natura induitur humana; Spiritus sanctus, cuius operatione concipit Virgo, quae virum non noverat.* Vides, quomodo tota Trinitas Beatam Virginem adamet, et unaquaeque Persona speciali favore quasi aemula contentione totam sibi Mariam devinciat.

1787. Canticorum locus pulcherrima erit nostrae thesis confirmatio, ubi cap. 4 Sponsus Mariam alloquens, ait: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Cur tam repetitis vocibus sponsam compellat, dum ad sceptrum et imperium vocat? Nempe ait Richardus Victorinus: *Ut Trinitatis indicet fruitionem, quam perceptura est post laborem.* Ter itaque compellatur Maria, quia a tribus Trinitatis Personis expetitur, et ambitur, et aemula contentione unaquaeque muneribus sibi devincire satagit: ait Christus Dominus, Ioa. 17: *Usque modo Pater operatur, et ego operor.* Itaque non solum Pater operatur, sed etiam ego aemulatione quadam: si Pater est Deus, ac Dominus, cuncta nutu suo moderans et gubernans; equidem Deus sum Salvator, qui homines sanguine meo a dura cacodaemonis tyrannide vindico: *Nisi quod videret Patrem facientem, et Filius similiter faciet*, dixerat Augustinus, quasi Filius cum Patre contendat in animarum emolumentum, praecipue vero in B. Virgine muneribus exornanda. Quibus lucem dabis verbis subobscuris Tertulliani: *O Deum*, inquit, *non natura, sed aemulatione beneficum!* Itaque Deus non solum natura sua beneficus ac munificus, sed munificentior ac profusior in aemulatione praedicatur. Profecto qui aemulatione perculsus bona erogat, plus erogat, quam qui naturae ductu largitur; et quidem ea sunt munera Dei in nos collata, ut non tam munificae liberalitatis dona videantur, sed aemulationis effectus. Suspicantur alii, munera naturae ductu collata oriri a beneficentia liberali; at ea dona, quae aemulatione dilargiuntur, potius a prodigalitate proficiscuntur. Itaque Filius in exornanda Maria quasi cum Patre pugnat, et contendit, quasi dicat: Operatur Pater, ac sinus omnipotentiae suae in unam Mariam prodigit: utique et ego operor, et aemulatione cum illo contendo, cum omnem sanguinem pro una Maria redimenda, et a lapsu servanda profundo; imo et Spiritus sanctus quasi zelotypia tactus quotidie novos gratiarum auctus accumulat in Mariam, nova charismatum dona in ipsam aemula manu prodigit, novis eam muneribus ac privilegiis cohonestat. Proh Deum immortalem! quae dona, quae gratiae, quis honor, quod decoramentum, quae charismata in Beata Virgine desiderari poterunt, in qua una adornanda aemula contentione decertant tres divinae Personae? Quod si Pater, Filius ac Spiritus sanctus veluti inter se contendunt et ambiunt, suum quique nomen imponere in baptismo, animae sacris undis abluendae; habes enim praeceptum a Christo, Matth. 28: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quasi unaquaeque ex tribus divinis Personis exambiat animam a peccatis emaculatam per baptismum, ac gratia et virtutibus condecoratam suo nomine compellare, ac suam facere: quidni decertent tres divinae Personae pro una Maria, cuius unius pulcritudo, cum omnium animarum et divinorum spirituum pulcritudine, ac splendore decertat, eosque omnes pulcritudine et venustate longe antecellit? Huius rei umbra praecessit in prima hominis formatione, in quam omnes tres divinae Personae sedulo incumbunt, manu, operatione, affectu: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, Gen. 1, 26. Pater, Filius ac Spiritus sanctus ad unam hominis conditionem coeunt, quasi contentiosa aemulatione, idemque praestant in formatione Evae: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, Gen. 2, q. 18; quia Eva umbra Mariae, ait Basilius Seleucus: tres divinae Personae in una formanda Maria, eademque muneribus ac privilegiis exornanda concurrunt, et unaquaeque vires exerit, ut eam bonis omnibus augeat, ac ditet: in formatione Adami cito Deum poenituit, illum condidisse; habes enim Gen. 6, v. 6: *Poenitet me fecisse hominem.* Sed quaenam cohaerentia reperitur inter *Poenitet* hoc Dei, et illud *Faciamus*, in numero multitudinis, in hominis conditione? Ut hominem condat Deus, illumque muneribus ornet, Pater, Filius, Spiritus sanctus quasi contentione quadam concurrunt; at in ipsius destructione tanquam ingenti malo hominis, tres Personae supprimuntur ac celantur. Num utique eadem est Trinitas, quae hominem format, ac muneribus ditat, et quam poenitet illum efformasse? Ergo eadem sit significatio; et utrobique vel tota Trinitas, et uniuscuiusque Personae nomen supprimatur et celetur, vel exprimatur et manifestetur? Minime gentium, quia in formatione hominis, quia ingens bonum et emolumentum ipsi homini confertur, tota Trinitas propalatur sub uniuscuiusque Personae nomine, quasi omnes tres Personae contenderent aemulatione quadam in hominis beneficium et commodum; at in ipsius destructione, quae grande malum allatura est homini, subticeantur tres Personae: *Cum universorum Deus singulari numero secum loqui consueverit, ut: Poenitet me fecisse hominem*; *raro pluraliter loqui consuevit, Trinitatis mysterium ostendere volens*, inquit Theodoretus. *Faciamus hominem*, inquit Deus, quasi tres di-

vinae Personae aemula concertatione in conferendis donis in hominem contendant. Et mox addidit: *Poenitet me fecisse hominem*, in singulari. Itaque in hominis destructione et calamitate unus Deus solum secundum naturam appareat, licet tres numerentur Personae, quae merito supprimuntur atque celantur, cum agitur de hominis malo, et adversa fortuna: cum autem prospera cuncta eveniunt Adamo, et agitur de eius vita, formatione, pulcritudine, ac bonorum omnium collatione et communicatione; tunc tametsi unus sit solus Deus, omnes tres Personae amica contentione confluunt, ut hominem unaquaeque suis ditet muneribus, ac bonis exornet. Sic etiam in formatione Mariae, quae, ut vidimus, per Evae conditionem adumbrata fuit, dicat Deus: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Omnes tres Personae amico foedere confluunt, atque aemulo certamine unaquaeque suum erga Mariam amorem exhibet, munera dilargitur, divitiis locupletat, gratiis exornat; ita tamen ut nunquam Deum poenituerit illam condidisse.

Unaquaeque ergo Persona sibi in sponsam Mariam parat, donisque subornat, in cuius sinu tanquam in centro ac requie conquiescit. Suffragium nobis praestet Dionysius Carthusianus, l. 4 de dignitate Mariae, c. 6, ubi ait: *Constat autem, quia tu Dei Patris unica sponsa; Tu Unigeniti eius Mater electa; Tu Spiritus sancti triclinium, et totius supersanctae Trinitatis splendidissimum reclinatorium.* Vides Patrem aeternum sibi Mariam in sponsam praeelegisse. Id innuit Angelus, cum ait: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Altissimi nomine, dixi venire Patrem. Aeternus ergo Pater obumbraturus Mariam accessit, quia vices mariti agit, pallium super eam extendens, ipsiusque caput obvelans, iuxta veterem nuptiarum ritum; obvelabatur igitur Sponsa ab Sponso flammeo quodam, seu umbraculo, cuius loco, obumbrante Patris virtute velatur Maria. Quod pepigit s. Aldhelmus in Carmine de laudibus Virginis:

> Virtus ecce tuo confert umbrabula cordi,
> Patris obumbrabit te, Virgo, celsa potestas,
> Quo dicto, Matris turgescunt viscera foetu.

Quam obumbrationem optime declarat Carthusianus per haec pluscula verba: *Virtus Altissimi, hoc est Omnipotens Deus Pater, obumbrabit tibi, idest suam potestatem immensam tuae capacitati contemperabit, ut eius influentiam ferre queas; itaque non secundum plenitudinem suae claritatis immensam tibi irradiabit, sed velut umbram suae resplendentiae causabit in te, effectum suae potestatis exercebit in te proportionabiliter ad tuam declivitatem, faciendo in te immediate per se, quod in aliis efficit per viri causalitatem, seu formativam virtutem.* Pater igitur sponsam sibi coniungit Mariam; ne vero splendoris pelagus, quod est in Patre, Virgunculam perstringeret, radios temperat umbra. Cui favet coniugio inter Patrem aeternum et Mariam Amedaeus, homil. 2 de laudibus Virg., ubi ait: *Facta igitur extra se, suique oblita prae gaudio adhaesit corde laetissimo Patri spirituum, et conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitatem tota refundebatur.*

1788. De Filio autem, ac de Spiritu sancto speciali titulo infra ostendemus, eam in sponsam concupitam. Do nunc s. Epiphanium, de laudibus B. Mariae: *Dominus tecum, subiunxit Gabriel, et Pater arrhabonem misit Spiritum sanctum, praeparavit Virginem Unigenito Filio, caelesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus sanctus concupivit.* Ubi habes, quo pacto tota Trinitas B. Virginem adamet, et in Sponsam sollicitet. Huc spectat Ambrosii elogium, lib. de Instit. Virg., c. 5, ubi ait Mariae nomen significare, *Deus ex genere meo.* Sed cur Deus vocatur ex Maria, et non potius Filius Dei, cum solus Filius Dei descenderit ex genere Mariae? Nimirum quia unaquaeque Persona, atque adeo tota Trinitas Mariae uterum exambibat; ideo Pater et Spiritus sanctus nomen tribus Personis commune potius seligunt, ideoque Maria penes Ambrosium, *Deus ex genere meo*, non vero *Filius Dei*, sonat.

Nunc speciatim de Patre ostendemus, eum scilicet, Beatam Virginem in sponsam dilectissimam selegisse. Cui coniugio adstipulatur David, Ps. 44: *Adstitit Regina a dextris tuis.* In Hebraeo pro *Regina*, est *Coniux, et contoralis*, ut adnotavit Genebrardus. Alloquitur itaque Pater Mariam: *Dicitur Filia*, inquit ibi Hieronymus, *quia ab eo renata; Sponsa, quia ab ipso sociata.* Et Genebrardus ait: *Apostrophe Dei Patris est ad Sponsam filii sui, quam proinde Filiam appellat; sic viri uxores, quas tenerrime amant, filias vocant.* Nihil ergo huic connubio adversari potest, quod B. Virgo sit, et dicatur Filia Patris: siquidem in nuptiis, quae per emptionem celebrantur, viri ita sponsas sibi assumebant, ut eas filiarum loco constituerent, ut ait Boetius in Topic.: *Itaque mulier in viri conveniebat manum, et vocabantur hae nuptiae per coemptionem, et erat mulier materfamilias viro, loco filiae.* Sed quaenam coniunctio reperiri potest inter verbum, *Emere sibi sponsam*, sive *possidere, et fodere?* Maxima sane; quia idem erat uxorem sibi emere, ac emptitium mancipium sibi comparare, cumque mancipiorum aures perfoderentur, ideo pro eodem sumebantur, sibi uxorem emere, vel perfodere. Hinc locum Oseae alii vertunt *Emi*, alii *fodi*, alii *uxorem accepi.* Idem videre est in c. 8 Proverb.: *Dominus possedit me.* Alii vertunt: *Emit me uxorem, me duxit*, sive perfodit meam aurem tanquam sui mancipium. De quo ritu inquit Boetius citatus: *Et ita mulier illa postea erat in manu, mancipioque, id est potestate mariti.* Scio Riberam in Oseam, c. 3, iis ex parte refragari. Et s. Isidorus, l. 5 Etymolog., c. 24: *Nam antiquus*, ait, *nuptiarum erat ritus, quod se maritus et uxor invicem emebant, ne videretur ancilla uxor, sicut habemus in iure.* Favet quod notant interpretes in Gen., ideo Evam ex costa Adami esse formatam, idest ex latere, quia

tanquam socia, sibique compar erat habenda, non sicut mancipium. Sed quidquid sit de hoc, inficiari nemo poterit, apud plures nationes hunc ritum maxime viguisse de aurium perforatione, quoties viri uxores ducebant; quae perforatio sive fodicatio aurium obedientiam denotabat. Ex quibus inferes, non abs re B. Virginem, cum in sponsam Patris assumi se cerneret, merito se ancillam profiteri: pro eodem enim apud sacram ac prophanam litteraturam, assumi solet nomen sponsae et ancillae. Et quidem genus hoc matrimonii inter Patrem aeternum et Mariam esse permanens, quodque dirimi non possit, constat, quia fuit initum per coemptionem, iuxta citatum locum, *Dominus possedit me.* Et ex illo Osee 3: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.* Alii legunt, *Emi*, et est id verbum quod in loco Proverbiorum cit. Septuaginta vertunt: *Mercede eam comparavi.* Pagnius: *Possedi eam mihi.* Quod autem nuptiae per coemptionem initae essent stabiles, absque spe divortii, innuit Cicero in Ant.: *In matrimonio stabili,* inquit, *et certo collocavi.* Virgilius item 2 Aeneid.:

Coniugio iungam stabili, propriamque dicabo.

Videndus Pineda in praevio Salomone, l. 5, c. 2, n. 5.

De hoc coniugio inter Patrem aeternum et Mariam suo modo illud etiam efferri potest: *Erunt duo in carne una.* Cum enim Mariae soboles, sit etiam Patris proles, iam Pater divinus et Virgo Mater, duo sunt in carne una: Incarnationis enim beneficio, iam Verbum caro factum est; sive ergo per mutuam dilectionem intercedentem inter Patrem et Mariam, sive ob eundem Filium utrique communem, dici possunt duo in carne una, iuxta Hugonem Victorinum: *Faciunt,* inquit, *unionem, et hanc unitatem dilectione, vel erunt duo in carne, una scilicet in generatione unius carnis, idest cooperabuntur.* Ideo Pater aeternus, homo amat nuncupari, Matth. c. 21: *Homo erat paterfamilias.* Concordi interpretum consensu, de Patre aeterno sumuntur haec verba: si ergo nunquam carnem assumpsit Pater, quare homo compellatur? Nempe quia carnem fieri avet ex Virgine Maria, et saltem sibi hominis vocem arrogat, licet naturae veritatem non assumat: in Patre ergo hominis notio, in Filio naturae humanae veritas ingentem in homines amorem ostentat. *Homo autem dicitur,* ait Chrysostomus ad illa Matthaei verba, *nomine, non natura; similitudine, non veritate.*

At quis explicare praesumat dona amplissima, quibus Mariam honestavit Pater aeternus? quam immenso gratiarum pondere dotavit, nempe Sponsam suam, quibus eam virtutibus exornavit, cum ad illud dignitatis fastigium Mariam evexerit, ut ad producendam Personam divinam foecundaret; quod nec Spiritui sancto communicatum fuit? Hinc edisces quare B. Virgo Maria nuncupanda sit soror Verbi divini, ac Patri aeterno quamsimillima, videlicet quia sicut Pater producit Verbum, ita eundem Filium generat Deipara; et sicut Verbum divinum producit Personam divinam, ita et Maria: unde recte dicitur soror Verbi, quia ipsi adsimillima, ut voluit Richardus. Grandia sane et stupenda amoris signa praebuere totae tres Trinitatis Personae erga Deiparam, cuius dilectionis clariora specimina dedere in prodiga donorum effusione, quibus eam cumularunt; in eam enim totius omnipotentiae sinus prodegerunt, quo tanto officio debita cum proportione fungeretur. Ad rem Rupertus, de operibus Spiritus sancti, c. 8: *Prioris Ecclesiae pars optima, Dei Patris sponsa esse meruit, ut exemplar quoque fuerit iunioris Ecclesiae sponsae Filii Dei* etc. *Saltem amodo voca me, Vir meus; igitur iste vir erat: tota autem talis viri utilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus ac generandi vis, quomodo, ubi venit plenitudo temporis, in iam dictam Virginem se contulerit, ipsa, quae experta est, melius novit.*

CERTAMEN III.

Virgo Deipara trium Personarum divinarum proprietates sibi vendicat aliquo modo.

1789. Patris aeterni notio, et eminentia propria est, esse Dei Filii Patrem. Quod ergo Deiparae Virgini Pater aeternus notionem paternitatis eo modo quo potuit, detulerit, probat Anselmus, l. de laudibus Virginis, c. 3, verbis illis summi ponderis: *Intendat mens humana, et contempletur, videat, et admiretur: unicum Filium sibi consubstantialem Deus progenuit; hunc sibi tam unicum, et in omnibus omnino aequalem, non passus est manere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. Mariae Virginis unicum et naturalem Filium.* Grandis profecto praerogativa, quod notionem et eminentiam Patris propriam sibi soli reservatam, nec Filio nec Spiritui sancto, quibus attributa omnia, et perfectiones cum divinitate liberali manu congessit, communicatam, soli Virgini Mariae distribuit, eamque Matrem Filii Dei naturalem constituit. Omnia bona extra se in mundum contulit, coelos, sydera, elementa, omniaque mixta: quae autem intra se sunt, qualis est divinitas, sapientia, bonitas et reliquae omnes perfectiones, Filio dedit ex vi generationis. Pater et Filius Spiritui sancto eadem omnia communicarunt: at Paternitatis relationem cum una solum Virgine Maria partitus est. Monuimus alibi, Mariam apud Hebraeos masculinae esse terminationis, et masculeum robur innuere, quia Pater aeternus ad sui similitudinem virilem vim indidit, ut aequalem cum Patre Filium progignere posset. Quod forsan innuere voluit ipsa Deipara, dum in laudes divinas effusa decantavit, Luc. c. 1: *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.* Ac si diceret: Fecit mihi magna Deus, et mihi sanctum nomen eius fecit, vel indidit, nempe quia mihi virtutem dedit eundem Filium cum Patre progignendi, suum etiam ineffabile nomen impertivit, ac proinde sicut ille Pater dicitur Verbi divini, ita ego Mater eiusdem Filii ore pleno

nuncupor. Quod subindicare visus est mihi s. Anselmus, dum versat verba illa Matt. 6: *Sanctificetur nomen tuum. Decebat*, ait ille, *ut ea puritate Virgo illa niteret, quam Deus Pater Matrem Filio suo praepararat, et quam Spiritus sanctus ei in Matrem sanctificarat, et quam Filius, qui est speculum sine macula, et imago bonitatis illius, sibi delegerat in Matrem; hoc igitur nomine in ipsa sanctificato, effectum est, ut magna cum ipsa fecerit, qui potens est.* Matris nomen sanctificasse, nihil aliud est, quam Matris nomen indidisse Filii Dei, sicut Pater dicitur eiusdem Filii ipse Deus; fecit ergo Deus Pater Mariae sanctum nomen eius, cum suum nomen sanctum voluit esse commune.

1790. Exinde Virgo Deipara vel Dei omnipotentiam ebibit, vel illam aemulatur. Omnipotentia ergo, quae Patri aeterno tanquam proprium stemma attribui solet, Mariae ab ipso Deo Patre tributum videtur. Hinc video a Patribus suffragium Marianum Omnipotens vocari; quasi omnipotentem virtutem a Deo hauserit, ita ut Omnipotentem Deum, in rebelles ac sceleratos quasi in furorem adactum cohibere possit sua omnipotenti vi. Conquerebatur olim Propheta neminem reperiri posse, qui Deum teneret, ac contineret coelo tonantem, ac in orbem fulmina evibrantem: *Ecce tu iratus es; non est qui consurgat et teneat te*, Isai. 64. Sed nihil mirum, aberat enim Maria, quae sua omnipotenti virtute Deo omnipotenti iras, ac terrorem fulminanti obsistere posset. Venit Maria quae illum Deum fasciis alligavit, brachiis constrinxit, lenivit, eumque mitescere fecit, impetum continuit, irasque deposuit. Bene Richardus de s. Laurentio, lib. 2 de laud. Mariae: *Detinet iram Dei, ne statim vindicet nos; unde dicit Cant.* 3: *Tenui eum, nec dimittam. Conquerebatur enim Deus: Non est qui consurgat, et teneat me, antequam Maria nasceretur; sed ipsa facta est Advocata nostra, et allegat pro nobis fideliter coram Filio suo.* Cui consonat Card. Hailgrinus: *Tenui eum, inquit, ne vineam suam dissiparet omnino, et subdit: Nec dimittam eum, sed continua precum instantia furorem ipsius retinebo.* Ita ut quodammodo visus sit Deus suam omnipotentiam in Mariam transtulisse, ut iam dicat Petrus Damianus, serm. 1 de nativit. Mariae: *Quid tibi negabitur? Accedis enim ante illud aureum humanae reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans.* Et s. Ildephonsus de Virginitate Mariae c. 8, ait, habuisse Mariam ancillam in subdito Dominum, ancillam Dominum in praelatam, atque adeo ut praelata imperat, non rogat, et Filius utpote omnium obsequentissimus, Matris annuit dictis.

Ad haec, Marianam omnipotentiam vel ex eo deducit s. Bernardinus, serm. 61 saepe cit.: *Quia plus potest facere B. Virgo de Deo, quam Deus de seipso; quaedam enim contraria et contradictoria inter Deum, et Virginem erant, quae, dum accessit Deus ad Virginem, concordata sunt. Puta primo; impossibile erat Deum non generare, impossibile erat Virginem generare. Secundo, impossibile erat Deum generare nisi Deum, impossibile erat Virginem generare Deum. Tertio, impossibile erat Virginem sine persona generare, impossibile erat Deum cum alia persona generare. Accessit Deus ad Virginem, et necesse fuit Virginem generare, et non alium quam Deum, et non de alio, quam de Deo.* Filius itaque seu Verbum per generationem divinam unius Personae Filius est; at postquam ex Virgine conceptus, duarum personarum alterius increatae, alterius creatae Filius nuncupatur per Mariae *Fiat*, et ob id ait Bernardinus: *Plus potest B. Virgo de Deo quam Deus de seipso.* Praeterea, ut inquit Bernardus, serm. 4 super *Missus est*: *In sempiterno Dei verbo facti sumus, et ecce morimur; in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.*

Huius Marianae omnipotentiae vim ostendit Christus Dominus affixus cruci, dum Patrem orat, Psalmo 85: *Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo, et salvum fac Filium ancillae tuae.* In horto idem Christus Patrem etiam orat, ne crucem adeat, ac mortem subeat; nec quod petit nanciscitur, sed patibulum subit, crucique suffixus se verum esse hominem, et Mariae Filium, dira tolerando tormenta, monstravit: quo loco, novum orationis modum orditur, quo Patrem exoret, et subornet, nec amplius repulsam pati cogatur, et quidquid poposcerit extorqueat: Mariana igitur interponitur potentia, qua media quidquid a Deo petitur obtinetur. *Salvum*, inquit, *fac Filium ancillae tuae*, ac si diceret: si, qua Filius tuus, votis non annuis, saltem qua Filius Mariae ancillae tuae omnipotentissimae, meis annue votis, preces exaudi, exorari permitte, imperium protende meum, dominium adauge, exteras ac rebelles nationes subiuga, gentes omnem in meam haereditatem voca. Rem scite meditatus fuit s. Bruno ad citata Psalmi verba: *Salvum fac a morte, hoc est corpus ab omni tabe et corruptione reserva, Filium ancillae tuae Mariae; ac si dicat: Non solum hoc promeretur obedientia mea, ut me salves, sed et obedientia Matris meae, cui cum per Gabrielem mandasses, quod me conciperet, non incredula, neque rebellis, sed obediens facta et fidelis: Ecce, inquit, id est, parata sum; ancilla namque Domini sum.* Ideo Angelus, cum Verbum divinum conviscerandum erat cum Virgine Matre, omnipotentiae meminit, quasi Patris omnipotentiam ebiberet Maria, ex quo Verbum divinum carne vestivit; ait ergo Angelus ad Mariam, Lucae 1: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quo forsan respiciebat Anselmus, de excellent. Virginis c. 12, dum ait: *Rogamus te, Domina, per ipsam gratiam, qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi, sibi possibilia donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres et obtineas.* Ex quo capies verum sensum verborum illorum s. Bernardi, serm. de aquaeductu, de Maria fatus: *Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae.* Verbum sane audaciae plenum, dicere Mariam esse totam rationem spei nostrae, cum hic titulus solius sit Christi, cuius actiones Theandricae in-

finitum nobis meritorum cumulum pepererunt: itane Maria nobis tota ratio spei? Una sit tibi Maria, licet orcus tormenta infanda minetur, ac gehennales flammas ostendat, ac scelera sceleribus aucta Dei Iudicis furorem proritent, coelumque novis ac ferreis repagulis occludant: una supersit Maria, quae tota ratio spei dicitur a Bernardo, et dubio procul nobis peccatorum veniam extorquebit, gehennae flammas restinguet, et occlusas coelorum valvas reserabit. Huius rei rationem subiicit s. Germanus patriarcha Constantinop., orat. de oblatione Mariae: *Certe Domina Deiparens, certe meum refugium, vita et defensio, arma et gloriatio, spes et robur meum; habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quae sis Mater Altissimi, et propterea audeo.* Ac si ex Maternitate Dei ius habeat B. Virgo, ut Filius cum tota sua omnipotentia eius voluntati subserviret.

Indeque quasi quoddam omnipotentiae genus B. Virgini ab ipso Deo Patre tributum suspicari possumus, cum sit intercessione omnipotens, sicut Deus operatione in coelo et in terra. *Eadem est potestas*, ait Richardus de s. Laurentio, l. 4 de laudib. Virgin., *et communis Matris et Filii, quae ab omnipotenti Filio omnipotens est effecta; quia non est potestas nisi a Deo, dicit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Et s. Petrus Damianus, serm. de Nativit.: *Data est tibi omnis potestas in coelo et in terra; quid tibi negabitur? quid tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare?* Si ergo nihil impossibile reperitur B. Virgini; ergo omnia ipsi possibilia sunt; ergo et omnipotens est. Quare merito D. Bernardus confert illud *Fiat* Dei omnipotentis in mundi conditione, cum *Fiat* B. Virginis in Verbi divini incarnatione: non enim *Fiat* B. Virginis minus operatorium extitit, quam Dei omnipotentis *Fiat:* siquidem Mariae *Fiat* Deum carne vestivit, hominemque fecit: Deus autem in verbo *Fiat*, orbem condidit.

1791. Ad haec, Virgo Deipara Verbi divini Filii sui eminentias sibi etiam arrogare videtur. Primum ergo B. Virgo dicitur: *Splendor gloriae, et figura substantiae eius;* ideo Augustinus vocat eam Dei Formam, et sicut Verbum divinum ab aeterno ab intellectu Patris ortum habuit, sic et Virgo Deipara inquit: *Ab aeterno ordinata sum,* vel ut alii exscribunt: *Ab aeterno principium habui.* Quod si Verbum divinum, tanquam sermo ab ore Patris prolatum fuit, iuxta David: *Eructavit cor meum verbum bonum*; Virgo Deipara etiam ex ore Altissimi procedit, Eccli. 24. Verbum proprietates pectoris, a quo procedit, exhibit, et qualitates refert; sic Maria ortum habuit ab ore Dei, atque adeo Dei eminentias refert, Divinitatis similitudinem resculpit, proprietates aemulatur, quantum fas est creaturae exprimere. Et sicut Verbum divinum idea et exemplar operum Dei est, et nuncupatur: *Omnia in illo) per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; ita sine illa, nempe Maria, nihil refectum, ait Petrus Damianus serm. de Annunciat. Quemadmodum ergo Verbum divinum est Dei energia, et Dei inoperatio, et imago bonitatis illius, et vigor quidam, ut inquit Origenes, lib. 1 Periar., c. 2, et Augustinus. lib. 1 de Incarnat. c. 13, *per quem inoperatur Pater, vel cum creat, vel cum providet, vel cum iudicat, vel cum singula quaeque in tempore disponit, atque dispensat:* sic Virgo Deipara est Dei energia, et inoperatio Patris, qua media tanquam idea, et exemplari, instrumento, ac fine, quidquid in hac rerum universitate operatur, Deus ipsius intuitu exequitur: siquidem per illam creaturas omnes condidit, ut ipsi famularentur; quidquid opus habet orbis, liberali ac prudenti providentia subministrat, campos, ac montes herbis, floribus, et arboribus circumvestit, pluvias statis temporibus suppeditat, terram foecundat, victus exhibet, morbos depellit, maria sedat, elementa coercet, tempestates fraenat, vitam prorogat, culpas condonat, remittit poenas, gratiam dilargitur, solatur moestos, iustos honorat, sceleratos ad poenitentiam exspectat. Propria est etiam notio Filii, esse imaginem Patris; et B. Virgo, iuxta s. Dionysium, lib. 4 de divinis nominibus: *Est significativa, expressa, et evidens Dei bonitatis imago.* Quare qui Mariam novit, Deum tanquam in imagine expressissima cognoscit, omniaque ipsius attributa, videlicet immensitatem, omnipotentiam, sapientiam ac bonitatem, omniumque eminentiarum ipsius proprietates rimatur: unde Hesychius, de laudibus Deiparae § 2, vocat Virginem Deiparam, quae Deitatis signo et charactere sigillata est. Quod si Verbum divinum sapientia est Dei Patris; et Virgo Deipara est sapientia creata: Eam appellat s. Germanus, orat. in Nativitate Virg., *Summam divinitus inspiratae veritatis*, quia in ipsa infinita Dei sapientia resculpta est.

Et sicut Filius est primogenitus ante omnem creaturam, ita Beata Virgo, *Primogenita ante omnem creaturam* compellatur, et speciali quodam iure dicitur *Filia Dei Patris*: adeoque si gaudere posset Pater aeternus ab aeterno Filia naturali, sicut gaudet Filio, non aliam utique sibi adsciscerent nisi Mariam; et si Verbum divinum foeminam aliquam sibi assumeret unione hypostatica, B. Virginem sibi uniret, non aliam. Itaque nobiliori quodam iure est filia Dei Patris, quam solius adoptionis, quia naturalem filiationem quodammodo aemulatur; dicitur enim Deipara, ut infra videbimus, sponsa Christi; atqui, ut inquit Tiraquell. in leg. 1 Connub., num. 28: *Puella, quae nupsit filio, filia tua est, arctiori vinculo quam adoptionis;* ergo B. Virgo est filia Dei Patris arctiori vinculo quam adoptionis. Deinde eo ipso quod est Mater Christi, et ipsum lactaverit, est una eademque substantia cum Filio, ut erudite probat Mendoza, t. 2 in lib. Reg., cap. 4, num. 34. Nulla enim maior coniunctio esse potest, quam matris cum filio, quae in primo consanguinitatis gradu continetur; ideo vocat Scriptura sacra nutricem alumni, substantiam ipsius alumni; nam de cognatis Rebeccae dicitur, Gen. 24: *Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius.* Ubi Septuaginta transtulere: *Et substantiam illius.* Potiori iure idem affir-

mem de B. Virgine, quae mater et nutrix extitit, esse scilicet substantiam Filii: sic Augustinus ait, Christi caro est Mariae; ergo sicut Christus vere et proprie est Filius naturalis Dei, ita B. Virgo aemulatur hanc filiationem.

Idcirco iure quidem optimo decantat, applauditque sibi Virgo Beata: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Nam verbum, *possedit*, patriam potestatem in liberos innuere solet, ut Gen. 4, Eva Cainum enixa: *Possedi hominem per Deum*, id est nacta sum filium, in quem patriam potestatem exerceam. Nunc ergo in votis est evolvere, cur Patres et Doctores B. Virginem passim aeterni Patris filiam, quasi speciali titulo compellent. Et quidem inprimis certum est, adoptionem iustorum per gratiam toti Trinitati competere; cur ergo specialis B. Virginis adoptio aeterno Patri praecipue in filiam carissimam adscribitur. Pro cuius explicatione assero apud Theologos rem esse communiter receptam, rationem formalem, qua filius in esse filii constituitur, esse rationem imaginis expressioris: et quia Verbum divinum per intellectum, tanquam imago expressissima producitur ab aeterno Patre, ideo Filii nomen sibi adscivit: et quia omnes iusti per gratiam Deo similes evadunt, ideo filii adoptivi nuncupantur. Quia ergo gratia Maternitatis Mariam perquam simillimam aeterno Patri constituit, ideo Filiae nomen speciali titulo respectu aeterni Patris sibi adiudicavit. Quae similitudo in eo praecipue sita est, quod habeat B. Virgo unum Filium cum aeterno Patre communem. Audiamus Anselmum in lib. de Excellent. Virg., c. 3: *Hunc igitur tibi tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino aequalem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit ex rei veritate, esse B. Mariae unicum, et dilectissimum, et naturalem filium; nec ita ut duo essent, unus videlicet Dei Filius, et alius Filius sanctae Mariae; sed unus et idem ipse qui Filius Dei est in una Persona, etiam esset Filius sanctae Mariae. Quis haec audiens non obstupescat?* Grandis profecto similitudo inter Patrem aeternum, et Virginem Deiparam; notio enim et proprius aeterni Patris character est, Filium Deum generare: hunc ergo eundem Filium Dei generavit Deipara. Hinc Augustinus, serm. de Assumpt., versans hanc B. Virginis cum aeterno Patre similitudinem, ait: *Si formam Dei te appellem, digna existis*, id est quamsimillimam imaginem aeterni Patris.

1792. Censent plures Theologi, in hoc solum totam filiationis rationem sitam esse, quod filius ex intentione naturae, vique generatricis potentiae similitudinem praeseferat, eandemque figuram aemuletur, sicut assolet imago picta prototypon ad vivum exprimere: quod vero aliquando genitus genitoris figuram non repraesentet, id generatricis virtutis vitio vertendum, non defectui naturae. De quo Vasquius in 1 p., d. 113, c. 7. Hinc Verbum divinum est et dicitur Filius Patris, quia est figura substantiae eius, ut ait Paulus ad Hebraeos 1. Itaque qui filii formam intimius ac perfectius expresserit, etiam notionem characteristicam Patris sibi assumet; hinc ait Christus: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* In quae verba subdit Cyrillus Alexandrinus, Dialog. de Trinit., lib. 3: *Intelligitur Pater non aliter, quam per Filium, et in Filio, quandoquidem est expressa similitudo substantiae eius, a qua ortus est servans naturam in propria figura.* Modo sic: ex eo Verbum divinum est Filius Patris, quia expressa ipsius figura, similitudinem Patris refert, Paternitatisque relationem terminat; ergo eadem ratione idem Verbum, cum sit figura Matris, eiusdemque praeseferat similitudinem, ac Maternitatis relationem terminet, ex eo Filius Mariae in omni proprietate praedicabitur; ergo Maria vera erit figura Patris aeterni, eiusdemque similitudinem exprimens; siquidem Christus est figura et vera similitudo Mariae, et est figura et similitudo Patris, quia est Filius utriusque; ergo figura Mariae est figura Patris, praesertim cum Pater aeternus vere sit, et dicatur Pater naturalis Christi, etiam qua hominis. Si est ergo B. Virgo figura ac vera similitudo Patris; ergo speciali, sive Filiae Patris aeterni nomine donanda est: imo et hinc elicies sublimiorem quandam excellentiam in Maria, in qua eadem figura cum Patre resplendet, quia Filius figura est Matris, idemque indivisus figura Patris, quia utriusque est filius naturalis: ergo eademmet figura Mariae est figura Patris aeterni; unde in stuporem adactus exclamat Bernardus, ser. 3 in Annunciat., Anselmo similis: *Ipsa est Virginis nostrae gloria singularis, et excellens praerogativa Mariae, quod Filium unum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Venuste id decinit carmine Arnulphus:

> Virgineumque uterum virtus sacra Patris obumbrat,
> Qua Verbum fieret conciliante caro.
> Conformi soboles Patrem, Matremque figura
> Exprimit, et speciem reddit utrique suam;
> Sic eius species speciem est imitata paternam,
> Ut sit eo viso, visus et ipse Pater.

Itaque specialiori iure B. Virgo dicenda est Filia Patris, quam reliqui filii adoptivi per gratiam, quia est imago similior Patris, quae numquam fuit devenustata macula originaria, sicut reliquae. Quid post Deum maius, quid nobilius, quid pulcrius excogitari potest? quis ergo hanc imaginem inhonoret? quis illam maculis primaevis Adae lituret, ac deturpet? sed et imaginis huius magnitudo, ac pulcritudo e prototypi magnitudine, ac pulcritudine metienda est, et ipsius portio quaedam infiniti decoris, et amplitudinis est: imo etiam aeterno Patri B. Virginis productio a Patribus tribui solet, sicut et ipsius praedestinatio. Dionysius Carthus., lib. 2 de laudib. Virg., haec habet: *Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in utero supernaturaliter concurrens, Filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, et dignificantium habituum plenitudine adornavit, ut etiam in exteriori eius effigie gratia divina tam copiosa efficaciterque luceret.* Haec Dionysius ex Henrico de Thasia. S. Damascenus, orat. 1 de dormit. Deip.: *Pater praedestinavit Mariam, Spiritus*

praerigavit, et Filius demum in ea commoratus est. Quia ergo maximam cum Patre aeterno similitudinem habet Maria, nempe quod Maternitatis excellentia potiatur, et pari ad Filium Dei respectu, ac Pater aeternus referatur; ideo a Patribus filia Dei Patris praedicatur. Grande profecto Mariae elogium, quod nulli alteri Personae divinae, neque creatae adaptari potest, nisi soli Patri aeterno. Quod introspexit s. Bernardinus Senensis, tom. 1, ser. 52, art. 3, c. 2: *Tanta est*, inquit, *laus quam ei tribuimus, cum dicitur Mater Dei, quod neque in Personis creatis ut Angelis et hominibus, neque in Personis increatis reperitur haec incogitabilis dignitas, scilicet quod habet Dei Filium, nisi in una Persona divina quae est Patris, et una Persona humana quae est Matris.*

Rursus dicitur filia Patris, quia maiorem similitudinem refert cum Patre, quam Aristoteles et alii philosophi in aliquo filio similitudinem ad suum patrem referente, excogitarunt. Est igitur B. Virgo Patri aeterno adsimilis, quia sicut Pater totum Filium generat solus, sic Mater totum Filium generat absque alterius coniugis adminiculo. Quod ad stuporem usque rapuit s. Damascenus, orat. 1 de nativit. Mariae: *O Filia*, inquit, *semper Virgo, quae virili opera ad conceptionem minime opus habuisti: sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti.* Genuit ergo Maria Filium sine viro patre, sicut Pater illum generat sine coniuge matre. Aldhelmus, lib. de laudib. Virginit. cap. 22, vocat Mariam nurum Patris, ex quo etiam capite recte vocari potest B. Virgo Filia Patris: *Beata*, inquit, *Virgo nurus Patris, Genitrix et Germana Filii.* Nurus autem a socero filia solet vocitari.

1793. Alio etiam titulo dici potest filia Dei Virgo B., videlicet titulo gratiae Maternitatis Dei, quae filiam adoptivam Dei constituit, speciali quodam novo et excellentiori modo, quam reliqui iusti, filii Dei nuncupantur: quemadmodum enim Christus ut homo, dicitur Filius naturalis Patris, titulo gratiae unionis; ad eum modum B. Virgo ex gratia Maternitatis Dei, dici potest specialissimo quodam iure Filia Dei adoptiva excellentiori modo quam reliqui iusti, scilicet ex titulo Maternitatis naturalis, quae est gratia multo praestantior ac nobilior, quam gratia sanctificans. Videndus Suarius, de Incarn. disp. 49, sect. 1 et 2; ubi agit de filiatione Christi ut hominis.

Ex quibus non mirabere quod Pater aeternus divitiarum suarum abyssum in unam Virginem prodegerit, perfectionum fluenta infuderit, omnemque divinitatis thesaurum in ipsam transtulerit; id enim filiationis leges efflagitant, id arcta inter filiam et parentem necessitudo deposcit; id denique iura praecipiunt, ut paterna bona in filiam unicam devolvantur. Quod dubio procul s. Laurentius Iustinianus, meditabatur, ser. de Purific. Mariae, dum ait: *Erat Virgo foecunda, virtute perfecta, sanctitate redimita, honestate conspicua, corde ignita, sapientia perfusa, Deo coniuncta, Verbo propinqua, mysteriis divinis imbuta, et a Spiritu sancto absque temporis intervallo possessa: sibi namque ipsam in sponsam delegerat; sapientia enim in Matrem; in suam interventricem mundus; angeli in Dominam; et aeternus Pater in Filiam.* Ubi vides ex eo quod filia Patris sit, in eam immensum gazarum pondus a Patre collatum fuisse. Sed valde me in stuporem adigit effatum illud eximii illius Theologi, s. Gregorii Nazianzeni, ubi asserit Mariam e mente Patris ortam tanquam veram ipsius filiam: illum audiamus in carmine de Christo patiente, ubi ex ore Mariae cum Filio fante, sic affatur: *Simul atque nata sum, Patris tui, ut arbitror, ex mente summa me meus nutrit Pater.* Profecto foecunditas intellectus paterni per productionem Verbi omnino completur, et exhauritur, nec potest ultra ex intellectu aliquid producere: et tamen tantus Theologus affirmare audet, ex mente Patris Virginem Deiparam profectam, videlicet magnam similitudinem inter Matrem Verbi, eiusdemque Patrem contemplans, quia Verbum ab intellectu Patris productum ipsamet Virgo in suo utero progenuit, veraque Mater effecta, sicut ille verus Pater. Olim fabulatores ethnici Palladem suam ex cerebro Iovis natam mentiti sunt; verum B. Virginem meliorem sapientiae Palladem e mente Patris propugnatam, ob ingentem cum Patre aeterno similitudinem, affirmavit Nazianzenus, non tamen censoria Theologi trutina: idem intendere sibi visus est s. Bernardinus, t. 3, ser. 1, a. 1, c. 3, verbis illis: *Tandem orta est stella ex Iacob, scilicet Maria, quae has tenebras purificavit, et serenavit; quippe ipsa est emanatio quaedam sinceri omnipotentis Dei.* Vox autem *Emanatio*, in divinis solum in productiones *ad intra* quadrat, et tamen B. Virginis productioni aptat s. Bernardinus, quia tot divinis perfectionibus exornatam contemplabatur Mariam, ut ad Patrem proxime accedere videretur, quia obumbrante Altissimi virtute, eandemque foecundante, quasi similis evaderet in natura ad gignendum eundem Filium cum Patre: unde videri possit alicui B. Virgo quasi emanare a Patre, et ab eius mente progigni. Hinc addisces cur B. Virgo dicatur soror Verbi divini a sponso, Cant. 5: *Soror nostra parvula est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae?* Quae verba premens Gregorius Nyssenus, hom. 4 in Cant., sic sororis munus Virgini Deiparae adaptat: *Sicut rosa inter spinas, sic soror nostra inter filias: non amplius propinqua, sed soror. Postquam ergo facta est flos, nec a spinosis laesa fuit tentationibus, quo minus lilium esset, oblita populi, et domus Patris, et Matris suae, adspexit ad verum Patrem, et ita vocatur soror Domini.* Habes supra ex Laurentio Iustin. vocari Mariam aeterni Patris Filiam, et ex Nazianzeno, ex mente Patris prodiisse; quid ergo mirum si Verbi divini sit, et vocetur Soror? Ingens profecto Marianae celsitudinis encomium, quod nec Spiritui sancto competit. Exagitatur celebris illa quaestio a Theologis, nempe cur Spiritus sanctus non sit, nec dicatur filius Dei, nec frater Verbi divini, nec eius processio, generatio nuncupetur. Relictis aliis

subtilibus rationibus theologicis, mihi semper arrisit ratio illa Richardi de s. Victore, lib. 6 de Trinitate, c. 18, 19, 20 et 21; quem sequuntur Alexander Alensis, Maior, et alii nuperi Doctores. Itaque expendens cit. Richardus similitudinem maximam, quae inter Filium Dei et Spiritum sanctum intercedit, sic sciscitatur: cur ergo eadem affinitas germanitatis, utrobique non adscribitur alterutrius? Et respondet, nimirum quia paternae naturae proprium est, aliam a se personam divinam gignere, cui naturali proprietati Patris perfecte similis Filius foecundus nascitur ad productionem Spiritus sancti. Verum Spiritus sanctus habet, nec alicui Personae divinae dat, et inde in illo non adscribitur affinitas germanitatis cum Filio. Hanc igitur germanitatis consaguinitatem, qua caret Spiritus sanctus quia nec est, nec dicitur frater Verbi divini, ex eo quod foecunditate careat ad producendam Personam divinam; Maria Dei Genitrix Virgo consecuta est; ita ut possit vocari soror Verbi divini: et quia iuxta Nazianzenum supra, ex mente summa Patris aeterni prodiit: tum praecipue quia accepit ab eodem Patre virtutem foecundam ad producendum Personam divinam, iuxta illud Gabrielis, Luc. 2: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi;* vel, ut legit Athanasius, *adumbrabit*, id est efficiet, ut sis velut imago Patris, ac proinde in divinam prolem foecunderis.

1794. Ulterius eadem Virgo Deipara Spiritus sancti proprietatibus, ac notionibus gaudere videtur. S. Anselmus, l. de excell. Virg., c. 11, ait, Spiritum sanctum corporaliter venisse in Mariam, non utique quia Spiritus sanctus corpus assumpserit de Maria, vel quia unitus fuerit ipsi B. Virgini, hoc enim nefas est dicere: sed quia Spiritus sanctus Mariano corpore tanquam proprio organo usus fuerit, vel instrumento, ipsius scilicet linguam movens; ita ut nec verbum elaberetur, quod sine Spiritus sancti motione proferretur: per ipsius oculos inspiciebat, audiebat per aures, mentem regebat, omnes voluntatis affectus gubernabat; ita ut vel minimae cogitationes, verba, decreta, motiones, actus, sensationes omnes Spiritus sancti instinctu proficiscerentur, et moderarentur. Et quemadmodum, inquit Paulus ad Colos. 2 de Christo Domino: *Quia in Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Vel quia vere ac reipsa divinitas in Christo exstitit, non umbratice, et per similitudinem, tanquam in Tabernaculo, vel Propitiatorio, sed vere et proprie sicut in Patre, et Spiritu sancto; vel iuxta D. Augustinum et Theodoretum, quia divinitas unita fuit Christi humanitati, ac ideo Christi corpori: eodem modo, proportione servata, ait Anselmus, ipse namque (scilicet Spiritus sanctus) venit in eam corporaliter, quia et reipsa, vere, et non in umbris et figuris, sicut olim in Lege veteri, in B. Virginem advenit, teste Gabriele: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Idem contestatur Ecclesiam, dum Mariam vocat Spiritus sancti habitaculum; tum quia Spiritus sanctus eam in corpore et animo egregiis donis ac virtutibus cumulavit. Profunde Ildephonsus, ser. de Assumpt., dixit Mariam esse extensionem Spiritus sancti, quia in Deiparam infinitam se communicandi sitim sedavit, desiderium explevit, dum per immensam B. Virginis capacitatem flumen hoc rapidissimum excurrit, ac protensum est: sicut ergo Pater in Filium veluti extenditur, Pater et Filius in Spiritum sanctum dilatantur; sic etiam Spiritus sanctus in Mariam quasi extenditur et dilatatur, estque ipsius Spiritus sancti requies, ipsius sedatio, suique affectus expletio, dum in eam immensos donorum suorum latices pleno alveo effudit.

Alia est Spiritus sancti proprietas, nempe animas gratia ac sanctitate perficere; ideo divinus Spiritus inter divinas Personas, sibi Sancti nomen arrogavit. Nimirum, inquit Rupertus, l. 1 de Gloria et honore Filii hominis: *Quia tota Personae huius operatio, non aliud nisi sanctificatio est;* ideo Fons vivus, Ignis, Charitas, et Spiritalis Unctio dicitur, quia ipsi sanctificationis opera adscribuntur. Quod autem homines sanctificandi proprietas Mariae adaptetur, vel ex eo intelligi potest, quod supra ostendimus esse B. Virginem veluti alterum Sacramentum conferens gratiam: deinde Spiritus sanctus nexus est, et vinculum inter Patrem et Filium, quae ipsius nota est characteristica. Quam proprietatem ebibit ab Spiritu sancto Deipara, quae nexus est inter Deum et homines, sine qua pax nulla consisteret. Quod firmat Ioannes Geometra hym. 2, ubi Mariam cum iride componit de qua habes, Genes. 9: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram.* Quia sicut iris divini foederis cum hominibus initi signum a Deo positum fuit, ita et Deipara: imo ille arcus coelestis ex eo pacem Dei cum hominibus repraesentabat, quia hanc caelestem Iridem, nempe Mariam, adumbrabat. *Salve ergo*, inquit Geometra, *versicolor coelum, iridis instar, amoenas virtutum formas florigerasque ferens.*

CERTAMEN IV.

Virgo Deipara et Spiritus sancti et Christi Sponsa iure decantatur.

1795. Frequenter hoc nomine donatur a Patribus Deipara, Sponsa Spiritus sancti, non communi aliquo iure, quo reliquae animae iustae, quae per gratiam Spiritui sancto copulari dicuntur, sed speciali ac proprio titulo. Quod in primis peti potest ex illo, Matth. 9: *Exierunt obviam sponso et sponsae.* Quae verba de coniugali vinculo cum B. Virgine capi solent, ut infra. Dici autem potest Deipara non incongrue sponsa Spiritus sancti, quia fuit principalis sponsa; Ecclesia autem minus principalis: praecipue autem ad coniugium requiritur consensus sponsae; hunc autem praestitit Maria: ideo ad Mariam antequam concipiat, Angelus mittitur, inquit Maldonatus, quia opus fuit requirere consensum, ut esset sponsa Spiritus sancti, ex

quo conceperat Deum, ob eandemque causam Angelus Mariae vigilanti, non vero dormienti apparuit, sicut Iosepho; quia a Maria tanquam sponsa erat consensus ad sponsam Spiritus sancti postulandus. Hic vero non a dormiente extorquendus, sed a vigilante libere dandus. Conducunt valde ad haec sponsalia, quae affert Novarinus in Umbra Virginea, ubi conditiones reliquorum sponsorum recte adaptantur Spiritui sancto in ordine ad sponsam Mariam, ut de extensione pallii apud Hebraeos, et de velamine.

Vel etiam dici potest Spiritus sancti sponsa, quia Mariam sibi despondit, cum eam obumbravit; quod verbum maritale est, sicut *nubo*, ut bene Salazar in Cant. c. 2, v. 2; Pineda in praevio Solomone in Isagoge expositionis in Psal. 44; Ribera, et Castro in c. 3 Osee in illa verba: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.* Has nuptias apprime depinxit Anselmus, lib. de excell. Virg., cap. 4: *Ipse Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris et Filii, ipse, per quem, et in quo amatur omne quod bene amatur, ipse, inquam, corporaliter, ut bene dicam, venit in eam, singularique gratia prae omnibus quae creata sunt, sive in coelo, sive in terra, in ipsa requievit, et Reginam et Imperatricem coeli et terrae fecit sponsam suam.* Ubi s. Anselmus singulari iure, ait, Deiparam Spiritus sancti sponsam effectam, quia ultra incomparabilem gratiam, qua Mariam replevit, ipsam obumbravit ac texit, ac viri vices substituens ex purissimo ipsius sanguine et substantia, Christo carnem et substantiam subministravit: itaque Spiritus sanctus non tantum dicitur sponsus communi vocabulo, quo dicitur sponsus animarum perfectarum, sed speciali ratione, non solum animae B. Virginis, sed aliquo etiam modo carnis ipsius, quia illam obumbravit, id est viri vices subrogans, eam divina virtute foecundavit ac gravidavit, ut loquitur s. Augustinus infra, et s. Anselmus supra, dum ait: *Corporaliter venit in eam.* Ideo idem s. Augustinus, ser. de Assumpt., ait de Maria: *Haec est, quae sola meruit Mater et Sponsa vocari.* Hoc ius speciale sponsae defert Mariae s. Ildephonsus, ser. 1 de Assumpt.: *Tantis*, inquit, *insignivit virtutibus, ita ut Sponsa iure dicatur, et Mater sui Creatoris.* Et s. Chrysologus, ser. 146: *Vere sponsa, quae virginali partu novam Christi regignit infantiam. Procurator Ioseph sponsus.* Ubi quasi Spiritum sanctum sibi despondisse Mariam asserit per procuratorem Iosephum; ipse autem Spiritus sanctus sit verus ac legitimus sponsus.

Audiamus nunc Epiphanium, ser. de laudib. Mariae, de iis sponsalibus ita fantem: *Invenitur Virgo esse coelestis sponsa et Mater, quae donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit; dotis vero gratiae, coelum una cum Paradiso.* De iis antenuptialibus muneribus, et dote, quam Virgo sponsa ab Spiritu sancto sponso accepit, locutus Idiota ait, in contemplat. de Virgine Maria, c. 2: *Nemo aequalis est tibi, nemo maior te, nisi Deus, Spiritus sanctus superveniens in te, et virtus Altissimi obumbrans tibi, quae eras omnium virtutum et gratiarum ornamentis praedecorata, pulcritudinem, puritatem, sapientiam, et omnium virtutum gratiam adauxit.* Itaque Spiritus sanctus per antenuptialia dona in B. Virginem venit; per dotem vero in eandem supervenisse significat. Luculentius idipsum asseruit Gerson super *Magnificat*, Alphab. 83: *Beatam*, ait, *respice primo modo, dum ab instanti suae creationis initiatum est matrimonium cum aeterno Sponso Deo, per arrham fidei, spei, et charitatis, et caeterarum virtutum.* Et B. Amadaeus, homil. 3 de laudibus Virg. ait: *Tali sponso coniungeris, a tali marito foecundaberis.* Et Petrus Damianus vocat Mariam, serm. de Assump.: *Sancto coniugatam Spiritui.* Et D. Augustinus, ser. 18 de tempore: *Quid est*, ait, *quod Dominus solus intrat, et ingreditur per eam, nisi quod Spiritus sanctus impraegnavit eam?* Huic pulcherrimae Spiritus sancti sponsae debebatur meliori quidem iure, dum in sponsi contubernium venit, ut ab sponso totius familiae dominium traderetur, domusque claves committerentur, iuxta regulam Gregorii Tolosani, lib. Syntagm., c. 19, n. 14, ubi ait: *Uxoribus primum domum ingredientibus claves dabantur*, iuxta Romanorum ritum; additque, ut symbolum acciperent, se ut matresfamilias in possessionem, et in rerum mariti communionem, seu societatem admitti. Claves itaque accipit Maria, dum in sponsae munus deligitur, ac proinde claves omnes divitiarum, ac thesaurorum Dei accipit, ac pro libito claudit et aperit, ut dividat et impertiatur. Claves item forium aeternarum, ac caelestium, ut cui placuerit, aditus pateat; cui displicuerit, interdicatur. Merito ergo s. Ephraemus ei applaudens salutat: *Ave, Reseramentum portarum caelestis paradisi.* Sponsa viri sibi honores adsciscit; sponsae enim eadem cum maritis dignitate potiuntur, ut decernunt Iura Caesarea, Leg. *mulieres*, *C. de Dignitatibus*, ubi haec habentur verba: *Mulieres honore maritorum erigimus; genere nobilitamus.* Leg. *faeminae*, ff. de Senatoribus: *Faeminae nuptae clarissimis personis clarissimarum personarum appellationem continentur.* Et Authentica de Consulibus: *Uxores coruscant radiis maritorum.* Item l. *Bene*, C. *de quadriennii praescriptione*, § *Sed scimus*: *Augusta eadem, qua princeps, praerogativa utitur.* Denique l. 1, ff. *de Senatoribus: Consulares faeminas dicimus Consularium uxores.*

1796. Sed grandius quid aggreditur Senensis t. 1, ser. 61, c. 8, cum ait: *In eadem aeternitate idem ipse puer in ventre Matris Deum spirabat, et producebat.* Ait ergo, Patrem, ac Verbum in Mariae visceribus spirare Spiritum sanctum, quasi nunquam intermissam Spiritus s. ad Mariam stationem et superventionem innuat: itaque in visceribus Mariae dicitur Spiritus sanctus produci ac spirari, ubi gratiarum, donorumque scaturigines inundant, ex cuius sinu in alios gratiarum fluenta derivantur: bene divinus Spiritus ibi avet spirari, ubi ipse spirat, et infinitam ad se communicandum pronitatem explet, ut bonitatis pelagus effluat, et appetitum exsatiet, quandoquidem *ad intra* nequit illum

sedare, cum nequeat dari quarta in Trinitate Persona; amat igitur Spiritus s. Mariam, ibique spirat, ipsique adhaeret tanquam in proprio reclinatorio, eamque sibi quamsimillimam intuetur: licet enim tota Trias virgo sit, at in Spiritu sancto nostro modo concipiendi, clarius virginitatis splendor adlucet, cum non solum res ipsa, sed et nomen virginitatem spirat; Spiritus quippe sanctus omnis generationis est expers; cum Pater, licet virgo sit, generationem tamen praesefert; Filius etiam generationem passivam secum involvit: at Spiritus sanctus utrumque significatum abhorret: ideo Virgo Deipara virginitatis primiceria ab Spiritu sancto expetitur et ambitur, quia Spiritus sancti puritatem aemulatur.

Nec solum Spiritus sanctus B. Virginem sibi in sponsam adsciscit; et Christus Dominus eam in sponsam assumpsit, et quidem si B. Virgo concipiatur, ut membrum praecipuum Ecclesiae, quae est sponsa Christi, tunc certum est, B. Virginem litteraliter subintelligi sub nomine sponsae in Cantico Salomonis: dubitari tamen potest, an, quando B. Virgo concipitur ut sponsa suis constituta membris, nomine sponsae veniat in praefato Cantico. Pars affirmans suadetur primo, quia Verbum divinum, ut sibi sponsam Ecclesiam maritaret, oportebat ut consensus sponsae accederet, sine quo matrimonium nequit consistere; hunc autem praebuit Maria, nomine totius Ecclesiae. Ita D. Thomas, 3 p., q. 30, art. 1: *Congruum fuit B. Virgini annunciari, quod esset Christum conceptura, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam; et ideo per annunciationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae.* Guilielmus item apud Delrium., Cant. 4: *Nolebat Omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa, sicut sumpsit ex dormiente Adam, unde formavit Evam, ad futurae Matris excellentiam, non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat.* Nempe quia ex utero Matris tanquam sponsus de thalamo suo egressurus erat, adeoque tanquam ab sponsa exspectavit consensum, et sic matrimonium ratum existeret. Nec mirum ad unam Mariam redigi totius Ecclesiae voluntatem; ita ut pro omnibus pacisci, ac consensum praebere potuerit, cum illa una omnibus gratiis ac donis, quae per reliqua totius Ecclesiae membra fuerunt dispersa, exornata fuerit: unde dicitur integra Sponsa omnibus suis absolutissimis membris constans; imo tota Ecclesia aliquo tempore ad unam B. Virginem redacta est, nempe sub Christi mortem: siquidem sola B. Virgo fidem constanter tenuit, reliquis vel deficientibus, vel nutantibus. Ita Bernardus, ser. de lament. Virg.: *In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiae stabat, et dum unusquisque haesitabat, haec quae fide concepit, fidem, quam a Deo semel suscepit, nunquam perdidit.* Tunc ergo omnem Ecclesiae pulcritudinem, secundum uniuscuiusque membri perfectionem in una B. Virgine stetisse asserendum est. Nec Maria venit nomine decem virginum, quia extra omnes creaturas rationales est; nihil enim in ea commune ac vulgare reperitur, ac proinde extranumeraria censetur, ut patet in Matth. 25: *Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae exierunt obviam sponso et sponsae.* Ubi Patres per decem virgines totius Ecclesiae universitatem intelligunt, et per sponsum, Christum accipiunt; at nomine sponsae, intelligit Catharinus Deiparam, et ex illo alii. Haec enim princeps sponsa Christi; reliquae iustorum animae cum illa compositae, non tam sponsae, quam ipsius Deiparae famulae, et pedissequae censentur: Maria ergo in aliarum animarum censum non venit, quia extra censum est, nihil in ea commune, ac vulgare reperies; ac proinde iura et leges universales illam non comprehendunt.

Hae ergo nuptiae ratae omnino effectae, imo et consummatae sunt in Incarnatione. Ita Gerson, tract. 2 de Cantichordo, ubi ait: *Nubebat Deiformis Spiritus Mariae, Deo suo Domino et Agno, qui erat tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Idem contestatur s. Agnes, ut habes, l. 6 Revelationum sanctae Birgittae, cap. 6, ubi haec fatur Agnes: *Tu vero utrumque Mater, et Virgo, et uxor Christi es, nam pulcherrimae nuptiae factae sunt in te hora ista, cum Deus homini in te coniunctus est, et te per unitatem carnis sibi copulavit.* Et ratio est, quia tunc reperiebatur coniunctio spirituum in ordine ad unitatem carnis; tum et unio utriusque, carnis scilicet Christi, et Mariae; item mutua traditio, et acceptatio: ergo verum matrimonium intercessit inter Christum et Mariam in momento Incarnationis. Id scite docuit s. Augustinus de Assumpt.: *Si igitur natura caro Matris est Filius, conveniens est, ut sit et Filii Mater, non quantum pertinet ad aequam administrationem, sed quantum spectat ad eandem substantiam, ut homo de homine, caro de carne, Mater a Filio, et Filius a Matre, non ad unitatem personae, sed ad unitatem corporalis naturae et substantiae.* Quod ipsa B. Virgo confirmat alloquens s. Birgittam, lib. 1 Revel., cap. 35: *Bene dixit Ioannes: Et Verbum caro factum est; nam per charitatem ipse venit in me, et erat in me, et ipse erat mihi, quasi cor meum: sensi ergo quod quasi dimidium cor meum nasceretur, et exiret ex me.* Cum ergo unitas carnis hic reperiatur, non incongrue matrimonium consummatum fuisse inter Christum et B. Virginem in ipso Incarnationis puncto dicemus, cum nec reliqua ad hoc matrimonium necessaria desiderentur, ut puta aequalitas inter coniuges, in dignitate et honore; item bonorum omnium communio, acceptatio ex parte Virginis, cum illa protulit verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Carnem item suam virgineam Christo vicissim impendens ac devovens: hinc in ipso sponsalium Cantico, septies Verbum divinum vocat Mariam Sponsam, c. 5: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa*, cap. 4: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*, et ib. vers. 10: *Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa!* et v. 22: *Hortus conclusus, soror mea sponsa*, etc.

Rem autem si profundius scrutemur, omnino indissolubile hoc matrimonium reperiemus, cuius nexus nulla vi discindi potest: reliquae iustorum animae vinculum matrimonii cum Christo ineunt, quod per peccatum facile dissolvi solet; at inter Mariam et Christum non solum intercedit matrimonium consummatum, sed omnino indissolubile, nec culpae alicuius gladio discindi potuit, quia B. Virgo ex voluntatis consensu efficitur Deiparens adeo arcta carnis necessitudine, eo coniunctionis vinculo, ut nec aliquo peccato, si per impossibile ab ipsa fieri posset, dissolveretur, quia semper carnis eiusdem participatio inter Christum et Mariam intercederet. Quod meditatus fuerat s. Bernardinus, serm. 9 de Flamm., flam. 2: *Nota*, ait, *quod si omnes creaturae angelicae et humanae recolligerent suum velle simul in una voluntate, non haberent tantam unionem cum Deo, quantam habet B. Virgo Maria sola; quia hoc suum consentire, et velle efficit ipsam fieri Matrem Dei, in tantum quod Deus non posset ipsam separare a se.*

Ex quibus lux affulget verbis Augustini, serm. 22 de natali Domini: *Audiat*, inquit, *omnis aetas, quod nunquam audivit: Virgo partu suo nupsit, virginitatem, dum pareret, duplicavit, Filium quem genuit, adoravit.* Expendenda sunt illa verba, *In partu suo nupsit*, quasi diceret: ipse Filius, quem Maria peperit, ipsius sponsus factus est, ideoque virginitatem duplicavit; quia si ex virtute illius, ex quo tanquam sponso concepit et peperit, ipsius Filius est, ergo nulla re amplius exaggerari potuit virginitas Mariana: siquidem Mater iam esse supponitur, quae proli conceptae nubit, si enim tunc nubit sponso, cum concipit; ergo integra virginitas in tuto est, cum sponsus nullus praecesserit, qui claustrum Virgineum offendere possit. Quod innuit ipse sanctus Doctor ante praefixa verba, haec asserens: *Mater Sponsa, et ipse quem peperit, Christus, quem sanctus Spiritus copulavit; fecit gravidam ipse, qui erat nasciturus ex B. Virgine; expavit in partu suo Mater; Deus per Angelum loquebatur; et Virgo auribus impraegnabatur.* Merito ergo duplicavisse virginitatem Virginem Beatam, protulit; quia dum Virgo in partu permansit, virginem Filium peperit, unde numero virginitas adaucta est; vel etiam quia excrevit virginitas, cum peperit, quia Virgo ante partum, in partu, et post partum perduravit. Quae omnia clausit Ambrosius brevi periodo, lib. de Virg.: *Spectate aliud virginitatis meritum; Virgo virginis sponsus, et si dici potest, Christus virgineae castitatis; virginitas enim Christus, non virginitatis est Christus: Virgo est ergo quae nupsit, Virgo quae genuit, Virgo quae nos suo utero portavit.*

CERTAMEN V.

Generatio temporalis Christi ex Maria, aemulatrix generationis aeternae ex Patre.

1797. Plurium Patrum vox conspiravit in illud effatum, nempe generationem temporalem Verbi divini carne circumamicti ex B. Virgine, assimilari valde generationi eiusdem Verbi divini ex Patre aeterno. Hoc ergo pronunciatum in hoc Certamine discutiendum aggredimur. Videndus Salazar in Proverb. t. 1, in c. 8, n. 388; Sherlogus t. 1 in Cant., Anteloq. 10, sect. 1; Novarinus in umbra Virginea, excurs. 3, n. 89. Ambrosii illa vox fuit: Quemadmodum virgo Divinitas ediderat scilicet Filium Dei, ita et eum Virgo Maria generavit; sordes longe a mentis conceptu absunt, et magis a Virginis conceptu exularunt: sicut ergo intellectus verbum gignit, nullaque macula contrahitur, nullae sunt sordes in hoc partu, purus est mentis conceptus, illibatus partus; idem dicendum de partu Mariano, concepit de Spiritu sancto purius quam mens peperit. Huc advoco illud Isai.: *Ecce virgo concipiet, et pariet.* In Hebraeo est verbum, quod dicitur etiam de mentis conceptu. Et firmat idipsum B. Andreas ordinis Eremit. apud Novarinum citatum, ubi haec habet: *Ecce Virgo concipiet; hoc sane quod dictum est: Concipiet, multum nos excitare debet ad considerandam illius Incarnationis formam; siquidem Concipere proprium mentis est, ut intelligeremus eadem sinceritate B. Virginem Dei Filium concepisse, qua ferunt mentem nostram intelligentiae verbum concipere. Primum quidem, verbum mentis in nobis absque ulla laesione concipitur; non enim aut frangitur, aut minuitur mens intelligendo, ita sane B. Virgo nullam fracturam, aut laesionem in concipiendo Dei Filio sensit. Secundo, in nobis verbum mentis absque macula concipitur; non enim inquinatur mens, etiam dum res sordidas intelligit, et apprehendit, sed cum desiderat: sic in Virgine factum est Verbum caro, tam munde, tam sancte, ut ibi nulla possit macula cogitari.* Praeterea sicut ex productione verbi, mens illustratur; ita et B. Virgo concepit Dei Filium, et lumine coelesti perfunditur: Christus enim *Oriens* vocatur, Zach. 6. Rem perficiat cit. Andreas: *In luce concipitur Verbum; mens enim intelligendo illustratur: quantum vero lucis B. Virgo accepit ingrediente Deo ut faceret Paradisum; unde propheta: Oriens est nomen eius.*

Adeoque generatio Verbi ex Maria assimilatur generationi eiusdem ex Patre, ut primam vocet Chrysostomus apud Metaphrastem, homil. de s. Ioanne Baptista, *Processionem*; quo nomine vocant Theologi secundam; ait itaque aureus Doctor: *Non timemus amplius claustra portarum paradisi, non metuimus amplius morsus serpentem, non amplius a ficu accepimus folia: quae enim ex Virgine facta est, adoravimus processionem.* Processionis vox ad divinas emanationes declarandas adinventa. Cur ergo eam sanctus Doctor generationi Verbi ex Maria accommodat? Nempe ea est B. Virginis puritas in gignendo, ut eodemmet stylo, quo Patris generatio aeterna nuncupatur, gaudet et eiusdem Verbi generatio temporalis ex Maria: nihil in divinis processionibus non spirituale, omnis emanatio *ad intra* intentionalis est. Sic Maria, teste Augustino, prima Virgo inter omnes crea-

turas, per sermonem et auriculam genuit; ait enim, ut alibi dedimus: *Coniunctio haec sine sordibus facta est, in qua et maritus fuit sermo, et uxor auricula.* Cui cogitatui subsidiantur plures e Patribus in illud Lucae: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Aiunt ergo prius Beatam Virginem mente ac spiritu Verbum genuisse, quam ventre, quod ad divinarum processionem nos vocat mysterium, ad quarum similitudinem, ineffabilis Christi ex Maria generatio compacta fuit.

Nunc capio Evangelistae Matth. 1, 18, verba, cum ait: *Christi generatio sic erat;* non vero dixit, Christi generatio sic est. *In principio erat verbum, et Deus erat verbum*, ait Ioannes: verbum enim *erat,* insonat aliquid aeternum et interminabile. Cur ergo temporalem Christi generationem evulgaturus Matthaeus, eodem utitur verbo, quo Ioannes? Nodum solvit s. Ildephonsus, lib. de Virg. et partu Mariae: *Quia*, inquit, *generationis huius maternae imago, et symbolum iam praecesserat ab aeterno in generatione Patris.* Vide Guevarram, tom. 1 in Matth. in c. 1, v. 16, observat. ultima. Quam ob causam eodem nomine compellantur Pater aeternus, et B. Virgo ob generationis similitudinem. Quod vaticinatus fuit David, Psalm. 18: *Dies diei eructat verbum.* Sed quis est hic dies, qui verbum eructat? Ille profecto de quo Psal. 44: *Eructavit cor meum Verbum bonum*, scilicet aeternus Pater, qui Filium generat; sed cui eructat? cui committit Verbum, nisi Mariae? siquidem a Patre natus in alvum Mariae illabitur. Dies ergo dicitur Pater, dies etiam vocatur Maria, quasi eiusdem virtutis et potentiae. Do D. Bernardum huius cogitatus patronum, serm. 5 *de parvis: Dies diei eructat verbum, Deitas Virginitati, de utero paternae maiestatis, in uterum maternae integritatis.* Et quemadmodum Christus Dominus dicitur occisus ab origine mundi, testante Augustino ex eo quod praeludia quaedam agebantur, et quaedam symbola seu figurae praemittebantur, videlicet in Abelis sacrificio, in Isaaci obedientia, cum a Patre iugulandus montem conscendit: ad eum modum partus Deiparae ab aeterno fuisse dicitur, quia in ipsa Verbi divini generatione figurabatur. Ideo Deipara merito sibi tanquam propria assumit verba illa Prov. 8, iuxta chaldaicam translationem: *Prope ipsum eram nutrix, vel nutritia;* pro eo quod noster Vulgatus legit: *Cum ipso eram cuncta componens.* Ubi adverte verbum illud substantivum *eram*, esse idem quo usus est Matthaeus supra: quo innuitur, iam Virginem Mariam ab aeterno fuisse Dei Genitricem, ac nutricem quasi in figura, ex eo scilicet, quod Pater aeternus incorruptibiliter Filium generat, ideoque partum Mariae Virgineum, omnisque corruptionis expertem delineabat.

Quemadmodum ergo echo formatur in praeruptis montium, terraeque hiatibus; ita Verbum in visceribus Virgineis: verbum itaque humanum efformatur, vel in ore hominis loquentis, vel ex reflexione specierum in montium concavitatibus, cum hoc discrimine, quod in ore humano integrum producitur verbum quod profertur; at vero echo solum dimidiatum illud edit. Sic Verbum divinum in ore Patris aeterni integre profertur: *Ego ex ore Altissimi prodivi;* deinde in ventre purissimo B. Virginis ut homo efformatur, hoc discrimine, quod ab ore Patris hoc Verbum integrum prodiit, a Maria abbreviatum; fuit enim uterus Virgineus sicut echo Patris aeterni, contegens in Verbo omnipotentiam, quia a Maria Verbum divinum non ut aeternum, sed in tempore factum; non veluti omnipotens, sed instar balbutientis infantis; non ut immensum, sed tanquam circumscriptum spatio ac loco; non ut immortale, sed morti obnoxium in lucem editur. Quod docuit Paulus ad Philipp. 2: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Imo omnis operatio *ad intra* aeterni Patris in ordine ad Verbum, et utriusque in ordine ad Spiritum sanctum, intra purissima Mariae viscera tanquam divinarum emanationum officinam exercetur: id voluit s. Bernardinus, t. 1, serm. 61, c. 8, dum ait: *Reperio in Rege nostro Iesu duas dignissimas dignitates, videlicet quod sit aeternus Deus genitus ab aeterno, et aeternum Deum producat, eo quod Spiritum sanctum spiret, et ipse clausus in Virgineo utero in aeternitate a Deo Patre Deus generabatur aeternus, et in eadem aeternitate idem ipse puer in ventre Matris Deum spirabat et producebat.* Itaque licet aeternus Pater ubicunque est, Verbum producat, et Filius ubicunque reperitur, cum Patre Spiritum sanctum spiret; verum in eo quod in sinu Mariae speciatim Pater producat Verbum, innuit ex Virgine Maria generari ad similitudinem aeternae generationis, quae animo Mariae obversabatur.

1798. Pater aeternus per cognitionem essentiae divinae, triumque Personarum, iuxta subtilem Theologiam, generat Verbum divinum: negat autem Scotus, eiusque asseclae, oriri Verbum ex cognitione creaturarum adhuc possibilium, quod non vacat modo exagitare. Equidem de Maria idem pronuncio, videlicet ex cognitione divinae essentiae, totiusque Trinitatis, et attributorum ac perfectionum divinarum, Verbum hominem factum, ipsam in alvo Virginea concepisse; non vero ex cognitione alicuius creaturae. Quod subindicat ipsa B. Virgo, cum respondet Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quippe nullum virum, nullamque creaturam mente evolvebat, dum Verbum divinum in utero humanitate indutum generavit. Quod expenderat Chrysostomus, homil. 49 in cap. 25 Gen.: *Et quomodo fiet istud, inquit Virgo, quoniam virum non cognosco? Sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis, nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, ut huic ministerio servires; itaque quam ob rem dubitas, eam ob rem crede, sic poteris parere, virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ne igitur spectes ad terram, e caelis*

operatio venit. Ubi ponderanda illa verba : *Ne spectes ad terram*, quasi generatio Christi per oculorum adspectum ac mentis conceptionem efformanda esset ; ita censuere aliqui de omni generatione humana, et Lippomanus in Catena ad illa verba Gen. 4 : *Cognovit uxorem suam Evam, quae concepit et peperit.* Addit Lippomanus : *Quia vero semen virile a cerebro capitis, quod est locus cognitionis, descendit per venulas, quae sese ramificant per dorsum hominis, et propagantur ; hinc est quod in Hebraismo, concubitus ipse, cognitio vocatur, unde et hic dicitur : Cognovit uxorem suam.* Sed haec displicent, si loquamur de communi conceptione : sola utraque Verbi divini generatio ex Patre sine Matre, et ex Matre sine Patre Virgineum illum generandi modum, Cognitionem, et quidem solius Dei Unius et Trini, divinorumque attributorum sibi arrogat. Iure ergo dum Maria concipit Verbum divinum, Mariani acuuntur oculi, mens instruitur, ut coelum prospectet, divinitatem ebibat, Trinitatem cognoscat, virum nesciat, sublunaria despiciat, creaturas ignoret, quo Virgo Mater aeternum Patrem aemuletur, qui solum ex cognitione divinae essentiae, Trinitatis ac divinarum perfectionum, non vero alicuius creaturae, Verbum divinum producit : idcirco consulto Spiritus sancti virtute obumbratur Maria, ut penitus mentis obtutum in Deum defigat; umbra sed enim valde conducit, ut oculorum acies vires exerat, ideo natura nigris oculos superciliis vallavit, ac veluti palpebrarum umbris circumsepsit, quo firmius et attentius obiecta penetrarent: non igitur abs re Maria divinae virtutis umbra protegitur, Verbum divinum conceptura, ut perspicacius divinitatem calleat, ac introspiciat, quia per umbram mens Mariana magis in se collecta, intimius in Dei cognitionem deveniret. Id egregie expenderat Magnus Albertus in cap. 1 Lucae, iis verbis : *Habet etiam visus temperamentum; propterea, ut dicit Basilius, natura oculum sub profundo ciliorum locat, et supercilia nigra desuper ordinat, et disponit, ut umbra ex hoc resultans visum in se adunet, et sic virtutem visivam colligendo, fortiorem reddat. Hinc est etiam quod et nos, quoniam diligenter et longe videre nitimur, manum latam super cilia ponimus, et ex obiectu manus, sparsus visivus colligatur radius, et in se ipso collectus fortior sit et visum acuat ad diligentius et fortius discernendum quod videre desideramus. Sic igitur, o Beata, obumbravit tibi virtus Altissimi, ut visu mentis tuae adunato, mysterium posset agnosci.* En tibi quo tempore Verbum divinum in Virgineo utero humanitate vestiendum, adeoque a Maria gignendum erat, sub umbrae velamine mentis acies acuitur ex Alberto, ut ex cognitione profundissima divinitatis, Filius Dei progrederetur. *Propter hoc maxime dictum est : Obumbrabit tibi* (ait Bernardus homil. 4 super *Missus est*) *quia res nimirum in Sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* In reliquis hominum generationibus Deus dicitur cooperari, quia non solus concurrit : at B. Virgo dicit se non cognoscere virum, utpote quae solum mente Deum volvebat, nihil creatum intellectui ipsius obiiciebatur, quo temporalis Verbi divini a Beata Virgine generatio aeternae generationi a Patre conformaretur. Consulto ergo Gabriel totam Trinitatem Virgineae obiecit menti, ait Titus Bostrensis : *Observare*, inquit, *hic licet, quomodo, dum Spiritum sanctum, Virtutemque, et Altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* Ut hac ratione omnis mens Mariana praeoccuparetur, ne aliquid creatum cognosceret, dum Verbum divinum in suo utero concipit. Accinit s. Bernardinus, tom. 3, serm. 6, art. 1, cap. 1: *Consideremus,* ait, *obiectum, in quo consensit, quod quidem fuit Filius Dei Iesus Christus, sed impossibile fuit, eam in tale ac tantum obiectum digne consentire, nisi omnem affectum mentis suae in illud proiecerit et erexerit. Hoc autem erat summe dilatari et erigi in abyssum Trinitatis et unitatis, id est in personalem et originalem habitudinem, secundum quam in semetipso existit, et refertur ad Patrem, et Spiritum sanctum a se procedentem.* Sicut ergo solus Pater gignendo cognoscit, et cognoscendo seipsum, Verbum gignit ; ita Maria, dum Filium gignit, solum Deum cognoscit et contemplatur, nullum vero virum, nec aliquid creatum gignendo, cognoscit.

CERTAMEN VI.

Ex qua cognitione Beata Virgo Verbum conceperit.

1799. Pater Vasquius, tom. 2 in 1 p., disp. 142, cap. 4, acriter propugnat, Verbum divinum non oriri ex cognitione Spiritus sancti. Sed hanc sententiam plures impugnant, et merito: videndus Suarius et reliqui. Sed quidquid sit de hac sententia, omnino certum arbitror, Verbum divinum humanitate indutum ex Maria progenitum ex cognitione Spiritus sancti, qui eam obumbravit, virtute Altissimi. Id docuit s. Bernardinus, tom. 3, serm. 6, art. 1, cap. 2 : *Consideremus,* inquit, *obiectum secundum quod consentit, quod quidem fuit Spiritus sanctus, id est ille superineffabilis superadventus, ab Angelo, imo a Deo sibi per Angelum promissus, ad eam digne tanto Filio sanctificandam et replendam, et immutandam corporaliter, in prolem ex ea, et in ea spiritalissimo et supernaturalissimo modo formandam.* Itaque divinus Spiritus totam Mariam ambibat, adeoque nihil aliud ipsius menti obiiciebat cognoscendum, nisi Spiritum sanctum, qui amor est. Bene s. Ildephonsus, serm. 1 de Annunciat. : *Unde,* inquit, *quaeso vos, o filii, imitamini signaculum fidei vestrae, B. Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit; ita ut in ea Spiritus sanctus flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei.*

Olim a Moyse una tantummodo Deitas, auctore Epiphanio in Anchorato, ostensa est. A prophetis iam Personarum dualitas annunciata fuit :

et expressa Personarum Trinitas solum in Evangelio patefacta est ab Angelo annunciante Incarnationem Verbi, dum ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Evangelista ait etiam de Maria: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et iterum Angelus Iosepho: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Profecto ante Mariam sub densa caligine delitescebat Spiritus sancti Persona; in Maria autem velamen retegitur, ipsiusque menti manifestatur; ex cuius cognitione Verbum divinum humanitate tectum progignit. Praeterea Spiritus sanctus sponsi vices substituit erga Mariam: nihil ergo mirum, quod ex cognitione sponsi sui foetum conceperit omnino similem sibi, suoque sponso Spiritui sancto. Quod subodoratus fuit Bernardus, serm. 4 super *Salve Regina*: *Dominus tecum,* inquit, *Dominus autem Spiritus est: Spiritus ergo sanctus magnificavit facere tecum, magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Unum erat, dum dignam te fecit, quae Dei Filium concipere posses et parere: alterum, quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filii Dei formavit.* Quasi in unum consortium ac coniugium Beata Virgo et Spiritus sanctus coniungerentur, ut simul foetum producerent et efformarent; Incarnationis enim opus Spiritui sancto attribuitur a Patribus. Unum substituo nunc Ambrosium, lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 5: *Spiritus sanctus superveniet in te: opus ergo Spiritus, Virginis partus est; opus Spiritus, fructus est ventris.*

Utrum autem conceperit B. Virgo Verbum divinum ex cognitione beata, infra de visione B. Mariae viatricis facile deducemus: nunc aliqua appingam. Et quidem inter Doctores qui deferunt B. Virgini viatrici visionem beatificam aliquibus temporibus, communis censio est, id potissimum in Incarnationis instanti contigisse: hos Doctores refert Salazar, de Concept. cap. 32, inter quos adnumerandus D. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 17, § 1; s. Bernardinus, t. 4, ser. 36; Albertus Magnus in Mariali, c. 149. Huc respiciebat s. Damascenus, Ode 3, inquiens: *Virginem, quae sine semine, ex fulgore divino peperit Christum, gemmam omnium pulcherrimam collaudemus.* Hic autem fulgor, nihil aliud est quam splendor, seu candor lucis aeternae. De quo Paulus ad Hebraeos, cap. 1, et Sap. 7. Hunc igitur fulgorem Maria in instanti Incarnationis immotis mentis palpebris intuita est. Hoc splendore immersa, hoc lumine perfusa Verbum genuit: *Dubium non est,* inquit Hugo Victor., *quia caelestium gaudiorum, et aeternae dulcedinis miram atque inenarrabilem suavitatem Virgo ipsa conceperit, quando illud aeternum Lumen cum toto maiestatis suae fulgore in eam descendit.* In momento igitur generationis seu incarnationis Verbi, et prius tanquam sol in mentem Virgineam illabitur, ut illam gloriae iubare collustret, postmodum ipsius ventrem ingreditur, adeoque eodem instanti Deum videt, Deumque concipit. Insigniter in rem praesentem fatur Bernardus, serm. super *Signum magnum: Ipse enim Sol iustitiae de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiosissime transfudit.* Merito ergo caelestis Sponsus Mariam cum civitate sancta Hierusalem componit: *Pulcra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem.* In quae verba ait Rupertus, lib. 6 in Cant.: *In quo suavis et decora sicut Hierusalem? In eo videlicet, quod et anima tua supernam videt pacem, et ex visitatione tui, discunt animae plurimae coelestem ducere conversationem.* Honorius item ad gustum nostrum praefata verba versat: *Sicut Hierusalem,* inquit, *id est sicut coelestes Angeli, qui vident faciem Patris, et fruuntur pace Domini.* De hac pulcritudine Mariana ac suavitate beatitudinem redolente capienda verba Gersonis, tract. 3 super *Magnificat*: *Intellectualem,* ait, *pulcritudinem praecessit, et inchoavit illa pulcritudo mentis, quam habuit in via ter beata nostra Domina, dum contemplationi dedita fuit assidue,* etc. *Erat tunc spiritus Mariae, licet in corpore, quasi nihil de corpore portaret: hinc defecisse, hinc extra se fuisse, hinc in atriis domus Domini, hinc in extremis maris habitasse.* Quod autem haec mentis pulcritudo beatitudinis iubare adspersa, in Filii Incarnatione, praecipue emicuerit in Maria, perspicuis verbis tradit Augustinus, tract. 24, qui reperitur tom. 9 suorum operum: *Ad hanc,* ait, *contemplationis lucem Mariae mens elevata fuerat, quae caelestis patriae dulcedinem in verbis expressit, quam ineffabiliter comprehendit. Nam cum se magnificare Dominum perhibuit, reddendam universis aeterni muneris maiestatem interna visione contueri se manifeste declaravit: cum vero se in suo exultare Salutari asseruit, gustum se internae dulcedinis percepisse ostendit.*

1800. Vestigabis, an haec cognitio beatifica, ex qua Verbum B. Virgo concepit, fuerit comprehensiva; ita ut sicut B. Virgo utero comprehendit Verbum in Incarnatione, ita etiam illudmet Verbum cognitione comprehenderit. In qua re statuo cum communi Theologorum sententia, nullam puram creaturam, idemque pronuntio de Virgine Maria, potuisse, inquam, Deum cognitione comprehendere quantumlibet virtute divina elevatam; rationes a Schola depromes. Signate de Maria id docet Rupertus, lib. 6 in Cant.: *Averte oculos tuos, averte, inquam, ita ut prudens sit contemplatio, sciendo quod sim incomprehensibilis ego dilectus tuus, ex eo quod sum Deus, cuius substantiam vel naturam, quanto quis contemplatur subtilius, tanto ad comprehendendum insufficiens invenitur.* Avolare dicitur Sponsus ad conspectum B. Virginis Deum videntis, ne cum ad incircumscriptum Dei lumen accedit, totum eius splendorem ebibere aut comprehendere videretur. Verum igitur est, ab intellectu Virgineo Deum cognitione comprehensiva attingi non posse; utero tamen totum Deum comprehendit, et clausit, dum Verbum divinum generavit: in quo Incarnatio Verbi ex Maria per analogiam quandam et similitudinem, generationem Verbi ex Deo Patre per cognitionem comprehensivam aemulata fuit. Pater sede-

nim aeternus ex cognitione adaequata, et comprehensiva Deitatis, Verbum generat; Virgo autem beata per comprehensionem totius Dei in utero contenti, ipsum Verbum gignit; et quemadmodum Pater inde beatus existit, quia comprehensor totius Deitatis, sic Virgineus venter inde beatus, quia comprehendit Deum. Unde opportune mulier de turba exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit.* Grande profecto uteri Virginei elogium, miraque laus, cum nulla nec seraphica mens Deum unquam comprehendere potuit, nec Deitatis vastum pelagus cognitione dimetiri; et tamen uterus Marianus Deum circumscripsit, et sinu suo comprehendit: ideo Ieremias tanquam rem novam et inauditam admiratus, et in stuporem actus illud protulit, cap. 31: *Novum faciet Dominus super terram, Foemina circumdabit virum.* Libeat nunc cum Petro Damiano in verba illa prorumpere, serm. 1 de Annunciat.: *Sensit Deum suis illapsum visceribus, maiestatemque illius Virginalis ventris brevitate conclusam, o venter diffusior coelis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia continentem!* Et cum Epiphanio: *O uterum coelo ampliorem! qui Deum in te coarctasti.* Quasi Filii magnitudo cum capacitate uteri Materni conferatur; ut hinc admiremur in immensum protensam Mariae capacitatem, quae Filii Dei immensitatem sinu contineat suo. Bene Christus dicitur ab Hesychio, hom. 2 de Deipara: *Flos, gemma, sol: huius gemmae capsula Maria; huius Floris paradisus; huius solis coelum: at capsula grandior est gemma, quam continet; coelum capacius sole, quem vehit; spatiosior paradisus flore, quem producit.*

1801. Si vero opponas, opus non esse hoc privilegium uteri Virginei, tamque speciale, quod scilicet Deum-hominem comprehenderit, tot praeconiis evehere, et insolitis Patrum acclamationibus efferre; siquidem nulla specialis praerogativa de Virgineo utero decantatur, quae non valeat praesepio adaptari, cum totum infantem sinu suo continuerit, imo et fasciae puerum cingenti, tum et ipsi aeri Christum ambienti: respondeo, uterum Virgineum ex eo speciali hoc privilegio donari apud Patres, quia Deum-hominem loco aptum effecit, dum illum humanitate amicivit; unde Virgineus uterus principatum obtinuit in circumscribendo Deo in loco; e cuius Mariana schola reliquae creaturae Deum-hominem comprehendere didicerunt. Verum, quo pacto vix palmare uteri spatium in Maria, protensa coelorum spatia sua amplitudine superare potuit? Respondebit quispiam, quia tametsi ventris capacitas angusta foret, immensitas tamen gratiae Marianae in immensum spatia dilatavit. Ita Damascenus, orat. de dormit. Virg.: *Non enim*, ait, *corporeae molis ratione coelum amplitudine superavit, verum per gratiam potius magnitudinis omnis et latitudinis modum superavit.* Haec tamen ratio haud nostro instituto conducit, cum gratia non corpus sed animum afficiat, ac proinde venter, per gratiam quantumvis immensam, nunquam angustam palmi latitudinem supergreditur; nec enim coarctatum corporis spatium spiritus amplitudine excrescit, cum tamen Patres id unum contendant B. Virginis uterum ex comprehensione Dei-hominis in ipso contenti, latissima coelorum spatia superavisse. Do unum Guarricum abbatem: *O uterum, qui coelum es septem circulis constans, et capacior illis existis! o uterum septem coelis sublimiorem atque latiorem! o uterum, qui es octavum coelum, septem firmamentis celsiorem!*

Nisi forsan dixeris, Marianum uterum ex consortio, et attactu Dei-hominis per specialissimum privilegium, in functiones et proprietates spiritus transiisse; ita ut ultra suam sphaeram virtus Virginei uteri porrecta, spiritus dotes ebiberit, et Spiritus sancti rore foecundata in immensum excreverit, et Deum immensum gremio suo continuerit: itaque caro Virginea in ea quae propria sunt spiritus, protracta, supra sphaeram suam vires exeruit, quia non solum Verbum divinum sinu suo comprehendit, sed etiam indutum humanitate alvo concepit: Verbum itaque infinitam Patris intellectionem terminans, est pariter terminus Mariae, hoc autem discrimine, quod Verbum est terminus cognitionis Patris, quae spiritus purissimus est; et idem Verbum est terminus uteri Virginei, qui corpus est et caro: et Verbum illud, quod intellectio Patris comprehendit, uterus palmaris Mariae pariter comprehendit.

Quis inde non auguretur gratiae Marianae immensitatem omnes mortalium terminos facile superantem? *Immensa*, inquit D. Bonaventura in speculo B. Mariae Virg., lect. 5, *fuit gratia, qua ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, in quo illum, qui maior est coelo, continere potuit. Quis est coelo maior? Certe ille, de quo Salomon ait: Si coelum et coeli coelorum te capere non possunt*, etc. *Non utique domus per Salomonem aedificata, sed domus per illam significata Deum capere potuit. Tu ergo, immensissima Maria, capacior es coelo; quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Ex immensitate Virginei uteri Deum immensum concludentis, argute satis ipsius Virginis gratiae immensitatem elicit hoc pacto. Maria infinitum Deum et incircumscriptum circumscribit, et claudit; ergo aliqua ratione adaequari opus est illi infinitudini: atqui adaequari nequit ulla ratione per immensitatem et infinitudinem carnis, seu corporis, neque alterius rei; ergo per immensitatem et infinitudinem gratiae: in reliquis iustis ex capacitate animae, eiusque latitudine per actus spirituales excrescente, solet gratia dimetiri: in Maria non sic, sed ex amplitudine uteri, ex immensitate ventris Deum valentis concludere, ac circumscribere, gratiae magnitudo mensuranda est. Grande ac singulare carnis seu uteri Virginei privilegium, omnis spiritus sphaeram supergredientis: siquidem nunquam puri

spiritus, tametsi intellectus aciem exacuere contendant, potuerunt intellectione Deitatem circumscribere, vel comprehendere, at Marianus venter, licet caro sit, quoad hanc partem supra omnem spiritum creatum evehitur, cum Deum circumscribat, et sinu suo cohibeat et comprehendat. Quod singulari elegantia attigit Chrysostomus apud Metaphrastem in Annuncia. Mariae: *Quem*, inquit, *omnes Virtutes nequeunt comprehendere, speciali quodam modo nunciatur in puella Virgine conversaturus. Nunquid potest Virginis uterus eum capere, qui comprendi non potest? Vere mysterium magnum et mirandum.* Merito quisque qui ad inauditum hoc portentum animum advertat, in stuporem tantae rei adigetur. Finem imponat Guarricus, serm. 3 de Annunciat.: *Si attendas angustias uteri, locus prorsus angustus est: si latitudinem cordis, thronus grandis est; propter quam etiam uterus tantae Maiestatis capax est.* Ut hinc addiscas, quomodo venter foemineus immensum caperet hospitem; siquidem animi, ac cordis latitudo nullis coarctatur limitibus, nec ullis circumscribitur repagulis, in infinitum protenditur, atque Deum ipsum terminare potest affectu et cognitione, praecipue cum cor Virgineum virtutibus in infinitum fere intensis excultum fuerit, tunc venter in immensum excrescit.

CERTAMEN VII.

Utrum B. Virgo genuerit Dei Verbum ex amore et actu voluntatis.

1802. Decertant Theologi in 1 sent., dist. 6, et in 1 p., q. 41, adversus Arium et Eunomium, qui comminiscebantur, Patrem aeternum ex amore Filium genuisse, non ex cognitione, ut Verbum divinum intra creaturarum censum adnumerarent: voluntatem itaque Patris aeterni Matrem Verbi divini dictitabant, ut ab ipso Verbo divinitatem sacrilego ausu removerent. Hanc etiam vaesanam ac stupidam haeresim pepulit Virgo B., dum summa Dei sapientia et consilio factum fuit, ut Dei Verbum ex voluntate per Matrem nasceretur, nempe ex Maria volente et consentiente; ita tamen ut Deum simul et hominem in unico supposito coniungeret. Pater Verbum generat ex intellectu, non ex voluntate, aut ex libero arbitrio, sed ex ipsa natura et necessitate perfectionis adactus. Aiebat Arius Verbum Dei voluntatis esse Filium; sic Verbum in creaturarum album recensebat. Sed hac stupida haereticorum protervia pulsa, veritas inconcussa stat, Verbum ex intellectu et cognitione Patris progigni, necessitate naturae; bene tamen amore, et voluntate generationem comitante. Licet autem Pater ex amore Filium ut Deum gignere non potuit ab aeterno, B. Virgo illum voluntate et amore progenuit; ita tamen ut semper Deus permaneat, quo mirabili consilio, sapientia Dei stolidam cavillantium stultitiam elusit, cum idem Filius, qui intellectus foetus est, sit etiam Filius voluntatis, et quidem non solum ex voluntate Mariae, quia ex amore et libero consensu illum generavit, sed etiam ex voluntate Patris, quia ex amore illum mundo contulit, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Id sonant verba Ambrosii: *Iesu, lignum vitae plantatum in utero Virgineo, voluntate Patris.* Et Paulus alibi productus: *Qui transtulit nos in potestatem Filii dilectionis suae.* Quod autem B. Virgo ex voluntate genuerit Deum-hominem, aperte constat ex verbis illis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* et illis: *Et Verbum caro factum est.* Quasi ex amore et voluntate consentiente Filium conciperet; et confirmari id potest verbis Christi Domini, dum ait: *Quae est mater mea? Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Nusquam, ut opinor, Christus Dominus B. Virginis Matris suae magnitudinem ita extulit, atque hoc loco, ubi bis Matrem Dei esse fatetur, nempe et utero, et voluntate, ut bene expendit Guarricus, serm. 4 de Assump.: *Itaque Mariam, quae secundum carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrem sibi Iesus probat, quandoquidem et ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa praediceret Pater: Vocaberis voluntas mea: igitur ubi eam visus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse invenitur, dum ei scilicet Materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eundem Filium, quem alvo gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.* Itaque qui semel a Patre gignitur, bis a Maria Matre progigni exambit, semel ab utero, iterumque a voluntate: quo sic Verbum divinum gratissimum Maternitatis Marianae nomen ingeminare posset. Similiter Mater Filium suum duplici titulo, et uteri, et voluntatis suae, Gnatum nuncupare posset.

Hinc ille aeterni Patris Filius per intellectum editus, quia etiam per voluntatem Patris ex Matris consensu productus est Deus-homo, compellatur Voluntas Patris ex ore Prophetae: *Vocaberis Voluntas mea.* Et Psalm. 39: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.* Et Psalm. 44: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Ubi cor Patris principium Verbi vocatur; nullus autem ibit inficias, cor amoris esse sedem. Ex quo difficultas suboritur; si enim cor amoris sedes est, cur ex corde Patris Verbum divinum dicitur procedere, siquidem Verbum intellectionis terminus est, non amoris, et ab intellectu oritur, non a voluntate: ideo censerem, duplici ex capite Verbum divinum dici ex corde Patris procedere. Primo, quia cor plerumque animam adsignificat, sedem scilicet intellectus et amoris; cum ergo Pater progignat Filium per intellectum, amore comitante, sibique in Filio complacente Patre, iuxta illud: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ideo ex corde dicitur Pater eructare Filium. Secundo, quia Verbum divinum homo factum, potius ex voluntate et corde Patris procedit, quam ab intellectu: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Deinde Mater ex corde dicitur Filium genuisse,

ut ipsamet Virgo Beata attestatur apud s. Birgittam, Revel. lib. 1: *Cum Filius meus nasceretur ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur, et exiret ex me.* Quod non ita intelligendum est, ut in corde, et non in utero conciperet; sed quia prius concepit Filium Dei in corde quam in ventre, ut sic bis Mater Verbi divini, et corpore, et spiritu merito nuncupari posset, iuxta Augustinum, lib. de sancta Virginit., cap. 6: *Sola ergo Maria et spiritu, et corpore, et Mater et Virgo.* Et Rupertus, lib. 1 de gloria Filii hominis, ait Beatam Virginem concepisse de amore Dei, hoc est de Spiritu sancto, sicut aliae mulieres concipiunt de amore viri: *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, quia scilicet mulier omnis concipiens, de amore viri concipit; tu sola de amore Dei, idest de Spiritu sancto concepisti.* Et s. Bonaventura in speculo, c. 14: *Quis dubitare potest omnino in charitatis affectionem transiisse viscera Mariae, in quibus ipsa, quae Deus est, charitas novem mensibus corporaliter requievit?* Ubi Deum erat conceptura, totam se protinus in affectum Dei commutavit: quae dilectio tanta fuit, ut explicari nequeat iuxta Guilielmum in Cant. cap. 2: *Cum Virgo Deum corporaliter concepit, tantam in seipsa de calore supervenientis Spiritus sancti flammam pii amoris concepit, quantam capere poterat puri hominis modus.* Tota Virgo in charitatem immigrasse visa est, dum Verbum concepit. Unde Gregorius Nyssenus, homil. 4 in Cant., vertit verba illa Cant. 2, *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam: Si excitetis, et expergisci faciatis charitatem.* Quo respexisse videtur Ecclesiasticus, cap. 24, dum vocat Deiparam, *Matrem pulcrae dilectionis.* Idem enim fuit in Maria, Matrem fieri Christi, ac Matrem dilectionis.

1803. Animadvertas, obsecro, uteri Virginei cum corde Patris miram consensionem; ideo ex corde Patris Verbum divinum vix editum fuit, et protinus in Matris uterum illabitur. *Filius Dei*, inquit Petrus Damianus, serm. 43, *totus et integre eructatus fuit de corde Patris in uterum Mariae.* Quam cordis paterni concordiam cum utero Virgineo praeviderat David, cum pepigit: *Dies diei eructat verbum.* Pater ex corde Verbum eructat, et Virgo Mater utero illud excipit. Suffulciat hunc cogitandi modum Bernardus, serm. de Nativitate Mariae: *Sapientiam in supernis hauriens uberius nobis Maria refundit; in supernis plane, et ultra Angelos, quae Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: Dies diei eructat Verbum. Utique dies Pater, siquidem dies ex die salutare Dei. Annon etiam Virgo dies, et praeclara?* Nulla splendore similior diei Patris aeterni, quam Virgo Mater, quae tanto splendore coruscat, nempe Filio, sicut ipse Pater. Loquitur Pater, audit Virgo Mater. Verbum egerit ex corde Pater, illudque utero excipit Virgo Mater. Pater loquitur Verbum per intellectum, Mater alvo concipit idem Verbum per voluntatis consensum. Nonne vides similitudinem inter intellectum Patris et uterum Matris? Siquidem allocutio semper inter similes reperiri solet; nec enim ad locutionem sat est, ut verbum ab intellectu procedat, sed opus est, ut ab audiente percipiatur. Alloquitur Pater aeternus, cum ex intellectu Verbum eructat, quae allocutio tunc perficitur, et consummatur, cum percipitur, et custoditur a Maria, et in utero illud concipit. Ut et hinc elicias nihil similius cordi et intellectui Patris excogitari posse utero Virgineo, quem exambiens Verbum divinum, ab utero Patris, quem ab aeterno incolit, in uterum Marianum allabitur, tanquam paterno utero simillimum; *Dies*, ait Bernardus (serm. 5 *de Parvis*) *diei eructat Verbum, Deitas virginitati, de utero Paternae maiestatis, in utero Maternae integritatis.* Quasi uteri paterni vices gerat integritas uteri Materni, et quasi uteri Virginei integritate ac splendore allectus Pater, sibi uteri nomen usurpet; iuxta illud Davidis: *Ex utero ante Luciferum genui te.*

1804. Premenda adhuc sunt Davidis verba: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Et Augustinus ait Mariam genuisse ex corde Verbum: *Felicius corde, quam carne gestavit*, lib. de sancta Virginit.; imo ut opinor, B. Virgo cor idem cum Patre nanciscitur, a quo vel mutuavit, vel abstulit. Forsan id innuunt verba illa Cant. 4: *Vulnerasti cor meum.* Alii ex Hebraeo: *Excordasti, sive cor abstulisti.* Vulneravit utique Maria cor Patris aeterni, ubi Verbum divinum ab aeterno latebat, sibique Verbum avulsit: sed quia idem cum corde Patris illud avellere non potuit, quin totum Patris cor simul avelleret; ac proinde tametsi Verbum utero suo concepit, dicenda tamen est ex corde Patris concepisse. Exhibeo huius cogitationis auctorem s. Bernardinum Senensem, to. 1, serm. 61, art. 1, c. 4, ita fatum: *Una*, inquit, *mulier hebraea fecit invasionem in domum Regis aeterni, una puella, nescio quibus blanditiis, nescio quibus cautelis, seduxit, ac cepit, et ut ita dicam, vulneravit, et rapuit divinum cor, et divinam Sapientiam circumvenit. Propterea conqueritur Dominus de B. Virgine, Cant. 4: Vulnerasti cor meum, ubi Glossa: Pro amore tuo, ait, carnem assumpsi.* Cuius vestigia premens Albertus Magn. in Mariali, cap. 194: *Intima*, inquit, *viscera misericordiae Patris intravit, et Filium unicum et unigenitum de corde extraxit.* Quod avellitur et extrahitur, aliquid, ex quo avellitur, extrahi necessum est, inquit gravi verborum pondere Tertullianus, lib. de carne Christi, cap. 20: *Extraxisti me ab utero, ait David, etiam cum quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur, et convisceratur cum eo, ut, cum avellitur, rapiat secum ex corpore aliquid a quo avellitur.* Cum autem Pater et Filius idem sint in una essentia, eo ipso quod Filium sibi ex corde Patris avulserit, cor etiam, quocum convisceratus erat, attraxit, teste Zacharia in suo cantico, Luc. 1: *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Si viscera sunt Dei Patris, cur ait: *In quibus visitavit nos?* Utique quia B. Virgo avulserat Dei Verbum ex visceribus Patris, quibuscum idem erat identitate naturae; non potuit autem avellere Filium, quin viscera, et cor Pa-

tris extraheret; ideoque B. Virgo cum utero genuit Filium, quasi in visceribus Patris genuisse dicitur a Zacharia: *In quibus visitavit nos oriens ex alto.* An in visceribus Patris, an vero B. Virginis? Relativum illud *quibus*, ad Patrem solum refertur, sed Deus visitavit nos in visceribus Matris: quia ergo Maria cum Verbum avulsit a Patre, simul viscera Patris, quibuscum erat idem Verbum, avulsit; idcirco dicitur *in visceribus Patris*, utique nos invisisse, ac respexisse. Huc faciunt quae supra dedimus, Patrem scilicet uterum ambiisse Marianum, ibique etiam Verbum progignere. Nec insolitum alicui videri debet, quod raptum Filii a Patre Mariae tribuamus: hoc enim loquendi modo utitur s. Bernardinus supra: addo nunc Franconium abbatem, de gratia novi Testamenti, tract. 6, apud Bibliothecam veterum Patrum, t. 12: *Ubinam terrarum tam speciosa Virgo inveniri posset, quae Regem coelorum oculis caperet, quae Filium Dei de sinu Patris alliceret, et in amplexus suos vinculis charitatis, pia violentia captivum traheret?*

Aliqui hic in medium proferunt virtutum inter se congressionem de primatu circa concursum generationis Christi in utero Mariae. Ambit hunc primatum animi demissio, sacra tumens nunc arrogantia pro se patronum deferens Bernardum, hoc inscripto lemmate in scutulo: *Virginitate placuit, humilitate concepit.* Acriter pro se decertat, obarmata verbis illis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, et illis aliis: *Et Verbum caro factum est.* Ergo ultima dispositio ad Incarnationem, adeoque immediate ad ipsam concurrens extitit animi demissio in Maria. Adest spes, quae in verbo *Fiat*, optantis affectum praesefert. Fides etiam non segniter manus conserit, ex verbis Elisabethae robur assumens: *Beata quae credidisti*, etc. Sed hoc tantum opus, tamque mirabile portentum soli debebatur amori, qui prolem adnectit generanti, communionemque eiusdem substantiae efficit inter utrumque: quippe de purissimis sanguinibus ipsiusmet Virginis Beatae: et forsan, ut volunt aliqui, e corde amoris sede decisis, portiunculam quandam in foetus conceptionem transtulit. Hanc victoriam amori defert Dionysius Carthus. in c. 1 Luc.: *Virgo*, inquit, *sacra per charitatem, eiusque ardentissimum actum, fuit summe et immediate disposita ad Unigeniti Filii Dei conceptionem: nam charitas praestantissima ac divinissima, Deoque placentissima virtus est, coniunctionem, transformationem, et insolubilem colligationem efficiens.* Quod expeditius dixerat prius Ildephonsus ser. 1 de Nativit. Virg.: *Non expavescas partum, Virgo, nec metuas; tantum ama et peperisti.* Quasi amor foret ultima ac proxima dispositio, cui certo sponderetur Christi generatio. Subscribit pro eodem amore Guilmundus Archiepiscopus in confess. de Trinit.: *Hinc est*, ait, *quod de Spiritu sancto conceptus dicitur, quia Spiritus sanctus charitas est, quae totum hoc mysterium operata est.* Amor utique quasi princeps generationis causa, ac proinde inter reliquas virtutes victor ovat.

PALAESTRA TRICESIMASECUNDA

Pluris esse apud Deum unam Deiparam, quam reliqui sunt Angeli et homines simul sumpti.

CERTAMEN PRIMUM

An, reliquis hominibus de medio sublatis, propter solam Deiparam Christus carnem assumeret.

1805. Non erit inamoena quaestio haec B. Virginis addictis. Disquiro ergo primum, an Deus sic fuerit erga B. Virginem affectus, ut decreverit humanitate vestiri, ut Mariam ad dignitatem Maternitatis Dei eveheret. Chrysostomus et Hugo Charensis ex illo Matth. 2, ad illa verba: *Accipe puerum, et Matrem eius*, negare videntur, dum asserunt: *Non enim propter Matrem Filius natus est.* Et communis Theologorum sensus est, B. Virginem praeelectam fuisse, ut ex ea Verbum divinum carnem assumeret, non e contra, Verbum divinum carnem assumpsisse, ut Mariam Dei Matrem efficeret. Alii, ut Scotus, eiusque asseclae, Suarius item cum aliis docent, Deum carnem assumpturum, licet non praevidisset Adami peccatum: hi autem consequenter asserere possunt inter fines minus praecipuos, illum recenseri, nempe ut Maria ed excelsum Maternitatis solium attolleretur. Saltem illud certum est apud s. Ildephonsum in serm. de Nativit. Mariae, nempe Christum Dominum tot, tantaque tormenta sustinuisse in crucem actum (siquidem ad hominum redemptionem quaelibet Christi actio, aut passio, utpote valoris infiniti sufficeret), *ut Mariam*, inquit Ildephonsus, *veram Matrem ostenderet, verum se hominem, patiendo tormenta, monstravit.* Quasi Christus permagni duceret Maternitatem Dei in B. Virgine demonstrare, licet in hunc finem consequendum tot, tantosque cruciatus subiret; ac proinde non solum ob copiosam hominum redemptionem, sed etiam ut in Maria Maternitatem Dei ostenderet, tot acerbissimos cruciatus toleravit.

Quaestionem hanc tetigit Salazarius, de Concept. cap. 24, § 14, et quidem favet parti affirmanti: nec desunt aliquae congruentiae piae huic suspicioni firmandae. Prima est, quia iuxta

Ildephonsum sola Deipara digna potuit esse causa carnis assumendae in Christo, ait enim lib. de Virgin. Mariae, c. 12: *Procido ante te solum opus Incarnationis Dei.* Quasi existimet, Apostolorum, martyrum, ac reliquorum electorum salutem, ac redemptionem prae Mariae redemptione non magnae molis esse opus. Solam Mariam dignissimum Incarnationis opus, in quo perpoliendo infinitum sanguinis Christi pretium digne insumptum est. Deinde non dedecuit Christum, nec ipsi inglorium fuit, mortem oppetere, ut homines a peccato redimeret: ergo nec inglorium fuisset Christo, imo maxime honorificum, non solum Virginem Matrem ita praeservare, ut nec originali, nec actuali peccato succumberet, sed etiam eam ingenti gratiarum ac donorum cumulo exornare. Ad haec, maior gratiae portio fuit uni Mariae collata ob Christi merita, quam omnibus et Angelis, et hominibus collectim sumptis, ut ostendimus; ergo digne impensum fuisset totius Incarnationis opus, et Christi Domini passio, si unius Mariae sibi comparandae ac redimendae causa, totum illud opus Christus peregisset. Addiderim, cum sola Deipara maiorem gratiae cumulum, quam reliqui omnes praedestinati simul accepti, ob Christi merita obtinuerit, non esse ita certum, utrum sublata e medio Maria, solum propter reliquos homines salvandos, Verbum divinum homo fieret: non enim praedestinati omnes ita sufficientem materiam Incarnationis subministrarent, ac sola B. Virgo; nec ita adaequarent, ac complerent Incarnationis motivum omnes collective accepti, nec ita allicerent Verbum divinum, ut carnem assumeret, et reliqua passionis opera perficeret, ac solius B. Virginis pulcritudo ac sanctitas. In hunc sensum advoco s. Bernardinum, tom. 4, serm. 8, de 7 flamm. amoris Dei, ubi ait: *B. Virgo exultavit in Deo salutari suo. Quasi dicat, singularis Salvator meus; quia aliqui Doctores speculantes dicunt, quod Deus assumpsit carnem potius propter salvationem Virginis singularem, quam propter omnes alias creaturas.* Unde verissimum reor, Virginem Mariam digniorem exstitisse causam, ac nobilius motivum, ut propter illam Deus homo fieret, potius quam propter omnes simul homines et Angelos.

1806. Disquiro secundo, an si Verbum divinum non assumeret naturam humanam, tunc Maria Virgo existeret in rerum natura. In qua re arbitror cum pluribus, B. Virginem neutiquam exstituram, nec e possibilium statu egressuram, si Filius Dei non nasceretur ab ipsa factus homo. Vide hanc thesim fuse confirmatam apud Salazarium, de Concept. c. 19, et deinceps: ita etiam plures Patres, s. Ephraemus serm. de Transfigur. Christi: *Si non erat Deus caro, quorsum Maria in medium producta?* Idiota in Contemplat. Deiparae, cap. 2: *Ad hoc solum est effecta, ut templum esset Dei Altissimi.* Et Concilium Basileense session. 36: *Ipsam fabricavit Filius Dei Patris, ut esset Mater eius in terris.* Existentia ergo Mariae, praedefinitioque ipsius tota in hunc finem collimavit, ut Mater esset Verbi divini. In quo etiam Patrem aeternum repraesentat, qui totus, et concipitur in ordine ad Filium, nec est posterius Pater, quam persona, cum per generationem constituatur in esse Patris, et per Paternitatem est, et dicitur Persona. Ita Theologi cum Nazianzeno in laudem Heronis, orat. 23: *In totum, et totius Pater est, et a principio, nec enim posterius Pater esse coepit.* Eadem ratione tota Maria est, et concipitur in Filium; decreta est ab aeterno, ut Mater Dei esset, alioquin minime futuritionem nancisceretur. Ita Fulbertus Carnotensis in ortu Virginis: *Cuius partus, ut censemus, ad nihil exstitit, nisi ut fieret eius sancta pudicitia domus, et susceptio Filii Altissimi; ad quid enim aliud?* Ideo Damascenus, orat. 2 de Nativit. B. Virg., vocat Virginis Mariae conceptionem, genitale votum, et quasi promissionem, seu obligationem Dei adventus in mundum: *Annae*, inquit, *veluti epitalamium carmen paullisper modulemur, nunc quidem Filiam divinitus datam, ac promissionis pignus utero gerenti; nunc autem post diuturnam sterilitatem genitale votum clarissimi, atque omnis mentis cogitatione praestantioris Dei ad homines adventus emittenti.* Quasi conceptio Mariana stabilis esset syngrapha, et authenticum instrumentum, pignusque futuri adventus Verbi divini. Hinc elicies certissimum vinculum inter Verbum Dei, et Virginem Matrem, cum haec sit votum et promissio ipsius Verbi in utero Virgineo concipiendi; votum autem nec est, nec concipi potest sine materia promissa, cuius est votum: sic non est, nec concipi potest Maria futura sine Filio Dei in carne venturo. Per quae nova lux advenit verbis Chrysologi: *Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat, et suspendat affectum, neque auferat a Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cum fieret.* Luculentiora sunt verba s. Damasceni, orat. 1 de Nativit. Virg.: *Vitam natura praestantiorem habebis, non tibi ipsi, neque enim tui ipsius causa progenita es, quocirca Deum habebis, ob quem in vitam prodiisti.* Tota igitur Maria est imago Dei, in Verbi Dei usus destinata, in Maternitatis Dei munus ab aeterno sigillata. Ideo Theodoretus, Dialog. 1, vocat supervacaneam B. Virginem, quae Deo incarnato, nihil nostrae naturae attulit. Et e contra, si Verbum divinum homo non fieret, etiam supervacanea esset B. Virginis existentia, quia tota fuit Verbi divini puerperio addicta: quare qui blasphemo ore a Christo Divinitatem tollit, eodem ictu Mariam e medio tollet: tantus est nexus inter Mariam et Verbum divinum hominem factum, tanta coniunctio et habitudo, his decretis sic stantibus, ut, nisi Filius Dei esset Christus, tota Maria evanesceret. Arcta profecto Deo habitudine coniuncta est Maria, fortissimo necessitudinis vinculo adstricta, quae solum Deo gignendo, in aeterna praedefinitione praefinita fuit, nec reliquarum creaturarum vulgo associata fuit, nec censum posterorum Adae subiit, a turba filiorum Adae longe semota, soli Deo formata, Verbo divino

delecta, et ob ipsum, et ad ipsum; quod sub sponsae nomine semel, et iterum ipsa B. Virgo sacro ausu dictitavit, Cant. c. 2: *Dilectus meus mihi, et ego illi;* et cap. 7, vers. 10: *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius.*

Ratione probari potest eadem thesis, quia Virgo B. fuit quoad animam et corpus omnium creatarum rerum absolutissima ac perfectissima, qualem Deus de potentia ordinaria non produxisset; cuius perfectiones admetiendae sunt in ordine ad Christum: quippe similitudinem omnimodam, partiumque proportionem Christus Dominus cum Virgine Matre praeseferret; ergo non existente Christo, non existeret Maria, cum in ordine ad Filium ipsi collata sit omnis pulcritudo, gratia, ac perfectio, sive naturalis, sive supernaturalis. Si dixeris, si Verbum divinum non assumeret humanam naturam, adhuc futuram Mariam in rerum natura, non tamen tot privilegiis, et perfectionibus exornatam; contra, quia tale corpus in individuo, ordinem et habitudinem essentialem dicebat ad talem in individuo animum, et e contra: praeterea talis in individuo animus, talibus proprietatibus, intellectu, voluntate, ac reliquis potentiis exornari postulabat.

1807. Ex dictis recte colliges, plus uni Mariae Virgini Incarnationem profuisse, quam utrique creaturae angelicae, et humanae simul sumptae; plus enim gratiae, ac reliquorum donorum supernaturalium attulit Christi Incarnatio, et Redemptio uni Mariae, quam utrique naturae, angelicae scilicet, et humanae, et utriusque individuis simul sumptis; ac proinde propter unam Mariam, omnia Christi merita, vitam, labores, mortem ipsam optime insumptam, et obitam. Huius thesis auctorem exhibeo s. Ambrosium in illa verba Cant. 6: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Septuaginta transferunt: *Averte oculos a me, quia elevas me, videndo te.* In quae verba Ambrosius: *Possumus,* ait, *sic accipere; et si tu perfecta es, aliae mihi adhuc redimendae sunt animae, aliae fulciendae; elevas enim me videndo, Ego autem ideo descendi, ut omnes elevem.* Et non multo post ipse se explicat amplius: *Vult,* ait, *illam avertere oculos, ne eam considerans, quod iam ad superiora sequi possit, elevetur, ac caeteras animas derelinquat.* Ubi Ambrosius vult sacrum Scriptorem per verba sponsi respicere illud Actorum, cap. 1: *Et videntibus illis, elevatus est.* Mariam ergo alloquens Ambrosius sub Christi persona ait: *Usque adeo es numeris omnibus absolutissima, sponsa mihi dilectissima, ut propter te unum libentissimo animo carnem induerem, labores subirem, mortem perferrem, in crucem actus, atque haec omnia deliciarum loco haberem. Velim tamen consideres alta mente, Patrem, alias animas meo sanguine redimendas statuisse; at te unam contemplans, tantum perfectionum cumulum, tantam gratiae ac reliquorum coelestium donorum abyssum intueor, ut tu sola sis mihi pro omnibus, teque sola dives, parum absit, ut reliquas omnes pro derelictis habeam, coelumque repetam; ac proinde oculos averte, ne in te oculos coniiciens, reliquos omnes deseram, in coelumque elever.* Quasi reliquis hominibus e medio sublatis, una Maria Virgine contentus, amplissimam, uberemque Redemptionis segetem percepisse arbitraretur: demta vero Maria, totum hominum genus, curtam valde, ac exiguam laborum suorum portiunculam iudicaret.

Sciebat ergo B. Virgo eo specialius pro se Christum passum, quo maiora sibi contulit privilegia: unde melius, quam Paulus ex vehementiori animi gratitudine et insignioribus longe beneficiis affecta, potuit confidentius asserere, quasi totam sibi crucem, ac redemptionem adsciscere: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me,* ad Galat. 2. In quae verba scite Dionysius Carthus. subdit ad cap. 4 Cant., num. 9, art. 15: *Quanto quis ad maiorem beatitudinem est electus, tanto amplius videtur Christus pro eo passus; cum itaque ad excellentissimam felicitatem, et gloriam dignissima Virgo electa sit ab aeterno, nonne pro ipsa, pro eius amore, pro eius salute specialissime crucifixus est Filius eius, et illa verissime dicere potuit illud Apostoli: In fide vivo?....* Quasi tota Christi passio iam ab aeterno uni Mariae Virgini exornandae destinaretur. Huc advocarem D. Bernardum in serm. de Aquaeductu: *Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam.* Huc etiam spectant verba s. Ildephonsi, lib. de Virginit. Mariae, cap. 12: *Procido ante te solum opus Incarnationis Dei.* Mariae redemptio ita fuit opus perfectum, omnibusque numeris absolutum, ut merito Christo aptare possemus: Domine, hoc opus, hic labor est, et quidem opus Dextrae Dei: *Fecit potentiam in brachio suo;* quasi omnes exereret vires Dei Omnipotentia in hoc opere Mariano perficiendo, ita ut Apostolorum, Martyrum, ac reliquorum iustorum salus nullum facessiverint negotium, utpote res levioris momenti, comparatione tantae rei: vel sola Virgo B. dicitur opus Incarnationis, quia sola prima Deiparae formatio cecidit sub Christi meritum, ut ostendimus suo loco. Itaque Maria sola facta, alii refecti, Maria novum opus denuo factum; alios tanquam ruinosa aedificia reficienda assumpsit Christus. De qua re videndus Suarius, t. 2 in 3 p., disp. 18, sect. 4, § *Secunda ratio*; Salazar de Concept. cap. 32, num. 203; Sherlogus, tom. 3 in Cant., fol. 319; Barradas tom. 1 Concord. in Evang. lib. 6, cap. 3, § *Quarta gemma.*

CERTAMEN II.

Utrum, Adamo non peccante, existeret Maria.

1808. In primis censeo Adamo non peccante, ex vi praesentis decreti, non exstituram Mariam; siquidem motivum primi decreti terminati ad substantiam Incarnationis, includit remedium peccati, vel connexionem cum illo: ergo sublato peccato, non venisset Christus pro-

pter eius remedium; ergo neque B. Virgo, quae solum ut Mater esset Christi, praedestinata fuit, ut vidimus superiori Certamine. Deinde sacra Volumina passim hoc motivum inculcant, et sancti Patres, quos dabunt Vasquius de Incarnat. disput. 10, a cap. 4; Suarius ibid. disputat. 5, sect. 5. Hic ego unum, aut alterum producam, Irenaeum lib. 5 adversus haereses, cap. 14, ubi ait: *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Et s. Augustinus in Psalm. 36, Conci. 2: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Gregorius Magnus in lib. IV Reg., cap. 1: *Si Adam non peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.* Alii denegant omnem aliam causam Incarnationis. S. Gregorius Nazianz. orat. 4 de Theologia, quae est 36, asserit: *Quae autem humanitatis propter nos suscepta a Deo causa exstitit? Profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri potest?* Ambrosius, lib. de Incarnationis Dominicae sacramento, cap. 6: *Quae erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, redimeretur?* Augustinus, serm. 9 de verbis Apostoli: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Qui sancti Patres aperte exprimunt Christum Dominum saltem in carne passibili non venturum, deficiente peccato; ergo ex vi praesentis decreti Maria non existeret, Adamo non peccante. Nisi dixeris ex vi alterius decreti conditionati, quod etiam actu exstitit in Deo, videlicet Adamo non peccante Verbum divinum carnem assumpturum ex Maria, propter excellentiam mysterii, non tamen passibilem.

Adamo igitur non peccante, neque Christus fuisset in rerum natura. Christo autem non existente, neque futura esset Maria; si enim ante Christi futuritionem decerneretur, ergo conciperetur futura sine dignitate Maternitatis Dei; ergo iam independenter a Christo, aliis destinata functionibus, a Deo praeeligeretur ex vi alicuius prioris et efficacis decreti: oppositum autem Christo Domino gloriosius, B. Virgini honorificentius, et dignius, quod nempe Maria solum ut esset Mater Dei, destinaretur, Christique obsequiis addiceretur, nec aliis functionibus inserviret. Quod confirmari posset ex cap. 8 Cant.: *Sub arbore malo suscitavi te.* Haec malus, crux est iuxta plures: suscitare autem, iuxta phrasim Scripturae, sonat *producere*, vel *condere;* de quo Pintus Ramirez de Concept. Authologia 2, § 1, num. 67: dicitur ergo Virgo Beata sub cruce suscitata, vel producta, quia crucis, nempe passibilis Christi intuitu, existentiam habuit: *Et quid his immoror?* ait Andreas Cretensis, orat. de Cruce: *Si crux non esset, Christus in terra non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio.* Ubi clare hanc thesim sustinet, scilicet Adamo non peccante, non futuram Virginem Mariam. Firmatur communi illo proloquio: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna Filio.* Ideo forsan Epiphanius vocat Mariam *Cruciformem*, quasi crucis intuitu formatam. Quod et Angeli fatentur, Cant. 7: *Statura tua assimilata est palmae*, id est cruci; ut tota cruciformis existeret, quia videlicet nonnisi praeviso Christo passibili, et cruci suffixo pro hominum salute, in lucem edita fuit. Huc referes verba illa Genes. 2: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quae verba in Christum et Mariam flectunt s. Bonaventura, Rupertus, et alii, vel ut quidam vertunt: *Non est bonum hominem esse solitarium: faciamus*, etc. Hic velim expendas, foeminam non fuisse productam ex primaria Dei intentione, sed ex secundaria; quasi Deus non intenderet foeminam primo, et per se condere, sed arrepta ex viro occasione. Lege Pereiram in praefatum locum. Hinc acute satis Aristoteles foeminam vocat *Animal occasionatum*, id est non primario a natura productum, sed quasi secundario, et propter virum, vel ex occasione viri, ut scilicet in viri consortium adsciscetur. Quod forsan Paulus intendit, I Corinth. 11: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro: etenim non creatur vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Cum ergo illa verba etiam in Mariam, et Christum referantur, censendum est, Mariam propter Christum factam, ac esse bonum quoddam arreptum ex occasione Christi, sine quo extra causas existere non posset. Non igitur bonum est, hominem esse solum, nempe Christum sine Maria, quia sine illa veluti solitarius esse videretur, quantumvis angelicae cohortes, et homines cuncti Christo adhaererent.

Hanc sententiam expressissime docet s. Augustinus, tract. in Ioan., ubi ita alloquitur Virginem Mariam: *O Maria, multum gaudeo, multum audeo, multumque gaudium, multaque audacia mihi est; nos enim tibi, teque nobis mira vicissitudo confoederat, ut scilicet pro nobis habeas id esse quod es, nos vero per te, id esse quod sumus: si enim nulla praecessisset nostra transgressio, non esset secuta nostra redemptio, et si necessarium non esset redimi peccatorem, non esset necessarium parere Redemptorem; ut quid enim fieres Mater Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis?* Et s. Anselmus, lib. de excellent. Virg., cap. 1: *Scio illam magis propter peccatores, quam propter iustos esse factam Dei Matrem: dicit enim bonus Filius eius, se non venisse vocare iustos, sed peccatores. Apostolus quoque testatur, quod Christus venerit in hunc mundum peccatores salvos facere. Sic igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meique similes facta est Dei Mater. Quomodo ergo immanitas quaelibet peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile bonum sit factum ex ea, ob curationem eorum?*

1809. Verum aliqui cum Suario, t. 2 in 3 p., disputat. 1, sect. 3, contendunt, Adamo non peccante, adhuc Mariam Virginem futuram Matrem Dei, si solum habeatur ratio primae electionis B. Virginis; quia B. Virgo per se electa fuit, et ex vi suae primae electionis iam futura erat in rerum natura, quantumvis Adamus non peccasset, sicut etiam iam futuri erant reliqui

Adae posteri, ipsorumque generationes. Et ratio optima illa est, quia prima illa electio Mariae, eiusque motivum, non secum defert aliquid, quod necessario pendeat a peccato. Quod ut melius perspiciatur, animadvertendum est iuxta doctrinam ipsiusmet Suarii cit. B. Virginem ante praevisionem originariae culpae ad gloriam et Maternitatem fuisse electam. Ita Suarius cum Galatino lib. 3, cap. 1, et aliis: imo probabilius censet idem auctor, praedestinatorum electionem ad gratiam et gloriam, praecessisse omnis peccati originalis praevisionem; ergo potiori iure idem de B. Virgine dicendum est: si enim aliqua ratio ordinis, sive prioritatis in hominum electione consideranda est, potius electio B. Virginis praeferenda est, utpote quia altior, et longe sublimior, et maiorem Dei gloriam respiciens. Quod conceptis verbis s. Bernardinus, ser. 51 de Virgin., cap. 4: *Tu*, ait, *ante omnem creaturam in mente Dei praedestinata fuisti, ut Deum ipsum hominem procreares.* Et quemadmodum in eorundem Doctorum sententia Christus Dominus electus est ante praevisum peccatum originale, ita et eius Mater Maria; non enim electus est utcunque ut homo, sed ut Filius hominis, adeoque ex Virgine Matre. Hunc sensum amant verba illa: *Dominus possedit me in initio viarum suarum. Ab initio, et ante saecula creata sum.* Nunquam enim Mater Maria a Filio disiunctionem passa fuit, adhuc in praefinitionibus divinis.

Huic firmandae sententiae subsunt aliquae rationes: si enim gratia, et gloria Angelorum per se expetita fuit a Deo, et intenta ante praevisum peccatum, quia per se expetibilis erat, nullum dicens ordinem ad peccatum; ergo excellentissima gratia, et gloria, et dignitas Maternitatis Dei multo potiori iure per se a Deo expeteretur, et intenderetur. Deinde dignitas Maternitatis Dei est valde singularis, multo sublimior omni alia creata; ergo per se spectat ad absolutam, et consummatam perfectionem operum Dei, ac proinde per seipsam a Deo intenta. Praeterea hac ratione plus emicat divina gratia erga homines, quia Deus non solum humanam naturam sibi assumpsit factus homo, sed etiam placuit ei, personam creatam humanam, quantum fieri potuit, cohonestare, hanc illi sublimem dignitatem omnium excellentissimam conferendo: cur ergo aliorum hominum generatio per se intenta fuit a Deo, et non meliori iure Christi generatio ex Maria per se sine dependentia a peccato a Deo intenderetur? Demum quemadmodum foemina ex solo viro fabricata fuit, et per se intenta a Deo ante praevisum peccatum; ita etiam generatio viri ex sola muliere, quae longe sublimior erat, per se expeti, et intendi debuit, cum multum conduceret ad perfectionem absolutissimam divinorum operum. Quae ratio nititur auctoritate sanctorum Patrum, Leonis, Damasceni, Cyrilli, Augustini et aliorum, quos adducit Suarius, tom. 1 in 3 p., disp. 3, sect. 1.

Sed ibis obviam; nam sicut de Christo, ita de B. Virgine docent Patres, fuisse praedefinitam Matrem Dei occasione peccati. Unum hic; aut alterum producam. Augustinus in expositione super *Magnificat*, tom. 9, in fine, ait: *Eva propter superbiam abiecta est; Maria vero propter humilitatem est electa.* Et Iustinus martyr, in Dialogo cum Triphone: *Homo natus de Virgine, ut per quam viam fraude serpentis intravit inobedientia, per eandem sequeretur venia.* Verum his et aliis Patrum locutionibus occurrit Suarius asserens eos non explicare primam rationem, neque ordinem huius praedestinationis, sed solum proximum finem, quem Deus intendit in executione. Et licet s. Augustinus, electionis nomine utatur, solum tamen loquitur in ordine ad effectum: itaque si primae illi electioni B. Virginis addatur tota divinae providentiae ratio cum praescientia futuri peccati saltem conditionata, sic certum est necessarium fuisse peccatum, ut B. Virgo esset Mater Dei.

1810. In hoc ergo sentiendi modo, qui probabilissimus est, quem prius secutus est Scotus in 3, disput. 19, quaest. unica, illud obiici potest: si ante praevisionem peccati originarii Christus decretus est, non utique subiiceretur corporis passibilitati, naturaeque iniuriis, quae per primum flagitium in mundum invectae sunt; adeoque non decreta fuisset Mater, quae illum utero conciperet, et muliebria obsequia suppeditaret; non enim assumeret carnem ex Materno utero: si enim Deus humanitatem sibi assumeret absque occasione peccati, utique assumeret corpus gloriosum a principio, et omnino perfectum; facta enim hypothesi, quod prior innocentiae status perduraret, profecto Verbum divinum corpus assumeret impassibile, non utique verbere feriendum, aut sentibus pungendum, aut clavis terebrandum; haec enim omnia propter Adami peccatum subsecuta sunt: huic autem perfectioni absolutissimae corporis Christi Domini repugnabat conceptio in utero Materno: quare non bene ex primatu Christi in aeterna praedefinitione, B. Virginis primatum inter reliquas creaturas aucupaberis. Verum haec non necessario inferuntur ex sententia Suarii hucusque explicata; neque ex prima electione per se Christi et Mariae consequitur, Christum Dominum futurum in statu gloriae quoad corpus: potuisset enim Verbum divinum fieri homo immortalis, non in corpore glorioso, sed in eo statu, quo potirentur homines, Adamo non peccante; potuit enim expedire, Christum Dominum esse viatorem, ut mereretur hominibus, viamque exemplo suo ad beatitudinem demonstraret.

Quod si Verbum divinum fieret homo, Adamo non peccante, corpusque gloriosum assumeret, male inde inferes repugnare Christo, concipi in utero Materno; imo hinc ampla seges in Marianam dignitatem struitur. Itaque licet Christus ante praevisionem culpae decerneretur, et corpore donaretur glorioso, id utique a Virgineo utero haurire posset; non ergo Marianus venter Christum Dominum gloriae dotibus privaret, imo ab alvo Virginea melius, quam a coelo empyreo omnis beatitudinis pompam auspicari posset,

cum alibi ostenderimus, Marianam carnem omnibus corporis gloriosi dotibus praefulsisse. Quod suo calculo firmat Suarius citat., tom. 2 in 3 part., disp. 1, sect. 3, § *Superest tamen.* Ubi asserit non improbabiliter dici posse etiamsi Christus concipiendus esset gloriosus et perfectus, hoc nihil obstare, quominus ex Materno utero progrederetur: praesertim, quia durante illa vita immortali, in qua homines post certum ac definitum ab eo tempus, essent ad beatitudinem transferendi, potuisset facile B. Virgo statim post Filii conceptionem, et animo et corpore simul cum Filio fieri gloriosa. Itaque necessarium non est, ut dicamus, dignitatem Matris Dei per se, aut necessario a peccato pendere. Haec Suarius. Audivimus aliquando Evangelistam asseruisse de Christo: *Resplenduit facies eius sicut sol*; *vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Ubi signate dicitur facies Christi, eiusque vestimenta nitore splenduisse, ne aliquis opinaretur, illud Christi corpus fuisse ex aliqua nube lucida compactum, vel de coelo delapsum, quantumvis circumflua beatitudinis pompa coruscaret; itaque idemmet numero corpus, quod a Maria traxit, gloriae dotibus emicat, ut inde perspiceremus, B. Virginem Filium edidisse, licet passibilem, tamen ad gloriae dotes proclivem. Ad rem Hieronymus, in Matth. 17: *Ubi splendor faciei ostenditur, et candor scribitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria cumulatur.* Idemmet Christus qui ex Maria editur, splendenti hoc decoramento vestitur, quasi a Maria carnem hauserit beatitudinis dotibus pronam, utpote quia illum in splendoribus aeternis coelesti obumbrata virtute conceperit.

CERTAMEN III.

Plus Dei magnitudo per unam Virginem Deiparam dignoscitur, quam per omnes simul creaturas.

1811. Disquirere solent interpretes, cur Christus Dominus passim denominetur a Virgine Matre, *Filius hominis*, sicut olim dicebatur *Deus Abraham, Isaac, et Iacob.* Sic habes, Actor. 7, ubi s. Stephanus inquit: *Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Et Apoc. 1, ait Ioannes se vidisse similem Filio hominis, et Paulus ad Galat. 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Imo Marci 6, a Iudaeis Filius Mariae nuncupatur, tanquam a potiori notione. Et alibi passim Christus fructus ventris Virginei vocitatur. Quaestionem dirimit Augustinus, lib. 2 de consensu Evangelistarum, cap. 1, asserens, idcirco denominari Christum Filium hominis, id est Virginis, tanquam gloriosius stemma omnium honorificentissimum. Amat igitur Christus Filius Mariae nuncupari, quia per hoc nomen, plus in eiusdem cognitionem deveniant homines: nomina enim conducunt valde, ut in rerum cognitionem deveniamus, et quasi manuducunt nos ad cognoscendas rerum essentias, attributa et proprietates.

Statuo ergo plus per unam Virginem Mariam Deum ipsum cognosci, ipsiusque attributa manifestari, quam per reliquas omnes creaturas simul coniunctas. De quibus docet Apostolus ad Rom. 1: *Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Sicut ergo dicitur Deus, *Pater noster qui es in coelis*, quia ibi eius maiestas et magnificentia ostenditur et propalatur, et quia per coelorum pulcritudinem, splendorem ac magnitudinem magis Deus hominibus innotescit: atqui in nulla alia creatura, neque in omnibus in unum congregatis, divina attributa ita emicant, quemadmodum in una Virgine Maria; ergo plus cognoscitur Deus per unam Virginem, quam per omnes simul creaturas. Minor constat, quia dignitate praecellit omnes creaturas, et ratione Maternitatis Dei, habet quandam dignitatem infinitam, et sola ipsa plus in se gratiae sanctificantis continet, quam reliquae omnes creaturae rationales: imo gratiae omnes, dona, privilegia, ac reliquae praerogativae in reliquis creaturis dispersae, in una Maria coacervantur, nobiliori quodam, et eminentiori modo; ergo dicendum est, plus Deum a nobis agnosci per unam Virginem Deiparam, quam per omnes creaturas simul sumptas.

Sic Theologi, tract. de Angelis, adstruunt Deum perfectius cognosci ab Angelo per cognitionem Angeli superioris, quam per propriam sui cognitionem; et per cognitionem plurium aliarum creaturarum, quam per cognitionem sui solius, quia ex perfectiori effectu perfectius in causae cognitionem devenimus, et per cognitionem plurium creaturarum, plures de Deo perfectiones attinguntur: sed opus omnium perfectissimum a Deo conditum fuit B. Virgo; item universas creaturarum omnium perfectiones Deus in una Maria coacervavit: ergo Dei magnitudo, pulcritudo, perfectio, et alia attributa plus ex Deiparae cognitione innotescunt, quam ex cognitione omnium simul creaturarum. Sapienter Origenes, homil. 8 in Luc., docet, eum plus magnificare Deum, qui animam suam, quae Dei imago est, magnam virtutibus facit. *Cum*, inquit, *grandem fecero imaginem, id est animam meam, et magnificavero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cuius imago est, in nostra anima magnificatur: et quo modo crescit Dominus in nostra imagine, sic peccatores si fuerimus, minuitur, ac decrescit.* Si ergo is eo magis Deum magnum facit, quo magis animam suam Dei imaginem virtutibus magnam effecerit; cumque Deipara animam suam singulari Dei ope, excellentioribus virtutibus excoluerit, exornaveritque plus quam omnes Angeli et homines; sic etiam una Deipara plus Deum magnificavit, quam omnes illi simul sumpti; et ex consequenti plus Dei magnitudo innotescit ex cognitione unius Deiparae, quam per omnes alias creaturas. Huic rationi adversari videtur Suarius, de Angelis lib. 2, cap. 20, num. 7, 8 et 13; sed immerito, quia sicut ratio imaginis conducit ad perfectiorem cognitionem, ita perfectior imago conducit ad cognitionem magis perfectam: sed perfectior Angelus est imago expressior et perfectior Dei, quam Angelus in-

ferior ; ergo ex cognitione Angeli superioris , perfectius Deus innotescit. Quare cum Beata Virgo sit imago omnium expressissima et absolutissima Dei, etiam cognita Maria , perfectius Deus innotescit, quam ex reliquis omnibus creaturis.

1812. Idem placitum firmari potest , quia Deus quodammodo in unam Virginem Deiparam effudisse videtur suae sapientiae, omnipotentiae et bonitatis thesauros, quae praecipua sunt attributa Dei ; ergo nihil mirum, quod per eam plus Deus dignoscatur, quam per reliquas creaturas. Idcirco Andreas Cretensis vocat B. Virginem *Dioptram perspectivam*, per quam, quae nimium distant, melius, ac quasi propinquius dignoscuntur: sic per B. Virginem attributa Dei nobis innotescunt. Et D. Bonaventura in speculo B. Virg., c. 7: *Gloria Domini,* inquit, *relucet in Maria plenissime, nam praeter assumptam a Verbo naturam, nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta divinae gloriae materia reluceat, sicut in Maria.* Scitum est illud Chrysologi, serm. 140 : *Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Germanus item Patriarcha Constantin., orat. de zona Virginis: *Omnia,* ait, *in Virgine sunt mirabilia, et naturae vires excedentia, in qua Deus suam exeruit potentiam; fecit enim mihi magna qui potens est.* Audiamus nunc D. Bernardinum, t. 1, ser. 61, art. 6, cap. 4, et tom. 3 , ser. 11 , art. 1 , cap. 2 , sic fantem : *Singularis magnificentia Dei fuit B. Virgo, quia in eius exaltatione plus magnificatur , et etiam in eius humiliatione , devotione , gratiarum actione, et omnium bonorum Dei fruitione , plus magnificat Dominum, quam omnis creatura alia simul sumpta.* Quod confirmat Angelus apud s. Birgittam in revelat. serm. Angel., c. 5, vocans Mariam minorem mundum, *a quo maior gloria Deo, et Angelis maior laetitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior utilitas , quam de hoc maiori mundo provenire debebat.* Huc spectat titulus ille Deiparae attributus ab Andrea Cretensi, ser. 2 de Assumpt., videlicet: *Deipara est declaratio occultorum divinae incomprehensibilitatis.* Quia mysterium a saeculis absconditum, et illa incerta, et occulta divinae sapientiae, quae Angelos quoque latuerunt, exorto de Virgine Christo, ac proinde per Mariam innotuerunt, non hominibus solum, sed etiam Principatibus, et Potestatibus coelestibus, ut docet Apostolus; vel, si mavis, et ad rem nostram , dicitur Deipara, *Declaratio occultorum Dei,* quia quantus sit Deus , quod est hominibus occultissimum , ex nulla pura creatura ita perspicitur, iuxta Chrysologi verba praefata , sicut ex una Maria.

Idcirco dicitur Deus in Maria requiescere : *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Sub umbra Mariana requiescit secure Deus, qui in aliarum creaturarum conditione quiescere non potuit. Unde s. Bonaventura vocat eam , *Placitum Dei umbraculum.* Sicut ergo umbrae appositae in pictura, montes, turres, et alia huiusmodi attollunt , ita ut excelsa appareant ; ita licet Deus sublimis valde sit, et excelsus, eius tamen celsitudo per Mariae umbram altior longe, et excelsior hominibus apparere videtur, ut merito vocetur Maria, Dei Magnificentia, a Richardo de s. Laur., lib. 4 de laudibus Mariae Virginis: *Maria dicitur Magnificentia Dei, quia magnificavit Deum.* Veluti umbra, quae rebus apposita , illas in altum evehit : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri ,* pangebat David Psal. 47. Si Dei opus et factura est orbis universus, et quae coeli ambitu continentur , cur uni civitati adstringitur ? cur unius huius urbis limitibus coarctatur tanta maiestas , nisi quia unius Mariae pulcritudine, et maiestate plus Deus extollitur, quam ex reliquarum creaturarum collectione? Condidit Deus, stabilivitque terram , coelos obfirmavit , ac veluti ex aere fudit, dilatavit maria, ac piscibus foecundavit, aera ex volucribus adornavit, animantia produxit, orbem solidavit, sole, luna ac syderibus illustravit ; nec tamen ex tam illustrium facinorum fabricatione magnus asseritur , solum bonus dignoscitur. *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona ,* Gen. 1. At ex unius Deiparae formatione non solum bonus , sed omnipotens et magnus praedicatur , et laudabilis nimis dignoscitur. Concinne Richardus de s. Laurent., lib. 11 de laudibus Virg.: *Bene civitas Dei, quae tota fuit Dei, quia nihil in ea habuit pars adversa ; item civitas Dei, quae sola digna tanto Rege, tanto inhabitatore; et ideo dicit Psalm. 47 : Magnus Dominus , et laudabilis nimis in civitate Dei nostri.*

1813. Nascituri infantis Iesu laudes concisa panegyri evulgaturus Angelus , Luc. 1 , exordiritur ab illis verbis : *Hic erit magnus* , etc. Sed vox illa *erit,* Bernardi auribus difficultatem ingerit; siquidem iam magnus et excelsus tunc erat , qui Filius Patris aeterni erat : quam igitur magnitudinem a Maria accipere poterat? *Hic* , ait hom. 3 super *Missus est* , Bernardus , *erit magnus , sed quare hic erit , et non potius est magnus, qui semper aequaliter magnus, non habet quo crescat , nec maior post conceptum futurus sit? Utique a Mariae celsitudine Christus magnitudinem auspicatur , hinc verissime intonat ipsa Virgo : Magnificat anima mea Dominum.* Quasi novos auctus , quoad nos excreverit ex utero Virgineo, qui maior esse nequit. S. Stephanus inquiebat : *Ecce video coelos apertos , et Filium hominis stantem* , etc. Cur nunc vocat Filium hominis, nempe Virginis? aptius Filium Dei vocaret, cum illum a dextris Patris concidentem conspiceret : *Considerate attentius* , ait s. Maximus homil. in natali Stephani , *cum B. Martyr Dominum Iesum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidisset, cur se Filium hominis videre testatus est , et non potius Filium Dei , cum utique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potius, quam hominis filium videre dixisset?* Scilicet ea est magnificentia , et celsitudo , quam a Virgine Maria Christus nactus est, ut eius maiestatem prolaturus Stephanus , eiusdemque nobis gloriam propalaturus, quasi Unigeniti a Matre, vi-

disse fateatur, quia ex Maria censetur Christi Domini magnitudo.

Nec solum quantus sit Christus, ex Maria dignoscitur, sed signate Spiritus sancti persona per Mariam nobis innotescit, quae ante B. Virginem penitus hominibus delitescebat. *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, ait Matth. 1, et iterum: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et mox: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Recole totum vetus Testamentum, et ita distincte nunquam Spiritus sancti nomen reperies. Bene quidem dicitur Spiritus Domini, *Spiritus principalis.* At vocatur hic Spiritus sanctus ita signate, quia suam gratiam maxime in Maria ostendit. Ita Rupertus in c. 1 Matth.: *Spiritus sanctus maxime ex hoc facto nominatur: ante haec Spiritus Dei, Spiritus Domini dicebatur; non ita facile in serie veteris Testamenti reperies hoc insigne vocabulum, scilicet Spiritum sanctum: David autem cum ait: Spiritum sanctum tuum ne auferas a me; addidit, tuum: in ordine ad nos nunc primum insonat, nempe in Virgine Maria, quia ex opere, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus.*

CERTAMEN IV.

Utrum Deus plus diligat unam Deiparam, quam universam Ecclesiam, dempta Virgine.

1814. Nonnulli Doctores assectati Episcopum Abulensem, Prolegom. 1 in Matth., q. 19, pro viribus contendunt probare, Christum Dominum plus diligere Ecclesiam, quam Matrem suam. Primo quia Maria Virgo pars fuit quaedam Ecclesiae, et quidem redempta sicut quilibet alius; sed pars non est dignior toto, nec maior illo; ergo, etc. Sed deficit argumentum in eo, quod asserat reliquum corpus Ecclesiae, seclusa Deipara, esse totam Ecclesiam, cum pars huius totius sit B. Virgo, et quidem potissima: solum ergo est pars numero, et multitudine fidelium maior, at aestimatione et valore longe minor una Deipara Virgine. Quid, quod licet B. Virgo sit quaedam pars Ecclesiae, nihil obstat, quominus sit maior et dignior reliquo corpore Ecclesiae; sicut empyreum, cum sit pars totius mundi, at magnitudine, pulcritudine, et aestimatione, reliquas omnes partes sui totius simul sumptas longe antecellit?

Secundo probant, quia Virgini Deiparae collata fuere omnia privilegia propter Ecclesiam, quia ex eo tot gratiarum muneribus condecorata, ut digna existeret Dei Mater: non autem ad tantam dignitatem assumeretur, nisi ut Filius Dei corpus assumeret, ut proprio sanguine Ecclesiam ablueret, ac redimeret, iuxta illud: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna Filio*; sed ut ait commune proloquium: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis;* ergo tota Ecclesia maior est ac dignior una sola Deipara Virgine; ac proinde plus Deus diligit totam Ecclesiam, quam solam Virginem Deiparam. Sed inerme, et inefficax argumentum, siquidem B. Virgo non fuit dilecta propter Ecclesiam, sed propter se, sicut Christus D. non fuit a Deo dilectus propter reliquos homines, sed propter suas perfectiones, alioquin eadem ratione probare posset Abulensis, plus Deum diligere totam Ecclesiam, quam Christum Dominum.

Dicendum ergo est, plus diligi a Deo, et pluris esse Christo unam Virginem Mariam, quam universam Ecclesiam, seclusa Virgine. Haec thesis stabilienda est eisdem rationibus, quibus ostendimus supra, maiori gratia donatam, quam omnes Angelos et homines simul sumptos: huc etiam facit quod ait Henriquez, lib. ult. de fine hominis, cap. 10, n. 7, pia quadam et probabili sententia credi posse, B. Virginem in gratia, et beatitudine essentiali, et accidentali ex parte obiecti, esse Deo magis acceptam, magisque beatam, quam sint reliquae omnes personae creatae collective sumptae, et allegat in prosa pro hac sententia plures Doctores. Deinde ostendimus alibi unam B. Virginem plures, et intensiores actus amoris elicuisse, quam elicuerint omnes Sancti ac fideles: imo, ut ait D. Bernardinus, ser. 15 de fest. Virg., cap. 3, plus fuit intenta a Deo redemptio B. Virginis, quam omnium hominum simul acceptorum, quod primo Certamine huius Palaestrae stabilivimus plurium Patrum auctoritate. Bene ergo ipsa Deipara sibi totum Christum cruci suffixum, ac Redemptorem arrogat, dum ait Cant. 1: *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Cyprus hebraice est *Copher*, et idem sonat, ac *Botrus redemptionis.* Botrus autem idem est ac *Sachal*, et ait Lexicon Complutense, adsignificare, *supponere in modum crucis.* Deipara ergo suum Iesum, ac Redemptorem inter ubera reponit, sicut botrum cruci adhaerentem, clavis terebratum, spinis redimitum; pectori, inquam, appendit in modum crucis, ut suae singularissimae redemptionis signa demonstret, ac pro se una praecipue redimenda confixum ostendat.

1815. Disquirit Bernardus, hom. 3 super *Missus est*, an sit totus Christus Patris Dei, an Matris Virginis, et rem decidit: *Cum Deus sit in omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret; ac si de sua, Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret. Qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, et totus Virginis esset.* Gratulor tibi, oVirgo B., quod totus Christus tuus est; ac si Filium Dei totum sibi peperisset Maria. Illa verba Angeli Luc. 1: *Pariet autem Filium*, ita expendit Chrysostomus, vel Imperfectus, hom. 1: *Non dixit: Pariet tibi Filium, sicut ad Zachariam: Maria quae non ex viro conceperat, non filium Iosepho peperit, sed tibi tantummodo.* Quasi Maria totum sibi Filium vendicaverit, et totius mundi Redemptor uni Mariae totus impenderetur. Sed altius rem meditatus Ildephonsus, lib. de Virgin., cap. 12, sic B. Virginem alloquitur: *Procido coram te sola, opus Incarnationis Dei mei: Illi sicut Redemptori meo; Tibi sicut operi Redemptionis meae: quod enim in*

mea redemptione est operatus, in tuae personae veritate formavit. Profunde Maria, *Incarnationis opus*, seu *Redemptionis* nuncupatur; tum quia ipsa de suo purissimo sanguine solum genuit Christum, vel quia, ut late supra egimus, Maria fuit redemptorum, ac praedestinatorum primipila: tum quia ex Filii meritis plus gratiae, reliquorumque donorum hausit, quam reliqui omnes iusti homines, et Angeli simul sumpti: tum etiam, quia redemptionis fructus per Mariam distribuitur, et hominibus applicatur. De quo bene Bernardus, serm. 3 in Vigil. Nativit.: *Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariae, ut per illam acciperes quidquid haberes: quae per hoc quod Mater est, genuit tibi Deum; per hoc quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua, et totius generis humani.* Et serm. de Aquaeduct. iterum idem inculcat: *Altius intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Quasi de gratia Mariana totam Deus Ecclesiam locupletet: itaque redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam, tanquam redemptionis ductricem, et primiceriam gratiae oeconomam, pretiique redemptionis distributricem. His ergo titulis Ildephonsus supra vocat Mariam Incarnationis, seu Redemptionis opus.

Ita Deus incumbit uni Deiparae, ac si alia non curaret: cuius rei symbolum aptissimum accipe in scala Iacob, cui innixus Deus totus in dormientem Iacob invigilabat, ac si solus Iacob a Deo observaretur, ac respiceretur. Quod aptius in Deiparam quadrat; ait enim illa: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Ubi in stuporem actus D. Bernardus, serm. 68 in Cant., ita fatur: *Quid sibi vult ista inter tam dispares comparatio? aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat: quam admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicat, dicens: Dilectus meus mihi; itane huic intenta est illa Maiestas, cui gubernatio universitatis incumbit, et curam saeculorum ad sola transferat negotia, imo otia amoris? Ita plane*, etc. *Ergo providentiam caeteris non negamus creaturis, curam Dei sola sponsa vendicat sibi.* Quod autem per visionem scalae, Incarnatio ex Virgine Maria innuatur, asserunt plures, Abulensis, in locum illum Gen., Vatablus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthus.; imo s. Augustinus, serm. 15 de tempore, Virginem Deiparam scalam Iacobaeam vocat, per quam Deus ad terram descendit, ut per eam ad coelum conscenderemus. Idcirco plures volunt Canticum canticorum in vero, et proprio sensu, quem Spiritus sanctus intenderit, de B. Virgine interpretandum; inter quos recensendi sunt s. Ildephonsus, serm. de Assumpt. Virg.; Andreas Cretensis, orat. 2 de dormit. Virg.; Sherlogus, tom. 1, Anteloq. 3, num. 145. Licet enim de Ecclesia communiter intelligatur, quia tamen nobilius praestantiusque obiectum est Virgo B., quam universa iustorum Ecclesia, ut ab ipsa Virgine discreta; ergo inter alios proprios, et secundum literam sensus istius epitalamii, unus verus ac proprius est de Virgine Matre, et dignior omnibus aliis, qui de Ecclesia accipiuntur. Hinc Sponsa sine exemplo vocatur a Fulberto Carnotensi Maria.

1816. Opportune Guarricus, serm. 4 de Assumpt., docet: *Caeterum cum dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, ut non solum propter ipsam, finem vivendi, verum et in ipsam pene faceret finem loquendi, dum velut inter ultima verba testamenti, curam Matris carissimo transcribit haeredi.* Sed, me quidem iudice, nullum specialissimi amoris indicium in eo apparet, quod Filius Matrem alloquatur, iam morte imminenti, cum etiam ad Latronem sermonem intendat. Sed inficiari nemo potest, Christum praecipui in Matrem amoris singulare argumentum edidisse, eam alloquentem ipsiusque curam Ioanni delegantem, mundique salutem aliquantisper differentem, ut singularis in Parentem amoris specimen propalaret; quippe cum Latrone verba commiscens, humanae salutis causam nec tantillum interrupit; imo redemptionem consummavit, efficaciam sui sanguinis recenter fusi ostentans, Latronem Deo Patri lucrifaciens, et tanquam redemptionis primitias offerens: at vero Matrem alloquens, aliquantisper humani generis redemptio remorabatur, ac nostrae salutis causa cunctabatur, ut eximie expendit Ambrosius, lib. de instit. Virg., cap. 3: *Testatur*, inquit, *de cruce Dominus, et paullisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relinquat.* Grande specialissimi amoris erga Matrem argumentum, ut qui exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut Redemptionis opus perficeret, et qui saliebat in montibus, collesque transiliebat, ut hominum salutem maturaret; ne Matrem solatio illo viduaret, pernici Redemptionis cursui lora tantisper compescuit. *Videamus*, pergit Ambrosius, serm. 6 in Psalm. 118, *salientem: salit de coelo in Virginem, ingens saltus; de utero in praesepe, de praesepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, in coelum de sepulcro.* Hanc saltuum, vel si mavis, volatus pernicitatem, celeremque hominum salutem hortabatur ipsa sponsa Maria, dum ait: *Fuge, dilecte mi, assimilare capreae, hinnuloque cervorum.* Imo ipse Christus sibiipsi ad cursum calcar erat, cum diceret: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, donec perficiatur?* Eadem ergo Deipara, quae gressus ad Redemptionem acceleravit, meritis suis Incarnationem maturans, modo Redemptionis opus retardat; siquidem Matrem alloquens Christus, ipsamque Ioanni commendans, Redemptionis cursum intercepit, et aliquantisper publicam distulit salutem. Haud dubium, nunquam Christus maius exquisiti in Matrem amoris specimen ostendit, quam dum humanae salutis causam vel per brevem morulam prorogat, qui nunquam illam intermisit, quique neque in deglutienda saliva sine officio Redemptoris, ac publicae salutis fructu remoratus est. Quod perspicuum apparet in Evange-

lici illius caeci curatione, cum expuit in terram Christus D., ex cuius saliva pulveri admixta visum caecus amissum recuperavit. Ita enim operi Redemptionis addictus erat Salvator noster Iesus, ut nec salivam ipsam deglutiret, sed ipsam in medendis aegrotis insumeret, ita ut cum Iobo dicere posset: *Nec dimittis me, ut glutiam salivam meam.* Ut vel hinc constet pluris Christum unam Virginem Deiparam fecisse, eamque maiori amore prosecutum, quam universam Ecclesiam. Per Apostolorum montes salit, discipulorumque colles transilit, qui de Christi ad coelos ascensu tristabantur: *Expedit vobis, ut ego vadam*, aiebat Christus, cum illum discipuli apud se manere, et discessum differre anxie et sollicite satagebant; verum Christus Dominus nec gressum unum continuit, imo celerrimo cursui laxavit habenas; at unius Mariae amor cursum interrupit, eumque remoratus est. Sic Maria prae omnibus aliis creaturis Dei oculos rapuit, ut mirum non videretur, si Deus illam habens, reliquorum omnium curam quasi non haberet. Quod sub typo Marthae et Mariae recte adumbratur: et quidem audaciuscule Martha Christum Dominum alloquitur: *Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* quasi incurium mundi provisorem incusans, ex quo Martha sororem Mariam cum Iesu agentem contemplatur, veluti admiratur: si Christus tantae virtutis, et excellentiae Marianae magnitudine allectus alia omnia inferiora quasi derelinquat. Maxima profecto laus Magdalenae: sed arbitror id primario rei adumbratae per Mariam Magdalenam, nempe B. Virgini aptius competere, cuius gratiae ac pulcritudines ita Deum allectarunt, ut Deus sola Maria ita contentus esset, quasi reliquas omnes creaturas non multum curaret. Inventa hac una margarita pretiosa, cavere merito possumus ne omnia divendat ac dimittat. Ad rem Cyrillus Alex., orat. contra Nestorium: *Tu enim, o Maria, pretiosa es margarita orbis terrarum.* Ea est enim Mariana perfectio, ut possit Deus omnia derelictui habere. *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens?* aiebant Angeli de Maria. Nam licet in mundo multas sibi Deus hominum myriades asservaverit, quae non curvaverint genua Baal, ita tamen Deus unam Virginem prae omnibus aestimat, sic illam ingenti gratiarum cumulo auxit, ut si totus orbis Angelis et hominibus refertus cum sola Dei Matre componatur, eremus ac solitudo inanis merito Deo sit. Videndus Granados, tom. 2 in 1 p., disp. 1, sect. 4, n. 18, ubi huic nostrae thesi subscribit.

1817. Adeo sufficiens est sibi Christus, inventa Maria, ut ausus fuerit asserere Richardus de s. Laur., lib. 6 de laudibus Deiparae: *Unde sicut Maria dicere potest de Sapientia Dei ex ea carnem assumente: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa; sic et Christus de Maria: Quia natus sum mundus de munda, immaculatus de immaculata, et de Virgine virgo.* Profecto quod Deipara, invento Christo, dicere possit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo*, bene quidem est; nec mirum, cum Deus sit omne bonum, et bonis omnibus exundet: illud mirum et inauditum, quod Christus verus Deus, adinventa Maria, ex qua carnem sibi induit, similiter asserere posset: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Nempe quia de Virgine floridam virginitatem foeneravit, de munda munditiem; de immaculata immaculatus prodiit; de nobili regiam stirpem accepit; de augusta Matris gloria gloriosus resplenduit; de miti et humili mititatem et mansuetudinem hausit. Inquit Ioan. 1: *Et Verbum caro factum est.* Scisciantur interpretes, cur potius dixerit Evangelista, *Verbum caro*, quam Verbum homo factum est. Ad rem nostram Theophylactus: *Addiscimus ergo per hoc quod dicitur: Verbum caro factum est, quia ipsum Verbum est homo, et Filius Dei existens factus est filius mulieris, quae principaliter Dei Genitrix nuncupatur, tanquam Deum in carne genuerit.* Itaque Ioannes Marianae laudis studiosissimus maluit dicere: *Verbum caro factum est;* dum enim carnis meminit, non animam, sed carnem ex carne Deiparae mutuasse asseverat, ut omnibus notum sit, ex aliqua parte carnis Marianae compactum fuisse Verbum divinum in Incarnatione. Quod suo firmat suffragio s. Germanus, orat. de nativ. Virg.; *Salve*, inquit, *legis, atque gratiae mediatrix*, etc. *quae Dei ac Verbi spirans, ac purissima pars* etc. Ubi quod Ioannes ait, *Verbum caro factum*, ut ostendat Verbum divinum ex parte carnis B. Virginis corpus assumpsisse, s. Germanus vocat Virginem Verbi spirantem ac purissimam partem; ideo ergo dicitur Maria Verbi ac Dei spirans et purissima pars, quia efformando Christo Deo ex carne sua ac sanguine, carnem ac sanguinem subministravit. Sublimi quidem stylo dicitur Verbi spirans, sic Pater ac Verbum divinum sunt spirans Spiritus sancti. Hinc non miraberis, cum audies Richardum de s. Laur., lib. 2 de laudib. Virginis, in illud Iobi 28, *Nescit homo pretium eius*, sic fantem: *Quia non est pretium, quod possit Deiparae comparari, quia pretiosior est cunctis opibus corporalibus, et spiritualibus, et omnia, quae considerantur, non valent ei comparari.* Grandi auxesi Deiparae Virginis bonitatem, et valorem exaggerat Richardus; siquidem mentis cognitio plurima fingit, ad plurima se porrigit de phantasiae consortio: *Et tamen omnia, quae considerantur, non valent ei comparari.* Quasi omnia, quae infra Deum considerantur, non possint Deiparae comparari. Tantus est bonorum omnium thesaurus Maria, ut omnis humanae considerationis metas supergrediatur.

Unus Beniamin apud Iacob pretiosior erat, quam fratrum multitudo, ita ut descendentibus reliquis gnatis in Aegyptum gentem inimicam, nihil obsistit, imo illos impellit; at cum de unius Beniamini agitur discessu, planctum ac lamenta inconsolabilia praemittit. *In meam*, ait Iacob, *hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fratrem*, Gen. 43: quasi oblitus reliquorum liberorum, nimium pius in Beniaminum ostenditur, quia super omnes illum

diligebat, unius Beniamini sollicitudine pungebatur. Sic Christus Dominus in crucem actus unius Mariae curae incumbit, ipsiusque solatio invigilat, nec imminentis iam mortis metus hanc illi curam ademit, quia plus unam Mariam adamabat, quam reliquam Ecclesiam ex Apostolis ac discipulis constantem; ita ut unius Virginis sollicitudo illi curae fuit prae reliquis, cum qua si universam Ecclesiam, fideliumque congregationem, imo rerum omnium creatarum universitatem componas, quasi minime pendat Christus, cum tam impense Ecclesiam diligat.

1818. Nullus alius locus voluptatis Deo reperiri potest praeter Marianum paradisum, in quo nimium deliciatur, per amoena virtutum vireta deambulat, plusque sola Maria cordi est, quam omnes creaturae simul sumptae. Quod eleganti calamo depinxit Petrus Damianus, ser. in Annunc.: *Locum*, inquit, *voluptatis, uterum Mariae intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus. De cuius deliciis Spiritus sanctus admiratorio sermone sic eructat: Quae est ista quae ascendit de deserto delitiis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliae convertuntur in sanguinem, aliae cadunt de coelo, aliae in tenebras obscurantur? Nunquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus. Nunquid in aquis, ubi tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quae sub maledicto Adae spinas emittit, et tribulos? Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* Nullibi Verbum divinum delicias captat et quiescit, sicut in Maria, nusquam ita voluptuose deliciatur, sicut in Maria. *Postquam,* ait Cardinalis Alanus apud Delrium, *gloriosa Virgo, non solum mente, sed etiam ventre concepit, factus est in ea spiritualis Christi recubitus. Ubi enim specialiter coenavit cum Patre, et Spiritu sancto, ubi specialem fecit mansionem, ubi specialiter, et plene recubuit, nisi in mente Virginis, in cuius ventre secundum humanam naturam recubuit? Ergo dum esset in accubitu suo Rex, id est in Maria.* Maria est solius Dei gratissimus ac deliciosissimus accubitus.

Dicta procedunt de amore triplici Christi Domini in Mariam parentem carissimam. Primo de amore naturali, quo illam prosecutus est super omnia creata: a natura enim ita comparatum est, ut ingenti amore, hi, qui ab eodem stipite profluxere, sese mutuo diligant. *Amicitia*, ait D. Thomas 2 2, quaest. 26, art. 8, *consanguineorum fundatur in coniunctione naturalis originis, quae prior est, et immobilior, quia est secundum id, quod pertinet ad substantiam; aliae autem coniunctiones sunt supervenientes, et removeri possunt; et ideo amicitia consanguineorum est stabilior.* Atqui B. Virginis naturalis Filius fuit Christus ex purissimis eius sanguinibus efformatus, cuius unicus Filius erat in generatione temporali sine Patre. Unde totus amor Christi ut hominis, tendebat in Mariam: quod etiam verissimum est post Christi anastasim, teste Augustino, serm. de Assumpt. c. 5: *Caro enim Iesu*, ait, *caro est Mariae, et multo specialius, quam Ioseph, Iudae, caeterorumque fratrum eius, quibus dicebat* (Gen. 37): *Frater enim, et caro nostra est: caro enim Christi, quamvis gloria Resurrectionis fuerit magnificata, et potens super omnes coelos Ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit et manet natura, quae suscepta est de Maria.* Quo innixus fundamento aiebat Dionysius Rikelius, lib. 1 de praeconio et dignitate Virg., c. 21: *Unio ex amore procedit; tantum itaque specialius ac eminentius Deus adorandus dilexit, et praeelegit Mariam, quanto intimius, propinquius ac familiarius se illi univit: sed huic Virgini Deus se coniunxit non solum per gratiarum charismata, per illuminationem, per dilectionem, aut adhaesionem extrinsecam; sed etiam per naturalem, et realem quandam identitatem, quia factus est aliquid eius, eo modo, quo proles est aliquid sui parentis: etenim aliquid substantiae Virginis sacrae assumpsit, et hypostatice, atque realiter sibi univit, et habitavit in medio eius.* Hic etiam amor naturalis auctus fuit propter eximiam pulcritudinem, elegantiam Beatae Virginis, et morum conformitatem inter utrumque, similitudinem etiam, et mutuam officiorum et beneficiorum communicationem, ut docet s. Thomas 2 2, quaest. 3, a. 1 et 5, et quaest. 25, art. 7.

Deinde Christus Dominus amore acquisito ex vitae consortio ac plurimorum officiorum et beneficiorum communicatione B. Virginem diligebat. Hic ergo amor in dies augescere solet inter sanguine iunctos, ut habetur in l. *cum allegas, C. de Castrensi peculio militum: Obeundorum munerum consortium affectioni fraternae nonnihil addidisse, quinimo vice mutua cariores invicem sibi reddidisse credendum est.* Praecipue cum morum, et naturae similitudo coniungitur. Recte in hanc rem Cicero, lib. de amicitia: *Si hoc apparet in bestiis, ut requirant, atque appetant, ad quas se applicant animantes, idque faciunt cum desiderio, et cum quadam similitudine amoris humani, quanto id magis in homine....? Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias; nec ob aliam causam boni improbis, improbi bonis, amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanto maxima esse potest morum, studiorumque distantia.* Cum ergo Christus Dominus hoc amore acquisito alios a se prosequeretur, qui posset Matrem non adamare Filius plusquam omnes alios? non amoris signa dare? non fervorem singularis amoris praeseferre? non frequentes affectus, gratus, fidus et obsequens Matri carissimae Filius sacrare? Cuius in utero Virgineo novem mensibus delituit, cuius ubera suxit, in cuius gremio infantulus conquievit, in cuius toties ruit amplexus et oscula, cuius mensae frequenter assedit, cum qua denique tot itinerum spatia dimensus est, et plusquam per triginta annos familiarissime et iucundissime vitam transegit.

Ad haec, Christus Dominus amore superna-

turali in eandem in summo ferebatur super omnes Angelos et homines coniunctim sumptos. De quo Anselmus, lib. de excell. Virg., c. 4, sic fatur : *Estne, putatis, ulla mens hominis, quae modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare? Potestne, quaeso, ullus hominum, aut Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?*

CERTAMEN V.

Virgo Deipara est obiectum, in quod sacra Scriptura collimat.

1819. Quaecunque in toto sacrorum Voluminum corpore continentur, ad Christum, atque adeo etiam per Christum ad B. Virginem referri, hoc Certamine probandum assumimus; licet enim pleraque reperiantur veluti materialiter, et spectato nudo literae cortice, alio pertineant, sed tandem omnia in Christum tendunt, eiusque quasi figlinam B. Mariam. Ita aperte docet s. Vincentius Ferrerius, serm. de Concept. Virg.: *Virgo Maria in omnibus libris sacrae Scripturae, et in omnibus canticis, imo etiam in singulis versibus directe, vel indirecte est mystice contenta.* Andreas Cretensis, orat. 2 de dormit. Deiparae: *Dicitur Maria summa divinorum oraculorum, de qua resonarunt omnes divini spiritus interpretes.* S. Ildephonsus, serm. 1 de Assumpt.: *Ecce ad quam omnia eloquia prophetarum, ad quam omnia aenigmata concurrunt Scripturarum.* Bernardus, serm. 1 super *Salve Regina : De hac, et ob hanc, et propter hanc omnis Scriptura facta est; et propter hanc totus mundus factus est.* Iterum s. Ildephonsus de Virginit. Mariae, c. 3: *Spiritus sanctus de illa per prophetas praedixit, per oracula intimavit, per figuras intonuit, per praecedentia promisit, per subsequentia complevit.* Profunde s. Germanus, ser. de Nativ. Virg., vocat Deiparam *Novi ac veteris Testamenti sigillum.* Sunt enim sacra Volumina, veluti scrinia, quibus pretiosae margaritae et adamantes asservantur, proindeque ad custodiam recte dicuntur sigillo muniminis B. Virginis obsignari. Vel sensu aptiori ad nostrum institutum dicitur B. Virgo *Utriusque Testamenti sigillum*, quia omnia, quae in sacris Scripturis clauduntur, collimant in Christum, et secundario refunduntur in Mariam : sigillum enim est quod ultimo apprimitur et supponitur rebus conclusis : narrationibus omnibus libro Scripturae universae comprehensis, postremus advenit ordo praefatus ad Virginem Deiparam, unum cum Christo facientem; cui propterea nomen sigilli Scripturarum utriusque Testamenti recte adaptatur.

Obiectum igitur adaequatum totius sacrae Scripturae est Christus Dominus et B. Virgo; et in his duobus universa lex et prophetae innituntur : in his duobus adimpletum fuit quidquid sacrarum Scripturarum annales prodidere, quidquid prophetarum oracula praedixerunt, insonuerunt patriarchae, adumbravere vetustae figurae, cecinerunt fatidici vates : Christus et Maria tanquam centrum linearum omnium, quae in sacris Paginis contestantur. Ambo sunt a Deo haeredes instituti utriusque Testamenti. Huc advoco s. Germanum, serm. de Nativ. Virg., sic eam salutantem : *Salve totius prophetiae clarissimum supplementum, Summa divinitus inspiratae veritatis Scripturae, in qua sine voce et scriptura ipse inscriptus Deus, et Verbum per diem legitur.* Ubi vocat Mariam quasi sacram Scripturam, non emortuam, sed vividam; non scriptam, sed animatam; in qua omnium sacrorum Voluminum summa, et anacephaleosis reperitur, in quam tanquam in finem et scopum, quae in sacrarum Scripturarum libris continentur, tendunt et collimant; ideo subiicit idem Doctor: *Gaude quae ab initio nostrae figurationis finis es eorum, quae ad nos sunt, divinorum oraculorum ac praedictionum.*

Ulterius quemadmodum quidquid in sacramento reperitur, totum ad rem sacramenti significandam institutum est, mentemque ad gratiam ibi latentem defert; ita quidquid in abstruso et recondito sacrarum Paginarum sacramento delitescit, sive historiam contineat, sive praedictionem sapiat, sive ad mores pertineat, sive ad naturam spectet, sive supra naturam se efferat, in Christum utique, et in Mariam tanquam in rem significatam diriguntur. Insigniter Amadeus, hom. 1 de laudib. Virginis, rem nostram eleganti stylo describit: *Ut igitur redeamus ad praedictos calathos, et flores laevae, fructusque dexterae, perpendamus, quia quod lex promisit in flore, hoc gratia exhibuit in operatione, ibi prophetatur quod futurum est, hic virtus consummata laudatur; illic Sacramentum, hic res Sacramenti est. Attendamus eosdem calathos Christi gloriam, et partum Virginis proferentes : haec enim summa, hic finis testamentorum, Christum proloqui, Christum annunciare, et Virginem Mariam.* Ubi vides appellare Amadeum sacra Volumina, Sacramentum; Mariam vero, et Christum rem significatam per ipsa. In quam rem illustre est D. Bonaventurae testimonium, ser. in Hexam.: *In allegorico sensu sunt quatuor, scilicet, humanitas adsumpta quantum ad nativitatem et passionem, quae sunt principales allegoriae. Secunda est Mater Dei Maria, quia mira dicuntur de ipsa in Scripturis, quia in omnibus Scripturis refertur relatione ad Filium, et quod dicunt aliqui: Quare ita pauca dicuntur de B. Virgine? nihil est, quia ubique de ipsa, et plus dicitur de ipsa, quam si unus tractatus fieret.* Ubique, inquit, agitur de Virgine Maria, ita ut in singulis libris Pentateuchi, fastorum, prophetarum, et reliquis; imo in singulis capitibus, ac versibus, ut dicebat supra s. Vincentius, mediate, vel immediate, et mystice contineatur. Ex Maria, tanquam ex voluptatis paradiso, fons vivus emanat, Verbum, inquam, divinum carne vestitum, ut Ecclesiae viridarium aquarum foecunditate irroret, et in quatuor mox secernitur Evangeliorum flumina: ita Rupertus, lib. 4 in Cant.: *Flos ille ascendit de radice Iesse, non principium ha-*

bens ex te, sed de corde Patris per occultas vias cum omnibus aquis viventibus, id est cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, et aeternum Sapientiae fontem, sive puteum faciens in te, atque hoc modo ascendens ex te. Ad quid ascendit? Ad irrigandam superficiem terrae, ad instruendam, sive excolendam Ecclesiam.

1820. Sed modo non vacat plura sacrorum Voluminum loca congerere, vel in examen vocare ad hanc veritatem contestandam: solum hic unum, aut alterum evolvam locum, ex quibus reliquorum sensus erui possit. Ait igitur Christus Dominus ex ore David, Psal. 39: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Illud *in capite libri*, alii transferunt, *in argumento*, seu *themate libri*. Cornelius a Lapide sic versat locum illum: *Sicut argumentum libri in eius capite scribitur, ita in capite, et indice sacrae Scripturae est Christus.* Sicut ergo Christus Dominus est argumentum et thema totius veteris ac novi Testamenti; sic et Maria secundario, ad eandem oeconomiam pertinet cum Filio. Ibi autem Christus oculos mentis intendebat, ad illa prima verba Geneseos: *In principio creavit Deus coelum, et terram.* Teste Hieronymo, init. Tradit. Hebraic., Ambrosio in Psal. 39; Augustino in Psal. 150. Et quidem Palaestra II memini me retulisse ex Galatino, lib. 7, cap. 2, Rabbinorum esse mentem eo loci, amore Iesu et Mariae, Deum universum terrarum orbem condidisse; per quos etiam totum coeli, terraeque opificium instaurandum erat, iuxta Paulum ad Ephes. 7: *In dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terris sunt, in ipso.* Bene Christus vocatur in Apocalypsi A et Ω, hoc est *Principium* et *Finis*. Ex quo gravi verborum pondere Tertullianus, lib. de Monogamia, c. 5: *Dicit et Apostolus, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum ad caput, id est ad initium reciprocare universa in Christo, quae sunt super coelos et super terras in ipso. Sic et duas Graeciae literas summam, et ultimam sibi induit Dominus, initii, et finis concurrentium in se figuras; et quemadmodum* A et Ω *usque volvitur, et rursus* Ω *ad* A *replicatur, ita ut extenderet in se esse, et initii recursum ad finem, et finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in eum desinens, per quem caepta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat, quemadmodum et coepit.* In Virgine Deipara, tanquam in papyro Virginea Verbum, seu sermo divinus inscriptus est, tanquam sacrorum Voluminum Compendium, eorundemque finis et principium, thema, argumentum, et index; ita ut quidquid Scriptura, quidquid coeli, terraeque ambitu cohibentur, quidquid natura et gratia operata est, id totum in unum Christum, et Mariam, tanquam in scopum praecipuum referantur. Idipsum firmat Germanus in encomio de s. Deipara, ubi ex ore Zachariae sic alloquitur Mariam: *Ingredere huc, plenitudo meae prophetiae; huc ades, perfectio divinarum ordinationum; huc ades, signaculum Testamenti ipsius; huc ades finis ipsius consiliorum; huc ades, declaratio ipsius Sacramentorum; huc ades, speculum omnium Prophetarum.* Ubi sanctus Praesul in summam redigit ea omnia, quae fusius nos sparsimus. Pergit Albertus M., et dictis finem imponat, c. 162 super *Missus est*: *Multis modis praedicta, et praefigurata dicitur Virgo sanctissima in creaturis, in factis, in visis, in generatis, in creatis; quia in principio creavit Deus caelum et terram, id est B. Virginem, quae caelum et terra fuit, id est caelestem simul et terrestrem duxit vitam.* Deinde primam et secundam, ac reliquas nascentis mundi dies, et opera, Mariae adaptat Fernandez in Gen., tom. 1 in c. 2, sect. 2, n. 12. In mystico sensu, totam hanc mundi fabricam accommodat in Virginis Deiparae laudationem, et opera sex dierum ipsi specialiter adaptat in c. 3, sect. 26: et sicut repetito hoc verbo *Fiat*, mundus conditus fuit, *Fiat lux, Fiat firmamentum*, etc.; sic reparatio universalis rerum, quae facta est per Incarnationem Verbi divini, unico *Fiat* Virginis Mariae consecuta est. *O Virginem omnipotentem*, ait s. Germanus Constantinop., *ad cuius unam vocem longe maius, imo infinitis partibus maius, et illustrius opus est absolutum, quam ad ipsius Dei toties repetitum imperium.* Siquidem creationis opera sex dierum spatio constructa prodierunt: sicut ergo ex Augustino omnes creaturae sunt in Deo, et longe melioris conditionis, quam in seipsis; ita de B. Virgine cum proportione dicendum est, omnes creaturas in ipsa esse, tanquam in idea et exemplari. Quod prae oculis habebat Deus reliquum creaturarum vulgus conditurus; vel ut perfectiones caeterarum creatarum rerum in unam Mariam aggregaret, ut omnes in Maria sine ullo naevo adessent creaturae, et in se caducae, ac labiles, in Maria meliorem conditionem nanciscerentur, et quasi in Mariam conversae, Maria forent. Idiota, vitae moralis ideam, et exemplar, vocat Mariam. Plato ideas universales commentus est, quae et exemplaria, et causae forent individuorum: Maria exemplar totius honestatis, et causa praedicatur; in mente divina sunt ideae omnium rerum, tum et totius virtutis exemplar; ergo sicut imago aliqua ad unguem suam ideam referens, dicitur esse ipsum exemplar, et idea; ita sanctitas Mariae ita refert ideam sanctitatis, quae est in Deo, ut ipsissima idea videatur. Epiphanius vocat Mariam, caeli, terraequae mysterium, id est rerum omnium, quae caeli ambitu, terraeque sinu continentur compendium, et anacephaleosis. Arnoldus Carnot. ait.: *Maria creaturis constat omnibus; quidquid enim singulis distributor iustus contulit, Matri adornanda congessit.* Demum idem Albertus cit. docet in cunctis eventibus, ac veteris Paginae figuris praesignari Mariam. *In factis*, inquit, *etiam praefigurata, ut patet in arca Noe, in iride, in tabernaculo Moysis, in arca Testamenti, in candelabro, in propitiatorio, in templo, in throno Salomonis*, etc. *Similiter in visis, et imaginatis invenitur praedicta, et praefigurata, ut est rubus Moysis, sedes sapphirina, mons de quo praecisus est lapis*

sine manibus, arbor quae coelum tangebat, porta clausa, vellus Gedeonis, fons qui crevit in fluvium maximum, mulier amicta sole, etc. Itaque quidquid sacrorum Voluminum annales, monumentaque claudunt, in Christum primario, deinde in Mariam tanquam in finem, et scopum tendunt, et collimant. Videndus idem Albertus Magn., qui omnia sacrorum Bibliorum volumina per plurimos versus B. Virgini adaptat per integrum tractatum quem ipse vocat Bibliam Virginis Mariae, et exstat apud Bibliothecam Virginalem F. Petri de Alba Astorga Minoritae, tom. 1, fol. 467.

PALAESTRA TRICESIMATERTIA

Quo cultu sit adoranda Virgo Deipara.

CERTAMEN PRIMUM

De singulari Apostolorum in B. Virginem pietate ac cultu.

1821. Alibi iam serio ostendimus, B. Virginem extitisse Apostolorum doctricem et magistram sapientissimam, a qua dictamen, regulam, sanumque consilium hausere. Hic iuvat, antequam eorundem singillatim pietatem in eandem Virginem Deiparam agere aggrediar, aliqua, quae omnibus communia censentur, in hoc Certamine praemittere. *Mariam*, ait Hieronymus, sive Sophronius serm. de Assumpt., *omnes venerati sunt Apostoli, eique dilectionis affectu famulati.* Et Lausanensis episcopus Amadeus, hom. 7 de laudibus Virginis, sermonem de B. Virgine adhuc vitae huius superstite attexens, haec fatur: *Inde angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Cui Ioannes, gaudens sibi virgini Matrem Virginem in cruce commendatam, cum Apostolis ministrabat: illi Reginam, isti videre Dominam laetabantur, et utique pro devotionis affectu obsequebantur.*

Hinc Richardus a s. Laur., lib. 10 de laudibus Virg., Mariam cum throno Salomonis componit, duodecimque throni leunculos Apostolos esse fatur; idemque praestat s. Antonius de Padua, serm. Dominicae 5, post Trinit.. *Duodecim leunculi*, ait Richardus, *duodecim sunt Apostoli; diminutivum notat humilitatem; stabant ante thronum; cum stare obsequentis sit et ministrantis, significat, quod ipsi obsequentes erant Beatae Virgini in omnibus. Quod in gradibus stabant et scabellis, significat quod licet essent sanctissimi, tamen non attingebant tantam sanctitatem.* Et Philippus abbas bonae spei, lib. 1 in Cant. cap. 12, verba illa versans Cant. cap. 1, *Ideo adolescentulae dilexerunt te,* ea Apostolis attribuit, subditque: *Apostoli non immerito adolescentulae nominantur, quae in hoc dramate comitari sponsam Virginem praedicantur. Quas reddit adolescentulas, non dierum paucitas, non aetatis, sed fides ferventior, amor impatiens, indultae gratia novitatis. Nulli Virginem familiarius sunt secuti, vel ea mediante, Sponsi notitiam plenius assecuti, quam Apostoli, qui ante et post Christi passionem, cum ea diutius conversati, ab ipsa frequentius audierunt Verbi mysterium incarnati; ipsa vero cum Apostolis tanto tempore conversata, quis penset quo affectu eosdem fuerit complexata, qua eos cura studuerit, quae prius, et perfectius noverat, edocere?* His consona tradit Divus Ildephonsus, serm. 5 de Assumpt.: *Apostolorum*, inquit, *conventui, semper nobili contubernio adhaerebat Virgo, cum illis semper habitabat, cum illis de humanis Christi actibus ut verius ac specialius cognoscebat, verius ac specialius conferebat, ut ab ea discerent, qualiter arcanum tanti mysterii, et ipsi crederent, lucidius aliis enarrarent, et cum opportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo relinquerent.* Sed iuvat hic verba nostri Archiepiscopi Valentini, D. Thomae a Villanova subiicere, ser. 3 de Assump.: *Mariae*, inquit, *propter singularem et excellentem eruditionem, coelestis Magister ad Patrem, unde venerat, rediturus, scholam et cathedram suam reliquit, non quidem ut oves suas regeret sicut Petrus, sed ut discipulos suos coelesti sapientia, quam ab initio didicerat, erudiret; quoniam et propter ingenii vivacitatem, et diuturnioris scholae assiduitatem, caeteris omnibus condiscipulis sapientior, et doctior habebatur. Quam quidem scholam duodecim annis, ut fertur, rexit ac tenuit, Apostolorum omnium, et discipulorum Christi, Ecclesiarumque Magistra; unde et cunctas haereses solam interemisse in Ecclesia Dei merito decantatur.* Cum ergo frequenter Apostoli Virginem Dei Genitricem adventarent tanquam scholam communem, et Spiritus sancti magisterium, ut de ignotis ac dubiis edocerentur, tum ut ea, quae patrabantur in Evangelii promulgatione, referrent; quis non videat, ab eis B. Virginem summo in honore habitam, ac speciali Hyperduliae cultu reveritam?

1822. Post Christi Filii in coelos ascensum, ac Spiritus sancti adventum, in varias provincias dispersos Apostolos non solum Christo annunciando incubuisse, sed etiam Deiparae Virginis cultui, ac laudibus praecipue studuisse

censendum est, iuxta Patrum dicta. S. Cyrillus Alex., hom. 6 in Nestor., haec habet: *Te prophetae praenuntiarunt, Te Apostoli summis laudibus celebrarunt.* Memini etiam me alibi retulisse verba illa sapientis Idiotae in lib. contemp. B. Virg., cap. 5: *In praedicatione Apostolorum, in omnem terram exivit sonus tui sanctissimi nominis, et manifestum toti mundo factum est.* Ad haec Philippus abbas, lib. 6 in Cant., cap. 6, filias Sion Apostolos interpretatur. *Apostoli*, inquit, *Christum natum de Virgine, intellectu lynceo pervidentes, idemque beneficium non Iudaeis, non gentibus invidentes, non solum Filium, sed et Matrem Beatissimam adstruxerunt, cuiusmodi visione et ipsi suo modo beatitudinem meruerunt.* Suo idem placitum firmat suffragio Albertus Mag. in Biblia Mariae ad cap. 21 Numeror., ubi puteum a principibus effossum vocat Mariam. *Maria*, ait, *puteus, quem prophetae praenunciarunt per nunciationem, patriarchae per exhibitionem, Apostoli per extensionem.* Hinc a D. Ephraemo, ser. de laudib. Virginis, dicitur B. Virgo *Apostolorum praeconium.* Et a D. Bonaventura in Hym. super *Salve Regina, Iucundissima Apostolorum laus.*

Ex Marianorum ergo elogiorum per Apostolos facta per orbem evulgatione, ingens per omnium fidelium animos invasit eam visendi cupido, et plurimi, teste s. Ignatio, epist. 1 et 2 ad Ioan. Evang., Hierosolymam versus iter confecerunt eam invisuri. Apostoli item Virginis Matris icones secum deferre in Evangelii promulgatione consuevere, tum ut fidelium cultum in tantam Virginem foverent, tum ut plurimorum votis annuerent, qui vel propter locorum distantiam, vel aliis impedimentis praepediti, eam Hierosolymis contueri non poterant, saltem eius imaginem absentes suspicerent ac venerarentur, teste Petro Canisio, lib. 5 de Deipara, cap. 22: *Cum enim multorum*, ait ille, *incensus esset animus, ut Domini ac Dei sui in coelo regnantis Matrem coram viderent, et videntes iure suspicerent, atque revererentur, nec omnes tamen undique ad eam proficisci, suoque desiderio satisfacere possent, prudens ac pium consilium inventum est, ut Mariae vultum saltem in tabella depictum exciperent, hocque perenne monumentum, tum praesentes, tum absentes ad suum solatium retinerent, aliique aliis communicarent.* Subditque idem c. 31 cultum et invocationem B. Virginis in tremendo Missae sacrificio ab ipsis Apostolis invectam. Cur enim primi illi evangelicae legis satores hunc cultum Marianum, quem ipsi exhibebant, primos illos Christicolas non edocerent, ut Deum omnium molitorem in eius Parente carissima creaturarum omnium longe praestantissima, laudibus eveherent, et eam communem omnium Magistram, ac Christi Servatoris Matrem dignissimam, ac redemptionis cooperatricem, in sacro Missae mysterio, quod redemptionis sacramentum repraesentat, in suae erga tantam Virginem gratitudinis monimentum, meminerint ac venerarentur?

Plus addit B. Alanus Rupensis in Apologia pro Rosario B. Virg., c. 15., nempe Salutationis angelicae elogia saepius ab Apostolis maxima cum veneratione fuisse recitata. *Revelavit*, ait ille, *aliquoties gloriosa veritatis amica Virgo Maria Angelicam salutationem in maxima semper fuisse reverentia: idque vel in cunabulis Ecclesiae christianae. Apostoli Dominicae Annunciationis virtutem, accepto Spiritu sancto, multo praeclarius quibuscunque posteris pernoverunt, simul et agnoverunt se per ipsam primitias Spiritus accepisse; quippe fonti veritatis propinquiores, ac luminis. Addo: cognoverunt etiam, quod divorum diva Deipara in Testamento novo, causa rerum sacrarum fuerit secunda, Filius prima. Ex quibus clarissime perspexerunt, nihil sese donorum gratiae habere, nisi Virgine Maria mediante. Addidit Maria, Apostoli utebantur hac oratione, scilicet utraque Dominica, et Angelica salutatione, hoc inquam, vel ipsa adhuc vivente.* Haec omnia Alanus.

1823. Videndus Suarius, tom. 1 de Relig., lib. 2, c. 8, n. 14, ubi probabile putat, festum Assumptionis ab Apostolis ortum duxisse. Idem docet P. Incofer in Epist. ad Messanenses, pag. 109, subdit Damianus Goes in lib. de fide, religione et moribus Aethiopum, eos videlicet ex Apostolorum traditione sumpsisse festum Assumptionis B. Virginis. Quibus consentit Petrus Galesinius in notationibus sui Martyrologii; ait enim de Assumptionis festo: *Haec porro diei festi celebritas ab Apostolis instituta putatur, ut facile e latinis et graecis concionibus cognosci potest.* Videatur Ioannes Bonifacius in hist. B. Virg., lib. 2, c. 5. Sanctus vero Leo IV, huius nominis primus fuit, qui octavum Assumptionis Deiparae diem solemni ritu celebrandum instituit, ac una cum universo Clero, et quammaximo populorum coetu eiusmodi celebritati interfuit. Additque Bibliothecarius in gestis Leonis IV: *Nam octavam Assumptionis B. Dei Genitricis diem, quae minime Romae antea celebrabatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni Clero pernoctans laudibus, in Basilica eiusdem semper Virginis Dominae nostrae, quae foris muros iuxta Basilicam s. Laurentii martyris sita est, celebrari praecepit, quam etiam magna populi multitudo convenerat, novae festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret Antistes, omnibus qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit.* De quo vide Romam subterraneam nuper in lucem e latebris editam per Paulum Aringhum Romanum, tom. 1, fol. 133, n. 4.

Itemque diem sabbathi iam ab Apostolis B. Virgini dicatum fuisse ostendit ex probabilibus coniecturis Augustinus Vichmans in suo Sabbathismo Mariano, cuius haec sunt verba: *Ut in re obscura sententiam meam clare proferam, dico ab ipsis Ecclesiae incunabulis, et Apostolorum etiam temporibus institutum sabbathum in honorem B. Mariae; qua in opinione, a causa principali ob quam illud institutum existimo, confirmor. Estque ea, dolor acerbissimus, et verum martyrium, quibus afflicta fuit sapientissima Deipara in illo tristi sabbatho sepulti sui Fi-*

lii. Et sicut sacri illius ritus, et observantiae ecclesiasticae, quos universa tenet Ecclesia, quando de prima illorum origine non liquet, communiter ex sententia D. Augustini, et doctrina Theologorum, ad Apostolorum tempora solent referri, et ipsi eorum auctores haberi; ita etiam de hoc sacro ritu sabbathi sentiendum arbitror. Illud omnino certum apud omnes, D. Apostolos Mariae Virgini ex hac vita decedenti adfuisse, ipsiusque dormitionem ac mortem honorificis exequiis coluisse, ut auctor est D. Dionysius, lib. de divinis nominibus, c. 3, tanquam oculatus testis: *Quandoquidem*, ait, *apud ipsos quoque nostros a Deo afflatos sacrorum Principes, quando nos quoque, ut ipse nosti, et multi ex nostris sacris fratribus ad videndum corpus, quod vitae principium dedit, et Deum suscepit, convenerant*, etc. *Visumque est, ut post illud spectaculum omnes sacrorum Principes hymnum canerent, et laudarent, prout poterat unusquisque, infinitam bonitatem divinarum virium.* Ergo Virgineum illud corpus singulari splendore coruscans, ac suavissimum odorem exhalans Apostoli religioso cultu venerati sunt. *Qui aderant,* ait s. Damascenus orat. de dormit. Virg., *metu et desiderio, et lacrymis exultationis divinissimum, et sanctissimum circumsistentes tabernaculum complectebantur, osculabantur, ex contactu repleti sanctificatione et benedictione.* Et Simeon Metaphrastes in orat. de Dormit. Virg. eadem fatur: *Cum*, inquit, *in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, et quidquid erat electum ex viris et mulieribus, omnia membra reverenter amplexabantur, non solum suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem.* Idemque profert Nicephorus, lib. 2, cap. 23. Addit Roma subterranea tom. 1, fol. 95, num. 3, ex Iuvenali Hierosolymorum episcopo, ex prisca ac verissima traditione, corpus Deiparae Virginis, iuxta Dionysium magnum, angelico et apostolico cantu elatum fuisse.

1821. Quibus peractis accenduntur subinde faces, sparguntur flores, funduntur unguenta, hymni ab ipsis Apostolis componuntur, ac decantantur in tantae Matris honorem ac commendationem, qui utinam posteritati commendati ad nostra usque tempora perstitissent: laudes tamen, et elogia Virginis Deiparae in illis contenta, quantum assequi potuit in unum collegit Andreas Cretensis in orat. 2 de Dormit. B. Virginis, quam libuit hic subiicere, ut Deiparae Virgini addictissimi clientes Marianis laudibus decantandis de Apostolorum penu depromptis incumbere possint.

« Haec est (inquit) finis Testamentorum, quae « fecit Deus: haec est declaratio occultorum, et « profundorum divinae incomprehensibilitatis: « haec est scopus, qui excogitatus fuit ante saecula: haec est summa divinorum oraculorum: « haec est ineffabile, et quod plane cognosci non « potest, eius, quae est ante principium, curationis hominum consilium. Primitiae communionis, et coniunctionis omnium Genitoris Dei « cum suo figmento: haec est divinarum reconciliationum, quae pignore dato fit, fideiussio; « eximia pulcritudo; a Deo sculpta statua; recte descripta divini Archetypi imago; totius « contemplationis, et ascensus sustentaculum; « sanctissimi Verbi omnium Creatoris tabernaculum. Qui Deum suscepit, sapientiae, quae « non potest exinaniri, crater; vitae, cui nihil « potest auferri, penarium; fons, qui non potest exhauriri, divinarum illuminationum; po« tentia, quae nequit labefactari, quatenus ne« quaquam vincebatur ab animi perturbatio« nibus, ut quae erat puritate omnibus supe« rior: per hanc fuere nobis data pignora salu« tis. Haec peperit eum, qui mortem sustulit « per obedientiam; sola praeter naturam fuit « electa ad naturam renovandam; sola serviit « opifici universae naturae. Propositum est hoc « commune reconciliatorium, omnes Deo recon« ciliemini: Ecce fons immortalitatis, qui non « potest exinaniri; venite, qui morte affecti e« stis, haurite: Ecce vitae fluvii perennes, ade« ste omnes, efficiamini immortales: O filia « Adam, et Mater Dei! O Mater sine viro, et Vir« go, quae Filium paris! O opus eius, qui in te « factus est temporaliter, et non excessit a sua « aeternitate. De te resonarunt omnes Spiritus « sancti interpretes: Moyses primus, cum vi« disset rubum, Te praedixit; Transiens videbo « visionem hanc magnam: de Te Dei pater Da« vid Christum rogavit, dicens: Exurge Domi« ne tu, et Arca sanctificationis tuae: de Te idem « tuum praefigurans egressum praedixit; vultui « tuo supplices erunt divites populi: Ecce enim, « inquit, omnis gloria filiae regis intrinsecus in « fimbriis aureis circumamicta varietate: Te « Canticorum sanctus liber praedescribens, my« stice praesignificavit: Quae est haec, quae a« scendit ex solitudine tanquam rami fumi, suf« fita myrrha, et thure, et omnibus pulveribus « pigmentarii? De Te rursus idem prius scri« psit liber: Ecce, dicens, Lectus Salomonis, « columnas eius fecit argenteas, et reclinato« rium eius aureum, ascensus eius purpura est, « intra ipsum constratus charitate ex filiabus « Hierusalem. Et rursus: Egredimini filiae Sion, « et videte regem Salomonem in corona, qua co« ronavit eum Mater eius, in die desponsationis « suae, in die laetitiae cordis sui; videte eam « filiae Sion, et beatam eam praedicate; regi« nae, et pellices laudate eam, quoniam odor « vestimentorum eius est supra omnia aromata: « Te praevidens divino spiritu afflatus exclama« vit Isaias: Ecce Virgo in utero concipiet, et « erit radix Iesse, et flos de radice ascendet; de « Te magnus praedixit Ezechiel: Ecce porta, « dicens, in oriente, et erit porta clausa, et ne« mo ingredietur per eam, et Dominus Deus so« lus ipse ingredietur, et egredietur, et erit por« ta clausa: Te quoque prophetans vir ille de« sideriorum, magnum vocavit montem, et lapi« dem sine manibus viri ex te sumptum, non ex« cisum; ablatum, non divisum assumptione no« strae humanitatis. Tu es res illa magna vene« randae oeconomiae, quam cupiunt inspicere « Angeli; Tu es divinae demissionis pulcrum ha-

« bitaculum; Terra, quae es vere desiderabilis; « Rex enim desideravit gloriam tuae pulcritudi- « nis, et amavit divitias tuae virginitatis, et in « Te habitavit, et inter nos fixit tabernacula, et « per Te, Deo et Patri nos reconciliavit; Tu es « thesaurus absconsi ante saecula mysterii; Tu « es liber vere vivus eius, qui in Te tacite fuit « inscriptus Verbi paterni vivifico calamo, Spiri- « tus; Tu sola vere es novi Testamenti volumen « a Deo scriptum, quod Deus ante fecit cum ho- « minibus; Tu es ille decies mille millibus mul- « tiplicatus Dei currus, quae millia locupletum « adduxisti ad eum carne tectum; Tu es mons « Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo « beneplacuit Deo habitare. Ex quo in carnem « concretus, quae, sicut nos, est intelligenter « animata; is fuit coagulatus, qui est super es- « sentialis. O divinum templum, et homo terre- « stris! O columna mortua et vivifica columna! « non carnalem per lucem deducis Israelem, « qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad « inerrantem lucem cognitionis, divinus illumi- « nans facibus. O nubes tota lucida, et mons « umbrosus, non adumbrans ingratum populum « Iudaeorum, sed electum Domini populum, « gentem sanctam maternis tuis taedis illu- « strans! O quovis auro purior, et quavis sen- « sili et immateriali natura! O terra virginalis, « ex qua secundus et vetere antiquior processit « Adam! Quodnam sepulcrum te teget? quae- « nam te terra accipiet, quae coeli et coelorum « naturam superasti sanctitate? Tu vere es, quae « es revera pulcra, et macula non est in te: « parum quid tibi quoque accinat divinissimus « Salomon: Formosa ut Hierusalem, et odor ve- « stimentorum tuorum tanquam odor Libani: « Tu es nova theca unguenti, quod minime exi- « nanitur: Tu es olei unctionis exultatio: Tu es « aromatum, quae intelligentia apprehendun- « tur, suffitus: Tu es flos incorruptionis: terra, « quae fers aromata: lucerna luminosa: quae a « Deo es contexta purpura: indumentum rega- « le: amictus a Deo variatus: aurea specie di- « plois: Verbi purpurae, quae intelligentia per- « cipitur, quae non potest nominari, tinctura: « manu non factum regni diadema: thronus ex- « celsus: porta sublata super coelos coelorum: « regina omnis humanae naturae, quae habes « non comparabilem cum aliis appellationem; « quae, excepto Deo solo, es omnibus altior. « Quaenam Te manus ad sepulcrum component? « Quibusnam ulnis portabimus eam, quae eum « portavit, qui minime potest contineri? Quas- « nam sepulcrales preces in Te fundemus? Qui- « busnam Te deducemus canticis? Quibusnam « autem labiis tuum laudabimus decessum? Qua « voce, quibus verbis magnalia tua ornate enun- « ciabimus? Quamobrem pro omnibus tales Tibi « voces offerimus: Beata es in mulieribus, et « benedicta in generationibus, benedicta in coe- « lis, et glorificata in terra; Te enim grate o- « mnino lingua glorificat, Matrem vitae praedi- « cans; impletum est quidquid est creatum tua « gloria; sanctificatum est universum unguento « boni odoris tui; per Te deleta est peccati oc- « casio; transmutata est in laetitiam primae pa- « rentis execratio; omnes propter Te nobiscum « canunt; gloria in coelo, pax in terra; Te ne- « quaquam potest habere sepulcrum; corpus « enim Dominicum non delent ea, quae inter- « eunt; adversus te non valebunt inferi; ani- « mam enim regiam non attingunt ea, quae ser- « viunt cum aliis. Abi ergo, abi in pace, migra « ex iis, quae sunt in natura creata, mansioni- « bus; placa Dominum pro communi figmento, « nam quandiu quidem versabaris in terra, Te « habuit parva terrae portio. Ex qua autem trans- « lata es a terra, Te universus mundus conti- « net commune propitiatorium. Supra Enoch « magnificare: supra Eliam, in altum extollere, « in laetitia, in gaudio ineffabili, in aeterna lu- « ce, ubi est vere vivere, regnum totum luci- « dum, perpetua Angelorum chorea, praeterea « fruere pulcritudine Filii tui, exple Te deli- « ciis, quae non possunt exinaniri, et beatitu- « dine, in quam non cadit senectus; illic, ubi « est torrens aeternarum deliciarum, ubi sunt « prata incorruptionis; fontes vitae aeternae, « fluenta lucis, quae ex Deo scaturit fluenta « semper viventis lucis effusionis, illic est finis « eorum, quae sunt sperata, et quae nunc spe- « rantur; propalatio eorum, quae occulta fue- « runt, et tunc solum conspiciuntur; compre- « hensio omnium bonorum; ultimus finis, ultra « quem nihil est omnino; illic Pater adoratur, « et Filius glorificatur, et Spiritus sanctus lau- « datur; unica natura unius, quae in Trinitate « est, divinitatis ».

Haec et alia huiusmodi, et quae his sunt longe praestantiora censet Andreas Cretensis ab Apostolis divinitus inspiratis in laudem B. Virginis fuisse decantata. Sic itaque Apostoli huius vitae superstites B. Virginem venerati sunt; modo etiam in coelis beatitudine donati sacrum eidem obsequium reddunt, ut ait Ildephonsus, serm. 7 de Assumpt., et D. Bonaventura, in Ps. B. Virg.: *Te gloriosus Apostolorum chorus sui Creatoris Matrem collaudat.* Hanc Matrem summo amore prosequuntur, Dominam reverentur, Reginam non sine magno stupore demirantur; huius, vel in ipso iudicio praecones erunt, eique gloriam afferent, et honorem, quia eius doctrina irradiati, et spiritu Sapientiae illapso caelitus confirmati, veri Solis splendoribus Ecclesiam repleverunt.

CERTAMEN II.

B. Petri Apostoli in eandem Deiparam cultum et honorem ostendit.

1825. Hucusque omnium Apostolorum in communi pietatem ac cultum ostendimus in Virginem Deiparam; in hoc Certamine specialem uniuscuiusque honorem exhibitum vestigabimus: et primum de B. Petro erit sermo primatum inter eos obtinente.

In tantae igitur Virginis ac Matris amore ferventissimo non poterat non vehementer accendi, et singulari quodam pietatis et cultus affectu erga eam propendere, cum probe sciret se-

ipsius precibus, et suffragatione e profundissimo trinae negationis barathro erutum, ut auctor est s. Gregorius Nazianzenus in tragoedia de Christo patiente, ubi alma Parens sic Filium pro Petri venia alloquitur:

O nate care ! o nate mi ! o Verbum Dei ;
Peccare cum sit insitum homini, ignoscito :
Quod Petrus in te admisit, admisit id metu
Turbae irruentis, et frementis turbidus.

Cui statim Filius respondet :

Iubeo nihil te hic anxiam, o Virgo Parens :
Condono Petro quidquid est lapsus, tua
Vel unius gratia ; nam et ante etiam tibi
Es me obsequentem experta semper Filium.

Huc spectat, quae scripsit Iacobus Bidermannus in Heroum epist., lib. 3, epist. 2, ubi D. Petrum in antro latitantem, et amarissime deflentem inducit, et ad B. Virginem haec elega carmina scribentem, ipsiusque patrocinium implorantem :

Accipe, Virgo, mei Genitrix dilecta Magistri,
Mittitur e latebris, quae Tibi charta, meis.
Illam oculo dignare pio, licet impius auctor
Miserit, auctoris nil habet illa sui.
Quid velit, expectas, quidque oret epistola? ferre
Quam prope sola mihi Tu potes, orat opem.
Mater es, affer opem : laesi tua pignora, laesi,
Auxilio Matris tam grave crimen eget.
Culpa fuit lacrymis si digna perennibus ulla,
Diluerct totis, quam neque Nilus aquis.
Illa fuit, fuit illa meae (nihil abnuo) linguae,
Illa fuit linguae culpa pudenda meae.
Haec lacrymas, haec poscit aquas, satis esse nec Istri,
Nec satis immensae Thetios unda potes.
Non potes esse satis, scio non potes, indiget omni,
Quaeque fuit, quaeque est, quaeque erit, auctor, aqua.
Qualis, ait, tua culpa fuit ? pudor impedit illam
Prodere, sed pudeat prodere, culpa fuit.
Interea pia Mater opem, quam flagito, praesta,
Et veniam a nato, quam rogo, posce tuo.
Hoc precibus dabit ille tuis, neque vota Parentis
Irrita abire suae Filius ulla sinet.

Ut ergo D. Petrus grati animi specimen praeberet in sui auxiliatricem Mariam, ac pietatem et cultum in eandem apud fideles adaugeret, ipsius Deiparae memoriam in sancto Missae sacrificio recoluit, ut patet in eius Liturgia, quam habes, tom. 1 Bibliothecae magnae veterum Patrum, ubi D. Petrus Genitricem Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi et Deiparam Dominam nostram immaculatam et gloriosam nuncupat. Subditque P. Melchior Incofer in epist. Deiparae ad Messanenses, cap. 2, D. Petrum salutationem angelicam in Liturgia a se composita, universo orbi christiano, praecipuo quodam sanctitatis cultu adorandam proposuisse. Addit idem Auctor, c. 57, pietatem D. Petri his non contentam cancellis in Virginem Deiparam, Antiochiae degentis, contendisse a D. Luca, et aliis pictoribus plurimas B. Virginis imagines depingi, ut eas ad gentes exportaret, ut eiusdem cultus et honor in fidelium animis excresceret et evulgaretur.

In eiusdem D. Virginis cultum et honorem adhuc hac vita mortali fruentis sacellum erexit D. Petrus, cuius meminit Raphael Volaterranus, lib. 11 Geographiae in Syria apud Phoenices, aiens : *Antaradum civitas ante Aradum sita, hodie Tortosa dicitur, in qua sacellum Divae Genitricis, primus omnium exstruxit princeps Apostolorum, ex aere Christianorum collato, in quo primum sacrificasse dicitur.* Eiusdem sacelli meminit Iacobus de Vitriaco Cardinalis in Historia orientali, cap. 44, per haec verba : *Anteradensis civitas, vulgari appellatione hodie dicitur Tortosa, in quo B. Petrus Phoenicem circumiens, cum a partibus Hierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honorem Beatissimae Virginis Mariae modicam fundavit Ecclesiam, in qua etiam divina celebravit mysteria, quae usque hodie in magno habetur honore, et multorum populorum accessu frequentatur, eo quod Beatissima Virgo, in illa sibi ab infantia primitivae Ecclesiae consecrata, multa operatur miracula, et infirmis illuc venientibus grata confert subsidia sanitatum. Dicitur autem a multis, quod inter omnes Beatissimae Mariae Ecclesias, ista fuerit prima ; non solum autem a Christianis, sed etiam a Saracenis in magna habetur reverentia.*

1826. Ulterius instante iam obitu Mariae Virginis coram aliis Apostolis, sic peroravit Petrus in Marianas laudes prorumpens, ut refert Amadeus in sua Apoc., raptu 8 :

« Scio, Fratres mei dilectissimi, notum esse « omnibus vobis, quantae dignitatis sit haec, « quam coram vobis cernitis, Virgo, in qua, et- « si omnes sint collatae virtutes, omniaque col- « lecta dona, fervor tamen divini amoris et ze- « lus divinae veneratjonis in ea super omnia « effulsit; quia etsi vero Deo nihil maius sit, vel « esse possit, homines tamen quadam familiari- « tate Dei assueti, ipsum tanquam amicum quen- « dam, et familiarem existimant, et cum tanti « eum faciunt, quanti ipse est: sed haec quam- « vis gratiam Dei semper habuerit, Deumque « ipsum viderit, et ab eo super omnes exaltata « fuerit; semper tamen quadam ineffabili hu- « militate, se quotidie minorem existimans, et « Deum quo magis ei in dies appropinquabat, « a se remotiorem existimabat; remotiorem di- « co, quia semper ipsum digniorem iudicabat. « Haec est illa, quae cum eligeretur in Matrem « Dei, dixit : Ecce ancilla Domini, fiat mihi se- « cundum verbum tuum. Haec est illa, quae in « Matrem Dei electa statim Filio dicebat: Respe- « xit Dominus humilitatem ancillae suae. Quo « ergo magis crescebat, eo se minorem cense- « bat, et quo minor erat in oculis suis, eo maior « coram Deo efficiebatur, etc. Quia ergo Domi- « na nostra Dei Genitrice nemo humilior fuit, « iustum est, ut in regno coelorum nemo sit ma- « ior, atque sublimior ea ».

Addit Amadeus, repletis aliorum Apostolorum laudibus, iussum fuisse Petrum a B. Virgine, ut Eucharistiam consecraret, omnibusque porrigeret, ac demum particulam Corporis Christi reservatam maximo cum tremore, et reverentia sanctissimo ori Virgineo imposuit, ipsaque sacrum viaticum suscepit, eoque suscepto, mox animam ipsius e corpore fuisse egressam.

Rursus Laelius Guidiccionius in sua Ara maxima Vaticana, florido pepigit carmine s. Petri erga Deiparam Virginem studium ac pietatem, ut refert Hyppolitus Marraccius in libello aureo, cui titulus *Apostoli Mariani*. Carmina sic se habent:

Sancte Pater, Galilaee senex, fortissime ovilis
Custos Romulei, salve, tibi contigit uni
Christi implesse vices, primum mox Virginis ore
Christiparae, alloquioque frui, coelestia facta,
Et genus, et studia, et mores tibi nosse licebat.
Salve magne senex, lateri tu fidus inhaeres,
Dum sonitu adspiras, coelum discedit, et intra
Conclave interius iaculatur flammea dona:
Et desiderio tabentia corda fideli
Solatur, duplicique aestu compensat amorem
Aestiferum, carosque ignito vertice signat.
Praeterea dum digressus meditata supremos
Tanta oculis Regina viam designat Olympo,
Unde nos inter proceres (nam Didymus absens
Non explet numerum) famulantum, et mira canentum
Inter pennigerum coetus, suspiria cordis
Virginei, atque ignes, et verba novissima condis,
Lustralesque adhibens in membra haud indiga lymphas,
Lymphas contactu puro, purissima posthac
Dona sacras: fortunatum neque deseris unquam
Cervical; positoque genu, lacrymisque profusis,
Dum terris superest, animatum sydus adoras
Undantis pelagi, tua quod ratis inclyta sulcat,
Et nitidam coeli portam veneraris, ubi ipse
Claviger es quondam lectus, sanctumque cubile
Contingens fletu praedulci; et multa precatus
Pro sociis, pro desertis munimine terris,
Hanc ipsam imploras, solidum munimen ab alto,
Expectata diu quo tandem Regia Virgo
Successit; mox orba sacro cum pignore busta
Sunt lustranda; tuis potuit scrutatile marmor
Auspiciis (quando haec iam tum, tua summa potestas
Tanta fuit terris, quanta est non maior ab astris)
Pandere thesauros, reserare et pignora coeli.

Hanc pietatem et cultum erga Virginem Deiparam a D. Petro hauserunt eius discipuli, s. Marcus evangelista, Maternus, Martianus, et alii. Siquidem D. Marcus plurima elogia congerit in sua sacra Liturgia, quae reperitur, tom. 1 Bibliothecae magnae veterum Patrum, ubi vocat Virginem Mariam sanctissimam, intemeratam, illibatam, immaculatam, dominam nostram, benedictam. Et apud Salazarium, de Concept. c. 42, saeculo 1, Divo Marco attribuitur Aethiopum Liturgia, ubi Marianae laudes saepius decantantur; haec enim ibi seruntur verba: *Salve, Virgo Maria Dei Genitrix; Tu es thuribulum aureum, quae carbonem ignitum portasti: laetare, Domina, quia salutem sanctam deprecamur: o Virgo in omni tempore Mater Dei, et Christi, effer sursum, et in altum orationem nostram apud electos Filii tui, ut remittantur peccata: laetare, Domina, quia peperisti nobis lumen verum Iesum Christum Dominum nostrum; ora pro nobis apud eum, ut misereatur animae nostrae: ora pro nobis in conspectu Filii tui: laetare immaculata vere Regina: laetare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem; o vere Mediatrix ante Deum nostrum Iesum Christum, Te supplices exoramus, ut memor sis nostri*, etc. *Servi tui hodie ministrantes sacerdos, et diaconus, et omnes ministri, populus, et ego pauper servus tuus, et peccator absolvamur per os Trinitatis sanctae, Patris, Filii, et Spiritus sancti, et B. Mariae coeli secundi.* S. Marco etiam attribuuntur omnia Virginis festa, si unam demas nativitatem, quae ab ipso sub variis titulis adnotantur. De quo videndus Salazarius, de Concept. c. 35, § 1; Oieda de Concept., c. 2.

1827. Eiusdem Virginis encomiastes egregius ostenditur ipse Marcus, in encomio illo ab ipso facto post Apostolos, in dormitione Virginis, ut habetur apud Amadeum cit. Sic ergo exorditur: *Recessurae a nobis corporali praesentia Matri Dei, et ad aethereum thalamum accessurae omnes nos commendemus, laudatissimam ipsam Virginem omnes ample laudastis, omnesque procul dubio a laude defecistis. Si namque omnia grana arenae maris, omnia herbarum folia, omnes guttae maris, omnes coeli, omnia lilia, rosae, et alii flores, omnia animalia, artus, et partes eorum, omnes Angelorum exercitus, et quaecunque alia excogitari possunt, in linguas converterentur, et mille annis loquerentur, quanta et qualis sit haec Virgo, quam laudamus, nunquam exprimere possent. Laudavimus, non quantum debuimus, quia id impossibile est, sed quantum potuimus: tu quoque nos Filio tuo, o piissima Dei Genitrix, etsi non quantum potes, saltem plusquam meremur, commendabis, ut una tecum tempore suo, gaudia aeterna possidere valeamus; praestante illud tuis obsecrationibus Patre et Filio et Spiritu sancto unico Deo, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* De aliis discipulis D. Petri, deque illorum pietate ac cultu in Virginem Deiparam tractat. cit. Hyppolitus in suis Marianis Apostolis ad finem, cap. 2. Solum hic appingam illustre encomium D. Martiani discipuli eiusdem D. Petri in B. Virginem, quod deprompsi ex P. Octavio Caietano Societatis Iesu, in libro cui titulus: *Origines illustrium aedium sanctissimae Matris, et Virginis Mariae in insula Siciliae.* Ait ergo: quo tempore s. Petrus Apostolus Antiochiae versabatur, cum ubique terrarum, ac praecipue apud graecos populos, quam celeberrimae Syracusae essent, satis agnosceret, multo maxime eas ornamento, ac longe praestantissima sanctae fidei gloria cohonestare decrevit. Itaque anno 40, Martianum eo misit episcopum, qui non minorem inter Apostoli discipulos, ob doctrinae et sanctitatis specimen, tenebat locum. Hic quippe, qui summa erat erga Virginem pietate praeditus, illius imaginem secum tulit, cuius specie et pulcritudine, cum divinum in se amorem fovebat, tum etiam populorum animos illustrabat, et ad Christum alliciebat, illa tanquam coelesti fulmine idolorum statuas abiicere; illa velut firmissimo clypeo ab stygiis monstris sese defendere: illa tanquam ancipiti gladio ex energumenis horrendas larvas depellere; illa tanquam caelesti medicina, caecis visum, loquelam mutis, surdis auditum, claudis et paralyticis integras vires impertiri, leprosos mundare, aegros morbis liberare consueverat: adeo ut iure optimo haec imago, ingens miraculum, seu miraculorum

mirificum Instrumentum appellari possit. Eam collocavit in antris, *Pelopia*, quondam nuncupatis; nunc vero ab aede superextructa, *Divi Ioannis Apostoli*, dictis, ad inferiorem partem Achradinae: nec enim sinebat tyrannorum saevities, templa aedificari, perinde ut fidelium Syracusanorum animi peroptabant. Eodem in loco D. Martianus morabatur, ibi docebat, ibi baptisterium habebat, et sacris operabatur, veluti sub tutela et patrocinio s. Dei Genitricis.

CERTAMEN III.

De s. Pauli in B. Virginem pietate et cultu.

1828. Nihil mirum, si Paulus Apostolus ingenti studio et amore in B. Dei Genitricem raperetur, cum optime sciret eiusdem Virginis precibus a Iudaeorum castris ad Christi militiam fuisse traductum. Ita Thomas Massutius in vita s. Pauli, lib. 2, c. 2. Paulum itaque quasi Beniamin precibus suis Virgo B. Christo peperit. Videndus Lorinus, et Cornelius a Lapide in c. 7 Act., Rutilius Benzonius in exposit. Ps. 86, qui ait traditionem esse, Deiparam Virginem non solum pro B. Stephano, sed etiam pro Paulo preces fudisse, dum lapidantium Stephanum vestimenta custodiret. De eodem Paulo ait Amadeus in sua Apoc., raptu 8:

« Paulus antequam in Arabiam ivisset, voluit « Dei Genitricem videre, quam cum vidisset, et « sapientissime Filii sui mysteria propalantem « audiret, et veteris Testamenti, omniumque « dubiorum nodos dissolvere videret, prostra- « tus in terra Christum Dominum et Matrem « eius adoravit, dixitque: Usque nunc a die « conversionis meae Filium Dei credidi; nunc « vero ex divinitate Matris, Deitatem Filii cla- « re cognovi: Benedictus sit Dominus meus Ie- « sus Christus, qui me minas sibi parantem « illuminavit, et ad se cor meum aversum at- « traxit. Benedicta sis et tu, Mater Domini Dei « mei et Regis omnium, quia in te omnes the- « sauros sapientiae et scientiae Domini Dei « mei reconditos video. Instructus ergo ab ea « de omnibus scientiis, abiit in Arabiam, divi- « ni amoris flamma totus ardens, et totus suc- « census incendebat omnes, et plures fructus « ipse solus laboribus suis Ecclesiae attulit, « quam quicunque alius Apostolorum; et hoc « est quod de se ait: Plus omnibus laboravi, « non quidem plus omnibus simul collectis, sed « plus quocunque aliorum seorsim sumpto. Et « dum convertisset Dionysium philosophum e- « gregium, et ei bene credenti ea secreta, quae « audierat a Matre Christi Domini, reserasset; « ille statim permotus desiderio eam videndi, « licentia a Paulo obtenta, tandem ad ipsam « pervenit, et illico ut vidit faciem eius, immu- « tatum atque exultatum est cor eius, et gau- « dio atque exultatione plenus in haec verba « prorupit: Vere Dei Genitrix es, o Maria, quia « divinitate plena es tota: si enim te videre, « tantum bonum est, tam iucunda res; quid e- « rit, videre ipsum Deum, bonum omnis boni? « et prostratus in terra dixit: Deum Trinum et « Unum, quem Paulus me docuit, in te, o Vir- « go purissima, adoro, et te tanquam Dei Geni- « tricem colo. Tunc ait Maria: Antequam Pau- « lus tibi praedicaret, vidi te, et audivi vocem « tuam, quando dixisti, sole obtenebrato prae- « ter cursum naturae: Aut totius naturae con- « ditor patitur; aut tota mundi machina destrui- « tur. Et locuta est cum eo disertissime lingua « graeca, ita ut stupore, et admiratione nimia « repleretur, et post longam Trinitatis sanctis- « simae, et Filii sui Incarnationis, et aliorum « mysteriorum instructionem, remisit illum ad « Paulum, perfectum in fide, perfectumque non « solum in humana natura, cuius partem etiam « ante conversionem habebat, sed etiam in di- « vina ». Haec omnia Amadeus.

Sed antequam D. Dionysius Paulum Apostolum conveniret, hanc ei misit epistolam teste Ferreolo Locrio, lib. 5 Mariae Augustae, c. 6 et aliis pluribus Doctoribus ab ipso relatis. Epistola sic se habet:

Servus et novissimus vinctus Dionysius, electissimo vasculo caelico, Paulo praeceptori et principi, salutem.

« Confiteor coram te, princeps mi, ab homi- « nibus non posse percipi, quam ego oculis, « non tantum mentis, sed corporis, vidi, per- « spexi, atque propriis oculis intuitus sum, Dei- « formem, atque supra omnes angelicos spiri- « tus sanctissimam Matrem Iesu Christi Domi- « ni nostri, quam mihi benignitas Dei, et cle- « mentia Salvatoris, et gloria maiestatis Deifor- « mis Virginis Matris eius, ostendere dignata « est. Quoniam cum a Ioanne vertice Evangelii « et Prophetarum, qui in corpore habitans, « quasi sol fulget in coelo, ductus fui ad Dei- « formem praesentiam altissimae Virginis, tan- « tus me immensus divinus splendor circum- « fulsit exterius, et plenius irradiavit interius, « tanta etiam in me, omnium odoramentorum « superabundavit fragrantia, ut nec corpus in- « felix, nec spiritus posset totius ac tantae fe- « licitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, « defecit spiritus meus tantae gloriae maiesta- « te oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, « Deum si tua doctrina non me docuisset, hanc « verum Deum esse credidissem; quoniam nul- « la videri posset maior gloria Beatorum, quam « felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc ve- « ro felicissimus degustavi. Gratias ago summo « atque optimo Deo, divinaeque Virgini, et e- « minentissimo Apostolo Ioanni, et tibi Eccle- « siae vertici, atque principi triumphanti, qui « mihi talia clarissime et clementissime prae- « stitistis. Vale ».

Itaque Paulus Evangelii lumen in orbem deferens, atque hominum animos ad pietatem accendens, inter alia praedicationis mysteria, B. Virginis prodigium fuit, cuius caelestis vitae sublimitas, ac miraculum ex longinquis terrarum tractibus, ad spectandam propius plurimos evocabat. Messanenses crebra Mariae Virginis Hierosolymis commorantis dulci repetitione a

D. Paulo facta permoti, electis viris, tanquam legatis, per epistolas tantae Virgini urbis suae, ac civium tutelam commiserunt. Quibus annuit B. Virgo, ac sua manu literas hebraea lingua rescripsit ad eos, suamque voluntatem in eos propensam testata est, ut tradit Alphonsus Villegas tom. 2, cap. 20; Constantinus Lascaris in prologo, in Epist. B. Virg. ad Messanenses; Navarrus, lib. de orat. c. 21, n. 28.

1829. Nunc restat ut eiusdem Pauli sermonem inseramus in transitu B. Virginis habitum coram reliquis Apostolis, ut habetur apud Amadeum in sua Apoc., raptu 8, his verbis :

« Nunquam ego, Genitrix Dei nostri inclyta, « et tu Petre, cui claves Regni coelorum spiri- « tualiter datae sunt, vosque Apostoli dignissi- « mi Domini nostri Iesu Christi, in hunc locum « conscendissem; nisi verba Andreae constan- « tissimi Apostoli, imo verba ipsius sapientiae « Christi Domini movissent, dicentis : Qui ma- « ior est vestrum, erit minor, et minister vester: « non enim inter nos debet esse, sicut in curiis, « et domibus regum huius saeculi. Maiorem « itaque me faciendo, minorem fecistis, quia « haec maioritas servitus est Iesu Christi. Eni- « tar ergo tanto humilior esse in omnibus, quan- « to me maiorem fecistis, quia haec maioritas, « ut dixi, servitus est Iesu Christi. Ille utique « maior est, qui Deo magis se humiliat; ille di- « gnior est, qui indigniorem se putat; ille san- « ctior est, qui se iniustiorem credit; cuius rei « exemplum ecce coram nobis habemus in Vir- « gine humillima, cuius humilitatem supra o- « mnia alia respexit Deus, quamvis ipsa sit de- « cora mente et corpore, et nulla virtus sibi de- « ficiat; tamen Altissimus in excelsis habitans, « humilia respicit in coelo et in terra, humili- « tatem eius respexisse dicitur, superbumque « Luciferum de coelis ad tartara detrusit, et « Mariam humillimam super omnes choros An- « gelorum sublimavit. De cuius ingenti gloria « et innumerabili gaudio in sempiternum dura- « turo, et de coelestis curiae dispositione, tan- « quam ille, qui raptus fui usque ad tertium « coelum, quaedam coram vobis ego minimus « Apostolorum dicam. Coeli, ad quos nunc, o « Maria, properas, ut oculis clare conspexi men- « tis meae, septem sunt; quorum unumquod- « que unam lucem tantum gerit. Primum qui- « dem lunam; secundum mercurium; tertium « venerem; quartum solem; quintum martem; « sextum iovem; septimum saturnum. Deinde « est octavum coelum, in quo sunt omnes aliae « stellae quas videmus, et plurimae sunt quas « videre non possumus; omnes tamen sunt in « coelo illo, in quo sunt duodecim signa, scili- « cet aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, « libra, scorpio, sagittarius, capricornus, aqua- « rius, et pisces. Super illud est unum coelum, « in quo nulla stella est, sed ipsum motu diur- « no iugiter movetur, cuius motus unicus est, « et velocissimus, et miro modo secum ducit « omnes coelos inferiores : qui coeli etiam alio « motu moventur continuo: nam etsi velocissi- « me moventur ab oriente in occidentem, ta- « men mixtim cum mirabili proportione moven- « tur tardius ab occidente in orientem: in quo- « libet enim minuto magna portio coeli inferio- « ris ab oriente in occidentem fluit: et dum fluit « illa magna portio, parva pene et imperceptibilis portio eiusdem revertitur, quam reversionem luna citissime consummat: mercurius, « venus, atque sol pene in tempore aequali; « cursus autem solis sub circulo zodiaci notus « est omnibus; mars in sex annis; iupiter in « tredecim; saturnus in triginta; stellatum coe- « lum in centum annis gradu uno. Super omnes « istos coelos mobiles est coelum immobile, in « quo tanquam in loco omnia moventur : locus « autem ipse manet immobilis. Unde omne a- « liud continens ut contentum continet, et prout « ratione illius continet, immobiliter continet: « unde omnes de loco tractantes, ipsum immo- « bilem esse dixerunt, ut verum est; nam si « immediate continens, ut aqua, vel aer, fluat, « non tamen continens ultimum fluit ratione hu- « ius firmitatis et immobilitatis. Locus dicitur « immobilis, et res nunc existens in uno conti- « nente proximo, nunc in alio, non dicitur lo- « cum mutare, quia ad primum continens eun- « dem, secundum semper terminatur. Si illud « coelum non esset, nihil proprie locum habe- « ret; illud autem coelum est mira arte confe- « ctum, ut non solum spiritibus, sed etiam cor- « poribus humanis sit habitaculum aptissimum « et gratissimum : ibi prima post Deum erit ani- « ma Christi Filii tui, o Maria sanctissima, quae « ab ipsa Trinitate illuminatur et perficitur : « Tu vero etiam ab illa illuminaberis et perfi- « cieris. Post te erit Michael, Gabriel, et ita ul- « terius, iuxta quod Dyonisius meus hic existens « iam literis conscribere coepit. Scio te, o Ma- « ria, nihil eorum, quae hodie loquor, fugere; « loquor tamen, ut probes coram fratribus meis « verba mea. Merces tua, ut ipsa nosti, est ma- « gnanimis, omnem certe beatitudinem et mer- « cedem superat; tui sumus famuli, tui omnes: « memor esto nostri, tu Regis nostri Mater, ut « vota nostra persolventes, efficiamur digni re- « promissionibus Christi, cum quo ecce vivere « et regnare feliciter pergis, qui cum Patre et « Spiritu sancto vivit et regnat in saecula sae- « culorum ».

Deipara Virgo iam morti proxima post Petrum, Paulum salutavit, inquiens: Vale etiam tu, Paule, vas electionis, porta nomen Domini Iesu coram gentibus et regibus, et filiis Israel, ut ait idem Amadeus. Refertque Cosmas Vestitor apud Pelbartum in Stellario, lib. 10, part. 5, art. 1, Paulum etiam allocutum sic Virginem resalutasse: Ave impetratio mei solaminis; licet enim Christum in carne non viderim, tamen cum Te video, ac si ipsum tuum Natum viderem, consolor in spiritu: usque modo Deum Te genuisse gentibus praedicavi, amodo Te ad ipsum translatam docebo.

Praeterea docet Franciscus Martorel in Historia cinguli B. Mariae c. 7, ipsum Paulum apostolum per Hispaniarum regna evangelicae veritatis inferendae causa peragrantem, in Dertu-

sensi urbe idolorum templum in verum Dei cultum convertisse, illudque Dei Matri et Angelorum Imperatrici consecrasse.

Demum in suis epistolis pro singulari in Mariam studio et amore, haudquaquam B. Virginis oblivisci potuit; ait enim ad Gal. 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Quibus verbis alibi commodum et honorificum sensum dedimus. Nunc addo ex mente s. Cyrilli Hierosolym., Catechesi 12, eius virginitatem adstruxisse; non enim dixit, *ex viro et muliere*, ait Cyrillus, sed *ex muliere* tantum, hoc est ex Virgine: imo I Cor. c. 15, B. Virginem coelum appellare visus est, cum primum hominem, scilicet Adamum de terra terrenum, secundum vero, nempe Christum, de coelo coelestem appellavit: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis.* Ubi materiam, ex qua conditus fuit Adamus, ait fuisse terram; at vero Christi coelum, non ex eo quod Christus Dominus de materia coelesti efformatus fuerit, ut sacrilege blaterabat Valentinus, et alii haeretici, sed quia effigiatus fuit ex purissima B. Virginis substantia, quae coelis purior ac nitidior candicabat. Hanc mihi mentem iniecit Rupertus abbas, lib. 1 in cap. 1 Matth., ubi sermonem instituens de coniugio Mariae et Iosephi, in haec verba prorumpit: *O coniugium coeleste, non terrenum!* etc. *Verissime,* inquit Apostolus, *quia primus homo de terra, terrenus, secundus homo de coelo, coelestis; non quod iste Iesus Christus, qui ex Maria natus est, de coelo cum carne venerit, et per Mariam, quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt haeretici; sed quod coniugum vita tota fuerit coelestis, quorum utique conversatio erat in coelis.*

Sed iuvat hic ex eodem D. Paulo immaculatam B. Virginis conceptionem iuxta litteralis sensus rigorem aperire et evincere, quod prius praestitere doctissimi iuniores, quos infra allegabimus. Ait ergo Paulus ad Rom. 5, vers. 15: *Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit.* Quorum verborum triplex afferri solet literalis interpretatio. Prima est communior inter interpretes, iuxta quam confert Apostolus virtutem transfundendi peccatum in Adamo cum Christi gratia, qua omnes nos redemit, a qua longe excelli illam demonstrat; siquidem Christi gratia abundantior exstitit in bonum, quam primaevum delictum in malum. Quod innuit Apostolus verbis illis: *Sed non sicut delictum, ita et donum.* Quod ut evincat, subiicit: *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia* (hoc est per gratiam) *unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Communior interpretum sensus ita explicat praedicta verba: sicut Adami peccatum multos, id est omnes infecit; at multo uberius et efficacius et facilius gratia Christi illi ipsi multitudini profuit, ita ut collatio solum fiat inter vigorem delicti cum natura gratiae in seipsis, non autem quoad personas, vel in extensione personarum. Ita plures apud Celada de Iudith figurata, § ultimo. Fundamentum huius interpretationis depromitur ex origine graeca, quae eadem est, quando ait Paulus *multi*, ac quando scribit *plures.* Unde Christi redemptio iuxta hunc sensum non protenditur ad plures, quam Adae praevaricatio. Sensus ergo praedictorum verborum, iuxta hanc communem interpretationem, hic erit: sicut Adae delictum omnibus nocuit, ita Christi gratia eisdem omnibus profuit, cum hoc tamen discrimine, quod Christi gratia potentius, efficacius et exuberantius gratiarum fluenta diffudit. De quo videndus Salmeron ad praedictum locum Pauli; Cornelius a Lapide ibidem.

Strabus Fuldensis vocem, *plures*, comparative accipit in ordine ad *multos*, quibus Adae delictum nocuit, ita ut sensus verborum sit: Adae delictum *multos* infecit, id est omnes homines; at Christi gratia *pluribus* profuit, nempe hominibus et Angelis. Cui sensui auxiliari videntur Salmeron, Pererius, Iustinianus, Cornelius, et apud hunc Suarius; itaque eiusmodi excessum, quem dicit vox *plures*, non comparatione hominum agnoscunt hi Doctores, sed comparatione Angelorum, ac si protoparentis delictum in omnes homines redundaverit, gratia autem Christi Domini etiam ad Angelos se diffuderit.

Sed bona tantorum Patrum ac Doctorum venia, magis mihi semper arrisit aliorum recentiorum Doctorum interpretatio, quae planior ac litterae conformior mihi semper visa fuit. Asserit ergo haec sententia, vocem *plures* secundum excessum in ordine ad homines esse accipiendam; ita ut reipsa redemptrix Christi gratia ad plures numero personas naturae humanae se protenderit, quam Adae delictum, nempe quia peccatum Adae non irrepsit in B. Virginem, ita ut sensus sit illorum verborum: *Non sicut delictum, ita et donum;* siquidem donum gratiae Christi redemptricis uberius est, quam nocumentum, quod per praevaricationem in mundum invexit. Sedenim in primo parente *multi*, id est ferme omnes infecti sunt ipsius peccato: verum gratia Christi in plures personas naturae humanae protensa est; nam originali peccato omnes homines mortui sunt, una dempta Maria: at gratia redemptrix Christi etiam porrigitur ad B. Virginem, quae nec in Adamo mortua fuit, nec ipsius peccatum incurrit; sed redemptione nobiliori, singulari privilegio per Christum, ab originali piaculo fuit praeservata. Ita explicant praedictum Pauli locum, Herice in 1 p., tract. 3, disp. 35, cap. 2, num. 3; Celeda cit.; Didacus de Alarcon in 1 p., tract. 4, disp. 5, cap. 9, num. 5; Iosephus Garnizo, speciali tractatu pro definibilitate sententiae immaculatae Conceptionis. Huic etiam explicationi adfavet Cornelius a Lapide ad eundem locum vers. 19, ubi haec subiicit verba num. 310: *Septimo non peccatum Adae, sed gratia Christi se extendit ad B. Virginem, quae est mare gratiarum.* Huic etiam sensui adstipulatur P. Benedictus Iustinianus in praedictum locum, dum premit num. 5, verba illa: *In plures*

abundavit. Quae sic commentatur : *Denique Adae iactura intra suam duntaxat posteritatem clauditur, ita tamen ut etiam ex ipsa excipiendus sit Christus, et Beatissima etiam Virgo*, etc. *Christi vero gratia ad omne genus hominum pertinere potest.* Alii etiam doctissimi iuniores adhaerent huic interpretationi, D. Franciscus Sanchez de Villanueva, Archiep. de Taranto; D. Fr. Antonius Perez, Archiep. Tarracon. in epist. ad Rom., controv. 2, cap. 21 ; D. Fr. Petrus Perea Episcopus de Arequipa in epistola ad Regem Catholicum ; Ambrosius Pennalosa in speciali tractatu; Guerrero, Proleg. 2 in Cant.; Fr. Petrus de Simancas in speciali tractatu, et alii.

Nec solum Doctorum fulcro hic sensus verborum Pauli constabilitur , sed etiam ratione roboratur, nam ut in Palaestra III de Conceptione cum D. Augustino statuimus , illa interpretatio locorum sacrarum Scripturarum est proprior , ac sensui ab Spiritu sancto intento conformior, quae verba sacrae Scripturae in significatione sua propria accipit, omni seclusa translatione , figura et allegoria , quoties sine incommodo verba in sua propria ac genuina significatione accipi possunt : at propria et germana huius vocis *plures* acceptio denotat excessum in numero, et pluralitate Personarum ; cum ergo nullum inde subsequatur incommodum, in illa utique significatione accipi oportet. Quod autem vox *plures*, excessum et extensionem personarum significet potius, quam intensionem alicuius excellentiae, apud Grammaticos est notissimum. Nunc autem nemo reputat absurdum affirmare, Virginem Deiparam in Adamo non peccasse, sed est ipsamet veritas , solum non definita: cum ergo vox *plures* proprie accepta excessum dicat in personis , nullumque inde absurdum, aut incommodum inferatur; nihil obstat , imo veritati consonum est, ut Pauli verba rigorose accepta Virginem Deiparam ab originalis delicti labe eximant ac vindicent. Nec dicas, etsi B. Virgo immunis fuerit ab originaria culpa , improprie valde dici Christi gratiam *in plures* abundasse , quam Adae praevaricatio ; solum enim excessus cadit in unam personam, cum tamen vox *plures* pluralitatem et excessum personarum innuat. Respondeo enim, vocem *plures* pluralitatem dicere, non tamen in excessu comparationis, sed in universa numeri aggregatione. Exemplo res planior fiet : e duobus enim qui cathedram exambiunt , primus habeat quinquaginta suffragia, alius quinquaginta et unum ; propriissime dices de secundo, plura suffragia adeptum. Praesertim cum una B. Virgo, in quam excessus ille gratiae redemptricis cadit supra primordiale delictum, plus adepta fuit gratiae Christi , quam reliqui omnes simul sumpti, ut supra fuso calamo ostendimus , licet autem vox *plures* excessum indeterminatum ex se significet, coarctanda tamen ex aliis sacrorum Voluminum locis, tum ex Conciliis et Patribus; cum autem sola B. Virgo ab universali peccati originalis lege eximatur, ideo excessus ille , quem innuit vox *plures*, in solam Virginem Deiparam cadere potest.

Sed adversus hanc verborum D. Pauli explanationem , quam hucusque propugnavimus, ingentem argumenti molem opponunt adversarii, qua illam impetant et arietent; sed incassum , ipsa B. Virgine nobis auxiliatrice. Aiunt ergo in textu D. Pauli, dum ait , gratiam Christi in *plures* abundasse, in textu graeco pro voce *plures* , substitui vocem πολλῶς ; qua eadem voce Apostolus utitur , cum asserit supra: *Multi mortui sunt;* ubi pro voce *multi*, habetur in graeco textu πολλοί. Ex quo manifeste evincitur , vocem *plures* , quam paullo infra ponit, non innuere comparationem per personarum excessum in numero: itaque eosdem quos dixerat *multos* paullo ante , modo eadem voce graeca *plures* vocat, eodem graecae vocis significatu. Quod ut confirment, addunt in translatione syriaca ita haberi: *Redundavit in multos*, non sicut noster Vulgatus habet : *In plures abundavit.* Chrysostomus item et Beda concinunt translationi syriacae , dum vertunt: *In multos abundavit* ; et Vatablus: *In multos exuberavit.*

Verum advertere oportet, vocem graecam πολλῶς, imo etiam et latinam *plures*, modo innuere et significare multos absolute sine excessu in numero , modo cum excessu et pluralitate aliorum. Sic dicere solemus: plures Doctores hunc sentiendi modum tutantur, id est multi ; tum etiam: multi Doctores hunc sensum D. Pauli verborum amplectuntur, sed plures in oppositum abiere. Idem probat Celada citatus, num. 165 de voce graeca πολλῶς, et varia agglomerat exempla. Quod vero in praefato loco D. Paulus per vocem *plures* , excessum adsignificet in personarum numero , inde clare elici potest , quia Apostolus hanc sibi propositionem probandam assumit : *Non sicut delictum , ita et donum.* Ut autem probet hunc excessum et exuberantiam doni, seu gratiae per Christum comparatione originalis delicti, subiicit : *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Ac si diceret : per praevaricationem Adami multi , id est omnes, aut fere omnes eius posteri mortui sunt in ipso, et in seipsis per ipsum ; at Christi gratia redemptrix in plures personas protensa est, quam Adae culpa originalis , quae se extendit ad multos, id est omnes fere, quia neque ad Christum, neque ad Virginem Deiparam se extendit ; bene vero gratia Christi in plures protensa est , quia in omnes posteros Adae diffunditur, etiam in B. Virginem , et quidem multo exuberantius. Et quidem hunc excessum adsignificare vocem *plures* hoc loco , ex eo constare potest, quia apponitur cum respectu et comparatione ad multos; tunc autem vocem *plures* denotare excessum in numero personarum , evincit Celada variis sacrae Scripturae locis. Tametsi ergo vox latina , *plures*, et graeca πολλῶς possit sumi absolute sine ullo excessu : at quando apponitur cum respectu et comparatione ad multos, ut in praesenti, tunc sumenda est cum excessu et pluralitate personarum. Licet autem Chrysostomus , Beda , Vatablus ac Translatio syriaca verterint

in multos, at noster Vulgatus interpres, quem assectari debemus ex praescripto concilii Tridentini, non vertit *in multos*, sed *in plures*. Quam versionem amplectuntur Biblia regia, Complutensis, et aliae translationes; tum Patres reliqui, graeci et latini.

Adhuc opponi potest adversus praedictam interpretationem, quia donum Redemptionis per Christum, sive gratia redemptrix Christi, de qua Paulus ait in plures abundasse, quam Adae delictum; vel solum sumitur quoad sufficientiam, nempe quoad extrinsecum Christi meritum respectu nostrum, vel sumitur quoad efficaciam, id est quatenus est gratia hominibus collata de facto ex Christi meritis. Si primo modo sumatur, sicut gratia redemptrix Christi meritorie ad omnes homines diffunditur; ita etiam Adami peccatum omnibus imminet quoad debitum illud incurrendi dempto Christo, etiam Virgini Deiparae, quae iuxta plures contraxit debitum peccati originalis; ergo iam Christi donum non abundavit in plures personas. Quod si gratia redemptrix Christi sumatur quoad efficaciam, licet B. Virgo immunis fuerit a peccato originali, non tamen protensa est ad plures personas; nam multo plures homines de facto per peccatum originale mortui sunt, quam reapse per Christi gratiam vitam hauserint: siquidem omnes homines, dempto Christo et B. Virgine, originale peccatum contrahunt, cum tamen plurimi gratiae sanctificantis dono frustrantur; ergo dicendum est, vocem *plures* non protrahi ad plures personas Respondeo D. Paulum non agere solum de dono extrinsecae duntaxat redemptionis, sed de omni gratia extrinseca et intrinseca, atque de omnium gratiarum cumulo, quem per Christum adepti sumus adversus peccatum. Nunc assero argumentum nihil probare in nostra sententia affirmante, B. Virginem caruisse originalis piaculi debito contrahendi: tunc enim Adae praevaricatio omnibus imminet, dempta Virgine; ab omnibus contrahitur, eadem excepta. Gratia autem extrinseca redemptionis, quae communis est omnibus, et intrinseca specialis, quae praeservat a delicti contrahendi reatu, per Christum in B. Virginem exuberantius abundavit; unde verissimum est, gratiam redemptricem Christi in plures fuisse protensam, quam primordiale protoparentis delictum. Verum contendo, licet B. Virgo incurrerit debitum delicti originarii, adhuc argumenti facti vim infringi posse, dummodo asseramus, quod iam certum est, Virginem Deiparam a noxa originaria immunem fuisse. Quia omnes Adae posteri, dempta Virgine, originalis peccati macula infecti sunt: sola B. Virgo hanc maculam non contraxit privilegio gratiae redemptricis per Christum praeservata: ergo licet Adae peccato *multi*, hoc est omnes, dempta Maria, mortui sunt, tamen gratia Christi Virginem praeservans, sic illam antecedenter praevenit, ut nunquam reapse peccati mucrone mortua iacuerit, sicut reliqui omnes: itaque omnes Adae posteri vivificati sunt quoad sufficientiam, multi etiam quoad efficaciam, sed post peccati originalis contractionem: sola B. Virgo, Christi gratia praeventa est, ne peccati vulnus contraheret. Quocirca verissimum manet Apostoli dictum, quod donum gratiae redemptricis per Christum in plures secundum excessum personarum abundavit, quam Adae delictum, sive gratia Christi sumatur in ordine ad sufficientiam, sive in ordine ad efficaciam. Reliqua argumenta, quibus adversarii nostram interpretationem refellere contendunt, vide apud Celadam citatum soluta. Solum adverto excessum hunc, quem innuit vox *plures*, non intelligendum de extensione ad Angelos, ut contendit secunda sententia. Primo, quia plurimi Theologi docent, Angelos non fuisse Christi gratia condecoratos. Secundo, quia Paulus in illa antithesi solum confert *multos* per Adamum mortuos, et *plures* per Christum vivificatos; itaque sicut suppositum vocis, *multi*, sunt homines, etiam suppositum et subiectum vocis illius, *plures*; neque aliud potest esse subiectum, nisi quod proxime praecessit: at sermo solum praecessit de hominibus, non vero de Angelis.

CERTAMEN IV.

S. Ioannis Apostoli miram in B. Virginem pietatem et cultum depraedicat.

1830. In hoc cultu Mariano Ioannes nulli secundus exstitit, imo inter omnes primas tulit, auctore Hieronymo serm. de Assumpt.: *B. Virginem*, ait, *etsi omnes venerati sunt discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen amplius ac specialius usque in finem vitae, qui sibi commissam accepit in suam quasi Matrem Filius, cui benignus Magister de cruce: Mulier, inquit, ecce filius tuus; et ad discipulum: Ecce Mater tua*, etc. *Non enim pudicissima virginitas alicui discipulorum reclius quam Virgini commendatur, ut esset adinvicem grata societas, et floridus adspectus, nec non et venustas conversanti vernans, alternatim pudicitiarum splendore decorata.* Sed praestat nunc gratas aures praebere plusculis B. Thomae a Villanova nostri Praesulis Valentini verbis, quae admirandam D. Ioannis Apostoli in Virginem Matrem pietatem et amorem nobis luculentissime ante oculos proponunt. Ait ergo serm. de s. Ioanne:

« Pendebat in cruce moriturus, et unde ve-
« nerat, rediturus Iesus, disposuit testamentum
« electis suis, Patri spiritum, Ecclesiae corpus,
« peccatoribus sanguinem, latroni regnum, mi-
« litibus vestes, Petro Ecclesiam, Apostolis Pa-
« racletum, electis charismata liberaliter distri-
« buit. Aderat ibi dilectus, quid sibi legaretur,
« exspectans. Quid tibi, o dilecte, legabo? Quid
« in ultimis dabo tibi? Ecce Mater tua. Haec o-
« mnium, quae possideo, carissima et pretiosis-
« sima gemma; hanc tibi trado, hanc dono. Et
« ad Matrem conversus: Mulier, ait, ecce filius
« tuus; et ex illa hora accepit eam discipulus
« in sua, exultans et gaudens, quia talem sibi
« haereditatem eius Dominus reliquisset. Vere
« funes ceciderunt ei in praeclaris, et haec eius

« haereditas praeclara est sibi. O magnum di-
« lectionis indicium ! suo loco apud Matrem
« constituit eum, et pro se in Filium Virgini re-
« liquit eum. Huic gratiae quid amplius addi
« potest ? Neque putemus vacua illa Salvatoris
« verba fuisse; neque enim defuerunt viri pii
« et docti, qui assererent non sola aestimatio-
« ne humana, filium reputari potius, quam es-
« se, quales lex, et adoptio solet filios procrea-
« re: sed eum qui verbo suo cuncta creavit de
« nihilo, potuisse, aiunt, facere filium de non
« filio; quod si potuit, et fecit; non enim dixit:
« Habeto illam in Matrem, sed assertive: Ecce
« Mater tua. Sit haec pia opinio, et religiosa,
« ego illi meam non adstringo fidem. Mater er-
« go illius est, non lege, non natura, sed gra-
« tia. Unde et merito ex illa hora accepit eam
« discipulus in suam, sciens quia vere sua est,
« quam veritas suam dixit. Impressit in hoc ver-
« bo statim cordi Virgineo amorem quendam
« maternum, in Ioannem fortiorem et ardentio-
« rem, quam soleat matribus natura tribuere :
« visceribus etiam Apostoli reverentiam filia-
« lem in Virginem inseruit, qualem nullus fi-
« lius natura habet in matrem : atque ita sicut
« dicendo: Hoc est Corpus meum, verum cor-
« pus suum fecit ex azymo ; sic etiam dicendo:
« Hic est filius tuus, amore filium ex cognato
« fecit, non tamen natura, sed gratia ; altiori
« tamen modo, quam lex et adoptio filios effi-
« cere queat. Iam ex hoc intelligere licebit,
« quantae felicitatis et gloriae fuerit, tot an-
« nis post Ascensionem Domini cum Virgine
« commorari, eam sicut filius alloqui, eius de-
« cora praesentia, et iucundo colloquio tam fa-
« miliariter frui, eius magisterio imbui, eius
« exemplo et moribus instrui : O vere egregium
« discipulum, qui post Christum Dominum ta-
« lem promeruit habere praeceptorem ! Quid ab
« ea non didicit ? Quid non ab ea impetravit ?
« Omnia quae a Filio suo in familiaribus locu-
« tionibus ipsa audierat, in Ioannem, sicut in
« filium, libentissime transfudit. Unde merito
« super omnes Evangelistas, spiritu et intelle-
« ctu volavit. Non mirum, inquiebat Ambrosius
« in lib. de institutione Virginis, c. 7, Ioannem
« prae caeteris locutum mysteria divina, cui
« praesto erat aula caelestium sacramentorum:
« nam si una huius Virginis salutatio Baptistam
« in utero tanta gratia perfudit, quid putas in
« Evangelista tam diuturna conversatio fuit ?
« Si grande fuit, apud Elisabeth tribus mensi-
« bus Virginem commorari, quantum erit tot
« annis apud eandem Virginem in eadem domo
« versari ? Benedixit olim Deus Obededom, quia
« in domo sua arcam Domini recepisset; et Ioan-
« ni quomodo putas benedixerit, qui Virginem
« Theotocon tot annis apud se habuit ? Haec,
« ut existimo, omnium gratiarum maxima fuit,
« hoc maximum et praecipuum amoris indicium,
« quanquam et in aliis nihil omisit Christus,
« quod dilecto suo non donaret ». Haec omnia
noster meritissimus Praesul.

1831. Ut ergo maximum erga tantam Virgi-
nem affectum ac reverentiam ostenderet Ioan-
nes, fidus erga eiusdem Virginis victum ac ve-
stitum oeconomus exstitit toto vitae tempore,
quoad ipsa vixit. Quod recte expendit Philip-
pus abbas, lib. 1 in Cant., c. 12 : *Unus*, ait,
*Ioannes prae caeteris Apostolis, eiusdem Virgi-
nis curam egit, et ex mandato Christi, in illius
obsequium sedulo se redegit, eique ut Matri fi-
lius obsequentem diligentiam impertivit, et in
sua receptae, provisoris ministerio deservivit.*
Idem asserit Rupertus, lib. 13 in Ioan., c. 19 :
Accepit, inquit, *Ioannes Mariam in sua ; non
praedia, quae nulla habebat, vel habiturus erat*
etc.; *sed sic in sua dictum est, ut illa quoque
communione rerum, qua dividebatur singulis,
prout cuique opus erat, ad huius curam, quid-
quid illi esset necessarium, pertineret.* Ideo, ut
ait venerabilis Beda in Ioan. c. 19, ad illa ver-
ba Act., *Distribuebatur unicuique, prout cui-
que opus erat. Unde*, inquit, *intelligendum est,
sic distributum Ioanni quod opus erat, ut illic
etiam B. Mariae tanquam Matris portio pone-
retur.*

Semper itaque Ioannes individuus comes B.
Virginis fuit, sive Ephesi, sive Hierosolymis, si-
ve in aliis Asiae partibus commoraretur : imo
cum B. Virgo Iacobo Apostolo Caesaraugustae
in Columna apparuit, etiam D. Ioannes cum
illa venit, ut docet Hyppolitus Marraccius in
suis Marianis Apostolis ex Dextri chronico. Ex
colloquio item Deiparae tantum hauriebat sola-
tium, ut veluti gaudio perfunderetur: unde Di-
va Methildis in ecstasim rapta in pervigilio As-
sumptionis B. Virginis, haec verba hausit a D.
Ioanne : *Ego ex verbis Matris Domini mei tan-
tam consolationem habebam, quod nunquam
verbum ex illa audivi, quin speciale gaudium
perciperem.*

Addit Laurentius Maselli, lib. 6, c. 21, B. Vir-
ginem paullo ante mortem sacras Reliquias,
quas apud se semper servavit, ipsi Ioanni de-
mandasse, nempe Christi fasciam, syndonem,
qua Christi corpus obvolutum fuit in sepulcro ;
zonam etiam, cuius meminit s. Germanus ; ve-
lum praeterea Virgineum ; pectinem, quem
s. Helena Trevirensibus tanquam ingens donum
dedit ; annulum sponsalitium, de quo Gene-
brardus in Chronographia, lib. 4 ad annum 868;
insuper coronam spineam, capillos, ac lac ube-
rum suorum. Haec omnia refert ex aliis citatus
Hyppolitus Marraccius e Congregatione Cleri-
corum Regularium Matris Dei, c. 6. Habemus
etiam ex s. Gertrude, lib. 4, c. 4 insinuationum
divinae pietatis, B. Virginem specialem gloriam
nactam fuisse ex obsequiis ac ministeriis s. Ioan-
nis, ipso enim omnia victui providente, liberius
divinis incumbere poterat.

1832. Refert etiam Amadeus in sua Apoc.,
raptu 8, coram reliquis Apostolis ac discipulis,
in transitu B. Virginis hunc instituisse sermonem.

« Ego, Patres, et Fratres mei carissimi, quid
« de tanta maiestate dicere potero, qui sicut
« aetate, ita et scientia minor sum vobis omni-
« bus ? Ex quo tamen me cum Petro et Iacobo
« fratre meo, Dominus ad fidei suae splendo-
« rem elegit, et vos hunc mihi locum dedistis,

« a laudibus huius Virginis non cessabo. Est o-
« mni laude dignissima ; et quamvis in ea sint
« omnia laude digna, omnia splendida, omnia
« pulcra, omnia decora; id tamen pro nunc, cae-
« tera vobis relinquens, in ea commendabo, quod
« digna fuerit esse Mater Dei, Genitrix Verbi di-
« vini appellari et esse. Magnum valde esse pu-
« to, servum Dei vocari, quia qui vero Deo ser-
« vit, regnat, sed plus est Dei amicum vocari,
« plus certe filium: sed haec omnia nihil sunt re-
« spectu huius quod est, Matrem Dei appellari,
« et esse. Ioseph quidem Pater Dei appellatus,
« sed non fuit, nisi putative. Haec vero vera est
« Mater Dei, verum Deum enim concepit, verum
« Deum peperit, sed in ipsa conceptione Mater
« facta est Dei, quia non solum hominem pu-
« rum, ut aliae matres, sed Deum carni huma-
« nae unitum genuit, et primo concepit, quam-
« vis ipsa conceptio sit generatio, formata car-
« ne illa, et omnibus membris distincta in eo-
« dem ictu oculi, et anima creata et infusa fuit;
« et divinitas humanitati unita, id est illi rei,
« quae homo dicitur, quae non solum est ani-
« ma, vel corpus, sed ex eis est illa res alia.
« Tu, o Genitrix Dei nostri, haec quae ad fra-
« tres meos Apostolos, discipulos, et has san-
« ctas mulieres, quae hic sunt, dico melius no-
« sti. Nosti, inquam, te Filio tuo unico Domino
« et Salvatori nostro, totam, ut aliae matres, mi-
« nistrasse materiam, de qua caro illa pretiosa
« formaretur, et omnem operationem habuisse,
« quam et aliae matres habent in filios suos: et
« nosti, quod te operante, et Spiritu sancto su-
« perveniente, antequam humanitas illa in se
« staret; et Verbo Dei, Filioque eius ante saecu-
« la, a Patre genito assumpta fuit, ut non in
« seipsa, sed in ipso Verbo staret, et a Verbo
« sustentaretur. Idcirco veri Dei nostri Genitrix,
« et non alicuius puri hominis Mater dici, no-
« minari, et per totum mundum praedicari pot-
« eris. Multi mirabantur, quomodo Deus, qui
« semper est, et ab aeterno fuit, concipi potuit,
« et non considerabant, quomodo unus homo al-
« terius filius dici possit, et unus homo ab alio
« genitus esse. Ratio admirationis est similis,
« nam homo per animam est homo, corpus ali-
« quid praestat ad esse hominis, sed anima dat
« principale esse: tamen, quia anima illi a Deo
« creata in eodem instanti corpori infunditur,
« in quo corpus a parentibus plasmatur, ideo ho-
« minem totum, et non solum carnem genuisse
« parentes dicuntur. Sic et tu, o dignissima Dei
« nostri Genitrix, Spiritu sancto tibi virtutem tri-
« buente, tecum concurrente, et modum, ut se-
« cum talia agere posses, praestante, quia esse
« carneum et esse humanum Deo tribuisti ; ve-
« re Deum concepisti, vere genuisti et peperi-
« sti, et educasti, quod nomen, et res nominis
« valde te, o Domina et Regina nostra, dignifi-
« cat. Dignare tu, o coelorum et angelorum Re-
« gina, et Domina, nos omnes, et qui nos in
« hac confessione sequuntur, adiuvare, et sal-
« vare. Et me, quem in Filium, voce de cruce
« delata, accepisti, et ego virtute verborum
« Christi Domini fideliter te ex tunc in meam
« accepi Matrem, non derelinquas, sed me fi-
« lium indignum, qui servus magis tuae Maie-
« statis debeo dici, habeas in omnibus adver-
« sitatibus commendatum : et ut omnes alios
« hic existentes, et qui sequuntur, pro filiis
« adoptionis admittas, rogo, qui tuam credent
« corde et ore confitebuntur maiestatem, o Ma-
« ter Dei, conticeo, sileo, dicere non audeo: o
« Mater mea, quia etsi iam te accepi in meam,
« timeo tamen dicere meam ; tunc enim me-
« ipsum facerem Domini Iesu Christi Filii tui
« omnino veri Dei, fratremque ipsius Dei: Ma-
« ter tamen mea es, peculiari modo, non ta-
« men illo modo, quo es Mater Filii Dei, nec il-
« lo modo, quo es Mater omnium hominum, sed
« quodam medio modo ; sum enim Filius tuus
« magis quam alii, sum longe minus, quam ille,
« quem cuncti colimus, veneramur et adora-
« mus ». Haec Ioannes.

Nec amor, et cultus Ioannis in Matrem e vivis ereptam aliquo modo intepuit, quin potius auctus, et in novas flammas erupit. Nam et templa eidem erexit, eamque scriptis extulit, laudesque, et encomia ipsius per totum orbem disseminavit. A Petro, Iacobo, et aliis templa in Deiparae honorem exstructa, igitur et a Ioanne; atque, ut magis credam, ex eo etiam adducor, quod testibus concilii Ephesini ad clerum Constantinopolitanum Patribus, Virgo comitem se, Ephesum usque Apostolo dederit, ut ab eo posita templa, praesentia sua, atque auctoritate consecraret. Quod si, teste Abdia in eius vita, ipsi Ioanni superstiti adhuc sibi Basilicas inscribi non prohibuit, num credendum est magis, id tituli et honoris Deiparae voluisse et fecisse? Voluit procul dubio, fecit vel adstipulante Canisio.

Ad haec, in sua Apocalypsi Virginem Deiparam multis symbolis depinxit, in quam Ioannes scriptor egregius singulari pietatis et observantiae studio ferebatur. De quo Magnus Albertus in Biblia Mariae, sic habet: *Beatissima Virgo Maria secundum Ioannem in Apoc. dicitur Sedes Filii Dei, Apoc.* 4: *Vidi, et ecce sedes* (*scilicet Maria*) *posita erat in coelo* (*id est in Ecclesia*). *Haec sedes vocatur totius nobilitatis, quia solus Deus sedit in ea; unde supra sedem sedens, id est Deus, et homo. Item haec sedes vocatur sedes totius propitiationis; unde iris erat in circuitu sedis, id est pax et propitiatio, quae est in circuitu protegens, ipsa est sedes comminationis; unde dicitur: Et de sede, et throno procedebant fulgura comminationis, et voces admonitionis, et tonitrua summae placationis. Ipsa est sedes totius pulcritudinis, unde et septem lampades ardentes ante thronum, id est septem dona Spiritus sancti, quibus ipsa prae cunctis mortalibus illuminata fuit. Haec est thronus, de quo Apoc.* c. 7 *dicitur: Vidi turbam magnam*, etc. *Item ipsa est Altare oblationis, Apoc.* 9: *Audivi vocem unam, id est Mariam, de quatuor cornibus altaris aurei, super quod quidquid offertur, accipitur. Item ipsa est Regina duodecim praerogativis coronata, Apoc.* 12: *Signum magnum apparuit in coelo,* (*id est in Ec-*

clesia); mulier amicta sole, id est Maria Christo, quia induit Christum, qui eam illuminat; luna sub pedibus eius, id est omnia terrena; et in capite eius corona stellarum duodecim, id est duodecim privilegiorum, quibus coronatur. In suo etiam Evangelio multa de Maria ab aliis praetermissa scripsit, nempe de Maria postulante a Filio aquae in vinum conversionem, et cap. 19, de eiusdem fortitudine ac constantia coram Filio cruci suffixo, etc. Addit Hieronymus, ser. de Assumpt.: *Quidquid est quod Maria genuit evangelizando, suo commendavit eloquio. In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc quippe Verbum, quod erat in principio, et apud Deum erat, ipsum genuit B. Virgo Maria, ex seipsa carnem factum.* Itaque sicut Ioannes testimonium perhibuit de Filio, ita et de Matre; et scimus quia verum est testimonium eius, praesertim cum similis aquilae, in sublime aciem defigenti, explicuit quo pacto ex hac Matre Verbum caro factum est: quod procul dubio fieri oportuit, non in Asiatica solum peregrinatione, sed ubicunque de Verbo incarnato verba faceret; idque eo ardentius, quo prae caeteris Mariam coleret ac veneraretur.

CERTAMEN V.

De D. Andreae et Iacobi in Mariam speciali cultu et observantia.

1833. Virginem Deiparam s. Andreas Apostolus speciali affectu complexus est: singulare autem suum erga tantam Matrem specimen exhibuit, cum in Symbolo illum articulum pronuntiaverit: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*, si fides danda Augustino, serm. 115 de tempore. Ac si diceret D. Andreas: qui Dei Filius propositus est, idem immutata et inconcussa Divinitate, sed eadem retenta filiatione divina et omnipotentia aequali cum Patre, humanam non abhorruit naturam; quinimo conceptus singulari natura humana assumpta intra Maternum uterum, longe tamen aliter, quam reliqui concipi soleant; in eodem quippe momento corpus eius efformatum, organis dispunctum, anima rationali donatum, in hypostasis unitate. Nam etsi in foemina, tamen de Spiritu sancto, qui in momento agere potest, et ad similem instantaneam operationem potest promovere opus, processit, non de patre Ioseph putativo, nec de alio patre homine; namque inter homines homo factus originem aliam a Matre non novit: ab hac enim iam suo augmento suscepto corpore, dierum ac mensium circulo, natus est modo mirabili, loco, tempore, et hora praescriptis, non absque signorum stupore. Attamen sic natus ex Matre, ut, licet in pluribus a reliquis disparem ortum obtinuerit, veram tamen carnem, verumque corpus habuerit; eius tamen Mater ante conceptum, et post nativitatem Filii semper Virgo intacta permansit.

Hunc praeterea erga Mariam amorem testatum voluit, in oratione illa habita in transitu ipsius Deiparae, coram reliquorum Apostolorum senatu, ut ex Amadeo in sua Apoc., raptu 8, constat. Ait ergo Andreas:

« Pulcra es, et valde decora, Genitrix Dei no-
« stri, tuamque pulcritudinem sol et luna, et
« cuncta sydera, imo et omnes Virtutes coelo-
« rum admirantur: iustum ergo, et rationabi
« le fuit, ut Mater Dei tanta puritate splende-
« ret, tantaque pulcritudine fulgeret, ut sub Dei
« nostri pulcritudine, nulla in terris, vel in coe-
« lis maior cogitari possit. Tu enim tota pulcra
« es, et macula nulla est in te: nihil in Te sor-
« didum, nihil tetrum: omnia splendent, omnia
« rutilant. Quia ergo Ioannes frater meus, et
« filius tuus de Maternitate tua tanquam filius
« multa praeclare attulit, et Petrus, tanquam
« omnium nostrum humillimus tuam humilita-
« tem, quae admodum in te, Deo complacuit,
« extulit: ego germanus ipsius, qui decoris no-
« men gero, de tuo decore, de tua speciositate,
« de tua formositate et pulcritudine aliquid co-
« ram his maioribus fratribus meis dicere cu-
« rabo. Maxime, quia Tu sola electa es, ut nun-
« quam salus tua, beatitudo tua, ac felicitas
« tua in dubio fuerint, etiam quando Angelis
« mandata dabantur cum conditione, ut si ea
« servarent, beatitudinem detinerent, quando
« totum genus humanum damnatum erat, to-
« tum perierat, totum haereditate privatum fue-
« rat; Tu sola ab omnium universali damnatio-
« ne praeservata fuisti; electa enim eras in Dei
« Genitricem et omnium Reginam, ita ut si ho-
« mo non peccasset, Tu inter omnes, post Fi-
« lium tuum prima in regno Dei esses: peccan-
« te vero homine, iam remedium illud, ac si
« non peccaret, paratum erat, labores, inquam,
« et dolores Iesu Christi Filii tui et Domini no-
« stri tibi profuerunt: sic enim decreto aeterno
« firmatum erat, ut passio eius super omnes
« Tibi prodesset, quamvis nondum exhibita es-
« set: quae tamen valuit, quantum a Deo acce-
« pta fuit: non enim ergo tu mortua in Adam
« fuisti, quamvis ratione propagationis morti
« obnoxia fuisti, quia sicut etiam alii, ex utro-
« que parente es nata, ita et mortua fuisses,
« quamvis uterque illorum parentum tuorum
« sanctissimus esset. Unica Columba, et sine
« felle, unica Immaculata, recessisti a peccato
« quocunque: recedere a peccato tam longe
« nemo potuit. De te Propheta locutus: Egre-
« dietur virga de radice Iesse, et flos de radice
« eius ascendet. Tota gracilis, recta, non cur-
« va, sine nodo, et sine cortice. O Maria Dei Ge-
« nitrix, o Virgo perpetua recte cecinisti: Ecce
« enim ex hoc me beatam dicent omnes gene-
« rationes. Laudabunt enim praeconia tuae pu-
« ritatis, et tandem omnes agnoscent. Plerique
« de tua virginitate dubitabunt, et credent te
« alios filios, quam Dominum nostrum habuis-
« se. Alii dubitabunt de tua Maternitate, et cre-
« dent te esse Matrem unius solius hominis, et
« non prorsus Dei, non tamen veri Dei reputa-
« bunt Matrem, sed illum non distinguent a suo
« Patre, sed credent eundem esse, qui et Filius
« est. Propter quod saepius rogavi, ut talia fieri
« non sineret Altissimus, et dictum fuit mihi:

« sufficit tibi, quod tibi datur, noli esse sapien-
« tior Deo. Sed scio quod exclusis de tua puri-
« tate, aliis opinionibus falsis adhaerebunt. Ul-
« timo quoque haec falsitas a tota Ecclesia ex-
« cludetur. De pulcritudine, et de maximo de-
« core tuo, o Domina nostra, loqui volens, teti-
« gi tantum principium pulcritudinis tuae, quae
« nihil aliud est, quam donum Dei; et de tuo
« ingenti decore, et virtutum tuarum splendo-
« re Thomas, Philippus, Iacobus, Matthaeus, et
« hi adstantes altiori ingenio altiora dicent. Nos
« omnes peccatores sumus, et fuimus; Tu vero
« peccatorum omnium redemptorem, o Virgo
« immaculata, concepisti, Virgo peperisti, et in-
« violata semper fuisti. Tibi, et Filio tuo unico
« Domino nostro, nos commendatos fore velis,
« ut quae sine peccato semper fuisti, nos et po-
« steros peccatores tua charitate, et dilectione
« complecti digneris, mihique, si in dicendo
« prolixior fuerim, ignosce. Senes quippe quan-
« do incipiunt, abundantius loqui consueverunt.
« Ignosce ergo, Domina, ignosce Regina Mater
« Dei nostri suavissima ». Haec D. Andreas.

Deinde persoluta iam B. Virginis sacra sepultura idem Andreas Deiparae in fide constantiam oratione pulcherrima laudibus in caelum extulit, teste Bartholomaeo Pisano, lib. 5 de laudibus Virginis, fructu 8, et proximus iam morti e crucis cathedra, veluti extremum pignus, suam orbi de immaculatae Deiparae perpetua puritate sententiam legavit his aureis verbis: *Sicut primus Adam ex terra immaculata formatus; ita et Christus ex Virgine immaculata.* Ita presbyteri Achaiae in eius vita, vel ut habet Abdias in gestis D. Andreae, lib. 4: *Sicut Adam formatus ex terra, antequam esset maledicta, ita et secundus Adam ex terra Virginea nunquam maledicta.*

De Divo Iacobo Maiori diximus iam ex Dextro et aliis, Palaestra de Conceptione, Caesaraugustae festum immaculatae Conceptionis primum instituisse. *A Iacobi enim praedicatione,* ait Dexter in Chronico an. 308, *celebratur in Hispania festum immaculatae et illibatae Conceptionis Dei Genitricis Mariae.* Eodem teste, et aliis pluribus D. Iacobus templum Virgini Deiparae de Columna erexit, et sacravit. *Iacobus,* inquit Dexter an. Christi 37, *sanctus Apostolus Zebedaei filius, peragratis urbibus Hispaniae, multisque erectis Ecclesiis et Episcopis creatis ex advenis, Templum, vel Oratorium B. Virgini, ex eius iussu, praesentiaque super Columnam Caesaraugustae erexit.* In quem locum eius commentator Bivarius, haec habet: *Nihil aeque stabilitum testimoniis gravissimorum auctorum, nihil in tota Hispania sacratius, ac venerabilius animis hominum insedit, atque historia fundationis Angelicae domus sanctae Mariae de Columna Caesaraugustanae civitatis.*

Deipara coelos ascendente, idem Iacobus multo ante decollatus cum aliis animis, nempe Ioannis Baptistae, Iosephi, Annae, Ioachimi, Stephani, dixisse fertur illa verba, ut habes apud Amadeum saepius citatum. *Ecce genus nostrum, et caro nostra: ecce Regina, et Domina nostra, quae scandit super aethera in aeternum regnatura: ipsa est gloria nostra: ipsa magnificentia civitatis nostrae. Prosequamur eam laudibus; comitemur cantilenis dulcibus: Pulcrae sunt genae illius sicut turturis: collum eius sicut monilia regis: Murenulas aureas faciemus ei, vermiculatas argento. Ecce tu pulcra es, Maria, et oculi tui columbarum.*

CERTAMEN VI.

De singulari Divi Thomae, Iacobi Minoris, Philippi et Bartholomaei, et Matthaei Apostolorum in B. Virginem pietate ac cultu.

1834. Divum Thomam Apostolum maxima in Virginem Deiparam observantia floruisse testatur oratio ab ipso habita in funere eiusdem, praesentibus reliquis Apostolis, ac Domini discipulis, quae ex Amadeo deprompta in sua Apoc. raptu 8, sic se habet:

Sermo s. Thomae Apostoli in transitu B. Mariae Virginis.

« *Abyssus abyssum invocat.* Petrus noster
« Princeps propter humilitatem exaltatus, de
« humilitate multa dixit: Ioannes filius, de Ma-
« ternitate: Andreas virilis Dei virtute Mariam
« Reginam nostram ab omni labe praeservatam
« proclamavit, et decurrens illius pulcritudi-
« nem, summam post Deum ostendit. Simon ve-
« ro iuxta nominis sui interpretationem, de obe-
« dientia et de cruce, atque morte, et compas-
« sione plura dixit: Ego quoque alludam ad no-
« men meum. Abyssum enim me vocatis, et ideo
« de abyssu divinae praedestinationis, qua Geni-
« tricem suam Deus super omnes elegit, et prae-
« elegit, quaedam afferam coram vobis. Miran-
« tur homines, et adhuc mirabuntur, cur Deus
« ipsam Mariam potius elegit in Matrem, et ad
« tantam beatitudinem praedestinaverit, quam
« aliam quamcunque mulierem, aut creaturam;
« et non cogitant, quod si aliam filiam Adae in
« Genitricem elegisset, eadem admiratio de illa
« quoque fuisset: unam namque oportebat esse;
« unius munus illud erat perfectissimum, et a-
« nima et corpore illam, et in naturalibus, at-
« que accidentalibus optime dispositam esse de-
« cebat. Congruebat quoque, ut quemadmodum
« homo ille a Deo assumptus, plenus fuit, et est,
« et erit omnis gratiae et virtutis, et esset su-
« per omnes creaturas; ita post ipsum Genitrix
« sua superaret omnes in gratia et pulcritudi-
« ne: donum enim Maternitatis consequitur do-
« num beatitudinis; et sicut Deus Pater Deo Fi-
« lio suo unico Domino nostro Iesu Christo pri-
« mo voluit beatitudinem, deinde merita; et
« haec ratione assumptionis humanitatis: sic
« tali, tantaeque Virgini, primo voluit beati-
« tudinem, deinde merita, de qua Virgine Ver-
« bum aeternum voluit ab aeterno in tali, et pro
« tali tempore carnem assumere. Generatio au-
« tem Filii a Patre aeterna est, qua scilicet
« Deus Filius exivit a Deo Patre aeterno, et ab
« utroque est processio Spiritus sancti, quam

« tamen Filius a Patre accepit, et illa quoque « processio est aeterna; et ad aeternum termi- « num; aeterna est etiam Dei cognitio omnium « creaturarum in tribus personis, scilicet in Pa- « tre, Filio, et Spiritu sancto; similis cogitatio « existens ad omnes creaturas terminatur: Vo- « litio praeterea in tribus ipsis unica existens, « in initio ad ipsos duos, scilicet ad Filium, et « Matrem terminata est; praecipue enim, et su- « per omnes ālios voluit Deus, hominem illum, « cuius humanitas copularetur divinitati, deifi- « caturum, et eius Matrem. In initio itaque via- « rum suarum Deus, antequam quidquam face- « ret a principio, imo et antequam facere dis- « poneret, quodam modo loquendi, quia haec « omnia sunt aeterna, tamen quendam ordinem « in se tenent; voluit humanitatem illam ple- « nam gratia, plenamque beatitudine assume- « re, ita ut ipsam sic assumptam, simul et Bea- « tam faceret, et Genitrici suae post ipsam gra- « tiam praestare. O Maria, quam felix es, et « quam fortunata, quae initio, et ante saecula, « et in initio viarum Dei ab ipso electa fuisti, « et Adae peccato praeviso, non fuisti cum o- « mnibus aliis condemnata, sed voluit Deus, ut « merita Filii tui, tibi super omnes prodessent, « Teque pro minimo momento noluit inimicam, « sed semper pro carissima amica. Alios au- « tem omnes Sanctos cum conditione beatos fa- « cere voluit, scilicet si mandata eius serva- « rent. Verum est tamen, quod et alios plures, « antequam quidquam boni vel mali agerent, « elegit, vocavit, et sanctificavit; sed cur non « omnes ita sanctificavit? Haec est altitudo, pro- « funditas, et abyssus scientiae et sapientiae « Dei; aliquos enim in principio, et ab aeterno « praedestinavit, et omnino sanctificavit, ut nul- « lo modo damnarentur, et aliquos reliquit in « manu consilii sui usque ad extremum vitae « diem, et quales eos ibi vidit, tales ab aeter- « no et in aeternum iudicavit. Nullus tamen ex « filiis Adae, quem aliquando non habuerit pro « inimico Deus praeter te, o Virgo Maria, nul- « lum punit, nisi peccatis praecedentibus, mul- « tos praemio aeterno ipse dignos facit, nulli « debitor est: punire etiam nullo crimine prae- « cedente posset, sed nunquam sine crimine « proprio creaturae, eam punit, neque propter « peccatum Adae solum, quemquam ullo sup- « plicio, vel poena in alia vita afficit, aut dolo- « re, seu quavis tristitia plectit, sed solum bea- « titudine supernaturali privat: sic tamen, quod « etsi tales habent damnum, nunquam tamen « tristantur de tali damno, sed sunt sua sorte « contenti, ignorantes talem privationem eis ac- « cidisse, nec de illa dolentes. Magnus est Do- « minus Deus noster, et iudicia, o Deus, abys- « sus multa. Te adiuvante, Te patrocinium af- « ferente, o Maria plurimi salvabuntur; obsti- « nati in malo, et in peccatis damnabuntur, quo- « rum poena aeterna est. De hac abysso pluri- « ma dicere possem, quia vere abyssus abyssum « invocat, et difficultas difficultatem. Sed satis « est dixisse de praecipua, et prima super o- « mnes alias creaturas electione Mariae Domi- « nae nostrae, et de bonitate Dei, quae tantum, « tamque magnum bonum contulit creaturae « suae, sua mera bonitate, benignitate, clemen- « tia, nihil inde sperans accipere, quia bono- « rum nostrorum non indiget; est enim sibi in « seipso bonum sufficientissimum. Satis etiam « est ostendisse quod nulli iniuriam facit, quia « et nulli debitor est, et nullum affligit aeter- « naliter propter peccatum alterius, et unum- « quemque beatificare quantum in seipso est, « non postponit, et quod soli obstinati in pec- « catis damnantur: sperandum est igitur in Deo, « et omnia nostra ei committenda: quod tu, o « Dei Genitrix Maria, nos facere docuisti. Nos « igitur adiuvabis, tuoque Filio commendabis, « ut et nos post te in odorem unguentorum ip- « sius occurrere valeamus ». Hucusque Thomas Apostolus.

1835. De s. Iacobo minori exstat Liturgia in Bibliotheca Patrum tom. 4, edit. 1, ubi praeclarum singularis suae erga Virginem Matrem observantiae specimen exhibet. Ait enim:

« Commemorantes sanctissimam, immacula- « tam, gloriosissimam Dominam nostram, Ma- « trem Dei, et semper Virginem Mariam, nos « ipsos, internos, et omnem vitam nostram Chri- « sto Domino commendamus, etc. Commemora- « tionem agamus sanctissimae, immaculatae, « benedictae Dominae nostrae, Matris Dei, et « precibus, et intercessionibus eius omnes mi- « sericordiam consequamur. Ave Maria, gratia « plena, Dominus tecum, benedicta tu in mu- « lieribus, et benedictus fructus ventris tui, « quia Salvatorem peperisti animarum nostra- « rum. Dignum est, ut Te vere beatam dica- « mus, Deiparam semper beatam, et omnibus « modis irreprehensam, et Matrem Dei nostri, « honorabiliorem quam Cherubim, et gloriosio- « rem quam Seraphim, quae sine corruptione « Deum Verbum peperisti. Tibi, o plena gra- « tiae, universa creatura gratulatur, Angelo- « rum coetus, et hominum genus, quae es Tem- « plum sanctificatum, Paradisus spiritualis, Vir- « ginum gloria, ex qua Deus carnem assum- « psit, et puer factus est Deus noster, qui est « ante saecula: tuum enim uterum, thronum « fecit, et tuum ventrem latiorem ac ampliorem « coelis ipsis reddidit ».

Profecto verba affectu et reverentia in Virginem Deiparam plena, in eiusdem laudem effusa, praeclara, fortia, nec aliunde, quam ex Apostolico spiritu deprompta, et quae singularem nostrae Virginis Matris dignitatem arguunt, maiestatemque extollunt. Reperitur etiam apud Amadeum cit. oratio ipsius Iacobi in B. Virginem iam ex hac vita migraturam, quae sic se habet:

Oratio s. Iacobi Minoris Apostoli, habita in transitu B. Virginis.

« Supplantari ab inimicis nostris, favore prae- « diti Mariae, Dei et magistri nostri Genitri- « cis, non poterimus: ipsa enim contrivit caput « venenosi serpentis, ipsa vicit mundum; victo-

« ria eius talis fuit, quod cunctas haereses in-
« teremit. Haec est enim mons ille, de quo ab-
« scissus est lapis sine manibus, qui implevit
« sua magnitudine totam terram, qui cito prae-
« dicabatur in toto orbe: sed bestia insurget,
« cuius vox implebit terram, et durabit, quo-
« usque impleatur voluntas Altissimi, et iterum
« emerget, quasi submersa fides, et regnabit
« Agnus in toto orbe terrarum, quod fiet preci-
« bus et assiduis intercessionibus huius B. Vir-
« ginis, quam prono vertice omnes veneramur:
« ipsa enim supplantavit, et vicit Diabolum; vi-
« cit Luciferum, et principem huius saeculi eie-
« cit foras; iterum atque continuo eiicitur, et
« illo tempore perfecte eiicietur, qui parentes
« nostros ex paradiso voluptatis eiecit, ut qui
« tunc eos supplantavit, a filiis ipsorum supplan-
« taretur, et praecipue ab hac Filia sancta, et
« immaculata, et perfecta, atque omni bonitate,
« veritate, sanctitate et sinceritate plena; in qua
« sunt omnes thesauri reconditi sapientiae et
« scientiae Dei, etc. Multae certe, et aliae filiae
« congregaverunt sibi divitias, sed Maria super-
« gressa est universas. Haec est illa mulier fortis,
« de qua dictum est: Mulierem fortem quis in-
« veniet? procul, et de ultimis finibus pretium
« eius. O purissima omnium Angelorum! O con-
« stantissima omnium hominum! fac nos quo-
« que veros supplantatores inimicorum nostro-
« rum, veros victores, ut vincamus Diabolum,
« superemus mundum, et vincamus proprios
« contra rationem insurgentes appetitus, etc.
« Tu ergo, Domina nostra et Mater Dei, succur-
« re, opem fer praesidio isti, esto nobis turris
« fortitudinis a facie inimici: ut ipsum inimi-
« cum supplantare, et procul a nobis pellere,
« ut Deo nostro cumulatioribus meritis adhae-
« rere possimus. Amen ».

Aliam praeterea, post Deiparae corpus sepulturae mandatum, insignem habuisse orationem, in laudem eiusdem Mariae refert Pisanus, lib. 5 de laudibus Virginis, fructu 8, quae modo non exstat.

S. Philippus Apostolus suum erga sacratissimam Virginem studium notum fecit coram Apostolico coetu, sic de Virgineis laudibus perorans, iuxta Amadeum cit.:

Sermo s. Philippi Apostoli in transitu B. Virginis.

« **1836.** Equos, quibus sol iste corporeus,
« inter corpora pretiosissimus vehitur, multos
« esse, Graeci nomina fingentes tradunt. Et ve-
« ritas ex multis eorum vanitatibus colligenda
« est: non enim sequimur indoctas fabulas, sed
« veritatem, quantum possumus, amplectimur.
« Sol est Christus Dominus noster, ecce hic
« Stellam, ex qua sol prodiit, videtis Mariam,
« et tamen ipsa etiam est sol non cessans mo-
« veri, sed semper proficiens; tum sibi, tum
« aliis amorem in altari cordis sui tanquam
« ignem indeficientem iugiter portans. Sol est
« non solum ipsa Regina nostra, quae nobis lu-
« men attulit, sed omnis anima superum quae-
« rens beatitudinem, et Deum suum ex toto cor-
« de diligens, et proximum sicut seipsum. Sol
« habet equos, quibus vehitur, qui nihil aliud
« sunt, quam virtutes infusae, et acquisitae,
« supernaturales primum, deinde et naturales,
« et intellectuales, et quae in appetitu sunt, et
« consistunt. Primus validissimus equus, atque
« fortissimus est charitas, qua movemur in di-
« lectionem Dei, et proximi. Charitas in ipso
« Deo respicit solum Deum in se, et cuncta alia
« in ipsum refert, non cupit aliquid sibi, sed
« omnia cupit Deo, non praestolatur retributio-
« nem, non munera, sed erga summum bonum
« summe afficitur. Secundus equus est spes
« ipsa, qua Deum cupimus nobis, qua eum vo-
« lumus tanquam Deum nostrum. Tertius equus
« est fortior secundo, et debilior primo, et est
« fides, qua videmus ipsum Deum; quae fides
« est substantia et fundamentum huius Eccle-
« siae, cui praeest Petrus Christi Domini locum
« tenens, cui succedent perpetuo pastores, et
« vicarii Christi, non in hac civitate, sed in alia,
« quam suo martyrio Petrus consecrabit, etc.
« Nos his utamur equis, his vehamur, et perire
« nullatenus poterimus. Multi alii sunt equi in
« mente hominum, inter quos est prudentia,
« quae est virtutum mirabilium regula, ut iu-
« stitiae, fortitudinis, temperantiae, sub quibus
« reliquae virtutes collocantur, et unaquaeque
« est huiusmodi. Apostoli, inspicite, discipuli
« Domini, considerate o sanctae mulieres caris-
« simae Reginam nostram, quampotentissimam,
« quamfortissimam; omnes ei insunt perfectae,
« et loco imperfectarum successere virtutes per-
« fectissimae. Non amplius sperat, sed tenet;
« non desiderat, sed amat; non exspectat, sed
« habet; non credit, sed videt; et videndo tenet
« et fruitur; fruendo gaudet et delectatur in Deo
« salutari suo, in quo et nos gaudebimus. Mo-
« dicum tamen prius oportet contristari, sed
« haec tristitia in summum vertetur gaudium,
« quando post tenebras deducemur in lucem
« inaccessibilem humanis viribus, receptibilem
« tamen, Deo volente, a nostris mentibus. Quod
« facile meritis Dominae nostrae et Reginae as-
« sequemur. Amen ».

1837. Divus Bartholomaeus multus fuit in Deipara laudanda, colenda, eiusque encomiis praedicandis, cuius angelicam Salutationem centies unaquaque die, et centies unaquaque nocte flexis poplitibus recitabat, ut auctor B. Alanus Rupensis, in Apologia pro Rosario c. 8. Addit idem ibidem part. 2, c. 2: *Usus porro Rosarii B. Virginis traditur in exemplo s. Bartholomaei Apostoli, cui solemne fuit et perpetuum per quamcunque diem centies, totiesque per noctem, nixis humi genibus salutationem angelicam, et orationem Dominicam Deo suppliciter orando offerre.* Deinde in obitu Deiparae in eiusdem commendationem hanc habuit orationem, maximo auditorum omnium plausu.

Oratio s. Apostoli Bartholomaei, in transitu B. Virginis.

« Filius suspendentis aquas vocor. Ego co-

« ram illis loquor, qui longe melius ea, quae « loquor, norunt. Ecce Dei Genitricem Deum « assidue iam videntem, postquam commortua « fuit ante oculos nostros, conspicimus : quae « visa videt omnia, etiam nos ipsos, quos ocu- « lo praesentes cernit : non solum ipsa cogno- « scit, quae dicturus sum, verum etiam, et men- « tem ipsam et cogitationem meam videt, ante- « quam cogitarem, cogitaturum omnino, sicut « cogito, me praevidit. Novit enim omnia prae- « terita, omniaque futura; de praesentibus ni- « hil dico, quia id manifestius est. Sed quae « sunt aquae suspensae? hae sunt quae super « firmamentum, non quae sub coelo. Sed quis « eas suspendit, nisi, qui divisit aquas ab a- « quis, Deus? Quis est iste Deus? Pater, Filius « et Spiritus sanctus, qui etiam Spiritus fere- « batur super aquas. Ex quibus factae sunt hae « et illae aquae : Ipse quidem spiritualiter fe- « rebatur, quia divina voluntas una in tribus fe- « rebatur super aquas : volebat enim ex illis « producere omnia corpora, praeter primum « corpus quod coelum empyreum vocatur ; il- « lud enim coelum simplex est, caetera vero « composita. Non sum tamen ego filius eo mo- « do suspendentis aquas, et conservantis illas, « sicut apud nos dicuntur filii natura; hae e- « nim aquae per quandam similitudinem dictae « sunt aquae, sunt enim lucidae et fluidae, non « quia fluant, sed quia cum summa et indicibi- « li moveantur velocitate, et secum trahant in- « feriora, sicut aqua currens trahit secum re- « liqua corpora in ipsa posita, non tamen coe- « lum illud aqueum vi trahit alios coelos, sed « Angelus movens illud, movet simul omnes « coelos inferiores. Non ergo natura, sed gra- « tia adoptionis filius dividentis aquas, ab aquis « vocatus sum : mihi autem nomen illud impo- « situm est ».

Haec, et alia protulit Bartholomaeus, ut habes apud Amadeum in sua Apoc., raptu 8.

Praeterea aliam orationem s. Bartholomaei de Virginitate Deiparae habitam ad Polymium regem refert Abdias, lib. 8 de vita s. Bartholomaei, in hunc modum :

« Scire te volo, quia Filius Dei dignatus est « per uterum Virginis nasci ; ita ut homo in « Virginis vulva conceptus secum inter ipsa se- « creta Virginis haberet Deum, qui fecit coe- « lum et terram, mare, et omnia, quae in eis « sunt. Hic simul cum homine natus partu Vir- « ginis, coepit habere initium nascendi cum « homine, cuius initium ante saecula a Deo Pa- « tre est. Haec autem Virgo conservandae vir- « ginitatis votum prima Deo omnipotenti vovit. « Prima autem, ideo dixi, quia ex quo homo « factus est, ab initio saeculi nulla hoc votum « obtulit. Haec ergo prima inter foeminas hoc « constituit in corde suo, ut diceret : Domine, « offero tibi virginitatem meam, cum a nullo « homine, nec verbo didicisset, neque exem- « plo, ad imitationem videlicet invitata, consti- « tuisset, ut pro amore Dei Virgo permaneret. « Huic subito in suo cubili clausae, splendens « sicut sol Gabriel angelus apparuit, quae cum « timore perculsa hoc visu expavisset, ait ad « illam Angelus : Noli timere, Maria, quia con- « cipies ; et illa, timore deposito, constanter « ait : Quomodo fiet hoc, quoniam virum non « cognosco? Cui Angelus : Propter hoc Spiritus « sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi « obumbrabit tibi ; ideoque quod ex te nasce- « tur sanctum, vocabitur Filius Dei ».

Eadem fere profert Ioachimus Peronius in vita s. Bartholomaei.

Demum placuit hic attexere aliud sancti Bartholomaei in B. Virginis amoris argumentum, ut auctor est Franciscus Gonzaga Minister Generalis Minorum, postea Episcopus Mantuanus; Lucas Wadingus, tom. 3 Ann. Minor. ad an. 1317; Hyppolitus Marraccius in suis Marianis Apostolis, cap. 10. Itaque pestis serpebat per civitatem Conimbricam, adeo periclitabantur moniales s. Clarae eiusdem urbis, quae timore perculsae iam fugam meditabantur, dum ecce de repente ad ostium peregrinus accessit eleemosynam exoraturus : accessere ad eum quaedam moniales, a quibus peregrinus sciscitatus moeroris ingentis causam, illisque respondentibus appropinquantem illam pestiferam luem totius moeroris causam existere. Tunc peregrinus : En dabo vobis praesentissimum pharmacum ad tantam tabem omnino propulsandam : accipite, inquit, schedulam hanc, atque ea, quae ibi reperiuntur, singulis diebus recitate; quibus dictis, non amplius comparuit. Illae vero omnes ex signis et maximis coniecturis, sanctum Christi Apostolum Bartholomaeum fuisse peregrinum illum subodoratae sunt. Itaque singulis diebus alta voce ad sonitum cymbali moniales omnes Antiphonam in schedula scriptam summa veneratione, et animi affectu occinere coeperunt; quo facto, monasterium omnino immune fuit a grassantis pestis tabifica lue. Quam antiphonam a D. Bartholomaeo delatam sanctimonialibus illis, libuit hic affigere, tanquam insigne Apostoli Bartholomaei in B. Virginem cultus et amoris monimentum :

Stella coeli extirpavit,
Quae lactavit Christum Dominum,
Mortem pestis, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sydera compescere,
Quorum bella plebem caedunt,
Dirae mortis ulcere.
O piissima Stella maris,
A peste succurre nobis.
Audi nos, Domina,
Nam Filius tuus nihil negans
Te honorat.
Salva nos, Iesu,
Pro quibus Virgo Mater te orat.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. *Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti Angelo percutienti populum tuum: Contine manum tuam, ob amorem illius stellae gloriosae, cuius ubera pretiosa, contra venena delictorum, quam dulciter su-*

xisti; praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste et improvisa morte secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur, per te, Iesu Christe, Rex gloriae qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

1838. D. Matthaeus Apostolus et Evangelista quidquid de B. Virgine dici aut intelligi potest, paucis illis verbis in summam redegit: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, Matth. c. 1. Quae verba sic commentatur noster Archiepiscopus Valentinus, B. Thomas, ser. 2 de nativ. Virg.: *Quid amplius*, ait, *quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi quod Mater Dei est. Quaenam, obsecro, pulcritudo, quaenam virtus, quae perfectio, quae gratia, quae gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas; dilata intellectui fimbrias, et describe apud te in animo Virginem quandam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentem, quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde. Maior est ista Virgo. Excellentior est ista Virgo. Non eam Spiritus sanctus literis describsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, ut intelligas, nihil illi gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imo reipsa intellectum omnem superasse. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit ne putares quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: De qua natus est Iesus. Haec longa et plenissima eius est.* Et rursus idem sanctissimus Praesul, serm. 3 de eadem Nativit., haec habet in idem intentum: *Nolo ut de caetero labores, ut mihi Virginem per singulas eius virtutes gratias, et excellentias singillatim exaggeres, et magnifices: ad omnem eius excellentiam, et magnitudinem unicum hoc thematis elogium sufficit: De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hoc breve eloquium eam optime, quoad fieri potest, circumscribit. Hoc ad omnem historiam sufficit. Noli immorari per singula, noli vexari: hoc solum, plusquam si mille libros in eiusdem laudem componas, Virginem extollit: De qua natus est Iesus Filius Dei, splendor Patris, candor lucis aeternae, mundi decus, et gloria, et pulcritudo; in quem desiderant Angeli prospicere; quem totus orbis nititur imitari. Non opus est longiori historia, haec solum sufficit ad Virginem exaltandam, et extollendam: unde in Evangelio rarus de ea sermo, quia hoc satis erat ad omnem eius commendationem.*

Ulterius exstat apud eundem Amadeum cit. oratio s. Matthaei Apostoli de Deiparae Virginis laudibus; quae sic se habet:

« Dono Christi Domini, o Regina coelorum, « Angelorum et hominum, cum festinatione vo« catus fui, cum publicanus essem, et negotiis « atque curis huius vitae implicitus; donato« remque consilii evangelici sum secutus; qui « me denique in Apostolum elegit et Evange« listam, genti meae mea lingua scripsi, et « praedicavi: sed ipsi dura cervice, ut soliti « sunt, renuerunt me; et Evangelium sacrum, « ut tu Domina nosti, contempserunt. Transi« vimus, et iterum transibimus ad gentes an« nunciantes immensa dona a Donatore omnium « tibi, o Maria, collata. Evam legimus, et au« divimus de costa Adae plasmatam, nobilissi« mam, et delicatissimam, complexionisque o« ptimae fuisse, et ipsi viro, de quo sumpta « erat, simillimam; sed te nobiliorem, melio« remque in cunctis membris, humoribus, et « corporis partibus, in utero felicissimae An« nae incomparabiliter plasmavit, et in omnibus « corpori Filii tui, quod per donum Spiritus « sancti, te quoque adiuvante, ut Matre, opti« mum et perfectum plasmatum fuit, similli« mam reddidit. Ipse est speciosus forma prae « filiis hominum; Tu similiter post ipsum, et « valde parum distans ab ipso, pulcherrima mu« lierum es, et supra omnes pulcra et decora. « Congruum quippe erat, ut Mater gratiae, ve« ritatis et misericordiae, Genitrixque Dei, di« gnioris complexionis esset, quam mater car« nalis omnium viventium. Iustum certe fuit, « ut illa dignior esset etiam in corpore, omni« bus aliis, ex cuius purissimo sanguine et hu« more plasmandum erat dignissimum corpus « Redemptoris omnium. Annunciabimus et ani« mae tuae, o Maria, pulcherrimas virtutes, « nulla tibi scientia, nullaque cognitio deest. « Tu nosti et aeterna et temporalia, mortalia et « immortalia, corporea et incorporea; quae sunt « extra nos, et quae in nobis; quae Deus, quae « natura, quae intus, et quae extra fabricavit. « Nihil Te latet, nihil Te fugit, nihil a Te abs« condit Deus, quia seipsum tibi aperte osten« dit. Beata es, istam beatitudinem mors ista « brevis tibi surripere non potuit. Resuscita ci« to, corpus gloriosissimum in sempiternum « habebis. Omnes tibi insunt virtutes; quamvis « non credas, nec speres, quia vides et possi« des. Nivei candoris es, o Maria, immaculata, « scirpus es sine nodo: poenas carnis ob pec« catum primi parentis in posteritatem deriva« tas, pro parte etiam tu tanquam carne corru« ptibili obtecta, sustulisti; poenas vero ani« mae, quae obsunt, et non prosunt, nec ha« buisti. Ingenio, industria, virtute et bonitate « semper viguisti, semper integra fuisti, ma« gna fuerunt dona tua, ingentia munera tua, « quae lingua humana exprimi non possunt, « mente cogitari, vel apprehendi vix queunt. « Nec mirum est, nam Spiritus sanctus, qui est « aeternum donum, te sanctificavit, praeserva« vit, purgavit, illuminavit, et singularibus pri« vilegiis decoravit. Ista dona non omnibus pro« palabuntur statim, non omnibus statim mani« festabuntur, sed in variis temporibus, prout « donator magni consilii ordinavit; nunc haec, « nunc illa revelabuntur. Multiplicabuntur so« lemnitates, et festivitates tuae, et celebrabi« tur martyrium tuum, et compassio tua, et do« lores tui: de quibus tunc mirabuntur saecula « illa, tanquam de ignotis, et quae in opinione « hominum fuere usque ad tempora illa felicis« sima. Haec autem omnia Filius tuus Iesus

« Christus Dominus noster faciet intercessioni-
« bus tuis, quem ut pro nobis quoque, maxime
« pro me peccatore, et publicano, o Advocata
« peccatorum, depreceris, cuncti hic adstantes
« rogamus, et ego pro me supplex, et flexis ge-
« nibus oro. Amen ». Hucusque Matthaeus.

CERTAMEN VII.

De pietate et observantia reliquorum Apostolorum in Virginem Mariam.

1839. Eximium se encomiastem Deiparae exhibuit s. Simon Apostolus, et erga illam accensum amoris studium satis ostendit in oratione, quam de Deiparae laudibus habuit.

Oratio s. Simonis Apostoli de laudibus B. Virginis.

« Quamvis plurima iam sint dicta de laudibus
« Reginae coeli, nihil tamen dignum fuit tanta
« Maiestate. In ea namque omnia pulcra, omnia
« magna, omnia excelsa sunt. Quemadmodum
« enim Salvator noster Christus Dominus factus
« est obediens usque ad mortem, mortem au-
« tem crucis; et Deus per obedientiam illius
« exaltavit eum, et donavit illi nomen, quod est
« super omne nomen, nam omnis lingua ei con-
« fitebitur, et data est illi omnis potestas in
« coelo et in terra: ita certe, quia Genitrix eius
« Maria Domina nostra, et ipsa obediens usque
« ad mortem, mortem autem crucis, quam in
« mente passa est et cooperata est cruci Filii
« sui ad redemptionem humani generis; nam
« Simeonis vaticinium in ea fuit completum,
« quando dixit ei: Et tua ipsius passionis ani-
« mam pertransibit gladius, et quantum potuit,
« Redemptioni nostrae auxiliata est, et martyrii
« gloriam est adepta, milite lancea latus Domi-
« ni perforante. Quia ergo Christum Dominum
« associavit in doloribus suis, nec nunc decet,
« ut ullo dolore afficiatur, sed cum gaudio et
« laetitia magna anima eius a corpore separe-
« tur, quia oportebat, ut legem pro omnibus
« statutam, a qua non fuit excepta, quia non o-
« portebat eam eximi, servaret publice, et pro
« se, et pro nobis, et propter obedientiam per-
« fectam, quae omnes virtutes complectitur,
« exaltabitur super omnes choros Angelorum,
« et super omnes Potestates et Virtutes. De qua
« re, et ipsi Angeli gaudent, et gratias Deo a-
« gunt, quorum plurimi hic nobiscum sunt,
« praesertim magnus ille Gabriel, unus de se-
« ptem et secundus inter primos de septem.
« Nos itaque, fratres, obedientiae iugo colla no-
« stra submittamus, vestigia Domini Iesu, et
« Matris eius, cum puritate cordis sectantes, ut
« post Reginam nostram, nos servi eius illuc,
« quo ipsa properat, scandere valeamus. Quod
« facile erit, ipsa pro nobis interveniente, cui
« nos omnes, omneque genus humanum humi-
« liter commendamus. Amen ».

Haec Simon, ut habet Amadeus in sua Apoc. loco citato.

De s. Thadaeo Apostolo nullum aliud restat indicium sui erga Deiparam amoris, dempta oratione de charitate B. Virginis, quam refert idem Amadeus.

Oratio s. Thadaei Apostoli in transitu B. Virginis.

« Principium omnium creaturarum Christum
« Dominum, omnia enim per ipsum facta sunt,
« et nulla res facta sine ipso, apprehendi, tenui
« eum, nec dimittam, confessus sum, laudavi,
« glorificavi, cordeque apprehendi; quia volun-
« tate, quae cordis nomine accipitur, et amore
« prosecutus sum. Sicut enim a corde tanquam
« a principio et fonte vitae, progreditur vita ad
« reliquos cordis artus, ad alia membra et ad
« alias partes; sic a voluntate bonum, et ma-
« lum omnium aliarum potentiarum, quae lau-
« de, vel vituperio dignae sunt, profluit. Prima
« laus, et primum vituperium est voluntas, a-
« liarum autem potentiarum solum bonum, vel
« malum est, in quantum a bona, vel mala vo-
« luntate diriguntur. Ipsius voluntatis est fuge-
« re, vel prosequi; ipsius est nolle et velle; et
« nihil fugit, nisi quia aliquid diligit; diligit
« autem aut propter aliud, aut non propter a-
« liud, res, quia res talis ex sui natura est, vel
« eius beneplacito propter se diligitur: dilectio
« est plurimum bonum opus. Hanc virtutem su-
« pra alias Regina nostra et Angelorum Domi-
« na possidet; haec a Deo est, et Deus est. Cae-
« terae quidem virtutes a Deo sunt, non tamen
« Deus sunt; sed haec a Deo est, et Deus est:
« Angelis, et hominibus conceditur: nulla alia
« virtus dignos nos fecit praemio aeterno: et
« haec similiter sola actiones nostras, ex ipsa
« profluentes, operationes ex aliis virtutibus
« emanantes, facit praemio aeterno dignas. Hanc
« ut nobis adaugeat Deus, Te rogamus, et ob-
« secramus, cuius culmen post Filium tuum
« Tu possides, o Maria Domina mea: Tu roga-
« bis, Tu impetrabis, ut omnes curramus post
« te in odorem unguentorum tuorum. Amen ».

S. Mathias loco praevaricationis Iudae in Apostolatum suffectus, etiam B. Virginem praedicandam aggressus est, teste eodem Amadeo, uti ei Archangelus Gabriel revelavit, hac oratione:

Oratio s. Mathiae Apostoli de donis Beatissimae Virginis.

1840. « Donatus a Domino, dona ipsius in
« Genitricem Domini Dei, et Salvatoris nostri
« Iesu Christi laudare et commendare teneor.
« Sed ex una parte cogito quae supra Petrus de
« humilitate attulit, Ioannes de Maternitate, a-
« liique fratres mei de aliis innumeris eius vir-
« tutibus. Ego Apostolorum ultimus dicere au-
« debo? Verum quia Domini voluntate, et dono
« assumptus fui in Apostolatum, cuius officium
« etiam exercere coepi, audebo et ego dona Ge-
« nitricis Dei nostri, quam omnes veneramur,
« et Dominam et Reginam nostram, ore licet
« indigno commendare et laudare; laudes enim

« eius, honores Domini sunt : nihil namque ha-
« bet, quod non acceperit, et profecto ita est,
« quia ex se nihil penitus habet. Eam itaque
« laudando, divina dona, divinas gratias, et di-
« vina munera a supremo Largitore sponte con-
« cessa magnificamus. Neque credo fas esse,
« ullam creaturam extollere, si illa nihil boni
« in se habet ; sed in ipsa creatura extollenda
« est Dei clementia, magnificentia enim sunt
« munera Dei : vobis scientibus divina myste-
« ria loquor ; nullus maiori laude videtur homi-
« ne illo a divinitate assumpto, et post illum
« nullus maiori commendatione dignus est hac
« ipsius Domini nostri Genitrice Maria : ille e-
« nim absque ullis praecedentibus meritis divi-
« nitati hypostatice unitus, et beatitudine sum-
« ma, qua maior creari nequit, est affectus,
« ipso nihil agente, ipso nihil cooperante, Deus
« factus est, et plenitudinem omnium gratia-
« rum, omnium donorum, et omnium virtutum
« assecutus est ; alii vero, ut Angeli, Sancti,
« et Beati etiam ipsi cooperati sunt, probati
« sunt, tentati sunt, potuerunt transgredi, non
« erant confirmati, ut peccare nequirent. Vir-
« go quoque nullis meritis praecedentibus, qui-
« bus tanquam operibus provenientibus ab ipsa,
« peccato praeservata fuit, antequam ullus es-
« set, et non solum antequam esset ipsa, ve-
« rum etiam antequam esset coelum et terra,
« et ipsa natura angelica, iam erat electa. Iam
« si et alii caderent in uno primo parente, pro-
« visum fuit remedium alios relevandi : Ipsam
« vero omnino dono Dei et remedio passionis
« Filii sui praeservandam, iam ordinatum fuit,
« ut dono Dei et divina acceptatione, passio prae-
« visa plus sibi prodesset, quam aliis exhibita,
« quibus meritis praevisis, in peccato non fuit
« concepta, omni gratia, omnique scientia, et
« omni arte fuit repleta ; nullum donum conve-
« niens creaturae fuit ipsi denegatum. In ipsius
« ergo laudibus potius videtur magnificari Deus
« quam in aliorum laudibus, nam in ea solus
« Deus magnificatur ; non enim in eo quod re-
« cipimus proprie laudamur, sed in eo quod
« agimus et operamur. Enimvero non est dubi-
« tandum, Mariam Dominam nostram coopera-
« tam non fuisse talibus donis, sicut alii suis
« donis cooperati fuere, sic et Filius eius ut ho-
« mo : sed praeventi fuerunt dono, et data fue-
« runt illis talia dona sine ullis operibus, sine
« ulla petitione, sine ullis motibus et desideriis
« praecedentibus, ad quae cooperati fuissent,
« si praeventi non extitissent : nam minori com-
« mendatione digni sunt, qui maiora dona sine
« ulla cooperatione, sine ullo actu praevio per-
« ceperunt, dummodo si praeventi non fuissent,
« cooperati fuissent. Laudemus ergo ; imo et
« magnificemus Dominum Deum nostrum in o-
« mnibus viis, in omnibus actionibus, in omni-
« bus donis, in omnibus muneribus suae Geni-
« trici datis, ac sponte concessis, utque nostra
« in nobis dona conservet, augeatque ipsius
« meritis, et precibus supplices deprecemur.
« Amen ».

S. Barnabas Apostolus suum etiam erga Dei-param amorem, cultumque ostendit speciali oratione, auctore eodem Amadeo ubi supra.

Oratio s. Barnabae Apostoli de laudibus B. Virginis.

1841. « Consolationes tuae, inquit Prophe-
« ta, laetificaverunt animam meam. Barnabas
« sum filius consolationis, et nomen meum dul-
« ce est tibi super omnes matres, o altissima
« Maria. Nomen Filii tui, quod est hoc, scilicet
« Filius, quod namque nomen est proprium
« Verbi Dei, et Filii tui, certe es Mater illius,
« qui ab aeterno fuit Filius ; et ille sempiter-
« nus Filius, tuus ex tempore coepit esse filius :
« quod nomen, si, ut dicitur, aliquid in homine
« ponat, tunc perempta humanitate perimitur
« et filiatio, atque Maternitas : et ita tempore
« mortis Christi Maternitatem amisisti, et ea de
« re valde doluisti. Nunc quoque ad aeterna
« gaudia tibi properanti nihil mali, nihil sini-
« stri accidere posse video, nisi hoc solum quia
« morte interveniente, Maternitatem tuam ite-
« rum amissura es, quod an sit verum, difficile
« est cognitu, et novissimis diebus, ut audio,
« hoc declarabitur. Si statutum non fuisset, se-
« mel omnem hominem mortem subire, bonum
« esset, ut te Deus de vita ista transferret ad vi-
« tam illam, ne nomen tantae dignitatis in te ex-
« tingueretur ad tempus. Quid enim? etsi reipsa
« non eris Dei Mater, eris tamen in mente ipsius
« et in nostra, et citissime resurgendo, reipsa
« nomen illud recuperabis, et quod parumper
« interrumpitur, non interruptum, sed conti-
« nuum censendum est. Consolare itaque, Maria,
« in Filio tuo, consolare in Maternitatis nomi-
« ne : nam maximas consolationes citissime ex-
« perieris. Deo enim unione perpetua copula-
« beris, Filii tui amplexibus indissolubilibus
« adstringeris, omnibus bonis affluens, nihil tibi
« unquam deficiet, proxima solio sanctissimae
« Trinitatis assistes, sessione propinquissima
« Deo Trino et Uni eris : illi nos commendatos
« facito. Abscedens non abscedas a nobis in
« hac mortali vita, et ut ad gaudia illa, et nos
« pervenire valeamus, exora. Amen ».

Refert etiam Hyppolitus Marraccius in suis Apostolis Marianis, ad finem, c. 15, ex Ioanne Antonio Castellionio, pag. 14 et 19, s. Barnabam, antequam Mediolanum attingeret, in agro Ticinensi constitisse, ibique templum Iovis rite expiatum, magnae Matri Mariae dedicasse ; idemque postmodum in Mediolanensi urbe ex aliquorum sententia praestitisse.

1842. Nec hoc loco silentio praeteribo s. Lucae Evangelistae singularem in Virginem Dei-param affectum et observantiam. Hic enim pictor egregius, omnium primus, B. Virginis adhuc viventis imaginem cera, tum et penicillo affabre ad vivum delineavit. De eo enim ait Metaphrastes : *Hoc autem inter caetera gratissimum est, quod ipse typum assumptae humanitatis Christi, et signum eius, quae illum peperat, et assumptam humanitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingens, ut ad haec*

usque tempora in imagine honorarentur, tradidit; tanquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his quos desiderabat. Quod ferventissimi amoris signum est. Nicephorus etiam, lib. 6 Hist., cap. 16, idem attestatur, cum ait: *Cum etiam ss. Apostolorum Petri et Pauli, ipsiusque adeo Christi, et quae eum supra captum mirifice genuit, Virginis Matris colores adumbrantes, imagines plurimas ad hunc usque diem conservatas esse novimus: ac Lucas quidem Apostolus, primus ipsas, accurate opus id exorsus, manibus suis depinxit.* Nec unam tantum, sed plures B. Virginis imagines, sive sponte et affectu in Deiparam ductus, sive rogatus in aliorum gratiam depinxit, ut ait Canisius, lib. 5 de Deipara, cap. 22, quae per totum terrarum orbem cultum et observantiam in Virginem Deiparam invexerunt: harum una Romae in s. Maria Maiore visitur, quae per urbem a s. Gregorio circumlata grassantem luem sopivit et extinxit.

Nec solum penicillo Virginis effigiem, sed etiam et Filii et Matris res gestas brevissime, et eleganter conscripsit. De his omnibus a Deipara Virgine, cui et a manu et a secretis erat, edoctus fuit. De quo sapiens Idiota, lib. de contemp. B. Virginis, c. 3, sic scribit: *O Beatissima Virgo Maria, doctrix fuisti Doctorum, et magistra Apostolorum: unde et B. Lucas, cui inter caeteros Evangelistas descriptio Dominicae Incarnationis attribuitur, Evangelii seriem a te Virgine Maria didicisse traditur.* De perpetua etiam Deiparae virginitate exstat encomium D. Lucae apud Amadeum cit. in transitu eiusdem Virginis, ubi vocat Mariam omni laude dignissimam, omni praeconio celebrandam.

« Tu enim (addit D. Lucas) sola ante partum, « et post partum Virgo fuisti. Tu sola utrumque « complexa es, virginitatem scilicet et Maternitatem, et praeceptum Dei decrescendo, et « consilium virginitatis Tu sola observasti, ut « sine viro conciperes, et sine dolore pareres; « ut sicut fuerat vir ex nullo, mulier ex solo viro, alii omnes ex viro et muliere; ita ipse vir « esset ex muliere sine viro. Sic oportebat, sic « congruum erat ut illa, quae omnibus Angelis « dominaretur, nulli viro subiiceretur, non di- « co desponsatione. Nec enim te decebat Matrem Dei, Reginam Angelorum, et a peccato « originali liberam: in hoc enim dictum est « Evae in poenam, scilicet: Sub potestate viri « eris, et dominabitur tui; quia ergo illo pacto « caruisti per gratiam Dei, iustum erat, ut in « viri potestatem non transmittereris, quia subiectio illa vilis est, et apud homines oppro- « briosa. Nihil honoris, nihil venerationis, ni- « hil dignitatis tibi Filius deesse voluit, qui te « perfectam undique creavit ».

Ad haec apud eundem Amadeum in sua Apoc., raptu 5, reperitur Evangelium D. Lucae de Assumptione Virginis Mariae in coelum, quod sic se habet:

« Impleti sunt dies Mariae, ut transiret ex « hoc mundo ad Filium suum unigenitum, et « missus est ad eam cum palma victoriae ante « pheretrum deferenda Gabriel Angelus, quae « cum neque sibi ignota, neque ingrata audis- « set, turbata nullo modo est. Desiderabat enim « relinquere mundum, et semper esse cum uni- « genito Filio suo. Adfuit statim discipulus ille « cum omnibus Apostolis, et potioribus discipu- « lis: erantque ibi Maria Magdalena, et Maria « Iacobi, et mater filiorum Zebedaei; aderant « plures virgines, atque sanctae mulieres; unus- « quisque verba sua protulit, et in laudem Vir- « ginis Matris direxit, et unicuique ipsorum hu- « militer respondit Maria, et omnibus pariter « benedixit. In lectulum coram omnibus con- « scendit, et anima eius cum ingenti gaudio a « corpore discessit. Ad inferos, et ad Paradi- « sum adveniens, quotquot amicos in poenis il- « lis viderat, eripuit; corpus in vallem Iosaphat « delatum est, et sindone munda involutum, po- « situm est in monumento novo, in quo nondum « quisquam positus fuerat. Diluculo anima re- « versa est ad Apostolos. Tunc Dominus Iesus « cum omni militia coelestis exercitus in maie- « state venit, dixitque omnibus: Pax vobis: « gavisi sunt valde discipuli viso Domino desi- « derato, felicem animam alloquitur, omnibus- « que discipulis benedixit, animam corpori ite- « rum coniungi praecipit; surgit vere Maria, et « prodiit de monumento tota decora nimis: pro- « greditur cum Domino per aera ad montem « olivarum, comitantibus Angelis et animabus « illis iustis, et omnibus suspicientibus, in coe- « lum ante faciem Filii sui assumitur, et sedet « in gloria maiestatis. Regressi sunt Hierosoly- « mam Apostoli cum discipulis, et sanctis mu- « lieribus gratias agentes de omnibus, quae au- « dierant, et viderant, annunciantes magnalia « Dei in omnes gentes ».

Hucusque D. Lucas apud Amadeum in Apocalypsi manuscripta, quae exstat in Bibliotheca Regia s. Laurentii in Escuriali.

Haec paucula ex quamplurimis sanctorum Apostolorum pietatis et observantiae argumentis in B. Virginem Dei Genitricem, hic placuit attexere, vel potius delibasse, ut fidei nostrae primorum parentum exemplo, noster erga tantam Virginem pietatis et cultus affectus, et amor excitetur et accendatur. Nunc praestat alia circa eundem Deiparae cultum ex Theologorum penu appingere.

CERTAMEN VIII.

Deipara adhuc vivens summo in honore habita

1843. Ea fuit Dei Genitricis species et pulcritudo, is decor, ad stuporem usque, ea vultus illius divini maiestas, ut causa exstiterit longas peregrinationes instituendi. Quod plane confirmat celebris illa sententia Dionysii Arcopagitae, quam protulit, cum primo Virginem Deiparam intuitus est, quam plures recensent apud Sherlogum, tom. 2 in Cant., fol. 97. Huius ergo tantae pulcritudinis visendae, et maiestatis suspiciendae desiderio plures ex ethnicismo ad fidem catholicam revocati, peregrinationes in Hierosolymam meditabantur. Et probatur auctori-

tate Lucii Dextri in suo Chronic. an. Christi 35, num. 5, asserentis: *Ad Mariam frequens in Hispania fiebat peregrinatio.* Ratione etiam id suaderi potest; ea enim sanctitatis portento similis fama, et opinio de Virgine Deipara insederat hominum cordibus, primis illis nascentis Ecclesiae temporibus, tantus etiam virtutis ardor, ac fervor primorum christianorum, ut plures non solum ex vicinis regionibus, sed ex longinquis etiam, ac dissitis mundi tractibus peregrinarentur, tantae sanctitatis fama permoti, ut illam vel viderent, vel consulerent, vel suspicerent, ut ab eius ore caelestia mysteria ediscerent; vel tandem, ut illam tanquam Dei simulacrum, ac divinam imaginem venerarentur.

Subiicit s. Ignatius martyr, epist. 1 et 2 ad Ioannem Evangelistam, plures foeminas devotionis ac religionis causa permotas fuisse ad invisendam Virginem Deiparam, eiusque sacra ubera contrectanda; eius verba subiicio: *Sunt et hic multae de mulieribus nostris Mariam Iesu videre cupientes, etiam ut eam contingant, et ubera eius tractent, quae Dominum suum aluerunt.* Ex quibus verbis duo deduces; primum, Mariam Virginem in terris degentem iam a muliebri sexu summa veneratione fuisse cultam: alterum est, Virginem Mariam Iesu fuisse cognominatam, quod cognomen pluris Virgo B. faciebat, quam vetustissima stemmata a vetustissimis proavis ac regibus amplissimis parta, a quibus originem ducebat; et ut hinc viri societatis Iesu addiscant non a clara proavorum prosapia, sed ab uno suo duce Iesu omnem honorem et claritudinem auspicari. Subdit s. Ignatius cit.: *Et quod eius secreta ut percunctentur Mariam Iesu, et haec talia excitaverunt viscera nostra, et cogunt valde desiderare adspectum huius, si fas est fari, coelestis prodigii, et sacratissimi spectaculi.* Harum peregrinationum meminit noster Melchior de Incofer, tract. Veritatis vendicatae Epistolae B. Mariae ad Messanenses, cap. 1, quorum quidem respublica felicissima a legatione ad B. Virginem missa, responsum in litteris, quibus eam consolabatur, ac bene precabatur, assequi promeruit.

Huc revocari posset illud Psal. 44: *Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.* S. Augustinus in hunc Psal. filiarum nomine, animas de gentilitate in Christum conversas intelligit. Nec desunt qui asserant harum filiarum nomine, Hispanos accipi debere. Favet Lucius Dexter citatus supra. Idque eo credibilius videri debet, quod, ut Lucius Dexter ibidem docet, plurimi Iudaei fugati ad portum Carthaginensem appulerunt, et divisi per varias Hispaniae regiones retulerunt hominibus Hispanis quae de Christi Domini morte, miraculis, resurrectione suismet oculis conspexerunt; eiusque Matrem sanctissimam adhuc Hierosolymis vitam degere, foeminam omnigena virtutum supellectili conspicuam, qualem nulla saecula viderint: qua narratione Hispanos ingenti eam videndi desiderio accenderunt, praesertim cum primis illis temporibus, nihil magis in usu fuerit apud fideles cuiuscunque nationis, quam in loca sacra Palaestinae iter arripere: quis autem eat inficias, maximum ardorem primis illis Hispanis fidelibus infuisse invisendi B. Virginem, cum eaque colloquendi, quae Mater nostri Redemptoris erat? Vere enim dixit s. Ignatius M. in epist. quadam: *Si licitum est mihi, apud te ad Hierosolymae partes volo ascendere, et videre fideles, qui ibi sunt, praecipue Mariam Iesu, quam dicunt universis admirandam, et cunctis desiderabilem; quem enim non delectet videre eam, et alloqui, quae verum Deum de se peperit, si nostrae sit fidei et religionis amicus?* Haec igitur, quae s. Ignatius hic refert, cum per omnes cuiusque provinciae fideles divulgarentur, a remotissimis provinciis peregrinando confluebant, ut oculis conspicerent illud divinum simulacrum, eamque tanquam oraculum consulerent.

Quid, quod Hispani avidissimi semper magnarum rerum videndarum exstiterunt, ut veterum monimenta testantur? D. Hieronymus ad Paulinum scribens ait: *Ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem, de ultimis Hispaniae finibus, quosdam venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* D. etiam Athanasius Hispanos abstrusissimas penetrasse solitudines, ut magnum viderent Antonium, narrat: *Hominem*, ait, *alio pene orbe celatum, et inter tantas positum solitudines Africa, et Hispania demonstrat.* Haec Athanasius in vita Antonii, et Theodoretus in vita Simonis Stylitae haec habet: *Hominum pelagus undique adventantium, et more fluminum confluentium, apud illud videre est; non enim nostrates tantum, sed et Ismaelitae et Persae, et horum finitimi Armenii et Hiberi et Homeritae, et interiores etiam populi conveniunt: multi etiam illorum, qui ultimam Hesperiam incolunt, videlicet Hispani, Britanni et Galli.*

1844. Verum quid maius? nempe quod Hispani Hierosolymam peregrinarentur, B. Virginem invisuri, vel quod ipsa B. Virgo Caesaraugustam peteret, Hispaniam invisura? Maximum quidem specialissimi in Hispanos amoris argumentum ab ipsa Dei Genitrice exhibitum. Id affirmat Franciscus Bivarius, comment. in Lucium Dextrum, an. 88, num. 1: tametsi leve iudicem huius fundamentum, cum firmiores existent rationes, ac robustiora fundamenta, quibus haec veritas innititur, de qua fuse Murillo; huius auctoris tamen verba hic proferam: *Obiter*, inquit, *notarim, quod cum primum Apostolus accessit Hierosolymam totis quindecim diebus, quibus illic mansit, alium Apostolorum vidit neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, et Petrum, cuius erat hospes, ut ait ad Gal. c. 1. Quare cum non fuerit ibi Ioannes, necessum quoque est, ut etiam inde abfuerit B. Virgo, cuius ille comes individuus erat. Cum vero eodem tempore ambo se praesentaverint Iacobo in Hispania praedicanti, nec legamus tunc aliquid adfuisse, videor mihi non temere dici posse, non tam repente, et in raptu id factum; quin dies aliquot apud Apostolum in Hispania egerint,*

cum eisque actum fuisse, atque cum Philippo Diacono legimus Actor. 6. Sic igitur credendum de Deipara, et Ioanne, delatos quidem Caesaraugustam Angelorum ministerio, inibi tamen aliquot dies cum Iacobo egisse, priusquam Hierosolymas reducerentur.

Opponunt haeretici, gloriam omnem ac laudem et venerationem Deo soli tribuendam, alioquin idololatriae crimine contaminabimur, si B. Virgini, praecipue in praesenti vita degenti, laudem, honorem et adorationem detulerimus. Vera tamen sententia est, laudem et gloriam, quae nihil aliud est, quam frequens fama et clara notitia donorum, quae vere et proprie imputantur homini, tanquam illorum causae secundariae, praecipue B. Virgini deferre nos posse, ac debere. Eadem vero laus et gloria ac cultus potuit esse finis honestus a B. Virgine intentus per pias operationes. De qua plura Didacus Ruiz de Montoya, tom. de Praedestinatione, disputat. 35, sect. 4, num. 5. Et probari potest ex Ioanne 5: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis?* Ubi sicut reprehenditur gloriae inquisitio, quae a Deo non est; ita solidam gloriam, quae a Deo est, per conatus liberi arbitrii gratia suffultos, ac per bona opera quaeri posse, tanquam laudabile proponit: imo passim in sacris Paginis meritorum praemium aeternum promittitur tanquam gloria et honor et corona decoris, per quae licet praecipue denotetur beatitudo, secundario tamen significatur laus, et honor exhibitus per virtutum opera, ac per liberos conatus cum Dei gratia exercitos. Spes ergo theologica non solum exspectat Deum clara visione et amore tenendum, sed etiam sperat gloriam et claram cum laude notitiam, partam per actus bonos liberi arbitrii divina gratia innixos; ergo licitum et honestum est, propriam laudem et gloriam expetere, dummodo illa nequaquam ab hominibus aucupetur, sed a Deo exquiratur. De quo videndus Chrysostomus, tom. 1, ubi de fide Annae hom. 4, et hom. 17 in epist. ad Rom. c. 9.

Quae omnia suffulciri possunt ex eo, quia appetitus laudis et honoris a natura est nobis inditus, et recto rationis praescripto conformari potest, praesertim cum coniungitur illi supernaturalis appetitus verae laudis, ac gloriae a Deo supernaturali vi adipiscendae. Quod autem haec proclivitas, seu inclinatio a natura indita nobis ad laudem, et gloriam comparandam ex se bona sit, et quod bonum finem respiciat; docet s. Damascenus, Dialogo contra Manichaeos: *Inanis*, inquit, *gloria non eo mala est, quod gloria ametur, sed quod ea gloria non ametur, quae a Deo proficiscitur*, etc. *Naturalis ordo in hoc situs est, ut gloriam eam, quae a Deo proficiscitur, expetamus: ut autem gloriam alii ab aliis desideremus; hoc vere naturae repugnat.* Damasceno assentitur Bernardus, serm. de triplici gloria: *Consideravit Apostolus rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quae ad imaginem facta est Creatoris. Propterea secundum datam sibi a Deo sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Cum ergo hic naturalis, innataque laudis, et gloriae propensio a nobis explicata, sit honesta; ergo a B. Virgine haberi potuit. Hinc enim et Christus Dominus, et B. Virgo, tum et reliqui iusti viatores, proposita sibi hac laude, animos ad ardua quaeque toleranda sumebant, ac vehementer ad rem virtutis accendebantur. Siquidem verissime dictum:

> . . . . . Laudataque virtus
> Crescit, et immensum gloria calcar habet.

Ex quibus proclive est deducere, Virginem Deiparam per liberam humani arbitrii cooperationem, laudem et gloriam sibi debitam ex iustitia meruisse non solum a Deo, sed etiam ab Angelis et hominibus exhibendam. Fit etiam, B. Virginem absque detrimento perfectissimae animi submissionis, quaesiisse, petiisse et impetrasse praedictam laudem et gloriam, quia eo ipso maiorem Dei gloriam venabatur. Ita loquitur de Christo Domino citatus Ruiz, disp. 35, sect. 7, n. 4; idemque censeo dici posse de B. Virgine. De Christo Domino ostenditur verbis illis Psal. 108, ubi alloquitur Christus aeternum Patrem: *Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.* Et clarius id constat ex Ioann. c. 17: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Sicut ergo Christus Dominus optat ac petit, et a Patre obtinet humanitatis gloriam, celebritatem, ac nominis claritudinem, iuxta communem Patrum interpretationem, sine praeiudicio submissionis animi; ita Virgo Deipara potuit sine eiusdem virtutis detrimento optare, petere, ac sibi consequi a Deo nominis celebritatem, laudem ac gloriam; neque enim per hanc laudem, quae Virgini Deiparae tribuebatur propter bonum usum liberi arbitrii, caeterosque virtutum actus, aliquid detrahi poterat gloriae Dei; tum quia laudem ac gloriam deferre Mariae, est implicite, et virtualiter Deum, eiusque gratiam, tanquam primariam causam laude ac gloria evehere; tum quia ipsa Virgo id praesertim intendebat, quando eiusmodi laudem ac gloriam expetebat, videlicet ut sui nominis laude ac claritudine Deus amplius laudibus attolleretur.

Dicat aliquis: Humanitas Christi Domini et eius opera dignitatem et valorem accipiebant ex Persona Verbi, ac proinde non tam debebatur laus, et nominis celebritas Christo ob bonum usum liberi arbitrii, quam propter dignitatem unionis hypostaticae ad Verbum. Contra tamen est, quoniam unio hypostatica et dignitas Personae Verbi non possunt efficere meritum, nisi per operationes et conatus liberos, quos humanum arbitrium libere poterat omittere: quod in B. Virgine perspicue ostenditur, quae vere et proprie meruit superexcellentem honorem, laudem et gloriam ob eminentes omnium vir-

tutum liberas actiones, quas omnes complexa est Elisabetha sub nomine fidei operantis per charitatem, dum B. Virginem laudibus evehit illis verbis: *Beata quae credidisti.* Quae quidem laus ab Spiritu sancto profecta est, nec tamen potuit aliquo modo labefactare, aut imminuere laudem Dei, imo potius adauxit, ut constat ex Mariae cantico, quod mox intonuit: *Magnificat anima mea Dominum.* Ideo idipsum comprobans David, Psal. 104, pangit: *Laudamini in nomine sancto eius.* Quod sic explicat s. Prosper: *In operibus vestris sic estote laudabiles, ut Deus laudetur in vobis.*

1845. Insuper censeo Virginem Deiparam debere secundum seipsam propria sibi laude, et gloria specie distincta a laude, gloria et honore Dei, laudari, ac nominis celebritate evehi. Ad cuius thesis probationem praemittenda sunt concilii Tridentini verba, sess. 6, c. 7, et can. 11: *Unica,* inquit, *formalis causa iustificationis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet a Deo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur, et sumus, iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem.* Additque, hanc cooperationem et dispositionem fieri per actus liberos voluntatis, nempe fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum; loquitur enim de iustificatione adultorum. Modo sic fulciri potest haec thesis: ille propria sibi laude, gloria et honore evehitur secundum se, qui habet secundum se rationem formalem obiectivam laudis, ac gloriae sibi propriam; ergo Deipara proprie sibi laude et honore digna erat. Et declaratur exemplo ducto ab adoratione, de qua Certamine sequenti: Deipara adoratione sibi peculiari adoratur, et colitur propter ingentem sanctitatem sibi propriam; ita etiam propter liberos virtutum actus sibi proprios est laude digna: nullus enim inficiari potest, liberos virtutum actus, maxime heroicos, esse rationem formalem obiectivam laudis ac gloriae. Cum autem haec ratio formalis obiectiva laudis et gloriae reperta in B. Virgine, sit virtus et sanctitas comparata per actus virtutum liberos, necessario plusquam genere distinguitur a virtute et sanctitate Dei propria: atque adeo laus, honor et gloria Deiparae realiter et specie differt a laude, honore et gloria Dei propria.

Et firmatur in adoratione propria B. Virginis, quae distinguitur ab adoratione Dei reipsa et specie, ob rationes formales, diversa; adoratio autem supra quidditativam rationem honoris, solum addit submissionis et humiliationis notam, sive significationem: cum autem honor praemium sit virtutis, ac bonis hominibus attribuitur ex Aristotele, l. 4 Ethic., c. 3: *Virtuti cumulatae nullus dignus honor fieri potest, solus bonus est honorabilis.* Et lib. 8 Ethic., c. 14: *Virtutis, et beneficentiae praemium, honos est, non enim is honoratur, qui nihil boni reipublicae praestat; id enim quod est publicum ei tribuitur, qui beneficia in rempublicam confert: at honor, publicum est.* Imo sententia est apertissima Apostoli ad Rom. c. 2: *Gloria et honor omni operanti bonum.* Et vere quidem, nam per exhibitionem honoris, testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius absolute. Ex quo fit, ut gloria sit effectus honoris, quia ex attestatione de bonitate alicuius, ipsius bonitas in notitia plurimorum advenit, ac ideo clarescit et emicat, quae gloria distincta est a gloria Dei: is autem honos, et laus debita B. Virgini excellentior, et sublimior esse debet laude et honore debito reliquis sanctis, quia innititur ratione formali bonitatis excellentioris, quae reperitur in actibus excellentioribus liberi arbitrii circa obiecta virtutum heroicarum, quales in B. Virgine resplenduerunt.

CERTAMEN IX.

Quo religionis actu adoranda sit Virgo Deipara.

1846. Hic missos facimus haereticos, qui nobis obtrectant, ex adoratione et cultu in Virginem Deiparam, nos veram idololatriam invehere, ac Christo abiecto, Deam recentem confingere cavillantur. Praeterimus etiam alios, quorum haeresis extreme opposita fuit, nempe Collyridianorum, qui Virginem Mariam adorationis cultu colebant, tanquam Deum, illique sacrificia litabant, auctore s. Damasceno, lib. de haeresibus, et Epiphanio haeresi 78.

Reiectis his haereticorum blasphemiis, asserendum est, B. Virginem aliquo religionis cultu adorandam esse. Est assertio fide tenenda: unde in VII Synodo, Act. 4, 6 et 7, et in Tridentina sess. 25, in decreto de reliquiis et veneratione Sanctorum, primo loco statuitur Deiparae Virginis adoratio. Quando autem s. Epiphanius, haeresi 78 cit., negare videtur hanc adorationem B. Virgini, solum intelligendus est de adoratione latriae, quae propria est solius Dei; ibi enim docet s. Doctor Deiparam honore et veneratione prosequendam esse. Addit Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 22, sect. 1, pie dici posse a primo mundi exordio, et in caelis ab Angelis et in terris ab hominibus adoratam fuisse, quia sancti Angeli iam in principio suae creationis, et Christum et Mariam fide cognoverunt, et statim atque visione Dei potiti sunt, eosdem in Verbo vidisse, quia maxime ad suum statum conducebat, suum caput ac regem Christum, et suam dominam ac imperatricem agnoscere. Cum autem aliqui Patres innuere videntur, Angelos non cognovisse Matrem Dei, ut Bernardus tom. 1 in *Missus est,* et serm. 4 et 5 Assumpt.; et Laurentius Iustin., ser. de Annunc., interpretandi sunt de cognitione quoad omnes circumstantias, non vero quoad substantiam et personam ipsam. Quemadmodum ergo Christus Dominus ab Angelis fide cognitus, vel clare in Verbo visus, ab ipsis vero religionis cultu adoratus est, iuxta illud Pauli ad Hebr. 1: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius;* illud enim adverbium *iterum,* denotat instans vel tempus, quo illis per

fidem propositus est semel, et iterum tempus, quo reipsa homo factum est Verbum: eadem ratione cum primum Virgo Deipara fuit ab Angelis per fidem cognita, fuit etiam ab eisdem adorata: in Ecclesia autem militante semper eadem B. Virgo fuit adorata ab Adamo et Eva, qui eam fide cognoverunt, deinde a Patriarchis et Prophetis; post Christi autem adventum, dum vixit vita mortali, a fidelibus omnibus qui illam cognoscebant, maxima in veneratione habita fuit, ut patet ex superiori Certamine. Christus etiam Dominus ita gratus fuit erga Parentem optimam, ut non contentus reverentia, qua illam coluit in vita, obsequiis suis operationum infinitarum ac theandricarum, quibus illam suspexit illi subditus; voluerit, omnes nos revereri Genitricem suam; quasi ipsum coadiuvando ad illam colendam ac venerandam. Quem cultum Christi erga Parentem suam extollit Richardus de s. Laurentio, lib. 3 de laudibus Virginis; ait enim, Christum Dominum coram Matre flexo poplite allocutum: *Multoties*, inquit, *ut creditur, genuflexit Filius coram Matre.*

Postquam vero caelos ascendit eadem Deipara, singulari cultu fuisse ab universali Christi Ecclesia suspectam et adoratam, patet ex universali Ecclesiae consensu ac traditione cuius principium omnino nescitur, atque adeo iuxta Augustinum, lib. 4 de Bapt., c. 24, argumentum certum est, ab ipsis Apostolis, hunc erga Virginem B. cultum promanasse. Patet etiam ex Patrum testimoniis toto hoc opere dispersis: tum ex festis diebus, quos in Deiparae honorem colit Ecclesia. Eandem traditionem testantur vetustissima et amplissima templa, sacella, eremitoria in eiusdem Virginis Deiparae honorem ac cultum consecrata. Videndus Canisius, lib. 5 de Deip., c. 23 et deinceps; Suarius, tom. de Incarnat. dum agit de Imaginum adoratione.

1817. Explicandum nunc superest, qualis sit haec adoratio, qua B. Virginem suspicere debemus. Triplex in B. Virgine adorationis ratio considerari potest, videlicet gratia sanctificans, Maternitas Dei, et contactus cum Christo Domino. Ratione gratiae sanctificantis adoratur B. Virgo hyperdulia, quia in ea reperitur intrinseca sanctitas multo excellentior, quam in aliis Sanctis, licet sit intra eandem speciem. Ita Paludanus in 3, dist. 9, q. 2.

Secunda adorationis ratio, propter quam Virgo B. adorari potest, est extrinseca, qualis reperitur in cruce Christi: sicut enim quia crux tetigit Christum, et fuit nostrae redemptionis instrumentum, adoratur; ita etiam Beata Virgo et Christum tetigit, et ad nostram redemptionem cooperata est. Adorari itaque poterit Beata Virgo propter hanc rationem ipsi Virgini omnino extrinsecam, nempe quia tetigit Christum, ita ut tota huius adorationis ratio sit Christus Dominus. Ita Suarius, tom. 2 in 3 part., disp. 22, sec. 2, cum D. Thoma, et Caietano, qui omnes recte animadvertunt, in praxi secundum hanc rationem, communi ac publica Ecclesiae adoratione non esse adorandam, in hac enim adoratione adesse potest periculum: cum enim creatura rationalis per se capax sit absolutae adorationis propter aliquam excellentiam intrinsecam; si homines rudes et ignorantes eandem creaturam rationalem adorarent ac suspicerent propter excellentiam divinam, licet extrinsece applicatam, facile in errorem prolaberentur, divinam illi tribuentes excellentiam. Deinde, quia excellentiori cultu et honore adoratur Deipara, cum propter intrinsecam et propriam excellentiam suspicitur et adoratur, quam si colatur solum propter extrinsecam habitudinem contactus: eiusmodi enim honor et cultus etiam rebus inanimatis defertur, et solum est veluti testimonium excellentiae illius personae, propter quam fit adoratio.

Tertio adorari potest Virgo Deipara, propter Maternitatem Dei, quae altioris est ordinis, et distincta dignitas a dignitate gratiae, neque est extrinseca, sed intrinseca et propria solius Beatae Virginis; sive quia physice sita est in relatione reali ad Christum, ut alibi monuimus; sive moraliter, sicut est dignitas regis in rege; propter hanc enim dignitatem Matris Dei recte cum Suario B. Virgini adaptare possumus illud Pauli ad Philipp. 2: *Humiliavit semetipsam; propter quod et Deus exaltavit illam, et dedit nomen, sub Deo super omne nomen*, nempe Matris Dei; quia decet Matrem ea, quae Filii sunt, possidere, et ab omnibus rebus suspici et adorari. Ex eo enim quod Mater est, dominium habet in omnes creaturas, ut fuse suo loco dedimus; at iure dominii, ab omnibus inferioribus cultu et veneratione est suspicienda. Alium titulum huius adorationis subindicat VII Synodus, act. 4, cum speciatim vocat eam, omnium christianorum Dominam; quo innuit, B. Virginem speciali quodammodo ad nostram redemptionem concurrisse: quare sicut Christus Dominus, quia nos redemit, est Dominus ac Rex noster; ita quia B. Virgo nostram redemptionem cooperata est, subministrando materiam carnis ac sanguinis Christo, illumque spontanee cruci ac morti offerendo, omniumque salutem suis precibus, ac suffragatione a Deo expetendo, sollicitandoque. Haec, inquam, ratio sufficientissima est ad hanc peculiarem adorationem, et cultum in B. Virginem fundandum et stabiliendum.

Haec autem ratio adorationis longe diversa est ab illa secunda, quae fundatur in contactu Christi, quia haec nullam dicit moralem dignitatem propriam creaturae rationalis; solum enim dicit habitudinem quandam ad Christum, quae etiam in rebus inanimatis reperitur: at concipere Deum, in utero portare, lacte nutrire requirit propriam causalitatem, et specialissimam coniunctionem consanguinitatis cum Christo, et affinitatem cum Deo. Nec dicas, hanc dignitatem Matris Dei sic explicatam, et praecise sumptam, non esse sufficientem rationem ad absolutam adorationem exhibendam B. Virgini: si enim Maternitas Dei a gratia sanctificante secernatur, tunc Deipara hoc speciali cultu adorari non poterit; male ergo distinguimus hanc adorationis rationem a cultu, qui exhiberi potest ratione contactus cum Christo. Hoc, inquam,

in nostra sententia, quae defendit, maternitatem Dei esse formam sanctificantem, nihil urget. Deinde in communi sententia, aio fieri non posse de potentia ordinaria, quin dignitas Maternitatis Dei coniungatur cum forma sanctificante, quae necessario ex natura rei illam consequitur: quod sufficit, ut haec dignitas Matris per se sit ratio sufficiens adorationis.

1848. Vestigabis, cuius sit virtutis actus haec B. Virginis adoratio, quae hucusque explicata est. Ad cuius rei planiorem intelligentiam, primo certa fide tenendum est, B. Virginem nulla ratione adorari posse cultu propriae ac perfectae latriae, quae soli Deo tribuenda est propter excellentiam infinitam, et increatam, quo sensu Collyridianorum haeresis damnatur; et in hoc sensu Ambrosius, lib. 3 de Spiritu sancto, c. 12, negat, adorationem Christi propriam cum eius Matre esse communicandam. Deinde supra monuimus, B. Virginem publico cultu adorandam non esse ratione contactus cum Christo, propter extrinsecam excellentiam ipsius Christi, ut tollatur imperitae plebi prolabendi periculum: quod si aliquis discerneret has adorationis rationes, posset adorare B. Virginem hoc cultu latriae respectivae, sive secundariae, quia ab eadem latria promanat, licet actus sit distinctus ab adoratione latriae proprie dictae; qua adoratione adorantur crux, clavi et alia similia. Praeterea si Virgo Deipara adoretur propter sanctitatem gratiae et gloriae, tunc ille cultus eiusdem est speciei cum adoratione aliorum Sanctorum, quia excellentia, qua innititur, eiusdem est speciei. Sed quia in B. Virgine longe sublimior et excellentior est haec sanctitas, quam in reliquis sanctis, perfectior est etiam adoratio, quae illi debetur intra eandem speciem, ideo Theologi illam vocant hyperduliam.

Adoratio autem, quae defertur B. Virgini ratione Maternitatis Dei, lato modo dicitur Hyperduliae, ut vult s. Thomas, 2 2, qu. 103, art. 4, et Theologi communiter cum Athanasio, Damasceno, Anselmo, Gregorio, Epiphanio. Haec autem hyperdulia altioris est ordinis, et alterius speciei ab illa, quae nititur in excellentia sanctitatis, sive gratiae iustificantis, licet Vasquius, de adoratione disp. 8, oppositum dicat. Videatur Mendoza in Viridario lib. 2, problem. 4, n. 26: et ratio est, quia dignitas Maternitatis Dei est specie distincta a dignitate gratiae habitualis, et spectat ad ordinem unionis hypostaticae; ergo adoratio, quae nititur excellentia Maternitatis Dei, est diversae rationis ab illa, quae nititur excellentia gratiae iustificantis: siquidem obiecta formalia sunt inter se valde diversa. Nec ideo adoratio s. Petri propter dignitatem Apostolicam, vel s. Ioannis Baptistae propter dignitatem Praecursoris, erunt specie distinctae ab adoratione propter sanctitatem, quia hae dignitates praecise sumptae non sunt sufficiens ratio religiosi cultus, de quo modo agimus. Solum enim sunt ministeria, quae, si cum gratia coniungantur, conducere possunt ad maiorem honorem ipsis exhibendum; at Maternitas Dei est excellentia per se digna adoratione, et spectans ad alium ordinem, scilicet unionis hypostaticae.

Inquires, a quo habitu proficiscatur adoratio, quae defertur B. Virgini ratione Maternitatis Dei. Respondeo cum Suario citato, sect. 3, oriri ab eodem habitu religionis, a quo procedit Christi adoratio. Probari potest primo, quia licet dignitas Matris sit creata ac finita, suapte tamen natura dicit ordinem ad excellentiam increatam: unde in eodem ordine cum ea, et cum unione personali humanitatis ponenda est, sicut Christi humanitas tametsi finita, latriae tamen cultu suspicitur et adoratur; ergo licet dignitas Maternitatis Dei sit creata, quia tamen respicit excellentiam increatam, a qua sumit suum valorem, adorari poterit actu religionis. Quemadmodum enim cultus duliae, qui innititur gratia sanctificante, debetur omnibus, qui sunt eiusdem ordinis cum gratia; ita adoratio, quae debetur excellentiae increatae, tribuenda est omnibus, qui ad eundem ordinem spectant. Deinde probatur, quia in humanis idem habitus qui inclinat ad adorandum regem, inclinat etiam ad adorandam matrem eius, quia sunt correlativa. Probabiliter etiam quispiam dicere posset, hoc genus adorationis constituere propriam virtutem, et habitum distinctum a caeteris, quia innititur in excellentia speciali et intrinseca creaturae: quod sufficere videtur, ut sit distincta a virtute religionis; licet enim totus hic honor matris cedat et refundatur in honorem filii, tamen propria haec excellentia est B. Virginis, et non consideratur ut respectiva, sed ut absoluta et ut constituit excellentem hanc personam, speciali inter omnes creaturas veneratione dignam. Siquidem cum dignitas Maternitatis sit singularis inter omnes alias dignitates creatas; nil mirum, si singularem cultum deposcat distinctum ab omnibus aliis. Ob consanguinitatem ergo, quam B. Virgo cum Deo contraxit, et ob consanguinitatem cum Christo, peculiari est cultu adoranda, quatenus quae modo in Christo est Dei caro, ex Mariae substantia fuit aliquando sumpta: et consanguinitate cum Christo in primo gradu etiam coniungitur, quia Christum genuit, ac totam substantiam et carnem tribuit, eumque per menses novem in utero portavit, lactavit, puerumque educavit: ergo cum Mater tali Filio coniuncta fuit, ac propinqua, maximo etiam honore ac peculiari prae caeteris erit suspicienda et adoranda.

1849. Dignitas ergo haec et excellentia Maternitatis Dei vincit sine dubio quamcunque aliam excellentiam infra Deum; unde religiosiori adoratione suspicienda Dei Mater *ut sic*, quam alia quaecunque creatura. Hunc Maternitatis Dei cultum pluribus evehunt Patres ac Theologi. S. Ildephonsus, ser. 3 de Assump.: *Aestimate*, inquit, *fratres, qua reverentia, quo devotionis affectu et obsequio nos Matris Dei interesse deceat sacramentis; cui Angelus ipse non sine motu sancto, nec sine honore debito impendit reverentiam evangelizandi: sentiebat enim Angelus in B. Virgine iam specialiter Dominum inesse, et futura noverat divini mysterii sacramenta; ideo tam reverenter ait: Ave gratia plena.* Nec

solum Angelus, sed omnes creaturae hanc B. Virgini reverentiam exhibent, teste Arnoldo Carnotensi, de laudibus Mariae: *Constituta quippe est super omnem creaturam, et quicunque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat, et acclinis; in supernis enim, et infernis admirationi est Virgo puerpera, stupent daemones, in coelo gloriam concinunt Deo Principatus et Potestates.* Gerson similia profert, serm. de Annunc.: *Hodie Domina nostra altius nomen accepit, et perfectius, quod esse possit homini post nomen Filii sui, et est quod Mater Dei dicatur. Ita quod in nomine suo omnia flectantur in caelo, et in terra, et in inferno.* Et si parva haec omnia tibi videntur, subiiciam maiora. Hanc sublimem B. Virginis excellentiam, non solum coelestia ac terrestria singulari cultu suspiciunt et venerantur, sed idemmet Verbum divinum reveretur. Audi s. Hilarium, serm. de Ascens.: *Verbum divinum sinum Virginis inviolabiliter pertransit, sicut reverenter intravit.* Pende illud, *reverenter intravit*, et in mentem revoca reverentem cultum, quo iubetur Moyses nudipes visionem illam magnam intueri; utique quia terra illa sancta erat. Hinc gradum faciamus ad Marianam excellentiam et sanctitatem, quam Verbum divinum, non Moyses, reverenter ingressum est. Vis nosse reverentiam, quam Verbum divinum exhibuit Marianae excellentiae ac sanctitati? Eam explicat D. Zeno, ser. 4 in natali Christi, his verbis: *Tempore maturo, divinitatis dignitate deposita, non tamen potestate, coelo egressus, sacrario templi Virginalis hospes pudicus illabitur.* Ubi ponderandum est illud, *divinitatis dignitate deposita.* Assolent praetores, ac iudices et magistratus, dum virum, seu foeminam principem, seu ex primoribus invisunt, prius ad ostium seponere virgam suae dignitatis notam in signum reverentiae exhibitae illi viro primario, seu foeminae illustri et excellenti; sic se habuit Verbum divinum, nostro rudi concipiendi modo; non enim aliter Virgineum claustrum ingreditur, nisi divinitatis dignitate seposita, et maiestatis nota, cum esset supremus omnium iudex et legislator. Quae omnia altiorem cultum, ac sublimiorem adorationem debitam excellentissimae Matris Dei dignitati praeseferunt. Quibus Patrum dictis, et aliis pluribus, quae produci possent, innititur communis Theologorum consensus, qui adstruit excellentiorem deberi cultum Matri Dei, quam reliquis Sanctis, et altioris esse sphaerae; nempe quia B. Virgo propter Dei Maternitatem, consanguinitatem habet in primo gradu cum Christo ut homine, affinitatem vero cum eodem ut Deo.

CERTAMEN X.

Quonam cultu et adoratione suspiciendum sit sanctum Mariae nomen.

1850. Ex dictis Certamine II proclive est hanc quaestionem dirimere: siquidem idem debetur cultus nomini, ac personae cuius est nomen, nam nomen rei quidditatem denotat; ait enim Aristoteles, lib. 4 Metaph.: *Ratio quam significat nomen, est definitio, quae designat propriam rei naturam.* Ex quo fit, ut nomina ipsa omnem dignitatem et excellentiam induant, quam res praeseferunt, quarum sunt nomina; ideo dixit Arnobius, lib. 5 adversus gentes, de nominum cultu sermonem instituens: *Non ipsi Dii tantum, sed etiam nomina debent esse reverenda, quantumque est in ipsis qui censentur his hominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis.* Et vere, siquidem nomina vicaria sunt personarum rerumque personas induunt; quare eodem digna honore, cultuque, ac res ipsae, quarum personam gerunt.

Censeo igitur sanctum Mariae nomen eodem cultu ac veneratione suspiciendum, ac ipsa Mater Dei, qui cultus a primo orbis exordio initium duxit: caelestes siquidem genii in primo suae conditionis instanti, et in statu viae, ac caelesti beatitudine donati, iam Marianum nomen e divinitatis thesauro evolutum singulari religione et observantia suspexerunt; ait enim Salomon, Cant. 4: *Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.* Utique Angeli futuram Dei Matrem post aliquas annorum myriades in lucem edendam cultu et veneratione eminus suspicientes. A primo etiam Ecclesiae nascentis exordio quamplurima pietatis ac religionis specimina s. Mariae nomini exhibita fuere ab omnibus Christi fidelibus, erectis in eius honorem templis, dulci hymnorum modulatione, exstructis aris, aliisque cultus et venerationis signis exhibitis, ita ut verissime proferre potuerit mellitus abbas Bernardus, ser. 2 de Adventu: *In nomine Mariae, sicut in nomine Iesu, omne genuflectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.* Primo ob dignitatem Matris Dei, quae una omnium dignitatum praerogativas exsuperat. Deinde quia eius etymon in omnia creata principatum praesefert, quia in caelestia et terrestria late diffunditur; ergo tam caelestes spiritus, quam homines Marianum nomen singulari observantia et cultu suspicere debent. Tertio ob eximiam vitae integritatem, ac sanctitatem, qua homines, et Angelos supergreditur; cum autem nomen vicarium sit personae, cuius est nomen, ideo excellentiam reginae et induperatricis coelorum secum adsportat, adeoque cultum tantae Reginae debitum deposcit sanctum Mariae nomen.

Nec quicquam obstat, si dicas: effectus relationem et connexionem habet ad suam causam non minorem, quam nomen ad personam, cuius est nomen; et tamen eiusmodi connexio non est sufficiens ut effectus in eodem cultu habeatur, ac causa, sin minus omnia effecta pari cultu forent adoranda, ac ipse Deus, a quo tanquam a causa procedunt; ergo neque nomen B. Virginis propter relationem et connexionem, et ipsam significatam per illud, poterit eodem cultu, ac illa, respici. Verum, maximum est discrimen quoad hanc partem inter effectum, et nomen; effectus enim non est vicarius suae causae, nec vices eius gerit, nec pro illa sufficitur; at nomen et vices gerit personae significatae, et pro ea subrogatur.

1851. Reliquum est, ut videamus quo adora-

tionis genere colendum sit nomen Mariae; quod ex Certamine superiori eruendum est. Sentio ergo cum D. Thoma, 3 p., q. 25, ar. 4; Caietano, ibidem; Gregorio de Valentia, tom. 4, qu. 24 de Incarnat., eodem cultu adorandum nomen Mariae, ac ipsa B. Virgo per ipsum significata. Ratio est, quia imago, et res cuius est imago, reliquiae etiam, et sanctus cuius sunt reliquiae, eodem cultus genere adorari solent; sed Virgo Deipara repraesentatur per nomen Mariae tanquam per imaginem; ergo eodem cultu adorandum; teste enim D. Thoma, idem est motus in imaginem, et in rem significatam: sic qui videt imaginem Christi cruci suffixi, eadem cognitione et cultu fertur in imaginem, et in Christum per illam repraesentatum, tametsi nomen non per se, sed comparate ad rem significatam adorari debeat; sicut et imago non per se, sed comparate ad rem, cuius est imago, cultu suspicitur: nomen ergo Mariae eodem cultu honorari debet, ac ipsa Virgo, non tamen per se, sed comparate ad ipsam. Quocirca sicut Certamine superiori dicebamus, B. Virginem cultu hyperduliae esse colendam propter eximiam eius prae Angelis et hominibus sanctitatem, tum et alio cultu superiori propter dignitatem Maternitatis Dei; ita etiam nunc asserimus nomen Mariae eodem esse cultu honorandum, ac ipsam Virginem Deiparam, non tamen per se, sed comparate ad ipsam B. Virginem, utpote quia nomen Mariae sit veluti viva eius imago, quia eam nobis repraesentat, ac nobis in memoriam eius essentiam ac proprietates revocat, et magnam connexionem ac relationem ad ipsam personam B. Virginis habet, multo magis ac ipsa imago, in qua, ut pulcro, scitoque penicillo elaborata, ac perfecta inescantur plures, dum artem potius, quam prototypon venantur: nomen autem his et aliis illiciis nudum, multo immediatius ac purius nos in rei significatae personam deducit.

Haec nostra thesis ulterius firmari potest ex eo quod reliquiae sanctissimae Virginis summo honore, ac religione hodie colantur, ut lac Parisiis, toga Romae, indusium Aquisgrani, capilli Carnoti et Oveti, calceus Suessione, annulus pronubus Perusii, summo cultu et observantia habentur: nomen autem inter praecipuas Beatae Virginis censeri debet, imo et omnibus anteferri: si enim reliquiis sanctorum magnus defertur honor, praecipue B. Virginis, quia vel fuit pars aliqua ipsius, vel quia contactu suo sanctificavit eas; cum Virgo Deipara nomine suo usa fuerit toto vitae tempore, imo et asservatum fuerit apud Divinitatis thesaurum, ut dixit Petrus Damianus, ser. de Annunc.: *Init Deus de redemptione hominum consilium, et statim de thesauro Divinitatis Mariae nomen evolvitur*, et per totam aeternitatem hoc ipso nomine compellabitur: maiori profecto observantia et religione suspiciendum est: suspicimus ergo Virginis Deiparae reliquias, vel tanquam partes totam eius personam componentes, vel quia ab ipsa contactae fuerunt; ideoque cultus illis delatus non immediate ipsis impenditur, sed in ordine ad rem, cuius sunt partes vel intrinsecae, vel extrinsecae afficientes; at nomen *Maria* pro Virgine Deipara vices obit, eamque immediatè significat, ac proinde eodem cum illa cultu suspiciendum est, praecipue cum aliae reliquiae res sint emortuae, et inanimes; at nomen *Maria* vitale est, et inter vitales actiones censendum, repraesentans immediate totam Virginem Deiparam: a nobis ergo magno cultu venerandum tanquam reliquiae B. Virginis praestantissimae. Quod innuit D. Bernardus, serm. de Nativ., dum ait: *Foecundae Virginis amplectitur caelum praesentiam, terra memoriam veneratur, sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic tenuis quaedam libatio primitiarum, ibi res, et hic nomen.* Itaque coelum corpus Marianum tenet tanquam locupletissimum thesaurum; terra autem de Divinitatis thesauro nomen Mariae sortita est, ingenti Dei beneficio. Quod si reliquiae Virginis Deiparae magno etiam in honore habentur, propter plurima patrata miracula; per sanctissimum Mariae nomen plurima effecta vires omnes naturales superantia ad ipsius invocationem Deus effecit. De quo videnda Palaestra de nomine Mariae, quae huic rei firmandae affatim tibi materiam suppeditabit.

Quamobrem si reliquis B. Virginis exuviis sacris colendis tot templa, ac sacella ingentibus expensis extructa, et quidem iure meritissimo: cur etiam nomen sacrum Mariae iam non toto orbe, cultu ac veneratione celebrabitur? Pulcheria Augusta Constantinopoli in honorem zonae Virgineae magnifica templa construxit, tum et in honorem linteaminum. Carolus Magnus Aquisgrani templum erexit, in quo indusium B. Virginis aurea arcula repositum collocavit. Perusini annulum pronubum asservant in magnificentissimo Sacello in ipsius honorem structo; ergo non minori cultu ac reverentia sanctissimum Mariae nomen nobis adorandum, in ipsiusque observantiam, ac religionem templa exstruenda, exornandaque, festa instituenda, aliaque venerationis indicia exhibenda.

PALAESTRA TRICESIMAQUARTA

Utrum Deipara, dum viveret vita mortali, viderit divinam essentiam.

CERTAMEN PRIMUM

Utrum B. Virgo toto vitae tempore fuerit simul viatrix et beata.

1852. Huic Certamini felicissimum dabit initium s. Ildephonsus, serm. 5 de Assumpt., ubi ait: *Dicam aliquid plus, si audeo, dicam fideli praesumptione, dicam pia temeritate.* Merito tanti Praesulis verba in rem praesentem usurpem. Noviores itaque quidam Theologi ausi sunt affirmare, B. Virginem non solum in primo Conceptionis instanti, vel etiam frequenter in vita mortali, sed etiam, quod magis mirere, tota vitae suae periodo, clara Dei visione fuisse potitam, atque adeo simul fuisse viatricem ac beatam, sicut de Christo Domino Theologi affirmant. Ita refert Salaz. citandus. Pro qua sententia stare videtur Dionysius Rikelius in lib. 1 de praeconio Virg., cap. 18, ubi haec habet verba: *Filius Mariae a conceptionis suae momento perfectus exstitit comprehensor; caeteris ergo in hoc quoque similior censenda est Mater Virginea. Neque alienum reor, si quod animae Filii indesinenter impertitum est, Matris etiam purissimae, sanctissimaeque menti, aut semel, aut quandoque, aut certe ubertim concessum quis asserat.* Ubi advertendum est, adverbium *ubertim*, quod iuxta mentem Dionysii, visionis beatissimae perpetuitatem denotat; illud enim contradistinguere videtur ab adverbiis *semel*, et *quandoque*. Alias si adverbium, *ubertim*, solum sonaret frequentiam visionis, non vero perpetuam continuitatem, ut contendit Salaz. in Cant, tom. post., cap. 1, n. 5 in expositione hypermixtica B. Virginis, § *Sed obiicit*, bis apponeret Rikelius adverbium frequentiam adsignificans. Verum nihilominus existimo Rikelium ibi non intendere deferre B. Virgini perpetuitatem visionis beatificae toto vitae mortalis tempore, sed solum frequentem; id enim solum significat *ubertim*, ut patet ex contextu: deinde adverbium *quandoque* non significat frequentiam, sed pro aliqua vice supponitur; *ubertim* autem ibi sumit Rikelius pro adverbio *frequenter*, quod non pro una vice, sed pro pluribus ac repetitis vicibus sumi solet.

Non autem desunt robusta fundamenta, quibus haec nova, et insolens recentiorum sententia suffulciatur. Primo communi Patrum consensione; asserunt enim omnia dona, ac privilegia, quae caeteris sanctis per reliquum vitae tempus fuerunt a Deo collata, B. Virgini sine praeiudicio sexus fuisse etiam impertita, et quidem non per modum transeuntis, si aliqua clara repugnantia non obstet, sed per modum permanentis. Unum in medium producam, B. Thomam Archiep. Valent. asserentem, serm. 1 de Assumpt.: *Nihil unquam alicui sanctorum speciali privilegio concessum est, quod non a principio vitae cumulatius praefulgeat in Maria.* Et Bernardus in Epistola ad Lugdun.: *Quod itaque vel paucis mortalium constat esse collatum; fas certe non est suspicari tantae Virgini fuisse negatum.* Eaedemque rationes, quibus alibi ostendimus cum Suario et aliis, inditam fuisse B. Virgini scientiam per se infusam ab instanti Conceptionis, eandemque perdurasse in intellectu Mariano per totum vitae curriculum, applicari recte possunt huic thesi stabiliendae. Huc vocari potest idem Praesul Valent., conc. 3 de Navit. Virg.: *Sed iam,* inquit, *ad dona, gratias et virtutes transferamus sermonem. De his quid dicere possumus, nisi quod illi datum est, quantum capax est pura creatura. Unde sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura; ideo Microcosmos dicitur: sic in reformatione mundi, in Virgine collecta est omnis Ecclesia, et Sanctorum perfectio; unde Microcosmos Ecclesiae dici potest.* Sicut ergo homo omnes naturae gradus et perfectiones in se coegit; ita Virgo B. omnes gradus, et perfectiones ordinis supernaturalis in se coniunxit, nempe virtutes, dona, gratias omnes, tum et gloriam, adeoque visionem beatificam. Unde subiungit citatus Doctor: *Quae gloria, quis decor, quae virtus, quae gratia non decuit Matrem Dei? Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Qualem ergo faceret Artifex, qui elegit eam, ut nasceretur ex ea?* etc. *Cogita ergo Virginem quandam pulcherrimam, purissimam, humillimam, sanctissimam, et perfectissimam, ex omni parte integram, et consummatam; illa est Mater Dei, et maior est, quam excogitare potes, aut intuitu mentis describere.*

Huc non incongrue advocabis quod s. Bernardinus, tom. 2, serm. 51, art. 1, cap. 2, de D. Ioanne Baptista protulit: *Ex verbis,* inquit, *Ambrosii elici potest, quod non solum pro tunc non sentit impedimenta infantiae in ipso rationis usu, verum etiam quod nunquam senserit postea: quod satis rationabile esse videtur, quia misericors Deus datas gratias homini non subtrahit sine culpa.* Modo sic: communis hodie Doctorum consensus defert Beatae Virgini visionem beatificam in suo conceptu; atqui Deus non solet subtrahere dona collata sine culpa; ergo toto vitae tempore B. Virgo visione beatifica potita fuit. Quod firmari potest ex Anselmo, haec de Virgine Beata proferente: *Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quae illi per rationem divini principatus adsunt, imbuens eam gratia, et ideo cognominata, Gratia plena; quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, et post conceptum etiam retinuisse; neque enim*

temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum esse, quemadmodum et nunc in praesentia et in aeternum usque habet. Ubi quae s. Anselmus de gratiae plenitudine, deque donorum reliquorum affluentia disserit, videlicet nullo unquam tempore interceptam fuisse, eadem de clara Dei visione in B. Virgine, tempore sui conceptus nacta, serio ac constanter quispiam affirmare possit, cum nulla subeat disparilis ratio. Hinc s. Anastasius Sinayta, lib. 4 Hexam., in hanc partem propendere videtur, ait enim: *Ex secunda Eva Christus, tanquam ex quapiam luna plena Maria, quae nunquam imminuta fuit, aut defecit, aut privata fuit essentiali lumine.* Itaque Maria orbe pleno semper lucidissima, semper intuita Solem illum indeficientem, ex quo lumen gloriae sine ulla intermissione epotavit: ideo vix pulcra ut luna praedicatur, cum mox electa ut sol perhibetur, ne ulla vicissitudinis, aut diminutionis umbra, qualem in luna videmus, in Maria assereretur: *Tu pulcra es ut luna*, ait Bernardus in deprecat. ad B. Virg., *imo et pulcrior luna; quia tota pulcra es, et macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio.*

1853. Explicatius autem Albertus Magnus hanc perspicuam divinae naturae visionem B. Virgini dilargitam docet, ut refert s. Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 19, § 1, ubi haec habet ex Alberto: *Ipsa enim Virgo vidit Spiritum increatum per speciem propriam; ergo et quemlibet alium spiritum creatum.* Et mox: *Ex his sequitur quod Beatissima Virgo in sua contemplatione poterat videre Deum, et Angelos, et Daemones.* Ubi quaerit, utrum Deipara in via matutinam et vespertinam creaturarum habuerit cognitionem, ita ut creaturas in Deo, prout in Verbo repraesentantur, et prout in seipsis subsistunt, evidenter prospiceret; quaestioni satisfacit hoc pronunciato: *Virgo in cognitione sua plura habuit privilegia. Primum est, perfecta cognitio Trinitatis sine medio, quam habuit per specialissimam gratiam.* Ac recensitis aliis rebus quarum cognitionem plenissimam habebat, demum infert: *Maria habuit matutinam et vespertinam cognitionem; matutinam per gratiam, vespertinam per naturam et gratiam.* Per matutinam autem cognitionem, visionem Dei claram intelligit, ut patet ex communi Theologorum loquendi modo, tract. de visione Dei. Cum autem absolute eam cognitionem Trinitatis sine medio, sive matutinam cognitionem B. Virgini deferat Albertus nullum temporis spatium coarctans, de toto tempore viae intelligenda sunt illius verba, sicut cum loquitur de scientia infusa creaturarum. Idem Albertus sibi similis super *Missus est*, c. 162, adumbrari dicit B. Virginem per firmamentum a Deo conditum, ut aquas secerneret ab aquis, Genes. 1; subdit ergo Albertus: *Haec est B. Virgo posita in medio aquarum, id est, Sanctorum viae, et Sanctorum patriae, existens supra communem statum viae, et iuxta statum patriae, communicans cum utrisque, habens cum superioribus, virtutum perfectionem; cum inferioribus, merendi conditionem.* Cum sanctis viatoribus plura habuit communia Dei Genitrix, quia viatrix erat, in statu merendi, mortique, ac passibilitati obnoxia: at cum Beatis quid potuit habere commune, nisi visionem beatam? Quod subindicat Albertus verbis illis: *Habens cum superioribus virtutum perfectionem.* Virtus autem, sive sanctitas perfecta, et consummata nihil aliud est, quam beatitudo. Habuit ergo commune Maria cum Angelis beatis, quia quemadmodum illi statim a creationis exordio post brevissimas morulas iuxta Scholae opinionem iam beatitudine donati fuere, adeoque gaudio tripudiantes Deum tanquam stellae matutinae laudibus concelebravere magnificis, iuxta Iobum c. 38; sic Maria huius specialis encomii gloriam participavit; nam a primo suae conditionis instanti Deum novit et vidit, in quo Angelos ipsos superavit. Ob quae aemulata est Angelorum beatorum sortem, ac proinde dicitur firmamentum interiacens inter superiores et inferiores aquas, quia de utriusque creaturae sorte ac perfectione participavit.

Imo, visio beata in Maria, in momento conceptionis, iam omnium Angelorum visiones, perfectione, excellentia et intensione longe superabat; gratia enim Beatae Virginis in puncto suae conceptionis gratiam omnem Angelorum, et hominum in unum coacervatam superabat; ergo et visio beata, cuius est semen gratia, cuique correspondere solet, ad aequalitatem. Qui ergo servos Angelos paullo post a sua creatione beavit permanenter, cur Matri hoc privilegium denegaret, cum possit haec visio beata simul cum statu viatricis, et meriti coniungi? Quod vero haec visio Beatae Virginis, sive interrupta, sive permanens, a puncto conceptionis, visionem beatificam Angelorum superaret, perspicuis verbis docet s. Epiphanius, orat. de B. Virg.: *Ave*, inquit, *gratia plena, quae habes radium de coelo lucidis facibus coruscantem, utpote solem Christum; Virgo plurimorum nominum, et multocula effecta es, Seraphim incomprehensae visionis, quae inventa es velamentum quoddam intellectuale corporis universalis, Cherubim transcendens.* Et merito, nam Seraphim ipso alarum velamento verecundiam fatentur, reverentiam Numinis attestantur, quantumvis sint oculis plena, ut docet Glossa in cap. 4 Apocalyps., ad illa verba: *Et quatuor animalia plena sunt oculis.* Ait ergo Glossa: *Quo hinc constaret, quanto cum metu, ac reverentia in sublimiorem rerum theoriam, et inquisitionem ferantur, quantaque cautione haustos Divinitatis radios ad alios ordines, absque Dei iussu transmittere soleant.* At Beata Virgo non oculis trepidantibus, sed fixis et immobilibus divinitatem intuebatur. Rem concludat Cyprianus cit.: *Illa enim Seraphim avertuntur, cum nequeant spiritalem ignem divinitatis fixis oculis intueri: Haec vera apertis oculis fixe intuens incomprehensibilem, et somno expertem oculum Christi, cum desiderio, et osculo salutabat.* Christi oculus iuxta Chrysologum, serm. 34, est Christi divinitas, quam Deipara intimo unionis osculo ac desiderio ardentissimo degustabat,

quemque spiritus seraphici conniventibus oculis conspiciunt, Beata Virgo immotis palpebris intuebatur. Vult ergo Epiphanius Deiparam viatricem, longo intervallo perfectiori visione beatifica vel ipsos Angelos superasse.

1854. Sibi applaudens Sponsus de Sponsae suae, id est Mariae, pulcritudine, aiebat Cantic. 6: *Una est columba mea, perfecta mea.* Quae verba Guilielmus, de gratiae et gloriae pulcritudine capit: *Perfecta*, inquit, *cui nihil deest ad gratiam et gloriam.* Nihil ergo defuit Deiparae toto vitae tempore aut gratiae, aut gloriae, ut omnibus suis numeris absolutissima depraedicetur a Sponso; deesset autem, si Dei visione orbaretur. Reliquis hominibus quantalibet perfectione conspicuis, ac Deo gratis, veluti subscribebat divinus artifex verbum *faciebat*, seu *perficiebat*, quia in gratia conditis adhuc gratia comparanda erat; ideo post hominis conditionem non adiecit Deus, sicut in fine reliquorum operum: *Vidit Deus hominem, vel foeminam, et vidit quod essent boni*, soli Deiparae in omni gratia et gloria perfectissimae, et absolutissimae inscribere potuit Deus, *Fecit*, ac *Perfecit*, quia nihil defuit ab instanti conceptionis per totum vitae spatium, sive pulcritudinis naturalis, sive supernaturalis perfectionis, sive gratiae, sive gloriae; quominus perfecta et absoluta decantaretur: *Una est columba mea, et perfecta mea.* Sic Deus de rebus absolute perfectis, eas dicitur fecisse. *In principio creavit Deus coelum et terram;* vel ut legunt Septuaginta, επoίησεν, id est, *fecit*, non *faciebat*, quia omnia iuxta suum statum, ac finem, omnem perfectionem sunt assecuta, ut bene ponderat noster Pereira in illum locum: *De Deo*, ait, *cuius perfecta sunt opera, et exquisita secundum omnes voluntates eius, et quibus nemo potest addere, vel detrahere; non erat consentaneum dicere: Deus faciebat mundum, sed fecit; tanquam opus omnibus suis partibus expletum, cunctisque numeris absolutum, et iudicio ipsius opificis, cuius est infinita sapientia, comprobatum: Vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Nihilo tamen secius aliqua Deus condidit, quae adhuc ultimam manum desiderabant, non tam ex parte artificis Dei, quam ex parte sui, indeque natum est, ut ea ab auctore Deo, nec approbationem, nec laudem meruerunt, donec perfectionem ultimam nanciscerentur; eiusmodi fuerunt opera secundae diei, quae ab opifice Deo non laudantur, sicut reliquorum dierum opera. Cuius discriminis rationem agnovit Nicolaus de Lyra: *In aliis*, inquit, *diebus dicitur ad approbationem operis; approbatio autem praecipue respicit corpus completum: in secundo autem die, licet principaliter fiat distinctio corporum coelestium, tamen in hoc etiam fit mentio de distinctione aquarum elementarium, et quia ista distinctio non fuit completa usque ad tertium diem, quando congregatae sunt aquae in locum unum; ideo subticuit verbum praedictum die secunda: et tertia bis illud dixit, ut patet in litera, semel pro opere secundae diei, et iterum pro opere tertiae diei.* Deipara Virgo utpote opus divinum perfectissimum, omnique ex parte absolutum, a Deo laudibus evehitur, dum ait: *Una est columba mea, perfecta mea.* Perfectio autem cuiusque rationalis naturae non solum sita est in perfectione ordinis naturalis, sed etiam ordinis supernaturalis; haec autem perfectio non solum in gratia, sed multo magis in gloriae decoramento absolvitur et consummatur; ergo cum fateamur, B. Virginem, tanquam opus omnibus suis numeris absolutum a Deo perfectum, non solum in gratia conditam usque ad finem vitae perdurasse, sed clara Dei visione etiam condecoratam a primo conceptionis momento usque ad mortem permansisse, dicendum est. Non esset utique Deipara in ordine supernaturali omnimoda laude digna, quantacunque gratia praefulgeret, nisi pariter gloriae coronide absolveretur, ac Dei visione a momento conceptionis usque in finem consummaretur, adeoque digna exstitit, cui summus artifex Deus suum illud *Fecit* ac *Perfecit*, subscriberet: *Una est columba mea, perfecta mea.*

Ad haec, in privilegiis Marianis, quae nullis Scripturae testimoniis clare comprobari possunt, nullum robustius argumentum inveniri potest, quam illud, quod a decentia desumitur, ut passim videre est apud Patres in ordine ad alia privilegia Beatae Virginis. Georgius Nicomediensis Antistes in orat. de Praesent. Mariae, ut probet Beatam Virginem coelesti cibo pastam, eodem utitur argumento, aiens: *Tu autem, o homo, admirabilem et novam in templo vivendi conditionem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione, ea, quae capere non potest cogitatio; ne subiice comparationi ea, quae sunt incomparabilia. Vides inauditam naturae innovationem, et de his dubitas? Vides ipsum Verbum Dei modo ineffabili in eius habitasse utero, et contendis, fueritne alimentum materiale, an expers materiae? Vides paterno consilio, Spiritus in ea adumbrationem, et de ministerio Angelorum dubitas? Nihil est dubium ex his, quae sunt castissimae Virginis; ex eius magnalibus nihil est, quod non sit conveniens.* Omne igitur privilegium, omnis praerogativa, cunctus honos, qui indecentiam, aut repugnantiam non involvat, deferendus est Mariae, cum illa omnia inferiora longe sint dignitate Maternitatis Dei: sed neque indecentiam, nec repugnantiam aliquam secum fert, si asseramus B. Virginem Deum clare vidisse absque ulla interruptione, dum viveret vita mortali; ergo etc. Urget argumentum Laurentius Iustinianus, lib. de casto connubio, c. 11, et ser. de Nativ.: *Decebat prorsus, ut immaculata esset mente, et corpore sancta, gratia plena, meritis locuples, virtutum universarum varietate decorata, quae de coelo suscepit Verbum. Dignum quippe fuit, ut talis esset Mater Unigeniti Dei, plasmatoris omnium, conditoris saeculorum. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiae, quidquid gloriae, fuit Mariae.* In hanc rem adduci posset s. Augustinus, hom. de Assump., tom. 9 suorum operum, ubi ut probet

Mariani corporis incorruptionem, et in coelos assumptionem, haec ait: *Quid ergo de Mariae morte? quid de eius Assumptione dicendum est? unde divina Scriptura nihil commemorat, nisi quaerendum ratione, quod conveniat veritati, fiatque ipsa veritas, auctoritas, sine qua neque est, nec valet auctoritas.* Quod ergo in re Assumptionis aiebat Hieronymus, vel Sophronius, ser. de Assumptione, idem praesenti instituto aptabis: *Quod*, inquit, *quia Deo nihil est impossibile, nec nos de B. Virgine factum abnuimus, videlicet et corpore, et anima in coelos fuisse assumptam: quanquam propter cautelam, salva fide, pio magis desiderio opinari oporteat, quam inconsulte definire quod sine periculo nescitur.*

Rem suo suffragio comprobat s. Basilius Seleuciae Episcopus, sic orationem in Virginis laudem finiens: *O ter sacrosancta Virgo, de qua, qui omnia illustria et gloriosa dixerit, nunquam is quidem a veritatis scopo oberraverit: attamen dignitatis magnitudinem nulla unquam ratione exaequabit.* Certe minus est in B. Virgine gloriae consummatio sine interceptione, dum viveret, quam sit maternitatis Dei dignitas. Scite s. Damascenus, orat. 3 de Nativ. Virginis, ait Deum pro Matre sua novas naturae leges constituisse, et Virginem ostendisse Matrem, integrumque virginitatis eius signaculum custodisse. Pro foecunda Matris virginitate naturae leges innovavit, pro eiusdem gratiae et gloriae consummatione legem illam veterem de non videndo Deum in hac vita abrogavit: sicut ergo ob Mariam aboletur lex naturalis, dispensatur in divinis, quae in cineres nos omnes condemnabant et corruptionem, ob dignitatem Matris Dei; ita etiam ob eandem in aliis legibus, a Deo dispensatum fuisse credendum est.

1853. Iuxta hunc sentiendi modum, proclive erit, Deiparam a Daemonum insultibus longe separatam facere, quia ab instanti conceptionis in paradiso longe feliciori collocata, nempe clara Dei visione perfruens, nullius insidiantis colubri technas pertimesceret, nullius lethalis pomi blanda titillatio alliceret, nulla arbor vetita blandiretur, et omnis peccati fomes procul abigeretur; videlicet Deo clarissime viso obfirmata in bono, virtuti semper intenta permansit. Aptius de B. Virgine, quam de bono Latrone dicere posset Eusebius Gallicanus, hom. de bono Latrone, sub Christi persona: *Nullum ibi cibum lethalem, nullam iam legem, nullam arborem pertimescas, ego tibi illic ero victus et vita; et ne forte verearis, ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur, possessio tibi illuc me introducente firmabitur.* Congruum ergo valde fuit non solum a primo momento conceptionis gratia B. Virginem fulcire, sed etiam gloria firmare, ac Dei visione per totam vitae periodum roborare, ne quoquomodo veteris insidiatoris technis pateret, eiusque insultibus exponeretur. Condidit ergo Deus Mariam in paradisiaco beatitudinis topiario, illam originaria iustitia ac sanctitate exornavit, ubi vitae arbos ipse Deus, nulla ibi insidiatricis bestiae pericula, nullus obvius hostis; qua ratione excellentissimo omnium modo ab omni originaria culpa exemptio statuitur, perseverantia in bono firmatur, fomes ad malum ablegatur, Daemonum ad pravum suasiones arcentur a Virgine Deipara; ex clara enim Dei intuitione, omnia pericula abiguntur, hostiumque disparent decipulae; ipsumque Satanam, ut Iobo malum inferret, a facie Dei egressum sacer Textus testatur, Iobus, c. 1: *Egressus Satan a facie Domini.* Nec enim in conspectu Dei Iobo hostiles insidias machinari posset. *Hinc docemur*, ait Didymus in Catena graeca, *diabolum ad hostiles insidias, quas homini struit, conversum egredi a Deo.*

Merito in conceptu suo Maria pulcra ut luna decantatur, et corniculatae lunae innititur, videlicet, quia a conceptione sua gemino splendore coruscat, et gratiae iubare, et gloriae lumine: Hanc virtutum omnium, et gratiarum aciem Marianam in modum lunae arcuatam et compositam, quaenam hostium phalanges expugnare poterunt? cum sciamus, in praelio cornutam, et cuspidatam aciem nullo modo disturbari posse. In conceptione B. Virgo ad pugnam et victoriam cuspidata in modum lunae appareret; nihil mirum, si illam daemones expavescant. At creditu difficile est, hanc lunam in prima sui conditione in cornua decrescentem ob animi demissionem, in dies in orbem plenum non crevisse; decresceret autem, si semel habitam Dei visionem in puncto conceptionis, ad tempus illa privaretur. Ex hac ergo Dei visione, Deipara ab instanti conceptionis, et deinceps tanquam obarmata luna acuitur in praelium, falcatur in cornua ac bino cuspide ventilavit hostes, multo splendidius Moyse, qui ex Dei consortio, et, si placet, ex visione clara Dei tantum iubaris hausit, tantum roboris ebibit, ut dicat sacer Textus: *Videntes autem Aaron, et filii Israel cornutam* (ac in cuspides arcuatam) *Moysis faciem, timuerunt prope accedere.* Quidni asseramus lunam Mariam ex Dei visione in primo creationis momento bina cuspide fulguranti apparuisse, quibus hostes dispelleret et disturbaret, sibi addictis in tetra mundi nocte facem praeferret, gloriae radios evibraret, ac salutaribus influxibus imbueret? Unus pro omnibus loquatur s. Dionysius in Epist. ad Paulum, haec scribens: *Tantus me splendor circumfulsit exterius, ut plenius irradiaverit interius; tanta etiam in me odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, neque spiritus posset tantae felicitatis insignia sustinere. Defecit cor, defecit et spiritus tanta gloria Maiestatis oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta non me docuissent, hanc ego verum Deum credidissem.* Et non censeam Deiparam Dei visione sine interruptione potitam, cum splendor ille, odorque beatificus, et aeternae felicitatis nota, et character ab animi gloria in corpus, vultum, oculosque profectus inspicientes etiam aliquo modo bearet? Ex visione igitur beatifica a puncto sui immaculati, ac micantis conceptus in reliquum vitae tempus hausit Maria splendorem,

iubarque beatificum in cuspides dispunctum, peracutum in cornua, cuspidatum in hostes, hincque fugata culpa omnis primigenia, insidiator omnis exterior timore perculsus in fugam adactus, internusque fomes ad malum propendens procul eliminatus.

1856. Hanc sententiam falsitatis coarguit Salazar in Cantic. tom. posteriori in cap. 1, num. 5, in expositione Hypermixtica B. Virg., § *Illud tamen*. Primo, quia inde fieret, Beatam Virginem caruisse fide mysterii Trinitatis: deinde spem, ipsiusque merita adimere videtur a Beata Virgine praefata sententia: demum cum clara Dei visio amandi Deum necessitatem imponat, plurimum de valore ac merito amoris Virginei in Deum detrahit, quia radicem meriti, quae in libertate est, auferunt praedicti auctores. Quod si occurras Salazario, Christum Dominum recte coniunxisse infinitum suorum operum meritum cum clara Dei visione, quia licet circa substantiam, et obiectum praecipuum amoris *ut sic*, non esset liber Christus, bene tamen circa materiam, et alias temporis circumstantias, intentionis etc.; ipse respondet, in Christo non sumi valorem meriti a libertate, sed ex Deitate, aut unione ipsum sanctificante; libertatem autem esse conditionem ad merendum. Sed hoc non satisfacit; quamvis enim libertas sit mera conditio meriti in Christo, in Beata Virgine et aliis, maior libertas est causa maioris meriti, et minor minoris; tamen sine libertate nullum datur meritum: diminutio autem huius libertatis in Maria in ordine ad aliquos actus fidei, spei et charitatis instaurari poterat per maiorem intensionem et libertatem, ac repetitionem aliorum actuum circa alias materias, sicut in Christo cum proportione debita. Praeterea omnia, quae obiiciuntur de libertate ac de fide et spe, retorqueri recte possunt adversus Salazarium asserentem Beatam Virginem conceptam fuisse in gloria; in illo enim instanti, in quo asseritur beata, careret etiam merito fidei Trinitatis, et spei, tum etiam amoris Dei, quia non erat libera in illis actibus amoris, et quia actu fidei, et spei privabatur, cum Deum iam videret, ac possideret visione beatifica; qua ergo ratione Salazar coniungit meritum Beatae Virginis in primo momento conceptionis cum clara Dei visione, eodem modo et praedicti Doctores concordabunt meritum Beatae Virginis per totam vitae periodum cum eadem clara Dei visione. Videndus ipse Salazarius, de Concept. cap. 32, § 4, a num. 47.

Sed obiectabit quispiam: si enim B. Virgo ab instanti suae conceptionis, per totum vitae tempus fuit beata; ergo per novos gratiae auctus, et quotidiana merita, etiam opus erat, ut augeretur et accresceret visio beata: imo per omnia vitae momenta intenderetur visio, quia singulis instantibus nova meritorum incrementa sibi comparabat. At communi Theologorum sensui adversatur, affirmare beatitudinem essentialem semel habitam immutari. Sed neque hoc argumentum multum urget; aliquis enim respondere posset, collatam fuisse Beatae Virgini in momento suae conceptionis eam beatitudinem, quae aptior Deo visa fuit pro illo, ac toto vitae tempore eiusdem Beatae Virginis, absque ulla visionis immutatione, non tamen illi collatam fuisse ut coronam, seu praemium; at in termino viae, aliam beatitudinem ipsi Virgini collatam fuisse, quae ingentibus suis meritis per totam vitae periodum comparatis corresponderet: in quo nullam obtendi posse repugnantiam video. Sic Paulus, ut plures Theologi arbitrantur, vidit in hac vita clare Deum, quae tamen visio non correspondebat meritis ipsius; nec data fuit illi ut corona et bravium, sed ut donum speciale: at post eius vitae cursum, collata fuit ipsi beatitudo diversa, ut corona, quae meritis sibi comparatis responderet.

Haec sunt fundamenta, quibus sententia, quae defert Beatae Virgini visionem beatificam a primo conceptionis suae momento usque ad vitae finem sine interceptione aliqua, suffulciri potest. Profecto omnia Deiparae admiratione digna, ac portento similia, omnia ingentia, et aliorum privilegia longe superantia, omnia magna, et excelsa plus, quam intelligentia humana vel angelica comprehendi possint; quaecunque ergo creaturae privilegia quae sine praeiudicio fidei, et iniuria Creatoris deferri possunt, iure quidem optimo magnae Matri concedenda sunt; hunc enim Virgineas metiendi laudes canonem tradunt plures Scholastici, Vasquius, Salazarius, et alii innixi ss. Patrum dictis, et infinita propemodum Maternitatis Dei dignitate; quae regula, nisi sarta tectaque sit, quaecunque de immaculata Beatae Virginis conceptione, deque aliis innumeris Deiparae praerogativis asserunt Doctores, corruant, necesse est. Quia tamen hucusque nemo, quem viderim, ausus fuit hanc sententiam typis mandare, aut in lucem evulgare; satius equidem duxi recentiorum Theologorum, tum et veterum vestigiis insistere, ac tritam semitam terere. Unanimis igitur Doctorum consensus docet, B. Virginem non fuisse simul comprehensorem, et viatricem per totum vitae mortalis curriculum. Ita Salazarius cit. in Cantic. tom. poster.; Salas in 1 2, tract. 2, disp. 10, sect. 4, n. 43, ubi ait nullum usque adhuc sensisse Deiparam in via semper vidisse clare Deum. Vasquius, tom. 2 in 3 p., disput. 119, cap. 1, haec habet: *Beatam Virginem a principio conceptionis suae, seu sanctificationis in utero, non fuisse in statu comprehensoris, etiam secundum animam, Theologis omnibus indubitatum est; hoc enim singulare privilegium soli Christo omnes concedunt, ut secundum animam semper fuerit comprehensor, et Deum viderit.* Quibus Doctoribus subscribo.

CERTAMEN II.

An saltem a puncto Incarnationis semper Deipara beatitudine donata fuerit.

1857. Praeter ea, quae superiori Certamine protulimus, quae potiori iure huic roborandae thesi conducent, aliqua hic producam, quibus nonnemo fulcire posset hoc placitum, nempe

Virginem Deiparam a puncto Incarnationis per totum vitae curriculum potitam fuisse clara Dei visione; dignitas enim Matris Dei, quam ab illo puncto nacta est, est quodammodo infinita, sicut unio hypostatica et visio beata: si ergo possibilis est visio beata perpetua in Deipara viatrice, illi utique deferenda est: quid enim maius est, esse foeminam Dei Matrem, quam esse a puncto Incarnationis, in quo Mater Dei constituta est re ipsa, semper beatam? De Christo Domino ait Paulus, Heb. 1, 4: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* Hinc infertur dignitas omnium altissima; ergo cum proportione loquendum de dignitate Maternitatis Dei: cui enim creaturae rationali, sive angelicae, sive humanae, dixit Deus: Mater mea es tu? Ergo deferendum B. Virgini iam Dei Genitrici constitutae, quidquid aliis defertur Sanctis: et quidem nobiliori modo; privilegia enim, quae aliquando in hac vita Sanctis concessa sunt, B. Virgini a puncto illo, quo Mater Dei effecta est, per totum vitae curriculum deferenda sunt. *Merito*, ait s. Bernardinus, t. 4, ser. 3, p. 3, *contemplando Deum et cuncta creata, plusquam Paulus raptus in tertium coelum, sine comparatione, quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturae, non attingerent suum contemplari; nam Paulus fuit vas electionis; Maria vero Virgo vas Divinitatis.* In contemplatione ergo Deitatis, et in aliis privilegiis, ubi eadem ratio Maternitatis Dei militat, Sanctorum omnium cum Maria collatio omnis procul est amandanda; ergo in visione clara Dei, quae quibusdam defertur in hac vita transeunter, aliquid maius Mariae tribuendum, nempe visio beata a puncto, quo fuit Mater Dei per totum vitae curriculum. Apte Maria vocatur *Scala Iacob*, de qua inquit Sacer textus: *Quam terribilis est locus iste!* Chaldaeus ait: *Non est locus communis, sed locus, in quo beneplacitum est Deo.* Non est ergo Deipara communis in privilegiis cum aliis Sanctis, sicut neque in dignitate Matris Dei.

Et quidem iure negare nemo potest; si haec visio clara Dei Beatae Virgini a puncto Incarnationis conferatur, multo similiorem futuram Filio, de qua similitudine loquuntur Patres: nunc unum substituam, B. Thomam Archiepiscopum Valentinum, conc. 3 de nativit. Virgin.: *Christus*, inquit, *Matri suae simillimus super omnes filios, ut sicut in coelo qualis Pater, talis Filius, ita in terra qualis Mater, talis Filius. Cum itaque mores et proprietates Matris in Filium transfundantur, qualis debuit esse Mater illa, ex qua forma illa caelestis, et idea mundi, speculum illud lucidissimum, in quod omnes adspicerent, pulcritudo illa, quam omnes imitari debent, oriri et procedere debuit?* Si autem resplendet in Christo gratia unionis, etiam in Maria adlucet gratia Maternitatis Dei, quae infinitudinem quandam praesefert. Rem absolvat Archiepiscopus cit., conc. 2 de Nativit. Virg.: *Sufficit Tibi quod Mater Dei es. Quaenam, obsecro, pulcritudo? quaenam virtus? quae perfectio? quae gratia? quae gloria Matri Dei non congruit?* Quid pulcrius ad nostrum institutum excogitari posset? Ibidem fusius in tantae Matris laudes, et floridius excurrit dicens: *Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, et describe apud te in animo Virginem quandam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, omni gratia plenam, omni gloria pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam; quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde; maior est ista Virgo, excellentior est ista Virgo, et superior: non eam Spiritus sanctus literis descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit; ut intelligas nihil gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse, imo reipsa intellectum omnem superasse.* Ubi sanctissimus Praesul amplam nobis licentiam praestat, ut omnem gratiam quantumvis superiorem, omnemque gloriam a tempore Maternitatis Dei, ipsi B. Virgini deferamus; nec ideo laudes ipsius unquam exhauriemus.

Quidquid ergo Christo Domino per naturam convenit, suo modo Matri per gratiam fuit communicatum; Christus per unionem hypostaticam fuit omnino beatus, dum vixit hac vita mortali; at B. Virgo, ex quo Christum concepit, fuit semper beata per ipsius Christi gratiam, ne Filius a Matre in aliquo dissimilis putaretur: sic in simili ponderabat Severus in Catena graeca in Ioan. quam latine reddidit noster Corderius, versans verba illa B. Virginis ad famulos: *Quodcunque dixerit vobis, facite,* Luc. 2. Bene quippe praenoverat Deipara, quid esset facturus Filius: ait ergo citatus Severus: *Rei autem huius futura praecognitio tam Iesu, quam Matri communis erat; illi quidem, ut Deo; huic vero tanquam inspiratae divinitus prophetissae.* Quae verba non solum cognitioni Marianae adaptari possunt, sed aliis etiam privilegiis. Visio ergo beata Christo ut Deo a puncto suae conceptionis; Mariae vero a puncto Incarnationis, quo Mater exstitit Christi, per ipsius Christi gratiam collata fuit: communia enim erant utrique privilegia Christo per naturam, ut Deo; Mariae per gratiam, ut Dei Genitrici. Quod assertum ex eo ulterius firmari potest, quia iure naturali bona filiorum obveniunt parentibus, quia natura et conditione sunt unum; ergo Mater iure naturae vocatur in successionem regni Filii. Et ratio est, quia Filius naturae ductu subiicitur parentibus; ergo quidquid Filius a natura nanciscitur, necessario in parentes redundat, quia ubi identitas reperitur naturae, nequit esse bonorum a natura obtentorum discretio; sed Christus Dominus a natura rei aeternam obtinet beatitudinem; ergo Virgo B., ex quo Christum concepit, beatitudinem etiam nacta est. Merito ergo dicat Anselmus in festo Assumpt.: *Nemo unquam sicut ista gustavit, quam suavis est Dominus; inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis eius potabatur; nec mirum, quoniam apud eam, imo intra eam, erat fons vitae, de quo manabat tanta perfectio utriusque vitae.*

1858. Eo etiam tendunt verba s. Damasceni, orat. 1 de Dormit. Deiparae, sic fantis: *Quamvis omnibus Dei servis, quorum mors beata dicitur, ab ipso vitae fine istud comparetur, ut Deo grata eorum vita iam in tuto sit, eoque nomine mors eorum felix habeatur: mors enim eos perficit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis offerens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat, iuxta illud Scripturae, Eccli. c. 11: Ante mortem neminem beatum dicas. Minime autem hoc in Te usurpabimus, o Virgo! neque enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliavit, nec rursus hoc tibi affert e vita discessus, ut iam periculi nihil extimescas: omnium etenim bonorum initium, medium et finis, securitas item, ac vera confirmatio, in illa seminis experte conceptione, in illa divina inhabitatione, in illo denique a labe omni remoto partu posita fuit; ac proinde vere abs te, non a morte, sed ab ipsa conceptione dictum est, fore, ut te generationes omnes Beatam dicerent. Quocirca non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti, ut quae eius moestitiam sustuleris, at morti gaudium esse plenum feceris.* Ubi perspicuis verbis s. Doctor B. Virginis beatitudinem non a tempore mortis dimetitur, sed a tempore, quo Mater Dei effecta est: sic locuta fuit foemina illa de Spiritus sancti magisterio edocta: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Et ipsamet Virgo Luc. 1: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ac si diceret: Ex quo tempore Deum concepi, beatitudine donata sum, quare Beata a cunctis generationibus nuncupabor.

Beatitudo, iuxta constantem D. Thomae sententiam, sita est in perfecta Dei possessione, quae summi boni tentionem dicit; ex animae beatitudine gloria derivatur in corpus. *Beatus venter qui te portavit*, aiebat illa foemina evangelica: corpus ex redundantia beatitudinis animae beari solet; cum ergo caro Virginea beata efferatur, ergo supponit in B. Virgine animae beatitudinem, quam praedixerat David Psal. 44: *Gloria filiae regis ab intus.* Quasi caro Virginea ideo beata depraedicetur, quia anima beatitudine donabatur. *Haec foemina*, inquit Damascenus, orat. 1 de nativ. Virg., *summo Regi Deo, tanquam fimbriis aureis amictam virtutum elegantiam offert, Spiritusque sancti gratia coronata, cuius gloria interna est; nimirum ventris fructus.* Hinc recte Marianam gratiam consummatam appellabis a puncto Incarnationis, et quidem patrocinante s. Thoma, 3 p., qu. 27, ar. 5: *In conceptione Filii Dei consummata est eius gratia confirmans eam in bono.* Et tamen hac gratiae consummatione solum Beatorum status insignitur: si ergo B. Virgo nota Beatorum characteristica, nempe gratiae consummatione ab Incarnationis momento decoratur; quidni eam ab eo instanti beatitudine potitam asseramus, praesertim cum perfecta beatitudo in Dei tentione a Theologis collocetur; et B. Virgo perfectiorem Dei tentionem habuerit, cum Deum alvo continuit sua? Si ergo perfectior Dei tentio Mariae defertur, cur tentio Dei per claram Dei intuitionem, quae minus perfecta est, ipsi Virgini denegabitur?

1859. Huc dubio procul oculos intendebat Rupertus, lib. 1 in Cant. illis verbis: *Amor Dei, in quo concepisti, sine dubio potata illius torrente voluptatis.* Quasi a torrente voluptatis ebiberetur Maria in puncto Incarnationis: sic Beatorum gaudium comprehensorem absorbet, ita ut Beatus dicatur ingredi in gaudium caeleste, non e contra, iuxta illud evangelicum, Matth. 25, 21: *Intra in gaudium Domini tui. Non accipe*, inquit D. Thomas, *sed intra in gaudium, quia quod est in aliquo continetur ab illo, et continens maius est.* Ergo si Maria, dum concipit Verbum, epotatur a torrente coelestis gaudii, in gaudium Domini sui iam ex tunc ingressa fuit: sicut ergo dolor in parturiendo post inflictam poenam, tenuit Evam, quia maior Eva fuit, cum in omnes foeminas pervagatus fuerit; ita gaudium Mariae in gignendo Iesu maius exstitit ipsa Virgine; ita ut sicut dolor, quia maior Eva, tenuit Evam, ita gaudium, quia maius Maria, tenuerit ipsam: *Quemadmodum dolor coepit Evam et semen eius ad hunc usque diem, sic gaudium coepit Mariam*; dixit Isaias abbas, orat. 19 apud Biblioth. Veterum Patrum, tom. 7.

Ut et hinc ediscamus gloriae Marianae infinitudinem, gaudium siquidem Beatorum utpote maximum capit illos, dicunturque ingredi illud; ea autem est Mariae capacitas, quasi infinita, ut gaudium, in quod intrant Beati, et a quo absorbentur, intret in Mariam, et a Maria ebibatur et absorbeatur totum. Illi gaudium ingrediuntur, quia lumine finito, et determinato gloriae perfunduntur: at vero idem gaudium coeleste cum Maria ingreditur, a Maria totum devoratur, et ebibitur. Rem dilucide declarat Hugo Vict. in Cantica: *Dubium*, inquit, *non est, quin coelestium gaudiorum, et aeternae dulcedinis miram, atque inenarrabilem suavitatem Virgo ipsa conceperit, quando illud aeternum lumen cum toto maiestatis suae fulgore in eam descendit, et quod non capit mundus, totum se intra viscera Virginis collocavit.* In Mariam totum lumen gloriae illabitur: unde dubium exoriri posset, an infinite bearetur a puncto Incarnationis, saltem clare deduces omnium Beatorum gaudia in se una congregavisse, omnesque delicias inter ipsos dispersas, in Virgine una collective reperiri.

Ulterius novum robur accipit praesens assertum ex s. Thoma supra citato, ubi sic adnectit: *In sui vere glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.* Quae verba penitiorem amant indaginem. Constat ergo inter D. Thomae asseclas, beatitudinem stricte sumptam, non in aliquo voluntatis actu sitam, sed in actu intellectus solum iuxta sua praedicata essentialia consistere; itaque neque amore, nec gaudio, nec fruitione, tanquam partiali essentia componi, sed solum Dei tentione, quae summum bonum est, tanquam adaequata essentia constitui, quod contingit, dum Deum intellectus suo spirituali sinu comprehendit; cum ergo affirmat D. Thomas, B. Virginis gratiam consummata fuisse in eiusdem glorifi-

catione per fruitionem, cum actus fruitionis non pertineat ad essentiam beatitudinis, asserendum est in sententia s. Thomae, Virginem B. a Filii conceptione iam fuisse essentialiter beatam per Dei tentionem in utero et in mente, adeoque nobiliori modo, quam reliquos beatos comprehensores: unde solum deerat fruitio, et gaudium complètum, ut plene et adaequate beatitudine potiretur, quia tota Deitatis plenitudo, et in ventrem ipsius, et in mentem illapsa erat. Ex quibus lucem dabimus Damasceno, orat. 1 de Dormit. Deiparae, sic fanti: *Mors eos perficit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minime tamen in te usurpabimus hoc; nec enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliavit; omnium etenim bonorum initium, medium et finis, securitas etiam, ac vera confirmatio, in illa seminis experte conceptione posita fuit.* Vides, quam fausto ausu beatitudinem Marianam a puncto Incarnationis incepisse in Maria asserit Damascenus, quia Filii Incarnatio perfectam summi boni possessionem ipsi Virgini importavit, ac proinde beatitudinis donum non in mortis tempus distulit; sed in eodem instanti, in quo Verbum divinum in uterum ipsius delapsum fuit, ipsa immensum gloriae oceanum ingressa est, quod ipsa Virgo Deipara fassa est cum exclamavit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* In quae verba Augustinus ,ser. 25 de Sanctis, sic habet: *O felix obedientia! o insignis gratia, quae dum fidem humiliter dedit, coeli in se Opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipse postmodum auxit: Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quasi diceret, quia virgineus uterus Filium Dei alvo continuit, ac circumdedit, qui summum bonum est; ideo etiam ipsius Virginis mens ipsum per Dei tentionem possedit Beata, et ut tali ab omni gente et populo proclamanda. Hinc liceat subodorari, ex eo Mariam territam Angeli colloquio, Luc. 1: *Turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Nihil autem aliud protulit Angelus, nisi, *Ave gratia plena.* Ex eo turbatur ad stuporem, terretur ad admirationem insolito salutationis dialecto. Recolenda hic quae supra dixerat s. Thomas, hanc gratiae plenitudinem insonare gratiae consummationem, gratia vero consummata solius beatitudinis est, coelestis patriae accola, in hac terrarum plaga inquilina, a viatoribus exul, Comprehensorum socia: ideo ergo turbatur Maria ad inauditum et peregrinum salutandi modum solius caelestis patriae proprium. Rem scite expendit Origenes, hom. 2 in Luc.: *Gratia plena. Ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor, soli Mariae haec salutatio servabatur: si enim scisset Maria et alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, et erat sancta et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat; numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset.*

1860. Libet etiam praefatam thesim denuo stabilire ex D. Thoma in epist. II Cor. c. 12; ait enim: *Paulus vero dicitur raptus ad tertium coelum, quia sic fuit alienatus a sensibus et sublimatus ab omnibus corporalibus, ut videret intelligibilia nuda, et pura, eo modo, quo vident Angeli, et anima separata; et quod plus est, etiam ipsum Deum per essentiam, ut Augustinus expresse dicit lib. 12 super Gen.: Nec est etiam probabile, ut Moyses minister veteris Testamenti ad Iudaeos viderit Deum, et minister novi Testamenti ad gentes, et Doctor gentium hoc dono fuerit privatus: unde dicit ipse supra. Si ministratio damnationis fuit in gloria,* etc. *de Moyse autem, quod viderit Deum per essentiam, patet.* Modo sic arguo: Ministerium B. Virginis erga Iesum, et dignitas Maternitatis Dei longiori intervallo, et pene infinito iuxta eundem D. Thomam, antecellit Pauli ministerium, ac dignitatem, quam ministerium Pauli excedat ministerium Moysis: ergo potiori titulo hinc probari potest, B. Virginem in via vidisse Deum non transeunter, sed permanenter, ex quo dignitate Maternitatis Dei donata fuit: *Recte enim,* ait D. Thomas, 3 p., q. 27, a. 1, *maiora in quovis genere gratiae privilegia deferenda sunt Matri Dei, quam servis.* Ergo in genere visionis beatificae non solum perfectior ac nobilior, sed etiam diuturnior ex parte temporis visio beatifica deferenda est Virgini Deiparae; si ergo privilegium fuit, ex D. Thoma, in via Paulo ac Moysi collatum, ut Deum aliquando viderent; meliori ergo iure deferendum B. Virgini hoc privilegium, nempe quod diuturniori potiretur visione beatifica a puncto, quo fuit Dei Mater effecta per totum vitae curriculum. Quod ulterius ex ipso D. Thoma deduci potest, quia Maternitas Dei est dignitas quodammodo infinita, sicut et visio Dei; ergo debetur privilegium quodammodo infinitum prae caeteris sanctis; ergo a puncto Incarnationis, in quo Mater Dei reipsa est effecta, potita fuit visione beata.

Postremo ex verbis ipsius B. Virginis non incongrue idem placitum roborabit quispiam: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Siquidem magnificatio reverentiam cum timore parit circa divinam et augustam Dei maiestatem: exultatio vero gaudium, et fruitionem divinae bonitatis importat. Hi igitur tam dispares affectus, a qua radice proficiscebantur in Maria? Equidem, ut arbitror, a visione beata, nec sine duce et patrono, et quidem Victore, Hugone Victorino lib. 4 in Luc.: *Quippe duo sunt, quae beati Angelorum et hominum spiritus in illo fonte boni aeterna contemplatione hauriunt; incomprehensibilis videlicet Maiestas Dei, et ineffabilis Bonitas, quorum alterum castum timorem generat, alterum dilectionem parit: pro Maiestate enim venerantur Deum, et pro bonitate amant,* etc. *ut inexstinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, et suaviter dilectione ferveat admiratio.* Cum ergo utroque affectu ferri fateatur praedictis verbis Virgo Deipara, ex quo tempore Christum concepit per totum vitae curriculum absque ulla intermissione, par est affirmare, a iugi visione beatifica, tanquam a fonte praedi-

ctos affectus prodire. Rem finiat Hugo, et triumphum Victor reportet: *Ad hanc ergo contemplationis lucem mens Mariae sublevata fuerat, quae caelestis patriae dulcedinem in verbis suis tam mirabiliter expressit, quam ineffabiliter comprehendit: nam cum se Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam, reverendamque universis aeterni Numinis maiestatem contueri se manifeste declaravit. Cum ergo se in suo Salutari asseruit exultare, gustum se internae dulcedinis percepisse ostendit.* Et quamvis B. Virgini claram Dei visionem a puncto Incarnationis per totum vitae curriculum detuleris, minus quid de ea affirmabis, quam sacer Scriptor, dum de ea pronunciat: *De qua natus est Iesus.* Unde opportune occurrit nobis Petrus Cellensis, lib. de panibus, c. 21: *Et quid amplius ei assignare possumus divini muneris et honoris, quam ut, quod verum est, fateamur Genitricem eam Dei esse, et hominis? Infra hoc dicitur quidquid in eius commendatione affertur: si coeli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum tam ab uno corde, quam ore excogitatum protuleris, non assurges ad hunc indicibilem honorem, quo creditur et praedicatur Dei Genitrix.* Tametsi ergo de B. Virgine pronunciaveris, ab instanti Incarnationis per totum vitae tempus fuisse simul viatricem ac beatam, nihil quod exaequari possit dignitati Matris Dei, sed longe quid inferius enunciabis. *Excedit enim*, ait s. Thomas a Villanova, conc. 3 de nativ. Virg., *intellectum, et loquelam Virginis magnitudo, non modo nostram, imo forte et suam. Fecit, inquit, mihi magna qui potens est, sed quam magna? Nescio, an ipsamet valeat comprehendere suam magnitudinem.*

1861. Imo aliquid grandius meditor: aiebat sponsus, Cant. 6, B. Virginem alloquens: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Marianae mentis oculos lumine beatifico irradiatos, ita Deo gratos exstitisse fatetur sponsus, ut quasi oculos seraphicos parvi ducens, ad Deiparae oculos vi quadam raperetur, illorum pulcritudine allectus, adeo Deiparae viatricis visio beatifica Seraphinorum visionem superabat; hi enim a Deo arcentur prae splendore divino, faciemque alarum tegmine obvelant: at Deipara non solum faciem non avertit a Dei visione, imo ipse Deus oculos arcet ab ipsa, quasi nostro rudi concipiendi modo, a nimia lucis visionis Marianae adhuc viatricis perstringeretur, ita ut quod Deus est Seraphinis reapse, sit iam Maria Deo, non reipsa, sed per exaggerationem amoris ac per visionis beatae pulcritudinem et excellentiam. Rem tetigit s. Thomas a Villanova, serm. de resurrectione Christi: *Qualis fuerit*, inquit, *oculorum eius pulcritudo, et venustas adspectus, quae Regem Maiestatis solo intuitu vulneravit? Unde ait: Vulnerasti cor meum, soror mea, in uno oculorum tuorum; et quasi non valens adspectum pulcherrimum sustinere, vulneratus clamat. Averte oculos tuos quoniam ipsi me avolare, fecerunt. Unde avolare, nisi ex sinu Patris in uterum Virginis Mariae Matris?* Quod autem per oculos Virgineos intelligatur visio beata, plures affirmant. Nec ait sponsus se vulneratum in adspectu duorum oculorum, sed unius; ut innuat, non ex visione in patria, sed ex visione Dei in via, quae per unum oculorum denotatur; sicut per duos oculos visio plena B. Virginis in patria innuitur. Nec mirum cuiquam videri debet, si asseramus, Mariam viatricem iugi Dei visione, ab instanti, quo Mater Dei effecta est, fuisse potitam, cum longe maior sit laus, et illustris pulcritudinis oculorum B. Virginis commendatio, asserere, illis ipsam Deum ad se vi quadam allexisse, quam affirmare, illam ab instanti Incarnationis semper Dei visione gavisam. Quid, quod Matri Dei altissimus contemplationis gradus Dei debebatur, qui nunquam interrumperetur, dum viveret? Atqui omnium altissimus est visio clara Dei; ergo a puncto, quo Dei Genitrix effecta est, credendum est ipsi collatum fuisse. Verum in hac thesi eodem modo mihi censendum arbitror, ac in superioris Certaminis asserto, nempe ausum fuisse neminem asserere B. Virginem sine ulla interceptione vidisse Deum a puncto Incarnationis ad usque finem vitae. Quare iudicium hac de re ferendum aliis relinquo, et communi Doctorum sententiae subscribo.

CERTAMEN III.

An saltem aliquando, praesertim in puncto Conceptionis, B. Virgo viderit divinam essentiam.

1862. Superest in hoc Certamine, ut vestigemus, an saltem aliquo tempore vitae mortalis viderit Deipara Virgo divinam essentiam, et praecipue tempore suae conceptionis in utero Annae. Et quidem quod aliquando viderit Deum, expresse plures affirmant, P. Canisius, lib. 1, cap. 13, cum Ruperto: *Quid si*, inquit, *in corpore, sive extra corpus in paradisum abriperetur, sic in divinitatis arcanis et mysticis rebus instructa, nullus ut assequi posset mortalium, quae illi soli beatissima Trinitas, non modo per Angelos sed etiam per se ipsam voluit manifestare.* Ita Canisius. Salazarius in 1 2 tract. 2, disputat. 10, sect. 4, num. 43, erudite quaestionem hanc exagitat. Vasquius, qui Moysi, Paulo, atque aliis id concessum fuisse denegat, ait de Virgine Maria, tom. 1 in 1 p., disp. 56, cap. 2, n. 5: *Quis enim audeat tam speciale privilegium, scilicet videndi Deum in hac vita, aliis concessum Virgini denegare? Verum neque de ipsa certi aliquid habemus, sed quidquid pietati non repugnat et fidei, pie etiam de ipsa credi potest.* Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 19, sect. 4, qui Moysi, Paulo et aliis forsan id privilegium collatum fuisse dicit, de B. Virgine potius id dicendum affirmat. Idem docent Rupertus, lib. 3 in Cant.; Antoninus, 4 p., tit. 15, cap. 17, § 1; Albertus Magnus in Mariali, c. 132 et 149; Bernardinus Senensis, tom. 2, ser. 51, art. 1, cap. 2; s. Thomas a Villanova, Certamine superiori citatus, et alii, quos refert et assectatur Salazarius, de Concept. c. 32, § 4, n. 49; Torres in selectis, cent. 1, dub. 45.

Circa tempus, in quo Deipara Deum clare

viderit, in diversas abiere sententias Doctores. S. Bernardus eam in puncto Incarnationis beatitudine potitam perspicuis verbis docet, serm. 3 de Ascensione Domini. Accipe verba : *Unde virtus Altissimi obumbravit Virgini? ne nimio splendore perstricta divinitatis fulgur illa singularis aquila tolerare non posset.* S. Antoninus cit.: *Forte in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, ut videret mysterium huiusmodi, ut in patria, sicut Moyses vidit Deum in raptu.* Eiusdem est sententiae s. Bernardinus, tom. 4, ser. 36, p. 3, cuius verba supra produxit Cardinalis Petrus Damianus, serm. 1 de nativit. Virg., non obscure innuit, B. Virginem in partu suo Dei visione donatam, ait enim: *Considera quia ipsa est, quae in contemplativae dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus.* Albertus Magnus, ut in superioribus Certaminibus vidimus, nullum tempus definit, sed satis eius verba luculenter ostendunt, B. Virginem repetitis vicibus clara Dei visione gavisam fuisse. Hanc clare videndi Deum frequentiam in Maria fusiori et luculentiori stylo tradidit Gerson super *Magnificat*, Alphabeto 82, lit. Q et R : *Quocirca versis ad Mariae pulcritudinem oculis, perpende, si potes, qualis fuerit in via status suae mentis, quam sublimis in arce contemplationis, quam elevata a terra sursum, quantis irradiata fulgoribus ab isto, qui illuminat mirabiliter a montibus aeternis. Si erat ut mulier amicta Sole iustitiae, cuius sub pedibus luna totius mutabilitatis creaturarum, et in capite eius pulcherrima spiritualium syderum in aeternitate splendentium corona: Quid inde colligi potest? Nonne lumen illud immensum scintillabat aliquoties ad oculum mentis intuendum se inde praebens, qualiter in via vidisse Moyses et Paulus aestimantur? Nonne sicut in rimula quadam exilis coruscationis, dum oculos ferit emicans flamma mox disparens, ita fulgurabat in mente Mariae splendor divinae gloriae?* Hucque trahit verba illa Cantic. de sponso : *Ecce stat post parietem respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Illasque vicissitudines sponsi euntis, et redeuntis vult innuere hanc videndi Deum frequentiam in Maria cum interceptione aliqua. Huc etiam spectare videntur verba Hieronymi, sive mavis, Sophronii serm. de Assumpt., ubi quotidie B. Virginem ad hanc claram Dei visionem evehi asseverat constanter, ait enim: *Conversabatur cum Senatoribus coeli, intra curiam Paradisi, sub Spiritus sancti disciplina, et magisterio totius Trinitatis*, etc. *In tantum ut credam, quod omnia, etiam et semetipsam transcenderet, quia omnino amor impatiens, quod amat, non potest non videre. Novis quotidie inflammabatur affectibus praesentia absens.* Itaque nunc clare Deum videbat, mox a visione cessabat: nunc praesentem, sicuti est, clara intuitione prospectabat; modo per fidem veluti absentem contemplabatur, et grata hac praesentiae per visionem claram, absentiae per fidem, vicissitudine solabatur.

1863. Sciscitaberis, quam sit certum B. Virginem viatricem clare aliquando vidisse Deum. Et in primis illud certum, Doctores, qui id privilegium deferunt B. Virgini, solum ex pietate, et decentia, robustis tamen rationibus ductos id asserere: nullus autem error esset id inficiari; error enim est contra conclusionem, quae infertur ex altera propositione de fide, et altera evidenti, quod in praesenti non reperitur. Forsan aliquis temerarium censebit inficiari hanc veritatem, quia hoc tempore communi Theologorum consensu excipitur, et plures hoc privilegium deferunt Moysi, Paulo, et aliis: ergo potius id erit deferendum Dei Genitrici. Verum cum haec nostra sententia solum ut pia proponatur, dicere aliquis posset oppositum assertum nequaquam esse temerarium, sed solum improbabile, et falsum, ut docet Luysius Torres in selectis disput., p. 1, disp. 14, dub. 10, qui valde displicet in eo, quod existimet, opinionem asserentem B. Virginem vidisse divinam essentiam in momento suae conceptionis, nullum habere firmum fundamentum, adeoque se illam complecti non audere: ostendemus enim mox, et auctoritate et ratione fulciri, praeter ea, quae in superioribus duobus Certaminibus protulimus.

Nunc ergo ad praecipuam tituli huius Certaminis partem exagitandam accedimus, utrum in ipso conceptionis suae momento clare Deum intuita fuerit: et quidem partem affirmantem auctoritate, et ratione fulciendam suscipimus. Eam sustinent Suarius, Salazarius, Hieronymus de Florentia, Antolinez primarius Theologiae Professor Salmantic., et plures alii recentiores, Quam s. Bernardinus non obscure docere visus est, tom. 2, serm. 51, art. 1, cap. 2, per haec verba: *In prima sanctificatione quoad rationem et intellectum, tanta illi claritas superinfusa est, quod haec septem perfecte intelligebat secundum quosdam. Primo, naturam creatam irrationabilem. Secundo naturam creatam rationalem. Tertio, naturam creatam spiritualem. Quarto, naturam increatam divinalem*, etc. *A quarta quippe, quae erat cognitio Creatoris, et tres consequentes, et tres praecedentes cognitiones originem habebant; sicut Propheta testatur dicens: In lumine tuo videbimus lumen.* In quibus verbis loquitur s. Bernardinus de cognitione intuitiva, quippe censet, B. Virginem in primo suae conceptionis momento per proprias species, omnes creaturas congnovisse intuitive, ut alibi ostendimus; cumque eadem ratione loquatur de cognitione naturae divinae, asserendum est, eum de intuitiva et clara visione Dei locutum etiam fuisse: et quidem ex verbis illis Davidis, quibus sententiam suam stabilit, nempe Ps. 33, 10: *In lumine tuo videbimus lumen*, luculenter elici potest, D. Bernardinum censere, B. Virginem clare et intuitive Deum vidisse; siquidem Theologi, ex praefatis verbis Psalmi colligunt, necessarium esse lumen gloriae ad Deum videndum; de quo lumine interpretatur Bellarminus ea verba.

Idem etiam assumptum probant alii ex Petro Damiano, ser. de Assump., ubi haec habet: *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non*

admisit; *sed singularis continentiae puritas in candorem lucis aeternae conversa est.* Quae verba in rem praesentem explicat Franciscus Mendoza, tom. 2 in lib. Reg., c. 4, vers. 11, sect. 2, quasi non longius ab anima glorificata, quam a B. Virgine in primo suae conceptionis momento, cuiuslibet macula peccati exularit. Itaque purpuratus Pater iam Virginem Deiparam a primo conceptu lucis beatae candore decoratam contemplatur, adeoque cum peccato incompossibilem: sicut Beatus candore lucis aeternae donatus nequit cum peccato aliquo componi. Luculentius ad rem nostram faciunt verba Gersonis cit. Alphabeto 88, lit. Z, ubi cum ex persona magistri docuisset, plura privilegia esse deferenda B. Virgini, cum id fieri possit sine fidei praeiudicio, refragatur discipulus, his verbis: *Non placet haec ratiocinatio*; *Deus potuit conferre hanc gratiam Matri suae*; *ergo contulit. Potuit enim dare fruitionem patriae in instanti conceptionis suae cum aliis multis, quam certum est non dedisse.* Quaestionem dirimit Gerson sub persona Magistri: *Quid si addatur ad posse Dei, quod hoc decuit ipsum dare Matri suae?* Itaque cum constet de possibilitate rei, et ulterius deceat, et optimae rationi consentaneum sit, aliquod privilegium a Deo in Matrem collatum fuisse, tunc non est, cur illud privilegium Dei Genitrici non sit deferendum. Accedit revelatio s. Birgittae allata a Salazario cit., in qua Virgo Deipara ita Birgittam alloquitur: *Cum anima mea sanctificabatur, et corpori suo coniungebatur, tanta dulcedine repleta sum, ut impossibile sit effatu.* Haec autem dulcedo nulla alia esse potuit, nisi ea, de qua Paulus, I Corinth. 2: *Oculus non vidit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Hanc sententiam multum roborant verba Suarii, qui rogatus per literas a Patre Hieronymo de Florentia, tunc temporis Philippi III concionatore, quid de hoc placito censeret, plane aperiret, rescripsit haec verba: *Videtur mihi erudita, pia et probabilis sententia.*

Quam etiam thesim suo suffragio aliquo modo comprobat Ecclesia, quae immaculatam B. Virginis conceptionem per mulierem sole circumamictam adumbrat, quod solare lumen, gloriae lumen, sive claram Dei visionem innuit, si Bernardo danda est fides in serm. de verbis Apocal.: *Iure*, inquit, *Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi potest, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videretur immersa.* Quae verba nisi de clara Dei visione intelligantur, vix alium sensum sustinere possunt. Gerson etiam per luminosum illud theristrum, quo B. Virgo in momento sui conceptus apparet amicta, claram Dei visionem intelligit loco cit.: *Si erat ut mulier amicta sole iustitiae, cuius sub pedibus luna totius mutabilitatis creaturarum; quid inde colligi potest? Nonne lumen illud immensum scintillabat aliquoties ad oculum mentis intuendum se inde praebens, qualiter in via vidisse Moyses et Paulus aestimantur?* Profecto nullus aptior textus, nullum robustius argumentum produci posset ad probandam inconcussam Marianae gratiae firmitatem nulli mutabilitati obnoxiam a primo suae conceptionis momento, quam foemina splendenti iubare emicans, clarae visionis Dei splendoribus coruscans, ac ideo merito lunam omnis mutabilitatis, et inconstantiae symbolum pedibus terens, et proculcans. Quod iam Deus in Eva Dei Genitricis umbra delineaverat, cum illam in Paradiso terrestri ex Adae costa formavit, ut iam inde Virginem Deiparam in Paradisi coelestis gloria conceptum iri praediceret.

1864. Ratione idem assertum stabiliri potest ex dictis alibi, nempe Beatissimam Virginem in primo sanctificationis instanti, tot gratiis ac donis exornatam, ut iam tunc cunctos non tantum homines, sed etiam Angelos in omni gratia ac dono, quod cum eo tempore componi potest, longo intervallo superaret; cui roborandae thesi valde conducunt quae congerit Salazarius in Proverb. tom. 2, ad cap. 31, vers. 29, ad illa verba: *Multae filiae congregaverunt*, etc.; ubi auctoritate et ratione, erudite quidem id probat. Modo sic arguere licet: Beatissimam Virginem aliquando Deum vidisse in hac vita mortali, probat eius in homines omnes et Angelos praestantia; sed in primo conceptionis instanti iam habuit hanc super omnes excellentiam; ergo decuit in illo instanti superare Moysem et Paulum, qui aliquando in via, iuxta plures Doctores, Deum clare viderunt. Firmari potest, quia duo numerari solent instantia, in quibus Virgo B. uberiores gratias, affluentiora dona et privilegia sortita est, nempe instans conceptionis suae, et Incarnationis Verbi divini; ergo si admiserimus cum Doctoribus initio huius Certaminis citatis, B. Virginem semel et iterum visione clara Dei potitam fuisse in hac vita, cogemur asserere id contigisse in conceptione ipsiusmet Virginis, et in instanti Incarnationis Christi. Quippe hoc privilegium utpote omnium specialissimum ac nobilissimum, dempta Maternitate Dei, opus fuit, ut ipsi exhiberetur temporibus omnium fortunatissimis.

Altera ratio deduci potest ex imperio et dominio in homines et Angelos, quae est Alberti Magni, qui ex eo Mariae, ut supra vidimus, in hac vita matutinam et vespertinam, scilicet Dei et creaturarum cognitionem defert, ut melius in Angelos et homines hoc imperium exercere posset: at alibi fuse Marianum imperium in Angelos, et omnes creaturas a primo suae conceptionis instanti ipsi B. Virgini detulimus; ergo opus fuit, ut in illo instanti talis appareret, cui merito Angeli omnes subiicerentur: clare ergo tunc Deum videre decuit, ut etiam in hac re tanquam coeli suprema Regina Angelos infra se relinqueret; utpote quae sola in primo formationis instanti Deum vidit, quod Angelis nequaquam fuit concessum, cum primum instans creationis suae illis fuerit pro via. Hanc rationem confirmat Gerson super *Magnificat*, Alphabeto 83, lit. E: *Maria iuxta hierarchicam Dionysii legem, continet eminenter omnem perfectionem creaturarum tanquam inferiorum, ut iure dicatur Re-*

gina mundi, et Domina. Vis ergo brevi compendio Mariae beatitudinem notam tibi fieri, da illi per eminentiam, quidquid in creaturis videris melius ipsum, quam non ipsum, et quoniam particeps fuit in via utriusque beatitudinis, viae scilicet et patriae. Ex imperio ergo, et dominio B. Virginis elicit Cancellarius Parisiensis eam gratiis ac privilegiis omnes creaturas, etiam Angelos antecelluisse, quod imperium in prima formatione nacta est; oportebat ergo, ut clara Dei visione in illo instanti potiretur, ut etiam in hac re tanquam coeli suprema Imperatrix Angelos infra se relinqueret: sola enim illa in prima formatione prae reliquis omnibus creaturis intellectualibus clare Deum intuita est. Et roborari potest haec ratio, quia ex eo Adamus, iuxta communem Theologorum sententiam, cum D. Thoma 3 p., q. 16, in prima sua conditione omnium creaturarum inferiorum species hausit infusas, quia illis praeficiebatur, ac proinde opus erat, ut illas omnes cognitione sua attingeret, ut illas melius posset moderari, sibique subiicere; cum ergo Virgo B. a primo conceptionis suae momento eminentiori modo creaturis omnibus, etiam Angelis praeficeretur, operae pretium fuit, ut imperii sui terminos usquequaque diffusos mente attingeret, cognitione comprehenderet, ideoque creaturas omnes eo perfectius cognoscere, quo ipsius imperium ac dominium nobilius ac eminentius, Adami dominium antecellebat: *In perfecte quippe ordinatis*, ait Albertus, *ad maiorem potentiam sequitur maior scientia, ad maiorem scientiam maior operatio.* Ergo B. Virgo cum supremum dominium creatum inter omnes creaturas nacta fuerit, etiam oportuit, ut scientiam et cognitionem perfectissimam, qualis est, quae per claram Dei visionem habetur, nanciscetur.

1865. Neque huic asserto obstare aliquo modo potest, quod obiici solet, nempe inde fieri, Virginem Deiparam in primo suae conceptionis instanti Deum amando nihil promeruisse; nam actus amoris ex clara Dei intuitione subsecutus non est liber, sed necessarius. Hoc, inquam, nihil obstat, cum eandem contineat difficultatem, ac illa Scholasticorum disceptatio, an scilicet Christus Dominus per actum dilectionis Dei potuerit promereri. Quare assero eodem modo litem hanc dirimendam, ac illi quaestionem illam decidunt. Vasquius serio affirmat, Christum Dominum per actum amoris Dei haudquaquam aliquid promereri potuisse, quia omnino actus ille fuit necessarius: libertas autem una est ex conditionibus ad meritum requisitis iuxta praescriptam a Deo legem; bene tamen promeruisse per actus aliarum virtutum: idem equidem affirmabo de B. Virgine, quoties clara Dei visione in via donata fuit. Consule Vasquium 3 p., d. 74, art. 2 et 3. Alii cum Suario in Christo actum duplicem amoris Dei admittunt, alterum subsecutum, et procedentem ex clara Dei visione, alterum proficiscentem ex scientia infusa: prior omnino necessarius erat, atque adeo non meritorius; posterior liber et meritorius. Iuxta hunc sentiendi modum, asserendum nobis est, B. Virginem in instanti conceptionis, et quoties clare Deum intuebatur in via, duplicem etiam actum amoris Dei elicuisse, alterum necessarium, qui ex clara Dei visione proficiscebatur; alterum liberum, qui ex scientia infusa ortum habebat, quo quidem merebatur. Scoto autem acquiescere non possum, dum ait, actum amoris Dei in Christo bifariam concipi posse, vel ut ferebatur in Deum, vel ut in creaturas. Primo modo asserit non fuisse meritorium, quia necessarius erat, at prout ferebatur in creaturas, non caruisse merito; existimo enim id pugnantiam involvere, nempe, quod idemmet indivisibilis actus iuxta varios respectus sit liber, ac necessarius. Quae hic protulimus, non pugnant cum his, quae alibi statuimus, Virginem Deiparam ad primam sanctificationem per propriam dispositionem seipsam praemunivisse, ac praeparavisse more reliquorum adultorum cum proportione; potuit ergo actum fidei elicere in ipso conceptionis momento, non utique circa obiecta clare visa (si verum est actum fidei pugnare cum clara Dei visione, ut tenet communis Theologorum consensus), sed circa alia non visa; qui actus fidei cum aliis reliquarum virtutum liber exstitit, et potuit facem praeferre actui amoris Dei libero orto ex scientia infusa, vel etiam ex ipsa fide; potuit etiam disponere ad sanctificationem, et ad alios actus liberos, quos elicuit in illomet instanti, de quibus ait Bernardinus Senensis, tom. 2, serm. 51, art. 1, c. 3: *Ex charitatis quoque ardore etiam humanae salvationis, toto affectu desiderabat Incarnationem Filii Dei; nam et totus impetus primae, mentem huius sacratissimae Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimae mentis in id quod postea factum fuit in ea, toto conamine inflammabant animam eius.*

Hinc elicies, Virginem Deiparam in primo conceptionis instanti, trinam sibi sanctitatem nactam fuisse, nempe sanctitatem et gratiam status innocentiae, scilicet gratiae infusum animae habitum, deinde actum dilectionis Dei, et liberum et necessarium, ut vidimus, qui apud nobiliores Theologos formaliter animam sanctam facit: praeterea visionem beatificam, quae formaliter etiam sanctitas est: haec vero fuit cito transiens; reliquae vero duae absque ulla interceptione in via et in patria aeternum durabunt: ut intelligas totam Trinitatem certatim, et aemulatione quadam sacra in unam Mariam exornandam exuberantibus gratiis ac donis invigilasse iam in prima sui formatione. Pater itaque habitu gratiae sanctificante, Filius Dei visione, Spiritus sanctus Dei amore ferventissimo condecorarunt. Addo in instanti Incarnationis his tribus sanctificationibus additam quartam, nempe Maternitatem Dei, quae, ut vidimus, est forma sanctificans, ut ex quatuor lateribus pura, sancta ac nobilissima depraedicetur.

In calce animdverto, omnino mihi esse improbabile, quod nonnemo affirmare ausus est, nempe B. Virginem in primo instanti conceptio-

nis gloria corporis fuisse etiam potitam, pro qua propositione citari solet Gerson, et s. Bernardinus; sed id asserunt nusquam hi Doctores. Luysius Torres, in Selectis Deiparae, Centuria 3, dub. 44, ait praedictam propositionem non solum esse improbabilem, sed neque excusari a censura, quia illius propugnatores privilegium attribuunt B. Virgini, quod pro primo Incarnationis momento, nec Christo deferunt Theologi; estque res nova a sensu Patrum ac Theologorum aliena.

Sciscitabitur aliquis, utrum B. Virgo viderit aliquando Corpus Christi gloriosum, ut Petrus. Respondeo affirmative, vidisse, inquam, non semel; et suaderi potest, quia nulla praerogativa, seu privilegium alicui concessum, est B. Virgini denegandum; sed Petro, Ioanni et Iacobo exhibitum fuit hoc privilegium, ut patet in Transfiguratione Christi; ergo multo melius id B. Virgini concedendum. Quod igitur de s. Iosepho asseruit Bernardinus de Busto, ser. 12 de Desponsat. Mariae, multo potiori iure dici potest de Deipara; ait ergo ille: *O sanctissime Ioseph, si Petrus semel tantum videns gloriam, et pulcritudinem Iesu transfigurati, dixit: Domine, bonum est nos hic esse: quid tu dicere debebas, cui non semel, sed saepius, ut pie creditur, se benedictus Iesus transfiguratum in corpore glorioso ostendit?* Et quidem de B. Virgine id fatetur Aloysius Novarinus in Umbra Virginea, excursu 116, num. 1081.

PALAESTRA TRICESIMAQUINTA

Essentialem perfectionem beatitudinis Marianae in patria rimatur, et accidentalem.

1866 Ea est gloria ac beatitudo Mariana, ad quam fuit evecta, ut solus Deus eam explicare valeat, ac locum sublimem, ad quem conscenderit, ostendere: quod iam multo ante praedixerat Iobus cap. 38, dum ait: *Nunquid ostendisti aurorae locum suum?* Quae verba in Virginem Mariam deflectit s. Bonaventura in spect. c. 9, dicens: *Non ad te pertinet ostendere aurorae Mariae locum suum in coelo, sed ad me, id est ad Deum; bene autem dicit*, suum, *quasi appropriando et discernendo illum ab aliis Scripturarum locis. Hinc etiam bene legitur, III Reg. 8: Intulerunt sacerdotes, arcam foederis Domini in locum suum: hic certe locus est super omnes locos Angelorum.* Quasi locus proprius ac patria B. Virginis foret coelum, non mundus, atque adeo dum terras incoleret, violentiam pateretur, donec in coelum empyreum, locum suum transferretur, tanquam centrum, et connaturalem sibi locum, vel quia ascendente Filio in coelum, iam pars aliqua sui ipsius, et quidem praecipua in coelo aderat, ad quam Virgo tanquam compars anhelabat nativo amoris pondere ac gratiarum. Itaque solus Deus Marianae gloriae encomiastes ostenditur apud Iobum: *Nunquid ostendisti aurorae locum suum?* Nos ergo tantae Marianae gloriae propalandae omnino impotes, in hac Palaestra aliqua eius vestigia subodorabimur.

CERTAMEN PRIMUM

Una visio B. Virginis omnium hominum, et Angelorum visiones simul sumptas antecellit.

Triplicem sensum habere potest praesens quaestio. Primus est, an beatitudo B. Mariae sit perfectior specie beatitudine utriusque naturae angelicae et humanae. Secundus, utrum intra eandem speciem, sit intensior beatitudo solius Deiparae, quam omnis beatitudo utriusque naturae angelicae et humanae, si in unum coacervaretur. Tertius sensus esse potest, an B. Virgo plures videat eminentias et perfectiones, ac perfectiori modo, plus, inquam, videat in obiecto, quam utraque creatura angelica et humana, et nobiliori modo tendendi.

1867. Iuxta primum sensum dicendum est, admittendam esse in Virgine Deipara comprehensore visionem beatificam specie longe perfectiorem aliis utriusque naturae, angelicae et humanae, quae visio correspondeat gratia habituali per se infusae distinctae a gratiae habituali quae communis est reliquis iustis, iuxta probabiliter dicta in Palaestra de gratia Mariana; ubi rationes, quae afferuntur ad probandum, gratiam B. Virginis specie distinctam ab aliis, ad praesens institutum constabiliendum conducunt. Et quidem hoc placitum non difficilem habet probationem in eorum sententia, qui constituunt in Beatis visiones beatificas specie distinctas.

De perfectione intensiva iuxta secundum sensum explicatum, dicendum est, visionem beatificam B. Virginis esse perfectiorem in intensione, et clariorem in B. Virgine, quam in omnibus aliis tam hominibus, quam Angelis simul sumptis: ipsa enim est Mater naturalis; illi filii adoptivi: ergo ipsi maior haereditas fuit collata: est ergo in intensione maior, quae de potentia ordinaria esse potest in pura creatura, quamvis absolute, et de potentia absoluta dari possit maior. Ait Cardin. Petrus Damianus, ser. de Assumpt. Virg.: *Inter animas Sanctorum et Angelorum choros supereminens et evecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. Quemadmodum enim titulus visionis B. Virginis superat collective titulos gloriae omnium hominum et Angelorum; ergo et gloria B. Virginis superat collective reliquas omnium hominum et Angelorum: siquidem Maternitas Dei naturalis superat collective filiationes omnes adopti-*

vas ; unde verba Apostoli ad Hebr. 2, in Virginem Deiparam recta cum proportione quadrant: Tanto melior Angelis, et hominibus effecta, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Et sicut Christus Dominus constitutus est super omnes Principatus, Potestates, etc. ex Paulo ad Ephes. 1, in quo etiam sensu dicitur Christus ut homo, sedere ad dexteram Dei ; ita etiam de Deipara ait Athanasius : *Ea nunc ut Regina assistens a dextris Filii ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, et immortalitatis circumamicta, et variegata sacris et solemnibus verbis celebratur.* Quia scilicet omnem Angelorum et hominum beatitudinem simul sumptam perfectione supergreditur. Apte autem dicitur sedere a dextris regis Christi tanquam Regina : *Sicut enim*, verba sunt s. Bernardini, tom. 3, ser. 11, art. 3, *benedictus Iesus sedet a dextris Patris, id est in potioribus bonis paternis; sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui Iesu, iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* Ubi aptissime explicat, quid sit sedere a dextris Filii, nempe in potioribus bonis Filii partem sortiri.

Quam thesim perspicuis verbis tradit idem s. Bernardinus, tom. 1, serm. 61 : *Posuit diadema regni super caput eius, et voluit eam esse Reginam, Esther 1. Istud est diadema speciei, et corona gloriae, qua Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam, ipsa sola amplius sit evecta, ac plus Beatissimae Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat et fruatur, quam omnis pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post Filium participant universi.* Et Petrus Damianus, serm. de nativ. Virg., adfavet huic placito ; ait enim : *Quid grandius Virgine Maria, quae magnitudinem summae Divinitatis in sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, et videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi, et non infra gloriam, quae eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Rursus serm. de Assumpt. dicit superare Virginem alios sanctos in gratia, sicut sol luce et claritate stellas excedit; et in illa inaccessibili divinitatis luce perlucentem, sic utrorumque spirituum hebetare splendorem, ut sint quasi non sint, et comparatione illius nec possint, nec debeant apparere. Hanc gratiae ac gloriae Marianae immensitatem prae cunctis aliis perspicuis verbis extollit D. Bonaventura in speculo Virg. in verba illa Ecclesiastici, *Altitudinem coeli, latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* Addit ille : *Coelum est Maria, terra est, abyssus est; quis huius coeli altitudinem, quis huius terrae latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariae immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia et gloria, sed etiam in misericordia tam altam, tam latam, tam profundam operatus est?* Guilielmus Parisiensis in Rosario aureo libenter huic placito adhaerebit, cum asserat de gratia Mariana: *Si gratiae omnium Sanctorum et omnium electorum, etiam comprehensis novem ordinibus Angelorum, ponerentur in una statera, et sola gratia huius Virginis in alia, multo gravior appareret.* Suarius in 3 p., t. 2, disp. 21, sect. 3, § *Quarto addo*, suum huic sententiae suffragium tulit. Henriquez etiam, lib. de fine hominis, cap. 10, Mauritius in vita Deiparae Mariae, ubi revelationem refert B. Virginis factam s. Thomae Cantuar., ubi haec habentur: *Maiorem gloriam habet ipsa sola, quam habent omnes Angeli et Sancti simul.* Bernardinus de Bustos, serm. 5 de Annunc., haec profert: *In tantum fuit Maria prae maxima gloriae magnitudine ponderosa, quod si ipsa sola in una statera poneretur ex una parte, et caeteri omnes Sancti tam novi, quam veteris Testamenti, et omnes Angeli in alia, ipsa amplius ponderaret.* Quod si gratia omnes electos antecellit, ergo et beatitudine, quae gratiae magnitudini commensuratur. Nec mirum, quia, ut bene Euthymius, ser. de zona Virginis, et Andreas Cretensis de Dormit. Deip. dixere : *Si quid, quod nos superat, in ea divina operata est gratia, nemo miretur intuens ad novum et ineffabile, quod in ea peractum est, mysterium, ab omni infinitate infinitics infinite exemptum.*

Idcirco a D. Damasceno, orat. 1 de Dormit., infinitum discrimen in beatitudine traditur inter servos Dei ac Dei Matrem. *O praeclarissimum excessum, qui hoc tibi affert, ut cum Deo praesens sis! nam cum omnibus quoque aliis Numine divino afflatis Dei famulis, istud divino munere concessum sit: at infinitum tamen Dei servorum ac Matris discrimen est.* Grande profecto Marianae beatitudinis elogium. Anne dicitur Mariana gloria quasi infinita, quia correspondet dignitati quodammodo infinitae Maternitatis Dei? vel quia Mariana gloria accidentalis in infinitum protenditur? ita ut affirmare liceat, ad eam gloriam fuisse electam B. Virginem, ad quam ipsa ab aeterno inaugurata fuit, ita ut nec posset habere maiorem, si ipsamet seipsam inaugurasset. Quod innuit illud Proverb. 8: *Ab aeterno ordinata sum.* Marinus in Lexico ita vertit : *Ego meipsam inauguravi.* Quasi non posset B. Virgo sublimiorem gloriae gradum ac locum nancisci, licet ipsa sibi ipsi gloriam delegisset. Ea est Marianae gloriae pulcritudo, ut tota Trinitas eius speciem desideret intueri: huc flectit Richardus de s. Laurentio, lib. 5, verba illa Cant. 6: *Revertere, revertere, Sunamitis*, etc. In quae verba, haec habet de Maria sub persona Estheris: *Erat formosa valde et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Et nota quod dicit oculis omnium. Primo oculis ipsius Dei Trinitatis, qui speciem eius desiderabat intueri. Unde dicunt ei Pater et Filius et Spiritus sanctus: Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.* Grandis profecto gloriae Marianae exaggeratio ; siquidem Deus Trinus clare visus, est omnigena beatitudo coelestibus spiritibus, in quem desiderant Angeli prospicere : et tamen hic Deus Trinus Mariae speciem beatificam desiderat intueri.

1868. Deinde argumentari possumus ex s. Dionysio, de coelesti Hierarch., ubi affirmat, superiorem Angelorum chorum plus gratiae habere et ex consequenti plus gloriae, quam reliqui inferiores chori habent, qui considerari possunt instar coelestium orbium: quemadmodum ergo superiores orbes, omnium inferiorum magnitudinem, et capacitatem superant, et sinu suo cohibent; ita et Angelorum chori superiores, omnium inferiorum gratiam et gloriam perfectione et intensione superant, tanquam continens, contentum: at infra statuimus, B. Virginem chorum obtinere in coelis longe superiorem Angelorum et hominum sedibus; ergo gloria et beatitudo Mariae omnium Angelorum et hominum gloriam in unum coacervatam superabit. Sicut ergo Deus hanc totius orbis sphaeram ita disposuit, ut inter elementa ignea sphaera sit magnitudine et capacitate grandior terra, aere et aqua, et inter coelestes orbes coelum empyreum reliquos omnes orbes simul sumptos quantitate molis, et perfectionis longe antecellit; et inter novem etiam choros Angelorum omnium supremus, reliquos omnes inferiores et sapientia et gratia et gloria superat: ita etiam oportebat, ut Deus creaturam aliquam conderet, quae sicut dignitate Maternitatis Dei altioris est ordinis et sphaerae, et suo modo infinitae: ita etiam omnium sibi inferiorum gratias, et beatitudinis gradus excederet. Unde etiamsi in infinitum Mariana gratia et gloria intenderetur, haudquaquam terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis excederet. Quippe rationi omnino conforme videtur, ut filius rex soli parenti largiores divitiarum thesauros, quam omnibus simul famulis eroget, siquidem dignitatem omnibus sublimiorem eidem impertivit; ergo merito huic dignitati respondere oportet beatitudo ac praemium, quod aliorum omnium praemia exaequet et antecellat.

Tertio desumi potest argumentum ab amore, quo Deus fertur in Mariam, quam longe maiori amore prosequitur, quam reliquos omnes electos, sive Angelos, sive homines; sicut par est a Filio Matrem diligi prae omnibus simul famulis: ideo Bonaventura, in speculo cap. 6, ex Augustino, Virginem ita alloquitur: *Te ipse Rex regum, ut Matrem veram, et decoram sponsam prae omnibus diligens amoris amplexus sibi associat.* Ob hunc ardentissimum Dei in Mariam amorem ait D. Bernardinus, serm. 15 de festivitatibus Virg., cap. 3: *Christum Dominum pro sola Virgine Maria redimenda plus venisse, quam pro caeteris omnibus.* Et D. Anselmus, de excell. Virg., cap. 4, ex eo arguit, Dei amorem erga Matrem esse longe maiorem, quam erga omnes alias creaturas, quia ipsi omnium munus dignissimum ac carissimum asservavit. *Ostendit*, inquit, *amorem erga Matrem, quo nullum putemus esse posse maiorem.* Sicut ergo gratia et beatitudo animae Christi vel est infinita iuxta plures, vel saltem proportionata quantum fieri potuit dignitati capitis, et maiestati Verbi Dei; adeoque longo intervallo, si non infinito, in intensione superavit omnium hominum et Angelorum gratias et beatitudines simul sumptas; ita decuit etiam, Virginem Deiparam esse Filio simillimam in hac etiam gratiae perfectione, et intensione, tum et gloriae, ac proinde reliquorum Angelorum et hominum gratiae, ac gloriae gradus excedere. Ideo scite Bernardinus Senensis, de Nativ. Mariae, confert Christum cum fonte gratiae, Mariam cum aquaeductu, reliquos electos cum rivulis: in Christo ergo omnes gradus gratiae et gloriae tam aquaeductus, quam rivulorum coacervantur; in Maria ut in aquaeductu omnes qui ad rivulos derivantur. *Quid mirum*, inquit Bonaventura, opuscul. de laudib. Virg., c. 7, *si omnis gratia ad Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad caeteros diffluxit?* Et Laurentius Iustinianus, ser. de Annunc.: *Magna profecto fuit Mariae gratia, exuberans, atque completa*, etc. *Quomodo non est Maria iuxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quae effecta est Mater Dei, paradisi scala, coeli ianua, interventrix mundi, daemonum fuga, peccatorum spes, Dei et hominum verissima mediatrix?*

Ob id frequenter a Scriptura et Patribus cum mari componitur, quia sicut mare plus aquarum sinu suo coercet, quam omnia simul flumina, fontes ac putei; ita et Maria plus gratiae et gloriae continet, quam omnes simul reliqui electi sive Angeli, sive homines. Huc spectant verba Bonaventurae cit., cap. 6: *Plena est Maria inundatione gratiae in affectu, tanta nempe inundatio gratiae, tanta profunditas, et magnitudo fuit in Maria, ut ipsa bene mare plenum dici possit, iuxta illud: Sonet mare, et plenitudo eius; sicut in mari aquarum, sic in Maria sunt congregationes gratiarum; unde scriptum est: Congregationesque aquarum appellavit maria. Dicitur quoque in Ecclesiast.: Omnia flumina intrant in mare. Omnia flumina sunt omnia gratiarum dona, quae intraverunt in Mariam iuxta illud Sapientis: In me omnis gratia viae et veritatis. Quam plenum sit hoc mare, quam plena gratia sit Maria, B. Hieronymus aperit, dicens: Bene plena, quia caeteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit gratiae plenitudo.* In hunc sensum idem Bonaventura ibidem versat verba illa Ecclesiast. 14: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Et ex D. Bernardo subiungit: *Ideo in plenitudine Sanctorum Mariae detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi defuit nequaquam.* Ob eandem causam Deipara cum sole componi solet, Cantic. 6: *Pulcra ut luna, electa ut sol.* Quia sicut sol splendidiori lumine coruscat prae caeteris omnibus coeli luminibus simul sumptis, a solis iubare astrorum fulgor obnubilatur, syderum exstinguuntur luces, tenebrescit coelorum ornatus, eorundemque lumina contumulantur; ita Maria splendidiori iubare gloriae promicat prae omnibus Beatis. Recte Petrus Damianus, ser. de Assumpt.: *Sol lucidius incandescens, ita sibi syderum et lunae rapit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint: similiter et Virgo veri praevia luminis, in illa inaccessibili lu-*

ce praelucens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. Hinc Virgo B. apte confertur cum Hierusalem coelesti, Cant. 6: *Pulcra es, amica mea, suavis et decora, sicut Hierusalem.* Quasi una Deipara universam coelestem Hierusalem ex Angelis, et hominibus constantem gratiae pulcritudine, et splendenti gloriae iubare exaequet et excedat. Stat pro hoc sensu non semel allatus Bonaventura in spec. cap. 8, ubi haec habet: *Et quia Dominus opulentissimus opulentissime est tecum, ideo tu es opulentissima, sive ditissima secum, ut ita vere tibi dici possit illud Proverb.: Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas: filia Agnes, filia Lucia, filia Caecilia, filia Agatha, filia Catharina, et multae aliae filiae, et multae aliae virgines sanctae, et multae animae iustae congregaverunt divitias virtutum et gratiarum, divitias meritorum et praemiorum; sed Maria universis divitiis supergressa est excellentissime universas.* Et luculentius cap. 10, rem declarat, sensumque suum promit: *Supergressa est Maria cunctas filias, supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria universas filias, id est universas animas et universas intelligentias angelicas.* Nimirum si earum omnium gratiam et beatitudinem in unum cumulum accipiantur. Rursus cap. 2, eandem thesim inculcat: *Si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias angelicas, nunquid non supergressa divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, Angelorum, cum ipsa sit primitiva Virginum, speculum Confessorum, rosa Martyrum, registrum Apostolorum, oraculum Prophetarum, regina Angelorum? Quid enim de divitiis horum illi defuit? Hieronymus enim ait: Mariam si diligentius aspicias, nihil splendoris est, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriae, quod in ea non resplendeat.* Nihil luculentius nostro instituto afferri potest.

1869. Superest adhuc iuxta tertium sensum supra propositum praesentem controversiam dirimere. Aio igitur, Virginem Deiparam plures eminentias et perfectiones videre in Deo, perfectiori item ac nobiliori modo tendendi, quam omnes, sive Angeli, sive homines videant; ita ut tam ex parte actus, quam ex parte obiecti visi, et ex modo perfectiori tendendi in obiectum sit sola visio beatifica Deiparae longe nobilior ac perfectior, quam reliquorum omnium visionum, sive hominum, sive Angelorum perfectiones, si in unam perfectionem et beatitudinem coalescerent. Quocirca si totam coelestem curiam hinc contempleris, illinc solam Deiparam; haud dubium maius et admirabilius gloriae ac pulcritudinis spectaculum consurget in una videnda Maria, quam in universa coelestis curiae cohorte, dempto Christo. Cui thesi patrocinatur D. Bonaventura, dum ait: *Post Deum maior nostra gloria, et maius nostrum gaudium ex Maria est.* Et confirmat Petrus Damianus, ser. 1 de Nativit., in illa verba Cant. 6: *Revertere, revertere, Sunamitis, ut intueamur te: quia, inquit, summa gloria est post Deum te videre, adhaerere tibi.* Ex quo ulterius elicio, Virginem Deiparam coelum ingredientem, plura in se sola, coelesti curiae spectanda praebuisse, quam ipsa in universa coelitum corona spectaret: quod disertis verbis s. Bernardus firmat, ser. 4 de Assumpt., sub persona coelitum adstupentium ad ingressum Mariae in coelum, ac exclamantium: *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens?* Cant. 8. Ac si manifestius dicant, ait Bernardus: *Quanta est haec, et unde ei ascendenti? Utique de deserto affluentia tanta deliciarum. Nec enim pares inveniuntur deliciae, vel in nobis, quos in civitate Domini laetificat fluminis impetus, qui a vultu gloriae voluptatis gloria potamur.* Ubi habes ex ore mellifluo, coelites omnes plures deliciarum torrentes, ac maiores divitiarum thesauros ex immenso Virginis Deiparae sinu beato haurire, quam ipsa coelestis Hierusalem beatorum sedes in capacissimo suo ambitu complectatur: ac proinde pro certo tenendum est, plus voluptatis coelestem curiam ex Virginis B. adspectu ebibere, quam ipsa Virgo Deipara ex conspectu totius curiae coelestis, dempto Deo et Christo. Quod innuit idem Bernardus, ser. 1 de Assumpt.: *Virgo*, ait, *gloriosa coelos ascendens supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis.* Bene igitur dixeris de Maria coelum ingrediente: *Statura tua assimilata est palmae*, Cant. 7; siquidem palma victoriam assecutis tribuitur tanquam praemium, merces, et corona: sic Deipara in coelo triumphantibus tanquam corona exhibetur, quia ex conspectu ipsius, ingens gloria adaugetur, qua Beatorum merita cumulatius remunerentur.

Huius thesis probationes petendae sunt ex supra dictis de perfectiori visione beatifica Deiparae, comparatione omnium Angelorum et hominum in intensione. Id enim pertinet ad munus et dignitatem Matris Dei, ac Imperatricis utriusque naturae angelicae et humanae; sicut enim ob ea munera statuimus supra gratiam ac beatitudinem omnium Angelorum et hominum; eisdem rationibus id evinci potest de visione beatifica Mariana in ordine ad eminentias et perfectiones Dei, et ad nobiliorem modum tendendi. Id probant verba s. Petri Damiani cum ait, ex Assumptione Mariae in coelum hebetari, ac veluti tenebris effundi cunctorum Beatorum beatitudinem: ideo B. Virgo toto solis lumine apparet amicta, quia luminis gloriae portio exhibetur cuicunque Beato iuxta cuiuscunque merita; sicut lumen stellae differt a stellae lumine, ita Beatorum lumen gloriae. Et quidem ignita pruna Hieremiae labia purgantur, Seraphim altaris ignem praelibant: Maria vero integro solis lumine amicitur, quia prae omnibus gloriae lumine coruscavit: quod meditabatur Bernardus, serm. 5 in Assumptione: *Illo igne prophetae labia purgantur; illo igne Seraphim accenduntur: longe vero aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi.* In quo gloriae Marianae immensitas

prae omnibus Beatis dilucide demonstrātur. Iure igitur Maria sole perhibetur amicta, ac si sol ipse indeficiens Christus ipsi Mariae lumen gloriae sit, seu virtus, qua intellectus Marianus roboretur et in Dei intuitione elevetur; itaque Sol ipse ipsi lumen gloriae sit, ut Solem ipsum videat in gloria: reliquis Beatis portio quaedam Solis divini hausta pro lumine gloriae subservit, Mariae non haustus, seu portio luminis, sed integrum solare iubar est pro lumine gloriae. Itaque Maria infra Deum gloria et beatitudine reliquas omnes supergreditur creaturas, ac pleno alveo divinitatis lumen absorbuit.

1870. An autem anima B. Virginis videat in Verbo omnia, quae Deus videt, scientia visionis, atque adeo infinitos Beatorum actus, disquiri hic posset. Affirmat Suarius, tom. 2 in 3 part., disput. 20, sect. 4, ubi haec habet: *Virginem omnes et singulas res in Verbo videre, quas reliqui simul Beati in illo contemplantur. Pie quidem et probabiliter colligo B. Virginem videre in Verbo, quidquid Deus videt scientia visionis, iis solum exceptis, quae singulariter ad Christum, et ad interioris animi cogitationes spectant, quia cum B. Virgo sit longe inferior Filio tam beatitudine, quam dignitate, non decet ut sine manifestatione, et consensu eius omnes interiores illius actus cognoscat.* Eandem sententiam assectatur Salazar, tom. 1 in Proverb. cap. 8, num. 177, et deinceps. Quod quidem verum existimo; et probari potest ex communi Theologorum suffragio cum suo duce D. Thoma, 3 part., quaest. 10, art. 1, ubi ait: *Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem et ad eius dignitatem spectant omnia in quantum ei subiecta sunt.* At etiam ad Virginem Deiparam attinent omnes homines et Angeli, cui omnes tanquam reginae et induperatrici subduntur, quam venerantur, suspiciunt, et adorant tanquam veram Dei-hominis parentem: ergo sicut Christus ex eo quod cognoscit Angelos et homines, illorumque actus; ita et B. Virgo illa omnia videt, quia ad eam spectant omnes homines, eorumque actus, imo et omnia creata, et quidquid Deus efficere decrevit; quia propter Christum et B. Virginem orbem cunctum creavit Deus, eorumque omnium Reginam ac Dominam constituit. Ex quo perspicue deducitur, Virginem Deiparam per scientiam visionis, videre in Verbo infinita, quia obiectum scientiae visionis Dei sunt infiniti actus intellectus, et voluntatis Beatorum et damnatorum per totam aeternitatem. Si ergo B. Virgo videt quidquid Deus et Christus videt scientia visionis, videt et cognoscit infinita.

Addo, Virginem Deiparam non videre in Verbo, ut in medio cognito, res omnes praeteritas, praesentes et futuras, quia nihil est in Deo, quod habeat necessariam connexionem cum creaturis futuris; quidquid enim Deo intrinsecum est *ut sic*, est Deus reipsa, ac proinde esse potest sine creaturis; ergo nihil est in Deo, quod possit esse medium, in quo cognito futura cognoscantur. Neque potest anima B. Virginis attingere omnes res futuras in seipsis eodem actu visionis, quo Deum attingit, ut probant recentiores Theologi, tract. de visione, quia visio Dei de facto est invariabilis, ita ut eadem perseveret tota aeternitate; obiecta vero futura variantur: res enim quae antea futura erat, postmodum sit existens, et statim praeterita, et *ut sic* cognoscitur; at hoc fieri nequit nisi variatione intrinseca cognitionis: cum ergo dicimus, Virginem Deiparam in Verbo dicta obiecta cognoscere, non intendimus asserere, Verbum esse medium, in quo cognoscantur; neque ita, ut per eundem omnino actum visionis attingantur, sed tanquam in causa, et per actum diversum, quasi ortum a visione, et ab ea requisitum ad statum beatitudinis.

Ad haec Gotfredus, Bassolus, Capreolus apud Suarium cit. opinantur, omnes Beatos videre de facto omnes creaturas possibiles. Herice, tract. 4, disput. 5, cap. 4; Magister Sent., in 4, distinct. 14; Alensis, 3 part., quaest. 13, membro 7; Albertus M., in 4, distinct. 14, art. 2; Henriquez, quodlib. 7, quaest. 4 et 5, deferunt Christo cognitionem omnium possibilium: quod non omnino improbabiliter de B. Virgine dici potest; nec inde fieret, B. Virginem comprehensuram Deum: nec ratio cuiusdam recentioris multum urget negantis Christo hanc omnium possibilium cognitionem, videlicet quia illa visio, ait ille, non esset connaturalis et proportionata animae Christi, et multo minus animae B. Virginis etiam ut elevatae. Haec, inquam, ratio non urget: aio enim, talem visionem esse debitam, et maxime proportionatam animae Christi unitae divinitati; tum et animae B. Virginis ad Maternitatem Dei-hominis elevatae, quae Maternitas multo magis improportionata est, et magis distans a substantia Mariae, quam sit visio omnium possibilium intellectui Virgineo inhaerenti substantiae Virginis, quae evecta est ad tantae divinitatis fastigium.

1871. Huc usque dicta suffulciunt pulcherrima Epiphanii verba, de laudibus Virginis. *Virgo*, inquit, *plurium nominum, et multocula effecta est; Seraphim incomprehensae visionis, quae inventa est velamentum quoddam intellectuale corporis universalis Cherubim transcendens; illa enim avertuntur, cum nequeant spiritualem ignem divinitatis fixis oculis intueri: haec autem apertis oculis fixe intuens incomprehensibilem, et somni expertem oculum Christi cum desiderio et osculo salutabat.* Ubi primum vocat Mariam pluribus nominibus, ut plurimas eiusdem perfectiones declaret: ex eo enim plura Deo induntur nomina iuxta D. Thomam, 1 part., quaest. 13, quia nequit uno nomine tot perfectionum pelagus comprehendi. Maria pluribus nominibus compellatur, quibus multiplex eius perfectio manifestetur. Subdit Epiphanius: *Et multocula effecta est.* Quia cum beatitudo in visione Dei sita sit, ita supereminet beatitudo Mariana inter omnes, ut quasi pluribus visionibus exaequetur, et licet una sit in Maria, omnibus tamen tam Angelorum, quam reliquorum Beatorum visionibus simul sumptis longe excel-

lentior sit. Quod perspicuis verbis ostendit Guarricus abbas, serm. 1 de Assumpt.: *Nunc autem et in ea* (nempe Maria) *et cum ea, sicut interminabili aevo, sic incomprehensibili modo habitans satiat eam beatificantium gloria visionum: foris quidem glorificatae carnis formam exhibens; intus vero glorificantis Verbi formam imprimens.* Ubi plures visiones Beatorum numerat, cum Marianam beatitudinem extollit illis verbis: *Satiat eam beatificantium gloria visionum.* Quia tametsi unica sit visio beans in Maria nunc in coelis existenti, tamen cum pluribus Angelorum et hominum visionibus componitur, quas longe antecellit, sive in perfectione specifica, iuxta probabilem aliquorum opinandi modum, sive in nobiliori modo tendendi, sive quia plus eminendiarum videat una Maria, quam reliqua Beatorum multitudo. Quod idem Guarricus confirmat, serm. 2 de Assumpt.: *Nullus*, inquit, *mihi plus ministravit in humanitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, praeter alia, quod homo sum; communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabis osculum oris, quin imo tota de toto osculaberis, non imprimam labia labiis, sed Spiritum spiritui osculo perpetuo et indissolubili.*

Quare in festiva Assumptae Virginis celebritate iure illud insonat, Luc. 10, 38: *Intravit Iesus in quoddam castellum.* Ut innuatur ingressus Verbi divini in uterum Virgineum, quia Mariana beatitudo nulla alia mensura aptius dimetienda est, quam ex gratia Maternitatis Dei; at gratia Maternitatis Dei omnem infra Deum dignitatem excedit; ergo et gloria Matris Dei omnem beatitudinem infra Deum antecellere debebat. Opportune occurrit nobis Bernardus, serm. 1 in Assumpt.: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo Christum Maria suscepit: neque in coelis regali solio, in quo Mariam hodie Mariae Filius sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio, ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est: ut quid enim hodie in Ecclesiis Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo, ut haec, quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus aestimetur; imo et iuxta illius inaestimabilem gloriam, inaestimabilis cognoscatur et ista. Christi generationem, et Mariae assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratia in terris adepta est prae caeteris, tantum et in coelis obtinet gloriae singularis.* Ubi acute Bernardus ab excellentia dignitatis Maternitatis Dei ad sublime beatitudinis Marianae fastigium gradum facit.

1872. Verum enimvero hic parumper sistamus gradum. Cur cum Maria deliciis affluens coelum ingreditur, illud intonat Ecclesia ab Spiritu sancto erudita: *Intravit Iesus in quoddam castellum*? Grandis profecto Mariana beatitudinis exaggeratio, quasi ea sit Marianae gloriae magnitudo, ea Virgineae excellentiae granditas, ea demum dignitatis Maternitatis Dei latitudo, profunditas et altitudo, ut curiam coelestem ingrediens, haudquaquam Maria in gloriam ingredi, neque in beatitudinis gaudium excipi, sed tota Verbi divini gloria in Mariam ingredi dicatur, tota reclamante philosophia, quae docet, locum maiorem et capaciorem esse locato; ergo gloria maior debet esse omnibus ingredientibus in eam, praecipue cum gloria obiectiva sive obiectum beatitudinis sit ipse Deus; ideo evangelicus ille dominus talenta dispertiens iuxta uniuscuiusque capacitatem et merita remunerans, aiebat servo: *Intra in gaudium Domini tui.* Quae verba in nostrum gustum commentatur Doctor angelicus in Matth. cap. 25, his verbis: *Quare dicit: Intra in gaudium, non accipe? quia quod est in aliquo, continetur ab illo, et continens maius est. Quando ergo gaudium est de aliquo, quod minus est, quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum; sed Deus maior est corde, et ideo qui gaudet de Deo, intrat in gaudium.* Si ergo continens, maius est contento; cur cum Maria viatrix ovat, coelumque triumphans ingreditur, Ecclesia decantat: *Intravit Iesus in quoddam castellum?* id est Verbum divinum, omnigena Beatorum gloria, gaudium et beatitudo excipitur in Maria. Anne Virgo pudica maior Deo beante? Anne Mariani sinus, et recessus spatiosiores coelo? Anne Maria grandior beatitudine? Absit; illud tamen verissimum est, foeminam circumdedisse virum, illumque utero comprehendisse: quod autem sinu suo aliquid concludit et continet, maius est illo; ideo verissime exclamat Epiphanius: *O uterum coelo ampliorem!* Quia Deum sinu suo comprehendit, quem mente nemo, neque ipsa B. Virgo comprehendere potuit. Hinc tamen Marianae beatitudinis sublimitas supra omnium Beatorum visionem simul sumptam inclarescit. Huc spectat illud Genesis 28: *Viditque in somnis scalam*, etc. *et Dominum innixum scalae.* Chaldaeus habet: *Et gloria Domini stabat super eam.* Scitum est, Mariam vocari *Scalam Iacob.* Quid ergo uni B. Virgini tota Dei gloria incumbit? totaque coelorum beatitudo ipsi innititur ac sustentatur? Quasi e coelo sublata Maria, multum gloriae accidentalis in Beatis detraheretur. Nobis adstipulatur Dionysius Alexand.: *In sancto suo tabernaculo, non manu facto habitat, quod est Deipara Maria; in ipsa enim Rex gloriae factus intravit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.* A comprehensione uteri Virginei ad mentis tentionem, sive visionis Dei perfectionem ascendere possumus; non ita, ut B. Virgo Deum visione beatifica comprehendat, sed ut citra comprehensionem, et infra Deum Mariana beatitudo sit omnium nobilissima. *In hac* (scilicet Maria) ait Bernardus, serm. de B. Maria, *habitavit Pater et Filius ut Creator in mundo, imperator in regno, paterfamilias in domo, pontifex in templo, sponsus in thalamo; prius enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit.* Rem in compendium redigit Guarricus, serm. 1 de Assumpt., et ait: *Veni, electa mea: parum est, ut iudicanti consideas, nisi et ipsa mihi sedes fias, ut Maiestatem regnantis eo facilius, quo familiarius in Te contineas, et specialius prae caeteris Incomprehensibilem*

comprehendas: continuisti parvulum in gremio; continebis Immensum in animo: fuisti diverso rium peregrinantis, eris palatium regnantis: fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis in coelo: fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus regis coronati. O Fili Dei, nihil Tibi in illo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. En omnia summatim versat Guarricus, quae nos fusiori calamo exaravimus.

Ex dictis facile quaestionem illam decides; videlicet, utrum aliqua pura creatura potuerit maiori gloria beari, quam Virgo Deipara. Primo enim certum est, si sermo sit de absoluta Dei potentia, aliquam puram creaturam, vel etiam ipsammet Deiparam ad maiorem gloriam evehi posse; licet enim infinito gloriae lumine, quoad intensionem, tum et infinita beatitudine donata fuisset, aliud tamen lumen, et alia beatitudo magis infinita et perfectior quoad extensionem et intensionem dari posset; haec enim est possibilis, et de facto in Christo Domino reperitur, iuxta probabilem opinandi modum. Deinde certum reor, nullo modo decuisse, ut aliqua pura creatura maiori, vel aequali gloria bearetur, quam Virgo Deipara: quod innuunt Patres, Idiota lib. 6, tom. 3 Biblioth.: *Sanctorum omnium privilegia, o Virgo, omnia habes in Te congesta; nemo aequalis est Tibi, nemo maior Te, nisi Deus.* Et D. Anselmus, lib. de Concept. Virg., cap. 18: *Decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Si maior sub Deo puritas, nec sanctitas de lege ordinaria reperiri non potest, quam quae in Maria resplendet; ergo neque maior gloria, et beatitudo. S. Epiphanius in orat. de laudibus Virginis: *Solo Deo excepto, cunctis superior existit.* Eiusdem coloris sunt verba Andreae Cretensis, tract. de Assumpt.: *O Virgo, regina omnis humanae naturae, quae habes non comparabilem cum aliis appellationem, quae, excepto Deo solo, es omnibus altior.* S. Ildephonsus, serm. 2 de Assumpt.: *Sicut est incomparabile quod gessit, et ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile praemium gloriae, quod meruit.* Sed omnibus luculentius rem attigit Dionysius Carthus., lib. 1 de laudibus Virg., ubi haec habet: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta sua potentia ampliorem, nedum Virgini, sed aliis quoque praestare possit, sed nec decet, nec utique fiet. Sanctitate ergo Mariae maior sub creata Filii eius sanctitate intelligi, esseque nequit; tum quia neque in praesenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet, etiam quae in terris est. Incomprehensibilis enim, ut ait Ambrosius, incomprehensibiliter operabatur in Matre; tum quia ampliorem alicui impertiri neque decet, neque continget. Quoniam Mariae sanctitas quodammodo iuxta praeostensa, infinita est.* Ratio etiam huic thesi subsidiatur; Deus enim gratiam ac gloriam confert, servata personae dignitate, ipsique dignitati congruentem: cum autem certum sit, nullam sublimiorem dignitatem in puram creaturam conferri posse, quam sit dignitas Maternitatis Dei; ergo aeque exploratum est, inspecta Deiparae dignitate, reique decentia, ac congruentia, rationi dissentaneum esse, aliquam puram creaturam maiori gloria beari, quam Virginem Deiparam: ac proinde eam tantam gloriam nactam fuisse, quantam creaturae conditio patitur. Quod luculentius cunctis tradit Bernardus, serm. super *Signum magnum: Iure sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae Sapientiae, ultra quam dici non potest, penetravit abyssum, ut quantum creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur unita.*

CERTAMEN II.

Virgo Deipara specialem chorum constituit in coelis, omnibus Sanctorum choris superiorem.

1873. In coelo varios esse choros, sinus, sive mansiones docet Christus Dominus, cum ait: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Abraham forsan praesidet omnibus, qui in Lege veteri decesserant; et ideo vocatur *Pater credentium.* Quod autem per sinum Abrahae, coelestis beatitudo denotetur, docet Villalp. in 22 Ezechiel. Favet Ecclesia, cum in Officio D. Martini asserit: *Martinus Abrahae sinu laetus excipitur.* Et D. Chrysologus, serm. 124: *Est Abrahae sinus bonis omnibus ad requiem praeparatus.* Forte etiam Adamus recessum, et sinum distinctum facit, ubi excipit animas omnes, quae in Lege naturali salutem consecutae sunt. Apostoli etiam, et Religionum conditores, sinus et recessus habent, ubi suos clientes ac in Christo filios excipiant.

Cum autem Virginis Deiparae dignitas altioris sit ordinis, superetque famulorum statum, ad Matris dignitatem evecta, opus fuit etiam per seipsam chorum seorsim ab aliis distinctum constituere. Quod non obscure tradit Apostolus, I Cor. 15, sermonem attexens de diversitate gloriae, qua Beati fruuntur in coelis. *Alia,* inquit, *claritas solis,* id est Christi; *alia est claritas lunae,* id est Mariae; *alia est claritas stellarum,* id est reliquorum Beatorum. Scite ad nostrum intentum ait Bernardinus, tom. 3, ser. 3 de gloria Nominis Mariae, art. 2, cap. 1: *Certitudinaliter,* ait, *tenendum est, quod ipsa sit supra omnem puram creaturam in gloria exaltata, tanquam per se implens, et complens unum integrum, ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congrue non potest addi, quia nullatenus decet Filium Dei, nisi unam solam Matrem naturalem habere; sed ratio naturalis dictat ex gratuita lege, quod Mater Regis omnium est in sede regia super omnes ministrorum ordines collocanda.* Et Fulbertus Carnotensis ait, Virginem alloquens: *Tu in coelestibus regnis praelata es cunctis Virginum choris: Tu in illa Beatorum felicissima regia, primi ordinis dignitatem adepta.* S. Antoninus, 4 p., tit. 15, c. 20, § 15, ex Alberto Magno clare pro hac sententia militat. Plus, ait, distat Virgo B. a Seraphim, dignitate et gloria, quam Se-

raphim a Cherubim; sed Seraphim per dignitatis excellentiam, ordinem et chorum constituit superiorem a choro Cherubim; ergo Virgo B. chorum constituet super omnium Angelorum hierarchiam. Haec fere s. Antoninus. Gerson, tract. 4 super *Magnificat*: *Virgo*, ait, *sola constituit hierarchiam secundam sub Deo Trino et Uno, hierarcha primo et summo, apud quem hierarcham humanitas Filii sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei per unitatem suppositi.* Idipsum innuit Ecclesia, dum pangit: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum, ad coelestia regna.*

Sunt etiam qui arbitrentur, unum cum Christo Filio chorum constituere; quod innuit Ecclesia illis verbis: *Assumpta est Maria ad aethereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.* Et ratio esse potest, quia in universum docent theologi, et Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 21, sect. 4, beatos homines collocari in eisdem Angelorum choris, quia ad singulos ordines Angelorum plures assumuntur homines, iuxta uniuscuiusque merita pertinentia ad tales choros: at B. Virgo cum obtinuerit gratiam et gloriam omnibus superiorem, et spectaverit ad unionem hypostaticam, etiam cum eodem Christo chorum constituet. Quod dilucide docere visus est Augustinus de Assumpt.: *Tibi*, ait, *Domina, thronus Regis gloriae debetur, Te ipse Rex gloriae, ut matrem veram, et decoram sponsam prae omnibus diligens, amoris amplexu sociavit.* Idem habet Albertus Mag. super *Missus est;* et Petrus Damianus, ser. de Assumpt., ait: *Virgo ad Thronum Dei Patris evecta, et in ipsius Trinitatis sede reponitur.*

1874. Sed verius arbitror, Virginem Deiparam, licet ad eandem hierarchiam Christi spectet, inferiorem tamen aliquantulum thronum habere: cuius rei umbra praemittitur, III Reg. 2, in regio illo Salomonico throno, ubi ait sacer Textus: *Salomon sedit super thronum suum, positusque thronus matris regis, quae sedit ad dexteram eius.* Nempe aliquantulum in inferiori loco, ut bene expendit Bellarminus in illud Psal. 44: *Adstitit regina a dextris tuis. Adstitit*, ait ille, *sponsa tua, quae regina est, cum sit sponsa tua, a dextris tuis, id est, proxima tibi, et in loco summi honoris, infra regalem thronum.* Itaque, *neque in terris*, ait D. Bernardus, ser. 1 de Assumpt., *locus dignior uteri Virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, neque in coeli regali solio, in quo Mariam Filius sublimavit.* Regnat utique Maria a dextris Filii, quasi ex potiori loco, aliqualis praeeminentia a Filio ipsi superaddatur. Quod ut clarius fiat, audiendus sapientissimus Maldonatus explanans illud Psal.: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Ubi maioritatem aliquam super Patrem in ordine ad nos, his verbis acute proponit: *Quocirca sedere ad dexteram, non solum significat, Christum esse aequalem Patri, sed etiam maiorem, non quidem reipsa, sed quod attinet ad nos, ex functione officii, et administratione Ecclesiae. Neque enim iuxta Ioannem*, c. 5: *Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Eadem ratione Maria a dextris Filii sedere dicitur, quasi suprema illi auctoritas conferatur a Christo; ita ut audenter Petrus Damianus asseveret: *Accedis ad aureum divinae severitatis tribunal, non rogans, sed imperans; Domina, non ancilla.*

Huic elaborandae thesi praesto adest Guarricus, ser. 2 de Assump.: *Veni*, inquit, *electa mea, et ponam in te thronum meum. In te mihi quandam sedem regni constituam, de te iudicia decernam, per te preces audiam.* Et ser. 1 de Annunc.: *In ipsa quippe, et ex ipsa Sapientia aedificavit domum sibi, et in ipsa paravit sibi thronum, cum in ea, et ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum et congruum, ut et domus ei sit ad quiescendum, et thronus ad iudicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, et cathedra ad docendum.* Itaque eadem Virgo Deipara, quae in terris, instar tabernaculi fuit, ex quo Christus cataphractus prodivit, infernas phalanges debellaturus, et instar cathedrae, ex qua mundum instruxit, omniumque virtutum disciplina homines erudivit; modo in coelo thronus est ipsi Christo omnium virtutum maiestate et pulcritudine augustus, et decorus. Sed iuvat rem penitius inspicere, et ad pulveris theologici leges examinare.

In primis statuo, Marianum corpus iam beatum supra convexam coeli empyrei superficiem existere; quod de aliorum Beatorum corporibus censent plures Theologi: hoc tamen discrimine, quod corpus Virgineum inter reliqua Beatorum corpora, quae post iudicii diem, coelum conscendent, eminentius occupabit fastigium. Id de Christo Domino plures admittunt, et iuxta hunc sensum explicant illud Pauli: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, excelsior coelis factus.* Et de B. Virgine idem admittit Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 47, sect. 6, § *Septimo dicendum.* Quod innuere videtur Caietanus per illa verba: *In sphaerica superficie extima empyrei destinat partem quandam eminentiorem in fastigii, soliique formam summi Imperatoris Christi: reliqui autem situs Beatorum eo sunt propinquiores Christo, quo in gradibus gratiae ipsi sunt proximiores. Solium* enim *Christi*, et *Thronus* est Virgo Deipara, iuxta dicta. Innuit etiam Laurentius Iustinianus, ser. de Nativ. Mariae: *Non te repellet, qui nasci voluit ex Te, honoravit Te, requievit in Te, Teque collocavit apud se.* Cardin. Turrecremata in lib. contemp. adstipulatur: *O Maria maris Stella, Matris dignitate singularis, in supremo sita caeli, nos commenda tuae proli, ut tecum laetemur in gloria.* Gabriel Biel, lect. 32 super Canonem Missae, haec habet: *Ad thronum scilicet caelestem intemerata Virgo et Mater processit, atque in regni solio post Christum gloriosior residet sublimata.* Communis est etiam Patrum censio, situm, ac locum corporis Mariani in coelo Christo propinquiorem esse. Bernardus in deprecat. ad Virg.: *Tanta ante Deum foecundaris sanctitate, ut sola solio Regis aeter-*

ni immediate approximare merueris. Si ergo Christus Dominus summam superficiem convexam empyrei occupat, et B. Virgini est locus destinatus iuxta Filium; ergo Marianum corpus sub Christi pedes subsistit, ac instar throni Filio deservit.

Idcirco forsan Stephanus stantem vidit Christum in coelis; nondum enim Maria coelos conscenderat, adeoque thronus deerat Virgineus dignus tanta Christi maiestate: quippe throni angelici sufficere non poterant, ut vices subrogarent augustissimi throni Mariani. Differatur sessio tanti Regis, quousque Virgo Deipara caelos conscendat, ac solium, thronusque tanto Imperatore dignissimus ac capacissimus paretur. *Discipulis*, ait Guarricus, ser. 1 de Assumpt., *Dominus loquebatur; in generatione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes: Matri vero, cuius longe differens est meritum: Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum.* Hinc lux erit verbis illis Ecclesiae: *Quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Christus enim a coelo non continetur, auctore D. Thoma, 3 p., q. 31, art. 4: *Unde*, ait, *nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam coelestium corporum, et non esse in loco continenti.* Si ergo Christus in coelo tanquam in loco ambienti non est; ergo caeli Christum capere nequiverunt, quem tamen uterus Virgineus continuit, et ambivit, et modo in coelis tanquam Thronus et sedes illum continet. *Pacificus*, inquit Blesensis, ser. 28 de Assump., *noster, qui fecit utraque unum, usque ad B. Virginem thronum non habuit eburneum, id est, non insedit animae propositum virginitatis habenti usque ad Virginem, quasi super communem, et plebeium thronum sedebat plenus dierum.* Quasi omnes caelites, etiam ipsimet Seraphim sint vulgaris ac plebeius thronus ipsi Christo; sola Maria est solium ac thronus augustus, maiestatem halans, ex quo Christus Dominus sublimior et altior et augustior appareat.

1875. Exoritur ex dictis difficultas; si enim corpus Virgineum, et Christi sunt supra convexam coeli empyrei superficiem, qua ratione poterunt videri a reliquis Beatis, cum post diem iudicii corpora assument; siquidem utriusque corpora cum distent a corporibus Beatorum, et non sit medium interiectum, per quod possint species deferri; non apparet, quomodo oculi reliquorum Beatorum videant corpora Christi et Mariae, in quo praecipua corporis gloriosi beatitudine sita est. Deinde, quomodo Virgo Deipara corpora reliquorum Beatorum poterit videre, cum nullum sit medium interiectum, per quod deferantur species a corporibus beatis ad oculos Christi et B. Virginis; supponimus enim utrumque esse in spatio imaginario, per quod species traiici nullo modo possunt: male enim dices species illas multiplicari per vacuum; opus enim esset illas creari ac per se existere: quae miraculorum multiplicatio non est cur admittatur. Suarius respondet, obiectum illud caeleste immediate agere in sensus distantes, producens in illis species, quod, ut aliqui volunt, nativa vi efficere poterit, vel saltem ut elevatum. Qui operandi modus spectat ad corpus gloriosum, quod iuxta Paulum, I Cor. 15, spiritus proprietates ebibit. Quemadmodum ergo unus Angelus, vel anima separata suos manifestat conceptus alteri, et alloquitur cum illo, illius rei speciem imprimendo, quin distantia ulla obstet; sic etiam corpora gloriosa aliquo modo hanc possunt sortiri proprietatem et virtutem, ac proinde gloriosum corpus immutare poterit visum, ac proinde videri ad quamcunque distantiam, semel enim elevatum ad agendum sine dependentia a medio, eodem modo elevari poterit ad agendum independenter a propinquitate, vel distantia, ut videre est in locutione spirituum inter se: imo censeo Christum Dominum et B. Virginem videre nos oculis corporeis. Et quidem de Christo censent alii, et Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 47, sect. 6, § *Dices.* Propendet Scotus in 4, dist. 56, art. 6. Et quidem id negat Suarius cit., si generaliter de omnibus Beatis sit sermo: quia licet id sit possibile, non tamen spectat ad Beatorum statum, nec est perfectio ipsorum debita beatitudini: ad statum autem Christi spectat, videre oculis corporeis quodcunque obiectum visibile, ubicunque existat; quia participat eius humanitas, quatenus instrumentum Verbi divini quasi omnipotentiam Dei, et quia pertinet ad eius statum, videre etiam oculis corporeis quidquid in hoc mundo geritur; nec dedecet ullo modo Christum eiusmodi obiecta ad libitum conspicere, imo magis eius excellentiam et imperium adauget, nobisque operantibus maiorem reverentiam ac timorem incutit: cur ergo id Christo denegabimus? quae omnia a paritate, proportione servata, recte quadrant in Virginem Deiparam, quia participat eadem privilegia cum Filio, quae nullam obtendunt repugnantiam. In nos ergo filios, tanquam Mater pientissima oculos coniicit corporeos, praesertim dum auxilium illius exposcimus, maxime eos, qui singulariter ipsi Deiparae sunt addicti, et sub eius vexillo militant, qui sub eius umbra ac patrocinio degunt, quique in eius laudes decantandas, praedicandas, verbo ac scripto evulgandas, dies ac noctes insumunt. Si autem vestigaveris, quomodo visio illa corporea fieri possit; siquidem obiecta visibilia, quae in hoc orbe sunt, nequeunt imprimere species sui, Christi Domini aut B. Virginis oculis, saltem virtute naturali; respondeo cum Suario, id tripliciter accidere posse. Primo, si eleventur obiecta visibilia, ut illas eiaculentur usque ad oculos Christi et B. Virginis, quod fieri posse nemo ibit inficias: deinde, ita ut Christus supernaturaliter producat speciem in suis oculis, et B. Virginis: vel tertio, immediate eliciendo visionem sine ulla specie, in quo nulla apparet repugnantia, ut probat Suarius cit. Sed ex his tribus modis, secundus mihi magis arridet.

—

CERTAMEN III.

Beatis in coelo ex Virginis Deiparae praesentia et intuitione, maximum gaudium accrescit.

1876. Huic Certamini faustum dabit initium s. Bernardinus, tom. 1, ser. 61, art. 3, c. 2, ubi docet, multum gloriae accidentalis Beatis accrescere ex beatitudine aliorum ; unde unicuique Beato innumeri pene gaudii gradus obveniunt, eo quidem maiores, quo mutuo se diligunt Beati, ut docet idem Doctor: *Statuamus*, ait, *ex altera parte integraliter totum amorem, quem adinvicem habent Sancti, atque ex altera amorem, quo minor Beatus diligit B. Virginem: et credo, quod talis amor excedat omnem alium Beatorum simul sumptum, tam angelicum quam humanum, quo se invicem, vel alia quantumvis vehementissime diligunt.* Quod probat, quia quilibet Beatus clare scit, plus sibi a Virgine Deipara in ordine ad salutem aeternam fuisse praestitum, quam ab omnibus aliis Beatis simul sumptis. Deinde, quia plus doloris una B. Virgo perpessa est, quam omnis rationalis creatura pro quolibet Beato, quod illi non ignorant. Tertio, quia amor B. Virginis longe superat omnem Beatorum amorem inter se, sicut latior est peripheria, quam centrum; cum igitur amor ad redamandum impellat, fit ut amor B. Virginis, sui amorem longe maiorem in Beatis extorqueat, quam sit amor, quo mutuo se prosequuntur, vel omnia creata bona. Quarto, quia B. Virgo plus gaudet de gloria cuiuscunque Beati, quam omnes simul Beati de sua invicem beatitudine oblectentur, quo Beatorum amor plurimum intenditur, et exacuitur, ad similiter gaudendum de tanta Deiparae felicitate. Ex quibus sic infert s. Bernardinus : *Si igitur minimus Beatorum, qui est in regno coelorum, tantum a B. Virgine dilectus est, et tantum diligit eam; necessario sequitur, quod secundum mensuram utriusque dilectionis, gloria accidentalis in ea propter illos, et in illis propter illam multiplicetur.* Gaudium ergo de alterius beatitudine dimetiendum est ex quantitate amoris, quo unus Beatus alterum diligit, et ex quantitate boni, de quo oblectatio consurgit.

Certissime itaque inferri potest, vel cuiusque Beati quantumvis minimi gaudium, et oblectationem de B. Virginis beatitudine, si conferatur cum eo, quo omnes, simul comprehensores de sua felicitate collaetantur, longe excellentius, intensius, et nobilius esse primum gaudium, quam secundum : quia amor cuiusque Beati, licet minimi in Deiparam, eiusdemque Deiparae beatitudo gaudendi materiam administrans, excellentior, intensior ac nobilior est; recte igitur ait s. Bernardinus : *Omnis Beatus de gloria Virginis plus quam de propria iucundatur.* Non tamen adduci possum ut credam, sicut nonnemo apud Salazarium, in Cant. tom. post., cap. 1, num. 3 in Appendice, de Exposit. Hypermixtica, de B. Maria adstruit, videlicet Beatos, visis B. Virginis meritis ac beneficiis, quibus ipsos obaeratos esse plane cognoscunt, si per impossibile Virginem Deiparam ipsi beatitudine privatam viderent; ipsos aliquid ad essentialem sui beatitudinem conducens deperditurus. Equidem abnuo ab hoc placito : arbitror tamen, licet nihil gloriae essentialis, facta illa hypothesi, Beatos amissuros ; tamen accidens coniunctum valde cum essentia, scilicet delectatio de propria beatitudine magna ex parte deperderetur. Et ratio est, quia delectatio orta ex gloria B. Virginis, plus Beatum oblectat, quam gaudium ortum ex sua ipsius beatitudine; ergo deficiente delectatione orta ex gloria Deiparae, simul accidens proprium ipsius magna ex parte deficeret.

1877. Et ut ad rem redeam, B. Virgo maximum coelicolis iubar addit. Bernardus, serm. 1 de Assumpt., in haec mellita verba diffunditur : *Mariae praesentia totus illustratur orbis, adeo ut et ipsa coelestis patria clarius rutilet Virgineae lampadis irradiata fulgore.* Dionysius etiam Carthus., opusc. de vita solitaria, art. 29, Bernardo concinit: *In regno*, inquit, *caelorum Virginis praesentia, et adspectus ineffabiliter auget accidentale praemium Beatorum.* Et D. Bonaventura, opusc. de laudibus Virg., *Gloriosum gloriae Mariae privilegium est, quod post Deum maior nostra gloria, et maius nostrum gaudium ex Maria est. Gloriosum gloriae Mariae privilegium est, quod quidquid post Deum pulcrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.* Hucusque Bonaventura. Ideo assignatur a certaminum praefecto Deo, ob devictum Satanam, petulantes coercendo carnis assultus, concupiscentiae et ambitionis pravos inhibendo motus, participatio Marianae felicitatis in coelo ; sic enim habes Apoc. 2: *Et qui vicerit, dabo illi Stellam matutinam.* De qua ait Mayro de creatione animae Virginis : *Ista est illa Stella, quae unicuique promittitur, Apoc. 2 : Dabo stellam matutinam, quia omnes Sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant.* Grande sane praemium, et quidem tanta victoria dignum. Nec mirum videri debeat, ex praesentia Mariae in Beatorum curiam, gloriam ac gaudium maximum redundare; quippe B. Virgo indidit speculo Dei divinorum radiorum reflexionem. De resilientia, et resultantia splendoris specularis haec habet s. Thomas in 4, dist. 44, art. 1, q. 4 : *Quod speculo supposito directe radio solis non adsportat species corporis oppositi, non est propter hoc, quod impediatur receptio, sed quia impeditur reverberatio; oportet enim, ut forma in speculo appareat, quod fiat reverberatio ad aliquod corpus obscurum, et ideo plumbum vitro adiungitur in speculo.* Ante Virginem Deiparam radius Solis aeterni, ac lucis divinae candor ex Patre ad Filium, ex Patre et Filio ad Spiritum sanctum resiliebat, sed intra Deitatis terminos stagnabatur : verum cum Virgo Deipara beatur, ac Verbum divinum corpulentam ex Matre substantiam assumit, tunc Deus iam resplendet in Maria, radiique divinae lucis resiliunt, totamque Beatorum curiam novo ac intensiori splendore collustrant; imo radii Solis aeterni in nitidissimum

Mariae speculum vibrati multiplicem reflexionem pariunt ac beatitudinis fulgorem in Beatis adaugent, totumque coelum empyreum per resilientiam micantius beant, splendidiusque collustrant. Verissime de hoc Mariano speculo pronunciabis, quod de primo homine protulit s. Athanasius: *Ut in ea imagine* (scilicet hominis) *Patrem, Verbum, rationemque speculari possint. Unde cum communi affusam peccati maculam exterserit, et nihil nisi exemplar, quod ad imaginem Dei conditum est, purum servaverit, merito iam tum in eo, utpote in splendorem redacto, quasi in speculo contemplatur imaginem Dei.* Si haec de speculo primi hominis statim maculando, referente tamen et repraesentante Trinitatis imaginem affirmavit s. Doctor, quid affirmaret de speculo Mariano lucidius Deum exprimente, radiosque divinitatis reflectente?

Mirantur caelites, quod B. Virgo deliciis affluens coelum conscendat, et aiunt: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum?* Cant. 4. In occursu Beati omnes coelos ingressam Mariam consalutant, mutuis complexibus excipiunt, pedibusque obvoluti Marianis oscula imprimunt, ex quorum contactu eam percipiunt voluptatem, ut in admirationem acti, cum Israelitis manna degustantibus admirabundi, et adstupentes in illas voces irrumpant: *Manhu, quid est hoc?* quae voluptas haec Deitatis nectar redolens! quae dulcedo beatitudinis novae suavitatem praeseferens! Pari ratione, cum Maria in coelos assumitur, his oblectamentis circumfluit, quibus eucharisticus cibus, quem illud manna referebat; quasi ex B. Virginis attactu eadem suavitas resultaret, quae in homine sacram Eucharistiam in gratia assumente: ita praefatum locum expendit Hugo Cardinalis: *Assumptionem*, inquit, *in coelum de deserto mundi huius Angeli mirabantur in tantum, ut quaererent: Quae est ista? Nec est immorantis interrogatio, sed devote admirantis, mirae devotionis, iucundae gratulationis et gratissimae exultationis: eo modo, quo filii Israel de manna prae dulcedinis admiratione, quam invenerunt in ipso, dixerunt, Manhu; quid est hoc? et B. Matris Dei dulcedo inaestimabilis est: unde Ambrosius; Virgo veluti coelitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Haec tantum affluit deliciis, ut inde aliis abundanter effundat.* Nec mirum, si ex Marianae carnis attactu caelicolae tantum voluptatis percipiant, si ex carne Mariae desumpta est caro Christi, omnem in se continens suavitatem: eas delicias captant Beati ex praesentia Mariae, et Marianae carnis attactu, ut novae cuiusdam beatitudinis iucunditatem afferant, gaudia gaudiis accumulent, voluptatem voluptatibus adaugeant. Huc revoca illud Andreae Cretensis vocantis Mariam, *Perpetuam Angelorum choream.*

1878. Adhuc confirmari potest haec thesis sanctorum Patrum dictis. S. Petrus Damianus, serm. de Assumpt., haec habet: *Sublimis ista dies, et splendidiori sole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, et in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam angelicam sollicitat ad videndum.* Grandis Marianae gloriae exaggeratio: ea est Mariana gloria, quae naturam angelicam sollicitare queat ad videndum. De Deo ait D. Petrus, I Ep., c. 1: *In quem desiderant Angeli prospicere*, quia Deus est obiectum visionis beatificae, in quam amplius prospectandam desiderium acuit ac stimulat ipsa possessio. Ideo Isaiae 6, simul stare, ac volare pennis visuntur Seraphim, quia licet visione beatifica Deum nanciscuntur, ideoque stare cernuntur; quia tamen ex tentione, et possessione illa nullum ipsis fastidium subsequitur, volant praepeti penna, quasi novum desiderium amplius videndi Deum ipsa pariat possessio. *Seraphim*, ait Bernardus, *stant et volant intendentes se, et extendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt.* Quid ergo sibi vult purpuratus Pater, dum ait, Mariam sollicitare naturam angelicam ad videndam ipsam Virginem? Nisi quia in se Deitatem exprimens, Dei attributa pleno alveo ebibit; et qui in Deum, mentis obtutum defigere exambiunt, in Mariam etiam oculos intendere satagant. Certum est, B. Virginem non intrare obiectum visionis beatificae essentialis; tamen post Trinitatem propinquior et nobilior est Deitati, adeoque obiectum praestantius post Deum; ita ut asserat s. Hieronymus, de Assump. Virg.: *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quae dedit coelis gloriam, terris Deum, pacemque refudit.* Dispensatio et retributio gloriae, solius Dei est: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*, Psal. 83. Et tamen ait Hieronymus, Mariam coelis gloriam dedisse; scilicet, quia tota caelestis curia ex B. Virginis praesentia, et intuitu multum gloriae capessivit, iuxta Patrum dicta. Adsit Hugo Victorinus, lib. 3, tit. 125 de Assumpt. Virg.: *Felix dies, in qua Virgo virginum, Sancta sanctorum, misericordiae Mater assumitur, Paradisus deliciarum, Angelorum gloria ad regalis solii celsitudinem sublimatur.* Eleganter Anselmus, de excel. Virg., c. 8, hanc caelitum gloriam ex Mariano conspectu describit. *Dies*, inquit, *illa non solum Te, Domina, ineffabiliter sublimavit, sed coelum ipsum, quod penetrasti; necnon cuncta, quae in eo sunt, nova et ineffabili gloria decoravit: nova quidem caelum decoravit, quia priorem gloriam eius ex praesentia sui, ultra quam dici non potest, aut cogitari, magnificavit.* Quia in Beata Virgine Beati Trinitatis similitudinem, veluti in pellucido speculo expressissimam conspiciunt. Quae gloria, licet accidentalis, multum de primario obiecto participat. Itaque Virginea lampas solaribus radiis adiuncta, splendorem adauget: grandis facis Marianae fulgor et iubar, quae Deitatis splendoribus obiecta non obscuratur; imo promicans, lucem inaccessibilem exhilarat ac nova luce perfundit, Quod, ni me mea fallit opinio, subodoratus est discipulus ille, quem diligebat Iesus, Apoc. 12, dum ait: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole.* Grande prodigium: sed il-

lud maius, quod subinfert: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Itane stellae visuntur, cum sol in meridie suos radios eiaculatur? Nonne exoriente sole reliquorum syderum lumina absconduntur? Et quod magis mirere, sol iste, quo amicitur Maria, Christus est, teste Bernardo: at stellae, quibus redimitur, Marianae gloriae splendores. Quid ergo, cum Sol Christus gloriae suae radios evibrat, non solum Marianae gloriae splendor non obnubiletur, imo luceat et splendeat, novumque iubar emittat? hoc ergo grande prodigium apparet, quasi stellae scilicet in meridie conspicerentur.

1879. Verba illa Psal. 44: *Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis;* vel ex Chaldaeo, si mavis: *Faciem tuam mane quaerent.* Sed quid est, quod caelestes spiritus avide quaerunt et deprecantur B. Virginis faciem, cum iam Dei visione potiantur; et quod magis mirere, Beati omnes ante Assumptionem Deiparae queri dicuntur, quod Deipara tanto temporis intervallo post Ascensionem Filii in terris distineretur, si credimus Ildephonso, ser. 6 de Assumpt.: *Quam,* inquit, *Angeli desiderabant, et coelum ipsum de eius Ascensione querebatur.* Ac si diceret: si in coelo locus esset querelis, utique caelites de absentia B. Virginis quererentur, ac terrigenis inviderent, quod vultu Virgineo potirentur, quem ipsi avide videre satagebant. Nec mirum, quia gloria Deiparae dicitur Complementum gloriae omnium Beatorum. *Ego autem,* ait David Psal. 16, *satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Theodotion legit: *Satiabor, aut implebor, vel complebor, cum manifestabitur dextera tua.* Quod ad Virginem Deiparam protrahi potest, in qua exornanda fecit Deus potentiam in brachio suo, nempe dextro, quaeque a dextris Filii solium suum collocavit, iuxta illud Psal. 44: *Adstitit Regina a dextris tuis.* Itaque unusquisque caelitum cum Davide dicere poterat: Complebor cum apparuerit gloria tua. Cui sensui suffragatur Ildephonsus, ser. 2 de Assumpt.: *Laetitia,* inquit, *et gaudium, scilicet Beatorum procul dubio ex huius completur diei exultatione, quando B. Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis.* Sed quid miramur, si gloriae coelitum gloria Deiparae Complementum asseratur, cum sit eadem Virgo pluribus titulis, ut vidimus, Complementum Trinitatis? Vide Palaestram XXXI, Certam. 1, ubi fuso calamo thesim illam exenteravimus. Nihil ergo mirum, si protulerimus, B. Virginem esse Complementum gloriae ac beatitudinis caelicolarum.

Sed libet verborum illorum nucleum amplius eruere: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens?* Cant. 6. In quae verba in Matris festiva pompa ac triumphali in caelos ascensu caelestes insonuere chori, illisque verbis applaudunt; nullus autem Cherubim, aut Seraphim interrogantibus Angelis responsum praebuit, sed solus eius Filius respondet, ac interrogationi satisfacit, aiens: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Nunc animum intendamus ad admirandum Christi in coelum ingredientis triumphum, quomodo in admirationem acti Angeli disquirant, et rogitent: *Quis est iste Rex gloriae?* Psal. 23. Et iterum Isai. 63: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.* Non quod ignorent caelestes genii Christi ovantem esse triumphum, sed dum de ascendentis gloria perquirunt, amplius ipsius pulcritudinem depraedicant; animadversione tamen dignum est, quod dum alii spiritus de Christi gloria disquirunt, alii socii respondent, Ps. 63: *Dominus fortis et potens in praelio, Dominus virtutum.* At rogitantibus eisdem Angelis de gloria Mariana, deque eius excellentia et magnitudine, nemo responsum praebet, omnes alto silentio ora subsignant. Profecto Christi coelos ingredientis pompa, triumphus, ac gloria infinito intervallo excellentior et sublimior est, quam gloria Mariae; sed ut intelligamus Marianae gloriae immensitatem, sacer Scriptor responsum subticet, dum gloriae Marianae praestantia disquiritur, cum de gloria Christi sciscitantibus responsum praebetur. Sistamus hic verba Cardin. Petr. Damian., serm. de Assump.: *Ascensionem Filii et Matris Assumptionem simili stylo perambulans sacer Scriptor, ter interrogat: Quis iste est? et ter repetit: Quae est ista? Audit ab Angelis: Quis est iste Rex gloriae? Sed eisdem conclamationibus: Dominus virtutum ipse est Rex gloriae, caelorum insonuere palatia.* Supra autem praemiserat purpuratus Pater, B. Virgini coelos penetranti Filium cum tota curia coelesti occurrisse, eamque evexisse ad beatae sessionis consistorium, ac dixisse: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*

1880. Ut autem huius gloriae Marianae immensitatem amplius dignoscamus, mentis oculos intendamus in Deum splendidissima Ezechielis quadriga vectum, cuius coruscantibus splendoribus coelestia illa animalia non solum non perculsa perstringebantur; imo ulterioris visionis desiderio vultus multiplicasse visa sunt, oculosque amplius in Deum visum collimasse; sic enim habes Ezech. c. 1: *Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni,* etc. *Facies eorum extentae desuper, duae pennae singulorum iungebantur, et duae tegebant corpora eorum.* Ubi iam audis, facies extendisse, ac vultus quasi multiplicasse, ac oculos novitus intendisse, ut Deum triumphali curru gradientem ulterius inspiciant, ac contemplentur, non hic faciem contegunt animalia, uti apud Isai. 6, ubi coruscanti throno insidebat Deus Seraphinis stipatus cum senis alis: *Duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius.* Hic dubium suboritur; si apud Ezechielem et Isaiam idem Dominus maiestatem gloriae suae ac triumphum ostentat, cur Angeli primo loco facies multiplicant, oculos avidius intendunt, ut tenacius Deo videndo insistant; apud Isaiam autem, eadem animalia, ne Deum videant, pennis oculos obvelant propter micantem splendorem divini iubaris? Sed bene quidem est, quod se subtrahant a tanto fulgore; sed cur apud Ezechie-

em non idem praestant? anne, quia in Isaia apparet Dominus in throno sublimi, ex quo eiusmodi lucis radii prosiliebant, ut Seraphinorum oculi penitus perstringerentur, et in Deum mentis obtutus intendere nequirent? Nempe thronus ille adumbrabat Mariam, quam coelos ingredientem tantus divinitatis fulgor invasit, ut coelestes spiritus, vel ipsi etiam Seraphini tanta luce perstricti, oculos ad tantum iubar intendere non possent. Sisto hic Bernardum, ser. 1 de Assumpt.: *Mariae praesentia totus illustratur orbis, adeo ut et ipsa iam caelestis patria clarius rutilet Virgineae lampadis irradiata fulgore.* De hoc fulgore throni Mariani fatus Ildephonsus, serm. 2 de Assumpt., sic habet: *Thronus Beatissimae Virginis praeparatus ante mundi constitutionem, in die Assumptionis celsior glorificatur etiam ab Angelis; nec immerito, quoniam et ipsa facta est thronus Dei.* Quasi gloria Mariana novum coelicolis iubar addat, et ipsi Christo gloriae splendorem adaugeat; ita ut Seraphini gloriam Mariae coelos ingredientem depraedicari se impotes esse fateantur, ideoque pennis oculos contegunt: imo ipse Filius Dei, et Virginis Marianae gloriae fulgore irradiante oculos divinos quodammodo perstrictos lucis immensitate fatetur, si danda est fides Ambrosio, qui illa Sponsi verba, Cant. 6: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt*, ita commentatur in praesentem thesim: *Devotione nimia ac fide, possibilitatem naturae et conditionis propriae supergressa est, quia lucem inaccessibilem e regione intueri, est grave. Averte, ait, oculos tuos a me, eo quod plenitudinem dignitatis eius, et splendorem veri luminis sustinere non possit.* Equidem sponsam Mariam tanquam speculum pellucidum contemplabatur, quod lucem ac splendorem ab aeterno Sole acceptum, ita intensiorem ac vivaciorem, instar purissimi crystalli reddit, ut ipse sol Christus quodammodo ex reflexione ac reverberatione tantae lucis perstrictum se esse fateatur. Quem sensum amant verba illa Ambrosii: *Quia lucem inaccessibilem e regione intueri, est grave; ideo averte oculos tuos a me.* Quo nihil ad Marianam gloriam exaggerandam, vel illustrius, vel aptius dici potest.

1881. Tanta est iucunditas, et gaudium in conspicienda B. Virgine in patria regnante cum Filio, ut eius visio, eiusdemque pulcritudinis tum animae, tum corporis ita videntem bearet, ut damnatorum cruciatus absorberet. Ea erat et corporis et animi pulcritudo Mariana, iuxta magnum illum Theologum s. Dionysium Areopagitam, ut eam intuentem beare posset. Ait enim, epist. ad Paulum Apostolum: *Nisi tua divina doctrina me docuisset, o Deus, hanc verum Deum credidissem; quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quam felicitas, quam ego tunc felicissimus degustavi.* Profecto assertum audax, et ad defendendum difficile cuicunque Theologo, affirmare, Beatorum gaudium et oblectationem non videri maiorem gaudio hausto ex intuitione Mariae; et in id audet magnus Theologus? Ita quidem, et fortunato ausu: si enim, ut docent plures Theologi, homo clare intueretur visionem beatificam alterius, tametsi non esset beatus, nec comprehensor, multum tamen participaret gaudii et delectationis beatificae: in hunc ergo modum, in illo immenso gratiarum ac perfectionum pelago Virginis Deiparae hi divinitatis radii scintillabant, hae divinae essentiae scintillae coruscabant, ut audaci nisu dicat magnus Theologus Dionysius illum, qui pulcritudinem Marianam intueretur, licet non esset plene Beatus, futurum tamen participem maximi gaudii, et oblectationis Beatorum. Ludovicus Blosius in Append. cap. 2, quem sequitur Castro in vita Deiparae Hispano idiomate, lib. 2, cap. 9: *Ita*, ait, *Deiparae cor erat Deo imbibitum, ut, si aliquis cor Virgineum penitius posset introspicere, Deum ibi clare videret, prospectaret insuper generationem Filii, et Spiritus sancti processionem essentialiter.* S. Petrus Damianus, serm. 1 et 3 de Nativ. Beatae Mariae: *Virgo*, inquit, *tanto misericordior, quanto potentior, amore nos amans indicibili, quam post Deum videre summa sit gloria.* Giselbertus, lib. de altercatione Synagogae, et Ecclesiae, cap. 7 et 14, vocat, Mariam Angelorum gloriam; sed rem fusius et dilucidius declarat Dionysius Carthus., de laudibus gloriosae Virg. lib. 4, art. 17: *Quo in vita hac caro illa Virginea Deo altissimo singularius, familiarius et propinquius communicans, et coniuncta, eo est nunc de illo sublimius, exuberantiusque glorificata. O quis capere queat, qualiter modo splendeant ubera illa purissima, quae Regem gloriae aluerunt, et ex divini oris contactu assiduo honorabilissima erant facta? Sic et venter ille castissimus, in quo tot mensibus fons totius decoris, fons immensae dulcedinis, Deus maiestatis et claritatis, incircumscripte incarnatus quievit et habitavit; nonne inaestimabili claritate, decore, suavitate resplendet, et flagrat? Sic et pectus illud Virgineum ac maternum, iuxta quod Unigenitus Dei toties requievit, et quem pudicissima, affectuosissima ac honestissima Mater toties pectori suo cum summae charitatis ardore purissimo applicuit et adstrinxit. Sic demum manus eius eburneae, oculi syderei, labia eius dulcissima, et breviter singula membra excellentissimae Dominae ac Reginae indicibiliter glorificata, et omni suavitate ac venustate exuberantissime, incomprehensibiliterque perfusa, repleta et superimpleta. Quod facialiter intueri, sensibiliterque percipere, atque experimentaliter degustare iucundissimum prorsus est, et omnia gaudia mundi incomprehensibiliter vincens.*

1882. Dicta viam aperiunt ad quaestionem illam exagitandam, nempe, an facta hypothesi quod visio Dei clara esset impossibilis, tunc coelites per visionem Beatae Virginis, sufficienti praemio donarentur, respondente ad aequalitatem, ipsorum meritis. Aliqui apud Salazarium, tom. post. in Cant. c. 1, vers. 3, in appendice ad exposit. Hypermixticam, ausi sunt affirmare, Beatos omnes propter exantlatos labores in hac vita, ac perfectam praeceptorum observantiam,

aliaque virtutum opera praestita condigno praemio affectos arbitraturos, si ad solam B. Virginis claram visionem eveherentur, si per impossibile clara Dei visio repugnaret. Qui opinandi modus maiorem probabilitatis speciem praesefert in eorum sententia, qui asserunt ad meritorum condignitatem requiri Dei acceptationem, per quam compleri dicuntur; unde Deum ipsum semper ultra meritorum dignitatem Beatis praemia largiri, iuxta communem scholae proloquium: *Deus praemiat ultra condignum.* Tunc enim quod praemium excogitari posset aptius, et condignius iustorum meritis, quodve magis illis adaequaretur, quam clara B. Virginis in coelesti patria contemplatio, cum sit obiectum omnium rerum creatarum nobilissimum, perfectissimum ac maxime delectabile; si semel admiserimus, visionem Dei esse praemium supra dignitatem meritorum nostrorum.

Si vero sentiamus cum illis Doctoribus, qui arbitrantur, iustorum merita condigne promereri Dei claram visionem, inferri videtur, sola visione clara B. Virginis, non sufficienti ac condigno praemio afficiendos iri, cum nobilius ac longe excellentius praemium ipsorum meritis debeatur, nempe visio clara Dei; ergo quodcunque aliud praemium non esset ita sufficiens ac condignum, ut illis exaequari possit: ideo additur conditionalis illa, si per impossibile visio Dei esset impossibilis; data enim hac hypothesi, iam iustorum merita non essent condigna respectu visionis clarae Dei, siquidem haec condignitas dicit respectum ad praemium; ergo pereunte praemio, perit simul condignitas, quae formaliter sita erat in illo respectu. Remanerent ergo in eo casu eadem iustorum merita quoad substantiam, licet quoad condignitatem visionis clarae Dei, quae accidens quoddam est superadditum, immutarentur; tunc autem dicerent ordinem ad aliud praemium aequale, quod a Deo conferri posset: diximus vero nullum aliud condignius futurum, quam D. Virginis, eiusque excellentiae ac pulcritudinis contemplationem. Merita ergo iustorum ex se solum dicunt respectum ad praemium absolute, non ad hoc vel illud in individuo, sed ad quodcunque a Deo assignabile: quod praemium semel a Deo assignatum iam respicerent iustorum merita, ita ut illis ex condignitate conferri deberet.

Addiderim cum eodem Salazario cit., quidquid sit de condignitate meritorum, absolute pronunciari posse: sicut de facto inferorum tormentis addicti dignas suis sceleribus poenas luunt, etsi citra condignum puniantur; ita etiam si piorum merita, ac reproborum demerita inter se componere velimus, licet iustorum opera recte gesta per aeternam Virgineae pulcritudinis contemplationem in caelis infra condignitatem praemio donarentur, non tamen minus digne, nec minus praemii ipsis largiretur, quam poenae et supplicii infligitur damnatorum delictis ac demeritis.

CERTAMEN IV.

Aliquot dubia de gloria accidentali B. Virginis exagitantur.

1883. Primum dubium, utrum B. Virgo possit habere augmentum gloriae accidentalis. Gloriam accidentalem hic voco actus intellectus, et voluntatis, qui versantur circa aliqua obiecta creata delectabilia, nec necessario essentialem beatitudinem comitantur; imo ab illa secerni possunt, quales sunt revelationes factae extra Verbum, de effectibus gratiae; gaudia, et alii affectus delectabiles circa res sic cognitas, quale est gaudium de conversione, et poenitentia peccatoris, ac similiter de quocunque alio bono opere, de quo ait s. Augustinus, c. 27 Soliloq.: *Angeli congaudent gaudentibus de te; quoties bona agimus, gaudent Angeli.* In his ergo actibus gloria accidentalis reperitur, quia est extra essentiam beatitudinis, et quasi accidens quinti praedicabilis in ordine ad illam, quod ab omni proprietate differt, et contingenter solum essentiae beatitudinis, ipsiusque proprietatibus et dotibus accrescit. Constans est ergo apud Theologos sententia asserens, eiusmodi accidentalem gloriam augmentum recipere tam in Angelis, quam in reliquis Beatis; et desumitur ex verbis Christi Domini, Luc. 15: *Gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente;* et Matt. 18: *Plus homo de ove inventa gaudet, quam de nonaginta novem.* De eadem intelligendus Innocentius III in cap. *Cum Marthae, de celebrat. Miss.* § ultimo, ubi ait aliquos non reputare indignum, Sanctorum gloriam usque ad diem iudicii accrescere. Quod quidem augmentum non provenit ex novo merito, ut docuit Richardus in 2, dist. 10, art. 1, q. 1; Bonaventura, in 2, dist. 11, art. 2, q. 2. Nam cum sint in termino, non sunt in statu merendi. Videndus Suarius, lib. 6 de Angelis, c. 8, n. 7. Haec igitur nova accretio gloriae accidentalis provenit a novis revelationibus iucundis, quae novum gaudium Beatorum mentibus et voluntatibus ingerunt.

His positis, asserendum est, B. Virginem non posse novum gloriae augmentum facere accidentalis. Quia ideo Angeli et reliqui Beati crescunt in gloria accidentali, quia de novo vident novos effectus, et opera gratiae, quae ante revelationes sibi factas, non cognoscebantur ut futura; cum ergo novas in dies revelationes circa eiusmodi effectus accipiant, nova etiam gaudia succrescunt ex eorundem obiectorum cognitione, quia beatitudini praeexistenti aliquid gaudii de novo additur. Atqui B. Virgo omnia futura semper habet praesentia per scientiam visionis, ut vidimus Certamine primo huius Palaestrae; ergo nullum novum habere potest augmentum gloriae accidentalis. Quod admittit Suarius de Christo Domino, supra relatus n. 9. Et quidem eaedem rationes idipsum suadent de B. Virgine cum debita proportione; ac proinde de ea idem statuit ipse Suarius cit., secundum scientiam vero infusam, poterit admittere variationem obiectorum, quia illam scientiam non semper omnia illa obiecta actu considerat.

Secundum dubium, utrum sit fide sanctum, Virginem Deiparam corpore et animo in caelis iam beatitudine fuisse donatam. Non defuere olim, qui hac de re subdubitarent, ut Sophronius ser. de Assump., quem Usuardus et Adon assectantur, falso arbitrantes sermonem illum Sophronii D. Hieronymi. Gelasius item Papa reputat apocryphum librum de transitu Virginis, et alios qui asserunt, B. Virginem cum corpore glorioso caelos conscendisse: de quo Canisius, lib. 5 de Deipara, c. 5. Hoc tamen nihil obstat, quominus dicamus, Virginem Deiparam in corpore glorioso in coelis regnare; siquidem, quia in illis libris multa falsa cum veris misceantur, vel dubiae fidei, ideo Ecclesia libros illos tanquam apocryphos habendos esse decernit, dist. 5, Can. *Sanctae romanae Ecclesiae*; non tamen ideo negat aliqua vera esse, quae in illis afferuntur.

1884. Sed libet hic vestigare, qua nota nunc inuri debeat opposita sententia, nempe B. Virginem corpore et animo in caelis non esse usque modo beatam. Siquidem nullo sacrae Scripturae testimonio, nulla conciliorum definitione, aut Romani Pontificis sanctione nostra sententia constabilitur. Canisius, lib. 5 de Deip., c. 5, ait: *Qui Mariae corpus in coelum negant assumptum, nec patienter audiuntur, sed velut nimium contentiosi, aut prorsus temerarii, et haeretico magis, quam catholico spiritu imbuti homines passim exsibilentur.* Henriquez, lib. ult. de fine hominis, c. 10, ait haeresim sapere oppositam sententiam. Videantur Letmatius, lib. 9 de instaurat. Religionis, c. 14; Clictovaeus, ser. 4 de Assump.; Corduba, lib. 1, q. 17. Nec desunt sacrae Scripturae, testimonia hanc veritatem constabilientia, quale est illud Psal. 131: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Quae verba plures Patres de Christo Domino ac eius Genitrice interpretantur: Nicephorus, lib. 2 Hist. Eccles., c. 23; Glycas, p. 3 Annal. Vaticinatur ergo prophetа Christi Domini ac Matris corpus ad vitam post mortem postmodum revocandum. Psal. etiam 44, ait David de B. Virgine: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Ubi per hunc deauratum vestitum, Virgineae carnis immortalitatem a dextris Christi assidentem intelligit s. Athanasius, ser. de Deip.; Glycas, p. 3 Ann.; Amadeus, apud Canisium cit., ubi Canisius id probat ex lege divina: *Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Sicut ergo Christus Matrem, dum viveret, honoravit; sic etiam mortuam, dum corpus eius ad immortalitatem evexit. Haec igitur est universalis Ecclesiae opinio, Doctorumque, ac Patrum communis consensio, et licet nulla expresse exstet Ecclesiae definitio, tamen si quispiam aliud sentire, vel asserere auderet, temeritatis minimum, errorisque notam non effugeret. De quo videndus Augustinus, ser. de Assump. incipiente: *Quia profundissime*, et in alio incipiente: *Adest nobis, dilectissimi.* Probat etiam Arnoldus Albertinus in Assertionibus catholicis de B. Virgine Maria, ex cap. *Alma mater*, § *In festivitatibus*, de sententia excommunicationis in 6; et ex cap. *Pronunciandum*, in verbo *Assumptio, de consecrat.*, dist. 3; in his enim, etsi nihil certe statueret sacra Scriptura, mos populi Dei et instituta maiorum traditio tenenda sunt, cap. *In his rebus*, 11 dist. Et in re dubia omnino praevalere debet constans Ecclesiae catholicae auctoritas et consuetudo, c. *Palam*, 11 dist., ubi enim lex deficit, ad loci consuetudinem recurrendum est, c. *de quibus*, iuncta Glossa, 20 dist., ut in simili docet Suarius t. 2 in 3 p., disp. 3, sect. 1; Vasquius ibidem, disp. 114, c. 2 de eo, qui negaret, B. Virginem in utero Matris fuisse sanctificatam: imo sine periculo haeresis affirmari posset, totam Ecclesiam errare, dum festum celebrat Assumptionis, non solum animae, sed et corporis.

S. Augustinus, ser. de Assump., multus est in probanda immortalitate B. Virginis quoad corpus; concludit autem his verbis, quae ibidem serit: *Si elegit divina voluntas, sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum puerorum corpora servare illaesa, verum etiam vestimenta servare inusta; cur abnuet in Matre propria quod elegit in veste alienae? Ionam servare in ventre ceti praeter naturalem usum voluit incorruptum sola misericordia: Mariam incorruptam praeter naturam non servabit gratia? Servatus est Daniel datus intemperantissimae fami leonum; non servanda est Maria tantis donata meritis dignitatum? Haec cuncta, quae diximus, quia naturam servantia non cognoscimus, in Mariae integritate plus potuisse gratiam, quam naturam, non dubitamus. Divinitatis enim opera sunt quae dicimus, et ideo possibilia, quia omnipotentia.* Hucusque Augustinus. Verum tamen est, Ecclesiam nihil hac de re statuisse, nec Apostolos aliquid de fide tradidisse. Multa tamen sunt, quae in Ecclesia temporis decursu accepta sunt, communi omnium Doctorum suffragio, quae ab initio non sunt tradita, neque definita: ideo Ecclesia tanquam aurora consurgere dicitur, quae crescit in dies, veritatum splendore coruscans usque ad perfectum diem. Praeterea aliqua tanquam certa fidei dogmata fidelibus credenda proponit. Alia tacito fidelium consensu, ac usu Ecclesiae fulta, vim legis obtinent, ita ut si quispiam illis contradicat, plus quam temerarius habeatur. Alia denique, quae ritu, cultuque publico celebranda proponit, tanquam pia et probabilia, quia ab omnibus fere Doctoribus approbantur, ac communi fidelium consensu amplectuntur. Secundi ac tertii generis est sententia, quae adstruit, Deiparam non solum animam, sed etiam corpore in coelos evectam, iuxta Canisium, lib. 5 de Deip., c. 5, § *Verum inquiet.*

1885. In quam rem stabiliendam accipe lucidissimum symbolum; cur Iosue non solum solem, sed etiam noctis praesidem lunam sistere iussit, cum sol sufficeret, ne praeliantes tenebris praepedirentur? nonne solares radii nocturnam caliginem dispellerent? imo splendente sole, lunae fulgor promicare non potest: ergo supervacanee luna motum cohibere iubetur. Aliqui respondent ex eo id factum, ne quid incon-

gruo luminarium motu per unius quietem, et alterius cursum destrueretur. Equidem existimarem laborem dierum et noctium divisum esse inter solem et lunam, haec noctis imperium tenet, ille diei regimen agit: aequum enim erat, ut qui pariter labori ac regimini orbis incumberent, ac irrequieto motu, ac gyrationibus agitarentur, simul etiam feriarentur; et utrique quiescendi induciae concederentur. Iugem igitur motum intercipiat sol, aliquantisper quiescat, sed simul etiam otietur luna, motum fraenet, quieti vacet. Merito ergo luna, quae dimidium oneris et laboris sustinet, nocti praesidens stare iubetur, et a labore cessare tantisper; nec enim solem huius mundi rectorem decebat lunam ad onus laboris, ac iugis motus comitem adsciscere, nec in consortium otii et quietis admittere. Multo minus decuit iustitiae solem Christum Dominum ad beatas coelorum sedes scandere, si lunam pulcherrimam Mariam, quam iugem comitem laborum, ac peregrinationum sociam semper habuit, in beatitudinis requiem non admitteret, et corpore et animo in coelos conscendentem non bearet.

Tertio sciscitaberis, quoto post obitum die in coelum assumptum fuerit Virginis Deiparae corpus, nam Ioannes Beleth in rationali divinorum Officiorum, c. 147, refert revelationem quandam factam cuidam Elisabethae, quod circiter dies quadraginta assumptum fuerit corpus post assumptionem animae. Rursus Caesarius aliam similem revelationem scribit factam cuidam Bertranmo monacho: ex qua revelatione putat Baronius addita fuisse a nonnemine illa verba in Martyrologio Bedae, die 23 septembris: *Nono kalendas octobris, secunda assumptio sanctae Mariae Virginis.* Petrus de Natalibus, lib. 7, c. 65, hanc revelationem autumat factam B. Elisabethae de Sconaugia. S. Antoninus eam accommodat s. Elisabethae filiae Regis Hungariae. Et quod magis mirum videri debet, in revelationibus s. Birgittae, lib. 7, c. 27, fertur a Deo fuisse ipsi revelatum, corpus Deiparae per quindecim dies in monumento iacuisse, quibus transactis, animae unitum coelos penetrasse. Unanimi tamen Doctorum sensu, ac totius Ecclesiae consensu certum videri debet, corpus inanime Deiparae, post triduum, animae fuisse unitum, sicque Deiparam redivivam coelos penetrasse, ubi ad dextram Filii sedem habet: ita Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 21, sect. 2; Azorius, t. 2 Institut. mor., lib. 1, c. 31; Spinellus, c. 12; neque enim aliqua ratio apparet huius in sepulcro detentionis.

Quarto rogabis, num Angelis innixa Virgo Deipara coelos ascenderit; id enim innuere videntur pictorum imagines, quae Angelorum manibus evectam proponunt. Respondeo, nequaquam Angelorum fulcimento indiguisse, ut coelos penetraret, cum non solum agilitas corporis iam beati Virginis Mariae, sed nec cuiuslibet alterius Beati, indigeat alterius auxilio, vel Angelorum ope, ut brevi temporis intervallo a terris in coelum evolet. Bene quidem, quod Elias igneo curru flammantium equorum ductatur; Enoch vero et Abacuc auxilio Angelorum indiguerint; illi, ut in Paradisum terrestrem transferrentur; hic, ut in Babylonem Danieli prandium adsportaret; nimirum adhuc mortali in corpore ducebantur: at corpus beatitate donatum his fulcris opus non habet, sed propria agilitate vectatur. Si vero instes, cur ergo Christi in coelos ascendentis festivitas sub nomine Ascensionis celebretur, at B. Virginis in coelum ascensus Assumptionis vocabulo nuncupetur; nulla enim alia causa exhiberi potest, nisi quod Christus Dominus propria virtute, at vero B. Virgo virtute aliena in coelum ascenderit. Verum respondeo, Christum etiam dici in coelum assumptum, Marci c. ult.: *Assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei*; et Act. cap. 1: *Usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* Potuit ergo Christi ascensio, assumptio vocari, quod licet nomen alienam opem significare videatur, id tamen non semper significat; assumptus est enim Christus in coelum propria vi, assumpta quoque B. Virgo corporis gloriosi agilitate: sed tamen Christi triumphus coelum ingredientis ascensio dicitur; at B. Virginis, assumptio: non quod Christus propria vi ascenderit, Maria aliena indiguerit, sed causa discriminis est ut innuatur, Christum utpote Deum connaturali virtute conscendisse, Mariam autem ut puram creaturam, cui *ut sic* non est connaturalis illa vis, dicitur assumpta. Angeli vero, quos nobis imagines depictae exhibent, non illam evehunt, sed tanquam famuli eam comitantur. Aliam Certamine sequenti exhibebimus rationem.

1886. Tertium dubium, an B. Virgo in coelis splendeat laureola. Respondeo, multiplici exornari laureola: et quidem de laureolis Doctricis et Martyris, memini me suo loco dixisse: laureolam autem excellentissimae virginitatis, quantumvis rebellione carnis penitus caruerit, esse Deiparae concedendam, docet Suarius, t. 2 in 3 p., disp. 2, sect. 4; Salas in 1 2, tract. 2, disp. 8, sect. 3; Martinus de Magistris, q. 4 de temperantia, § *Quaeritur*; Dionysius Carthus., opusc. de laudib. Virg., art. ult. Quid autem requiratur ad laureolas eiusmodi, sive Virginis, sive Martyris, sive Doctoris, vide apud Salas cit. sect. 3 initio; Henriquez, lib. ult. de fine hominis, c. 10; Castro de vita Virg. Hisp. idiomate, lib. 2, c. 14, ait collatam fuisse B. Virgini laureolam quandam praeexcellentem eminentiori quodam modo in se continentem laureolas illas tres, quae communiter admittuntur in martyribus, Doctoribus ac Virginibus. Haec siquidem dona longe perfectiori modo Virgo Deipara continebat. Addo cum Suario cit. et Salas cit. ob munus Maternitatis Dei, exornari singulari quodam splendore ac iubare, quod omni sit perfectius laureola, et altioris ordinis; qui etiam splendor singularissimus sit, veluti quoddam insigne regiae ipsius dignitatis, ac principatus et dominii in omnes Beatos: ita Bonaventura in spec. B. Virg., c. 6.

Quartum dubium, an corpus Marianum bea-

tum plus in coelo lucis emittat, quam omnia Beatorum corpora simul sumpta emittent, cum ibi aderint. In qua re certum est imprimis, lucem et claritatem corporum beatorum inaequalem exstituram, iuxta uniuscuiusque meritum, ut habet communis Doctorum sensus apud Suarium, tom. 2 in 3 p., d. 48, sect. 2, § *Illud vero*. Certum etiam est cum eodem, in corpore Christi intensiorem esse lucem, quam in corpore B. Virginis, et in omnibus aliis, licet in unum coadunentur. Ratio est, quia id debetur humanitati, quae Verbo divino per unionem hypostaticam copulatur: sicut enim maior lux animae et intellectui Christi Domini debetur, et maior gloria accidentalis omnibus aliis Beatis simul sumptis debita erit; ergo et maior splendor corporeus. Ad eum modum, proportione servata, dirimenda est praesens quaestio: intensior igitur lux inest corpori Mariano, quam omnibus aliis Beatorum corporibus, quando existent in caelis, etiam simul sumptis. Primo quia id debitum est Dei Genitricis dignitati et decoramento. Deinde quemadmodum maiori gratiae et merito maior gloria et praemium debetur, ita maiori gloriae essentiali maius praemium accidentale correspondet; sed uni Mariae maius meritum, et gloria essentialis fuit collata, quam omnibus aliis Beatis simul sumptis; ergo et maius praemium accidentale lucis, et claritatis in corpore, quae ex claritate et luce interiori animae dimetienda est. Quod vero haec lux sit alterius speciei cum luce solis, valde probabile est; imo et lux corporis Virginei cum luce aliorum corporum beatorum. Videndus Suarius cit., § *Quapropter*.

CERTAMEN V.

Disquirit ubinam corpus Marianum resurrexerit, in sepulcro, vel in coelis.

1887. Communis Doctorum sensus supponit potius, quam probat, Virginem Deiparam in sepulcro, e caelis anima descendente, suscitatam fuisse die tertia post obitum, divina virtute. Id ita contestantur plures Patres, D. Thomas, opuscu. 8: *Credimus*, ait, *quod post mortem Maria resuscitata fuerit, et in coelum deportata*. Bernardus, serm. 1 de Assumpt. Michael Glycas: *Nam et ipsa de sepulcro resurrexit prorsus ut Filius eius*, ita habet p. 3 Ann. D. Antoninus, 4 p. sum., tit. 15; Albertus Magnus; Hugo Victorinus. Iterum D. Bernardus, ser. de verbis Apoc., aperte pronunciat Virginem gloriosam coelos ascendisse; et Clictovaeus, ser. 4 de Assumpt. Alii contendunt corpus Marianum ab Angelis evectum in coelum, ibique unionem ad animam reassumpsisse. Ex modernis aliqui in hanc sententiam abiere, inter quos Costerus e nostra Societate, perspicue hanc sententiam tuetur, meditat. 34 de Assumpt. B. Mariae, ubi ita scribit: *Considera secundo, elapso triduo, sacrum corpus Mariae, iussu Filii, ab Angelis maxima celebritate, ac reverentia ex sepulcro in coelos transferri, in quod anima beatissima, virtute divina ingressa, novo splendore, et corpus et universum coelum empyreum illustravit.* Ex antiquis Amadeus Lausanensis Episcopus, hom. 7 de Virgine Matre, huic sententiae adstipulari videtur, ait enim: *Maria prima post Deum super omnes caeligenas in sede gloriae collocatur; ibi resumpta carnis substantia, et duplici stola induta, Deum et hominem in utraque natura quanto caeteris clarius, tanto ardentius universis mentis et carnis oculis contemplatur*. Ubi affirmat, in coelis animam cum corpore fuisse unitam. In hunc sensum adduci possunt aliqui ex Patribus asserentibus, corpus Deiparae a sepulcro in coelos esse translatum; inter quos Metaphrastes in orat. de dormit. Deiparae, haec habet: *Hinc ad sacratissimum abducitur Gethsemani, et illic sanctissimum corpus mandatur sepulturae. Quidni enim, cum etiam qui erat Deus eius Filius, more hominum sepelitur, per ipsum autem ad coelestia et divina transmittitur tabernacula*? Et Andreas Cretensis, hom. 2 in Assump.: *Plaude, terra, prosequere laudibus, narra quae sunt gloriosae Virginis partus, fascias, sepulcri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo translata*. Et paullo inferius: *Hi sunt hymni, et laudationes, quae celebrantur in decessu. Haec quae ante, et post sepulturam fiunt monimenta ad prosequendam eam, quae plane ignoratur, translationem*. Luculentius s. Damascenus, serm. de dormit. Deiparae: *Corpus sacrum et sanctum, relictis sindonibus, cum me impertiisset sanctificatione et unguento, bonoque odore replevisset, et templum divinum effecisset, abiit raptum sublime, comitantibus Angelis, et coelestibus omnibus* etc. *Postquam e vivis excessit, intemeratum eius, et impollutum corpus honoravit Deus translatione ante communem et universam Resurrectionem*. Expendenda horum Patrum verba de B. Virginis corpore e sepulcro educto; consulto enim, et data opera a Resurrectionis nomine abstinuerunt: solum aiunt, e sepulcro in coelos fuisse translatum, vel transmissum, vel quid simile: at transferri, rapi, transmitti, non utique corpori glorioso aptari solent.

Sunt etiam ad huius sententiae probabilitatem plenius roborandam non contemnendae rationes. Prima desumitur ex vario loquendi modo Ecclesiae de Christi Domini in coelos ascensu, et de B. Virginis assumptione: in ascensu enim Christi gloriosi corporis animati, iam ac quatuor gloriae dotibus praediti, ostenditur virtus et agilitas, qua aera et coelos usque penetrare possit, et quidem propria virtute, ut per se patet. Quod quidem agilitatis privilegium corpori Virgineo in assumptione defuisse universalis Ecclesia supponere videtur, dum Virginem Mariam non propria virtute ad coelos conscendisse testatur, sed assumptam ab Angelis: ideoque Christi in coelum triumphum, nomine ascensionis activae; at Virginis Mariae sub nomine Assumptionis passivae concelebrat. Quod discrimen mente versabat s. Petrus Damianus, in ser. huius festi: *Intuere*, inquit, *mentalibus oculis Filium ascendentem, et Matrem assumptam, et videbis aliquid excellentius in Ascen-*

sione Filii exhiberi, et aliquid gloriosius in Assumptione B. Virginis demonstrari.

Huic tamen primae rationi recte occurrit Suarius, tom. 2 in 3 p., disp. 21, sect. 2, ac contrariam sententiam firmat; ait itaque illud in hoc mysterio advertendum propter Assumptionis nomen, et propter vulgarem picturam, qua depingitur Maria quasi angelico ministerio, et virtute in coelum elevata, non esse hoc ita intelligendum, ac si B. Virgo illorum opera ad ascendendum indigeret; propria enim virtute, quae omnibus Beatorum corporibus communis est, ascendere poterat. Dicitur ergo ab Angelis assumpta, quia honoris causa, eam comitabantur, et magis dicitur assumi, quam ascendere, quia illa virtus simpliciter non erat connaturalis personae, sicut fuit Christo; ac praeterea etiam magis proprie dicitur Assumptio de corpore, quam de solo spiritu, quia spiritus non tantum gloriosa, sed etiam propria et naturali virtute ascendere potest. Ex eo ergo, ait Suarius, B. Mariae in coelos ascensus, Assumptio est nuncupanda, quia licet corpus Virgineum animae beatae unitum, dotibusque coelestibus instructum affulgeret, nullo Angelorum ministerio egeret, ut astra conscenderet; id enim agilitatis, subtilitatisque dote sine extero adminiculo praestare poterat: quia tamen eiusmodi dotes ex peculiari privilegio, Mariano corpori ante communem hominum anastasim, collatae fuerunt ex Christi merito; ideo dicitur Maria in coelos assumi, non nativa vi sibi connaturali sicut Christo, sed ex speciali ipsius Christi privilegio tempora antevertentis, ut Parens carissima, et corpore et animo beata, splendidissimo iubare Beatos omnes exhilararet. Scite in hanc rem s. Petrus Damianus, ser. 41 de Assumpt.: *Ascendit Salvator in coelum potestativae virtutis imperio, sicut Dominus, et Creator Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in coelum, sed gratiae sublevantis iudicio, comitantibus, et auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura.* In cuius rei confirmationem recte Christus in ipso sepulcro victor surrexit, ut maior victoria ipsi decantaretur; nec existimaret aliquis, aliorsum Christi corpori ab extrinseco aliquo, vitam advenisse, priusque monumentum sacrum cadaver reddidisse, quam viveret: peragitur ergo resurrectio in ipso sepulcro, ut ab intrinseco et a propria virtute, non ab extera vitam derivari sacro cadaveri intelligeremus: idcirco clausum, obsignatumque mansit sepulcrum, quousque resurrectio peracta fuit; ut nulla posset esse suspicio, vitam Christi corpori ab extrinseca alia virtute contigisse. Verum Marianum corpus, quia non propria virtute tam celeri resurrectione in vitam consurgit immortalem, sed a Dei virtute et a Filii meritis; non opus fuit, ut intra monumentum vitam hauriat, et resurgat, sed cadaver depositum, Angelorum ope coelo inferatur, ibique resurrectio peragatur, ne quis carnem Virgineam ab innata et propria virtute tam celeri et inopina resurrectione vitam hausisse arbitraretur.

1888. Secunda ratio, qua probant suam sententiam huius factionis patroni, illa est, quia ita decuit, vt scilicet Regina coeli non in sepulcrum descenderet, carnem resumptura, sed ibi illam expectaret; siquidem reginae nunquam nisi in cubiculis regiis, sive conclavibus vestes assumunt, sibique induunt eas. Quo respexisse videtur David, Psal. 44: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato;* scilicet in corpore glorioso, iuxta expositionem s. Athanasii. Et firmatur, quia B. Virgo sine mutatione loci, Deo suam carnem largita est in terra manens; ergo in coelo existens, sine mutatione loci, carnem sibi induit, quin ad terras descenderet. Quod recte expendebat s. Epiphanius, orat. in Assump.: *Laetabantur Angeli tanquam ipsi dumtaxat Deum haberent, quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in coelis, concepit in terra.* Quid mirum, si Angeli in coelis degentes Deum tenerent? illud longe mirabilius in B. Virgine, quod terras incolens Deum suis clauderet visceribus.

Obiectabit aliquis: Christi D. resurrectio in ipso fuit peracta sepulcro; ergo et resurrectio B. Virginis, quae omnino similis fuit Filio. Negat contraria sententia consequentiam; sicut enim prima hominum formatio extra paradisum patrata fuit, formatio vero Evae ex costa Adami paradisum incolentis perficitur; ad eundem modum secundus Adamus Christus Dominus in sepulcro carnem reassumpsit ad vitam immortalem, iamque coelorum paradisum tenens adstat a dextris felicissima B. Virginis anima; ibi nova, ac felicior Eva, carnem suam pulcherrimam ac lucidissimam sibi per resurrectionem adaptat, ac induit. Quod belle meditatus fuit s. Damascenus: *Portatur autem corpus Mariae manibus Apostolorum, Rege regum id tegente splendore suae, quae sub adspectum non cadit, Divinitatis, et emittente, et sacrificante sacrificium laudis, donec in sepulcro, tanquam in thalamo, et per ipsum in deliciis Eden, et in coelestibus repositum fuit tabernaculis.* Expende verba illa, *In deliciis Eden,* scilicet paradisi: sicut ergo Eva in paradiso formatur, ita Maria in coelis fuit ad vitam immortalem regenerata. Loquitur ergo s. Doctor de corpore exanimi, et de eo eodem modo loquitur, cum ab Apostolis in sepulcrum vectatur, et cum ab Angelis in coelum transfertur: sicut ergo ab Apostolis nudum cadaver adsportatur in sepulcrum reponendum, ita ab Angelis in coelum evehitur resuscitandum.

Tertia ratio: negat communis Theologorum sententia, Christum Dominum ac B. Virginem e coelis in terras reapse descendisse, ut aliquibus appararent; illas vero apparitiones per Angelos speciem Christi ac Mariae praeseferentes factas fuisse dicunt; non enim decebat B. Virginem ita frequenter coelos deserere; quod autem in utroque loco existat, esset plura multiplicare miracula sine sufficienti fundamento: unde ministerio Angelorum fieri praefatas apparitiones dicendum est regulariter; forsan tamen alicui ex peculiari et specialissima benevolentia in propria persona B. Virginem appa-

ruisse credibile est, ut cum B. Ildephonso sacerdotalem vestem attulit, et B. Iacobo apud Hispanos adhuc in vivis agens apparuisse creditur. Videndus Suarius, lib. 6 de Angel., c. 21, n. 23; ergo neque concedi debet, B. Virginem coelestem patriam, neque ad tempus deseruisse, ut corpori uniretur, praesertim cum nullum, nec leve inconveniens in eo appareat, quod Angeli corpus Virgineum in coelum transferrent, ut ibi cum anima in vitam immortalem copularetur.

Ulterius addo, sententiam affirmantem, Deiparam in caelo corpori unitam, non in sepulcro, expresse sustinere s. Gregorium Thaumat., lib. 1 de miraculis, cap. 4, ubi his verbis Marianam anastasim describit: *Cum audissent Apostoli, quia Maria assumenda esset de mundo, vigilabant cum ea simul; et ecce Dominus Iesus advenit cum Angelis suis, et accipiens animam eius, tradidit Michaeli Archangelo, et recessit: diluculo autem levaverunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum, adventum Domini praestolantes: et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube, deferri iussit in Paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis eius exultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.* Ubi dilucide sensum hunc amplexus est. Quod etiam pepigit Mantuanus, lib. 3 Parthenicae:

> . . . . Imperio post tempore parvo
> Ablutum Iordanis aquis, terraeque resecto
> Pondere, et ardenti vestitum luce, nihilque
> Iam mortale tenens, celeresque in sydera Divi
> Tollentes, iterum menti imposuere Beatae.

Ubi Angeli dicuntur tulisse corpus Marianum e sepulcro, et lavisse Iordanis aquis, et a terrae gravedine perpurgasse, illudque in coelum transtulisse, ubi sanctissimae ac iam beatae animae iterum unione copulatum fuit; ac proinde in coelis Mariae anastasim, non in monumento fuisse peractam. Huic opinandi modo inservire potest translationis festivitas a Salomone instituta dilectae suae Pharaonis filiae, lib. 2 Paralip., c. 8, ubi sacer Textus ita habet: *Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum, quam aedificaverat.* In qua translatione existimat Albertus Magnus adumbratam Deiparae translationem in coelum. Unde ait, ser. 31 de Sanctis, qui est primus de Assumpt.: *Igitur verus Salomon, videlicet Dei Filius, transtulit hodie B. Mariam sororem suam, Matrem, et sponsam de civitate David, hoc est de Ecclesia militante, in domum speciosissimam, quietissimam, ac eminentissimam, utpote super omnes Angelorum ordines fabricatam.* Et praeter Patres supra adductos pro hac sententia, alii videri possunt apud Canisium, lib. 5 de Deip., cap. 5, in quorum testimoniis innuitur Resurrectio Mariani corporis in coelis facta, quia utuntur verbo *transferri*, et *transponi*, quae solius corporis assumptionem innuunt, ut in coelis resurgeret. Haec sunt momenta, quae hanc partem satis probabilem statuunt; nisi communis Patrum consensus contrariam sententiam amplecteretur, cui subscribo libenter, praesertim cum Patres in oppositum sensum adducti, vel inviti trahuntur in illum sensum, vel saltem aperte illam sententiam non statuant. Rationes autem nihil evincunt, quae solum ex congruentia quadam petuntur, et facile denegari possunt.

1889. Verbum autem *transferri*, non semper intelligitur de corpore, sed de toto homine, ut patet Eccles. 44: *Enoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum.* Et de Elia raptum esse in coelum per turbinem; unde Tertullianus, lib. de resurrectione carnis: *Hodie*, ait, *Enoch et Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qui tamen de orbe translati, et hoc ipso iam aeternitatis candidati.* Praeterea supra protulimus verba Andreae Cretensis, ubi innuit translationem corporis Virginei exanimis in coelum, ubi cum anima unitum. Sed quid nomine *Translationis* intelligat, luculentius explicat idem auctor, homil. 1 de dormit. Virg., nempe transpositionem, seu transmigrationem corporis Virginei animae uniti in caelestes sedes; eius audiamus verba: *Quomodo corpus evanuit? quomodo sunt in ea vestes? in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id quod sepultum fuerat, et translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodo non est vera, et a mendacio aliena translatio? nam alia quoque occurrunt; animae a corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, concretio, et eo discessio, ut nihil appareat: stat enim sepulcrum inane usque ad hodiernam diem, quod et testimonio est approbatum, et approbat factam translationem.* Ubi perspicue nomen translationis sumit pro transmigratione corporis Virginei cum anima uniti in coelum; nomine enim adiunctionis, et concretionis, nihil aliud sonare potest, quam corporis cum anima unionem.

Et quidem multum dedecuisset B. Virginis corpus nondum immortalitatis dote conspicuum, pallidum, rigidum, exanime, cadaver denique in coelum transferri, omniumque coelitum conspectui obiici; quae enim coniunctio cadaverosi corporis cum coeli empyrei incorruptibilitate? aut quae coniunctio mortis ad vitam coelestem aeternum duraturam? Non utique, quia Virgo Deipara rubore suffunderetur de nuditate corporis sui emortui in coelo translati, ut ait nonnemo; siquidem innocentiae stola operiebatur, quod claritatis splendore undique circumfusum radiabat iuxta auctorem Pomerii, lib. 10, part. 5, art. 2, ex s. Cosma: *Tanta*, inquit, *statim corpus eius, scilicet defunctum, et exanime claritate resplenduit, ut tangi quidem a virginibus ad lavandum posset, videri non posset; tandiu autem lux illa resplenduit, donec corpus a virginibus fuit lotum aqua mundissima, non ab ipsa mundatum, sed potius a corpore sacro aqua sanctificata.* Quid, quod iuxta Ecclesiae graecae stylum, corpus, dum ab Angelis in coelum vectatur, radianti fulgore, micantibus radiis circumquaque splendebat? Sic habetur apud Canisium, lib. 5, cap. 5 cit.: *In tua*, inquit, *trans-*

latione, vel Ascensione, Mater Dei, Angelorum exercitus gaudio, stupore et admiratione plenus augustissimum illud corpus tuum, quod Deus susceperat, suis quidem alis reverenter operiebat. Quo nobiliori theristro decentius contegi potuisset Marianum corpus?

Ex eo igitur adstruimus non in coelo, sed in monumento Marianum corpus ad vitam fuisse revocatum, quia coelum patria est viventium, nihil emortuum et cadaverosum illuc unquam ingreditur; imo Paradisus terrestris solum viventium patria erat: quare statim atque Adamus et Eva post esum vetitum morti adiudicantur, sudori ac labori addicuntur, protinus a Paradiso amandantur, quasi rectae rationi dissonum esset, ut qui morti iam destinatus erat per sententiam supremi Iudicis, Paradisum vitae regionem incoleret; ergo multo minus emortuum Virginis Mariae corpus, iamque cadaver, neque ad momentum sedes illas paradisiacas vitam in omnem aeternitatem spirantes, occuparet; quippe maxime dedeceret, ut corpus interemptum, exanime, aliis mortis accidentibus obnoxium in coelis appareret, ubi omnis vita, pulcritudo et sanitas aeterno virore perennant, mors, pallor, interemptio et quidquid mortem redolet, aeternum exulabunt. Quod Apostolus tanquam certum stabilit, dum ait: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Id est, non seiunctim, sed caro, et sanguis simul cum anima coniuncta. Sed alio deflectit Apostolus, ut videre est apud interpretes, tametsi Tertullianus, lib. de resurrectione carnis, huic explicationi adhaeret; ait enim cap. 50: *Merito ergo caro et sanguis sola regnum Dei capere deficiunt. Iam vero cum devorari habeat corruptivum istud ab incorruptibilitate, id est caro, et mortale istud ab immortalitate, id est sanguis post resurrectionem ex demutatione; merito demutata, ac devorata caro, et sanguis regnum Dei haereditate possidere possunt, non tamen non resuscitata.* His tamen omnibus facile occurri posset, si asseramus, corpus Virgineum emortuum et exanime ideo in coelum transportari, non ut ibi cadaver permaneat, sed ut in instanti cum animo copuletur, et gloriae peplo resplendeat, trabeaque imperatoria affulgeat coelitibus adorandum.

Alteram exhibet rationem Episcopus la Cerda, Academia 29, num. 69, ad firmandam communem sententiam nostram, desumptam ex corporis resurgentis statu, qui cum flore ac segete venuste componitur. *Seminatur in corruptione,* ait Paulus, I Cor. 15, *surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ergo corpus Virgineum in ipsa terra germinavit, et instar seminis intra sepulcri feracem terram iacti surrexit copia foeneratum, compagine aedificatum, ordine structum, cultu munitum, et usquequaque splendore vestitum; ibi ergo assumpsit gloriam flos iste Marianus, ibi vitalem spiravit odorem, ubi iactus, ubi conditus, ubi tanquam semen mandatum fuit: cui pulcre aptabis verba Zenonis episcopi Veron.: *Praeterea granum uniuscuiusque frumenti conditum terrae interit, et tamen in eo quod intus est, reviviscit, nec mortem medullitus capit, sed suum sibi genitale in germen exspirans, vetusti corporis superficie deleta, imo in melioris naturae iura transmissa felix caput comis virentibus redimitum, quasi ab inferis demersum in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu populoso tenturum.* Cur ergo hac communi gloria reliquis resurgentium corporibus debita corpus Virgineum privabimus? Ideo singulari Dei nutu in horto Gethsemani Marianum corpus conditur, ut tanquam flos, celeri resurrectione revivisceret; vel, si mavis, in valle Iosaphat, ut instar grani, sanguinei Christi sudoris rivulo irrigati, caput virentibus comis redimitum, quasi ab infero tumulo in coelum attolleret. In horto sepelitur, ut inde ortum citissimum foenore multiplicatum praesagiret; in valle conditur, ut inde tanquam ex foecunda gleba, instar seminis celeriter copia foeneratum assurgeret, et anastasis symbolum auspicaretur; ergo in ipso sepulcro refloruit caro Mariana in vitam immortalem, nec translationis moras sustinet, quae potuit in ipso monumento tanquam flos odoriferus revirescere.

Si quidpiam in hoc Opere humana deliquit tenuitas, lubens ac volens sanctae Romanae Ecclesiae correctioni subiicio.

FINIS SECUNDI AC POSTREMI VOLUMINIS.

INDEX SECUNDI VOLUMINIS

IN QUO EXHIBENTUR PALAESTRAE, CERTAMINA ET MATERIAE IN IIS CONTENTAE

PALAESTRA DECIMASEXTA. De gratia habituali B. Virginis. *Num.* 1144. 1

Certamen I. Marianae gratiae cumulum examinat. *Num.* 1145. . . . . ibid.

— Actus amoris in Maria centesimus tantum valebat, quantum nonagintanovem antecedentes.

— Immensus gratiae cumulus Marianus declaratur.

— Gratia ante Mariam marcens et moerens, in Maria autem gaudio exiliit.

— Spiritus sanctus exultavit in Maria, in qua appetitum infinite se communicandi adimplevit.

— Utrum Henoch et Elias modo mereantur, necne, problema esto.

Certamen II. Mariana gratia Angelorum et hominum gratiam simul sumptam superabat. *Num.* 1150. 4

— Gratia Mariana saltem in termino viae, et Angelorum, et hominum gratiam superavit.

— Ex titulo Maternitatis Dei gratia Mariana superat et hominum et Angelorum gratiam.

— Ex titulo Mediatricis gratia Mariana utriusque creaturae angelicae et humanae gratia, maior est.

— Tum ex titulo potentioris virtutis ad impetrandum apud Deum.

— Tum ex actu quo Filium suum morti obtulit pro mundi salute.

— Marianae gratiae reliquorum Sanctorum cumulum superantis typus fuit manna.

— In una Maria universus pulvis pigmentarius gratiarum omnium creaturarum congestus.

— Totus fons meritorum Christi prius in Paradisum Marianum effusus.

Certamen III. Mariana gratia non solum in termino viae, sed in puncto conceptionis B. Virginis, Angelorum et hominum gratiam in unum congestam superabat. *Num.* 1158. 8

— Maria in Dei Matrem ab Imperatore Deo electa, dignissima utique extitit.

— Solus Moyses dum munus obibat tantum opis a Deo obtinuit, quantum sufficeret septuaginta viris qui postea suffecti sunt.

— Mariana gratia etiam in instanti conceptionis longe superat gratiam utriusque creaturae angelicae et humanae.

— Maior operum merces ex radice charitatis pensatur.

— Maria infantula devicit Martyrum trophaea, Angelorum triumphos.

— Lac quo Maria infantula alebatur simul erat sanguis; quo sensu?

— Maria in ortu suo totam Ecclesiam sub pedibus habebat, quia illam gratia superabat.

— Maria tanquam desertum invium, et inaccessum hominibus, et Angelis propter meritorum altitudinem.

— Coronis et fastigium Sanctorum, primum Mariae fundamentum.

Certamen IV. An Deipara aliam gratiam receperit ex opere operato, dempta ea, quae per Sacramentorum susceptionem conferebatur. *Num.* 1162. 11

— In prima sanctificatione recepit B. Virgo gratiam ex opere operantis, et ex opere operato.

— Frequentius etiam ex opere operato gratiam recipiebat Maria, extra Sacramenta.

— Agnus castus ad castitatem allicit ipsum ferentes.

— Ad praesentiam Mariae Iesu foetae gratia Ioanni ex opere operato collata fuit.

— Christus solo contactu et corpora a morbis, et animos a peccato liberabat.

— Maria ex fasciis, et zona Christi gratiam, ac gloriam mutuatur.

— Maria quandiu Iesu foeta sine intermissione gratiam ex opere operato adauxit.

— Idem dicere aliquis posset de tempore, quo cruci adstitit.

— Maria Iesum lactans martyribus pariatur, quia gratiam ex opere operato recipiebat.

— Maria quot lactationes Filio praebuit, tot multiplicavit martyrii serta.

— Iudicis ira utroque ubere Mariano interposito tanquam aggere coercetur.

Certamen V. An gratia habitualis B. Virginis sit infinite intensa. *Num.* 1167. 13

— Quispiam suspicari posset B. Virginem gratia infinita praeditam fuisse, his ductus rationibus.

— Patrum locutiones subsidiari videntur praedictae suspicioni.

— Ea est dignitas sacerdotii nostri, ut Deus duplici manu, et quasi omni conatu in illud incubuerit.

— Binis manibus occupatur Deus in exornanda Maria.

— Circumscriptio circularis, cum careat initio et fine, infinitatem innuit in Maria.

— Infinitudo gratiae Marianae occupari potest, quia ad Deitatis fines oppansa est.

— Longe maius est, Verbum Dei concessum fuisse Mariae, quam gratiae infinitudinem.

— Gratia Maternitatis Dei longe sublimior est gratia habituali infinita.

— Appetitus infinitus in Spiritu sancto communicandi se satiatur quodammodo in Maria.
Certamen VI. Negativae partis argumentis occurritur. *Num.* 1172. 16
— Gratiam Christi habitualem infinitam esse docent plures.
— Gratia Mariana licet esset infinite intensa, tamen longe superaretur a gratia Christi Domini.
— Maternitas Dei reddit potentias Mariae moraliter proportionatas ad actus infinite intensos.
Certamen VII. Utrum B. Virgo post Filii conceptum fuerit capax augmenti gratiae. *N.* 1175. 18
— Quidam aiunt B. Virginem ab Incarnatione non amplius potuisse promereri.
— B. Virgo post Incarnationem novos sine interruptione gratiae auctus fecit.
Certamen VIII. An B. Virgo aliam gratiam obtinuerit diversae speciei ab ea, quae reliquis iustis in hac vita confertur. *Num.* 1178. . . 20
— Possibiles sunt gratiae specie distinctae a communi gratia iustorum.
— Maria forsan obtinuit aliam gratiam specie distinctam a nostra.
— Gratia Mariana quo sensu dicatur miraculum.
— Gratiam B. Virginis esse specie distinctam a nostra, censent aliqui iuniores.
— Excellentior sanctitas specie, excellentiorem deposcit adorationem specie distinctam ab aliis.
Certamen IX. Examinat utrum sit peccatum, sperare a Deo aliquem posse ad illam gratiam pervenire, quam attigit Deipara. *Num.* 1181. . 22
— Spes qua quis speraret se habiturum eam gratiam, quam habuit B. Virgo, est peccatum gravissimum.
— Error manifestus est asserere, aliquem sanctum pervenisse ad cumulum gratiae Marianae.
— Desiderium amandi Deum infinite, infinito intervallo distat ab amore infinito Dei.
Certamen X. An et quomodo B. Virgo in gratia confirmationem sibi nacta fuerit. *Num.* 1184. 23
— Mariana gratia superat Angelicam, quia haec initio nutans, illa stabilis ac constans.
— B. Virgo viatrix ea confirmatione in gratia praedita fuit, qua Beati gaudent in coelo.
— De fide est, B. Virginem semel acceptam gratiam nunquam amisisse.
— Ad confirmationem in gratia non sufficit ablatio fomitis peccati.
— Confirmatus in gratia dissidet ab aliis praedestinatis, quia habet revelationem suae perseverantiae finalis.
— Haec gratiae confirmatio nequit consistere in auxiliis uberioribus.
— Aliae sententiae refelluntur.
— Confirmato in gratia non adimitur libertas ad peccandum.
— Ioannes Baptista, et Apostoli confirmati in gratia habuerunt revelationem suae perseverantiae finalis.
— B. Virgo confirmata fuit in gratia.
— B. Virgo ab instanti sui conceptus certior facta de sua praedestinatione.
— Ioannes Baptista in utero Matris habuit revelationem suae praedestinationis.
— B. Virgo praescivit per revelationem, se Deum parituram.
Certamen XI. Utrum B. Virgo fuerit impeccabilis, et quo pacto. *Num.* 1191 26
— B. Virgo in instanti sui conceptus moraliter Mater Dei censebatur.
— B. Virgo iuxta aliquos Doctores fuit impeccabilis, quia ablata fuit potestas peccandi.
— B. Virgo ideo impeccabilis, iuxta Herice, quia Deus suspendebat concursum ad peccatum.
— Actus amoris ferventissimus liber non adimit potentiam ad peccandum.
— Suspensio concursus ad peccandum non tollit potentiam ad peccandum peccato omissionis
— Impeccabilitas orta ex denegatione concursus generalis ad peccandum, deneganda est Mariae.
— Omnis alia impeccabilitas antecedens tollens libertatem, deneganda est in B. Virgine.
— B. Virgo habuit moralem impotentiam ad peccandum.
— Praestantius est Baptisma sanguinis quam fluminis; hoc praeterita peccata delet, illud futura perimit.
— B. Virgo ex eo fuit formaliter immunis ab omni culpa quia actum ferventissimum amoris in Deum nunquam interrupit.
PALAESTRA DECIMASEPTIMA. De gratiis, virtutibus et donis B. Virginis, eiusdem sanctitatem subsequentibus. *Num.* 1200. 31
— Gratiae omnes, virtutes, ac dona infusa fuerunt B. Virgini ab instanti sui conceptus.
Certamen I. Marianae fidei stabilitas et constantia aperitur. *Num.* 1201. . . . . ibid.
— Mariana fides caelorum sedes instauravit.
— Venter Marianus sicut acervus tritici, quia fide sua omnes fideles Christo peperit.
— Maria, Fidei sceptrum, quo sensu dicatur.
— Meretrix inferorum sceptrum.
— Fides stabilis B. Virginis per cereum accensum in triduo mortis Christi innuitur.
— Fides Mariana omni alia fide perfectior.
— Fides Mariana transtulit montem Verbi divini in mare Mariae.
— Fides Mariana quare cum osse confertur.
— B. Virgo dicitur Auris Dei.
— Deus obsurdescit nostris precibus si non interveniat Maria Dei auris.
— B. Virgo quo sensu dicatur caput credentium.
— Theophylactus perstringitur.
Certamen II. Spes theologica Beatae Virgini attribuitur. *Num.* 1207. 34
— Ille solus verus homo qui in Deo sperat; qui autem spe caret, non homo, sed bellua computatur.
— B. Virgo virtute spei praedita fuit.
— Spes divina bene cohaeret cum securitate omnimoda.
— B. Virgo modo in patria gaudet virtute spei.
— B. Virgo quo sensu dicatur Mater spei nostrae.
Certamen III. De charitate Virginis Deiparae in Deum. *Num.* 1212. 36
— Ex quibus capitibus desumenda sit amoris Mariani immensitas erga Christum.

— Praeceptum amoris quoad omnes circumstantias vix in hac vita adimpleri potest.
— B. Virgo amoris praeceptum perfectissime adimplevit.
— Plus una Maria diligebat Christum, quam omnes homines et Angeli simul sumpti.
— Actus amoris Deiparae in Deum in numero conferri possunt cum actibus sanctorum omnium.
— Mors avulsit animam Christi ab ipsius corpore, non autem potuit avellere a Iesu animam Mariae.
— Actus amoris Mariae viatricis intensior, quam in Beatis.
— B. Virgo amore etiam intensissimo naturali in Deum ferebatur a primo conceptus instanti.
— Inter B. Virginem, et Christum vera intercessit amicitia.
— B. Virgo nunquam ab actu amoris naturalis in Deum feriata est.
Certamen IV. An Virgo B. ardentissimi in Deum amoris telo saucia vitam finierit. *Num.* 1220. 40
— B. Virginem amoris telo sauciam vitam finiisse plures censent.
— Nulla alia mors deceret Mariam, quam a iaculo divini amoris orta.
— Amor tanquam gladius acutus terebravit Mariam.
— B. Virgo regio sponsi sigillo signata, ne ab aliqua lue aut morbo, sed solum ab amore icta cadat.
— B. Virgo sicut virgula fumi coelos ascendit, quia prius amoris igne combusta.
— Spiritus sanctus pigmentarius, aroma corporis virginei confecit.
— B. Virgo ex arbore vitae, nempe Christi, sata in suis visceribus hausit vitae perennitatem.
— B. Virgo amoris nudicato phyltro emortua iuxta aliquos.
— Amoris vehementissimi tres assignantur gradus.
Certamen V. Religionis ac virtutum cardinalium decoramento insignitur Virgo Deipara. *Num.* 1224. 43
— Virtutes in Maria quasi sub regulari observantia militant.
— Maria conventus virtutum, ubi charitas munus abbatissae obibat.
— Religio B. Virginis omnium fuit praestantissima.
— Quatuor virtutes cardinales per quatuor mundi partes designantur.
— B. Virginis prudentia effertur.
— Maria cauta et circumspecta ad sceptrum vocata respondere cunctatur.
— Sigillantur illi qui etiam non vocati praelationem subornant et ambiunt.
— Maria prudentiae bolide rerum profunditatem explorabat.
— Prudens instar Moysis, qui exploratores praemittit antequam iter aggrediatur.
— B. Virgo septies locuta apud Evangelistas legitur.
— Prudens non tam verba fundit, quam distillat.
— B. Virgo verba sua instar auri considerationis statera ponderabat.
— Vasquius refellitur dum negat Christo et
— Mariae prudentiam naturalem per accidens infusam.
— B. Virgo iustitia omnes creaturas longe antecelluit.
— Temperantia est civitas sanctitatis, schola meritorum.
— Maria cedrus, quae nec sensum, nec tineam, nec cariem experta.
— Maria temperantiae amans ne quidquam mellis adolevit in sacrificio.
— Paradisus Mariae nequivit absque temperantia dedicari.
Certamen VI. De Mariani animi robore ac fortitudine. *Num.* 1232. 46
— Maria nihil muliebre, sed masculam vim continet.
— Maria eo fuit animi robore constans, ut se ultro persecutoribus offerret.
— Christus crucem ac tormenta sponte aggreditur et in certamen provocat.
— Maria stat iuxta crucem interrita, tormenta ac crucem ad certamen lacessens.
— Marianum animi robur in eo splendet, quod Daemonem aggrediatur prior, illumque lacessat.
— Ille Filio Dei similior, qui intrepidus tormenta, et tortores lacessit.
— Maria erat animi fortitudine, parata ut esset Filium crucifigere.
— Patienti Christo universae creaturae patiuntur et condolent.
— Christus patiens fulmen validissimum, quo anima Mariae transadigitur.
— B. Virgo in triduo mortis Christi Mater esse desiit; ideoque dolor eius maximus.
— Mariae nomen quo sensu stella maris interpretetur.
— Maria veluti quinta essentia doloris omnium.
— Maria iuxta crucem Phosphorus in Libra, tunc omnem fortitudinem suam exeruit.
— September vocatur mensis fortium, quia in eo nati fortes mundi.
— Patientia B. Virginis illam quasi impassibiles reddidit.
— Maria sola quasi integrum redemptionis opus extitit.
— B. Virgo eadem cum Christo vita vivebat, eademque morte cum ipso commoriebatur.
— Maria iuxta crucem Patris aeterni aemula immobilis gaudensque Filium pro redemptione mundi litabat.
— Maria sub arbore malo nunquam ruinam, seu casum experta est.
— Ex arbore, in qua peccavit Adam, facta fuit crux Christi.
— Dolores quos Maria pertulit, cum tormentis damnatorum aequari poterant.
— Maria patiendi pro Christo martyrium aeternare volebat.
— Quo devenit Daemonis astutia ut homini noceat, eo devenit Marianum robur, ut pro Deo patiatur.
— Maria stat iuxta crucem, quasi Christo commortua, vitam cum cruciatibus quasi aeternans.
— Sol Christi symbolum, quia eodem tempore occidit, et oritur.

— Sol in suo occasu novae vitae perennitatem sibi parat.
— Anima Mariae subrogata in corpore demortui Filii lancea transfoditur.
— Christi cruciatus, eo demortuo, finierunt. Mariae dolores non ita; sed vivacius animam sauciabant.
— Maria, constantiae lucidius symbolum, stans iuxta crucem.
— Maria adstat cruci ut quondam Deo assistens quando praeparabat caelos.
Certamen VII. Utrum Virgo Deipara tanquam vere martyr martyrii palmam obtinuerit. *N.* 1249. 53
— B. Virginem violenta morte peremptam tanquam martyrem aliqui censent.
— Maldonatus singulari eruditione explicat verba illa: Pertransibit gladius.
— B. Virginem non fuisse formaliter martyrem plures tutantur.
— Gratia ex opere operato non confertur illi, qui exambit pro Christo mortem perpeti.
— B. Virginem veram martyrem extitisse communis Patrum sententia.
— Martyr est qui tormenta sustinet pro Deo mortem illatura ex natura rei, licet divinitus eximatur a morte.
— Martyrum reliquorum martyrium quasi nullum, si cum martyrio Mariae componatur.
— Martyrium Mariae quasi essentiale, reliquorum quasi accidentale.
— Martyrium B. Virginis omnium intensissimum, et longissimum.
— Quo sensu dicantur dolores Mariae maiores, quam dolores Christi.
— Maria in Filio comprehensa, spinis redimita, vulneribus saucia.
— Maria cum Filio in fidei, et amoris testimonio permanens cum ipso martyrium subibat.
— Omnes circumstantiae, quae amorem intendere solent, aderant in Maria.
— In horrendo Filii interitu una Maria Mater sine Patre omnem dolorem ebibit.
— Ipsos Angelos in assumptis corporibus luxisse mortem Domini, docent aliqui.
— B. Virgo in Christi passione sanguineas lacrymas effudit.
— Infernus etiam in Christi morte ingenti clamore ululavit.
— Optandum maxime ut festum doloribus B. Virginis sacrum institueretur.
Certamen VIII. Marianae commiserationis latitudo commendatur. *Num.* 1259. 59
— B. Virginis commiseratio immensa.
— B. Virginis commiseratio in omnes diffunditur.
— Immensa Mariae commiseratio in spatia imaginaria protenditur.
— Commiseratio Mariana venit in partem gloriae ipsius.
— Abraham non integre beatum se reputabat, si hospitalitate careret in coelos.
— Deliciae et bellaria Mariae sunt hominibus adfavere.
Certamen IX. Virgo B., dum apud nos vitam degeret, corporalia misericordiae opera saepius exercuit. *Num.* 1263. 62
— Maria omnia misericordiae opera saepius exercuit.
— B. Virgo famelicos saturat.
— Sitientes potu exhilarat, ac recreat.
— Unda illa ex rupe prosiliens cum Hebraeis stupendo prodigio simul iter agebat.
— Maria fons perennis perennantia aquarum fluenta diffundens.
— Maria nudos operit.
— Maria solabatur tristes, aegrotantibus inserviebat.
— Captivos redimit.
— Maria opera misericordiae erga Filium exercuit.
— Mariana obsequia in Filium praestita superant dona Dei in humanum genus collata.
— Maria ad aequalitatem, et ultra pro beneficiis a Deo, in nos collatis cumulate satisfecit.
Certamen X. De iugi Mariana contemplatione, deque eiusdem Beatae Virginis revelationibus. *Num.* 1269. 65
— Illustres rerum divinarum visiones in Maria plus silentio adorandae quam lingua explicandae.
— B. Virgo aliquas sibi speciales Spiritus sancti missiones accepit.
— Plusquam temerarium esset negare apparuisse Christum Beatae Virgini post anastasim.
— Maria iugi contemplationi et amori Dei dedita, non indigebat novitus excitari.
— In Assumptione ad caelos B. Virginis Christus ad illam descendit.
— Christus Dominus s. Paulo et D. Petro in propria persona apparuit.
— Idem dici posset de apparitione facta s. Patri nostro Ignatio.
— In Assumptione B. Virginis omnes Angeli nemine dempto cum Christo descenderunt.
— Plures Doctores censent Deum in veteri testamento per seipsum apparuisse.
— Nunquam Pater aeternus vel Trinitas vocatur Angelus, nec Verbum divinum nisi in ordine ad Incarnationem.
— Verior sententia docet Deum non per se in veteri testamento, sed per Angelos apparuisse.
— B. Virgo fuit prima cui apparuit Deus in propria persona cum ex ea Verbum carnem induit.
Certamen XI. Utrum Beata Virgo in raptibus, altissimae contemplationis meritum interruperit. *Num.* 1276. 69
— Raptus, et ecstases meritum adimere volunt aliqui.
— Neque raptus Adami, nec somnus Salomonis a Deo immissus meritum ademerunt.
— Salomon meruit sapientiam a Deo infusam in somno.
— Raptus et somnus propheticus libertatem adimunt.
— Raptus et ecstasis in Maria libertatem et meritum non adimebant.
Certamen XII. Animi gratitudo, maturaque gravitas cum verecunda modestia enituerunt in B. Virgine. *Num.* 1281. 73
— Gratitudo benefactorem quasi numen adorat.
— Mariana animi gratitudo omnia dona in unum Deum refert.

— Adami ingratitudo omnium malorum origo fuit.
— Iosephus olim beneficiorum memoriam insculpsit in tenera filiorum carne.
— Maria collata sibi a Deo beneficia in anima insculpsit, ut gratitudo in aeternum perennaret.
— Montana festino gressu percurrere non dedecuit Marianam gravitatem.
— Gressus accelerasse ad abolendum peccatum don dedecet modestam gravitatem.
— Dum agitur de abolitione peccati saltibus insolitis percurrit Christus.
— Christus Dominus ad inferendum supplicium lentis passibus deambulat.
— Currit autem celeriori gressu ad crucem et mortem.

Certamen XIII. Marianam mititatem et mansuetudinem depraedicat. *Num.* 1287. 75
— Mariana mititas commendatur.
— Infantes plus assimilantur uberi, quam vulvae.
— Deus ex Maria de leone in agnum mansuetissimum commutatur.
— Mariana mititas quomodo infinitam Dei misericordiam adauxit?
— Deus in Maria mansuefit et omnes lumine suo perfundit.
— Iesus in brachiis Simeonis pluribus ruinae futurus esse praedicitur.
— Agrestes columbae faciliùs per odorum suavitatem capiuntur, quam sclopeti terrore.
— Homines efferi plus mansuetudine, quam terroribus cicurantur.
— Deus olim ulciscens et sicut torrens inundans terram.
— Per Mariam totus melleus ac misericors.
— Deus in Maria nequit in homines desaevire.
— Deus iudex etiam flagitiosos vestibus induit: cum iudex homo etiam insontes denudat eorum quae bona apprehendit.
— De Mariano paradiso Verbum divinum iudicis severos vultus deponit.
— Deus in rubo, idest in Maria, desaevire dediscit.
— Unicornium conspectu Virginis puellae cicuratur.
— Efferos Getuliae homines sermo blandus foeminae mansuefecit.
— Ovis quaedam leonem peperit felicem dominatum portendens.
— Christus mititatem potius et humilitatem a Matre haustas a seque adamatas nobis proponit.
— Christus a sinu Patris durus debellator, a sinu Matris mitis ac blandus venit.
— Christus a Maria habet quod sit flos, ex quo favus, fructus, ac medicina nobis elaboratur.
— Maria contremiscunt, imo refugiunt sisti ante tribunal Dei iudicantis.
— Mare quod ante Deum trepidabat, ad conspectum Christi mitis non timet.
— Christus ex utero Mariano quasi ex misericordia totus compactus.
— Maria ipsi Deo misericordiae indolem indidit.
— Christus iudex ex lacte Mariano ad misericordiam proclivis.
— Foeminae ad miserationem proniores quam viri.

Certamen XIV. Nec urbana comitas, nec eutrapeliae virtus Virginem Deiparam dedecuit. *Num.* 1298. 80
— Deus abhorret a sanctis incivilibus, et inurbanis.
— Pugna inter Paulum et Antonium de divisione panis oboritur.
— Seraphini urbanitatis leges servant, in decantandis Dei laudibus.
— Urbanitatis exemplar se praebuit Christus.
— Maria Angelum non resalutat, non quia inurbana, sed quia animi demissionis amans.
— Moderata corporis et animi relaxatio vegetiorem hominem facit ad opera virtutis.
— Natura magistra fere in rebus omnibus hanc moderatam relaxationem nos edocet.
— Natura seipsam his variis temporum vicissitudinibus instaurat.
— Eutrapeliae virtus, et lusitationes modestae Mariam non dedecebant.
— Ipse Deus quasi animi relaxandi gratia, deambulabat per paradisum.

Certamen XV. Marianam animi demissionem extollit. *Num.* 1303. 83
— Animi demissio eadem est cum magnanimitate, et cum magnificentia iuxta plures.
— Maria humilitatis magistra.
— In egenis omnem spem Maria ponit, qua omnium hominum spes innititur.
— Maria in tanto dignitatis fastigio semper suae nihilitatis memor.
— Maria induit se infinitate quadam negativa, ut in se caperet infinitum positivum.
— Mariana animi demissio fuit quasi materia ex qua Christus gignitur.
— Humilitas Mariana Verbi Dei prolifica virtuti generativae Patris parianda.
— Umbrae granditas ex granditate corporis crescit; in Maria vero minuitur.
— Maria humilibus devota dicitur, quia ab humilitate grandia et magnifica sperat.
— Terrae omnes creaturae tributa pendent: et Mariae humillimae omnis natura et gratia vectigal solvit.
— Unusquisque iuxta sui status conditionem sumptus moderatur.
— Iobus in abiectam conditionem redactus tonso capite Deum adorat, non comptus.
— Singularis opinio Origenis refertur, et refellitur.
— Spiritus sanctus personam agit pro Maria sub columbae specie.
— Spiritus sanctus sub specie columbae, et Christi in Iordane, et Mariae in templo innocentiam ostendit.
— Columba sub qua apparuit Spiritus sanctus de novo producta sine pruritu libidinis.

Certamen XVI. Contra hanc Marianam animi demissionem proponitur argumentum et diluitur. *Num.* 1309. 87
— Mariam a Deo enixe expetiisse maternitatem Dei, quinam adstruant?
— Maria verissime proferre poterat: Deus cordis mei, pars mea Deus in aeternum.
— Magnanimitas circa honores iuxta rectae rationis praescriptum non adversatur humilitati.

— Honor debitus virtutis operibus, obiectum honestum est, et appeti potest.
— Foemina circumdabit virum, idem valet, ac foemina ambibit virum.
— Maria laude digna, quod Incarnationem sibi expetierit.
— Isaias pari laude dignus muneri se offerens, ac Moyses illud detrectans.
— Deum esse cum aliquo, nihil aliud est, quam precibus et desideriis eius assentiri.
— Alii censent Mariam nullo modo expetivisse esse Matrem Dei.

Certamen XVII. Marianam obedientiam evulgat *Num.* 1314. 90
— Mariae gratior quodammodo obedientia, quam dignitas Matris Dei.
— Christus inclinans caput in cruce obedientiam venerabundus suspicit.
— Collum sponsae sicut turris, obedientiae symbolum.
— Voluntas Dei cibus Mariae, ideoque unum cum Maria factus est.
— Maria dicitur voluntas Dei, per obedientiam, per quam Deum sibi maritavit.
— Maria rota Ezechiel volubilis, et agilis ad obsequium, et Spiritus sancti nutum.
— Maria ita obedientiae divinae legis se devoverat, ut tota auris videretur.
— Auris obedientiae Marianae nulli alteri rei comparatur, quia nil cum ea componi potest.
— Prima Christi, et Mariae cogitatio in instanti Conceptionis fuit obedientiae actus.
— Maria papyrus mundissima indifferens ad quamcunque scriptionem.
— Maria instar materiae primae: instar syllabae communis.
— Mundus poema rotundum.
— Viri societatis instar syllabae communis
— huius versus universi parati ad quamcunque mundi plagam ire.
— Maria instar metalli liquefacti apti ad quamcunque formam.
— Fiat Marianum potentius et efficacius, quam Fiat Dei mundum creantis.
— Nihil Deus expedit in nostrum commodum, quod prius Maria non subscribat suo Fiat.

Certamen XVIII. Utrum in Beata Virgine eluxerit virtus pudicitiae. *Num.* 1319. 93
— Pudicitia stricte sumpta locum non habuit in Maria.
— Verecundia in Maria reliquarum virtutum vexillifera.
— Rubor honestas foeminas a petulantibus discriminat.
— Verecundia Mariae aequatur sacrificio incruento, et cruento, et martyrio.
— Marianus sanguis per genas suffusus condiscebat suffundi pro hominum salute.
— Maria adeo humilis erat, ut tota Dei fortitudine roborari opus fuit, ut honores et laudes aequo animo tolerare posset.
— Gratia si formam externam assumeret, nullam aliam assumeret, nisi Marianam.
— Verecundia veluti character et nota Virginis Deiparae.
— Foemina virorum oculis patens quodammodo prostituitur.
— Verecundiae exemplar admirabile in uxore Aeneae.
— Temerarium verecundiae facinus refertur, pudicitiae portentum.
— Eleonora quaedam verecundiae prodigium reliquas omnes antecellit.
— Carpuntur pictores, qui foeminas et homines investes depingunt.
— Pictores, et domini qui has impudicas imagines oculis prospectantium exhibent, lethaliter delinquunt.
— Turpes imagines in Expurgatorio Romano prohibitae.
— Turpes picturae suggestiones daemonum externae, quae ad peccatum proritant.
— Sunt occasio proxima pluribus prolabendi in peccata.

Certamen XIX. Utrum in Virgine Deipara exstiterit virtus poenitentiae. *Num.* 1328. 98
— Actus virtutis poenitentiae assignantur.
— In B. Virgine reperitur poenitentia.
— In Christo et in Angelis admittunt aliqui poenitentiam.
— Aliqui distinctum habitum specie poenitentiae a nostro admittunt in Maria.
— Poenitentia B. Virginis eiusdem speciei, ac nostra.
— B. Virgo exercuit actus externos virtutis poenitentiae.
— Maria, poenitentiae magistra.
— Maria seipsam ablactavit.
— Maria non invenitur in terra suaviter viventium.

Certamen XX. Utrum virtutes per se acquisitae sedem habuerint in Beata Virgine. *Num.* 1332. 101
— Virtutes per se acquisitae naturales sedem habuerunt in Maria.
— Virtutes morales naturales infusae fuerunt animae Deiparae in instanti conceptionis.

Certamen XXI. Utrum Beata Virgo gratia auxiliante indiguerit ad eliciendos virtutum actus. *Num.* 1335. 103
— B. Virgo non indiguit gratia excitante ad eliciendos virtutum actus, iuxta aliquos.
— Una gratia excitans non sufficit ad plures actus subordinatos inter se eliciendos.
— Plures gratiae excitantes in Maria erant specie distinctae a nostris.
— Nulla fuit in Maria gratia excitans sufficiens, et inefficax.

Certamen XXII. Utrum gratiae gratis datae B. Virginis animam exornarint. *Num.* 1339. . . 105
— Omnis gratia gratis data extitit in Maria.
— Tres charites qua ratione exornent, et coronent Mariam.
— Maria omnium linguas recte callebat per linguarum donum.
— Ab instanti conceptionis his gratiis gratis datis exornata fuit B. Virgo.

Certamen XXIII. Vrgo Deipara prophetiae dono floruit. *Num.* 1343. 108
— Maria quo sensu dicatur Supplementum prophetiae.
— Maria dicitur Evangelista ante alios.
— B. Virgo vera Prophetissa.
— B. Virgo errare non poterat in rebus, de quibus Apostolos et alios erudiebat.
— Maria Filii arcana penetrabat.
— Maria scit diem iudicii, et numerum salvandorum.
— Angelos scire diem iudicii quinam censeant.

— Communior sententia docet Angelos nescire diem iudicii.
— Amicorum sunt communia etiam secreta cordis.
Certamen XXIV. An in B. Virgine resederint Spiritus sancti dona. *Num.* 1349. 111
— In B. Virgine omnia Spiritus sancti dona resederunt.
— Haec dona ab instanti conceptionis collata Mariae.
— Donum timoris multipliciter residere potuit in B. Virgine.
— Timor servilis longe a Maria ablegandus.
— Donum timoris in Christo sedem fixit.
— Nec halitus nec verbum effluebat ab ore Christi, non praeeunte timore.
— Timor Dei custos gratiarum ac virtutum.
— Maria ex timore Dei fabrefecit scutum inexpugnabile.
— Timor Dei animae paedagogus, et gymnasium.
— Timor in sacra Scriptura Dei nomine nuncupatur.
— In quocunque virtutis statu timendum.
— Septem Spiritus sancti dona septem sunt columnae in Maria.
Certamen Ultimum. In Virgine Deipara fructus Spiritus sancti ac beatitudines sedem habuerunt. *Num.* 1355. 114
— Fructus Spiritus sancti non distinguuntur ab actibus virtutum et donorum.
— Hi fructus in B. Virgine reperti sunt.
— Beatitudines in B. Virgine sitae sunt.
— B. Virgo discordiarum peremptrix.
— Mos firmandi concordiam apud antiquos.
— Uterus Virgineus sciphus aureus plenus mero mixto.
— Universale periculum odia restinguit.
— Clientes Mariae conferuntur cum acervo tritici, quia uniti sine palea.
— Inter se discordes grandi sunt tormento Mariae.
— Discordia nota condemnationis, unio character praedestinationis.
— Unio et concordia coelorum fores aperit.
— Eadem die qua discordia nascitur in mundo, infernus etiam producitur.
— Labor aequo animo toleratus iam hominem viatorem beat.
— Maria doloris gladio transfoditur ut ad osculum sponsi perveniat.
PALAESTRA DUODEVICESIMA. De sanctissimo et augustissimo nomine Mariae. *Num.* 1360. . . 118
— Mariae nomen gratiarum, et virtutum exuberantiam praemittit.
Certamen I. Quo die a nativitate, et a quo inditum fuerit nomen B. Virgini. *Num.* 1361. . ibid.
— Opus est cognitione anatomica ad imponendum nomen rebus.
— Concilium nominis exoptabat Tertullianus.
— Unicuique nomen imponendum iuxta ipsius facta.
— Christus non regis nomen sibi usurpat antequam regis facinora exequatur.
— Chamaeleon superborum symbolum.
— Nomen debet esse auspicium rei, cuius est nomen.
— Nominum indendorum ritus varius.
— Quo die B. Virgini nomen impositum.
— Mariae nomen multo ante impositionem notum, et praefiguratum.
— Mariae nomen iam a Seth filio Adami cognitum.
— Cuius fuerit nomen filiis imponere, alii stant pro matribus: alii pro patribus.
— Penes patres fuit potestas indendi nomina filiis.
— Maria nomen imponit Filio.
— Ioachimus nomen imponit Mariae a coelo delapsum.
— Tota Trinitas nomen Mariae indidit inito inter se consilio.
Certamen II. De multiplici sanctissimi nominis Mariae significatu. *Num.* 1367. 121
— Christus Dominus noluit nec brevi tempore a proprio nomine discrepare.
— Maria quadrilitera quatuor orbis partes instauravit, quas Adamus infecerat.
— Numerus senarius afflictiones, et labores auspicatur.
— Numerus octavus felicitatem portendit.
— Numerus novenarius praestantiam et sublimitatem innuit.
— Maria stella polaris, eique eius proprietates adaptantur.
— Maria pharus huius maris lucidissima.
— Maria omnium statuum magistra.
— Maria maris pluvia cur dicatur.
— Maria iaculatrix et sagittaria quo sensu dicatur.
— Causae salsedinis maris aperiuntur, et dolori Mariae adaptantur.
— Causae cur aquae marinae non corrumpantur, aptantur Mariae.
— Cur Mariae tot icta doloribus non corruerit exanimata.
— Maria huius mundialis maris Domina merito nuncupatur, et quare?
— Diei acceptio quadruplex in Scriptura sacra.
— B. Virgo dicitur huius quadruplicis diei Domina et regina.
— Nomine cribri praedestinatio, et reprobatio venit.
— Quo sensu dicatur B. Virgo domina cribri.
— Maria ex Ambrosio idem est, ac Deus ex genere meo.
— Homo homini innixus quasi qui navigium foeno tanquam anchorae firmissimae alligaret.
Certamen III. An Mariae nomen efficacius sit ad bona consequenda, quam augustissimum nomen Iesu. *Num.* 1378. 129
— Mariae nomen efficacius ad bona consequenda, quam nomen Iesu.
— Maria luna calceata, quia citissimis gressibus in hominum auxilium involat.
— Sol Christus velocius in lectica Mariae in nostrum auxilium involat, quam in solis quadriga.
— Mariae qui se totum devoverit, reliquos benedictione caelesti et temporali antecellet.
— Sol lunae subsidio efficacius influit in sublunaria, quam ipse solus.
— Vere fatuae virgines illae, quae ad sponsi, non sponsae Mariae, confugerunt nomen et auxilium.
— Iesus et Pater et Iudex. Maria tota Mater misericordiae.

— Per Mariam citius salus nostra paratur.
— Angeli per Mariam celerius in nostrum auxilium veniunt.
— Cur Iesus Matrem quasi increpat in nuptiis Cana.
— Eme agrum Mariae si vis thesaurum Christi aeternum possidere.
— Per Mariam firmius et securius tenemus Christum.
— Maria instar Ruth reiectaneas peccatorum spicas colligit Christo.
— Maria coeli fenestra ad lucem, et ad ingressum, cum ostium occluditur.
— Quam sit tutissima Mariae invocatio in hora mortis, erudimur a Christo.
— Maria clavis magistra caelestium forium.
— Spiritus sanctus velocius in nostram salutem venit in Mariae rheda.
— Mariae nomen omnia nobis bona adsportat.
— In caelo vocabimur Marianitae.

Certamen IV. Utrum sanctum Mariae nomen ex opere operato aliquid operetur. *Num.* 1384. . 134
— Sanctum Mariae nomen nihil operatur ex natura sua.
— Vanissima quorundam opinio circa nominum impositionem exploditur.
— Mariae nomen ex institutione divina aliquos effectus operatur.
— Sacrae Scripturae clausulae aliquos effectus operantur ex opere operato.
— Mariae nomen instar Baptismi cuiusdam.
— Quaenam effecta in nobis efficiat invocatio nominis Mariae.
— Vel unica litera nominis Mariani telum robustum adversus Daemonem.
— Antequam cum morte confligas, unge te oleo Mariani nominis.
— Pluris apud nos sit mors sub Mariano patrocinio, quam totius mundi diadema.
— Avicula subsidio nominis Mariae accipitrem devicit.
— Septies in Evangelio Mariae nomen insonat adversus septem capitalia vitia.
— Mariae nomen castitatem halat.
— Luxuriam aversatur.
— Mariae nomen cedrus, cuius succus extinguit serpentes.
— Foeminae Mariani nominis baiulae vel pudicitiam sectentur, vel tantum nomen exuant.
— Gabriel indignus reputabatur Mariae nomen proferre.
— Mariae nomen praecedat virginitas, omniumque gratiarum cumulus.

Certamen V. Superioris Certaminis thesis novitus firmatur. *Num.* 1389. 139
— Nomen Mariae instar cinnamomi insipidos cibos condientis.
— Nomen Mariae melle et saccharo dulcius.
— Christus in crucem actus a nomine Mariae abstinuit, ne amaritudo crucis dulcesceret.
— Mariae nomen concentus harmonicus.
— Mariae nomen instar ambari, et moschi odorem suavissimum efflat.
— Cur media syllaba nominis Mariae producatur.
— Mariae nomen luctum omnem dispellit.
— Mariae nomen spiraculum, et respiratio nostra.
— Mariae nomen metum dispellit, omnem sinistram suspicionem abigit.
— Mariae nomen a B. Virgine timorem dispulit.
— Mariae nomen omen omnis felicis fortunae, et aenigma.
— Quaenam dispositio requiratur, ut Mariae nomen hos effectus operetur.

Certamen VI. Utrum sanctum Mariae nomen in coelis aeternum duraturum sit. *Num.* 1395. . 144
— In coelo neque Angeli neque Beati propria nomina sortientur iuxta plures.
— Angeli et Beati propriis nominibus gaudebunt in caelo.
— Virgo Deipara aeternum Mariae nomine in caelis vocabitur.
— Beati omnes sive Angeli, sive homines in caelis sua propria nomina sortientur.
— Nomen Mariae visioni beatificae agnatum.
— Mundialia gaudia nauseam afferunt.
— Gaudium mundi cito evanescit.
— Angeli Mariae nomen saepius suis auribus insonari cupiunt.
— Tres Angelorum hierarchiae sonora voce Mariae nomen decantant.
— Absente Maria veluti suspiria insonant apud caelites.
— Mariae globuli precarii veluti funda, qua daemones profligabimus.
— Quinque Mariani nominis gemmae seu literae suorum clientium diadema exornant.
— Aliqua de globulis precariis Rosarii B. Virginis.

PALAESTRA UNDEVICESIMA. De votis a B. Virgine nuncupatis. *Num.* 1400. 501

Certamen I. B. Virgo omnium prima virginitatis vexillum, nuncupato voto, extulit. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Maria omnium prima virginitatem Deo vovit.
— In Maria tanquam in virginitatis typo omnes Virgines excuduntur.
— Maria integritatis idea, virginitas in abstracto.
— Primi rerum aliquarum inventores summo in honore habiti.
— In qualibet re, maxime virtutis, primas ferre, Dei solius est eminentia.
— Mariae Divinitatis iura aliqualiter deferenda, quia in re virtutis primas tulit.
— Eva ante Adamum Deitatis primatum exambivit.
— Lux quia Dei scintilla primatum exsistentiae nanciscitur.
— Maria Virga Aaronis amygdalina, quae prima flores virginitatis expansit.
— Ioannes Evangelista, qua virgo, dicitur a B. Virgine generatus.
— Maria primatum virginitatis tenuit secundum omnes circumstantias.
— Maria in primo conceptionis instanti votum virginitatis emisit.
— Votum virginitatis in Maria non fuit solemne sed simplex.
— Refertur formula vovendi virginitatem B. Virginis.
— Maria antonomastice dicitur Virgo, quia reliquae ut essent, ipsius obtinuerunt beneficio.

— Abel iusti nomine donatur, non reliqui martyres, nempe quia primus.
— Maria per virginitatis votum Angelorum Mater.
Certamen II. Adversus ethnicos et infideles in conceptu et partu stabilitur Mariana virginitas. *Num.* 1406. 155
— Maria gaudet virginitate subsistente.
— Sibyllae fatidicae gentilismi foeminae virginitatem cum partu Mariae cecinerunt.
— Ethnicorum figmenta multo creditu difficiliora, quam partus Virgineus.
— Exempla ab ipsa natura deprompta faciunt credibilem Virgineum partum.
— Virginitas Deiparae pluribus rationibus et exemplis adstruitur.
Certamen III. Propugnatur eadem veritas adversus Iudaeos. *Num.* 1408. 158
— Perfidi Iudaei quot probris et maledictis incessant B. Virginem.
— Revincitur Iudaeorum perfidia denegans virginitatem Mariae.
— Rabbinorum testimoniis convincitur Mariana virginitas adversus ipsos Iudaeos.
Certamen IV. Mariana virginitas vindicatur adversus haereticos. *Num.* 1411. 161
— Fide catholica tenendum Mariam salva virginitate Christum concepisse.
— Origenes Iovinianо consentire videtur circa virginitatem B. Virginis.
— Durandus in partu virgineo factam fuisse dilatationem claustri virginei opinatur.
— Eadem fide tenendum Mariam in ipso partu Virginem permansisse.
— Durandi sententia multum detrahit de integritate B. Virginis.
— Abulensis opinio respuitur, dum asserit Christum per umbilicum fuisse egressum.
— Aperire vulvam significat foecundam reddere.
— Aperire vulvam apud Patres est ex clauso matris utero prodire.
— Tertullianus in commodum sensum explicatur.
— Varii opinandi modi ad defendendam virginitatem Mariae in partu refelluntur.
Certamen V. Mariana virginitas post partum adversus Antidico-Marianitas statuitur. *N.* 1416. 166
— Perpetua Deiparae virginitas fide catholica stabilitur.
— Marianae virginitatis primus acerrimus defensor Zacharias Baptistae parens.
— Helvidius Marianae virginitatis osor recte a Patribus carpitur.
— Idem a D. Hieronymo argumento *ad hominem* convincitur.
— Particulae *Donec*, et *usque*, saepe certum tempus, saepe indeterminatum et infinitum designent.
— Primogenitus in Scriptura non sumitur prout dicit ordinem ad alios fratres sequentes.
— Plures Patres opinati sunt, D. Iosephum alios liberos habuisse ex alia uxore.
— Insigne perpetuae virginitatis Mariae symbolum in Apocalypsi.
— Maria aemulatrix Patris aeterni lucem inhabitans inaccessibilem progignit Verbum.
— Generatio Christi in tempore ex Maria aemulatrix generationis aeternae ex Patre.
— Iunonem quotannis virginitatem recuperasse deperditam ex lotione in aquis Canathi fluviis fingebant ethnici.
— Quo sensu dicatur Maria post conceptum virginior, seu integritate floridior.
— Virginitatis dos et arrhae est Dei Maternitas.
— Marianam virginitatem conceptus, et partus novitus obsignat et sigillat.
— Sepulcrum Christi resurgentis Marianam alvum repraesentabat.
Certamen VI. An teneantur fideles explicite credere virginitatem perpetuam Beatae Virginis. *Num.* 1421. 171
— Perpetua Mariae virginitas ab omnibus est credenda explicite.
— Neque Incarnationis, neque Trinitatis, neque virginitatis Mariae fides explicita requiritur respectu rudium.
Certamen VII. Utrum B. Virgo pluris habuerit virginitatem quam Dei Maternitatem. *N.* 1423. 173
— Virginitas pluris habenda, quam totius orbis dominium.
— Maria caeteris paribus, potius eligeret Maternitatem Dei, quam virginitatem.
— Maternitas Dei ratione finis maius bonum quam Virginitas.
— Maternitas Dei eminentius continet quidquid boni continet Virginitas.
Certamen VIII. De paupertate Virginis Deiparae. *Num.* 1426. 178
— Parentes Deiparae divitiis abundarunt.
— Ex ampla parentum haereditate solum sepulcrum sibi reservavit, reliqua bona pauperibus erogavit B. Virgo.
— B. Virgo paupertatis votum emisit.
— Maria omnium prima paupertatis votum nuncupavit.
— Voluntarie pauperibus, iudicandi alios praerogativa conceditur.
— B. Virgo nunquam ostiatim stipem emendicavit.
— Rerum omnium abdicatio per paupertatem ad innocentiae statum nos revocat.
— Serpens hominem nudum aggredi non audet, quia statum innocentiae praesefert.
— Christum ostiatim emendicasse plures Doctores affirmant.
— Alii forsan probabilius negant Christum emendicasse.
Certamen IX. Utrum B. Virgo voverit obedientiam, et an fuerit alicui subiecta. *Num.* 1430. 181
— B. Virgo votum obedientiae emisit.
— Quibus subiecta fuerit B. Virgo.
— B. Virgo obligata fuit omni praecepto divino.
— Obnoxia fuit aliquibus praeceptis veteris legis.
— B. Virgo obnoxia fuit legi Evangelicae.
— Tenebatur etiam obedire Iosepho tanquam vero marito.
— In statu innocentiae foemina subderetur viro subiectione ingenua.
— Sara typus Mariae constituitur domina Abrahae; sicut Maria Iosephi.
— Maria parentibus suis subiecta, ipsis obedientiam praestitit.
— Maria nullis humanis legibus subiiciebatur.
— Mariae non unum bellum indictum cum serpente, sed multiplex.

— Praedestinati sunt instar fasciculi, vinculis adstricti.
— Reprobi instar lapidis e funda eiaculati gaudentis libero caelo.
— Maria multiplici voto alligatur, ut arctius Deo adnecteretur.
Certamen X. Utrum B. Virgo religiosam vitam professa fuerit, et an ab Elia ortum duxerit monachatus. *Num.* 1435. 185
— Quinam censeant B. Virginem fuisse veram monialem, ac sanctimonialium abbatissam.
— Plures propositiones historiae cuiusdam propheticae reformantur et abolentur per sacrum supremae Inquisitionis Tribunal.
— Adamum viso Abele mortuo, castitatem vovisse quisnam adstruat.
— Quae conditiones requirantur ad virginitatem theologicam, et rigorosam.
— Historia prophetica immerito primatum virginitatis a Deipara surripere contendit.
Certamen XI. B. Virgini, non Eliae virginitatis primatus defertur. 1440. 190
— Proferuntur Doctores qui adstruunt, Mariam fuisse primam tempore quae votum virginitatis emiserit.
— Maria omnium prima virginitatem vovit sponte absque ullo praecepto ob huius virtutis amorem.
— Maria Virgo vocatur virginitatis redemptrix.
— In lege veteri ante Mariam a nemine virginitatis votum emissum fuit.
— In veteri lege nuptiae praeferebantur virginitati.
— Virginitatem fuisse probrosam Iudaeis plures attestantur.
— Profertur catena Doctorum denegantium in veteri lege verum monachatum.
— Maria omnium prima vitam religiosam quoad tria substantialia vota professa fuit.
— Assertio perfecti monachatus in lege veteri iniuriam irrogat legi evangelicae.
— Historia prophetica iniuriam irrogat Mariae dum primatum virginitatis Eliae defert.
— Elias licet meritis magnus, inferior tamen Apostolis, ac primis Religionum fundatoribus.
— Historia prophetica perperam non distinguit virginitatem perpetuam, ab ipsius voto perpetuo.
— Historia prophetica immerito probra iactat in P. Suarium.
— Doctoris Francisci Suarii elogium singulare.
— B. Virgo vitam religiosam in coetibus Virginum professa non fuit
Certamen XII. Utrum B. Virgo voto parentum fuerit templo consecrata, et an Nazaraeatus votum nuncupaverit. *Num.* 1447. 197
— Vitae religiosae se devovere, idem est ac morti se addicere propter Deum.
— B. Virgo a parentibus voto consecrata Deo in perpetuum.
— B. Virgo Nazaraeatus voto se obstrinxit.
— B. Virgo nec vino nec uvis recentibus, seu siccis usa est.
— Coniuges pro uno eodemque computantur.

PALAESTRA VICESIMA. Quaenam Sacramenta B. Virgo receperit. *Num.* 1450. 201
— Quam gratiam septem Sacramenta conferunt, una Maria nobis impertitur.
Certamen I. Utrum B. Virgo Sacramentum legis naturae susceperit. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— B. Virgo Sacramentum legis naturae suscepit.
Certamen II. B. Virgo sacris baptismatis undis tingitur. *Num.* 1453. 202
— Grandi cautione arcet Deus a Maria vel levissimam culpae originalis suspicionem.
— B. Virgo per spontanea virtutum opera magis Deum sibi devinxit.
— B. Virgo tenebatur lege baptismi.
— Maria omnium prima sacris baptismatis undis tingitur.
— Quo sensu dicatur Maria sceptrum fidei a Cyrillo.
— Maria a singularitatis vitio abhorret.
— Deus singularitatis et exemptionum osor.
— Christus hominum similitudinem induit, ut tanquam unus e multitudine haberetur.
— Cum Christus hominum multitudini se accommodat, Pater aeternus, non Angeli eum commendant.
— Omnis virtutis magister aliis futurus omnes exemptiones a legibus fugiat.
— Nullibi Christus sublimius nomen, et famam comparavit, quam patibulo affixus infami.
Certamen III. Aliae circumstantiae baptismi Mariani perpenduntur. *Num.* 1457. 206
— Baptizatur B. Virgo anno aetatis suae quadragesimoquinto labente Maio.
— Praeceptum baptismi non alligabat nisi post Christi mortem.
— B. Virgo a Christo Domino baptizatur.
— Marianum baptismum aliquod caeleste, et externum signum cohonestavit.
— Signa externa coelestia visa sunt in baptismo aliquorum Sanctorum.
— Mariae Matris honos pluris est Christo, quam totius mundi redemptio.
— Maria quasi alter Baptismus.
— Maria puteus aquarum viventium Inferni ignem extinguentium.
— Maria inferni Domina suis clientibus aditum intercludit illius.
— Pica ab alite rapaci immunis evadit, invocata Maria.
— Maria instar baptismi characterem imprimit.
— Ex Maria quae Signum magnum est, melius quam ex signis coelestibus omnem felicem fortunam auguraberis.
— Verba Mariae, et gratiae significativa, et ipsius operativa.
Certamen IV. Utrum B. Virgo sacramenta Confirmationis et extremae Unctionis susceperit. *Num.* 1462. 210
— B. Virgo sacramentum Confirmationis recepit in die Pentecostes.
— Aliqui censent B. Virginem non recepisse sacramentum Unctionis.
— Quisnam sit effectus primarius sacramenti Unctionis.
— Plures censent nullum esse praeceptum recipiendi sacramentum Unctionis.

— Omittere receptionem huius sacramenti ob socordiam, sive ob metum mortis, peccatum est.
— Capax est huius sacramenti qui nunquam actu peccaverit.
— B. Virgo sacramentum recepit Unctionis.
Certamen V. Nunquam B. Virgo Poenitentiae sacramentum recepit. *Num.* 1466. . . . 213
— Aliqui censent B. Virginem solitam confiteri apud D. Ioannem Evangelistam.
— B. Virgo unquam sacramentum Poenitentiae suscepit.
— Sacramentum Poenitentiae in B. Virgine fuisse alterius naturae commentitium est.
Certamen VI. Utrum B. Virgo Ordinis sacramentum susceperit, ipsiusve recipiendi capax fuerit. *Num.* 1468. 215
— Quasi sacerdotale munus infuit in Maria conficiendi semel corpus Christi per operatoria verba.
— Non defuit vestis Sacerdotalis Mariae.
— Maria neque Ordinis sacramentum suscepit, nec eius charactere insignita fuit.
— Foeminae iure divino incapaces sunt sacramenti Ordinis.
— Tum et primae tonsurae.
— Sententia, quae adstruit foeminas capaces esse sacramenti Ordinis, erronea censetur.
— Quo sensu dicebantur olim aliquae foeminae Diaconissae, Sacerdotissae et Episcopissae.
PALAESTRA VICESIMAPRIMA. Theologia Mariana in ordine ad Eucharistiam. *Num.* 1473. . 218
Certamen I. Per Virginem Mariam nobis cibus Eucharisticus exhibitus. *Num. eod.* . . . ibid.
— Cur Maria vocat Eucharistiam, panem meum.
— Eucharistia est divinae donationis complementum.
— Christus ex maternis visceribus violenter extrahi dicitur.
— Eucharistia nihil continet ex vi verborum, nisi quod a Deipara acceptum fuit.
— De carne a Maria hausta gloriatur Christus Dominus potius quam de anima.
— Christus sanguinem, quem pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.
— Aliqua carnis Marianae portio in Eucharistia relicta ad inescandos pisces rationales.
— Maria in Eucharistia vera nostrum nutrix, ubi mammilla regia lactamur.
— Deam Isidem mammis circumcinctam depinxit antiquitas.
— Christus intonsos capillos servavit, ne partem aliquam a Matre haustam deperderet.
— Maria nobis est, Diarium vitae in Eucharistia.
Certamen II. In Eucharistia partes aliquae carnis Mariae adhuc permanent. *Num.* 1478. . . 222
— In Eucharistia et cum Christo, et cum Maria idem efficimur.
— In Eucharistia venerari possumus reliquias Mariae.
— Ex Eucharistia consanguinitatem contrahimus cum Maria.
— Deipara et aliae piae foeminae illam comitantes nocte coenae etiam Eucharistia pastae sunt.
— Mappa in qua primo instituta fuit Eucharistia fuit Mariae manibus elaborata.
— Qui ad mensam accedit Eucharistiae, omnem exuat cognatorum affectuum exemplo Christi.
— Sanguis Christi dicitur calix inebrians, quia homines extra se agit.
— Ad Eucharistiam accedens totus sit spiritus, nihil carnis et sanguinis habeat.
Certamen III. An aliqua sanguinis Mariani portio maneat in Eucharistia, sub diversa tamen forma. *Num.* 1481. 225
— Aliqua sanguinis Mariani portio manet in Eucharistia.
— Praeputium Christi reassumptum fuit in resurrectione.
— Nulla pars Christi in Eucharistia est, in qua aliqua pars Virginis non sit.
— In Eucharistia forsan reperitur aliqua pars quae aliquando fuit D. Annae, vel etiam Ioachimi.
Certamen IV. Utrum aliquis sanguis B. Virginis sit in Eucharistia sub eadem forma substantiali, licet sub diverso supposito. *Num.* 1484. . . 228
— Aliquis sanguis Mariae est in Eucharistia sub eadem forma substantiali sub qua fuit in B. Virgine.
— Nullae Sanctorum reliquiae adeo certae ac sanguis B. Virginis in Eucharistia.
— Febri hectica laborantes lacte puellae sanantur.
Certamen V. Virgo B. quotidie sacra reficiebatur synaxi. *Num.* 1486. 230
— Insurgere pro rostris adversus quotidianam Eucharistiae sumptionem scandalosum reputatur.
— B. Virgo quotidie ad sacram accedebat Eucharistiam.
— B. Virgo nunc in coelis agens summa adoratione Eucharistiam colit.
— Signo quodam, vel laureola insigniuntur in caelis qui rite communicant.
— Maria trepidat dum in se Verbum Patris suscipit. Imo et terra tremit Christi corpus susceptura.
— Sepulcrum Christi redditurum Patris thesaurum terrore concutitur.
— Verbum quod otiose ab ore effluit examen subibit. Quod examen patietur qui verbum divinum otiose et sine fructu suscipit?
— Deus strictam beneficiorum rationem exiget.
— Qui ad Eucharistiam imparatus accedit, intelligat rem sibi cum igne fore.
— Super civitates pluit Deus sulphur et ignem: super solitudinem manna caeleste.
— A Maria ediscant sacerdotes Christi sanguinem pie ac sancte tractare.
Certamen VI. Per singula vitae momenta Deipara hoc pane caelesti, dum vixit, spiritualiter reficiebatur. *Num.* 1489. 233
— Votum suscipiendi hoc Sacramentum solum ex opere operantis gratiae effectum sortitur.
— B. Virgo per singula suae vitae momenta spiritualiter Eucharistia reficiebatur.
— Spiritualis sumptio Eucharistiae gratiam ex opere operato conferebat Mariae iuxta Gersonem.

— Ex sacra Eucharistiae sumptione hausit Maria corporis sui incorruptionem.
— Olim Christi fideles Christi sanguinem in vasis vitreis asservabant adversus tyrannorum insultus.
— Corpus exanime Virginis iam tumulatum ad elevationem hostiae immortale resurrexit.
— B. Virgo ex Eucharistia tanquam ex arbore vitae viridem iuventam hausit.
— Angeli Eucharistiae spirituali sumptione reficiuntur.
— Diabolus quia nec spiritualiter, nec reipsa hoc pane pascitur aeternam patietur inediam.

PALAESTRA VICESIMASECUNDA. Theologia Mariana in ordine ad Matrimonium Virginis Deiparae. *Num.* 1492. 236

Certamen I. Verum intercessit matrimonium Deiparam inter et Iosephum. *Num. eod.* . . ibid.
— Plures Patres producuntur, qui negant verum intercessisse matrimonium inter Ioseph et Mariam.
— Verum intercessisse matrimonium censent esse de fide aliqui Doctores.
— Alii oppositam sententiam temeritatis nota inurunt.
— Vera sententia est, verum matrimonium intercessisse inter Iosephum et Mariam.
— Nuptiarum nomen aliquando sumitur pro coniugum congressu.
— Coniux aliquando sumitur pro foemina a viro cognita.
— Aliqui Patres ut Mariam illibatam adstruant, desponsatam inficiantur.

Certamen II. Componitur Marianum coniugium cum voto virginitatis. *Num.* 1496. 240
— Solum prohibetur iure naturali, non positivo, matrimonium inire post emissum votum castitatis simplex.
— Singularis opinio Hugonis circa essentiam matrimonii refellitur.
— Natura coniugii in unitatem animorum tetendit.
— Consensus contrahentium dicit ordinem et obligationem radicalem reddendi debitum.
— Consensus contrahentium non est opus ut feratur nec implicite in obligationem formalem copulae.
— B. Virgo nunquam propositum efficax elicuit de danda opera habendis liberis.
— Quinam asserant in lege veteri non fuisse interdictam virginitatem.
— B. Virgo consensit in matrimonium, quin ulla ratione consentiret in copulam.
— B. Virgo nulla ratione consensit in obligationem actualem ad copulam.
— Mariana virginitas ex coniugio floridior vernat.
— Grande Iosephi elogium, quod connubium cum ipso, floridior sit virginitas.
— Marianum matrimonium perfecta virginitatis imago.
— Mariani matrimonii nexus et copula idem est Spiritus sanctus, Patris et Filii nexus in sacra Trinitate.
— Christi generatio Spiritui sancto tribuitur.
— Christus ideo legitimus et non spurius, quia ex Virgine sine ope Iosephi.

Certamen III. De tempore quo initum fuit matrimonium inter B. Virginem et D. Iosephum. *Num.* 1504. 248
— Matrimonium Mariae initum fuisse post Annunciationem, censent plures.
— Ne Marianus honor periclitetur, totum Deus orbem invertit.
— B. Virgo ante Incarnationem Iosepho nupsit.
— Matrimonium Mariae cum Iosepho initum mense Decembri.
— B. Virgo quatuordecim annos agens duxit Iosephum.
— Alii probabilius putant, anno decimoquinto aetatis suae nondum expleto.

Certamen IV. Ulterius disquirit causas cur Virgo Deipara desponsa fuerit viro. *Num.* 1507. 251
— Maria matrimonium init, ne credatur Angelus, aut Dei scintilla.
— Maria his gratiis coruscat, ut sit quoad nos necessaria conditionis suae admonitio.
— Maria matrimonium init ut omnem statum honoret.
— Christus maluit in hominum opinione de non Virgine nasci, quam vocari spurium.
— Imo et post longam generationum seriem renuit ex atavo illegitimo nasci.
— Christus ex coniugata Maria nascitur ut partus Diabolo celaretur.
— Filiorum sollicitudo mentem avocant, ac distrahunt a divinis.
— Ea est Mariae puritas, ut in eam invehi non audeat omnis impuritatis auctor.
— Nunquam Daemon credidit a filio uxoratae, Satanae tyrannidem debellandam.
— Cherubini propitiatorium obvelantes coniugium Marianum innuebant.
— Daemon cognovit, B. Virginem esse Dei Genitricem.
— Haec cognitio non erat omnino certa, sed coniecturalis.
— Daemon non cognovit certitudine stabili Christum esse Deum, nec B. Virginem esse Dei Genitricem.

Certamen V. An B. Virgo apud cognatam Elisabetham usque ad eius partum permanserit. *Num.* 1513. 256
— Negant plerique, Mariam partui Baptistae adfuisse.
— Verius alii oppositam sententiam amplectuntur.
— Particula *quasi*, et minus, et plus significare solet.

PALAESTRA VICESIMATERTIA. Theologiam in ordine ad Angelos Marianam rimatur. *Num.* 1514. 258

Certamen I. An B. Virgo custode Angelo gauderet sicut reliqui homines. *Num. eod.* . . ibid.
— Plures censent B. Virginem habuisse Angelum custodem.
— Gabriel Angelus ab aliquibus custos assignatur Mariae.
— B. Virgo plures habuit Angelos in suum obsequium.
— B. Virgo non eguit Angelo custode ad froenandas daemonum suggestiones.
— Christus Dominus nullum habuit Angelum custodem.
— B. Virgo non eguit Angelo custode, ut ipsius preces Deo offerret.

— Maria Filii suì brachio innixa nullius Angeli ope et custodia indiget.
— Angelus aliquis destinatus fuit Mariae, qui munus famuli a secretis obiret.
— Michael famulus a secretis Mariae iuxta Augustinum.
— Angeli edocentur a B. Virgine.
— Plures Angeli excubias agebant circa B. Virginem.
— Unicuique homini Angelus nequam deputatur a nativitate.
— Deputatus malus Daemon a Lucifero B. Virgini, sed irrito conatu.
Certamen II. An Angeli in via cognoverint Virginem Deiparam, et nunc in patria eam videant. *Num.* 1520. 261
— Ad statum beatificum perfectum Angelorum attinet, ut videant in Verbo Mariam semper et ament.
— Angeli in via futuram Dei Genitricem, B. Virginem probe cognoverant.
— Angelis revelatum fuit in via mysterium Incarnationis.
Certamen III. Utrum Virgo Deipara aliquid fuerit Angelis promerita. *Num.* 1523 264
— Angeli per Mariam omnem gratiam et gloriam consecuti sunt.
— Christus Dominus pro omnibus Angelis mortem sustinuit.
— B. Virgo meruit de congruo Angelis omnem gratiam, auxilia et gloriam.
— Angeli mali inviderunt Mariae excellentiam et gratiam sublimiorem.
— Angelis praeceptum fuit impositum adorandi, et colendi Christum et Mariam tanquam sibi superiores.
— Maria scala Iacob per quam Angeli ascendunt ad caelum, daemones in tartara detruduntur.
— Angeli boni quia Christo et Matri cultum et debitum amorem detulerunt, in gratia perstiterunt.
— Quantus sit amor cuiuslibet Angeli erga B. Virginem.
— Angeli in prima mundi creatione Christum ortum ex Maria hymnis celebrarunt.
— Angeli illuminantur primum a Deipara immediate.
— Revelatio Angelis facta de Maria meritis ipsius facta fuit.
— Angeli ab Apostolis edocti in pluribus Incarnationis circumstantiis.
Certamen IV. Disquirit quaestiunculas aliquas non contemnendas circa legationem a Gabriele factam B. Virgini. *Num.* 1529. 270
— Angelus cur mittitur ad Mariam, non homo propheta.
— Gabriel iuxta aliquos solum supremum obtinet locum inter Archangelos.
— Gabrielem supremum locum tenere inter omnes beatos spiritus quinam censeant.
— Gabrieli adaptantur gratiae omnes ac privilegia, de quibus Ezechiel agit.
— Gabriel apparuit Mariae in specie visibili et humana.
— B. Virgo internam Gabrielis substantiam mentis oculis introspexit.
— Certo etiam scivit Gabrielis nomen, ac Divo Lucae patefecit.
— Eadem die qua mundus conditus fuit peracta fuit Incarnatio Verbi divini.
— Quidam aiunt nuntium Gabrielis fuisse factum ad vesperam.
— Alii censent summo mane factum fuisse.
— Alii autumant media nocte Incarnationem peractam fuisse.
Certamen V. Causas turbationis Marianae in Angelica legatione disquirit. *Num.* 1533. . . 274
— Maria trepidat, et turbatur ad conspectum Angeli in specie viri.
— Maria nunquam dubitavit, an Gabriel esset Angelus a caelo missus.
— Turbatur Maria prae ingenti animi demissione, auditis ipsius laudibus.
— Deum habitare domos trementes delectat.
— Turbatur Maria utpote quae virginitatem Deo litarat, audito nomine prolis in utero suo.
Certamen VI. Quomodo et sub qua intellectuali perfectione B. Virgini fuit revelatum hoc mysterium per Angelum. *Num.* 1536. 276
— B. Virgo perfectissimam de incarnati Verbi mysterio cognitionem habuit.
PALAESTRA VICESIMAQUARTA. Marianum concursum erga Christi generationem enodat. *Num.* 1538. 278
Certamen I. Quo tempore B. Virgo Christum conceperit. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Quinam asserant Verbum divinum incarnatum fuisse, cum Angelus dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum.
— Verbum divinum tunc incarnatum fuit, quando Maria protulit illud: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.
— Verbum divinum incarnatum fuit non cum interius consensit Angelo, sed cum exterius verbis consensum expressit B. Virgo.
Certamen II. Utrum B. Virgo effective instrumentaliter concurrerit ad Incarnationem. *Num.* 1541. 280
— Creatura elevari potest a Deo ad concurrendum effective ad Incarnationem.
— B. Virgo de facto effective instrumentaliter concurrit in unionem hypostaticam.
— Verba salutantis Mariae fuerunt instrumentum physicum gratiae collatae Ioanni Baptistae.
Certamen III. Utrum B. Virgo effective concurrerit ad generationem Christi Domini. *N.* 1545. 283
— Foemina influit active immediate in generationem prolis tanquam causa principalis.
— B. Virgo nativa facultate partem sanguinis purissimi ad generationem subministravit.
— B. Virgo, medio sanguine defaecato, active concurrit ad generationem Christi Domini.
— B. Virgo, medio sanguine defaecato, concurrit active principaliter ad efformanda organa.
— Aliqui magis pie, quam vere tres guttas sanguinis Mariani cordis concurrisse ad generationem Christi, meditantur.
— Christus totus propensus ad amandum ex utero materno prodiit.
Certamen IV. Totus Iesus ex solo sanguine defaecato B. Virginis efformatur. *Num.* 1551 . 288
— Commentum Galatini de particula asservata ab Adam usque ad Mariam ad generationem Christi exploditur.

— Corpus Christi ex solo purissimo sanguine Mariae elaboratum fuit.
Certamen V. De generatione substantiali Virginis Deiparae erga Iesum. *Num.* 1553. . . . 289
— B. Virgo concurrit ad positionem materiae necessariae ad foetum in matrice.
— B. Virgo influxum praebuit in dispositionem proximam ad foetum.
— B. Virgo praestitit influxum in actionem productivam humanitatis Christi Domini.
— Cur Christus dicatur conceptus de Spiritu sancto, et non de Patre.
Certamen VI. Utrum Beata Virgo produxerit existentiam humanitatis Christi Domini. *Num.* 1557. 291
— Christus existit per existentiam propriam creatam.
— B. Virgo produxit existentiam propriam humanitatis Christi Domini.
Certamen VII. An Deipara vera sit dicenda Mater Christi. *Num.* 1559. 294
— B. Virgo vera et propria Christi Mater praedicanda.
— Nomen mulieris ad singulare Mariae praeconium vertendum est.
— Maria dicitur mulier, ne tanquam Deus coleretur.
— Causae aperiuntur cur Christus Mariam Matris nomine non compellet.
— Cur Christus a Matris suae laudibus abstinuerit.
— Christus exemplo suo omnem parentum affectum exuere nos edocet.
— Christus duriuscule Matri respondet, ut nimiam hominum confidentiam in B. Virgine avertat.
Certamen VIII. Virginem Mariam non solum Christi, sed etiam Dei Genitricem vere et proprie esse, ac dici debere. *Num.* 1563. 297
— Nestorii lingua procax in Mariam, ab horrendis vermibus corroditur.
— Mariam veram esse Dei Genitricem fidei est dogma.
— Maximum in Dei Matris honore tutando zelum Theodori Pontificis observa.
— Anima et caro Christi prius natura fuerunt unitae Verbo quam inter se.
— Actio generativa B. Virginis terminata fuit ad Verbum in natura humana subsistens.
— Actio haec habuit pro termino sui adaequato non humanitatem in abstracto, sed subsistentem in Verbo.
Certamen IX. An Deipara sit dicenda Mater naturalis, an supernaturalis. *Num.* 1569. . . 302
— Maria mater supernaturalis vocatur a pluribus Patribus.
— Alii partim naturali, partim supernaturali vi concurrisse ad foetum aiunt.
— B. Virgo tanquam Mater supernaturalis suspicienda
— Maria nacta est per gratiam quod Pater aeternus nanciscitur per naturam.
— Generatio Mariae Operatio Dei virginea quo sensu dici possit.
Certamen X. An in Virgine Deipara sit admittenda relatio realis ad Christum, et in Christo ad Deiparam. *Num.* 1574. 305
— In Deipara inest relatio realis ad Christum.
— Haec relatio est eiusdem rationis cum relationibus aliarum matrum.
— Christus non refertur ad Matrem relatione increata filiationis.
— Christus dicit relationem realem filiationis ad Matrem eiusdem rationis cum aliis filiationibus.
— In Christo est duplex relatio filiationis creata et increata, non tamen est duo filii.
Certamen XI. Utrum B. Virgo in triduo mortis Filii fuerit Mater Christi. *Num.* 1578. . . . 307
— B. Virgo adhuc in triduo mortis Christi fuit vera Dei Mater.
— B. Virgo in illo triduo non fuit Mater Christi hominis.
— Maria in patria physice et moraliter eandem Matris Christi dignitatem obtinet, quam hic in via.
— Maria hortus, ut perennitas fructus Filii demonstretur.
— Christus Matrem Mariam perenni filiatione respicit.
— Maria affinitatem cum Deo, consanguinitatem cum Christo contraxit.
— Maria consanguinea Dei recte compellari potest.
Certamen XII. Utrum ex vi generationis ex Virgine prodierit Christus innocens, sanctus, et immunis ab originali peccato. *Num.* 1583. . 310
— Christus ex vi generationis ex Virgine immunis fuit ab originali.
— Filii parentum mores imbibunt.
— De furaci genitrice latronem filium processurum merito quispiam suspiceretur.
— Christus Dominus ex vi conceptionis suae ex Virgine sanctus prodiit.
Certamen XIII. Quo sensu vera sit illa decantata propositio: B. Virgo concepit per aurem. *Num.* 1588. 314
— Quo sensu dicatur sermo Gabrielis maritus, aurisque B. Virginis uxor.
— Sensus Mariae omnino occlusi praeter aures, quae soli Verbo Dei patebant.
— Verbum divinum in Incarnatione cum humana natura nuptias celebrat.
— B. Virgo dicitur concepisse per aurem, ut instantanea sobolis organizatio panderetur.
PALAESTRA VIGESIMAQUINTA. De praestantia dignitatis Maternitatis Dei. *Num.* 1591. . . 316
Certamen I. Maternitatis Dei sublimitas ac celsitudo vestigatur. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Deus nequit iuxta aliquos Doctores meliorem ac perfectiorem foeminam producere Maria.
— Maternitas Dei est infinita in genere aestimationis.
— Maria umbra tegitur divina, quia nullo nec angelico penicillo depingi potest.
— Maria obumbratur, cum amicitur sole, quia excellentiam Maternitatis Dei est inaccessibilis.
— Ea est excellentia Maternitatis Dei, ut, si fieri posset, ex ea Mariana animi demissio discrimen aliquod subiret.
— Gloriosius stemma Davidis fuit esse progenitorem Mariae.
— Solus Pater aeternus et Maria vocem illam sibi arrogare possunt: Hic est Filius meus dilectus.
Certamen II. Utrum gratia et visio beata sint Maternitate Dei minus bona. *Num.* 1595. . . 318

— Maternitas Dei maius bonum est in radice, gratia, charitate et beatitudine.
— Maternitas Dei est nobilior participatio divinae essentiae, quam reliqua gratiae dona.
— Maternitas Dei nobilior est gratia, et donis supernaturalibus, sicut forma nobilior est suis proprietatibus et dispositionibus.
— Maternitas Dei ut arctius coniungit cum Deo, est perfectior Angelo et anima rationali.
Certamen III. Utrum, si substantia supernaturalis produci posset, esset melior creatura Virgine Deipara. *Num.* 1597. 319
— B. Virgo qua Mater Dei, superior et perfectior est qualibet substantia supernaturali creata.
— Virgo Deipara omnibus creaturis maior, solo Deo minor.
— Maria iure vocatur prima natura proximior Deo.
— Quo sensu Spiritus sanctus nobiliorem effectum produxit, quam Pater aeternus.
— Angeli pro foribus Trinitatis adstant, Maria intra Trinitatis secessum.
Certamen IV. Utrum gratia habitualis, visio beata, et lumen gloriae sint connaturalia B. Virgini, qua est Mater Dei. *Num.* 1600. . . . 322
— Gratia connaturaliter debebatur Virgini Deiparae.
— B. Virgini, qua Mater Dei est, lumen gloriae, ac visio beata connaturalia sunt
PALAESTRA VICESIMASEXTA. Utrum Maternitas Dei sit forma sanctificans. *Num.* 1602. . . 324
Certamen I. Proponitur status controversiae. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Maternitas Dei ad ordinem rerum supernaturalium spectat.
— Gratia habitualis origo visionis Dei; gratia Maternitatis origo Dei-hominis.
Certamen II. Ex praestantia dignitatis Deiparae ostenditur, Maternitatem Dei esse formam sanctificantem. *Num.* 1606. 326
— Gratia Maternitatis Dei infinita praedicatur a Patribus.
— Gratia Maternitatis Dei est forma sanctificans.
— Sicut in humanis Maternitas naturalis est praestantior filiatione adoptiva; ita in divinis.
— Maternitas Dei sibi deposcit observantiam hominis-Dei.
— Maternitas Dei maiorem valorem confert suis operibus, quam quaecunque gratia habitualis iustorum.
— B. Virgo qua Mater Dei, gratia omni habituali praecisa, Hyperduliae cultu suspicitur.
— In B. Virgine duplex gratia admittitur, et gratia Maternitatis Dei, et gratia habitualis.
— Maria quo sensu dicatur Lucerna lucens et ardens a seipsa.
Certamen III. Maternitas Dei eminentiori modo est participatio Deitatis, quam gratia habitualis. *Num.* 1611. 329
— Gratia est participatio Deitatis, quia est imago referens et exprimens Divinitatem, ut includit omnem bonitatem.
— Sicut natura divina solum propendet in actus honestos; ita et gratia quae scintilla est Deitatis.
— Maternitas Dei est unio intimius uniens Mariam cum Deo, quam gratia habitualis unit animam cum Deo.
— B. Virgo qua Mater Dei, participat attributa Dei Trini multo melius quam gratia habitualis.
— B. Virgo per Maternitatem Dei determinatur ad operationes solum rectas.
— Maternitas Dei constituit Beatam Virginem imaginem expressivam Divinitatis.
— Maternitas Dei connaturali exigentia sibi vendicat omnium habituum supernaturalium aggregationem.
Certamen IV. Maternitas Dei mutuum amicitiae amorem cum Deo inducit sicut forma sanctificans. *Num.* 1616. 332
— Maternitas Dei inducit mutuum benevolentiae amorem inter Deiparam et Filium.
— Maria solo Maternitatis Dei titulo, seclusa gratia habituali, quidquid a Filio petit, impetrat.
— B. Virgo solo Maternitatis Dei titulo gratior Deo, et apud Deum potentior, quam omnes iusti cum gratia habituali.
— Maternitati Dei competit aliquod ius ad gloriam potius quam gratiae habituali.
— Potius ob Maternitatem Dei ius ad gloriam habet Maria, quam ob merita propria.
Certamen V. Maternitatem Dei incompossibilem esse ex se cum peccato, quod proprium est formae sanctificantis. *Num.* 1619. 334
— Gratia oppositionem moralem ex natura rei dicit cum peccato.
— Maternitas Dei dicit oppositionem moralem ex natura rei cum peccato.
— Maternitate Dei, adepta est Maria stabilitatem in gratia, quam Angeli adepti sunt visione Dei.
— Albertus Magnus argute docet maiorem gratiam inesse et sanctitatem Maternitati Dei, quam gratiae habituali.
— Maternitas Dei maiorem oppositionem dicit cum peccato, quam gratia habitualis.
— Maternitas Dei non coniungitur cum fomite peccati, bene vero gratia habitualis.
Certamen VI. Ex sanctitate, qua corpus sanctificat Maternitas Dei, arguitur sanctitas, qua animam reddit sanctam. *Num.* 1624. . . . 337
— Maternitas Dei sanctum reddit corpus Marianum, seclusa gratia habituali; ergo et animam sanctam reddet.
— Caro Virginea fuit purgata, et emundata ab omni qualitate inordinata.
— Caro Virginea dicitur sancta, quia destinata ut ex ea Christus nasceretur.
— Uterus Virgineus sanctus, quia denotat specialem Dei complacentiam.
Certamen VII. Praecluduntur adversariae partis argumenta. *Num.* 1626. 339
— Illa sententia temeritatis notam incurrit, quae positive adversatur communi Doctorum iudicio.
— Gratia habitualis non dicit ex natura rei oppositionem physicam cum peccato.
— In triduo mortis Christi, B. Virgo fuit Mater Dei quoad moralem aestimationem.
— B. Virgo in triduo mortis Christi adoranda erat hyperduliae cultu.
— Maternitas Dei est forma supernaturalis.

— Gratia quae est forma sanctificans intrinsece nobis inhaeret iuxta concilium Tridentinum.
— Maternitas Dei si sit modus, recte potest esse forma sanctificans.
— Maternitas Dei reddit B. Virginem dignam adoratione hyperduliae et amore Filii.
— Maternitas Dei in aestimatione morali est intrinseca B. Virgini, ipsam intrinsece afficiens.
— Concilium Tridentinum solum docet gratiam, quae communis est omnibus iustis, esse formam intrinsece inhaerentem.
— Concilium Tridentinum solum ferit ibi haereticos adstruentes nos esse sanctos sanctitate Dei per imputationem extrinsecam.
— Maternitas Dei aliquam sanctitatis infinitudinem sibi vindicat.
— Cur B. Virgo quae infinita sanctitate *secundum quid* gaudet, non possit condigne satisfacere pro peccato.
— Utrum B. Virgo per Maternitatem Dei, et per merita ipsius sit condigna praemio infinito.

Certamen VIII. Maternitati Dei competunt reliqua praedicata essentialia propria formae sanctificantis. *Num.* 1633. 343
— Formae sanctificantis specifica differentia est perfectio secum ferens virtutem radicalem omnium donorum supernaturalium.
— Quae ratio specifica recte competit Maternitati Dei.
— Maternitas Dei constituit B. Virginem in actu primo radicali conformem rationis praescripto.
— Maternitas Dei reddit animam Virginis formosam, ac pulcram ex apta virtutum concordia.
— Praeter gratiam Maternitatis Dei etiam gratia habitualis collata fuit B. Virgini; et quare.

PALAESTRA VICESIMASEPTIMA. Rerum omnium dominium nanciscitur Deipara. *Num.* 1637. . 346

Certamen I. Temporale Christi et Deiparae regnum profligat. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Caesar Augustus a Christi nativitate fuit prorex Christi Regis.
— Christum Dominum Regem esse temporalem, propositio apparet de fide.
— Christus Dominus gavisus est regno temporali in omnes creaturas.
— Christus Dominus hac potestate, et dominio rerum omnium aliquando est usus.
— Duplex dari potest dominium adaequatum eiusdem ordinis si sint superioris sphaerae.
— Tum etiam quando duplex dominium est diversi ordinis.
— B. Virgo est Regina ac Domina universi.
— B. Virgo rerum omnium Regina constituitur titulo Maternitatis Dei.
— B. Virgo omnium creaturarum dominium obtinet ex officio corredemptricis.
— B. Virgo ex dono iustitiae originalis omnium creaturarum dominium habet.

Certamen II. Utrum hoc universale dominium nacta fuerit Deipara ab instanti sui conceptus. *Num.* 1647. 351
— B. Virgo ab instanti conceptionis hoc imperium nacta fuit.
— Mariae res omnes certatim inservire ambiunt.
— Maria nacta fuit imperium in Angelos, Daemones, homines, et in creaturas rationis expertes.
— Maria nacta est etiam dominium in omnia bona supernaturalia.

Certamen III. Utrum Deipara in inferos imperium suum protendat. *Num.* 1652. 354
— B. Virgo in Daemones suum protendit imperium.
— Sagae et alii cum Daemone foederati, et Deum, et Mariam abiurare compelluntur.
— Dagon, nempe Diabolus, coram arca Mariae truncus iacet?
— Daemon dicitur homicida, fur et adulter. Sicut homicida, fur et adulter fugantur aurora et luce; ita daemones per Mariam.
— Atrocius tormentum fuit daemoni Mariam sibi infensam habere, quam flammis addicti tartareis.
— B. Virgo ab intrinseco tentari non potuit.
— Ab extrinseco tentatam fuisse affirmant aliqui.
— Maria nulla prava suggestione a Daemone tacta fuit.
— Daemon non tam terretur loci sanctitate, quam homine divino spiritu adflato.
— Ad praesentiam Christi et Mariae daemonum fraudes evanent.
— Mariae virginitas exosa Daemonibus.
— Mariae rebellionem significat, quia in Daemonum imperium rebellavit.
— Maria quasi Panoplia, hoc est omni armorum genere Christum induit.
— Ipsum Christum sine Maria socia et comite Daemon aggreditur.
— Maria Olympi cacumen, ubi nec venti, nec imbres Daemonum pertingunt.
— Daemon nunquam B. Virginis formam assumpsit in suis apparitionibus.
— Daemon nunquam nomen Mariae ausus est pronunciare.
— Daemon omnium primus nomen Dei et Iesu accepit.
— Daemon est amans novitatis.
— Maria in inferna loca suum protendit imperium.
— Maria officina Spiritus Sancti stupendae suae operationis.
— Die lunae conditur infernus, eademque die concipitur Maria.
— Maria plures aeternis flammis addictos liberavit.
— Quod damnati puniantur citra condignum Mariae etiam tribuendum.
— In die Assumptionis B. Virginis Daemones non ita desaevire in damnatos, aiunt aliqui.
— Quae propositio tanquam temeraria ab aliis refellitur.
— Maria purgatrices animarum flammas attemperat.
— B. Virgo multipliciter animabus in Purgatorio existentibus suffragatur.
— Uno die plusquam centum millia animarum e Purgatorio in caelum evolarunt rogatu B. Virginis.
— B. Virgo tanquam Salacia praesidet aquis inferioribus, nempe Purgatorii.

— B. Virgo cum in caelos assumpta est, evacuavit Purgatorium.
Certamen IV. Utrum Deipara habuerit in Christum patriam potestatem. *Num.* 1668 . . . 362
— B. Virgo habuit in Christum patriam potestatem.
— Christus Matri obsequium, et honorem impendebat.
— Christus Matrem ad eosdem honores sibi debitos evocavit.
— Christum immunem fuisse a patria potestate aliqui docent.
— B. Virgo nullo modo dici potest Christi serva.
PALAESTRA DUODETRICESIMA. De merito B. Virginis in ordine ad se. *Num.* 1672. . . . 364
Certamen I. Quantitas meriti Virginei ex quibus capitibus desumenda sit. *Num. eod.* . . ibid.
— Marianum meritum accrescebat ex dignitate Maternitatis Dei.
— Opera Christi ex dignitate personae traxerunt maiorem valorem.
Certamen II. A quo tempore inceperit meritum Marianum. *Num.* 1677 367
— B. Virgo in primo instanti conceptionis elicuit actus liberos supernaturales.
— B. Virgo in instanti conceptionis per proprios actus se disposuit ad infusionem gratiae.
— B. Virgo a primo conceptionis momento coepit mereri.
— B. Virgo et concepta fuit in gloria, et mereri potuit in eo instanti.
— B. Virgo nihil nunc nobis meretur.
— Nec Beati, nec animae in Purgatorio existentes nobis aliquid merentur, sed impetrant.
Certamen III. Utrum Virgo Deipara meritum in somno interrumperet. *Num.* 1680 . . . 369
— In innocentiae statu etiam homines se somno dederent.
— In statu innocentiae somnus non adimeret libertatem.
— B. Virgo in somno libertate, et merito non caruit.
— B. Virgo Ecclesiae cor, quod, reliquis membris dormientibus, vigilat.
— Somnus non semper tollit libertatem in dormiente.
— Maria Virgo quare dicatur diutius vixisse quam plurimi mortales.
Certamen IV. Utrum Virgo Deipara per omnes et singulas vitae suae actiones meruerit. *Numero* 1684 372
— Virginis B. operationes aliquae fuerunt ex obiecto indifferentes.
— B. Virgo per singulos actus, quos vivens exercuit, meritum adauxit.
— B. Virgo nullum actum habuit indifferentem in individuo.
— B. Virgo nullum actum habuit indeliberatum.
— Maria omni tempore flores ac fructus proferebat.
— Maria nunquam operata fuit ex motivo mere naturali.
— Actus virtutum naturalium B. Virginis non relati in finem supernaturalem non erant meritorii gratiae.
Certamen V. Utrum Virgo Deipara toto vitae suae tempore usque ad mortem continue meruerit. *Num.* 1688. 374
— Mariam ab Incarnatione usque ad mortem non potuisse mereri, quinam affirment.
— Maria post Filii Incarnationem novos auctus fecit in gratia.
— Maria Virgo singulis actibus augmentum gratiae promeruit.
— B. Virgo a primo conceptionis puncto sine ulla intermissione meritum continuavit.
— B. Virgo instar navis quae noctu diuque secundis ventis enavigat.
— B. Virgo actum amoris per omnem vitam non interrupit, imo neque morte, sed continuavit in patria.
Certamen VI. Utrum Deipara Maternitatem Dei promeruerit de congruo. *Num.* 1691 . . . 376
— Maternitas Dei sola, bonum omni ex parte fortunatissimum.
— B. Virgo meruit dignitatem Maternitatis Dei, de congruo.
Certamen VII. Utrum B. Virgo condigne meruerit Maternitatem Dei. *Num.* 1694. 378
— B. Virgo potuit de potentia absoluta promereri condigne Maternitatem Dei.
— Antiqui patres non promeruerunt condigne esse progenitores Christi.
— B. Virgo condigne meruit Maternitatem Dei.
— Opera bona supernaturalis ordinis sine ordinatione Dei non deposcunt augmentum gratiae et gloriae.
— B. Virgo potuit mereri et de facto promeruit condigne aliud praeter gratiam et gloriam.
— Pactum Dei ad meritum condignum Maternitatis Dei ex Scriptura evincitur.
— Idem pactum sublatet in legatione Gabrielis.
— Gratia habitualis sufficiens principium est cuiuslibet praemii a Deo statuti.
— Gratiam B. Virginis causam Maternitatis Dei vocant Patres.
— Immensitas gratiae Marianae cum pacto Dei acceptantis condigne Maternitatem promeruit.
Certamen VIII. Utrum B. Virgo meruerit suam electionem, ut esset Mater Dei. *Num.* 1700. . 384
— Potuit Deus eligere B. Virginem in Matrem ex praevisis ipsius meritis.
— B. Virgo fuit ab aeterno electa ad tantam gratiam et gloriam ante eius merita praevisa.
— B. Virgo neque de congruo suam electionem ad Maternitatem Dei promeruit.
Certamen IX. Utrum B. Virgo meruerit accelerationem Incarnationis de condigno. *N.* 1701. 385
— B. Virgo de condigno promeruit Incarnationis accelerationem.
— Dignitas operantis, et promissio dantis praemium valde conducunt ad rationem meriti.
— Nostri actus boni, quia sumus Christi membra, plus praemii condigne merentur.
— Antiqui Patres meruerunt accelerationem existentiae B. Virginis.
Certamen X. Utrum B. Virgo meruerit circumstantias Incarnationis. *Num.* 1704. . . . 388
— B. Virgo meruit circumstantias Incarnationis.

— Explicatur illud commune axioma: *principium meriti non cadit sub meritum.*
Certamen XI. Utrum B. Virgo meruerit Incarnationem, seu unionem hypostaticam. *N.* 1708. 391
— Licet B. Virgo meruerit Maternitatem Dei non tamen unionem hypostaticam, vel Incarnationem.
— Asserere B. Virginem condigne meruisse Incarnationem, erroneum, seu temerarium est iuxta aliquos.
— At iuxta Suarium nulla censura dignum est, asserere B. Virginem meruisse Incarnationem, seu unionem hypostaticam.
— B. Virgo meruit ut ex materia sui corporis formaretur Christus.
Certamen XII. Aliae difficultates de merito Virgineo expediuntur. *Num.* 1710. 392
— B. Virgo non meruit primam gratiam.
— B. Virgo in primo instanti conceptionis promeruit gloriam.
— Virgo Deipara precibus suis gloriam sui corporis maturavit.
PALAESTRA UNDETRICESIMA. De merito B. Virginis Deiparae in ordine ad nos. *Num.* 1712. 394
Certamen I. Utrum Deipara impetraverit nobis peccati originalis expiationem. *Num. eod.* . ibid.
— B. Virgo impetravit nobis peccati originalis expiationem.
— Beneficium Incarnationis pro unoquoque exhibitum, ac si uni esset praestitum.
— Incarnatio ita fuit decreta, ut quolibet deficiente non incarnaretur Christus.
— B. Virgo nobis de congruo promeruit omnis peccati actualis, et originalis remissionem.
— Maria dicitur Ianua poenitentiae.
— Maria nobis promeruit primam gratiam.
— Virgo Deipara omnibus hominibus de congruo gloriam promeruit.
— Maria arbor vitae de cuius vicinitate reliquae hominum arbores florent, ac fructus afferunt.
— Virgo Deipara qua ratione in fidelium corpora et animas influat.
— Virgo Deipara non solum nobis, sed etiam his, qui eam praecesserunt, meruit de congruo.
— Merita B. Virginis ex natura sua, et ex intentione Dei ad totius humani generis instaurationem referebantur.
— Iustitia originalis Adae collata fuit ex meritis B. Virginis.
Certamen II. Meruit nobis Virgo Deipara gratias omnes excitantes, adiuvantes, ac dona omnia iustificationem subsequentia. *Num.* 1718. . 392
— B. Virgo meruit nobis auxilia omnia ac dona ad iustificationem necessaria.
— Potentior fuit Maria ad bona in nos invehenda, quam Adam ad mala inferenda.
— Virgo Deipara omnibus quoad sufficientiam meruit omnia dona gratiae.
— Meruit etiam electis quoad efficaciam specialia auxilia.
— Permanentiam et conservationem in gratia Mariae meritis adipiscimur.
— Maria primatum obtinet a Deo erga Angelos et homines.
— Huius primatus pinguissimo beneficio pensionem imposuit Deus, ut nobis omnibus suffragetur.
— Maria nobis impetrat perseverantiae donum singulare.
— Remissio venialium etiam fit ex meritis B. Virginis de congruo.
Certamen III. Quidquid nobis Christus meruit de condigno, cadit sub meritum congruum B. Mariae. *Num.* 1722. . . . 400
— Omnis gratia confertur ex meritis Christi et B. Virginis.
— Nec gratia Christi, nec gratia prima collata B. Virgini cecidit sub ipsius meritum.
— Conservatio vitae uniuscuiusque hominis fit ex meritis B. Virginis.
— Quod Christi sanguis apud Patrem, hoc apud Filium praestat lac Marianum.
— Christus rex iustitiae, Maria regina misericordiae.
Certamen IV. Nullum bonum a Deo in nos dimanat non impetrante Maria. *Num.* 1725. . 401
— Nihil boni a Deo in nos derivatur, nisi per Mariam.
— Sicut sublunaria a sole, sic nos a Maria incrementa recipimus.
— Maria orbis huius mystici luna.
— Maria chirographum Dei sigillo munitum, quo veniam peccatorum consequimur, et omne bonum.
— Ex Bernardo adest decretum infallibile, ut nihil boni ad nos deveniat, nisi per Mariam.
— Parvuli in limbo degentes munificam Mariae beneficentiam experientur.
— Maria aureum habet Dei sigillum, ne quid triste nobis decernat sine ipsa.
— Quae Christus nobis meritis Mariae donat, ipsi Matri donare se putat.
— Aptius Maria quam D. Paulus affirmare potest: *Adimpleo ea, quae desunt passioni Christi.*
— Dei dona per Mariam ad nos transfusa dulciora, et iucundiora sunt.
— Nunquam preces ad Deum dirige sine Maria, sic securius postulata nancisceris.
— Maria in lucem edita omnium bonorum scaturigo in homines redundavit.
— B. Virgo videt in Verbo quidquid Deus videt scientia visionis.
— Christus nullum influxum gratiae in nos exhibet, quin transeat per Mariam.
Certamen V. Utrum praedestinatio iustorum cadat sub meritum de congruo Mariae. *N.* 1730. 407
— Dilectio efficax electorum innixa fuit meritis Christi et Mariae.
— B. Virgo dici potest causa meritoria nostrae praedestinationis.
— Maria baculum quo innitimur, et calamus quo nostra praedestinatio subscribitur.
— Qui non evigilaverit ad hanc virgam Mariae casurus est in ollam succensam orci.
— Quo sensu verum sit illud: *Impossibile est Deiparae cultorem damnari.*
— Maria sedula Ruth reiectaneas peccatorum spicas inferno destinatas colligit.
— Maria quotidie in peccatoribus Maternitatis Dei excellentiam nanciscitur.
— Christus hamus, esca Maria ad prehendendos homines.
— Dimas ex latrone fit martyr precibus et obumbratione Mariae.

— In porta mortis auxiliarem fert opem Maria suis clientibus.
— Et ipse Iudas si sub clientela Mariae fuisset, salvus evasisset.
Certamen VI. Utrum B. Virgo praedestinationem emeruerit unius prae alio, his potius, quam aliis sua merita applicans. *Num.* 1735. 410
— B. Virgo meruit horum praedestinationem prae aliis.
— Christus et Maria omnino liberaliter applicuerunt sua merita pro praedestinatis.
— Ad voluntarium indirectum non sufficit voluntas causae indeterminatae, sed determinatae.
— Virgo in primo conceptionis instanti cognovit Angelos et homines omnes qui futuri erant.
— Maria primiceria praedestinatorum cuius interest praedestinatos, in Libro rescribere.
— Mariae alvus est etiam albeus, seu tabula lusoria latrunculorum.
— In puncto conceptionis adduxit Deus ad Mariam omnes homines, ut videret quid vocaret eos.
— Maria omnibus praedestinatis gloriae coronas attexit meritis suis.
— Deus per Mariam peramplam et praedivitem familiam sibi instituit.
— Omnis gratia et gloria dos Mariae, sine cuius consensu nec alienari, nec distribui potest.
Certamen VII. Utrum B. Virgo potuerit aliis mereri de condigno gratiam iustificantem. *Numero* 1741 417
— Potuit B. Virgo condigne mereri iustis gratiae sanctificantis augmentum.
— Potuit B. Virgo condigne mereri gratiam sanctificantem etiam peccatoribus.
— Potuit Deipara condigne mereri remissionem peccati.
— Non potuit B. Virgo satisfacere condigne pro peccato.
— B. Virgo potest pro Deo fideiussionem sufficientem exhibere.
Certamen VIII. An potuerit Virgo Deipara condigne satisfacere pro peccato alieno. *N.* 1746. 423
— B. Virgo potuit satisfacere aliquo modo condigne pro alieno peccato.
— B. Virgo non potuit satisfacere pro alieno peccato condigne omnino perfecte.
— Peccati lethalis malitia non est simpliciter infinita.
Certamen IX. Aliae rationes adversus condignam purae creaturae satisfactionem disploduntur. *Num.* 1752. 428
— Poena sensus debita pluribus venialibus superare potest poenam sensus debitam mortali.
PALAESTRA TRICESIMA. Virgo Deipara Mediatricis officio fungitur ad Deum pro nobis. *Numero* 1756. 432
Certamen I. Virgo Deipara in coelis residens orat, ideoque imploranda a Christi fidelibus *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Iacobus rex Angliae, et Constantinus Copronymus Mariae hostes infensi.
— B. Virgo in caelis residens imploranda a Christi fidelibus.
— B. Virgo nunc pro nobis orat oratione expressa et formali.
— Id docet esse de fide Suarius.
— Astronomi inter leonem et libram constituunt virginem.
— B. Virgo videt omnia, quae Deus in Ecclesia operatur.
— Patrocinium B. Virginis potentissimum.
— Maria precibus nostris humanis respondet per affluxus caelestes.
— B. Virgo duplicis spei obiectum potest esse.
Certamen II. Una B. Virginis oratio omnium Sanctorum precibus copulative sumpsit potentior. *Num.* 1761. 435
— Potentia Marianae orationis componitur cum potentia orationis Christi.
— B. Virginis oratio et Dei oculos contegit, et manus alligat, ne puniat sceleratos.
— Mariae verba munita satellitibus, ut Deum teneant, ne peccatores puniat.
— Mariae oratio potentior precibus totius curiae caelestis.
— B. Virgo nullo intercessore indiget apud Deum, ut quod petit extorqueat.
— Praefertur Ioannes Petro; dum Petro Ecclesia, Ioanni una Maria committitur.
— Mariae nomen, et invocatio oleum, quod super omnes liquores enatat.
— Maria finis dolorum, initium consolationis.
— Qui brevi cupit petita nancisci, adeat Mariam.
— Mariae ubera universae Sanctorum multitudini pariantur.
— Marianae orationis potentia exprimitur.
— Lacrymarum et poenitentiae vis.
— Mariae precibus excitatus Deus Filium suum mundo devovit.
— Desideria sola B. Virginis efficacia sunt ad impetrandum.
— Matris et Filii idem cor, eademque voluntas.
— Mariae oratio imperialis, ideoque orat et exorat.
— Mariae oratio castrorum acies ordinata.
— Per Mariam mille ostia patefiunt in caelum.
— Maria scutis circumamicitur, ut sibi addictos protegat.
— Gratiae nobis collatae sunt velut redditus annui sortis principalis, quam Maria in Christo collocavit.
— Lunae collatio cum Maria.
Certamen III. Deipara Advocatae munus obit, Deum inter et homines. *Num.* 1769. . 439
— Maria officina ubi opera misericordiae fabrefiunt.
— B. Virgo Mediatrix et Advocata Deum inter et homines.
— B. Virgo Advocatae munus optime obit.
— Maria nostrarum precum complementum.
— Virgini Deiparae ita est proprium advocatae munus, et mediatricis, ut aliis Sanctis non competat.
Certamen IV. B. Virgo utrum dici possit causa et reparatrix nostrae salutis. *Num.* 1772. . 441
— Quo sensu dicatur B. Virgo causa nostrae salutis.
— Christus duplici titulo noster est, et quia a Patre donatus, et quia a Maria nobis emptus.

— Iudas iure finilt suspendio, tanquam fur in latrocinio deprehensus.
— Quo sensu dicatur Maria humani generis Corredemptrix.
— Christus sola Matris voluntate permotus sponte mortem subiret.
— Pater aeternus, et Maria ita Filium morti devovent, ac si parentum exuant affectum.
— Maria altare, in quo quotidie offerebatur Christus.
— Iacob pariatur in lucta Filio Dei, quia progenitor Iesu.
— Praedestinatorum lilia et Christi sanguine vernant, et lacte virgineo candicant.
— Vel ipse Pater aeternus exemplum, et animos sumere posset a B. Virgine, ut Filium morti offerret.
— Ex Maria vigilante et consentiente peragitur Incarnatio tanquam ex Corredemptrice.
— B. Virgo adiutorium Christi in opere Redemptionis.
— Eva non de talo Adam, sed de latere formata, quia non futura mancipium.
— Deo aeque gratum foret quod moreretur Christus, vel quod immortalis permaneret.
— Ex lacte Mariano hausit Christus, ut pro humano genere morti addiceretur.
— Maria fons ille paradisiacus misericordiae suae fluenta in universam terram derivans.
— Maria dicitur adimplere et perficere quae desunt passioni Christi.
— Maria Mediatrix apud Mediatorem Iesum.
— B. Virgo in quadruplici genere causae reparationem universi operata fuit.

PALAESTRA TRICESIMAPRIMA. Theologia Mariana in ordine ad Deum Trinum et unum. *Num.* 1780. 448

Certamen I. Quo iure Deipara Trinitatis Complementum depraedicetur. *Num.* 1781. . . ibid.
— Maria officina totius Trinitatis.
— Salazar mentem Hesychii non attigit in verbis illis, *Trinitatis Complementum.*
— Maria dicitur Trinitatis complementum, quia complet ac perficit Paternitatem, filiationem, ac nexum utriusque.
— Per Mariam Trinitatis cognitio nobis completur et perficitur.
— Dei Unius et Trini essentia non diceretur completa nisi seipsum nobis excellentiori modo diffunderet.
— Maria Trinitatem complevit, quia in ipsa attributa divina vim suam exeruerunt.
— Spiritus sanctus quandam foecunditatem nanciscitur in Maria ad producendam personam divinam *ad extra.*
— Spiritus sanctus in Maria adornanda infinitam se communicandi sitim vel explet, vel levat.
— B. Virgo complet Trinitatem in ratione communicationis.
— Foecunditas Patris quasi completur cum Filium producit per voluntatem ex Maria.
— Ex Maternitate Mariae nova relatio Paternitatis in Patre aeterno succrescit.
— Maria cum tribus Personis concurrit ad compingendum Christum, complevitque opus Trinitatis.
— Nulla creatura, dempta Maria, fuit opus Dei Trini *ut sic.*

Certamen II. Beata Virgo a tribus divinis Personis contentione quadam expetitur et ambitur. *Num.* 1785. 451
— Aliqui attribuunt opus Incarnationis Spiritui sancto.
— Alii hoc opus Patri arrogant aeterno.
— B. Virgo per consensum ad generationem Christi, ad summum castitatis apicem pervenit.
— Trinitas aemula contentione B. Virginem adamat, ac donis exornat.
— Deus non solum natura, sed etiam aemulatione est beneficus.
— Tres divinae Personae ambiunt suum nomen imponere homini baptizando.
— Trinitas tota concurrit homini formando.
— Tres Personae supprimuntur in hominis destructione.
— Pater aeternus instar sponsi flammeo quodam obviat Mariam.
— Antiquitus idem erat, uxorem ducere, ac uxorem emere vel mancipium.
— Pater aeternus, et Maria quomodo sint duo in carne una.

Certamen III. Virgo Deipara trium Personarum divinarum proprietates sibi vendicat aliquo modo. *Num.* 1789. 455
— Pater aeternus notionem paternitatis soli Mariae communicavit.
— B. Virgo omnipotentiam Patris quasi ebibit.
— B. Virgo eminentias Filii sui sibi arrogare videtur.
— Maria est filia Dei Patris arctiori vinculo quam adoptionis.
— B. Virgo dicitur nurus Patris aeterni.
— B. Virgo titulo maternitatis Dei est filia Dei, nobiliori modo quam alii iusti.
— Maria dicitur ex mente Patris aeterni orta.
— Maria dicitur soror Verbi divini.
— Maria quia rosa inter spinas, assumitur in sororem Verbi divini.
— Spiritus sanctus Mariano corpore tanquam proprio organo usus fuit.
— Maria est sitis Spiritus sancti sedatio et expletio.
— Maria proprietates Spiritus sancti aemulatur.

Certamen IV. Virgo Deipara et Spiritus sancti, et Christi Sponsa iure decantatur. *N.* 1795. . 460
— Maria Spiritus sancti Sponsa speciali titulo.
— Spiritus sanctus despondit Mariam per procuratorem Iosephum.
— Maria vera Christi sponsa cum omni proprietate.
— Matrimonium inter Christum et Mariam consummatum fuit in Incarnatione.

Certamen V. Generatio temporalis Christi ex Maria, aemulatrix generationis aeternae ex Patre. *Num.* 1797. 463
— Generatio Verbi ex Maria similis generationi eiusdem a Patre.
— Generatio Verbi ex Maria dicitur processio a Chrysostomo.
— Generatio Verbi ex Maria, aeterna dicitur quia in generatione ex Patre adumbrabatur.

— Uterus Virgineus sicut echo Patris aeterni, et cur?
— B. Virgo ex cognitione Dei et attributorum, concepit Filium Patris.
Certamen VI. Ex qua cognitione Beata Virgo Verbum conceperit. *Num.* 1799. 465
— B. Virgo ex cognitione Spiritus sancti, concepit Verbum divinum, tanquam ex cognitione Sponsi sui.
— Maria concepit Christum ex cognitione beata.
— Pater aeternus cognitione comprehensiva Deitatis Verbum gignit. Maria per comprehensionem Dei in utero.
— Verbum, quod est terminus cognitionis Patris, est terminus uteri Mariani.
— Caro Virginea omnis spiritus sphaeram supergreditur.
Certamen VII. Utrum B. Virgo genuerit Dei Verbum ex amore et actu voluntatis. *N.* 1802. . 468
— Verbum divinum per voluntatem a Matre nascitur.
— Verbum divinum semel a Patre gignitur, bis a Maria.
— Verbum divinum quo sensu dicatur per voluntatem Patris editum.
— Patris locutio tunc perficitur, cum Verbum percipitur et custoditur a Maria.
— B. Virgo idem cor habet cum Patre.
— Virtutes congrediuntur de primatu circa concursum generationis Christi.
— Amor primas fert in concursu generationis Christi.
PALAESTRA TRICESIMASECUNDA. Pluris esse apud Deum unam Deiparam, quam reliqui sunt Angeli et homines simul sumpti. *Num.* 1805. 470
Certamen I. An reliquis hominibus de medio sublatis propter solam Deiparam Christus carnem assumeret. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Una Maria opus totum Incarnationis.
— Una Maria plus adaequat motivum Incarnationis, quam electi omnes.
— Verbum divinum si non carnem assumeret, nec Maria existeret.
— Conceptio Mariae authenticum instrumentum et pignus adventus Verbi divini.
— Nequit concipi Maria futura sine Filio Dei.
— Uni Mariae plus profuit Incarnatio, quam utrique creaturae angelicae et humanae.
Certamen II. Utrum, Adamo non peccante, existeret Maria. *Num.* 1808. 472
— Maria non existeret ex vi praesentis decreti, Adamo non peccante.
— Foemina non ex primaria Dei intentione conditur, sed secundario.
— Dignitas Maternitatis Dei per se a Deo intenta.
Certamen III. Plus Dei magnitudo per unam Virginem Deiparam dignoscitur, quam per omnes simul creaturas. *Num.* 1811. . . . 475
— Christo omnium honorificentissimum stemma, vocari Filium Mariae.
— Per unam Mariam plus dignoscitur Deus quam per reliquas omnes creaturas.
— Maria dicitur Dioptra perspectiva.
— Maria tanquam umbra Deum in altum evehit.
— Deus quoad nos in novos auctus exercuit ex utero Virgineo.
Certamen IV. Utrum Deus plus diligat unam Deiparam, quam universam Ecclesiam, dempta Virgine. *Num.* 1814. 477
— Pluris habetur a Christo una B. Virgo quam universa Ecclesia.
— Totus Christus est B. Virginis.
— Maria opus excellentissimum Incarnationis.
— Deus ita incumbit uni Mariae, ac si reliqua non curaret.
— Canticum canticorum in proprio et literali sensu de Maria accipiendum.
— Christus redemptionis opus tantisper distulit, ut Matrem solaretur.
— Christus in salutem corporum et animarum totus incubuit.
— Magdalenae contemplatione allectus Christus quasi reliqua omnia derelinquere visus est.
— Quod meliori iure B. Virgini aptabis.
— Omnis hominum respublica si cum sola Maria componatur, quasi eremus coram Deo.
— Christo cum Maria omnia venerunt bona.
— Maria grandis thesaurus humanae considerationis metas superans.
— Nusquam voluptatis locus Deo nisi in Maria.
— Christus Mariam triplici amore prosequebatur.
Certamen V. Virgo Deipara est obiectum, in quod sacra Scriptura collimat. *Num.* 1819. . 481
— Maria obiectum in quod omnis sacra Scriptura collimat.
— Maria est quasi sacra Scriptura non emortua, sed vivida; non scripta, sed animata.
— Christus et Maria argumentum, et thema totius sacrae Scripturae.
PALAESTRA TRICESIMATERTIA. Quo cultu sit adoranda Virgo Deipara. *Num.* 1821. . . . 483
Certamen I. De singulari Apostolorum in B. Virginem pietate ac cultu. *Num. eod.* . ibid.
— Apostoli leunculi qui thronum Marianum custodiunt, eique exhibent obsequia.
— Apostoli adolescentulae Mariae comites, ac pedissequae sponsae.
— Maria Ecclesiae, et Apostolorum scholae a Filio praeficitur.
— Maria Apostolorum fuit praeconium, et hymnus.
— Apostoli icones B. Virginis secum deferebant in promulgatione Evangelii.
— Apostoli angelicae Salutationis elogia saepius recitabant.
— Assumptionis festum ab Apostolis ortum duxit.
— Dies sabbati ab Apostolis Mariae Virgini dicatus.
— Decantatae laudes ab Apostolis in funere Mariano perstringuntur.
Certamen II. B. Petri Apostoli in eandem Deiparam cultum et honorem ostendit. *N.* 1825. 486
— D. Petrus precibus Mariae e trinae negationis barathro erutus.
— D. Petrus epistolam ad B. Virginem scribit.
— B. Petri in Mariam cultus, et pietas.
— D. Petrus primus inter Apostolos sacellum Mariae consecrat.
— Oratio Panegyrica D. Petri in obitu Mariae Virginis.

— D. Petrus in obitu Mariae Eucharistiam administravit.
— D. Marci Evangelistae studium in Mariam.
— D. Marco attribuuntur omnia B. Virginis festa.
— D. Marci encomium in obitu B. Virginis.
— Imago Deiparae a Martiano allata, miraculis clarissima.
Certamen III. De s. Pauli in B. Virginem pietate et cultu. *Num.* 1828. 489
— D. Paulum B. Virgo Christo peperit suis precibus.
— D. Pauli illustre encomium in Virginem Deiparam.
— D. Dionysii cultus et pietas in Mariam.
— D. Pauli oratio habita in transitu Deiparae.
— Pauli laus in Virginem Deiparam.
— D. Paulus perspicue stat pro immaculata Conceptione B. Virginis.
Certamen IV. S. Ioannis Apostoli miram in B. Virginem pietatem et cultum depraedicat. *Numero* 1830. 493
— Encomium in Ioannem Evangelistam.
— Ioannes fidus B. Virginis oeconomus.
— Ioannes Evangelista B. Virginem comitatus fuit cum Caesaraugustam advenit.
— B. Virgo specialem gloriam nacta fuit ex obsequiis s. Ioannis.
— Sermo s. Ioannis Evangelistae in transitu B. Virginis.
— Ioannes primus et egregius scriptor Marianarum laudum.
Certamen V. De D. Andreae et Iacobi in Mariam speciali cultu et observantia. *Num.* 1833. . 496
— D. Andreas in symbolo, Mariam Matrem Dei, ac Virginem insigniter confitetur.
— Andreas sermonem habet in transitu Deiparae.
— Andreas pro immaculata Mariae Conceptione decertat.
— Iacobus Maior primus festum immaculati conceptus Virginei instituit.
— Eiusdem Iacobi encomium in B. Virginem.
Certamen VI. De singulari Divi Thomae, Iacobi Minoris, Philippi, et Bartholomaei, et Matthaei Apostolorum in B. Virginem pietate ac cultu. *Num.* 1834. 497
— Oratio habita a D. Thoma Apostolo in funere Deiparae.
— D. Thomas Apostolus immaculati conceptus Virginei assertor.
— Praeclarum s. Iacobi Minoris encomium in Virginem Deiparam.
— Oratio eiusdem habita in funere Dei Genitricis.
— Sermo s. Philippi Apostoli in transitu B. Virginis.
— S. Bartholomaeus Apostolus centies die, et centies noctu flexis genibus Salutationem angelicam recitabat.
— Rosarium B. Virginis a D. Bartholomaeo initium duxit.
— Idem in obitu Deiparae in laudes ipsius diffunditur.
— D. Bartholomaeus Marianae virginitatis voto nuncupatae primus assertor.
— D. Bartholomaei insignis pietas et cultus in Mariam.
— Pharmacum praesentissimum ad omnem pestem propulsandam.
— S. Matthaeus brevi sermone quidquid laudis de Maria dici potest in summam redegit.
— Oratio D. Matthaei in laudem Deiparae.
Certamen VII. De pietate et observantia reliquorum Apostolorum in Virginem Mariam. *Numero* 1839. 502
— S. Simonis Apostoli oratio in laudem Deiparae Virginis.
— Sermo s. Thadaei Apostoli in transitu B. Virginis.
— Oratio in B. Virginem a D. Mathia Apostolo habita in obitu B. Virginis.
— Idem conceptum immaculatum B. Virginis propugnat.
— Oratio D. Barnabae in laudem Deiparae.
— Maria doluit in triduo mortis Filii ob amissam maternitatem.
— S. Barnabas in agro Ticinensi et Mediolani templa Deiparae consecrat.
— S. Lucas, depictis pluribus B. Virginis imaginibus, ipsius cultum per orbem invexit.
— S. Lucas fuit a secretis B. Virginis.
— Idem Mariae virginitatem et a peccato originali immunitatem propugnat.
— B. Virgo in Assumptione sua evacuavit Purgatorium.
Certamen VIII. Deipara adhuc vivens summo in honore habita. *Num.* 1843. 504
— Ad Mariam visendam frequens fiebat ex Hispania peregrinatio.
— B. Virgo non a regiis proavis, sed a Iesu omnem suum honorem auspicatur.
— Societatis viri ab uno Iesu omnem honorem, et claritudinem auspicantur.
— Hispani semper Mariae Virginis cultores.
— Hispani semper magnarum rerum videndarum avidissimi.
— Maria maximum in Hispanos amoris argumentum exhibuit.
— Ioannes Evangelista Mariae comes in Hispaniam.
— Laus et gloria potest esse finis honestus a quolibet iusto intentus.
— B. Virgo laudem et gloriam sibi debitam a Deo petiit, et impetravit sine humilitatis dispendio.
— B. Virgo laude et gloria sibi propria laudari etiam debet ac celebrari.
Certamen IX. Quo religionis actu adoranda sit Virgo Deipara. *Num.* 1846. 507
— B. Virgo aliquo religionis cultu adoranda est.
— Maria a primo mundi exordio in caelis, et in terra adorata fuit.
— Maria triplicem continet adorationis rationem.
— Maria ob rationem contactus Christi adorari potest; sed id cavendum publica Ecclesiae adoratione.
— Maria ob Maternitatem Dei speciali cultu adoranda ab aliis distincto.
— Tum adorari potest alio titulo, nempe quia ad nostram redemptionem cooperata est.
— Potest Maria adorari privatim cultu latriae respectivae.
— Adoratio ratione Maternitatis Dei specie differt ab hyperdulia.

— Adoratio ratione Maternitatis Dei, constituit propriam virtutem distinctam a reliquis.
— Verbum divinum Mariam suspicit et reveretur.
Certamen X. Quonam cultu et adoratione suspiciendum sit sanctum Mariae nomen. *N.* 1850. 510
— Nomen eodem cultu gaudet, ac res cuius vices gerit.
— Mariae nomen eodem cultu suspiciendum ac ipsa.
— Reliquiae B. Virginis ubi asserventur.
PALAESTRA TRICESIQUARTA. Utrum Deipara, dum viveret vita mortali, viderit divinam essentiam. *Num.* 1852. 512
Certamen I. Utrum B. Virgo toto vitae tempore fuerit simul viatrix, et beata. *Num. eod.* . ibid.
— Quidam ausi sunt affirmare Mariam semper fuisse viatricem, et beatam in hac vita.
— Privilegia aliis collata ad tempus, Mariae permanenter fuerunt exhibita.
— Albertus M. visionem beatificam perpetuam defert Mariae viatrici.
— Visio Beatae Mariae in primo sui conceptus instanti iam omnium Angelorum beatitudinem superabat.
— In formatione Deiparae potuit inscribere Deus verbum illud *fecit* et *perfecit*, non in aliis.
— Deus non approbat opera, donec perfecta et absoluta sint.
— Deus pro Maria novas naturae leges condit.
— Maria, quia clara Dei visione potita, longe a daemonum insultibus semota.
— Ipsemet Satan in praesentia Dei malum hominibus inferre nequit.
— Acies cuspidata in praelio nequit disturbari.
— Maria cuspidata luna innititur, quia inexpugnabilis in suo conceptu.
— B. Virgo viatrix non semper fuit comprehensor, et beata.
Certamen II. An saltem a puncto Incarnationis semper Deipara beatitudine donata fuerit. *Numero* 1857. 516
— Ab instanti Incarnationis Mariam fuisse semper beatam, nonnemo adstruit.
— Mors non reddidit beatam Virginem Deiparam, sed ipsa mortem exornavit.
— Infinitudo gloriae Marianae describitur.
— Omne Beatorum gaudium in una Deipara reperitur.
— Maria ex mente s. Thomae, a puncto conceptionis Verbi iam erat beata.
— Nullum elogium B. Virgini exhibitum exaequari potest dignitati Matris Dei.
— Angelorum oculi perstringuntur a lumine Dei: et Deus ipse oculos a visione Mariae avertit.
— B. Virgo ab instanti Incarnationis usque ad vitae finem non vidit semper Deum clare.
Certamen III. An saltem aliquando, praesertim in puncto conceptionis B. Virgo viderit divinam essentiam. *Num.* 1862. 520
— Affirmant plures B. Virginem in hac vita aliquando vidisse divinam essentiam.
— B. Virgo in puncto Incarnationis, et in partu vidit clare Deum.
— Hieronymus quotidie visione Dei potitam fuisse serio affirmat.
— B. Virginem in momento sui conceptus clare vidisse Deum affirmant plures.
— B. Virgo in primo sui conceptus instanti trinam sanctitatem nacta est.
— Tres personae divinae B. Virginem in sua formatione certatim exornarunt.
— B. Virgo ex quatuor lateribus sancta praedicatur.
— Mariam in instanti sui conceptus gloria corporis fuisse potitam, omnino improbabile.
— B. Virgo vidit aliquando corpus Christi gloriosum in hac vita.
— Idem asserit Bustos de D. Iosepho.
PALAESTRA TRICESIMAQUINTA. Essentialem perfectionem beatitudinis Marianae in patria rimatur et accidentalem. *Num.* 1866. . . . 524
— Deus solus beatitudinem Marianam explicare potest.
Certamen I. Una visio B. Virginis omnium hominum, et Angelorum visiones simul sumptas antecellit. *Num. eod.* . . . . . ibid.
— Visio beata Mariae specie perfectior aliis hominum et Angelorum.
— Visio beata Deiparae in intensione etiam perfectior aliis.
— Mariam sedere a dextris Filii est in potioribus bonis partem sortiri.
— Sicut sol stellas splendore superat; sic Maria Beatos beatitudine supergreditur.
— Tota Trinitas, in quam desiderant Angeli prospicere, desiderat Mariam intueri.
— Christus fons, Maria aquaeductus, alii Sancti sunt rivuli.
— Sicut mare plus aquarum coercet quam flumina; ita Maria plus gloriae quam reliqui.
— Beatorum gloria quasi obnubilatur ad adspectum solis Mariani.
— Una Maria gloriae iubare coelestem Hierusalem vincit, ac superat.
— Maria plus videt in Deo, et nobiliori modo, quam omnes Beati simul.
— Plus gloriae hauritur in Maria videnda, quam in universa caelesti curia, dempto Deo, et Christo.
— Una Maria pulcriora sectanda praebuit coelesti curiae, quam ipsa in omni coelesti curia spectaret, dempto Deo, et Christo.
— B. Virgo in caelis corona et merces est coelitibus.
— B. Virgo videt in Verbo omnia quae Deus videt scientia visionis.
— B. Virgo videt in Verbo infinita obiecta.
— Aliqui asserunt, videre etiam B. Virginem omnia possibilia.
— B. Virgo multis nominibus compellatur, quibus multiplex eius perfectio manifestetur.
— Ea est Mariae granditas, ut tota Verbi divini gloria in eam ingredi dicatur.
— Quasi tota coelitum gloria innititur in Maria.
— Nulla pura creatura de lege ordinaria potest maiori gloria beari, quam Maria.
Certamen II. Virgo Deipara specialem chorum constituit in coelis, omnibus Sanctorum choris superiorem. *Num.* 1873. 530

— B. Virgo chorum habet in caelo inferiorem Christo, ipsique propinquiorem.
— Maria in coelo sub Christi pedes subsistit; ac proinde instar throni est ipsi Filio.
— Throni, ac Seraphim vulgare solium Christo: Maria, thronus augustus maiestate plenus.
— Corpus gloriosum immutare potest visum, et videri a quacunque distantia.
— Christus et B. Virgo nos vident oculis corporeis.

Certamen III. Beatis in coelo ex Virginis Deiparae presentia et intuitione, maximum gaudium accrescit. *Num.* 1876. 533
— Gloria accidentalis accrescit in Beatis ex aliorum beatitudine.
— Cuiusque Beati gaudium de beatitudine Mariae longe maius est gaudio de omnium beatitudine sumpto.
— Virgo Deipara maximum caelicolis iubar addit.
— Radii divinitatis per reflexionem speculi Mariae micantius splendent.
— Ea dulcedo ex carnis Marianae attactu percipitur, quae ex Eucharistiae sumptione.
— Virgo Deipara in thronum gloriae evecta naturam angelicam sollicitat ad videndum.
— Grande Mariae iubar quod divinitatis radiis obiectum non obscuratur.
— Stellae Marianae gloriae in meridie Solis Christi visuntur.
— B. Virgo dicitur Complementum gloriae Beatorum.
— Qualis sit gloria Mariae, solus Christus describere potest.
— Caelites nequeunt intendere in Deum in throno Mariae existentem prae nimio splendore.
— Divinitatis fulgor ex speculo Mariano resiliens oculos ipsius Christi perstringit.
— Visio Marianae pulcritudinis ita videntem bearet, ut damnatorum cruciatus absorberet.
— Iuxta aliquos Doctores, sola clara Marianae pulcritudinis visio aequali praemio afficeret iustos propter perfectam praeceptorum observantiam.
— Ex visione Deiparae non minus digne praemiarentur electi, quam reprobi puniuntur in inferno.

Certamen IV. Aliquot dubia de gloria accidentali B. Virginis exagitantur. *Num.* 1883. . . 537
— B. Virgo non potest novum gloriae augmentum accidentalis facere.
— Sententia negans, B. Virginem non esse in caelo corpore Beatam, temeraria et erronea habetur.
— Decuit maxime Solem, Christum in coelo quiescenti, Lunam Mariam et corpore et animo beare in caelis.
— Corpus Deiparae tertia die redivivum in caelos assumitur.
— Maria non Angelorum fulcro innixa, sed agilitatis dote in caelum scandit.
— B. Virgo in coelis multiplici laureola decoratur.
— Plus splendet corpus Marianum in coelo, quam omnia simul corpora Beatorum splendebunt.

Certamen V. Disquirit ubinam corpus Marianum resurrexerit, in sepulcro, vel in coelis. *Numero* 1887. 540
— Quinam asserant corpus Marianum in coelis resurrexisse in vitam immortalem.
— B. Virgo in propria persona apparuit Ildephonso.
— Vera sententia docet B. Virginem non in caelis, sed in sepulcro suscitatam fuisse.

INDEX CONCIONUM

AD FESTIVITATES OMNES B. VIRGINIS MARIAE

Concio I

De Conceptione B. Virginis.

Thema. — *De qua natus est Iesus.* Matth. 1.

Maria pro omni differentia temporis sanctitate micat, ac proinde nunquam macula originali foedata fuit. *Num.* 218.

Nempe quia ab aeterno in primo rationis signo aliquale Matris munus subibat. *Num.* 203.

In aeterna Patris praefinitione iam ut Mater contemplabatur. *Num.* 139.

Si ergo iam ab aeterno Mater, ergo ab aeterno Deo grata, quia Maternitas Dei gratior est ipsi Deo, quam filiatio adoptiva Dei. *Num.* 1607.

Maria in nullo unquam instanti fuit praecellenti Matris Dei titulo destituta. *Num.* 588.

Maria est primus homo, primaque creatura in intentione Dei, ac proinde Adae peccato nequaquam infecta. *Num.* 132.

Fuit in primo aeternitatis signo praefinita ante Adae peccatum. *Num.* 135.

Maria est prima post Trinitatem persona. *Num.* 133.

Vicinior Spiritui sancto prae omnibus aliis creaturis. *Num.* 134.

Est praedestinatorum Vexillifera, et Primiceria. *N.* 138 et 144.

Ex flore Christi mel et ceram construxit, qua electorum nomina conscriberentur. Ex quo eius immunitatem ab originali depromes. *Num.* 141.

Maria post Deum, primum obiectum cognitionis et dilectionis divinae; quod fieri non posset, si aliquando peccato originali fuisset conspurcata. *Num.* 146.

Maria si vel peccati vestigio et debito obnoxia fuisset, a Deo nesciri videretur. *Num.* 578.

Et quia prima in praefinitionibus divinis, primatum in res omnes creatas obtinet, non autem id obtineret in Angelos, si aliquando serva fuisset peccati. *N.* 147.

Maria est creaturarum omnium Idea, omniumque perfectiones cohibet, absque naevo ullius peccati. *Ibid.*

Unde neque in Adamo deliquit. *Num.* 573.

Neque in aliquo momento peccati morte mortua iacuit. *Num.* 576.

Maria itaque in Dei Matrem ab Imperatore Deo electa, dignissima, utique exstitit; indigna autem prorsus fuisset tanto honore, peccati originalis servitute obaerata. *Num.* 1158.

In suo conceptu moralite Mater Dei censebatur. *N.* 1191.

Mariae conceptio authenticum instrumentum, et pignus adventus Verbi divini: unde nequit concipi futura sine Filio Dei. *Num.* 1806.

Concio II

De Conceptione B. Virginis.

Thema. — *Liber generationis Iesu Christi filii David*, etc. Matth. 1.

Maria magis est filia gratiae, quam naturae; adeoque ab Adae peccato omnino fuit immunis. In hunc sensum Bernardus ait de Maria: *Maria Mater Dei est a natura reverenter conservata.* Non dixit, *fuit producta*, sed *conservata:* quasi Maria non naturae, sed potius ipsius gratiae filia esset, et nuncuparetur. Quare sicut Deus ita in Filio suo sibi complacuit, ut non solum semel ab aeternitate illum generet, sed iterum in tempore ex Maria Virgine illum progenuerit, bis ipsius Pater existens; ita Deus bis tanquam causa concurrit ad Mariae productionem: semel, tanquam causa universalis, sicut reliquarum creaturarum; et iterum tanquam causa secunda particularis defectum sterilitatis, et infoecunditatis in parentibus supplens.

Idcirco B. Virginis parentes supprimuntur ab Evangelistis, quia B. Virgo magis fuit filia gratiae, quam naturae. *Num.* 756.

Adeoque non fuit filia legitima Adae, sed quoad corpulentam substantiam. *Num.* 587.

Maria solum Deum parentem habuit tanquam causam principalem ipsius formationis. *Num.* 614.

Ac proinde nunquam Adae peccato maculata, quia non hausit halitum vitae infectum ab Adamo, sed immediate ab ore Dei. *Num.* 454.

Ideo iustitiae originalis privilegiis gaudebat. *Num.* 855.

Maria nomine omnium non comprehenditur, quia est super omnes, et altioris ordinis. *Num.* 329.

Nec Mariam a lege universali exemptam fuisse, mirum videri debet, cum Deus saepe dispensaverit cum aliis in legibus naturae et gratiae. *Num.* 614.

Alii iusti sigillantur in fronte, Maria in corde, quia in primo vitae momento sigillata fuit Dei gratia. *Numero* 228.

Maria ergo quia est potius filia gratiae, quam naturae, dicitur Miraculum. *Num.* 1180.

Vocatur etiam Ens supernaturale. *Num.* 1628.

Nempe qua Mater Dei est; at in primo sui conceptus instanti, iam Maternitatis Dei honore ac iuribus gaudebat, unde Ecclesia illud occinit: *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus*, in festo Conceptionis. *Num.* 197 et 198.

Quocirca Mariae sub ratione Matris Dei, connaturaliter debebatur gratia, lumen gloriae, ac visio Dei. *Numero* 1600 *et deinceps.*

Tum et omnium habituum supernaturalium aggregatio. *Num.* 1615.

Item Maria, qua Mater Dei, perfectior erat Angelis, et qualibet substantia supernaturali creata producibili. *Num.* 1596.
Huius excellentiae Marianae celsitudo inde percipi potest, quod scilicet ad Deitatis fines oppansa est. *N.* 1169.
Binis manibus quasi occupatus fuit Deus in exornanda Maria in ipsius immaculato conceptu. *Num.* 1168.
Maria ergo in suo conceptu est abacus Dei omnipotentis, ubi Dei omnipotentia maiestatem augustam ostentat. *Num.* 141.
Quare Maria non in numero, pondere et mensura gratiae ordinariae condita fuit. *Num.* 942.
Haec autem omnia maximam cum peccato originali oppositionem praeseferunt.

Concio III

In festo Conceptionis B. Mariae Virginis.

Thema. — *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1.

Maria iam ab instanti sui conceptus Salvatore foeta, ipsiusque Iesu scuto obarmata, ut bellum indiceret peccato originali. Quia in nullo instanti fuit praecellenti Matris Dei titulo destituta. *Num.* 588.
Itaque in Mariae prima formatione, iam muro, ac propugnaculo munitissimo praemunitur: quod innuit Sponsus Cant. 8, cum ait de Maria recens concepta: *Soror nostra parvula, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae?* etc. *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Hebraea lectio ita habet: *Si murus est, aedificemus super eum palatium argenteum.* Ita-ne? antequam palatium Marianum exstruatur, summus Artifex Deus praemittit murum optime praemunitum, qui vices fundamenti gerat, ac propugnaculi ad primam Mariae conditionem? Ita sane, ut hac ratione aditus omnino praestruatur, et occludatur multiplici obice peccato originali. Quo forsan respiciebat Amos, cap. 7, dum ait: *Ecce Dominus stans super murum litum, et in manu eius trulla caementarii.* Super murum pinnae superexstrui solent, non vero fundamenta iaci, ut aedificium exsurgat. Ita sane est. Sed hic artifex Deus est, qui palatium Marianum erecturus sibi, primum suae conceptionis fundamentum supra murum, ac propugnaculum iecit, quo omnino aditus interderetur peccato originali; et ex quo tanquam ex arce munitissima bellum Daemoni indiceret, ab ipsoque victoriam reportaret. Septuaginta Interpretes loco *trullae caementarii*, transferunt: *et in manu eius Adamas.* Cuius natura bene a Plinio describitur, cum docet in primo suo ortu cuspidatum circumquaque prodire; ac proinde illum vocant Hebraei, *Samir.* Quod idem sonat, ac *tibi cave;* seu *tribulus spinosus.* Hispane dicimus, *abroios*, id est, *abre oios;* vel quod idem est, *tibi cave*, ut dicunt Hebraei; quasi cuspides, et aculeos evibrans, vulnera ac stragem indicens. Primum ergo fundamentum Mariae in suo conceptu merito dicitur Adamas, *Samir*, id est, *tibi cave*, Daemon, ne Mariae appropinquare audeas, quia in suo conceptu est cuspidata, ut te usque ad inferna loca eventilat, ac praecipitem agat.
Ideo Maria cuspidata luna innititur, quia inexpugnabilis exoritur in suo conceptu. *Num.* 1855.
Ait Maria Prov. 8: *Ab aeterno ordinata sum.* Alii transferunt: *scutulis variegata sum.* Item alibi ait Maria: *sicut platanus exaltata sum.* Folia autem platani scutorum speciem praeseferunt. Itaque Maria scutis circumcingitur in primo sui conceptus instanti: primo, ut in illo instanti a peccati originalis ictibus se protegat; deinde, ut suos clientes a pravis daemonum insultibus immunes reddat. *Num.* 1767.
Maria in suo conceptu prodiit scutis obarmata. *N.* 865.
Maria robur, et potentia in suo conceptu in eo splendet, quod prior daemonem aggrediatur, et eum lacessat. *Num.* 1236.
Nec mirum, quia triplici armorum genere obarmata in suo conceptu prosilit, nempe trina sanctitate. *N.* 1865.
Unde Maria in suo conceptu victrix ovat de peccato originali, et sponsus ei de hoc applaudit triumpho. *Num.* 223.
Itaque Maria adhuc nudum peccati nomen procul a se amandat. *Num.* 577.
Tum peccati umbram abhorret. *Num.* 859.
Grandi Deus cautione arcet a Maria vel levissimam culpae originalis suspicionem. *Num.* 899 et 1453.
Ideo Maria per Aaronis, non per Moysis virgam adumbratur, quae in serpentem versa est. *Num.* 225.
Her idem sonat ac *pelliceus*, et ideo a generatione Mariae procul ablegandus. *Num.* 859.

Concio IV

In eadem festivitate.

Thema. — *De qua natus est Iesus.* Matth. 1.

Maria in puncto sui conceptus non solum a peccato originali immunis, sed etiam omni donorum ac gratiarum supellectili circumornata concipitur, quia paritura Deum, ideo prius praefinitur ad Maternitatem Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam. *Num.* 199.
Quare si in Dei Matrem ab Imperatore Deo electa, utique tanto honore dignissima exstitit. *Num.* 1158.
Itaque Mariae formatio fuit a Deo intenta ad productionem Filii Dei. *Num.* 642.
Quare in primo sui conceptus instanti omnigena donorum affluentia exornatur. *Num.* 645.
Concepta fuit in beatitudine naturali. *Num.* 817.
Tum et in statu naturae integrae. *Num.* 818.
Et in statu innocentiae quoad privilegia intrinseca. *Num.* 820.
Unde in paradisum translata absque ullo addito floreret omnibus privilegiis iustitiae originalis. *Num.* 828.
Maria habuit in instanti Conceptionis perfectum rationis usum. *Num.* 957.
Ex quo evincitur ex doctrina Caietani contra ipsum, Mariam Virginem sine peccato conceptam. *Num.* 956.
Ab instanti suae conceptionis tota fuit meridies Maria sine vespere erroris alicuius. *Num.* 952.
Quadruplici genere scientiarum exornatur ab instanti conceptionis. *Num.* 960.
In secretarium divinitatis introducitur a Deo, et in divinae sapientiae cellaria. *Num.* 960.
Iam tunc una Maria doctior erat omni rationali creatura. *Num.* 1140.
In suo conceptu proculcat pedibus lunam, quia omnem insipientiam et errorem aversatur. *Num.* 760.
Maria, Noetica columba nunquam luce carens, nunquam alicuius erroris caligine obsita. *Num.* 759.
Rursus eius voluntas in instanti sui conceptus praedita fuit ingenti gratia, quae superabat gratiam utriusque creaturae angelicae et humanae. *Num.* 1159.
Mariae fundamentum primum in sua conceptione, coronis, et fastigium Angelorum et hominum. *N.* 1162.
Recepit in illo instanti gratiam ex opere operantis, et ex opere operato. *Num.* 1163.
Insuper praedita fuit omni gratia gratis data. *Num.* 1339.
Et in ea Spiritus sancti dona resederunt. *Num.* 1349.
Tum Spiritus sancti fructus. *Num.* 1355.
Ad haec, eius appetitus omni peccati fomite caruit, et a

momento sui conceptus virtutum fomite praedita fuit. *Num.* 872.
Imo iam tunc clare vidisse Deum adstruunt plures ex iunioribus. *Num.* 1863.
Mariae beatitudo in conceptu suo omnium Angelorum beatitudinem superabat. *Num.* 1853.
In suo conceptu ex quatuor lateribus sancta praedicatur, et est. *Num.* 1865.
Quare merito vocatur sanctitas, in abstracto; et charitas, quae dicit negationem omnis peccati. *Num.* 227.
Mariae locupletandae gratia, in conceptu suo omnem vim exeruit, et exhausit virtus Altissimi. *Num.* 946.

Concio V

In festo Conceptionis Virginis Deiparae.

Thema. — *Liber generationis Iesu Christi.* Matth. 1.

Mariae immunitatem a peccato originali omnes creaturae fatentur, reges, patriarchae, iudices, universitates, coetus, religiones, pontifices, cunctus populus christianus; Angeli, coelum, elementa; denique universus orbis B. Virginem in conceptu suo ab omni originali culpa immunem fuisse confitetur. Idque unanimi consensu praestant in praesenti Evangelio tot reges, iurisperiti, patriarchae, qui ibidem recensentur, et immunitatem magnae Matris acerrime propugnant.
In primis Salomon rex stat pro immunitate Mariae a peccato originali, cum ait Cant. 4: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te. Num.* 208.
Ubi triplici pulcritudine venustam decantat Salomon Mariam in conceptu suo. *Num.* 215.
Sed cur, cum pulcra decantatur Maria, cum luna confertur, quae sola inter sydera maculas habere creditur? *Num.* 216.
Reges defendunt Immaculatam B. Virginis Conceptionem. *Num.* 515.
Ex patriarchis Abrahamus idem facto contestatur; cuius caro sancta, et pura sicut altare Dei, quia ex illo aliquando nasciturus erat Messias. *Num.* 227.
Iosephus item hanc Marianam immunitatem depraedicat, cum nec in somno aliquam peccati maculam, sive reatum passus fuerit, quia videlicet futurus umbra Iosephi sponsi B. Virginis. *Num.* 226.
Iudices etiam hanc Marianam immunitatem propugnant. Aiunt enim, dum facti evidentia non constat, et solum rumor dubius adest, sententiam ferri oportere pro pulcriori. Ita ex iure civili, Blancas, *l. finali*, *C. de quaestionibus;* Mascardus, *de probationibus*, conclus. 831, post alios quos ibi allegat: ergo, o Iudices severissimi, ac nimium scrupulosi in tutanda Mariae immunitate ab originali peccato, antequam in eam iudicium feratis, animadvertite ipsius pulcritudinem. Maria siquidem pulcritudine reliquas omnes creaturas excelluit. *Num.* 725.
Omnium etiam pulcritudinum splendorem in se cohibet. *Num.* 730.
Maria fortis illa virago Salomonica, quae Deum sua pulcritudine subegit. *Num.* 733.
Demum talis ac tanta exstitit eius pulcritudo, ut, si fieri posset, Deus iactantiae discrimen subiret de tanto opere, tamque absoluta perfectione. *Ibidem.*
Arguunt deinde Iurisperiti pro hac immunitate Mariana, argumento desumpto a rei incompossibilitate, vel ut vulgo vocant, *la coartata.* Quia videlicet Maria aberat, cum pacisceretur Deus cum Adamo, non incurrit originale peccatum. *Num.* 611.
Itaque Maria nunquam mali poma decerpsit. *Num.* 894.
Deinde celebriores Europae Academiae, praestito iuramento, B. Virginem Immaculate conceptam tutantur. *Num.* 453 et 516.
Praeterea Pontifices plures approbant sententiam piam, Conceptionis festum instituerunt, indulgentias celebrantibus festum Conceptionis largiuntur. *Num.* 513 et 550.
Ulterius Religiones omnes pro hac stant sententia, praecipue sacra Dominicanorum Familia, quae et ore, et scripto, et cymbalorum reboatibus Immaculatam B. Virginis conceptionem evulgat. *N.* 238 *et deinceps.*
Totus etiam populus christianus, cuius consensus permagni est habendus in re nondum definita. *Num.* 557.
Ad haec, ex elementis, aquae hanc immunitatem Marianam propalant; siquidem ex puritate et splendore aquarum, immunitas ab originali in Maria deducitur; ut constat ex *Num.* 219 et 220.
Ex viventibus columba hanc eandem B. Virginis immunitatem depraedicat; siquidem maluisset Daemon columbae speciem assumere ad decipiendam Evam, quam serpentis; sed id non permisit Deus, et quare? *Num.* 224.
Quod si velimus superius conscendere, ipsum coelum hanc veritatem contestatur: sed enim Maria in conceptu suo est coelum splendens, et pulcherrimum. *Num.* 230.
Lux etiam caelo consentit; quia Maria semper lucis splendore corusca, quia ex illa Sol Christus exoriturus erat. *Num.* 221.
Angeli demum in caelis a principio suae creationis festum Mariani conceptus festivis acclamationibus concelebrarunt. *Ibidem.*

Concio VI

Pro immaculata B. Virginis Conceptione in conventu Trinitatis.

Thema. — *De qua natus est Iesus.* Matth. 1.

Non solum terra, coelum, academiae, reges, pontifices, Angeli et universus orbis immunitatem magnae Matris ab omni originali culpa propugnat; sed etiam tota Trinitas eam propugnandam suspicit, utpote quia sola Maria fuit opus Dei Trini *ut sic. Num.* 1784.
Trinitas tota B. Virginem in primo sui conceptus instanti certatim exornat. *Num.* 1865.
Tota Trinitas aemula contentione Mariam adamat, donisque subornat. *Num.* 1786.
Non autem eam adamaret, si in eo instanti conceptionis esset peccato originali foedata, ac proinde Deo exosa et invisa. *Num.* 207.
Et primum Pater aeternus Mariam sibi filiam adsciscit arctiori vinculo, quam adoptionis. *Num.* 1791.
Itaque est filia adoptiva Dei nobiliori modo, quam reliqui iusti. *Num.* 1793.
Ideo dicitur ex mente Patris progenita. *Ibidem.*
Adeoque Maria non hausit halitum vitae infectum ab Adamo, sed immediate ab ore Dei. *Num.* 853.
Pater aeternus, et Maria solum vocem illam sibi arrogare possunt: *Hic est filius meus dilectus. Num.* 1594.
Nec Pater notionem Paternitatis communicaret Mariae, si aliquando peccati labe fuisset infecta. *Num.* 1789.
Pater aeternus quasi complet suam foecunditatem cum Filium producit per voluntatem ex Mariae. *N.* 1783.
Pater aeternus novam sibi arrogat relationem ex maternitate Mariae. *Ibidem.*
Pater aeternus, et Maria quo modo sint duo in carne una. *Num.* 1788.
Quae autem coniunctio inter Deum et Belial? non ergo Maria unquam peccati lue fuit maculata. Deinde filius futurus etiam filius Mariae perenni filiatione Matrem respicit. *Num.* 1580.
Iam ab aeterno Mariae tanquam Matri obsequium, et honorem impendebat. *Num.* 1669.

Et ad honores sibi proprios evocabat. *Ibidem.*
Omnium autem maximus honos fuit illam a peccati noxa immunem facere. Plus Christus honori Matris suae consuluit, quam suo. *Num.* 895.
Christi postremus gressus coelis sublimior, ubi nec peccati vestigium reperitur; sic eiusdem gressus primus in Mariam, ubi culpa nunquam pedem intulit. *N.* 231.
Christo omnium stemma nobilissimum vocari Filium Mariae. *Num.* 1811.
Profecto hoc stemma propudiosum ac turpe fuisset, si Maria vel solum in instanti peccati originalis macula foedaretur. *Ibidem.*
Tantus fuit honos habitus a Christo in Mariam, ut intonsos capillos servaverit, ne partem aliquam a Matre haustam deperderet. *Num.* 1477.
Et credam in re tanti momenti, qualis est immunitas a peccato originali, Christum Dominum honori Matris non consulturum?
Postremo Spiritus sanctus in Maria exornanda infinitam se communicandi sitim levat. *Num.* 1783.
Quam sibi in sponsam speciali titulo adsciscit. *N.* 1795.
Spiritus sanctus despondit Mariam per procuratorem Iosephum. *Ibidem.*
Maxime ergo curavit eam ab omni macula peccati praeservare. Renuit enim aliquando apparere in columba communi generatione progenita; ideo columbam de novo figulavit sine pruritu libidinis. *Num.* 1308.
Quanto minus sibi sponsam assumeret peccati labe foedatam, praesertim cum idem Spiritus sanctus Mariano corpore tanquam proprio organo usus fuerit. *Num.* 1794.
Demum ipse Spiritus sanctus sub columbae specie contestatur Marianam innocentiam, sicut et Christi. *Numero* 1308.

Concio I

In Nativitate B. Virginis.

Thema. — *Liber generationis Iesu Christi, filii David.* Matth. 1.

Maria in lucem edita omnium bonorum scaturigo in homines redundavit. *Num.* 1728.
Et primum, eius ortus mortem dispulit, quia est fons vitae et salutis. *Num.* 77.
Est vitae nostrae subsistentia. *Num.* 70.
Ideo tunc nascitur, quando mundus ingravescente morbo ad quatuordecimum diem criticum pervenerat. *Numero* 83.
Maria mons salubris climatis, et altrix vitae. *Num.* 69.
Maria cohibet in se omnia vitarum genera. *Num.* 71.
Imo vitae aeternum duraturae Mater est. *Num.* 72.
E cuius nutu totius vitae nostrae momenta dependent. *Num.* 74 et 86.
Maria ortu suo senescentem mundum in floridam iuventam restituit. *Num.* 86.
Est etiam in nativitate sua omnis moeroris obliteratio. *Num.* 93.
Est item finis dolorum, et initium consolationis. *N.* 1764.
Hodie deliciosus Deo paradisus construitur in Maria. *Num.* 92.
Angelorum chorea instituitur. *Num.* 91.
Dei et hominum centrum, et amica quies. *Num.* 94.
Nata Maria nascitur nobis fortuna secunda. *Num.* 97.
Quia, inventa Maria, invenitur omne bonum. *Num.* 98.
Est omnium bonorum emporium, seu nundinae, sive corporis, sive animae. *Num.* 87.
Quia divitiae, honores, et voluptates a Maria in nos derivantur. *Num.* 88.
Vocatur in suo ortu salutaris reconciliationis panegyris. *Num.* 22 et 87.
Quae omnia nobis obveniunt per Mariam, quia iam ex utero Annae prodiit Salvatore foeta, de qua natus est Iesus. *Num.* 142.

Concio II

In Nativitate B. Virginis.

Thema. — *Liber generationis Iesu Christi.* Matth. 1.

Cur ortus, et parentes Mariae supprimuntur ab Evangelistis? Nempe quia Maria ex Maternitate Dei censenda est, *de qua natus est Iesus. Num.* 756.
Tum quia non adscititio genitorum splendore, sed propriis meritis, ac praerogativis nobilitatur. *Num.* 758.
Maria in suo ortu omnia humanae naturae individua perfectione individuali superet, dempto Christo. *N.* 604.
Praedita fuit potentiis internis, et externis in summo perfectis. *Num.* 668.
Maria licet foemina viros omnes, dempto Christo, animi robore ac mascula virtute superavit. *N.* 677 et 1231.
Ex sensuum vivacitate, potentiarum perspicacia innatum quendam splendorem evibrabat. *Num.* 722.
Marianus vultus statim in suo ortu coelesti quodam splendore perfusus fuit. *Num.* 718.
Dicitur foemina fulgorum, seu lampadum. *Ibidem.*
Maria nullos vagitus, aut lacrymas in ortu edidit ob communes reliquorum infantium causas. *Num.* 836.
In Maria omnes gratiae, ac dona amico foedere coierunt. *Num.* 934.
Eius dona usque ad possibilia protenduntur. *Num.* 935.
Mariae dona et excellentiae ex divina omnipotentia dimetiuntur. *Num.* 936.
Quidquid gratiarum aliis collatum est, Mariae eminentiori modo concessum. *Num.* 934.
Maria in ortu suo totam Ecclesiam sub pedibus continet, quia illam gratia et praerogativis superat. *N.* 1162.
Sed cur opus adeo undequaque perfectum tam celerrime efformatur in utero Annae? *Num.* 620.
Ideo dicitur virens Salix. *Num.* 624.
Nempe quia singulari Dei beneficio per Christi merita primam suam formationem obtinuit. *Num.* 641.
In delicium, et paradisum Dei et hominum. *Num.* 643.
Sed cur foetus tam celerrime perfectus in utero Annae, totis novem mensibus ibi continetur, et non statim in lucem prodiit; nempe quia foetus nobilissimus, ideo diutius in materno utero allambitur. *Num.* 651.
Biduo minus delituit in utero materno, quam Iesus. *Numero* 653 *et deinceps.*

Concio I

De augustissimo Mariae Nomine.

Thema. — *Et nomen Virginis Maria.* Luc. 1.

Nomen debet esse auspicium rei, cuius est nomen. *Numero* 1363.
Ideo nomen imponere non potest qui non sit praeditus cognitione anatomica rei. *Num.* 1361.
Cum ergo solus Deus cognoscat, ac introspiciat gratias et excellentias Mariae, ipsius solius est nomen imponere tantae Virgini: quare Mariae nomen tota Trinitas imponit, inito inter se consilio, ex Petro Damiano. *Num.* 1367.
Et primum nomen Mariae quadriliterum quatuor orbis partes instauravit, quas Adam infecerat. *Num.* 1368.
Antequam imponeretur praefiguratum fuit, et a Seth Adami filio cognitum. *Num.* 1364.
Mariae nomen gratiarum, ac virtutum exuberantiam praemittit. *Num.* 1360.
Nomini Mariae praemittitur virginitas, omniumque donorum cumulus. *Num.* 1388.

Maria idem est, ac stella polaris et pharus mundi lucidissima. *Num.* 1369.
Item maris pluvia. *Num.* 1370.
Item iaculatrix et sagittaria. *Num.* 1371.
Stella maris interpretatur. *Num.* 1239.
Et Domina huius mundialis maris. 1374.
Domina etiam quadruplicis diei. *Num.* 1375.
Explicatur etiam quo sensu dicatur Domina cribri. *Num.* 1376.
Mariae nomen omen est omnis felicis fortunae et aenigma. *Num.* 1393.
Est fons vitae. *Num.* 77.
Et reseramentum portarum coelestis paradisi. *N.* 125.
Item commeatus, tessera et velut viaticum ad caelum. *Ibidem.*
Mariae nomen, clavis magistra caelestium forium. *Numero* 1382.
In caelis dicemur omnes Marianitae. *Num.* 1383.
Aeternum in caelis Mariae nomen perdurabit. *N.* 1397.
Mariae nomen est visioni beatificae agnatum. *Ibidem.*

Concio II

In festo sanctissimi Nominis Mariae.

Thema. — *Et nomen Virginis Maria.* Luc. 1.

Habes Mariani nominis elogia. *Num.* 1383.
Omnia nobis bona secum adsportat. *Ibidem.*
Significat enim ex Ambrosio, *Deus ex genere meo. Numero* 1377.
Ex institutione divina aliquos effectus operatur. *N.* 1385.
Est instar Baptismi cuiusdam. *Ibidem.*
Quaenam effecta in nobis operetur invocatio nominis Mariae. *Num.* 1386.
Mariae nomen ungit agonistas. *Num.* 3.
Mariae nomen et invocatio est oleum, quod super omnes liquores enatat. *Num.* 1763.
Antequam cum morte confligas, unge te Mariani nominis oleo. *Num.* 1387.
Mariae invocatio in hora mortis tutissima, ut erudimur a Christo. *Num.* 1382.
Mariae nomen septies in Evangelio insonat adversus septem capitalia vitia. *Num.* 1387.
Vel unica litera nominis Mariae est robustissimum telum adversus Daemonem. *Num.* 1386.
Sub hoc nomine mors pluris facienda, quam totius mundi diadema. *Num.* 1387.
Mariae nomen instar cinnamomi insipidos cibos condientis. *Num.* 1389.
Est melle et saccharo dulcius. *Ibidem.*
Ideo Christus in crucem actus a nomine Mariae consulto abstinuit, ne amaritudo fellis ac crucis dulcesceret. *Num.* 1390.
Mariae nomen concentus armonicus. *Ibidem.*
Instar ambari, moschi, et succini suavissimum odorem efflat. *Ibidem.*
Cur media syllaba nominis Mariae producatur. *N.* 1391.
Mariae nomen luctum omnem dispellit. *Ibidem.*
Est spiraculum et respiratio nostra. *Num.* 1392.
Timorem abigit, securitatem ingerit. *Ibidem.*
Castitatem halat, luxuriam aversatur. *Num.* 1388.
Mariae nomen efficacius ad bona consequenda, quam nomen Iesu. *Num.* 1378.
Ideo apte confertur cum luna, quia citissimis gressibus in nostram salutem involat. *Ibidem.*
Per Mariam citius salus nostra paratur. *Num.* 1380.
Quaenam dispositio requiratur, ut Mariae nomen eiusmodi effectus operetur. *Num.* 1394.
Mariae nomen quo cultu sit suspiciendum. *Num.* 1850.

Concio I

In festo Praesentationis B. Virginis Mariae.

Thema. — *Beatus venter qui te portavit.* Luc. 11.

Permagno conducit a primis infantiae annis virtuti se dedere, ut magnos in re virtutis progressus faciamus. Sic Iacobus antequam in hanc lucem ederetur, in utero materno luctamen init cum fratre; et sic vir effectus, athleta maximus prodiit, ita ut cum Angelo per integram noctem colluctaretur, ac victor evaderet. Ex quatuor illis Ezechielis animalibus, aquila super omnes pennarum pernici volatu sublevabatur; ita enim habes, Ezech. 1, 10: *Et facies aquilae desuper ipsorum quatuor.* Super omnia animalia, ac super seipsam attollitur aquila, nempe quia in nidulo aquilae inditae fuerunt alae; reliquis vero animalibus, neque a teneris annis a natura collatae fuerunt, sed post aliquot lustra ipsis fuerunt mutuatae. O utinam in infantili aetate pueruli bonorum morum pennis educarentur! sic profecto viri effecti supra seipsos attollerentur, ut aiebat Ierem. 3: *Levabit se supra se.* In quam rem acute observavit Ambrosius in Psalm. 14, psalmos omnes illos usque ad 14 praemittere pro titulo particulam illam, *in finem*; at Psalmum 14 hoc titulo, seu inscriptione carere, quia in eo agitur de re virtutis, et quomodo nos Deo devoveamus. *Domine*, inquit, *quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Quod procrastinandum non est, nec in finem vitae differendum, sed statim a primis annis opus est, ut nos totos virtuti ac Deo consecremus. Cuius rei exemplum optimum praebuit nobis Maria trimula, cum hodie se Deo sacrat in templo. Tunc autem quia iam moraliter Mater Dei censebatur, ideo in hoc festo illi Ecclesia decantat: *Beatus venter, qui te portavit. Num.* 1190.
Precibus suis Maria excitavit Deum in templo, ut Filium suum humanitate amictum in utero Virgineo mundo devoveret; assiduaque oratione colluctabatur cum Deo, donec postulata nacta fuit. *Num.* 1765.
Precibus suis tanquam satellitibus prehendit Verbum divinum, et ex sinu Patris extorsit. *N.* 1761 *et deinceps.*
Maria per obedientiam Deum sibi maritavit. *Num.* 1315.
Utique Maria in obediendo Deo incomparabilis. *N.* 223.
Ideo auris obedientiae Marianae cum re nulla conferri potest. *Num.* 1316.
Maria a parentibus voto consecrata Deo in perpetuum. *Num.* 1448.
Item Nazareatus voto se obstrinxit: quare nec vino, nec uvis recentibus, aut siccis usa fuit. *Num.* 1449.
Maria in templo degens alimento ab Angelis allato reficiebatur. *Num.* 706.
Maria infantula devicit martyrum triumphos, et Angelorum trophaea. *Num.* 1161.
Siquidem maior operum merces ex radice charitatis pensatur. *Num.* 1160.
Mariae gratior quodammodo obedientia, quam dignitas Matris Dei. *Num.* 1314.
Voluntas Dei cibus Mariae, qui in substantiam propriam ipsius versus est. *Num.* 1315.
Maria Rota Ezechielis volubilis et agilis sine obice ad obsequium, et Spiritus sancti nutum. *Ibidem.*
Ita in Templo obedientiae divinae legis se devoverat, ut tota auris videretur. *Num.* 1316.
Maria papyrus mundissima indifferens ad quamcunque scriptionem. *Num.* 1317.
Et sicut materia prima indeterminata ad quamcunque formam; et sicut syllaba communis. *Ibidem.*
Vel etiam sicut metallum liquefactum aptum ad quamcunque figuram. *Ibidem.*

Maria in templo religionis virtute longe omnes antecelluit. *Num.* 1225.
Prudentia, ac circumspectione insignis. *Num.* 1227.
Prudentiae bolide rerum profunditatem explorabat. *Numero* 1228.
Verba sua instar auri considerationis statera ponderabat. *Ibidem.*
Temperantiae amans, nec quidquam mellis adolevit in sacrificio. Ac velut alter Dei paradisus in templo nequivit absque temperantia dedicari. *Num.* 1232.
Puellas socias in templo degentes solabatur, ipsisque aegrotantibus inserviebat. *Num.* 1265.

Concio II

In festo Praesentationis B. Virginis Mariae.

Thema. — *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11.

Maria infans trimula iam se Deo sacrat ac devovet in templo, ut dignum Deo hospitium apparet; quod ut melius praestet, in Templo vitam religiosam profitetur quoad tria substantialia vota. *Num.* 1443.
Votum itaque obedientiae emisit. *Num.* 1430.
Obligata fuit omni praecepto divino, et aliquibus praeceptis veteris legis, tum et legis Evangelicae. *N.* 1431 *et deinceps.*
Nullis tamen humanis legibus subiiciebatur. *Num.* 1433.
Omnium prima virginitatem vovit. *Num.* 1400.
Ideo vocatur virginitatis redemptrix. *Num.* 1441.
In Maria tanquam in virginitatis typo omnes virgines excuduntur. *Num.* 1401.
Maria integritatis idea, Virginitas in abstracto. *Ibidem.*
Maria in hac virtute primas tulit. *Num.* 1402.
Fuit instar virgae amygdalinae, quia prima virginitatis flores expansit. *Ibidem.*
Quoad omnes circumstantias primatum virginitatis tenuit. *Num.* 1404.
In primo conceptionis instanti alii; alii vero in templo virginitatis votum nuncupasse censent *Ibidem.*
Dicitur antonomastice Virgo; quia reliquae, ut essent, ipsius obtinuerunt beneficio. *Num.* 1405.
Maria per virginitatis votum non solum Dei, sed et Angelorum Mater efficitur. *Ibidem.*
Gaudet Maria virginitate subsistente. *Num.* 1406.
Huius Marianae virginitatis clarissimum habes symbolum in Apocalypsi. *Num.* 1419.
Maria etiam omnium prima paupertatis votum nuncupavit. *Num.* 1428.
Maria praeeunte omnes alliciuntur ad currendum per virtutis semitam. *Num.* 121.
Ex ampla parentum haereditate sibi solum sepulcrum reservavit; reliqua pauperibus distribuit. *Num.* 1427.
Maria multiplici voto alligatur, ut arctius Deo adnecteretur. *Num.* 1434.
Non enim unum solum bellum indictum a Maria cum serpente, sed multiplex. *Num,* 1433.
Maria nunquam vere et proprie fuit Monialis. *Num* 1435.
Bene tamen fuit conventus omnium virtutum, ubi charitas munus abbatissae obibat. *Num.* 1225.

Concio unica

In sponsalibus sacris Mariae Virginis cum Iosepho.

Thema. — *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Matth. 1.

Maria his excellentiis coruscat, ut quoad nos necessaria sit sexus et conditionis admonitio. *Num.* 1507.
Ideo igitur desponsatur, ne crederetur Angelus, vel divinitatis scintilla. *Num.* 745 et 1507.
Non tamen fuit sub viri potestate, sicut aliae uxoratae. *Num.* 840.
Neque propositum unquam habuit de danda opera habendis liberis. *Num.* 1501.
Mariae virginitas ex coniugio floridior vernat. *N.* 1503.
Matrimonium Mariae cum Iosepho est perfecta virginitatis imago. *Ibidem.*
Huius matrimonii nexus et copula est Spiritus sanctus, qui nexus est Patris et Filii. *Ibidem.*
Matrimonium Mariae et Ioseph per Cherubinos propitiatorium obvelantes adumbratur. *Num.* 1511.
Maria matrimonium init, ut omnem statum honoret. *Num.* 1507.
Maria post matrimonium quo sensu dicatur virginior et integrior. *Num.* 1420.
Mariana virginitatis dos et arrhae est Maternitas Dei. *Ibidem.*
Mariae artis oeconomicae prae omnibus foeminis scientia absolutissima extitit. *Num.* 1086.
Ars oeconomica est quasi anima matremfamilias informans. *Ibidem.*
Homo per diem, foemina per noctem, et quidem nubibus obsitam, adumbratur. *Num.* 1087.
Foeminarum secessus commendatur. *Ibidem.*
Foemina deperditam dragmam domi quaerit, non per vicos et plateas. *Num.* 1088.
Materfamilias non semper orationi et Ecclesiae vacet, sed curis domesticis invigilet. *Num.* 1089.
Foemina oeconomicae artis peritissima assimilatur integro exercitui, qualis fuit Maria. *Num.* 1090.
Illa familia laudem meretur, cuius pater est sol, mater luna, filii ac famuli stellae. *Ibidem.*

Concio I

In festo Annunciationis B. Virginis Mariae.

Thema. — *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Luc. 1.

Maria internam salutantis Gabrielis substantiam mentis oculis introspexit. *Num.* 1531.
Eiusdem nomen recte cognovit, et Divo Lucae patefecit. *Ibidem.*
Turbata est in sermone eius. Maria trepidat, et turbatur ad conspectum viri. *Num.* 1533.
Maria nunquam dubitavit an Angelus esset e caelo missus. *Num.* 1534.
Maria turbatur prae ingenti animi demissione, auditis ipsius laudibus. *Num.* 1535.
Turbatur etiam, quia virginitatem Deo voverat, audito nomine prolis in utero suo. *Ibidem.*
Turbatur etiam, quia locutura, licet cum Angelo. *Ibid.*
Turbata est in sermone eius. Utpote amans verecundiae, quae fuit in Maria reliquarum virtutum vexillifera. *Num.* 1320.
Verecundia Mariae aequatur sacrificio cruento et incruento Christi, tum et martyrio. *Num.* 1321.
Marianus sanguis per genas suffusus, cum turbata est in sermone Angeli, iam condiscebat pro hominum salute in ara crucis suffundi. *Ibidem.*
Turbata est in sermone eius. Quia tanta animi demissione excelluit, ut tota Dei fortitudine roborari necesse fuerit, ut honores et laudes aequo animo ferre posset. *Num.* 1322.
Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Mariae magnitudo depingi nequit, nisi obumbratione. *N.* 15 *et deinceps.*
Maria umbra tegitur divina, quia nullo neque Angelico penicillo depingi potest. *Num.* 1592.
Maria obumbratur, cum Sole amicitur, quia excellentia Maternitatis Dei est inaccessa. *Ibidem.*
Maria omnibus creaturis maior, solo Deo minor. *N.* 1597.
Vocatur Prima natura proximior Deo. *Num.* 1598.

Mariam laudaturus prius visione beatifica donandus. *Num.* 17.

Nec ipsa B. Virgo posset seipsam sine clara Dei visione, ipsiusque excellentias, dignoscere. *Ibidem.*

A solo Deo digne commendari potest. *N.* 17 *et deinceps.*

Dicitur omnium saeculorum negotium, quia omnium saeculorum, ac Doctorum calamos et linguas occupare potest. *Num.* 22.

Ecce ancilla Domini. Maria humilitatis magistra. *Numero* 1304.

In tanto dignitatis fastigio semper suae nihilitatis memor. Induit se infinitate quadam privativa, ut in se caperet Infinitum positivum. *Num.* 1305.

Ecce ancilla Domini. Haec animi demissio fuit quasi materia, ex qua Christum genuit Maria. *Ibidem.*

Humilitas Mariana Verbi Dei prolifica, virtuti Patris aeterni parianda. *Ibidem.*

Umbrae granditas ex granditate corporis crescit, in Maria vero minuitur. *Num.* 1306.

Mariae humilitati omnis natura et gratia vectigal solvit. *Ibidem.*

Fiat mihi secundum verbum tuum. Marianum *Fiat*, potentius et efficacius, quam *Fiat* Dei mundum creantis, quia hoc imperantis, illud obedientis. *Num.* 1318.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Maria effective instrumentaliter concurrit ad unionem hypostaticam. *Num.* 1543, 1547 et 1548.

Refellitur illorum sententia, qui meditantur tres guttas sanguinis Mariani cordis concurrisse ad generationem Christi. *Num.* 1550.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Maria per consensum ad generationem Christi ad summum castitatis apicem pervenit. *Num.* 1786.

Maria quandiu Iesu foeta sine intermissione gratiam ex opere operato adauxit. *Num.* 1166.

Concio II

In festo Annunciationis B. Virginis cum Eucharistia.

Thema. — *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Luc. 1.

Cum sit hodierna lectio evangelica Marianarum virtutum syllabus; mirum est quod trepidet ad legationem Angeli. In primis eius sanctitas clare perspicitur, cum Angelus flexo poplite Virginem alloquatur, iuxta Bernardum ser. de verbis Apoc.: *Paullo minus adoraturus foeminam*, inquit, *qui solebat ab hominibus adorari.* Apparet item eius virginitas in eo, quod ait Evangelista, *ad Virginem*, antonomastice. Eius verecundiam virginalem habes in illis verbis: *Turbata est in sermone eius.* Eius prudentia et circumspectio commendatur, cum addit: *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Eius animi demissio lucet in eo, quod cum Mater Dei praedicatur, ipsa ancilla Dei vocatur. Obedientia ipsius incomparabilis detegitur, cum addit ipsa B. Virgo: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Cum ergo B. Virgo tot tantisque resplendeat virtutibus, ad legationem Gabrielis tremit ac trepidat; ait enim Lucas: *Turbata est in sermone eius.* Maria itaque tremit, et turbatur, quia Verbum divinum in suis visceribus est susceptura. *Num.* 888 et 1488.

Imo et terra tremit Christum mortuum susceptura. *Num.* 1488.

Ait Deus Isai. 66: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Augustinus ita legit: *Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem, et quietum, et trementem verba mea.* Quae verba ad nostrum gustum interpretatur, ait enim: *Audi quomodo describat ipsam sedem; forte auditurus eras marmoratam domum, amplam, spatiosam atriorum magnitudine, et fulgore tectorum. Audi quid sibi paret Deus; super humilem et trementem verba mea. Ecce, humilis esto, ut in te habitet Deus; non timet trementem domum, quia ipse illam firmat.* Ex adverso homines nolunt habitare domos trementes, et vetustate fatiscentes, ne sibi ruinam parent. Deus autem sedem figit in animis trementibus, et contremiscentibus, qualis Maria, quae turbatur et trepidat.

Maria composita cum sole Christo quasi fusca conspiciebatur. *Num.* 889.

Verbum quod otiose profertur ab ore, examen subibit. Quod examen patietur, Deus bone, qui verbum divinum otiose et sine fructu suscipit? *Num.* 1488.

Deus strictam beneficiorum collatorum rationem exiget. *Ibidem.*

Qui imparatus ad Eucharistiam accedit, intelligat rem sibi cum igne fore. *Ibidem.*

Nicetas vocat Eucharistiam, ignitum carbonem. Si ergo toties anima ignitum carbonem recipis, cur ergo pigritiis et tepiditatibus exanimata iaces? cur peccatorum frigore riges? Clypeus Solis vocatur Eucharistia a Tertulliano; et a D. Chrysostomo, Fons lucis. Qui ergo fieri potest, ut Solem integrum devores, cum Eucharistiam mandis et totum lucis fontem ebibas, et virtutum radios non evibres, sed tenebrescas, et vitiorum caligine obruaris? Solinus de prodigiis ac mirabilibus montis Aetnae verba faciens haec habet: *Mirum hoc est, quod in illa ferventis naturae pervicacia, mixtas ignibus nives profert, et licet vastis exsudet incendiis, apicis canitie perpetua brumalem detinet faciem.* Res mira profecto ac miraculo similis, quod Aetna flammis ferveat ardentibus, incendia evomat, et tamen eius culmen pruinis ac nivibus coronetur; ac ventre ignibus exsudans, caput frigore, ac gelu rigeat, et ut interiora viscera aestu ac calore ferveant, et ebulliant; externa vero montis facies brumalem praeseferat hyemem. Sed profecto longe mirabilius est, animam frequenter hoc Eucharistiae incendio pastam, gelu rigere, pravarum cupiditatum caligine tenebrescere, brumali facie frigescere, sine modestiae frondibus, sine bonorum desideriorum floribus, ac bonorum operum fructibus omnino vidua. Totus Sol comestus, integer lucis Fons epotatus, sine virtutum splendore, absque verae sapientiae luce et sine ullo in vita spirituali progressu. Prudenter Centurio de Evangelio edoctus ait ad Christum: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* In quae verba subdit Hugo Cardinalis: *Hoc dixit, quia forsan erant idola in domo sua, et timebat eum offendere.* Antequam ad Eucharistiam accedas, e corde idola proiice. O tu qui in corde tuo turpium, et impudicarum rerum theatro Veneris idolum adoras; et audes ad Eucharistiam accedere virgines germinantem? Tibi cave. Tu etiam qui Martis idolum veneraris, simultates et odia in animo versans, et non vereris Deum pacis ac concordiae Principem in Eucharistiae mandere, quae corda emollit, pectusque quasi saccharo condit: is enim effectus est proprius Eucharistiae, ut patet in Christo, de quo quaerunt Theologi, utrum cum in nocte caenae Christus Eucharistiam sumpsit, aliquem effectum ex hac sumptione sibi comparaverit; cui quaestioni respondent, nullum augmentum gratiae aut gloriae ex receptione Eucharistiae sibi comparavisse. Disputant praeterea, utrum aliquem alium effectum saltem sibi nactus fuerit. Et respondet angelicus Doctor affir-

mando sensisse in se aliquam spiritualem dulcedinem ex sacrae Eucharistiae sumptione, qua veluti bellariis quibusdam sacchareis pectus emollivit, dulcuerunt viscera, ac verba ipsa melle et saccharo dulciora reddita sunt: et constat, nam ante Eucharistiae sumptionem Christus Dominus de Iuda verba subtexens, vocat illum, diabolum. *Unus*, inquit, *ex vobis Diabolus est.* At post Eucharistiae receptionem, Iudam ipse Christus alloquens, amicum vocat. *Amice, ad quid venisti?* Nempe sacer hic panis saccharo conditus, de quo ait Ambrosius, *est mel diversarum virtutum concretum floribus*, Christi pectus emollivit, et qui verba in Iudam terrore plena evibraverat, ex hoc favo Eucharistico omnem suavitatem ac dulcedinem praeseferebat. Christus in Eucharistia est princeps pacis, ac proinde amat animum concordiae et unitatis amantem, iuxta illud Psalmi: *Et factus est in pace locus eius, ibi confregit scutum, gladium, et bellum.* Ideoque in Maria sedem fixit; ex cuius visceribus violenter extrahi dicitur. *Num* 1474.

Merito ergo Maria vocat Eucharistiam, *Panem meum. Num.* 1473.

Eucharistia nihil continet ex vi verborum, nisi quod a Deipara acceptum fuit. *Num.* 1475.

Christus intonsos capillos servavit, ne partem aliquam a Matre haustam deperderet. *Num.* 1477.

De carne a Maria hausta gloriatur Christus, potius quam de anima. *Num.* 1475.

Christus sanguinem, quem pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit. *Ibidem.*

Aliqua carnis Marianae portio in Eucharistia relicta ad inescandos pisces rationales. *Ibidem.*

Maria in Eucharistia vera nostrum nutrix, ubi mammilla regia lactamur. *Num.* 1476.

Deam Isidem mammis circumcinctam depinxit antiquitas, tanquam Mariae umbram in Eucharistia. *Ibidem.*

Maria in Eucharistia est Diarium vitae. *Num.* 1477.

In Eucharistia et cum Christo, et cum Maria idem efficimur. *Num.* 1478.

In Eucharistia venerari possumus reliquias Mariae. *Ibidem.*

In Eucharistia consanguinitatem contrahimus cum Maria. *Ibidem.*

Nulla pars Christi est in Eucharistia, in qua aliqua pars Virginis non sit. *Num.* 1482.

Nullae Sanctorum reliquiae adeo certae, ac sanguis B. Virginis in Eucharistia. *Num.* 1485.

Febri hectica laborantes lacte puellae sanantur. *Ibidem.*

A Maria ediscant sacerdotes Christi sanguinem pie ac sancte tractare. *Num.* 1488.

Concio III

In festo Incarnationis.

Thema. — *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1.

Generatio Christi ex Maria aemulatur generationem Verbi divini ex Patre. *Num.* 136 *et deinceps*, tum et *Num.* 1419 et 1797.

Generatio Verbi ex Maria dicitur Processio a D. Chrysostomo. *Num.* 1797.

Dicitur etiam aeterna, quia iam in generatione Verbi ex Patre adumbrabatur. *Ibidem.*

Maria aemulatrix Patris aeterni lucem inhabitans inaccessibilem, Verbum divinum progignit. *Num.* 1419.

Mariae contulit Pater aeternus, quod nec Filio, nec Spiritui sancto communicavit. *Num.* 937 et 946.

Maria in conceptu Christi nacta est per gratiam, quod Pater aeternus nanciscitur per naturam. *Num.* 1058.

Christi generatio ex Maria est operatio Dei virginea. *Num.* 1572.

Maria vera, et propria Christi Mater praedicanda. *Numero* 1559.

Mariae actio generativa terminata fuit ad Verbum in natura humana subsistens. *Num.* 1567.

Maria vocatur a Patribus Mater supernaturalis. *N.* 1569.

Maria ex cognitione Dei et attributorum concepit Filium, non ex cognitione creaturarum. *Num.* 1798.

Tum ex cognitione Spiritus sancti, tanquam ex cognitione sponsi sui. *Num.* 1799.

Maria idem cor habet cum Patre aeterno. *Num.* 1804.

Maria ab incarnatione usque ad mortem non potuisse mereri docent aliqui. Vera tamen sententia est, post incarnationem novos auctos in gratia fecisse. *N.* 1688.

Ecce ancilla Domini. Ex Maria vigilanti et consentienti peragitur incarnatio tanquam ex Corredemptrice. *Num.* 1776.

Maria Adiutorium Christi in opere Redemptionis. *Ibid.*

Maria est quasi totum opus incarnationis. *Num.* 1805.

Maria opus incarnationis excellentissimum. *Num.* 1815.

Maria plus adaequat, et complet motivum incarnationis, quam electi omnes simul sumpti. *Num.* 1805.

Uni Mariae plus profuit incarnatio, quam utrique creaturae angelicae et humanae. *Num.* 1807.

Mariae contemplatione allectus Christus, quasi reliqua omnia derelinquere visus est. *Num.* 1816.

Concio unica

In festo Visitationis B. Virginis ad s. Elisabetham.

Thema. — *Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Luc. 1.

Maria luna calceata, quia citissimis gressibus in hominum salutem involat. *Num.* 1378.

Per Mariam citius salus nostra paratur. *Num.* 1380.

Maria celerius vitam intulit mundo, quam Eva mortem; haec per esum, illa per potum. *Num.* 707.

Maria citissimo cursu ad omne bonum, quasi vecta quadrigis ferebatur. *Num.* 951.

Maria utero gravida quasi agilitatis dote donata levitabat. *Num.* 744.

Maria in gestatione prolis per novem menses nullo onere aut gravamine afficiebatur. *Num.* 837.

Maria nihil mirum quod levitaret, cum lumen concepisset. *Num.* 838.

Christus Sol iustitiae velocius in lectica Mariae in nostram salutem venit, quam in solis quadriga. *Numero* 1378.

Maria dicitur Galilaea, quia totum orbem circumrotavit. *Num.* 35.

Tanquam sphaera coelestis nullam propriam patriam habuit. *Num.* 36.

Coelestes influxus in nos effundit. *Num.* 35.

Marianam gravitatem, et modestiam cur non dedecuit montana festino gressu percurrisse? *Num.* 1284.

Gressus accelerasse ad abolendum peccatum non dedecet gravitatem modestam. *Num.* 1285.

Et salutavit Elisabeth. Maria totius comitatis et urbanitatis idea. *Num.* 1299.

Ut audivit salutationem Mariae. Ad Mariae Iesu foetae praesentiam gratia Ioanni ex opere operato collata fuit. *Num.* 1164.

Mariae semestris interstitio plurimorum annorum vitam dilargitur Ioanni. *Num.* 75.

Maria effusa munificentia ultra postulata, est proprium ipsius stemma. *Num.* 29.

Mariae commiseratio immensa. *Num.* 1259.

In omnes diffunditur. *Num.* 1261.

Etiam in spatia imaginaria protenditur *Num.* 1262.

Commiseratio haec venit in partem gloriae Mariae. *Ibidem.*
Deliciae, et bellaria Mariae sunt, hominibus adfavere. *Ibidem.*
Maria fons ille paradisiacus misericordiae suae fluenta in universam terram derivans. *Num.* 1778.
Maria fons vivus perennantia aquarum fluenta diffundens. *Num.* 1264.
(In Exspectatione partus Vide *in festo Annunciationis Concionem primam et secundam*).

Concio I

In festo Purificationis B. Virginis.

Thema. — *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi.* Luc. 2.

Cum Maria purior sit sole, nitidior astris, cur in templum purificanda venit? Fuit ea puritate praedita, ut nec peccati nomen, nec umbram permisit Deus cadere in Mariam. *Num.* 225 *et deinceps*, 577, 859 *et* 895.
Mariam ab omni actuali, etiam levissimo, peccato immunem fuisse, est ab Ecclesia definitum. *Num.* 877 *et* 883.
Maria habuit moralem impotentiam ad peccandum. *Num.* 1196.
Fuit moraliter immunis ab omni culpa, quia actum ferventissimum amoris in Deum nunquam interrupit. *Num.* 1198.
Quanto odio prosequeretur omne peccatum etiam levissimum. *Num.* 474, 480, 482 *et* 877.
Imo et peccati fomite semper caruit. *Num.* 862.
Mariae puritas lucem aemulatur, quae si suprema sit, nullis foedatur tenebris. *Num.* 944.
Mariae puritas tanta est, ut in eam invehi non ausus fuerit impuritatis auctor. *Num.* 1510.
Maria coronatur stellis; reliquorum Sanctorum corona ex lapillis attexitur: et quare. *Num.* 15.
Si ergo Mariam decebat tanta puritate nitere, qua maior sub Deo esse nequit; cur in templum hodie purificanda venit? Respondeo primo, ex eo legem Purificationis observari a Maria, ne videlicet crederetur Angelus, vel Divinitatis scintilla. *Num.* 745 et 1507.
His enim gratiis, et praerogativis coruscat B. Virgo, ut quoad nos necessaria sit eius conditionis admonitio. *Num.* 1507.
Quae ergo adeo Deo appropinquat, merito purificanda venit; ne illam homines tanquam Deam suspicerent. Ea enim est Mariae Virginis sublimitas, quod opus sit, ut illa legem reliquarum puerperarum ad unguem observet, et animi demissioni tributum pendat. In rem nostram bene expenderat Theodoretus q. 6 Exod. de rubo Moysis, in quo adumbrabatur Maria: cur Deus in rubo apparuerit Moysi, arbusto humili, et abiectissimo, non vero in palma, vel sublimi cedro? Et respondet: Ideo in rubo, et non in alta planta apparuit, ne quis posset ex rubo sibi Deum effingere. Ideo ergo Maria Purificationis legi subiicitur, ne Dea crederetur. Itaque hoc quasi Marianae puritatis dedecus, est lucidius argumentum innocentiae Marianae.
Secundo respondent Ambrosius, Rupertus et Ildephonsus, ideo Mariam Purificationis legi subdi, quia Deus semper honori tantae Matris consuluit, quantumvis ipse coram hominibus honoris sui discrimen subeat: cum enim homines viderent Mariam nuptui traditam, Christum utique Iosephi filium crederent, et ita inter se adinvicem aiebant Iudaei: *Nonne hic est filius fabri?* Quorum suspicio novas resumebat vires ex eo, quod Mariam legi Purificationis obnoxiam prospicerent post partum. Quid ergo? nonne ingens esset Christi decus, quod Dei Filius ab hominibus haberetur? cur tanto honori credit? Nempe mavult Christus Divinitatis discrimen subire apud homines, ne Mariae Virginis honos periclitaretur, nisi enim B. Virgo nuberet, eam tanquam adulteram reputarent, cum sobolem peperisse viderent; si vero Purificationis legi non subderetur post partum, legi Moysis contumacem ac rebellem esse iactitarent: ut ergo hanc infamiae notam a Matre procul arceret, maluit ipse Christus, ut suae Divinitatis honos apud homines aliquid periculi pateretur. *Maluit Dominus*, inquit Ambrosius, *de suo ortu, quam de Matris pudore dubitari.* Nunc sanctum Ildephonsum audiamus. Pendebat e cruce Christus, improperabant Iudaei, ut descenderet de cruce, ut ita in eum crederent: ipse tamen constanter affixus cruci permansit, ut filius Mariae crederetur. *Patibulo affixus*, ait Ildephonsus, *ut te veram Matrem ostenderet, se verum filium tuum patiendo tormenta monstravit.* Si e cruce Christus descenderet, tanquam Deus a Iudaeis haberetur, sed negarent eum esse filium Mariae. Malo ergo, inquit Christus, aliquantisper divinitatis meae honorem celare, dummodo Mariae Filius habear. Tanti apud Christum Matris honos erat. Pluris est Christo Mariae honos, quam totius mundi redemptio. *Num.* 1458.
Mariae honor ne periclitetur, totum Deus orbem invertit. *Num.* 1504.

Concio II

In festo Purificationis B. Mariae Virginis.

Thema. — *Postquam impleti sunt dies purgationis,* etc. Luc. 2.

Bene quidem addit Evangelista: *secundum legem Moysi.* Non enim hac lege adstringebatur Maria, sed per spontanea virtutum opera magis sibi Deum devincire satagebat. *Num.* 1453.
Maria Virgo in obediendo Deo incomparabilis. *N.* 223 et 1316.
Per obedientiam sibi Deum maritavit. *Num.* 1315.
Maria rota Ezechielis volubilis, et agilis sine obice ad obsequium, et Spiritus sancti nutum. *Ibidem.*
Postquam impleti sunt dies, etc. Maria in templum purificanda venit, sicut reliquae puerperae, licet nulla obligaretur lege, ut singularitatis vitium a se procul propulset, a quo valde abhorrebat. *N.* 1455 et 1456.
Tum etiam Purificationis legi subiicitur Maria, ut humilitati tributum pendat; erat enim humilitatis Magistra. *Num.* 1304.
In tanto dignitatis fastigio semper suae nihilitatis memor. *Num.* 1305.
Humilitas Mariana Verbi divini prolifica, virtuti generativae Patris aeterni parianda. *Ibidem.*
Mariae humili omnis natura, et gratia vectigal solvit. *Num.* 1306.
Par turturum, aut duos pullos columbarum. Origenis singularis opinio circa oblationem Mariae refertur. *Num.* 1308.
Columbae fuerunt Marianae innocentiae testes. *Ibidem.*
Par turturum, etc. Maria, quia pauper, instar pauperis munera detulit, quia sumptus moderandi iuxta uniuscuiusque status conditionem. *Num.* 1307 *et deinceps.*

—

Concio III

In festo Purificationis B. Mariae Virginis.

Thema. — *Ut sisterent eum Domino.* Luc. 2.

Hodie Maria Christiparens templum ingreditur, Deo Patri Filium oblatura in totius humani generis redemptionem; sicque tanto dono Patrem aeternum placatura. Nam utroque Mariano ubere interposito, tanquam aggere fortissimo iudicis ira coercetur. *Numero* 1166.
Mariana mititas quomodo infinitam Dei misericordiam adauxit. *Num.* 1289.
Per Mariam Deus totus melleus et misericors. *N.* 1292.
A Maria Christus mitis, ac blandus ad nos accedit; a sinu Patris durus debellator. *Num.* 1295.
Maria ipsi Deo clementiae indolem indidit. *Num.* 1296 et *deinceps.*
Ut sisterent eum Domino. Maria ita Filium suum Deo ac morti pro hominum salute devovet, ac si Matris exueret affectum. *Num.* 1774.
Maria altare erat, in quo quotidie Christus offerebatur morti. *Ibidem.*
Pater aeternus exemplum sumere posset, et animos a Maria Virgine, ut Filium suum morti devoveret. *Numero* 1776.
Maria nihil muliebre, sed masculam vim continet. *Numero* 1232.
Quo sensu dicatur Maria nostrae salutis causa, et Reparatrix. *Num.* 1772.
Tum et humani generis Corredemptrix. *Num.* 582 et 1773.
Mariae cor idem, eademque voluntas cum Christo. *Numero* 1766.
Maria in quadruplici genere causae reparationem universi operata fuit. *Num.* 1779.
Maria advocata Deum inter et homines. *Num.* 1770.
Advocatae munus recte obit etiam in causis desperatis. *Num.* 1771.
Maria nostrarum precum complementum. *Ibidem.*
Ita est proprium Mariae advocatae munus, ut aliis Sanctis non competat. *Ibidem.*
Maria mediatrix apud Mediatorem Iesum. *Num.* 1779.
Lac Marianum apud Filium idem praestat, quod sanguis Christi apud Patrem. *Num.* 1724.
Accepit eum in ulnas suas. Iesus in brachiis Simeonis pluribus ruinae futurus esse praedicitur. *Numero* 1290.
At in Mariae brachiis omnes lumine suo perfundit. *Ibidem.*

Concio I

De B. Virginis Mariae doloribus et solitudine.

Thema. — *Stabat autem iuxta crucem Maria.* Ioann. 19, ver. 25.

Granditas doloris B. Virginis ex ipsius amoris in Deum immensitate dimetienda. At Mariani amoris immensitas ex pluribus capitibus desumenda. *Num.* 1212.
Una Maria plus diligebat Deum, quam omnes homines et Angeli simul sumpti. *Num.* 1214.
Actus amoris B. Virginis in Deum in numero conferri possunt cum actibus Sanctorum omnium. *Ibidem.*
Mariae amor fortior morte; haec avulsit animam Christi ab ipsius corpore, non autem potuit avellere a Iesu animam Mariae. *Ibidem.*
Mariam terebravit amor tanquam gladius acutus. *Numero* 1222.
Maria eadem cum Christo vita vivebat, eademque morte cum ipso commoriebatur. *Num.* 1242.
Mariae anima subrogata in corpore demortui Filii lancea transfoditur. *Num.* 1247.
Mariae dolores, mortuo Filio, vivacius animam sauciabant. *Ibidem.*
Maria in triduo mortis Christi, Mater esse desiit Christi, ideoque dolor eius maximus. *N.* 1239 et 1841.
Maria adhuc in triduo mortis Christi, fuit vera Dei Mater. *Num.* 1578.
Sed non Christi hominis. *Num.* 1579.
Adoranda tamen adoratione hyperduliae. *Num.* 1628.
Maria aptius quam D. Paulus affirmare potuit: *Adimpleo quae desunt passioni Christi. N.* 1728 et 1778.
Maria ardore patiendi pro Christo dolores aeternare volebat. *Num.* 1244.
Et quo devenit Daemonis astutia, ut homini noceat; eo devenit fortitudo Mariana, ut pro Filio tormenta sustineat. *Num.* 1245.
Stat iuxta crucem Christo quasi commortua, vitam cum doloribus aeternare cupiens. *Num.* 1246.
Mariae patientia et tolerantia illam quasi impassibilem reddidit. *Num.* 745 et 1241.
Sed cur tot icta doloribus exanimata non corruit? *Numero* 1373.
Maria ita Filium suum morti devovet, ac si Matris exueret affectum. *Num.* 1374.
Maria iuxta crucem omnium nostrum Mater est. *Numero* 101.
Nos in dolore peperit. *Num.* 104.
Mariae filii pinguissimam Matris dotem nanciscuntur. *Num.* 107.
Mariae filii quicunque esse et dici cupiunt, cunctis perituris longum vale dicant. *Num.* 110.

Concio II

De doloribus B. Virginis.

Thema. — *Stabat autem iuxta crucem Maria.* Ioan. 19.

Maria stans iuxta crucem, lucidius constantiae symbolum. *Num.* 1247.
Ita adstat cruci, ut cum ipso erat quando praeparabat caelos. *Ibidem.*
Maria stans iuxta crucem, reliquis creaturis fatiscentibus, innocentiae status immortalitatem praeseferebat. *Num.* 856.
Maria nihil muliebre, sed masculam vim continet. *Numero* 1235.
Maria eo fuit animi robore constans, ut se ultro persecutoribus offerret. *Num.* 1235.
Maria stat interrita iuxta crucem, tormenta et crucem ad certamen lacessens. *Num.* 1236.
Mariae robur in eo splendet, quod prior daemonem aggreditur, illumque lacessit. *Num.* 1237.
Ea erat animi fortitudine, ut parata esset Filium suum cruci affigere. *Num.* 1238.
Maria interpretatur quasi quinta-essentia dolorum omnium. *Num.* 1241.
Maria iuxta crucem phosphorus in Libra, ubi omnem suam exeruit vim. *Ibidem.*
Maria iuxta crucem Patris aeterni aemula immobilis adstabat, gaudensque Filium pro mundi redemptione litabat. *Ibidem.*
Sub arbore malo nunquam casum, seu ruinam experta est. *Ibidem.*
Quos pertulit dolores cum tormentis damnatorum aequari poterant. *Num.* 1243.

Mariam vere fuisse martyrem, communis Patrum sententia est. *Num.* 1252.
Reliquorum martyrum tormenta si cum Mariae doloribus componantur, quasi nulla censentur. *N.* 1253.
Martyr est qui tormenta sustinet, mortem ex natura rei illatura, licet divinitus eximatur a morte. *Numero* 1252.
Mariae martyrium quasi essentiale, reliquorum martyrum quasi accidentale. *Num.* 1253.
Martyrium B. Virginis fuit omnium intensissimum, et longissimum. *Num.* 1255.
Mariae dolores quo sensu dicantur maiores, quam Christi. *Num.* 1256.
Maria cum Filio in fidei et amoris testimonio permanens cum ipso martyrium subibat. *Num.* 1257.
Maria Mater sine Patre in horrendo Filii interitu omnem dolorem ebibit. *Ibidem.*
Maria in morte Christi sanguineas lacrymas effudit. *Ibidem.*
Optandum maxime ut festum martyrio Mariae sacrum institueretur. *Num.* 1258.

Concio I

In festo Assumptionis B. Mariae.

Thema. — *Intravit Iesus in quoddam castellum.* Luc. 10.

Mariae ea est granditas et excellentia, ut tota Verbi divini gloria in eam ingredi dicatur. *Num.* 1872.
In Maria quasi tota caelitum gloria innititur. *Ibidem.*
De lege ordinaria nulla pura creatura maiori gloria beari potest, quam Maria. *Ibidem.*
Maria chorum habet specialem in caelis Christo inferiorem, ipsique propinquiorem. *Num.* 1874.
In coelo sub Christi pedes subsidet, ac proinde instar throni est ipsi Filio. *Ibidem.*
Maria maximum caelicolis iubar addit. *Num.* 1877.
Maria thronus augustus maiestate plenus. Seraphim ac Throni, vulgare et quasi plebeium solium exhibent Christo. *Num.* 1874.
Maria est Speculum, ex quo resiliunt divinitatis radii micantiores et splendidiores. *Num.* 1887.
Maria in thronum gloriae evecta naturam angelicam sollicitat ad videndum. *Num.* 1878.
Mariae fulgor beatificus quantus, qui divinitatis radiis obiectus non obscuratur, sed splendet. *Ibidem.*
Maria dicitur complementum gloriae Beatorum. *N.* 1879.
Nequeunt caelites intendere in Deum in throno Mariae existentem, prae nimio splendore ac reflexione throni. *Num.* 1880.
Divinitatis fulgor ex speculo Mariano oculos ipsius Christi perstringit. *Ibidem.*
Marianae gloriae sydereum iubar in meridie Solis Christi lucet ac splendet grandi miraculo. *Num.* 1878.
Marianae pulcritudinis visio ita videntem bearet, ut damnatorum cruciatus absorberet. *Num.* 1881.
Marianae pulcritudinis visio esset aequale praemium meritis iustorum iuxta aliquos. *Num.* 1882.
Ex Marianae pulcritudinis visione non minori praemio afficerentur Beati, quam reprobi puniuntur de facto in gehenna *Ibidem.*
Marianae gloriae infinitudo describitur. *Num.* 1859.
Maria in caelis palma est, et merces caelitibus. *N.* 1869.
Videt in Verbo omnia, quae Deus videt scientia visionis. *Num.* 1729 et 1870.

Concio II

In festo Assumptionis B. Mariae Virginis.

Thema. — *Maria optimam partem elegit.* Luc. 10.

Maria quidquid optimum est naturae, gratiae et gloriae sibi arrogavit.
Quod est optimum naturae, siquidem sicut homo sibi vendicat quidquid perfectionis in reliquis creaturis reperitur, et ideo Microcosmus nuncupatur: ita Maria splendet perfectionibus omnium creaturarum. *Num.* 38.
Hausit naturam ab Adamo, sed non maculatam. *Numero* 587.
Quia concepta fuit in perfectione status innocentiae quoad privilegia intrinseca. *Num.* 820.
Corpus habuit omnium perfectissimum in sua specie, dempto Christo. *Num.* 660.
Perfectius fuit quam corpora primorum parentum. *Num.* 623, 628 et 666.
Gaudebat omnium optimo temperamento. *Num.* 671.
Pulcritudine reliquas omnes creaturas excelluit. *Numero* 725.
Maria post Christum omnium individuorum humanae naturae pulcherrima. *Num.* 739.
Maria denique omnia humanae naturae individua perfectione individuali superat, dempto Christo. *N.* 604.
Quidquid etiam optimum est in re gratiae, merito sibi vendicat Maria, siquidem in illa omnes gratiae, ac dona amico foedere coierunt. *Num.* 934.
Eius dona usque ad possibilia protenduntur. *N.* 935.
Mariae dona ex divina omnipotentia dimetiuntur. *Numero* 936.
Quidquid gratiarum aliis collatum est, Mariae eminentiori modo concessum. *Num.* 934.
Mariana gratia Angelorum et hominum gratiam superavit. *Num.* 1150.
Tum ex titulo Maternitatis Dei, tum Mediatricis, tum ex aliis titulis. *Num.* 1151 et *deinceps.*
Marianae gratiae typus fuit manna. *Num.* 1155.
In una Maria universus pulvis pigmentarius gratiarum congestus. *Num.* 1156.
Maria nullum habuit actum indifferentem in individuo. *Num.* 1685.
A principio Conceptionis meritum sine ulla intermissione continuavit. *Num.* 1690.
Maria instar navis quae die noctuque secundis ventis enavigat. *Ibidem.*
Maria omni tempore flores, et fructus proferebat. *Numero* 1686.
Maria in somno libertate et merito non caruit. *N.* 1681 et *deinceps.*
Ex his et aliis capitibus immensus Marianae gratiae cumulus coniectari potest. *Num.* 1147.
Et ex gratiae immensitate, Marianae etiam gloriae infinitudinem depromemus. *Num.* 1859.
Omne Beatorum gaudium in una Maria reperitur. *Ibid.*
Sicut sol stellas splendore superat, sic Maria Beatos beatitudine supergreditur. *Num.* 1868.

Concio III

In festo Assumptionis: De gloria Corporis B. Mariae Virginis.

Thema. — *Intravit Iesus in quoddam castellum.* Luc. 10.

Quodnam hoc castellum, nisi Marianum corpus, quod a tanto hospite, nempe Christo, suam immortalitatem hausit? *Num.* 853.

Itaque Maria ex arbore vitae, nempe Christo, sata, in suis visceribus deprompsit vitae perennitatem. *Numero* 1223.
Maria a corruptione et incineratione fuit immunis. *Numero* 852 et 857.
Mariam ab amoris telo peremptam aiunt plures. *Numero* 788 et 1220.
Mariam terebravit amor tanquam gladius acutus. *Numero* 1222.
Maria regio sigillo signata, ne morbus aliquis illam adoriretur, sed solum amoris ictu succumberet. *Ibidem.*
Maria sicut virgula fumi ex aromatibus coelos conscendit, quia prius amoris igne combusta. *Ibidem.*
Maria medicato amoris philtro emortua. *Num.* 1224.
Maria morte sua mortis regnandi cupidinem repressit. *Num.* 854.
Maria non a morte gloriam auspicatur; imo ipsa Maria mortem exornavit. *Num.* 1858.
In ipsius Assumptione omnes Angeli cum Christo descenderunt, ut illam in coelos euntem comitarentur. *Num.* 1272.
Mariam corpore et animo in coelos conscendere, decebat maxime Christum Dominum. *Num.* 1885.
Multiplici in coelo laureola decoratur corpus Marianum. *Num.* 1886.
Marianum corpus plus splendet in coelo, quam omnia simul corpora Beatorum splendebunt post diem iudicii. *Ibidem.*
Aliqui censent corpus Marianum in caelis ad vitam immortalem resurrexisse. *Num.* 1887.
Oppositum verius censetur, nempe in sepulcro resurrexisse. *Num.* 1888.
Maria a caelo absente, veluti suspiria et gemitus in caelis insonant. *Num.* 1399.
Plus hauritur gloriae et voluptatis ex visione pulcritudinis Marianae, quam ex visione totius curiae caelestis, dempto Deo et Christo. *Num.* 1869.
Maria multis nominibus compellatur, quibus multiplex eius perfectio aperitur. *Num.* 1871.
Maria e coelo nos videt etiam oculis corporeis. *N.* 1875.
Mariae gloriam solus Filius describere potest, non Angeli. *Num.* 1879.
Maria quo die coelos ascendit, purgatorium evacuavit. *Num.* 1667 et 1842.
Maria non potest novum gloriae accidentalis augmentum facere. *Num.* 1883.
Mariae oratio potentior orationibus totius curiae caelestis. *Num.* 1762.
Nullo intercessore indiget apud Deum, ut, quod petit, extorqueat. *Ibidem.*

Concio

In festo s. Mariae ad Nives.

Thema. — *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11.

Extollens vocem quaedam mulier. Mariae laudes magna vocis contentione, ingentique affectu sunt evulgandae. *Num.* 11.
Laus nulla Mariae exaequari potest dignitati Matris Dei. *Num.* 1860.
Laudes Marianae non sunt ex locis communibus depromendae. *Num.* 13.
Marianae laudes petunt labia divinitus perpurgata. *Numero* 14, 16 et 1308.
Maria immensus oceanus, qui nequeat mentis bolide dimetiri. *Num.* 12.
Maria non a regiis proavis, sed a Iesu omnem suum honorem et laudes auspicatur. *Num.* 1843.
Beatus venter, qui te portavit. Maternitatis Dei ea est sublimitas, ut, si fieri posset, ex ea Mariana animi demissio discrimen aliquod subiret. *Num.* 1593.
Maternitas Dei est infinita in genere aestimationis. *Numero* 1591.
Maternitas Dei in radice maius bonum est gratia, charitate et beatitudine. *Num.* 1595.
Maternitas Dei est sublimior participatio divinae essentiae, quam reliqua supernaturalia dona. *Num.* 1596.
Ac proinde est nobilior omnibus donis supernaturalibus, sicut forma nobilior est suis proprietatibus. *Ibidem.*
Est etiam perfectior Angelo, et qualibet substantia supernaturali creata producibili. *Ibidem.*
Maternitas Dei ad ordinem rerum supernaturalium spectat. *Num.* 1603.
Maternitatis Dei gratia, infinita praedicatur a Patribus. *Num.* 1606.
Maternitas naturalis in humanis est praestantior filiatione adoptiva; ergo Maternitas Dei naturalis erit praestantior filiatione adoptiva Dei. *Num.* 1607.
Per Maternitatem Dei adepta est Maria stabilitatem in gratia, quam Angeli adepti sunt ex visione Dei. *Numero* 1620.
Maternitas Dei aliquam sanctitatis infinitudinem sibi vendicat. *Num.* 1631.
Maria hanc Maternitatis Dei praerogativam quotidie in peccatoribus nanciscitur. *Num.* 1732.
Mariae qui se totum devoverit, reliquos omnes benedictione caelesti et temporali antecellet. *Num.* 1378.
Quae omnia per nives e caelo deciduas significantur. Nives enim, praecipue miraculosae, quales hodiernae, bonorum omnium abundantiam innuunt. Per Mariam autem omnium bonorum scaturigo in homines redundavit. *Num.* 1728.
Maria nubes, quae nives influit, quibus tartareum incendium extinguitur. *Num.* 36.
Maria tanquam sphaera caelestis influxus in nos effundit. *Num.* 35.
Maria clientibus suis propugnaculum est, et munimen. *Num.* 37.
Maria non ductrice, nec gressum unum conficies ad terram promissionis coelestem. *Num.* 119.
Cum qua immotus celerius properabis, quam alas assumens sine Maria. *Ibidem.*

Concio I

In festo sanctissimi Rosarii B. Virginis Mariae.

Thema. — *Extollens vocem quaedam mulier.* Luc. 11.

In primis ea omnia, quae in superiori festo habes, huc etiam recte conducere possunt. Deinde alia cape, quae sequuntur.
Extollens vocem quaedam mulier. Laudes Marianae petunt mentem terrenis affectibus exutam. *N.* 13.
Laudes Marianae diminutae apud Evangelistas, ne tanquam Dea coleretur. *Num.* 15.
Laudes ementitae, infame potius dedecus, quam decus important. *Num.* 142.
Laus omnis inferior Mariae. *Num.* 16.
Laudes in Mariam exhibitae reciproca muneratione rependuntur. *Num.* 28.
Unde quoties Mariam reverenter invocas, cum globulos precarios in honorem ipsius percurris, tot gemmis exornat Maria diadema, quod capiti tuo imponat. *Num.* 1399.
Maria a primo mundi exordio in caelis et in terris reverenti cultu adorata fuit. *Num.* 1846.
Maria Apostolorum praeconium, et hymnus. *N.* 182 2

Maria illustre omnium Doctorum argumentum. *N.* 8.
Maria subornatur laudibus in ipsius honorem praestitis per globulos precarios. *Ibid.*
Laus autem omnium maxima Mariae imbibita est in salutatione Angelica, quam toties repetitis vocibus assumimus, cum globulos precarios percurrimus, nempe quod sit Mater Dei; quam laudem hodie intonat mulier de Evangelii magisterio edocta. Nulla enim laus Mariae exaequari potest dignitati Maternitatis Dei. *Num.* 1860.
Maternitas enim Dei est condigna praemio infinito, adeoque nequit finitis laudibus exhauriri. *Num.* 1632.
Maternitas Dei sibi deposcit observantiam hominis-Dei. *Num.* 1608.
Maternitas Dei constituit B. Virginem imaginem expressivam Divinitatis. *Num.* 1614.
Unde Maria dicitur Dei Facies; quare quicunque eam originali macula deturpat, faciem Dei commaculat. *Num.* 229.
Maria per Maternitatem Dei aliquam sanctitatis infinitudinem sibi vendicat. *Num.* 1631.
Maternitas Dei, bonum ex omni parte fortunatissimum; de qua nihil queri potest. *Num.* 1691.
Ex hac infinitudine Marianae sanctitatis propter Maternitatem Dei, licet depromere Mariae potentiam in exorando Deum. *Num.* 1761.
Sacratissimi rosarii catenula tanquam funiculis Deum tenet, et alligat, ne sceleratos puniat, et sicut vitta oculos Dei contegit, ne peccata videat. *Ibidem.*
Mariae oratio potentior precibus totius curiae coelestis. *Num.* 1762 et 1765.
Confratres Rosarii, quique globulos precarios reverenter percurrunt, singulari quodam stemmate in caelis ornandi. *Num.* 1120.
Et sapientia et splendore reliquos antecellunt. *N.* 34.
Sunt instar mercatorum pinguium, cuius sors principalis salva, et lucrum ultra sortem. *Num.* 87.
Iam inusti sunt Confratres Rosarii praedestinationis charactere. *Num.* 112.
Quare caelestem incolent Hierusalem. *Num.* 116.
Reliquis pereuntibus salvi fiunt. *Ibidem.*

Concio II

In festo sanctissimi Rosarii B. Virginis.

Thema. — *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11.

Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Hierico. Hodie Maria rosa inter spinas tot Turcarum ac Maurorum, qui eius pulcritudinem ac suaveolentiam acuunt. Sed quae connexio inter palmam, et rosam? Grandis profecto; cum per Mariam, eiusque globulos precarios, insignem a Turcis victoriam reportarunt nostri, quae per palmam innuitur. *Num.* 1399.
De qua victoria Sponsus loquitur, cum ait: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Ibid.*
De hoc triumpho Mariae applaudit sponsus, Cant. 4, dum ait: *Veni de libano, veni, coronaberis. Numero* 1399.
Tum et Psalmographus hanc victoriam decantat, Psal. 73: *Tu confregisti capita draconis in aquis. Ibid.*
Cur vero B. Virgo redimitur hic animantium exuviis, quae in Apoc. stellis coronatur: *Et in capite eius corona stellarum duodecim?* Nempe quia qui prius homines erant tigridibus ac leonibus ferociores, B. Mariae meritis et clientela in stellas commutantur, quibus caput suum exornat Maria. *Num.* 104.
Verum Episcopus Crotoniensis ait, tom. 3 suae Epitomes, eiusmodi stellas, quae caput Mariae coronant, esse rosas pulcherrimas globulorum precariorum, seu sanctissimi Rosarii. Et simul corniculantem lunam pedibus terit eadem B. Virgo, quia Rosarii interventione Turcae ac Mauri per lunam adumbrati, devicti sunt. Sed res mira, quod videantur stellae in capite Mariae, quo tempore Maria Sole circumamicta apparet! Hoc enim nihil aliud esse videtur, quam stellas in caelo meridiano tempore prospectare; praecipue cum asserat Bernardus, Solem, quo B. Virgo amicitur, esse Christum Dominum, stellas vero, quae caput cingunt, excellentias ac praerogativas B. Virginis; et iuxta Episcopum citatum, excellentias et mysteria sacratissimi Rosarii. Quid ergo, tempore, quo Sol Christus infiniti luminis Mariam pleno lumine irradiat, non obnubilentur Marianae excellentiae, et mysteria sanctissimi Rosarii, sed luceant ac splendeant? Grande sane prodigium, plusquam si meridiano tempore stellae prospectarentur in caelo: haec autem omnia obvenere Mariae ob Maternitatem Dei.
Beatus venter, qui te portavit. Uterus Marianus indolem uteri Patris aeterni ebibit, a quo instar solis Verbum divinum oritur. *Num.* 719.
Uterus Marianus eundem habet terminum, ac intellectus Patris aeterni. *Num.* 735.
Uterus B. Virginis est velut echo Patris aeterni, et cur? *Num.* 1797.
Maria dicitur soror Verbi divini, ex quo facta est Rosa inter spinas. *Num.* 1793.
Mariae rosarium veluti funda cum limpidissimis lapidibus, quibus Daemones profligantur: vel globuli precarii, sunt quasi aenei globuli, quibus Imperatoris Selim classis funditus evertitur. *Num.* 1399.
Sacrum rosarium est altera scala Iacob centum et quinquaginta gradus habens, quibus ad coelum scandimus, ubi Maria omnibus praedestinatis gloriae coronas ex rosis intertextas attexit. *Num.* 1739.
Mariae globuli precarii chirographum Dei sigillo munitum, quo veniam peccatorum et omne bonum consequimur. *Num.* 1725.
Maria est coronaria certantium, quia coronat suos clientes rosis a suo rosario depromptis. *Num.* 6.
Maria est sicut turris David, in qua omni armorum genere obarmantur ipsius clientes. *Num.* 1660.
Maria scutis circumamicitur, ut suos alumnos protegat, scuti autem vicem gerit rosarium: cultor Mariae rosario veluti scuto ab ingenti pluvia se defendit. *Num.* 1767.
Confratres rosarii et cultores Mariae, veluti filii dilectissimi pinguissimam Matris dotem nanciscuntur. *Num.* 107.
Quo magis affectu et pietate in Mariam succrescunt, eo magis bonis omnibus ditantur. *Num.* 130.
Ab inferorum flammis liberantur per Mariam. *Numero* 1459.
Cultorem Mariae impossibile esse damnari, quo sensu verum sit. *Num.* 1732.

Concio

Ad expeditiones sacras Concionatorum apostolicorum, ad augendam pietatem fidelium in B. Virginem Mariam, ac cultum ipsius promovendum.

Thema. — *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Psal. 21, 4.

Inventores rerum aliquarum summo semper in honore habiti; ergo Maria, quia prima inventrix gratiae, summo in honore habenda. *Num.* 1402.

Sic vocat Mariam Bonaventura: *Maria inventrix gratiae.* Sicut ergo s. Antonium Paduensem adimus cum aliquid deperditur; sic etiam cum aliquis Dei gratiam et amicitiam amiserit, Mariam adeat, quae gratiarum omnium totius generis humani inventrix est. A te ergo, o Virgo B., gratiam deperditam flagitamus, non iam ex gratia et favore, sed etiam ex titulo iustitiae. Siquidem quando aliquod monile, aut gemma deperditur, illius inventor ex iustitia tenetur proprio domino restituere. *Num.* 822.

Ait Ioannes Apoc. 12: *Signum magnum apparuit in coelo*; et subdit: *Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat.* Quid ergo? Nonne B. Virgo Filium sine dolore peperit? *Num.* 830.

Imo potiori iure dolores in partu mutavit in risum et gaudium, quam Sara. *Num.* 832.

Cur ergo asseritur, in partu excruciari, ut pariat? Nempe quia omnium nostrum Mater est. *Num.* 101.

Nosque in dolore peperit. *Num.* 104.

Sed cur cum parit stellis redimitur? Nempe quia gaudium et corona Mariae, melius quam Pauli, est, plures peccatores Christo parere, ad Philip. 4: *Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea.* Mariae patrocinium erga nos est instar deliciosi Paradisi. *Num.* 105.

Mariani haedi quinam dicantur. *Num.* 114.

Maria, rota est architectonica ad sublevanda in coelum rigentia hominum sceleratorum saxa. *Num.* 117.

Maria concipitur die lunae, quo die conditur infernus, quasi medicina praesentanea tanti mali. *Num.* 1663.

Maria plures aeternis flammis addictos liberavit. *Numero* 1664.

Mariae etiam tribuendum, quod damnati puniantur citra condignum. *Ibidem.*

Maria baculus et calamus, quo innitimur, et quo nostra praedestinatio subscribitur; virga item, qua Daemones abigimus. Qui vero non evigilaverit ad hanc virgam, cadet procul dubio in ollam succensam orci. *Num.* 1731.

Maria est virga adsportanda a concionatoribus evangelicis, ut nihil desit in via. *Num.* 1134.

Maria sedula Ruth reiectaneas peccatorum spicas inferorum flammis addictas colligit. *Num.* 1732.

Maria quotidie in peccatoribus Maternitatis Dei praerogativam nanciscitur. *Ibidem.*

Maria in porta mortis suis clientibus fert auxiliarem opem. *Num.* 1734.

Maria mille ostia patefacit in caelum. *Num.* 1767.

Maria scutis undequaque circumamicitur, ut suos alumnos protegat. *Ibidem.*

Maria est Officina, ubi opera misericordiae fabrefiunt. *Num.* 1769.

Maria advocatae munus recte obit etiam in causis desperatis. *Num.* 1771.

Maria inferni Domina suis clientibus aditum in eum locum intercludit. *Num.* 1459.

Est Primiceria praedestinatorum, cuius interest alios praedestinatos in libro vitae conscribere. *N.* 1738.

Mariae alvus, est etiam albeus, seu tabula lusoria latrunculorum, et quo sensu. *Ibidem.*

Maria videt omnia, quae Deus in Ecclesia operatur. *Num.* 1759.

Ad Mariam adduxit Deus omnes homines, ut videret, quid vocaret eos. *Num.* 1738.

Maria est discordiarum peremptrix. *Num.* 1357 *et deinceps.*

Maria ager est: illum emat, qui thesaurum Christi aeternum possidere avet. *Num.* 1380.

Maria caeli fenestra est ad lucem, et ad ingressum, cum ostium occluditur. *Num.* 1381.

Cultorem Deiparae impossibile esse damnari, quo sensu verum sit. *Num.* 1732.

Vel unica litera nominis Mariae robustissimum telum adversus daemonem. *Num.* 1386.

Mariae nomen septies in Evangelio insonat, adversus septem peccata lethalia. *Num.* 1387.

Antequam cum morte confligas, unge te Mariani nominis oleo. *Ibidem.*

Concio

Ad Sacerdotes congregatos sub invocatione Virginis Deiparae.

Thema. — *Maria optimam partem elegit.* Luc. 10.

Sacerdotii dignitas nostri tanta est, ut Deus duplici manu, et quasi toto conatu in illud incubuerit. *N.* 1168.

Sic Deus binis manibus occupatur in exornanda Maria. *Ibidem.*

Et sicut Deus nequit de potentia absoluta meliorem Matrem producere, quam Deiparentem; ita nec excellentius sacerdotium, quam nostrum. *Ibidem.*

Quare merito nobis arrogabimus verba illa: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.*

Sicut enim Maternitas Dei in aeternum durabit, Maria enim Virgo in patria physice, et moraliter eandem Matris Dei dignitatem obtinet; sic etiam in nobis sacerdotii character, et dignitas aeternum durabit. *Numero* 1580 et 1628.

Maria nec sacramentum Ordinis, neque eius characterem suscepit. *Num.* 1469.

Infuit tamen ipsi quasi sacerdotale munus conficiendi aliquando corpus Christi per operatoria verba. *Numero* 1468.

Maria altare, in quo quotidie Christus morti offerebatur. *Num.* 1774.

Maria ab Arbore vitae Christo suam immortalitatem hausit. *Num.* 858 et 1223.

Sacerdotes similiter ab Eucharistia tanquam ab arbore vitae in suis visceribus quotidie sata vitae immortalitatem depromant. Maria in Eucharistia est Sacerdotum nutrix, ubi mammilla regia lactamur. *Numero* 1476.

Est etiam diarium vitae ipsis sacerdotibus. *Num.* 1477.

Eucharistiae sumptio reddit corpus nostrum immortale, sicut et B. Virginis. *Num.* 1491.

Sacerdotes ex Eucharistia viridem iuventam hauriunt, sicut Maria. *Ibidem.*

Sacerdotes ediscant a B Virgine Christi sanguinem pie, sancte ac reverenter tractare. *Num.* 1488.

Maria per speciale privilegium oculis corporeis videbat Christum in Eucharistia existentem. *Num.* 1042.

Poterat et cum illo alloqui, et vocem prolatam audire. *Num.* 1043.

Maria nunc in caelis agens summa adoratione Eucharistiam colit. *Num.* 1487.

Maria tremit et turbatur, quia Verbum divinum in suis visceribus est susceptura. *Num.* 888 et 1488.

Quidni tremant Sacerdotes; siquidem Maria cum Sole Christo collata, quasi fusca conspiciebatur. *N.* 189.

In Eucharistia et cum Christo et cum Maria idem efficiuntur Sacerdotes. Redoleant ergo nostri mores et affectus, Christi et B. Virginis mores et affectus in vitae integritate et innocentia. *Num.* 1478.

CONCIO

Ad Nobiles congregatos sub invocatione B. Virginis.

Thema. — *Liber generationis Iesu Christi filii David.* Matth. 1.

In Maria haereditario iure devolvitur regnum Israel. *Num.* 906.
Maria cum tribu regia Iuda, et cum tribu Levi sacerdotali consanguinitatem contraxit. *N.* 911.
Maria omnium foeminarum nobilissima secundum originem. *Num.* 912.
Maria omnium nobilissima, sive ab antiquitate, sive a religione, sive a sapientia, sive ab imperio, et rebus gestis maiorem splendorem depromas. *Num.* 913.
Mariae nobilitas recte per mulierem sole amictam, pedibus terentem lunam, ac stellis redimitam adumbratur. *Num.* 914.
Maria reapse sibi arrogat eam nobilitatem, quam ethnici ementitis catalogis sibi adsciscebant. *Num.* 917.
A Christo et Maria semper nobilitas magni habita fuit. *Ibidem.*
Alii ab antiquitate nobilitatem aucupantur. Alios scientia et doctrina ex plebeiis nobiles et illustres facit. *Num.* 915.
Divitiae etiam, et opulentia tanquam pars maxima nobilitatis reputatur. *Ibidem.*
Ab imperio etiam, et rebus gestis alii nobilitatem sibi maiorem, vel minorem nanciscuntur. *Num.* 913.
Maria ab antiquitate est utique nobilissima, siquidem iam olim in vellere Gedeonico adumbrata fuit, ex quo dicti Equites *del Tuson. Num.* 905.
In stemmate Mariano bis septem reges, et alii plurimi heroes recensentur. *Num.* 912.
Davidis gloriosius stemma fuit essa progenitorem Mariae. *Num.* 1593.
Si vero ab imperio, et rebus gestis nobilitatem venari velimus, Maria vere et proprie est Regina ac Domina universi. *Num.* 1643 et *deinceps.*
Mariae res omnes certatim inservire gestiunt. *N.* 1648.
Imo reges omnes et imperatores coronas suas Mariae omnis nobilitatis primipilae submittunt. *Num.* 922.
Ipsa vero nulli purae creaturae coronam nobilitatis submittit, ita ut nec ipsius Christi, qua homo est, dici possit serva. *Num.* 1671.
Si vero a scientia nobilitatem mutuari velimus, Maria omni creatura doctior proclamatur. *Num.* 1840.
Cui meliori iure, tanquam scientiarum Praesidi, templum exstruendum ex apum cera, volucrumque pennis, quam olim Apollini. *Num.* 1142.
Nec opponi potest adversus hanc Marianam nobilitatem, quod sponsum habuerit artificem; siquidem apud Hebraeos et alios, artes mechanicae nihil de nobilitate detrahebant. *Num.* 919.
Nec item quod B. Virgo colo et acu victum sibi ac Filio compararet: nam artes quaedam mechanicae viros ignobiles reddunt; in foeminis autem illustrem sanguinem non obscurant. *Num.* 920.
Maria itaque Unigenita decantatur ab sponso, quia nullum habet sibi in nobilitate parem ex puris creaturis. *Num.* 926.
Tum et primogenitorum nobilium iuribus gavisa fuit. *Num.* 931.
Reliqui nobiles tanquam fratres ipsius minores reputantur, quibus tenetur alimenta praebere. *Num.* 922.
Maria tanquam primogenita aureum habet Dei sigillum, ne quid nobis Deus triste decernat, sine ipsius nutu. *Num.* 1727.
Ipsi etiam tanquam primogenitae claves coeli committuntur; cum Deus claves sibi inferni reservet. *Numero* 933.

CONCIO

Ad Scholasticos congregatos sub invocatione B. Virginis Mariae.

Thema. — *Collum tuum sicut turris David.* Cant. 4.

Maria omnium bonarum artium est academia. *Numero* 1055 et 1115.
Maria Spiritus sancti magisterio edocta in omnibus scientiis. *Num.* 1065.
In secretarium divinitatis introducitur a Deo, et in divinae sapientiae cellaria. *Num.* 961.
Mariae scientia perfectissima medium continens inter sapientiam Christi, et Angelorum. *Num.* 1008.
Fuit grammatices peritissima. *Num.* 1066.
Rhetorices arte floruit. *Num.* 1068.
Poesis et musices gnara fuit. *Num.* 1072.
Dialecticam aprime calluit. *Num.* 1075.
Tum et universam Philosophiam. *Num.* 1077.
Medicinam illustrem Philosophiae partem rite percalluit. *Num.* 1079.
Omnium mathematicarum scientiarum cognitione perfectissima polluit. *Num.* 1083.
Utriusque iuris peritissima. *Num.* 1084.
Floruit Theologia scholastica. *Num.* 1091.
Sacrarum Literarum intelligentia ipsos sacros Scriptores antecelluit. *Num* 1094.
Theologiam quam dicimus Moralem, optime calluit. *Num.* 1095.
Maria gymnasium a Deo structum ad omnem politiorem eruditionem. *Num.* 1097.
Quomodo Iesus infans sub Mariae disciplina et magisterio versatus fuerit. *Num.* 1098.
Maria gymnasium supremum, in quo Apostoli politiori eruditione perpoliti sunt. *Num.* 1100.
Maria dormiens plus divinioris sapientiae hauriebat, quam alii vigiles. *Num.* 1101.
Maria nullam passa fuit deceptionem. *Num.* 1108 *et deinceps.*
Doctorum laureola insignita fuit. *Num.* 1120.
Mariae magisterium qui frequentet, citius doctior evadet, quam qui Dei magisterium adet. *Num.* 1131.
Mariae magisterio qui se dedunt, terrenorum affectuum calceamenta deponant. *Num.* 1132.
Mariae fons lucis visum restituens. *Ibidem.*
A Maria omnes Doctores, et Scriptores suam omnem scientiam mutuati sunt. *Num.* 1141.
Maria oliva speciosa, ex qua oleum et lumen accipiunt universi Doctores. *Ibidem.*
Mariae labia, favus; quia mel exhibent ad condiendum, et ceram ad illuminandum. *Num.* 1142.
Maria ductrice, vera sapientia invenitur. *Num.* 66.

CONCIO

Ad Artifices congregatos sub invocatione B. Virginis Mariae.

Thema. — *Nonne hic est fabri Filius?* Matth. 13, 55.

Maria est omnium creaturarum idea, earundemque perfectiones cohibet. *Num.* 147.
Maria omnes status honorat, sicut aqua omnium florum imbibit formas. *Num.* 71 et 1507.
Artes mechanicae apud Hebraeos, Ethnicos et Cantabros summo in honore habitae. *Num.* 919.

Nobilitas non obscuratur ab agricultura. *Num.* 918.
Maria acu et colo sibi ac Filio victum comparabat. *Numero* 920.
Mappa, in qua primo instituta fuit Eucharistia, Mariae manibus elaborata fuit. *Num.* 1479.
Per peccatum vera nobilitas deperditur; ita ut si B. Virgo vel peccati vestigio obnoxia fuisset, ignobilis esset, et a Deo nesciri videretur. *Num.* 578.
Nobilis enim idem est ac notus; ignobilis, idem atque ignotus. *Num.* 915.
Idcirco Maria inter puras creaturas nobilissima praedicatur, quia exempta et immunis ab omni peccato. *Num.* 603 et 609.
Mariae clientela, et patrocinium pluris ducenda, quam maior mundi nobilitas, imo quam totius mundi diadema. *Num.* 1387.
Mariae nomen, omen est omnis felicis fortunae. *Numero* 1393.
Maria omnis humilitatis magistra. *Num.* 1304.
In tanto dignitatis fastigio semper sui nihilitatis memor. *Num.* 1305.
Haec animi demissio fuit quasi materia, ex qua Christum genuit. *Ibidem.*
Humilitas haec Verbi Dei prolifica virtuti generativae Patris parianda. *Ibidem.*
Maria humilibus devota, et addicta dicitur, quia ab humilitate grandia et magnifica sperat. *Num.* 1306.
Maria quia pauper et uxor fabri, munera ut pauper obtulit, quia sumptus moderandi iuxta uniuscuiusque status conditionem. *Num.* 1307 et *deinceps.*
Nonne hic fabri filius? Quod Iudaei Christo dedecori tribuebant, Chrysologus honori vertit. Christus enim est filius fabri, qui coelos detornavit. *Num.* 663.
Ac totum hunc orbem mirabili consilio fabrefecit, terram in nihilo stabilivit. Quique fabricatus est auroram et solem: coelos quasi ex aere fusiles formavit.

SYLLABUS RERUM

ET VERBORUM QUAE TOTO HOC OPERE CONTINENTUR

A

Abel

Abel iusti nomine donatur, non reliqui martyres, nempe quia primus. *Num.* 1405.
Abelis sanguis clamat ad Deum, non vero Uriae contra David, quia hic peccatum suum confessus est, non vero Cain. *Num.* 890.

Abraham

Abrahami caro sancta sicut templum et altare Dei, quia ex illo aliquando nasciturus Messias *Num.* 227.
Abraham non integre beatum se credidit, si a pio hospitalitatis officio cessaret. *Num.* 1262.

Abulensis

Abulensis nullo magistro artes liberales divinitus edidicit. *Num.* 1113.
Abulensis opinio respuitur, dum asserit Christum per umbilicum et ilia fuisse egressum, dum a Virgine Deipara nascitur. *Num.* 1413.

Academiae

Academiae plures exposcunt a suis Doctoribus votum defendendi immunitatem B. Virginis a peccato originali. *Num.* 410.
Academiae defendunt titulum immaculatae Conceptionis. *Num.* 516.
Academiae celebriores Europae praestito iuramento B. Virginem immaculate conceptam tutantur. *Num.* 458.
Academiae Viennensis statutum pro defendendo immaculato conceptu B. Virginis. *Num.* 460.

Acies

Acies cuspidata in praelio disturbari non potest. *N.* 1855.

Actus

Actus boni nostri, quia sumus membra Christi, plus praemii condigne merentur. *Num.* 1702.
Actus intellectus secundum suam entitatem, non pertinere ad secreta cordis, quinam censeant. *N.* 1012.
Actus intellectus pertinere ad secreta cordis, verior sententia. *Ibidem.*
Actus intellectus potest esse intuitivus, et abstractivus respectu diversorum obiectorum. *Num.* 1032.
Actus amoris in Maria centesimus tantum valebat, quantum nonagintanovem actus antecedentes. *N.* 1146.
Actus appetitus sensitivi, qui in nobis passiones dicuntur, sublatis imperfectionibus, in B. Virgine reperiebantur. *Num.* 772.
Actus eiusmodi in Maria non passiones, sed propassiones nuncupandae. *Num.* 773.

Adamus

Adamus in sopore, et raptu a Deo immisso, nec libertate, nec merito privatus fuit. *Num.* 1277.
Adami ingratitudo omnium malorum origo fuit. *Numero* 1282.
Adamum, viso Abele mortuo, castitatem vovisse, quisnam adstruat. *Num.* 1436.
Adamo collata fuit iustitia originalis ex meritis B. Virginis. *Num.* 1717.
Adam et Eva propter Mariam a Deo non destruuntur. *Num.* 145.
Adam et Eva in instanti perfectissime conditi sunt. *Numero* 624.
Adam et Eva seiunctim figulantur, ut magis vacarent contemplationi. *Num.* 651.
Adamus in statu innocentiae, luce quadam emicabat, quam per transgressionem amisit. *Num.* 718.
Adamus conditus sine fomite peccati. *Num.* 873.
Adamo rerum omnium materialium actu existentium scientia indita fuit. *Num.* 1000 et 1002.
Adamus et Eva fuerunt praediti elocutionis arte. *Numero* 1067.
Adamo non peccante, Maria non existeret, ex vi praesentis decreti. *Num.* 1808.

Admiratio

Admiratio in Virginem Deiparam recte cadere potuit. *Num.* 764 et 791.

Adoratio

Adoratione multiplici adorari, et suspici potest Virgo Deipara. *Num.* 1846 *et deinceps.*
(Vide etiam verbo *Mariae adoratio.*)

Adspectus

Adspectus Marianus castos infundebat affectus. *N.* 742.

Aegyptii

Aegyptii suaveolentem a se odorem, ob victus parsimoniam, emittebant. *Num.* 716.

Aer

Aer merito in rerum omnium conditione subticetur, quia alienis splendet ornamentis. *Num.* 758.
Aer circumambiens Mariam, ab Angelis subtilis et saluberrimus reddebatur. *Num.* 822.

Agentia naturalia

Agentia naturalia pedetentim, tardoque gressu suos effectus edunt. *Num.* 616.

Agnus

Agnus castus ad castitatem allicit ipsum ferentes. *Numero* 1164.

Alexander Magnus

Alexander Magnus suaveolentem odorem a se emittebat. *Num.* 716.
— Idem ex oculis quosdam luminosos radios eiaculabatur, adhuc in tenebris. *Num.* 722.

Amor-Amicitia

Amor Marianus primas fert in concursu generationis Christi. *Num.* 1804.
Amicitia vera intercessit inter Mariam et Iesum. *Numero.* 1218.
Amicorum omnia sunt communia etiam secreta cordis. *Num.* 1348.
Amor B. Virginis in Deum, iuxta aliquos, suo telo ipsam ad mortem usque sauciavit. *Num.* 788.
Amor ferventissimus B. Virginis liber non ademit potentiam ad peccandum. *Num.* 1193.
Amoris praeceptum quoad omnes circumstantias, vix in hac vita adimpleri potest. *Num.* 1213.
Amoris praeceptum quoad omnes circumstantias B. Virgo perfectissime adimplevit. *Ibidem.*
Amoris ferventissimi tres assignantur gradus. *N.* 1224.
Amorem Mariae erga Christum plures circumstantiae adaugebant. *Num.* 1257.

D. Andreas

Andreas Apostolus Mariae Virginis virginitatem et Maternitatem Dei acriter in symbolo propugnat. Ipsius concio in dormitione Deiparae. *Num.* 1833.
— Idem pro immaculata B. Virginis conceptione decertat. *Ibidem.*

Angelus

Angelos scire diem iudicii, quinam censeant. *N.* 1347.
— Sed opposita sententia communior. *Ibidem.*
Angeli per Mariam celerius in nostrum auxilium involant. 1380.
Angeli et homines in caelis sua propria nomina sortientur. *Num.* 1397.
Angelorum tres hierarchiae sonora voce Mariae nomen decantant, et cupiunt repetitis vocibus, suis auribus insonare. *Num.* 1398.
Angeli habent virtutem poenitentiae. *Num.* 1329.
Angelos posse nativa vi cognoscere modum existendi Christum in Eucharistia, docent aliqui. *Num.* 1037.
Angelus supremus, per unicam speciem universalissimam, attingit omnia obiecta naturalia. *Num.* 994.
Angeli scholares D. Pauli, eius gymnasium frequentarunt. *Num.* 49.
Angeli in coelis a principio creationis, festum Mariani conceptus celebrarunt. *Num.* 221.
Angelos conditos fuisse ante mundi constitutionem quinam censuerint. *Num.* 359.
Angeli boni licet in gratia conditi, obnoxii tamen fuerunt peccandi discrimini. *Num.* 578 et 580.
— Ideoque dicuntur immundi coram Deo. *Ibidem.*
Angeli dici possunt redempti per Christum. *Num.* 595.
Angeli in assumptis corporibus mortem Domini luxerunt, iuxta aliquos Patres. *Num.* 1257.
Angeli spirituali Eucharistiae sumptione reficiuntur. *Numero* 1491.
Angeli edocentur a B. Virgine. *Num.* 1518.
— Tum et ab Ecclesia. *Num.* 1521.
Angeli plures excubias agebant circa B. Virginem. *Ibid.* (De quo vide plura a *Num.* 1514).
Angelus nequam deputatur unicuique homini a nativitate. *Num.* 1519.
Angeli semper vident in Verbo Virginem Deiparam, semper et illam amant. *Num.* 1520.
Angeli in via futuram Dei genitricem B. Virginem probe cognoverunt. *Ibidem* et *Num.* 1521.
Angeli per Mariam, omnem gratiam et gloriam consecuti sunt. *Num.* 1523.
Angeli meritis Christi Domini gratiam et gloriam eius sanguine partam adepti sunt. *Ibidem.*
Angeli mali inviderunt Mariae excellentiam et dignitatem sublimiorem. *Num.* 1525.
Angelis praeceptum impositum adorandi et colendi Christum, et Mariam tanquam ipsis superiores. *Ibidem.*
Angeli in bono perstiterunt, quia Christo Domino et Mariae Virgini cultum ac debitum amorem detulerunt. *Num.* 1526.
Angelorum amor in B. Virginem quantus sit. *Ibidem.*
Angeli in prima mundi creatione Christum Dominum ortum ex Maria Virgine hymnis concelebrarunt. *Numero* 1527.
Angeli illuminantur primum a Virgine Deipara immediate. *Num.* 1528.
Angelis facta revelatio prima de Maria, meritis ipsius facta fuit. *Ibidem.*
Angeli ab Apostolis edocti in pluribus Incarnationis circumstantiis. *Ibidem.*
Angelus cur mittitur ad Mariam, non vero homo propheta. *Num.* 1529.

Anima

Anima B. Virginis perfectissima perfectissimum corpus deposcebat. *Num.* 665.
Anima B. Virginis, dempta Christi Domini, omnibus praestantior aliis. *Num.* 753.

Animantia

Animantibus Ezechielis quatuor alae exhibitae, in Apocalypsi sex, quia in ultimis saeculis maior scientiarum notitia. *Num.* 52.
Animantia, ac reliquae creaturae sensu destitutae in momento a Deo producuntur: at in hominis productione Deus moras interponit. *Num.* 649.

S. Anna parens Mariae

D. Annae pars aliqua, tum et s. Ioachimi in Eucharistiae sacramento reperitur. *Num.* 1483.
D. Anna neque in partu dolores, neque in conceptu molestiam, lassitudinem, vel fastidium in gestatione prolis experta est. *Num.* 835.
D. Annam ter nupsisse, tresque habuisse filias, quinam adstruant. *Num.* 923.
— Sed eam univiram fuisse, et unica gavisam prole verissima sententia est. *Num.* 924.
Anna dominium, ac praeeminentiam super omnes uxoratas attollit. *Ibidem.*

Annunciatio

Annunciationem Angelicam fuisse factam die vicesimaquinta Martii, censet esse de fide Suarius. *Num.* 632.

Apis

Apis ex alienis mel ac ceram in plurimos hominum usus construit. *Num.* 42.

Apostoli

Apostoli primi piae sententiae de immaculato B. Virginis conceptu sectatores et propugnatores. *Num.* 265.
Apostoli confirmati in gratia habuerunt revelationem suae perseverantiae finalis. *Num.* 1188.

Apostoli sicut leunculi thronum Marianum custodiebant, eique obsequia exhibebant. *Num.* 1821.
Apostoli adolescentulae sponsae Mariae, ipsiusque pedissequae. *Ibidem.*
— Per universum orbem Mariae laudes divulgabant. *Num.* 1822.
— B. Virginis icones secum deferebant in promulgatione Evangelii. *Ibidem.*
— Angelicae salutationis elogia saepius recitabant. *Ibidem.*
— Festum assumptionis instituerunt. *Num.* 1823.
— Ab ipsis sabbati dies B. Virgini consecratur. *Ibid.*
— Decantatae ab ipsis laudes in funere Mariano referuntur. *Num.* 1824.

Appetitus

Appetitus sensitivus suos habet habitus, quibus pronior efficitur ad bene, vel male operandum. *Num.* 874.
Appetitus sensitivus B. Virginis ex natura sua ad bonum propendebat. *Num.* 876.

Apud

Apud, quando coniungitur cum Deo aeternitatem insonat. *Num.* 134.

Aqua.

Aqua omnium florum imbibit species. *Num.* 71.
Aquarum privilegium inter reliqua elementa decantatur. *Num.* 219 et 220.
Aquae prae aliis elementis eliguntur, ut sint Spiritus sancti lectica. *Num.* 222.
— Peccato originali bellum indicunt. *Ibidem.*
Aquae nominis Mariae baiulae, Verbo Dei foetae innumera pariunt viventia sine conamine ullo. *Num.* 832.
Aquae, quia umbra Mariae, nullum ab ortu suo defectum, vel deformitatem experiuntur. *Num.* 877.
Aqua illa ex rupe prosiliens cum Hebraeis, stupendo prodigio, simul iter agebat. *Num.* 1264.

Aquilas

Aquilas Ponticus, primus sacrorum Voluminum interpres ab Ecclesia pulsus, quia divinationibus dierum natalitiorum incumbebat. *Num.* 686.

Aranea

Aranea ex propriis fila ducit vilia, et inutilia; apis ex alienis mel ac ceram in plurimos hominum usus construit. *Num.* 42.

Arbor vitae

Arboris vitae fructus nativa vi vitam in aevum prorogabat. *Num.* 709.

Ars—Artifex

Artes mechanicae non erant ignobiles apud Hebraeos, Ethnicos et Cantabros. *Num.* 919.
Artes quaedam mechanicae viros ignobiles reddunt, in foeminis autem illustrem sanguinem non obscurant. *Num.* 920.
Artifices omnes et fabri, ignobiles antiquitus reputabantur. *Num.* 916.

Astra—Astronomi

Astra in natalitio B. Virginis nullum habuerunt dominium. *Num.* 691.
Astra dicuntur, coeli militia. *Num.* 732.
— Ex astrorum adspectu potuisse reges magos Christi nativitatem praenoscere, adstruunt aliqui cum Alberto Magno. *Num.* 683.
Astronomi iudiciarii perstringuntur. *N.* 685 *et deinceps.*
— Plerumque, quae praedicunt, eveniunt ex pacto inito cum daemone. *Num.* 689.
— Inter leonis et librae signa coelestia, constituunt signum virginis. *Num.* 1758.

B

Baptismus

Baptismus sanguinis praestantior est baptismo fluminis; hic praeterita peccata delet, ille futura perimit. *Numero* 1197.
Baptismi praeceptum non alligabat nisi post Christi mortem. *Num.* 1457.
— Illo tenebatur B. Virgo, omniumque prima illum recepit. *Num.* 1454.
— Anno aetatis suae quadragesimoquinto, labente maio, vel incipiente iunio. *Num.* 1457.
— Ab ipso Christo baptizatur. *Ibidem.*
Baptismum Marianum aliquod coeleste et externum signum cohonestavit. *Num.* 1458.
Baptismus aliquorum Sanctorum aliquibus signis coelestibus honoratur. *Ibidem.*

S. Barnabas

S. Barnabas orationem habet in transitu Deiparae. *Numero* 1841.
Idem in agro Ticinensi, tum et Mediolani Virgini Deiparae templa dicat. *Ibidem.*

S. Bartholomaeus

S. Bartholomaeus apostolus centies die, et centies noctu flexis genibus salutationem angelicam recitabat. *Num.* 1837.
— Idem in obitu Virginis Deiparae in ipsius laudes effunditur *Ibidem.*
— Eiusdem cultus, et pietas insignis in Mariam. *Ibid.*
— Idem Marianae virginitatis voto nuncupatae primus assertor. *Ibidem.*

Beatus

Beati suorum corporum dotes a carne virginea Mariae auspicantur. *Num.* 746.
Beati nihil nobis modo merentur; bene vero plura nobis impetrant. *Num.* 1679.

Bellum

Bellum nullum aggrediendum sine duce Maria, aut commilitone. *Num.* 4.

Bivarius

Bivarius commentator Lucii Dextri fallitur, cum asserit B. Virginem obiisse anno aetatis suae sexagesimotertio, quia hic annus est climatericus et criticus. *Numero* 697.

Bona temporalia

Bona temporalia a Virgine Deipara in nos derivantur. *Num.* 88 *et deinceps.*

C

Caietanus

Caietanus et Canus perstringuntur. *Num.* 53.
Caietanus temeritatis arguendus, dum vocat revelationes s. Birgittae, figmenta et mulierc ularum deliria. *Num.* 391.
Caietanus reprehenditur a Catherino, quod concilium Basileense vocet Synagogam Satanae. *Num.* 555.

Caietani doctrina evidenter evincitur, Virginem Deiparam sine peccato originali conceptam adversus ipsum. *Num.* 956.

Calatrava

Calatravae Religio votum defendendi Conceptionem immaculatam B. Virginis emittit. *Num.* 464.

Calvinus

Calvinus nolebat fidem dare privilegiis Marianis, nisi caeleste diploma exhiberetur. *Num.* 41.

Canonizatio

Ad canonizationem alicuius mysterii quaenam requirantur. *Num.* 407.

Canonizans Ecclesia aliquem sanctum, vel festum, vel mysterium aliquod, errare non potest. *Num.* 408.

Canticum canticorum

Canticum canticorum, totum laetitia plenum, merito B. Virgini prae aliis adaptatur. *Num.* 807.

Canticum canticorum in proprio et literali sensu de Virgine Maria praecipue accipiendum. *Num.* 1815.

Caro

Carni et sanguini longum vale dicat, res praeclare gestas aggressurus. *Num.* 757.

Caro Virginea fuit perpurgata et emundata ab omni qualitate inordinata. *Num.* 1624.

Caro Virginea Mariae dicitur sancta, quia destinata, ut ex ea Christus nasceretur. *Ibidem.*

Caro B. Virginis omnis spiritus sphaeram supergreditur. *Num.* 1801.

Caesar Augustus

Caesar Augustus a Christi nativitate fuit prorex Christi Regis. *Num.* 1637.

Caesaraugusta

Caesaraugusta omnium prima speciali templo immaculatam Deiparae Virginis conceptionem suspicit et veneratur. *Num.* 263.

Cedrus

Cedrus temperantiae symbolum. *Num.* 1232.

Cedrus Maria, quae Scriptorum suorum codices ab omni invidorum tinea immunes servat. *Num.* 25.

Centrum

Centrum Dei et hominum, Maria Virgo. *Num.* 94 *et deinceps.*

Certaminum praefectus Deus. *Num.* 6.

Chamaeleon

Chamaeleon superborum symbolum. *Num.* 1363.

Cherubini

Cherubini Salomonici referunt scriptores, qui scripta sua in lucem edunt. *Num.* 54.

Christus Dominus

Christus Dominus noluit bellum adversus Daemones ciere sine Maria comite. *Num.* 5.

Christus veritas, non consuetudo nuncupatur, et cur? *Num.* 51.

Christus, quia Filius Mariae Virginis, corporis incorruptionem obtinuit. *Num.* 84.

Christus fuit granum tritici, quod in opimas aliorum Sanctorum spicas multiplicatum excrevit. *Num.* 85.

Christus frater noster ex utroque latere, ex quo nobis grandis fiducia venit. *Num.* 106.

Christus primogenitus Patris, ipsius maioratum percepit: nos vero filii minores pinguissimam matris Mariae dotem nanciscimur. *Num.* 107.

Christus acturus animam, Matrem alloquitur, et potius in ipsam, quam in coelum oculos intendit. *Numero* 126.

Christus ab aeterno Patre, meritis B. Virginis, opem implorat. *Num.* 128.

Christus simul cum B. Virgine decretus in primo signo decretorum. *Num.* 159 *et deinceps.*

Christi postremus gressus coelis sublimior, ubi nec vestigium peccati reperitur: sic eiusdem gressus primus in Mariam, ubi culpa nunquam pedem intulit. *Numero* 231.

Christus Dominus simillimus suae carissimae Parenti. *Num.* 664 et 726.

Christus elegit temperamentum sanguineum, ut plus sanguinis pro nobis effunderet. *Num.* 674.

Christi caro mortalis floruit virtute sanandi. *Num.* 711.

— Pollebat etiam virtutibus, et qualitatibus ad miros, et extraordinarios effectus. *Num.* 713.

Christi Domini vultus radianti splendore coruscabat. *Numero* 718.

Christus ex utero Mariano diadema regium, sceptrum, et regalem purpuram hausit. *Num.* 719.

Christum Dominum pulcritudine corporea non fuisse praeditum, quinam asserant. *Num.* 735.

Christus Dominus in cruce nudissimus pependit. *Numero* 793.

— Gaudebat iustitia originali quoad intrinseca. *Numero* 827.

— Ipsi violentum fuit ab utero Mariae avelli. *Numero* 859.

Christus maluit ex semine Abrahae carnem assumere, ut citius per circumcisionem, sanguinem pro nobis effunderet. *Num.* 886.

Christus ipse sine Maria socia et comite, a Daemone aggreditur. *Ibidem.*

Christus in circumcisione sua animas sibi desponsat. *Ibidem.*

Christus admotis lucernis, hominum corda perquirit, ut loca secretiora introspiciat. *Num.* 892.

Christus plus honori Matris suae, quam suo consuluit. *Num.* 895.

Christus discrimini exponit apud homines suam divinitatem, ut honori Matris prospiciat. *Ibidem.*

Christum cognoscere omnia possibilia, probabile est, nec ullam censuram meretur. *Num.* 995.

Christum in Eucharistia existentem videri posse oculis corporeis, quinam autument. *Num.* 1042.

Christus aliquando cecinit; et ad crucem tanquam ad choreas laetus carmina pangens properabat. *Numero* 1073.

Christus est ratio et sapientia Patris, ac proinde non est phantasma chimaericum. *Num.* 1126.

Christi amor in Eucharistia adeo ingens, ut nec ab intellectu excogitari possit, nisi efformando eius rationis. *Num.* 1128 *et deinceps.*

Christi scientia experimentalis innuitur a Zacharia. *Numero* 1129.

Christus solo contactu suo et corpora a morbis et animas a peccato liberabat. *Num.* 1165.

Christus crucem ac tormenta sponte aggreditur, et in certamen provocat. *Num.* 1235.

Christus patiens fulmen validissimum, quo anima B. Virginis transadigitur. *Num.* 1238.

Christus Dominus aliquando post ascensum in coelos, in propria persona descendit. *Num.* 1272.

Christus sine dispendio gravitatis ac modestiae, saltibus insolitis percurrit, dum agitur de abolitione peccati. *Num.* 1286.
— Ad inferendum vero supplicium, lentis passibus deambulat: currit autem celeriori gressu ad crucem. *Num.* 1286.
Christus a sinu Patris durus debellator; a sinu Matris mitis ac blandus venit. *Num.* 1295.
Christus mititatem potius, et animi demissionem a Matre cum lacte haustas, a seque plurimum adamatas, nobis ad imitandum proponit. *Num.* 1295.
Christus a Maria habet, quod sit flos, ex quo favus, fructus ac medicina nobis construitur et elaboratur. *Ibidem.*
Christus ex utero Mariano prodiit, quasi ex misericordia totus compactus. *Num.* 1296.
Christus Iudex ex lacte Mariano ad misericordiam proclivis. *Num.* 1297.
Christus Dominus se praebuit nobis urbanitatis exemplar. *Num.* 1299.
Christus inclinans caput in cruce, obedientiam venerabundus suspicit usque ad mortem. *Num.* 1314.
Christus Dominus praeditus fuit virtute Poenitentiae. *Num.* 1329.
— Dono etiam timoris. *Num.* 1352.
— Nec halitus, nec verbum effluebat ab ore Christi, non praeeunte timore. *Ibidem.*
Christus non ante regis nomen sibi assumpsit, quam regis facinora expleret. *Num.* 1362.
Christus noluit nec ad breve tempus a proprio nomine discrepare. *Num.* 1367.
Christus Sol iustitiae velocius in lectica Mariae, in nostram salutem venit, quam in solis quadriga. *Numero* 1378.
Christus et pater, et iudex est; Maria tota Mater misericordiae. *Num.* 1379.
Christus visus est increpare Matrem in nuptiis Cana, ut hominum proterviam compescat. *Num.* 1380.
Christus ostiatim emendicasse plures Doctores affirmant. Alii probabilius negant. *Num.* 1429.
Christus hominum similitudinem induit, ut tanquam unus e multitudine haberetur. *Num.* 1455.
—Tunc autem non Angelis, vel alicui creaturae committitur oratoris munus, sed ipse Pater aeternus, et Spiritus sanctus eum commendandi curam suscipiunt. *Num.* 1456.
Christus nullibi sublimius nomen et famam sibi comparavit, quam patibulo affixus infami. *Num.* 1456.
Christus ex maternis visceribus violenter extrahi dicitur. *Num.* 1474.
Christus gloriatur de carne hausta a Maria, potius quam de anima. *Num.* 1475.
Christus sanguinem, quem pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit. *Num.* 1475.
Christus intonsos capillos servavit, ne partem aliquam a Matre haustam deperderet. *Num.* 1477.
Christi generatio Spiritui sancto tribuitur. *Num.* 1503.
Christus ideo legitimus, et non spurius, quia ex Virgine, sine ope Iosephi. *Ibidem.*
Christus in salutem animarum totus incubuit. *N.* 1816.
Christus maluit in hominum opinione de non Virgine nasci, quam vocari spurium. *Num.* 1508.
— Imo et post longam generationum seriem, renuit Christus ex atavo illegitimo nasci, et originem ducere. *Ibidem.*
Christus ex coniugata Maria nascitur, ut partus Diabolo celaretur. *Ibidem.*
Christus nullum habuit Angelum custodem. *N.* 1516.
Christus totus prochvis ad amandum ex utero materno prodiit. *Num.* 1550.
Christus cur dicatur Conceptus de Spiritu sancto, et non de Patre? *Num.* 1556.
Christus existit per existentiam propriam creatam, non per increatam Verbi. *Num.* 1557.
Christus cur abstinuerit a Matris suae laudibus? *Numero* 1562.
—Exemplo suo omnem parentum affectum exuere nos edocet. *Ibidem.*
Christi anima, et caro prius natura unitae fuerunt Verbo, quam inter se. *Num.* 1565.
Christus non refertur ad Matrem relatione increata filiationis. *Num.* 1575.
Christus dicit relationem realem ad Matrem eiusdem rationis cum aliis filiationibus. *Num.* 1576.
Christus duplicem dicit relationem filiationis, nempe creatam et increatam, aeternam et temporalem, ad Patrem aeternum, et ad Matrem, non tamen est duplex filius. *Num.* 1577.
Christus Mariam perenni filiatione Matrem respicit. *Numero* 1580.
Christus ex vi generationis ex Virgine, immunis fuit a peccato originali. *Num.* 1583.
Christus ex vi conceptionis suae, ex Virgine sanctus prodiit. *Num.* 1585.
Christum regem esse temporalem, propositio apparet de Fide. *Num.* 1637.
—Gavisus est dominio temporali in omnes creaturas. *Num.* 1639.
—Quo dominio aliquando est usus. *Num.* 1641.
Christus Dominus Mariae Virgini tanquam Matri obsequium et honorem impendebat. *Num.* 1669.
Christus Matrem ad honores sibiipsi proprios evocabat. *Ibidem.*
Christum immunem fuisse a patria potestate aliqui docent. *Num.* 1670.
Christi opera ex dignitate personae traxerunt maiorem valorem. *Num.* 1672.
Christus, quae nobis precibus Matris largitur, ipsi Matri donare se putat. *Num.* 1727.
Christus nullum influxum gratiae in nos exhibet, quin transeat per Mariam. *Num.* 1729.
Christus hamus, esca Maria, arundo crux ad prehendendos hominum pisces. *Num.* 1733.
Christus et Maria omnino liberaliter pro his electis prae aliis sua merita applicuerunt. *Num.* 1735.
Christus duplici titulo noster est, et quia a Patre nobis donatus, et quia a Maria nobis emptus. *Num.* 1772.
Christus sola Matris suae voluntate permotus, sponte crucem, mortemque subiret. *Num.* 1774.
Christus ex lacte Mariano hausit, ut totus humani generis saluti addiceretur. *Num.* 1777.
Christo omnium stemma honorificentissimum, vocari Filium Mariae. *Num.* 1811.
Christo pluris est una Maria Virgo, quam universa Ecclesia, dempta Maria. *Num.* 1814.
Christus totus est B. Virginis Mariae. *Num.* 1815.
Christus Redemptionis opus tantisper distulit, ut Mariam Matrem honoraret ac solaretur *Num.* 1816.
Christo omnia obvenerunt bona cum Maria. *Num.* 1817.
Christus Mariam triplici amore prosequebatur. *N.* 1818.
Christus et Maria argumentum et thema totius sacrae Scripturae. *Num.* 1820.
Christus fons, Maria aquaeductus, reliqui Sancti rivuli. *Num.* 1868.
Christus a caelo nos videt oculis corporeis. *N.* 1875.

D. Chrysostomus

D. Chrysostomus inclinat in sententiam affirmantem, Mariam venialiter deliquisse, sed excessit iuxta Divum Thomam. *Num.* 880.

Coetus

Coetus, et respublica, quae sub sydere Mariano non degit, omni bono careat necesse est. *Num.* 98.
Coetus quo magis affectu, et pietate in Mariam succrescunt, eo magis bonis omnibus ditantur. *Num.* 130.
Coetus quilibet laudabiliter vovere, aut iureiurando se obstringere potest, propugnaturum se immunitatem B. Virginis ab originali. *Num.* 441 *et deinceps.*

Columba

Columbae agrestes facilius per odorum fragrantiam capiuntur, quam sclopeti terrore. *Num.* 1291.
Columba innocentiae symbolum. *Num.* 1308.
Columba, sub qua apparuit Spiritus sanctus, fuit de novo producta sine pruritu libidinis. *Ibidem.*

Conceptio

Conceptio B. Virginis infinito sanguinis Christi thesauro comparata fuit. *Num.* 644.
Conceptionem B. Virginis perfectam et animatam celebrari die 8 decembris, certum est. *Num.* 633.
Conceptio Christi Domini longe nobilior, et miraculosior est conceptione B. Virginis. *Num.* 620.
Conceptionis nomine ab Ecclesia sumitur organizatio corpusculi, creatio animae, eiusdem in corpus infusio. *Num.* 617.
Conceptionis nomen esse indifferens ad conceptionem spiritualem et naturalem ex Gregorio XV falso confinguntur adversarii. *Num.* 534.
Conceptio nunc idem sonat, ac immaculata Conceptio. *Num.* 542.
Conceptio B. Virginis non fuit pure naturalis. *N.* 602. (Vide plura verbo *Mariae Conceptio*).

Concilium

Concilium definire potest immunitatem B. Virginis ab originali, licet contrariam sententiam tenuerint aliqui Patres. *Num.* 358.
Concilium Lateranense, Angelos non fuisse conditos ante mundum definivit, tametsi plurimi Patres contrarium censuerint. *Num.* 359.
—Idem damnavit sententiam Angelos ex corpore compingentem, licet plures Patrum in oppositum abierint. *Num.* 360.
Concilium Tridentinum sanxit librum Esther esse canonicum, cum tamen oppositum plures Patres asseruerint. *Num.* 362.

Concionator

Concionator Evangelicus primas suas voces Marianis elogiis dicet et consecret. *Num.* 10.
Concionator Marianarum laudum, prius visione beatifica donandus. *Num.* 17.
Concionator Marianarum laudum Doctarum laureola exornandus. *Num.* 24.
Concionator, seu scriptor, Mariam elucidans, vicissim ab ipsa illustratur. *Num.* 30 et 31.
— Sibi etiam Mariam debitricem, et vectigalem facit. *Num.* 38.
Concionator Evangelicus utatur gladio Verbi Dei acuto, ut caedat; limato, ut splendeat. *Num.* 1071.
—Linguas referat a caelo delapsas in die Pentecostes ignitas, et splendentes. *Ibidem.*
—Sicut prima vox a Deo prolata lucem dedit mundo; sic sermo concionatoris sit pellucidus. *Ibidem.*
—Ideo Dei verba dicuntur videri, quia lucida, splendorem eiaculantia. *Ibidem.*
—Res mira, ad verba clariora, et ad stylum pellucidum etiam elementa commoventur. *Ibidem.*

Concordia

Concordia doctrinae in Doctoribus commendatur. *Numero* 55.
Concordia Doctorum Dei aures delectat. *Ibidem.*
Concordiam firmandi mos apud antiquos proponitur. *Num.* 1357.
Concordia character praedestinationis, coelorum valvas aperit. *Num.* 1358.

Coniux

Coniux aliquando sumitur pro foemina iam a viro cognita. *Num.* 1494.
Coniuges pro uno eodemque computantur. *Num.* 1449.

Consuetudo

Consuetudo errori obnoxia, veritas semper inconcussa. *Num.* 51.

Corona

Corona Mariae est, plures Deo peccatores parere. *Numero* 104.
Coronaria certantium dicitur Virgo Deipara. *Num.* 6.

Corpus

Corpus Marianum in sanitate conferri poterat cum corpore Beato. *Num.* 694.
Corpus Marianum a Deo insculpta imago, in quam meliori penicillo incubuit Deus. *Num.* 615.
Corpus Marianum paulatim fuisse dispositum, antequam ipsi anima infunderetur, aiunt aliqui. *Num.* 618.
Corpus B. Virginis perfectione superabat corpora primorum parentum. *Num.* 666.
Corpus Mariae in sua specie, et sexu omnium perfectissimum. *Num.* 660 *et deinceps.*
—Nullam habuit maculam ab initio suae formationis, nec vestigium culpae originalis. *Num.* 504.
—Eadem die a coniunctione parentum fuit perfectum, et animo rationali instructum. *Num.* 619.
—Celerrima formatione absolvitur, et perficitur. *Numero* 621 et 625.
Corporis Mariani formatio multo perfectior Adami et Evae formatione. *Num.* 623 et 628.
Corpus Marianum floruit omnium optimo temperamento. *Num.* 671.
—In prima sui formatione iam erat quasi coeleste, ac veluti horologium, et organum summe dispositum. *Num.* 672.
—Pollebat virtutibus, et qualitatibus ad miros effectus. *Num.* 713.
— Qualitates a se odoriferas exhalabat. *Num.* 716.
— Gratum a se spirabat odorem. *Num.* 717.
Corpus B. Virginis Gymnasium, in quo Beatorum corpora promicare et levitare didicerunt. *Num.* 746.
Corpus Marianum spiritus affectiones ebibisse videtur. *Num.* 747.
Corporis Mariani sanctitas sita est in speciali complacentia Dei. *Num.* 748.
Corpus Marianum iam tumulatum, ad elevationem Hostiae consecratae immortale resurrexit. *Num.* 1491.
Corporis Mariani attactu ea dulcedo percipitur, quae ex Eucharistiae sumptione. *Num.* 1877.
Corpus Marianum plus splendet in coelo quam omnia simul corpora Beatorum. *Num.* 1886.
Corpus Marianum resurrexisse in coelo ad vitam immortalem, quinam adstruant. *Num.* 1887.
— Verior tamen sententia docet, non in coelo, sed in sepulcro resuscitatum fuisse. *Num.* 1888.
Corpus Christi Domini gratum a se spirabat odorem. *Num.* 717.

Corpus Christi Domini ex solo purissimo Mariae sanguine compactum fuit, non vero ex particula quadam in Adamo iam designata. *Num.* 1552.
Corpus gloriosum immutare potest visum, et videri a quacunque distantia. *Num.* 1875.
Corpora Sanctorum, quae Christo resurgente surrexerunt, id per Mariam adepti sunt *Num.* 85.

Corruptio

Corruptio, tabes, et redactio in cineres, est poena peccati originalis. *Num.* 851.

Creatura

Creatura elevari potest ad concurrendum effective ad Incarnationem. *Num.* 1541.
Creaturae universae cum Christo patiente patiuntur, et condolent. *Num.* 1239.
Creatura nequit Deum cognoscere cognitione naturali per propriam speciem ipsius Dei. *Num.* 1029.
Creaturarum consortium plerumque sordes nobis instillat. *Num.* 1089.
Creationis donum in universum non est praedestinationis effectus. *Num.* 640.

Credulitas

Credulitas pia saepe versatur circa res quae falsitati subesse possunt. *Num.* 403 *et deinceps.*

Cribrum

Cribri nomine praedestinatio, et reprobatio venit. *Numero* 1376.

Crux

Crux Christi fabrefacta fuit ex arbore in qua peccavit Adamus. *Num.* 1242.

Cultor Mariae

Cultores Mariae pinguissimam Matris dotem nanciscuntur. *Num.* 107.
— Singulari quodam stemmate in coelis ornandi. *Numero* 1120.
— Conferuntur cum acervo tritici, quia uniti inter se, et sine palea. *Num.* 1358.
Cultores Mariae ex infantili balbutie protinus ad robustorum perfectionem transeunt, utpote ubere Mariano pasti. *Num.* 33.
— Et sapientia, et nominis splendore reliquos antecellunt. *Num.* 34.
— Sunt instar mercatorum pinguium, quorum sors principalis salva, et lucrum ultra sortem. *N.* 87.
Cultores Mariae inusti iam praedestinationis charactere. *Num.* 112.
Cunctis perituris longum vale dicant *Num.* 110.
Cultor obsequiosus Mariae coelestem incolet Hierusalem. *Num.* 116.
Cultores Mariae, reliquis pereuntibus, salvi fiunt. *Ibid.*
Cultores Mariae quo magis affectu et pietate in ipsam succrescunt, eo magis bonis omnibus ditantur. *Numero* 130.
— Ab inferorum flammis liberantur per Mariam. *Numero* 1459.
Cultorem Deiparae impossibile esse damnari, quo sensu verum sit. *Num.* 1732.

D

David

David bis rex apud Matthaeum acclamatur, quia proprio marte regnum obtinuit. *Num.* 758.
Davidis gloriosius stemma fuit, esse progenitorem Mariae. *Num.* 1593.

Daemon

Daemon mallet columbae speciem assumere ad decipiendam Evam, quam serpentis, sed dedecebat Spiritum sanctum. *Num.* 224.
Daemon quia nec spiritualiter, nec reipsa pane Eucharistico pascitur, aeternam patietur inediam. *Numero* 1491.
Daemon cognovit, B. Virginem esse Dei Genitricem. *Numero* 1512.
— Haec cognitio non erat omnino certa, sed solum coniecturalis. *Ibidem.*
Daemon a principio nunquam suspicatus fuit a filio uxoratae, Satanae tyrannidem debellandam. *Num.* 1511.
Daemon coram Arca Maria truncus iacet. *Num.* 1653.
Daemon ipse in praesentia Dei malum hominibus inferre nequit. *Num.* 1855.
Daemon dicitur a Iobo homicida, fur, et adulter. *Numero* 1653.
Daemones per Mariam fugantur, sicut et adulter per auroram, et lucem. *Ibidem.*
Daemoni sibi infensam et inimicam habere Virginem Deiparam, atrocius tormentum fuit, quam flammis addici gehennalibus. *Num.* 1654.
Daemon non tam terretur loci sanctitate, quam homine divino Spiritu munito. *Num.* 1657.
Daemonum technae ad praesentiam Christi et Mariae prorsus evanent. *Num.* 1658.
Daemon nunquam B. Virginis formam assumpsit in suis apparitionibus, neque nomen Mariae ausus est pronunciare. *Num.* 1662.
Daemon omnium primus nomen Dei, et Iesu accepit. *Ibidem.*
Daemon est amans novitatis. *Ibidem.*
Daemones non ita desaevire in damnatos in die Assumptionis B. Virginis, quinam asserant. *Num.* 1665.
— Quae propositio tanquam temeraria refellitur ab aliis. *Ibidem.*

Debitum peccati

Debitum peccati originalis nihil aliud est, quam necessitas, et exigentia contrahendi peccatum Adae. *Numero* 556.
(Vide plura verbo, *Maria in ordine ad debitum peccati*).

Decretum

Decretum Dei de Christo Redemptore recte stare potest, quin censeatur Deus velle peccatum, licet Christus Redemptor dicat necessariam connexionem cum illo. *Num.* 152 *et deinceps.*
Decretum Dei efficax de Christo passibili, simul stare poterat cum permissione peccati in gloriam Dei. *Numero* 155.
Decretorum series coordinatur. *Num.* 152.
Decretum divinum potuit in primo signo terminari ad Christum Redemptorem ex Maria. *Num.* 160.
Decretum Dei nequit ferri nisi in terminum, et actionem determinatam, non vagam. *Num.* 171.
Decretum Dei efficax de Christo in statu tantum virili refellitur. *Num.* 172.
Decretum Dei efficax de producendo Christo, duplici actione totali, disploditur. *Num.* 173.
Decretum Dei efficax de producendo Christo, attigit hanc numero humanitatem, hanc actionem ab hac numero Virgine Matre ortam. *Num.* 176.
Decretum efficax beandi Divum Petrum, non fuit volun-

tas de conferenda Dei visione in communi, vel vage, sed de conferenda hac numero visione. *Num.* 1881.
Decretum infallibile est ex Bernardo, ut nihil boni ad nos deveniat, nisi per Mariam. *Num.* 1725.
Decretum Generalis Congregationis sacrae Inquisitionis Romanae super titulum *Immaculatae*, refertur. *Numero* 498.
— Quod decretum de tollendo titulo *Immaculatae*, subreptitium videtur. *Num.* 524 *et deinceps.*

Defectus

Defectus omnes, qui meriti et gratiae augmentum impedire possent, procul relegandi a B. Virgine. *Numero* 701.

Delatio

Delatio quaedam Doctoris Espino refellitur. *Num.* 273 *et deinceps.*

Desiderium

Desiderium amandi Deum infinite, infinito intervallo distat ab amore infinito Dei. *Num.* 1183.
Desideria sola Mariae efficacia sunt ad impetrandum. *Num.* 1766.

Deus

Deus certaminum Praefectus. *Num.* 6.
— Primas voces Marianis laudibus dicavit. *Num.* 10.
Deus veluti lacessit Angelos, et reliquas creaturas ad Marianas laudes decantandas. *Ibidem.*
Deus solus dignus Marianorum elogiorum encomiastes. *Num.* 18.
Deus ita munificus, ut novis beneficiis praeterita cumulet. *Num.* 27.
Deus a Maria mititatem et mansuetudinem hausit. *Numero* 36 et 122.
Deus potuit velle primum Christum Redemptorem, quin censeatur voluisse peccatum. *Num.* 153.
Deus a Maria grandi studio omnem peccati suspicionem procul amovit. *Num.* 234.
Deus saepe dispensavit cum aliis in legibus naturae et gratiae. *Num.* 614.
Deus festinabat in celeri Mariae formatione, illam a peccati lue praeservare. *Num.* 627.
Deus velocius operatur, quando praeter naturae ordinem concurrit cum causis secundis. *Num.* 635.
Deus in productione reliquarum creaturarum festinus; at in hominis molitione moras nectit. *Num.* 649.
Deus tornator dicitur Cant. 5, quia Marianum coelum celerrime ac perfectissime detornavit. *Num.* 663.
Deus os Prodigi osculatur, quia per illud peccata confessus fuerat. *Num.* 890.
Deus mavult orbem invertere, quam honorem Mariae pessum ire. *Num.* 895.
Deus obsurdescit nostris precibus, si non interveniat Maria. *Num.* 1204.
Deum per se ipsum apparuisse in veteri Testamento plures Patres docent. *Num.* 1273.
— Sed oppositum multo verius. *Num.* 1274.
Deus per Mariam ex leone in agnum mitissimum commutatur. *Num.* 1289 *et deinceps.*
Deus olim ulciscens, et sicut torrens inundans terram, per Mariam totus melleus. *Num.* 1292.
Deus in Maria nequit in homines desaevire. *Num.* 1293.
Deus Iudex etiam flagitiosos vestibus induit; cum homo iudex etiam insontes denudat. *Num.* 1293.
Deus in Maria desaevire dediscit: et licet sit ignis, amburere nescit. *Num.* 1294.
Deus abhorret ab hominibus incivilibus et inurbanis. *Num.* 1298.
Deus ipse quasi animi relaxandi gratia, deambulabat per Paradisum. *Num.* 1302.
Deum esse cum aliquo nihil aliud est, quam precibus et desideriis eius assentiri. *Num.* 1312.
Deus nihil expedit in sua curia, quod prius Maria non subscribat verbo, *Fiat.* *Num.* 1318.
Deus singularitatum et exemptionum osor. *N.* 1455.
Deus strictam beneficiorum collatorum rationem exiget a nobis. *Num.* 1488.
Deum maxime delectat habitare domos trementes. *Numero* 1535.
Deus nequit, iuxta aliquos Doctores, meliorem ac perfectiorem foeminam producere Maria Virgine. *Numero* 1591.
Dei dona per Mariam ad nos transfusa dulciora, et iucundiora sunt. *Num.* 1728.
Deus per Mariam, peramplam et praedivitem familiam sibi instituit. *Num.* 1740.
Deo aeque gratum foret, quod moreretur Christus, vel quod immortalis permaneret. *Num.* 1777.
Dei Unius et Trini essentia non videretur completa, nisi seipsum nobis excellentiori modo communicaret. *Num.* 1782.
Deus non solum natura, sed etiam aemulatione est beneficus. *Num.* 1787.
Deus plus dignoscitur per unam Mariam, quam per reliquas omnes creaturas. *Num.* 1811.
Deus quoad nos in novos auctus excrevit, ex utero Virgineo. *Num.* 1813.
Deus ita incumbit uni Mariae Virgini, ac si reliqua non curaret. *Num.* 1815.
Deus nusquam, nisi in Virgine Maria, voluptatem captat. *Num.* 1818.
Deus opera non approbat, donec absoluta et perfecta sint. *Num.* 1854.
Deus pro Maria exornanda novas leges condit. *Ibidem, in fine.*
Deus oculos avertit a Maria, dum Angeli oculos obvelant a visione Dei. *Num.* 1861.
Deus solus beatitudinem Marianam explicare potest. *Num.* 1866.

Dies

Dies septimus creationis totus lucidus, quia Mariam semper luminosam adumbrabat. *Num.* 761.
Diei acceptio quadruplex in sacra Scriptura. *N.* 1375.

Dilectio

Dilectio efficax electorum innixa fuit meritis Christi Domini et Mariae Virginis. *Num.* 1730.

Dimas

S. Dimas ex latrone fit martyr, precibus et obumbratione Mariae. *Num.* 1733.

Dionysius Areopagita

S. Dionysius maximo cultu, ac pietate B. Virginem honorat, ac laudibus extollit. *Num.* 1828.

Discordia

Discordia ubi reperitur, nihil divinum reperiri potest. *Num.* 2.
Discordia, nota et character condemnationis. *N.* 1358.
— Quo die nascitur in mundo, eodem die et Infernus producitur. *Ibidem.*
Discordes uterum Matris Mariae Virginis torquent, et excruciant. *Num.* 102.
Discordes inter se grandi sunt tormento Mariae. *Numero* 1358.

Distinctio

Distinctio ordinis, intentionis, et executionis exploditur. *Num.* 166 *et deinceps.*

Divitiae

Divitiae, et alia quaecunque huius mundi gloria cito transit. *Num.* 25.

Divitiae a Maria in homines derivantur. *Num.* 88.

Divitiae et opulentia computantur tanquam pars maxima nobilitatis. *Num.* 915.

Doctor

Doctores non solum eximii, sed et populares ad Marianas laudes decantandas vocantur. *Num.* 19 *et* 20.

Doctores per duos Salomonis cherubinos designantur. *Num.* 54.

Doctor unus nequit captu suo omnia penetrare. *Ibidem.*

Doctor ille Cherubini nomine indignus, qui suis pennis aliorum scripta non protegit, sed verberat. *Ibidem.*

Doctores de doctrinae concordia commendantur. *Numero* 55.

Doctores sicut sydera luminosum Mariae sertum componunt. *Num.* 1142.

Doctores pluris aestimantur a Maria, quam reliquum Ecclesiae corpus. *Num.* 1143.

Dolor

Doloris gladio fuisse peremptam B. Virginem, adstruunt aliqui. *Num.* 794.

— Opposita sententia verissima est. *Num.* 798.

Dolor Marianus maximus in triduo, quia desiit esse Mater Christi. *Num.* 12.

Dolorum velut quinta essentia Maria. *Num.* 1241.

Dolores quos pertulit Maria, cum tormentis damnatorum aequari poterant. *Num.* 1243.

Dolores pro Christo aeternare cupiebat. *Num.* 1244 *et* 1246.

Dolores Mariae, mortuo Filio, vivacius animam sauciabant, cum iam Christo demortuo, eius cruciatus finierint. *Num.* 1247.

Dolores martyrum et tormenta, si cum Mariae doloribus componantur, quasi nulla censentur. *Num.* 1253.

Dolores Mariae quo sensu dicantur maiores, quam Christi dolores. *Num.* 1257.

— Omnem dolorem ebibit Maria Mater sine Patre in horrendo Filii interitu. *Num.* 1257.

— Prae nimio dolore in morte Christi sanguineas lacrymas effudit. *Ibidem.*

— Optandum maxime, ut Festum doloribus Mariae sacrum institueretur. *Num.* 1258.

(Vide plura verbo, *Mariae dolores et martyrium.*)

S. Dominicus—Dominicani

S. Dominicus scriptis et verbo acerrime immaculatam Conceptionem propugnat. *Num.* 235.

Dominicanorum familia stat pro sententia pia immaculatae Conceptionis. *Ibidem, et deinceps.*

Dominicanorum familia et ore, et scripto, et cymbalorum reboatibus immaculatam B. Virginis Conceptionem evulgat. *Num.* 238.

Dominicani Patres tanquam molossi rationum latratibus immaculatum Deiparae conceptum propugnant. *Numero* 239.

— Eorundemque dubietate depulsa, mysterium hoc peragetur ac perficietur quoad nos. *Num.* 240 *et* 241.

Dominium.

Dominium duplex adaequatum dari potest eiusdem ordinis, si sint superioris sphaerae. *Num.* 1642.

— Tum etiam quando duplex dominium est diversi ordinis. *Ibidem.*

Dominium habuit Maria in res universas. *Num.* 1643 *et deinceps.*

Dominium hoc nacta fuit ab instanti conceptionis. *Numero* 1647.

— Hoc dominium protenditur in Angelos, daemones, et in creaturas rationis expertes. *Num.* 1649.

— Tum et in omnia bona supernaturalia. *N.* 1651.

Dos

Dotes corporis gloriosi in Thabore Christus a carne virginea Mariae auspicatur. *Num.* 746.

Dos Mariae, gratia, et gloria, unde sine ipsius consensu nec alienari, nec distribui potest. *Num.* 1740.

Durandus

Durandus in partu Virgineo factam fuisse dilatationem claustri Virginei opinatur, salva tamen virginitate. *Num.* 1411.

— Haec sententia multum detrahit de integritate B. Virginis. *Num.* 1413.

E

Ecclesia

Ecclesia sub nomine Conceptionis, intelligit immunitatem B. Virginis a peccato originali. *Num.* 283 *et deinceps.*

Ecclesia statuit, piam sententiam esse probabiliorem, et magis tutam. *Num.* 290 et 293.

Ecclesia id est, quod est in Ecclesia precipuum; sicut id est civitas, quod est in civitate praecipuum. *Numero* 292.

Ecclesia quidquid circa Scripturae sacrae verba adiicit, immutat, detrahit, illud firmiter est tenendum. *Num.* 308.

Ecclesia gradatim emicat, et successivis incrementis usque ad splendorem meridiei. *Num.* 321.

Ecclesia hucusque absolute, et sine ulla restrictione, B. Virginem ab originali macula fuisse immunem constanter affirmat. *Num.* 405.

Ecclesia definivit, iustorum animas, quae iam pro poenis debitis satisfecerunt, statim beatitudine donari, licet plures Patres oppositum senserint. *Num.* 361.

Ecclesiae cathedrales merito decernunt, ne quispiam ad earum gradus conscendat, quin prius voveat, se defensurum immunitatem B. Virginis ab originali. *Num.* 445.

Ecclesia pro eodem sumit Conceptionem B. Virginis, et immaculatam ipsius Conceptionem. *Num.* 514 *et deinceps.*

Ecclesiae consuetudini nondum praecepto stabilitae standum est potius, quam sanctorum Patrum auctoritati. *Num.* 546.

Ecclesia nunquam celebrat nisi certam et indubitatam sanctitatem. *Num.* 547.

Ecclesia nihil de novo definit, quod primis Apostolorum temporibus a Deo revelatum non fuerit. *Num.* 884.

Ecclesia innititur in Maria, tanquam basi ac fundamento. *Num.* 1123.

Ecclesia omnis ex Angelis et hominibus constans, si cum sola Maria componatur, quasi eremus coram Deo. *Num.* 1816.

Ecstasis

Ecstases et raptus passam fuisse B. Virginem affirmant aliqui. *Num.* 801.

Ecstases et raptus in B. Virgine Deipara verior sententia denegat. *Num.* 802.

Electio

Electio ad gloriam in reliquis praedestinatis, dempto Christo et Maria, non fuit prior praevisione meritorum. *Num.* 184.
Electio ad gloriam horum prae aliis, non cecidit sub meritum Christi, nec B. Virginis. *Num.* 1730.

Elementum

Elementa ideo non sunt vera numina, quia inter se decertant. *Num.* 2.
Elementa omnia per primum peccatum, qua ratione detrimentum sustinuerint. *Num.* 8, 9.

Elias

Elias ob vitae integritatem, quasi in statum innocentiae restituitur. *Num.* 823.
Eliae corpus ob virginitatem, et vitae innocentiam, spiritus indolem ebibit. *Ibidem.*
Elias licet meritis magnus, inferior tamen Apostolis, ac primis Religionum Fundatoribus novi Testamenti. *Num.* 1444.

Eloquentia

Eloquentiae arte insignes primi parentes. *Num.* 1067.
Eloquentia sacra Volumina referta sunt. *Ibidem.*
Eloquentia floruit B. Virgo. *Num.* 1068.
Eloquentiae tropi emicant in cantico *Magnificat*. *Numero* 1069.
Eloquentiae lenocinia quomodo virum gravem non dedeceant. *Num.* 107.
(Vide plura verbo, *Concionator.*)

Epistolae

Epistolae a B. Virgine conscriptae ad Messanenses ac Florentinos, tum ad D. Ignatium martyrem referuntur. *Num.* 1118.

Erat

Erat, verbum substantivum, apud sacros Scriptores aeternitatem sonat. *Num.* 135 et 136.

Ethnici

Ethnicorum figmenta multo creditu difficiliora, quam conceptus et partus ex B. Virgine. *Num.* 1406.

Eva

Eva omnium malorum inventrix. *Num.* 96.
Eva quia umbra Mariae, in ea sibi complacuit Deus. *Ibidem.*
Eva ante Adamum, Deitatis primatum exambivit. *Numero* 1402.
Eva non de talo, nec de capite Adami formata, sed de latere, quia nec caput, nec mancipium, sed socia viri futura erat. *Num.* 1777.
Evae formatio ex triplici capite fuit nobilior formatione Adami. *Num.* 666.

Eucharistia

Eucharistia vocatur Panis Mariae, et cur? *Num.* 1473.
Eucharistia dicitur divinae donationis Complementum. *Ibidem.*
Eucharistia nihil continet ex vi verborum, nisi quod a Deipara acceptum fuit. *Num.* 1475.
Eucharistia aliquam carnis portionem B. Virginis servat ad inescandos pisces rationales. *Ibidem.*
Eucharistia idem nos efficit et cum Christo, et cum Maria. *Num.* 1478.
— In Eucharistia venerari possumus reliquias Mariae. *Ibidem.*
— Ex Eucharistia consanguinitatem contrahimus cum Maria. *Ibidem.*
— In Eucharistia sanguis Christi dicitur calix inebrians, quia homines extra se agit. *Num.* 1480.
Eucharistiam sumpturus omnem exuat cognatorum affectum, exemplo Christi. *Ibidem.*
Eucharistiam sumpturus totus sit spiritus, nihil carnis habeat. *Ibidem.*
Eucharistia continet partem aliquam sanguinis Mariani. *Num.* 1481.
Imo nulla pars in Eucharistia est, in qua non maneat pars aliqua Mariae. *Num.* 1482.
Eucharistia continet aliquam partem sanguinis Mariae sub eadem forma substantiali, sub qua fuit in B. Virgine. *Num.* 1484.
Eucharistiae sumptionem quotidianam pro rostris reprehendere, scandalum reputatur. *Num.* 1486.
Eucharistiam rite sumentes signo quodam vel laureola insigniuntur in caelis. *Num.* 1487.
Eucharistiam sumens otiose et sine fructu strictum iudicium subibit. *Num.* 1488.
Eucharistiam imparate suscipiens, sciat rem sibi cum igne fore. *Ibidem.*
Eucharistiae suscipiendae votum solum ex opere operantis gratiae effectum sortitur. *Num.* 1489.
Eucharistiae sumptio reddidit corpus Marianum immortale. *Num.* 1491.
— Sanguis Christi olim asservabatur a fidelibus in vasis vitreis adversus Tyrannorum invasiones. *Ibidem.*
— In Eucharistia Christi amor adeo ingens, ut nec ab intellectu excogitari possit, nisi efformando ens rationis. *Num.* 1127 *et deinceps.*

Eutrapelia

Eutrapelia, sive moderata corporis, et animi relaxatio vegetiorem hominem facit ad res virtutis. *N.* 1300.
— Non dedecuit B. Virginem. *Ibidem.*
— Quam nos edocet natura in omnibus creaturis. *Ibidem et deinceps.*

Exemptio

Exemptiones a lege communi abhorret maxime Deus. *Num.* 1455 *et deinceps.*

F

Familia

Familia illa laudem meretur, cuius pater est sol, mater luna, filii stellae. *Num.* 1090.

Ferdinandus

Ferdinandus III, Romanorum imperator voto publico Mariam Virginem immaculate conceptam in Austriae totius Patronam delegit. *Num.* 448.
— Eiusdem formula in nuncupando voto de defendenda immaculata Conceptione Virginis Deiparae. *Num.* 450.
— Eiusdem decretum ad Universitatem Viennensem de praestando iuramento a suis Doctoribus pro defensione immaculatae Conceptionis. *N.* 454.

Festum

Festum Conceptionis immaculatae iam olim ab Apostolis institutum. *Num.* 257.
Festum Conceptionis celebrari sub nomine Sanctificationis a nullo Pontifice concessum. *Num.* 280.
Festum nullum ab Ecclesia colitur, quod non sit de re sancta. *Num.* 281.

Festum generale immaculatae Conceptionis arguit eam sanctitatem huius mysterii, non quae sit ex fide, sed quae falsitati subesse nequeat. *Num.* 416.

Fides

Fidem damus saepissime ob unius, vel alterius testimonium. *Num.* 41.
Fide divina semel creditum licite et prudenter in dubium potest revocari. *Num.* 274.
Fide divina certum est, nullum purum hominem, dempta Virgine, immunem fuisse ab originali. *N.* 496.
Fides explicita mysterii Incarnationis, Trinitatis, seu Virginitatis Mariae, non requiritur respectu rudium. *Num.* 1422.
Fides B. Virginis. (Vide *Mariae Fides.*)

Filius

Filii magnam parentibus laudem pariunt, cum novum famae splendorem acquirunt. *Num.* 58.
Filii Mariae pinguissimam Matris dotem nanciscuntur. *Num.* 107.
Filius Mariae quicunque esse, et dici cupit, cunctis perituris longum vale dicat. *Num.* 110.
Filii Seth in vultu splendorem praeseferebant, quo ab aliis secernebantur. *Num.* 718.
Filii parentum mores imbibunt. *Num.* 1585.
— Quare de furaci Genitrice latronem filium processurum merito quispiam suspicetur. *Ibidem.*
Filii plus assimilantur uberi, quam vulvae. *N.* 1288.

Foemina

Foeminae Mariani nominis baiulae vel pudicitiam sectentur, vel tantum nomen exuant. *Num.* 1388.
Foemina virorum oculis patens quodammodo prostituitur. *Num.* 1323.
Foemina circumdabit virum, idem valet, ac Virgo ambibit virum, seu expetet. *Num.* 1311.
Foeminae ad miserationem proniores sunt, quam viri. *Num.* 1297.
Foemina oeconomicae artis peritissima assimilatur integro exercitui. *Num.* 1090.
Foemina deperditam drachmam domi quaerit, non per vicos et plateas. *Num.* 1088.
Foeminarum secessus commendatur. *Num.* 1087.
Foemina per noctem nubibus obsitam adumbratur; homo per diem. *Ibidem.*
Foeminae probae et pudicae ars oeconomica quasi anima illam informans. *Num.* 1086.
Foeminae causa et origo, omnis hominum casus et ruinae. *Num.* 118.
Foemina quia frigidior ac debilior, maius temporis spatium deposcit ad sui formationem. *Num.* 656.
Foeminarum debilius temperamentum, indeque multiplex defectus ortus in foeminis. *Num.* 677.
Foeminarum productio non casu, nec semper ex imbecillitate potentiae generativae fit, sed etiam ex primaria intentione Dei. *Num.* 679.
Foemina nulla edi potest naturae vi in hac hominum serie, Virgine Maria pulcrior. *Num.* 740.
Foemina quaedam mallebat se decies sub armis de vita decernere, quam semel parere. *Num.* 831.
Foeminae subiectio in virum primaevi delicti poena, quomodo? *Num.* 839.
Foemina haereditatem adibat in veteri lege, deficiente viro. *Num.* 908.
Foemina in statu innocentiae etiam subderetur viro, subiectione ingenua. *Num.* 1432.
Foeminae iure divino incapaces sunt sacramenti Ordinis, et primae Tonsurae. *Num.* 1469.
— Opposita sententia, quae adstruit eas esse capaces sacramenti Ordinis, erronea censetur a Doctoribus. *Ibidem.*
Foeminae olim quaedam quo sensu dicebantur Diaconissae, Sacerdotissae et Episcopissae. *Num.* 1471.
Foemina sermone blando mansuefecit efferos Gethuliae homines. *Num.* 1294.

Foetus

Foetus in utero delitescentis variae articulationes adnotantur. *Num.* 657.

Fomes peccati

Fomes peccati in actu primo est ipsemet appetitus expeditus ad actum rationi difformem. *Num.* 861.
— In actu vero secundo, est actus appetitus sensitivi rationi contrarius, eamque praeveniens. *Ibidem.*
Fomes peccati in Maria fuit impeditus per altissimam rerum divinarum contemplationem. *Num.* 868.
Fomes peccati in B. Virgine nunquam fuit ligatus, nec extinctus, quia nunquam in ipsa sedem habuit. *Numero* 869.
Fomes virtutum in quo situs sit? locum habuit in Maria. *Num.* 271 *et deinceps.*

Fortitudo

Fortitudo Mariana valde elucet. *Num.* 1233 *et deinceps.*
Fortis vir ille Filio Dei similior, qui tormenta et tortores lacessit. *Num.* 1238.

Frater

Frater quadrupliciter sumi potest ex sacris Voluminibus. *Num.* 929.

Fructus Spiritus sancti

Fructus Spiritus sancti non distinguuntur ab actibus virtutum et donorum. *Num.* 1355.
— In B. Virgine reperti sunt. *Ibidem.*

G

Gabriel

Gabriel indignus reputabatur ad proferendum augustissimum Mariae nomen. *Num.* 1388.
Gabriel Angelus custos Mariae iuxta aliquos Doctores. *Num.* 1515.
Gabriel supremum obtinet locum inter omnes beatos Spiritus. *Num.* 1529.
Gabrieli adaptantur gratiae omnes, ac privilegia, de quibus Ezechiel agit. *Ibidem.*
Gabriel apparuit Mariae in specie visibili et humana. *Num.* 1530.
Gabrielis nuncium factum fuisse ad vesperam, sentiunt aliqui. Alii summo mane. Alii sub meridiem. *Numero* 1532.
Gabrielis sermo quo sensu dicatur maritus; aurisque B Virginis, uxor? *Num.* 1589.

Galatinus

Galatinus adstruens particulam carnis asservatam ab Adam usque ad Mariam per longam generationum seriem ad generationem Christi, exploditur. *N.* 1551.

Gaudium

Gaudium cuiusque Beati de beatitudine Mariae longe maius est gaudio de omnium beatitudine sumpto. *Num.* 1876.

Generatio

Generatio Christi ex Maria aemulatur generationem Verbi ex Patre. *Num.* 136 *et deinceps*
— Tum et *Num.* 1419 *et* 1797.
Generatio Christi ex Maria dicitur etiam a Chrysostomo, Processio. *Num.* 1797.
— Dicitur etiam aeterna, quia iam in generatione ex Patre adumbrabatur. *Ibidem.*

Gladius

Gladius Verbi Dei totam Mariae animam pertransivit. *Num.* 795.

Gloria

Gloria omnis huius mundi cinere ac putredine innititur. *Num.* 26.
Gloria huius mundi cito disparet, et evanescit apud Danielem. *Num.* 1397.
Gloria accidentalis accrescit in Beatis ex aliorum beatitudine. *Num.* 1876.
Gloria B. Virginis. (Vide *Mariae Beatitudo.*)

Gratia

Gratia ante Mariam marcens, et moerens, in Maria autem gaudio exiliit. *Num.* 1148.
Gratiae confirmatio non constituitur per ablationem fomitis peccati. *Num.* 1186.
Gratia confirmatus dissidet ab aliis praedestinatis, quia habet revelationem suae perseverantiae finalis. *Ibid.*
Gratiae confirmatio nequit esse sita in auxiliis uberioribus. *Num.* 1187.
— Neque quia adimatur libertas ad peccandum. *Ibidem.*
Gratia ex opere operato non confertur illi, qui exambit pro Christo mortem perpeti. *Num.* 1251.
Gratia, si formam externam assumeret, nullam aliam assumeret, nisi Marianam. *Num.* 1322.
Gratia una excitans non sufficit ad plures actus subordinatos inter se eliciendos. *Num.* 1336.
Gratia est participatio Deitatis, quia est imago referens, et exprimens Divinitatem, ut includit omnem bonitatem incompossibilem cum peccato. *Num.* 1612.
Gratia, quae est scintilla Deitatis, propendet in actus solum honestos, sicut natura divina. *Ibidem.*
Gratia oppositionem moralem ex natura rei dicit cum peccato *Num.* 1619.
— Non vero physicam ex natura rei. *Num.* 1627.
Gratia, quae est forma sanctificans intrinsece nobis inhaeret, iuxta Concilium Trid. *Num.* 1629.
Gratiae seu formae sanctificantis specifica differentia est perfectio secum ferens virtutem radicalem omnium donorum supernaturalium. *Num.* 1633.
Gratia habitualis sufficiens principium est cuiuslibet praemii a Deo statuti. *Num.* 1699.
Gratia habitualis B. Virginis dicitur causa maternitatis Dei a Patribus, *Ibidem.*
Gratiae Marianae immensitas cum pacto Dei acceptantis, condigne maternitatem promeruit. *Ibidem.*
Gratia omnis confertur nobis ex Christi meritis, et B. Virginis. *Num.* 1722.
Gratia collata Christo, et gratia prima B. Virgini collata non cecidit sub meritum ipsius Virginis Deiparae. *Ibidem.*
Gratiae omnes nobis collatae sunt velut redditus annui sortis principalis, quam B. Virgo in Christo collocavit. *Num.* 1768.
Gratia omnis Mariae Virgini collata, eius praedestinatio, electio ac reliqua omnia privilegia Christi meritis fuerunt comparata. *Num.* 596.
Gratia Mariae. (Vide *Mariae gratia*).
Gratia Christi habitualis infinite intensa admittitur a pluribus Doctoribus. *Num.* 1173.
Gratia Mariana licet esset infinite intensa, tamen infinito superaretur intervallo a gratia Christi Domini. *Ibidem.*
Gratiae possibiles sunt, quae distinctae sint specie a communi gratia iustorum. *Num.* 1178.

Gratitudo

Gratitudo priora beneficia Mariae in nos gratos praestita cumulatioribus beneficiis auget. *Num.* 27 et 28.
Gratitudo benefactorem quasi numen adorat. *Numero* 1281.
Gratitudo Iosephi patriarchae in Deum commendatur. *Num.* 1283.
Gratitudo Mariana. (Vide *a numero* 1281, *per totum Certamen*).

Gymnasium

Gymnasia ad docendum sunt propugnacula ad praeliandum. *Num.* 1115.

H

Habitus

Habitus scientiae per accidens infusae a quibus Doctoribus denegantur? *Num.* 1061.

Hectica

Hectica febri laborantes lacte puellae valentis sanantur. *Num.* 1485.

Helvidius

Helvidius Marianae Virginitatis osor recte a Patribus carpitur. *Num.* 1417.
— Idem ab Hieronymo argumento *ad hominem* evidenter convincitur. *Ibidem.*

Henoch

Henoch et Elias utrum modo mereantur, necne, problema esto. *Num.* 1149.

Her

Her idem sonat ac pelliceus, et ideo a generatione Mariae procul ablegandus. *Num.* 859.

Hispania

Hispania inter omnes orbis provincias prima piam de immaculata Conceptione sententiam amplexata est. *Num.* 263.
Hispani frequentes peregrinationes meditabantur, invisuri B. Virginem. *Num.* 1843.
Hispani semper Mariae Virginis cultores eximii. *Numero* 1843.
Hispani semper magnarum rerum videndi avidissimi. *Ibidem.*

Historia prophetica

Historiae propheticae plures propositiones reformantur, et abolentur per sacrum supremae Inquisitionis Tribunal. *Num.* 1436.
Historia prophetica immerito primatum virginitatis Deipara surripere contendit. *Num.* 1438 et 1444.
Historia prophetica perperam non distinguit virginitatem perpetuam, ab ipsius voto perpetuo. *Num.* 1445.
Historia prophetica immerito probra iactat in Patrem Suarium. *Num.* 1446.

Hoedus

Hoedi Mariani quinam dicantur. *Num.* 114.

Homo

Homines efferi per Mariam cicurantur, et in astra transeunt. *Num.* 104.
Homo purus si conderetur ex foemina virgine, non incurreret peccatum Adae. *Num.* 612.
Homo in statu innocentiae, quotiescunque vellet progignere virum, vel foeminam, id obtineret. *Num.* 679.
Homo quilibet praeditus est a sua natura virtute, quae residet in magnete. *Num.* 714.
Homo ex natura sua corruptioni ac morti subiacet. *Num.* 848.
Homo per diem, foemina per noctem nubibus obsitam adumbratur. *Num.* 1087.
Homo est ille, qui in Deo sperat: qui autem spe caret, non homo, sed bellua computatur. *Num.* 1207.
Homines efferi plus mansuetudine, quam terroribus cicurantur. *Num.* 1291.
Homo homini innixus, quasi qui navigium foeno tanquam anchorae firmissimae alligaret. *Num.* 1377.

Honor

Honores et divitiae transeunt, scripta posteritati data perennant. *Num.* 25.
Honores a Maria in nos derivantur. *Num.* 88.
Honor debitus virtutis operibus, obiectum honestum est, et appeti potest. *Num.* 1310.

Humilitas

Humilitas eadem est cum magnanimitate et magnificentia, iuxta plures. *Num.* 1303.
Humilitas B. Virginis. (Vide a *Num.* 1303 *et deinceps.*)

I

Iacob

Iacob pariatur in lucta Filio Dei, quia progenitor Christi. *Num.* 1775.
Iacob morti vicinus, virgam Iessaeam adoravit, idest Mariam, ut feliciter vitae cursum absolveret. *Numero* 124.
Iacob sub Mariae magisterio adhuc dormiens eruditior evadit, quam Deum prehendens, et cum eo colluctans. *Num.* 1132.

S. Iacobus

S. Iacobus Maior primus festum immaculati Conceptus Virginei institutor. *Num.* 1833.
S. Iacobi Religio votum defendendae immaculatae Conceptionis B. Virginis emittit. *Num.* 465.
— Eiusdem encomium, et oratio habita in funere B. Virginis. *Ibidem.*
S. Iacobi minoris laus eximia et oratio habita in transitu Virginis Deiparae. *Num.* 1835.
Iacobus rex Angliae Mariae hostis infensissimus. *Numero* 1756.

Icones

Icones immaculatae Conceptionis recte possunt accudi cum inscriptione: *Concepta sine peccato originali. Num.* 400 *et deinceps.*
Icones B. Virginem deliquium passam exprimentes e medio tollendae. *Num.* 790.
Icones illae abolendae, quae B. Virginem lecto accumbentem per quadraginta dies post partum ostendunt. *Num.* 833.
Icones turpes in Expurgatorio Romano prohibitae. *Numero* 1326.
— Sunt suggestiones Daemonum externae, quae ad peccatum proritant. *Ibidem.*
— Et occasio proxima pluribus existunt prolabendi in peccata. *Num.* 1327.

S. Ignatius

S. Ignatio Parenti meo Romam petenti Christus Dominus in propria persona apparuit. *Num.* 1272.

Immortalitas

Immortalitas in innocentiae statu, non a sola iustitia originali, sed ab aliis causis proveniret. *Num.* 824.

Immunitas a peccato

Immunitas B. Virginis a peccato originali, ab Apostolis fuit sancita. *Num.* 259.
Immunitas haec probatur argumento irrefragabili deprompto ex D. Thoma. *Num.* 286.
Immunitas B. Virginis ab originali definiri potest ab Ecclesia, licet aliqui Patres contrarium censuerint. *Numero* 358 *et deinceps.*

Impeccabilitas

Impeccabilitas quadrupliciter contingere potest in creatura rationali. *Num.* 1199.
Impeccabilitas, seu impotentia ad peccandum in B. Virgine. (Vide *Mariae impeccabilitas.*)

Incarnatio

Incarnatio ita pro unoquoque nostrum exhibita, ac si uni soli praestita fuisset. *Num.* 1713.
Incarnationem Christi Domini fuisse peractam die vicesimaquinta martii, censet esse de fide Suarius. *Numero* 632.
Incarnationis opus deventum fuit ad ultimas omnipotentiae vires. *Num.* 946.
Incarnationis opus ita grande, ut haeretici ens rationis chimaericum esse dictitarent. *Num.* 1126 et 1128.
Incarnationis opus quo sensu dicatur fabula a Tertulliano. *Num.* 1129.
Incarnatio Verbi divini fuit peracta, eadem die, qua mundus conditus fuit. *Num.* 1532.
Incarnationem media nocte peractam fuisse existimant aliqui. *Ibidem.*
Incarnatio ita fuit decreta, ut, quolibet homine deficiente, non incarnaretur Christus. *Num.* 1713.

Indulgentiae

Indulgentiarum largitio intuitu immaculatae Conceptionis, non est definitio illius. *Num.* 401 *et deinceps.*
Indulgentiae conceduntur pie credentibus et colentibus immaculatam Conceptionem. *Num.* 550 *et deinceps.*

Infernus

Infernus in Christi morte ingenti clamore ululavit. *Numero* 1257.

Innocentiae status

Innocentiae statu praeditus homo nullam pateretur deceptionem, nec iudicium falsum. *Num.* 1108.
— Nec ullum carnis pruritum in generatione. *Numero* 864.
In innocentiae statu etiam homines se somno dederent. *Num.* 1680.
— Sed non adimeretur libertas. *Ibidem.*
Innocentii nomen, omen faustissimum pro immaculata B. Virginis innocentia in suo conceptu. *Num.* 554.

Intellectus

Intellectus Marianus ab omni errore, et ignorantia pravae dispositionis longe abfuit. *Num.* 760.

Intellectus Marianus nulla fuit alicuius rei ignorantia praepeditus, cuius cognitio ad ipsius statum pertineret. *Num.* 762.

Inventores

Inventores primi rerum aliquarum summo in honore habiti. *Num.* 1402.
—In qualibet re, maxime virtutis, primas ferre, Dei solius est eminentia. *Ibidem.*

Ioannes Baptista

Ioannes Baptista in utero Matris habuit revelationem suae praedestinationis. *Num.* 1190.
Ioannes Baptista confirmatus in gratia habuit revelationem suae perseverantiae finalis. *Num.* 1188.
Ioannes Baptista in utero matris doctior Angelis. *Numero* 1136.
—Nihil ab hominibus didicit, sed a Deo. *Num.* 1113.
—Ex Mariae magisterio nondum natus, et Paulo et Angelis doctior evasit. *Num.* 1093.
—Per proprium actum, quo se disposuit, primam gratiam accepit. *Num.* 959.
—In utero matris fuit praeditus usu rationis. *Numero* 958.
Ioannes Baptista in utero clausus sustinere non poterat Mariani fulgoris radios. *Num.* 720.
Ioannes Baptista per Mariam tantum gratiae incrementum accepit, ut per ipsum in parentes redundarit. *Num.* 32.
—Per Mariam semestris interstitio plurimorum annorum vitam consequitur. *Num.* 75.
—Dicitur etiam Mariae Filius, et quomodo. *N.* 76.
—Ortus sub Mariano sydere felicitatem omnem auspicatur. *Num.* 97.
—Ioannis Baptistae verba illa Ioan. I: *Post me venturus est, qui ante me factus est, quia prior me erat;* quomodo intelligenda, ut verum sensum habeant. *Num.* 658.
Ioannis Baptistae partui plerique negant adfuisse Mariam. *Num.* 1513.
—Alii adfuisse verius adstruunt. *Ibidem.*

Ioannes Evangelista

Ioannes Evangelista praefertur Petro, dum Petro Ecclesia, Ioanni una Maria commendatur. *Num.* 1763.
—Ipsius encomium clarissimum. *Num.* 1830.
Ioannes Evangelista B. Virginis oeconomus. *Num.* 1831.
—Comitatus fuit B. Virginem, cum Caesaraugustam adiit. *Ibidem.*
—Ex Ioannis obsequiis B. Virgo specialem gloriam nacta fuit. *Ibidem.*
Ioannes in transitu Deiparae orationem habuit. *Numero* 1832.
Ioannes Evangelista, primus et egregius Marianarum laudum scriptor. *Ibidem.*
—Idem comes Mariae, dum in Hispaniam venit. *Numero* 1844.
Ioannes Evangelista qua virgo, dicitur a Virgine Deipara generatus in Filium. *Num.* 1403.
—Thaboris gloriam praelibat, ut Mariana praeconia ore et scripto celebret. *Num.* 17.
— Ex consortio cum Deipara, aquilino volatu, prae aliis Divinitatis thesauros reseravit. *Num.* 31.
— Dicitur filius Mariae non carne, sed virginitate. *Numero* 103.

Iob

Iobus vestimenta sua discindit, et procul a se removet, utpote arbitrio et nutui Daemonis obnoxia. *Numero* 581.
Iobus in abiectam conditionem redactus tonso capite, non pexo, et circinato, aut compto Deum adorat. *Num.* 1307.

Iosephus

Iosephus patriarcha per corporis nuditatem, ad felicem innocentiae statum evectus. *Num.* 823.
Iosephus patriarcha castimoniae exemplar, gratissimum spirabat odorem, tanquam aroma suavissimum. *Numero* 717.
— Beneficiorum memoriam in tenera filiorum carne insculpsit. *Num.* 1283.
Iosephus sponsus Mariae nullos alios filios habuit ex alia uxore. *Num.* 1418.
Iosephi sponsi Mariae grande elogium, quod eius coniugium, floridior sit virginitas et vernantior. *Numero* 1503.
— Vidit aliquando corpus Christi gloriosum in hac vita mortali *Num.* 1865 *in fine.*
Iosephus vix Marianas laudes agnovit, donec Deum clare vidit. *Num.* 17.
— Adhuc in umbra veteris illius Iosephi, purissimus castitatem halabat. *Num.* 226.
— Prae nimio vultus Mariani splendore non poterat in faciem illius intendere. *Num.* 718.
Iosephum aliquid sinistre suspicatum de B. Virgine plures Patres tenent. *Num.* 896.
— Opposita sententia tanquam verior stabilitur. *Numero* 897.
Iosephus vigil nunquam sinistre cogitavit de Maria, sed ad summum dormiens, nec tunc totus Iosephus, sed eius solum phantasia. *Num.* 901.
— In commodum sensum explicantur verba illa, *Voluit eam traducere. Num.* 902.
— Ob reverentiam in Virginem Mariam voluit eam relinquere, tanquam indignus illius contubernio. *Num.* 903.

Isaias

Isaiae labia divinitus perpurgantur, ut digne Marianas laudes proferat. *Num.* 14 et 1308.
Isaias non minori laude dignus, muneri se sponte offerens, ac Moyses illud detrectans. *Num.* 1311.

Isis Dea

Isidem Deam mammis circumcinctam depinxit antiquitas. Elegans Virginis Deiparae symbolum in Eucharistia. *Num.* 1476.

Iudas

Iudas ipse, si sub Mariae clientela fuisset, salvus evasisset. *Num.* 1734.
Iudas merito suspendio finiit tanquam fur in latrocinio deprehensus. *Num.* 1773.

Iudaei

Iudaei perfidi, et impii Rabbini pluribus probris incessunt Virginem Deiparam. *Num.* 1408.
Iudaeorum perfidia revincitur denegans virginitatem Virginis Deiparae. *Ibidem.*

Iudex

Iudices humani etiam insontes vestibus denudant; cum Deus Iudex flagitiosos etiam vestibus induit, nudosque cooperit. *Num.* 1293.

Iuno

Iunonem quot annis virginitatem deperditam recuperasse ex lotione in aquis Canathi fluvii fingebant ethnici. *Numero* 1419.

Iustus

Iustorum peccata in extremo iudicio non esse evulganda docent aliqui Doctores. *Num.* 890.
Iustorum defectus et peccata in die iudicii sunt aperienda. *Num.* 891.

L

Labia

Labia divinitus perpurganda, ut digne Marias laudes proferre possint. *Num.* 13 et 16.

Labor

Labor aequo animo toleratus iam hominem viatorem beat. *Num.* 1359.

Lac

Lac Marianum apud Filium idem praestat, quod sanguis Christi apud Patrem. *Num.* 1724.
Lac, quo Maria infantula alebatur, simul erat sanguis, quo sensu? *Num.* 1161.
Lac, quo Maria lactabat Iesum, miraculosum fuisse aiunt aliqui. *Num.* 703.
Lac Marianum erga Iesum naturale fuit. *Num.* 704.
Lac D. Annae erga Mariam miraculosum fuit. *Numero* 705.
Lac B. Virginis erga Iesum mirabilius, ac perfectius lacte D. Annae erga Mariam. *Num.* 706.
Lac D. Annae erga Mariam, et Mariae erga Iesum aliquo singulari privilegio gaudebat. *Num.* 709.
Lac Marianum confertur cum manna Hebraeorum, ipsique praefertur. *Ibidem.*
Lactis Mariae guttae decidentes praedurum scopulum emolliunt, et veluti in candidissimam farinam vertunt. *Num.* 710.
Lactatio D. Annae erga Mariam prodigiosior, quam undarum scaturigo ex petra. *Num.* 705.

Lacrymae

Lacrymarum et poenitentiae vis, et potentia. *N.* 1765.

Laus

Laus nulla Mariae exaequari potest dignitati Matris Dei. *Num.* 1860.
Laudes Marianae petunt mentem terrenis affectibus exutam. *Num.* 13.
Laudes Marianae non sunt ex locis communibus depromendae. *Ibidem.*
Laudes Marianae diminutae apud Evangelistas, ne tanquam Dea coleretur. *Num.* 15.
Laus omnis inferior Maria. *Num.* 16.
Laudes in Mariam exhibitae reciproca muneratione rependuntur. *Num.* 28.
Laudes etiam praesumptae et dubiae B. Virgini deferendae, sin minus obnoxius eris supplicio caelesti. *Numero* 39.
Laus praecipua in Mariam est virtutum suarum aemulatio. *Num.* 120.
Laudes ementitae infame potius dedecus, quam decus important. *Num.* 755.
Laus, et gloria potest esse finis honestus a quolibet iusto intentus. *Num.* 1844.

Leaena

Leaena per sex et viginti menses in utero prolem perficit. *Num.* 648.

Leonardus Nogarolus

Leonardi Nogaroli Officium de Conceptione immaculata B. Virginis perperam ab adversariis de medio tolli contenditur. *Num.* 544.
— Eiusdem officium de immaculata B. Virginis Conceptione ab Ecclesia est approbatum. *Num.* 545.

Liberalitas

Liberalitas effecit Rebeccam dignam progenitricem Christi. *Num.* 29.
Liberalitas, et munificentia ultra postulata, proprium B. Virginis stemma. *Num.* 29.

Liber—Libellus

Libri, sicut et liberi postremo nati plus sapientium sicut et parentum affectum acuunt. *Num.* 61.
Libri omnes astrologiae iudiciariae per Tridentinam synodum prohibentur. *Num.* 684.
Libellus supplex adversariorum adversus titulum *Immaculatae. Num.* 509.
Libellus supplex posterior eorundem adversus titulum *Immaculatae. Num.* 510.

D. Lucas

S. Lucas, depictis pluribus imaginibus B. Virginis, ipsius cultum per orbem invexit. *Num.* 1842.
— Idem fuit a secretis B. Virginis. *Ibidem.*
— Mariae immunitatem ab originali, tum et ipsius virginitatem propugnat. *Ibidem.*

Lugo

Lugo Cardinalis impugnatur in sua serie decretorum Dei. *Num.* 600.

Luna

Luna sola inter corpora caelestia maculas habere creditur. *Num.* 216.
Lunae laus et commendatio. *Num.* 217.
Luna insipientiae symbolum. *Ibidem.*
Lunae collatio cum Virgine Deipara. *Num.* 1768.

Lux

Lux illa ante solem condita, triduo sine nocte splenduit, Mariam semper splendentem sine alicuius erroris nocte adumbrabat. *Num.* 761.
Lux, quia Dei scintilla, primatum existentiae extra causas obtinet. *Num.* 1402.

Lycurgus

Lycurgus in mortis confinio ad delubrum matris Deorum sistitur, eius opem imploraturus. *Num.* 126.

M

Magdalena

Magdalenae contemplatione allectus Christus, quasi reliqua omnia derelinquere visus est. *Num.* 1816.

Magister

Magister omnigenae virtutis aliis futurus omnem singularitatem et exemptionem fugiat. *Num.* 1456.

Magnanimitas

Magnanimitas circa honores, iuxta rectae rationis praescriptum, non adversatur humilitati. *Num.* 1310.

Mappa

Mappa in qua primo instituta fuit Eucharistia, Mariae manibus elaborata fuit. *Num.* 1479.

D. Marcus

S. Marci Evangelistae studium in B. Virginem. *Numero* 1826.
— Eidem attribuuntur omnia Beatae Virginis festa. *Numero* 1827.
— Eiusdem encomium in Dormitione B. Virginis. *Numero* 1827.

Mare

Mare quod ante Dei umbram trepidabat ad conspectum Christi, imo et totius Trinitatis non timet. *N.* 1296.
Maris salsedinis causae aperiuntur, et dolori Mariae adaptantur. *Num.* 1372.
Mare contremiscit, ac refugit sisti ante tribunal Dei iudicantis. *Num.* 1296.
Maria ex cognatione cum nomine Mariae multiplicem vitam ediderunt. *Num.* 71.
Maria viventia fluida edit. Maria vitae aeternum duraturae Mater est. *Num.* 72.
Maria, Mariae nomen praeseferentia, Hebraeorum salutem ac vitam pepererunt. *Num.* 73.
Marinae undae cur non corrumpantur, disquiritur. *Numero* 1373.

Mariae Virginis electio et praedestinatio

Maria primus homo, primaque creatura in intentione Dei. *Num.* 132.
Maria prima post Trinitatem persona. *Num.* 133.
— Vicinior Spiritui sancto omnibus creaturis. *Numero* 134.
— In primo aeternitatis signo praefinita. *Num.* 135.
Maria praedestinatorum vexillifera. *Num.* 138.
— In aeterna Patris praefinitione, iam ut mater contemplabatur. *Num.* 139.
— Praedestinatorum Primiceria. *Num.* 144.
— Et sicut apis ex flore Christi mel, et ceram, qua electorum nomina conscriberentur, construxit. *Ibidem.*
Maria post Deum, primum obiectum cognitionis et dilectionis divinae. *Num.* 146.
— Et quia prima in praefinitionibus divinis, primatum in omnes res creatas obtinet. *Num.* 147.
— Est creaturarum omnium idea; omniumque creaturarum perfectiones cohibet. *Ibidem.*
Maria decernitur cum Christo in primo decretorum signo. *Num.* 160 et 161 et *deinceps.*
Maria electa fuit ad Maternitatem Dei, et ad eximiam gratiam electione formali ante ipsius merita praevisa, et consequenter ad tantam gloriam. *N.* 196 *et deinceps.*
Maria prius praefinitur ad Maternitatem Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam. *Num.* 199.
Maria ab aeterno in primo rationis signo aliquale Matris munus subibat. *Num.* 203.
Maria in Dei Matrem ab Imperatore Deo electa, dignissima utique extitit. *Num.* 1158.

Mariae Conceptio

Maria a primo sui conceptus instanti iam Maternitatis Dei honore, ac iuribus gaudebat. *Num.* 197 *et* 198.
Maria in conceptione triplici pulcritudine decoratur, positiva, negativa et motiva. *Num.* 215.
Maria in conceptu dicitur tota pulcra; cur ergo cum luna, quae maculas habet, componitur? *Num.* 15.
Maria coronatur stellis in suo conceptu, reliquorum Sanctorum corona ex lapillis attexitur. *Ibidem.*
Mariae in conceptu lunae excellentiae recte adaptari possunt. *Num.* 217.
Maria pro omni differentia temporis sanctitate micat, ac proinde nunquam macula originali foedata. *N.* 218.
Mariae immunitas ob originali macula ostenditur ex puritate et splendore aquarum. *Num.* 219 *et* 220.
Maria semper lucis splendore corusca, quia ex illa Sol Christus exoriturus erat. *Num.* 221.
Maria triumphat de peccato originali, et sponsus ei applaudit. *Num.* 223.
Maria per Aaronis, non per Moysis virgam adumbratur, quae in serpentem versa est. *Num.* 225.
Maria dicitur sanctitas et charitas in abstracto, quae dicit negationem omnis peccati. *Num.* 227.
Maria sigillatur in corde, alii iusti in fronte, quia in primo vitae momento sigillata fuit. *Num.* 228.
Maria Dei facies, unde quisque eam originali macula deturpat, faciem Dei commaculat. *Num.* 229.
Maria in conceptu suo coelum splendens, et pulcherrimum. *Num.* 230.
Maria, quia excepit hospitio Christum, a communi peccati originalis incendio liberatur. *Num.* 232.
Maria ramus olivae, quae singulari privilegio a culpae originariae diluvio eximitur. *Num.* 233.
Mariae immaculata Conceptio a sacra Dominicanorum familia defenditur. *Num.* 235 *et deinceps.*
Maria pulcra est, sicut pia opinio docet. *Num.* 296.
Maria nomine omnium non comprehenditur, quia est super omnes, et altioris ordinis. *Num.* 329.
Maria licet infecta fuisset peccato originali, Christus ex illa prodiens illo non inficeretur. *Num.* 468.
Mariae si daretur optio, potius seligeret carere maternitate Dei, quam incurrere peccatum originale, vel etiam veniale. *Num.* 474.
Mariam maiori odio prosecuturam peccatum originale, quam veniale censent aliqui. *Num.* 479.
Maria neque in Adamo deliquit, neque virtute contenta fuit in illo, in ordine ad maculam delicti originalis. *Num.* 573.
Maria in nullo instanti peccati morte mortua fuit. *Numero* 576.
Maria adhuc nudum peccati nomen procul a se amandat. *Num.* 577.
Maria si vel peccati vestigio et debito obnoxia fuisset, a Deo nesciri videretur. *Num.* 578.
Maria quia Corredemptrix cum Christo, caruit peccati debito. *Num.* 582.
Maria neque quoad gratiae transfusionem, ingressa fuit pactum cum Adamo. *Num.* 586.
Maria non fuit filia legitima Adae, sed solum quoad corpulentam substantiam. *Num.* 587.
Maria in nullo unquam instanti fuit praecellenti Matris Dei titulo destituta. *Num.* 588.
Maria fatetur se Christi sanguine fuisse redemptam. *Numero* 589.
— Et quidem nobiliori modo, quia praeservata a peccato, eiusque debito. *Num.* 603 *et deinceps.*
Mariae immunitas a debito peccati originalis multiplici via statuitur. *Num.* 609 *et deinceps.*
Mariam ab originali peccato non fuisse redemptam censent aliqui, sed severiori censura perstringuntur. *Num.* 608.
Maria, quia aberat, cum pacisceretur Deus cum Adamo, non incurrit originale peccatum. *Num.* 611.
Maria solum Deum parentem habuit, tanquam causam principalem ipsius conditionis. *Num.* 614.
Mariam a lege universali exemptam, quid mirum? cum Deus saepe dispensaverit cum aliis in legibus naturae et gratiae. *Ibidem.*
Mariae formatio intenta fuit a Deo ad productionem Filii Dei. *Num.* 642.
Maria in primo suae formationis instanti, omnigena donorum affluentia exornatur. *Num.* 645.
Maria concepta fuit in beatitudine naturali. *Num.* 817.

— Tum et in statu naturae integrae. *Num.* 818.
— Concepta fuit etiam in perfectione status innocentiae quoad privilegia intrinseca. *Num.* 820.
— Quare in Paradisum translata, absque ullo addito, floreret omnibus privilegiis iustitiae originalis. *Num.* 828.
— Ex hoc dono iustitiae originalis, sibi subiecta habet animantia. *Num.* 842.
Maria non hausit halitum vitae infectum ab Adamo, sed immediate ab ore Dei. *Num.* 853.
Maria iustitiae originalis praerogativis gavisa fuit, adhuc dum moritur. *Num.* 855.
Maria et peccati nomen, et umbram valde abhorret. *Num.* 859.
— Omni peccati fomite semper caruit. *Num.* 862.
Maria ab instanti sui conceptus prodiit scutis obarmata. *Num.* 865.
Maria a momento sui conceptus, virtutum fomite praedita fuit. *Num.* 872.
— Nunquam mali poma decerpsit. *Num.* 894.
Mariam conceptam sine originali, ex doctrina Caietani evidenter evincitur, contra ipsum. *Num.* 956.
— Ab instanti conceptionis tota meridies sine vespere. *Num.* 952.
Maria ab instanti conceptionis perfectum rationis usum obtinuit. *Num.* 957.
Maria quadruplici scientiarum genere exornatur ab instanti conceptionis. *Num.* 9670 *et deinceps.*
Mariae primi cogitatus in instanti conceptionis aperiuntur. *Num.* 971.
Mariae gratia etiam in instanti Conceptionis superat gratiam utriusque creaturae angelicae et humanae. *Numero* 1159.
Mariae primum fundamentum in conceptione, coronis et fastigium Angelorum et hominum. *Num.* 1162.
Maria in conceptione recepit gratiam ex opere operantis, et ex opere operato. *Num.* 1163.
Maria in instanti conceptionis praedita fuit virtutibus naturalibus per se adquisitis. *Num.* 1332 *et deinceps.*
— A Maria grandi cautione arcet Deus vel levissimam culpae originalis suspicionem. *Num.* 1453.
Maria ab instanti conceptionis, omnium creaturarum dominium habet. *Num.* 1646 *et deinceps.*
Maria in suo conceptu per proprios et liberos actus se disposuit ad infusionem gratiae. *Num.* 1677.
Maria ab instanti sui conceptus confirmata fuit in gratia, et certior facta de sua praedestinatione. *N.* 1190.
— Praescivit se Deum pariturum. *Ibidem.*
— Etiam tunc moraliter Mater Dei censebatur. *Numero* 1191.
Maria a puncto sui conceptus, habuit infusas gratias omnes, virtutes ac dona. *Num.* 1200.
Mariae indita fuit ab instanti conceptionis, omnis facultas, et perfectio quoad functiones actuum. *N.* 945 *et deinceps.*
Mariae locupletandae omnem vim exeruit, et exhausit virtus Altissimi. *Num.* 946.

Mariae nativitas

Maria tunc nascitur, quando mundus, ingravescente morbo, ad quatuordecimum diem criticum pervenit. *Num.* 83.
Maria mons salubris climatis. *Num.* 69.
— Altrix vitae. *Ibidem.*
— Vitae nostrae subsistentia, procul mortem dispellit. *Num.* 70.
— Cohibet in se omnia vitarum genera. *Num.* 71.
Maria vitae aeternum duraturae mater est. *Num.* 72.
Maria vitae antistes, e cuius nutu totius vitae nostrae momenta dependent. *Num.* 74 et 86.
Maria ortu suo senescentem mundum in floridam iuventam restituit. *Num.* 76 et 87.
Maria emporium omnium bonorum. *Ibidem.*
Maria non in numero, pondere, aut mensura gratiae ordinariae condita fuit. *Num.* 942.
— Omnis moeroris obliteratio. *Num.* 93.
— Angelorum chorea. *Num.* 91.
— Deliciosus Deo paradisus. *Num.* 92.
— Dei ac hominum centrum, et amica quies. *Numero* 94.
— Fortuna secunda. *Num.* 97.
— Inventa una Maria, invenitur omne bonum. *Numero* 98.
Maria ab utero Annae iam Salvatore foeta. *Num.* 142 *et* 143.
Maria omnia humanae naturae individua perfectione individuali in suo ortu superat, dempto Christo. *N.* 604.
Maria instar paradisi voluptatis, celerrime a Deo formatur in utero Annae. *Num.* 620 *et deinceps.*
Maria virens salix, quia celerrime efformata. *N.* 624.
— Singulari Dei beneficio, per Christi merita primam suam formationem obtinuit. *Num.* 641.
— In Dei delicium et in hominum paradisum. *Numero* 643.
Maria, quia foetus omnium nobilissimus, ideo diutius in materno utero allambitur. *Num.* 651.
— Biduo minus delituit in utero materno, quam Iesus. *Num.* 653 *et deinceps.*
Maria praedita fuit potentiis internis et externis in summo perfectis. *Num.* 668.
Maria, licet foemina, viros omnes, dempto Christo, animi robore ac masculea virtute superavit. *Num.* 677.
Marianus vultus statim in suo ortu caelesti quodam splendore perfusus. *Num.* 718.
— Ex sensuum vivacitate, potentiarumque perspicacia, innatum quendam splendorem evibrabat. *Num.* 722.
— Dicitur Foemina fulgorum, sive lampadum. *Ibid.*
Mariae nativitas et parentes supprimuntur ab Evangelistis, quia Maria ex Maternitate Dei censenda est. *Numero* 756.
Maria non adscititio genitorum splendore, sed propriis meritis nobilitatur. *Num.* 758.
Maria nullos vagitus, aut lacrymas in infantia edidit ob communes reliquorum infantium causas. *N.* 836.
Maria in ortu suo totam Ecclesiam sub pedibus habebat, quia illam gratia superabat. *Num.* 1162.
Maria in lucem edita omnium bonorum scaturigo in homines redundavit. *Num.* 1728.
Mariae nativitas finis dolorum, et initium consolationis. *Num.* 1764.
— Est salutaris reconciliationis Panegyris. *Num.* 22 *et* 87.
— Est fons vitae, et salutis. *Num.* 77.
— In Maria omnes gratiae ac dona amico foedere coierunt. *Num.* 934.
— Eius dona usque ad possibilia protenduntur. *Numero* 935.
Mariae dona ex divina omnipotentia dimetiuntur. *Numero* 936.
— Quidquid gratiarum aliis collatum est, Mariae eminentiori modo concessum. *Num.* 934.

Mariae Nomen

Mariae Nomen ungit agonistas. *Num.* 3.
— Antequam imponeretur, praefiguratum fuit. *Numero* 1364.

— Iam a Seth filio Adami cognitum fuit. *Ibidem.*
Mariae nomen tota Trinitas imponit, inito inter se consilio. *Num.* 1367.
Maria quadrilitera quatuor orbis partes instauravit, quas Adam infecerat. *Num.* 1368.
Maria idem ac stella polaris, et pharus mundi lucidissima. *Num.* 1369.
— Item maris pluvia. *Num.* 1370.
— Item iaculatrix et sagittaria. *Num.* 1371.
— Item Domina huius mundialis maris. *Num.* 1374.
— Domina etiam quadruplicis diei. *Num.* 1375.
— Dicitur etiam Domina cribri *Num.* 1376.
— Idem est ex Ambrosio, ac *Deus ex genere meo. Num.* 1377.
Mariae nomen efficacius ad bona consequenda, quam nomen Iesu. *Num.* 1378.
— Ideo componitur cum luna, quia citissimis gressibus in nostram salutem involat. *Ibidem.*
Maria tota Mater misericordiae, cum Iesus sit simul Pater et Iudex. *Num.* 1379.
— Per Mariam citius salus nostra paratur. *Numero* 1380.
Mariae invocatio in hora mortis tutissima, ut erudimur a Christo. *Num.* 1382.
Maria clavis magistra caelestium forium. *Ibidem.*
Mariae nomen omnia nobis bona secum adsportat. *Numero* 1383.
Mariani nominis elogia. *Ibidem.*
— In caelis dicemur Marianitae. *Ibidem.*
Mariae nomen nihil operatur ex natura sua. *N.* 1384.
— Ex institutione divina aliquos effectus operatur. *Num.* 1385.
Mariae nomen instar Baptismi cuiusdam. *Ibidem.*
— Quaenam effecta in nobis operetur invocatio nominis Mariae. *Num.* 1386.
— Vel unica litera nominis Mariae robustissimum telum adversus Daemonem. *Ibidem.*
— Antequam cum morte confligas, unge te Mariani nominis oleo. *Num.* 1387.
— Sub hoc nomine mors pluris facienda, quam totius mundi diadema. *Ibidem.*
Mariani nominis subsidio avicula accipitrem devicit. *Num.* 1387.
Mariae nomen septies in Evangelio insonat adversus septem capitalia vitia. *Ibidem.*
— Est Cedrus, cuius succus extinguit serpentes. *Ibidem.*
Mariae nomen praecedat Virginitas, omniumque gratiarum cumulus. *Num.* 1388.
Mariae nomen instar cynnamomi insipidos cibos condientis. *Num.* 1389.
— Melle et saccharo dulcius. *Ibidem.*
— Ideo Christus in crucem actus a nomine Mariae abstinuit, ne amaritudo fellis et crucis dulcesceret. *Num.* 1390.
Mariae nomen concentus harmonicus. *Ibidem.*
— Instar ambari, moschi et succini odorem suavissimum efflat. *Ibidem.*
— Cur media syllaba nominis Mariae producatur. *Num.* 1391.
Mariae nomen luctum omnem dispellit. *Ibidem.*
— Est spiraculum, et respiratio nostra. *Num.* 1392.
— Timorem dispellit, securitatem ingerit. *Ibidem.*
Mariae nomen omen omnis felicis fortunae, et aenigma. *Num.* 1393.
— Quaenam dispositio requiratur, ut Mariae nomen praedictos effectus operetur. *Num.* 1394.
— Virgo B. aeternum in caelis Mariae nomine nuncupabitur. *Num.* 1397.
Mariae nomen visioni beatificae agnatum. *Ibidem.*
Mariae nomen castitatem halat, luxuriam aversatur. *Num.* 1388.
Mariae nomen, et invocatio oleum, quod super omnes liquores enatat. *Num.* 1763.
Mariae nomen eodem cultu suspiciendum, ac ipsa B. Virgo. *Num.* 1850.

Mariae Praesentatio

Maria in obediendo Deo et parentibus incomparabilis. *Num.* 223.
Maria in templo degens alimento ab Angelis allato reficiebatur. *Num.* 706.
Maria infantula devicit martyrum triumphos, et Angelorum trophaea. *Num.* 1161.
— Quia maior operum merces ex radice charitatis pensatur. *Num.* 1160.
Mariae gratior quodammodo obedientia, quam dignitas Matris Dei. *Num.* 1314.
— Voluntas Dei cibus Mariae, qui in substantiam propriam ipsius versus est. *Num.* 1315.
— Ideo dicitur voluntas Dei per obedientiam perfectissimam, per quam sibi Deum maritavit. *Ibidem.*
Maria rota Ezechielis volubilis et agilis, sine obice ad obsequium et Spiritus sancti nutum. *Ibidem.*
— Ita in templo obedientiae divinae legis se devoverat, ut tota auris videretur. *Num.* 1316.
— Auris obedientiae Marianae cum re nulla conferri potest. *Ibidem.*
Maria papyrus mundissima indifferens ad quamcunque scriptionem. *Num.* 1317.
— Et sicut materia prima indifferens ad quamcunque formam, et sicut syllaba communis. *Ibidem.*
— Vel metallum liquefactum aptum ad quamcunque figuram. *Ibidem.*
Maria votum obedientiae emisit. *Num.* 1430.
— Quibus subiecta fuerit. *Ibidem.*
— Obligata fuit omni praecepto divino. *Num.* 1431.
— Tum et aliquibus praeceptis veteris legis. *Ibid.*
— Tum et legis evangelicae. *Num.* 1432.
— Parentibus suis prompte obedivit. *Num.* 1433.
Maria nullis humanis legibus subiiciebatur. *Ibidem.*
Mariae non unum bellum indictum cum serpente, sed multiplex. *Ibidem.*
Maria multiplici voto alligatur, ut arctius Deo adnecteretur. *Num.* 1434.
— Quinam censeant B. Virginem veram fuisse monialem. *Num.* 1435.
Mariam fuisse primam tempore, quae votum castitatis emiserit, plurimi Patres adstruunt. *Num.* 1440 *et deinceps.*
Maria vocatur Virginitatis redemptrix. *Num.* 1441.
Maria omnium prima in templo praecipue vitam religiosam professa fuit, quoad tria substantialia vota. *Numero* 1443.
Maria a parentibus voto consecrata Deo in perpetuum. *Num.* 1448.
— Nazaraeatus voto se obstrinxit. *Ibidem.*
— Quare nec vino nec uvis recentibus, seu siccis usa fuit. *Num.* 1449.
Maria omnium prima virginitatem Deo vovit. *N.* 1400.
— In Maria tanquam in virginitatis typo omnes virgines excuduntur. *Num.* 1401.
Maria integritatis idea, virginitas in abstracto. *Ibidem.*
Maria in hac virtute primas tulit. *Num.* 1402.
Maria virga Aaronis amygdalina, quia prima flores virginitatis expansit. *Ibidem.*
Maria primatum virginitatis tenuit quoad omnes circumstantias. *Num.* 1404.

— In primo conceptionis instanti virginitatis votum emisit. *Ibidem.*
Maria antonomastice dicitur Virgo, quia reliquae ut essent, ipsius obtinuerunt beneficio. *Num.* 1405.
Maria per virginitatis votum Angelorum Mater. *Ibidem.*
Maria gaudet virginitate subsistente. *Num.* 1406.
Marianae virginitatis pro omni differentia temporis clarissimum symbolum in Apocalypsi. *Num.* 1419.
Maria omnium prima paupertatis votum nuncupavit. *Num.* 1428.
Maria ex ampla parentum haereditate sibi solum sepulcrum reservavit, reliqua pauperibus distribuit. *Numero* 1427.
— Nunquam ostiatim stipem emendicavit. *N.* 1428.
Maria conventus omnium virtutum, ubi charitas munus abbatissae obibat. *Num.* 1225.

Mariae Sponsalia cum D. Iosepho

Maria desponsatur, ne crederetur Angelus, vel Divinitatis scintilla. *Num.* 745 *et* 1507.
Maria non fuit sub viri potestate, sicut aliae uxoratae. *Num.* 840.
Maria nunquam propositum elicuit de danda opera habendis liberis. *Num.* 1501.
— Consensit in matrimonium, quin nec implicite consentiret in copulam. *Num.* 1502.
Mariae virginitas ex coniugio floridior vernat. *N.* 1503.
— Ante Incarnationem, Iosepho nupsit. *Num.* 1505.
— Nupsit annos agens quatuordecim, vel, ut alii, aetatis suae annos quindecim. *Num.* 1506.
Maria his excellentiis coruscat, ut quoad nos necessaria sit eius conditionis admonitio. *Num.* 1507.
Maria matrimonium init, ut omnem statum honoret. *Ibidem.*
Mariae virginitas pluribus exemplis a natura depromptis adstruitur. *Num.* 1407.
Mariana virginitas in Incarnatione fide catholica tenenda. *Num.* 1411.
— Perpetua eiusdem virginitas fide catholica stabilitur. *Num.* 1416.
Maria post partum et conceptum, quo sensu dicatur virginior et integrior. *Num.* 1420.
Marianae virginitatis dos et arrhae, est Maternitas Dei. *Ibidem.*
Marianam virginitatem conceptus, et partus novitus obsignat et sacrat. *Ibidem.*

Mariae Annunciatio

Mariae magnitudo depingi nequit, nisi obumbratione. *Num.* 15 *et deinceps.*
Mariam vel ore, vel scripto laudaturus, prius visione beatifica donandus. *Num.* 17.
Maria Virgo non posset sine clara Dei visione, seipsam, ipsiusque excellentias dignoscere. *Num.* 17.
— A solo Deo digne commendari potest. *Num.* 18 *et deinceps.*
Maria nequit ab uno solum Doctore digne commendari, sed eget pluribus. *Num.* 21.
— Ideo dicitur esse omnium saeculorum negotium, quia omnium saeculorum ac Doctorum calamos ac linguas occupare potest. *Num.* 22.
Maria internam salutantis Gabrielis substantiam mentis oculis introspexit. *Num.* 1531.
— Eiusdem nomen recte cognovit, et D. Lucae patefecit. *Ibidem.*
Maria trepidat et turbatur ad conspectum viri. *N.* 1533.
Maria nunquam dubitavit, an Angelus esset e coelo missus. *Num.* 1534.
Maria turbatur prae ingenti animi demissione, auditis ipsius laudibus. *Num.* 1535.
— Turbatur etiam, quia virginitatem Deo litarat, audito nomine prolis in utero suo. *Ibidem.*
— Tum quia allocutura etiam cum Angelo. *Ibidem.*
Maria effective instrumentaliter concurrit ad unionem Hypostaticam. *Num.* 1543.
Maria nativa facultate partem sanguinis purissimi ad generationem subministravit. *Num.* 1547.
Maria active concurrit ad generationem Christi. *Numero* 1548 *et deinceps.*
— Refellitur illorum sententia, qui meditantur tres guttas sanguinis Mariani cordis concurrisse ad generationem Christi. *Num.* 1550 *et deinceps.*
Maria vera et propria Christi Mater praedicanda. *Numero* 1559.
Maria, quod mulier dicatur, ad magnum ipsius praeconium spectat. *Num.* 1560.
— Cur a Christo Matris nomine non compelletur. *Numero* 1561.
Mariae actio generativa terminata fuit ad Verbum in natura humana subsistens, non ad humanitatem in abstracto. *Num.* 1567.
Maria Mater supernaturalis vocatur a pluribus Patribus. *Num.* 1569 *et deinceps.*
Maria in conceptu Christi nacta est per gratiam, quod Pater aeternus nanciscitur per naturam. *Num.* 1057.
Mariae generatio, operatio est Dei virginea, et quo sensu. *Num.* 1572.
— In Maria inest relatio realis ad Christum eiusdem rationis cum relationibus aliarum matrum. *Numero* 1574.
Maria affinitatem cum Deo, consanguinitatem cum Christo contraxit. *Num.* 1581.
— Etiam consanguinea Dei recte compellari potest. *Ibidem.*
Maria una eademque substantia cum Christo. *N.* 1582.
— Dicitur per aurem concepisse, ut instantanea foetus organizatio, et animatio ostenderetur. *Numero* 1590.
Maria umbra tegitur divina, quia nullo, nec angelico penicillo depingi potest. *Num.* 1592.
Maria obumbratur, cum sole amicitur, quia excellentia Maternitatis Dei est inaccessa. *Ibidem.*
Maria omnibus creaturis maior, solo Deo minor. *Numero* 1597.
— Vocatur prima natura proximior Deo. *Num.* 1598.
Mariam ab Incarnatione usque ad mortem non potuisse mereri docent aliqui. *Num.* 1688.
— Verius tamen est post Incarnationem novos auctus in gratia fecisse. *Ibidem.*
— Ex Maria vigilanti, et consentiente peragitur Incarnatio tanquam ex Corredemptrice. *N.* 1776.
Maria Adiutorium Christi in opere redemptionis. *Ibid.*
Maria ex cognitione Dei et attributorum concepit Filium, non ex cognitione creaturarum. *Num.* 1798.
— Tum ex cognitione Spiritus sancti, tanquam ex cognitione Sponsi sui. *Num.* 1799.
Maria idem cor habet cum Patre aeterno. *Num.* 1804.
Maria aemulatrix Patris aeterni lucem inhabitans inaccessibilem, Verbum progignit. *Num.* 1419.
Mariae contulit Pater aeternus privilegium, quod nec Filio, nec Spiritui sancto communicavit. *Num.* 937.
Mariae debentur eadem privilegia cum proportione, ratione Maternitatis Dei, quae debentur Christo, ratione unionis hypostaticae. *Num.* 938.
— Est viva et expressa Filii sui imago. *Num.* 939.
Mariae aptantur ab Ecclesia ornamenta omnia et attributa, quae ab Scriptura Christo Domino conferuntur. *Num.* 941.
Mariae communicata fuit suo modo virtus foecunda Patris aeterni. *Num.* 946.

Maria fuit prima, cui apparuit Deus in propria persona, cum ex ea Verbum carnem induit. *Num.* 1275.
Maria in Annunciatione Angelica, amans verecundiae, quae fuit reliquarum virtutum vexillifera. *N.* 1320.
— Verecundia Mariae aequatur sacrificio cruento, et incruento Christi, et martyrio. *Num.* 1321.
Marianus sanguis per genas suffusus, cum turbata est in sermone Angeli, iam condiscebat pro hominum salute in ara crucis suffundi. *Ibidem.*
— Adeo animi demissione excelluit, ut tota ea Dei fortitudine roborari necesse fuit, ut honores et laudes aequo animo ferre posset. *Num.* 1322.
Marianum *Fiat*, in Incarnatione potentius et efficacius, quam *Fiat* Dei mundum creantis, quia hoc imperantis, illud obedientis. *Num.* 1318.
Maria in Annunciatione humilitatis Magistra. *N.* 1304.
— In tanto dignitatis fastigio, semper suae nihilitatis memor, induit se infinitate quadam privativa, ut in se caperet infinitum positivum. *Num.* 1305.
— Haec animi demissio fuit quasi materia, ex qua Christum genuit Maria. *Ibidem.*
— Humilitas Mariana Verbi Dei prolifica, virtuti generativae Patris aeterni parianda. *Ibidem.*
— Umbrae granditas ex granditate corporis crescit, in Maria vero minuitur. *Num.* 1306.
Maria humilibus devota et addicta dicitur, quia ab humilitate grandia et magnifica sperat. *Ibidem.*
Mariae humili omnis natura et gratia vectigal solvit. *Num.* 1306.
Mariam enixe a Deo expetiisse Maternitatem Dei, quinam asserant. *Num.* 1309.
— Alii oppositam sententiam tenent. *Num.* 1313.
Maria laude digna, quod Incarnationem sibi expetierit. *Num.* 1311.
— Verissime proferre poterat: *Deus cordis mei; pars mea Deus in aeternum. Num.* 1309.
— Ex Maria Christi generatio aemulatur generationem Verbi ex Patre. *Num.* 136 *et deinceps; tum et Num.* 1419 *et* 1797.
— Generatio Verbi ex Maria dicitur Processio a D. Chrysostomo. *Num.* 1797.
— Dicitur etiam aeterna, quia iam in generatione ex Patre adumbrabatur. *Ibidem.*
Maria quasi totum opus Incarnationis. *Num.* 1805.
— Plus adaequat et complet motivum Incarnationis, quam electi omnes simul sumpti. *Ibidem.*
Mariae conceptio authenticum instrumentum, et pignus adventus Verbi divini. *Num.* 1806.
Maria futura nequit concipi sine Filio Dei. *Ibidem.*
— Uni Mariae plus profuit Incarnatio, quam utriquae creaturae angelicae et humanae. *Num.* 1807.
Maria non existeret ex vi praesentis decreti, Adamo non peccante. *Num.* 1808.
— Per Mariam plus dignoscitur Deus quam per reliquas omnes creaturas. *Num.* 1811.
Maria dicitur Dioptra perspectiva. *Num.* 1812.
Maria tanquam umbra Deum in altum evehit. *Ibidem.*
Maria opus Incarnationis excellentissimum. *N.* 1815.
Mariae contemplatione allectus Christus, quasi reliqua omnia derelinquere visus est. *Num.* 1816.
Maria grandis thesaurus, humanae considerationis metas supergrediens. *Num.* 1817.
Maria obiectum, in quod omnis sacra Scriptura collimat. *Num.* 1819.
Mariam ab instanti Incarnationis fuisse semper beatam nonnemo adstruit. *Num.* 1857.
Maria cur dicatur bis genuisse Verbum divinum. *Numero* 205.
Mariae precibus excitatus Deus Filium suum mundo devovit. *Num.* 1765.

Mariae exspectatio partus

Maria quando Iesu foeta, sine intermissione gratiam ex opere operato recepit. *Num.* 1166.
(Vide reliqua verbo, *Mariae Annunciatio*, supra).

Mariae Visitatio ad s. Elisabeth

Maria semestris interstitio, plurimorum annorum vitam dilargitur Ioanni. *Num.* 75.
Maria utero gravida, quasi agilitatis dote donata levitabat. *Num.* 744.
Maria celerius vitam intulit mundo, quam Eva mortem: haec per esum, illa per potum. *Num.* 707.
Maria in gestatione prolis per novem menses, nullo onere, aut gravamine afficiebatur. *Num.* 837.
Maria nihil mirum levitaret, cum lumen conceperit. *Num.* 838.
Maria citissimo cursu summa animi contentione ad omne bonum, quasi vectantibus quadrigis, ferebatur. *Numero* 951.
— Ad Mariae Iesu foetae praesentiam, gratia Ioanni ex opere operato collata fuit. *Num.* 1164.
Marianam gravitatem cur non dedecuit montana festino gressu percurrisse? *Num.* 1284.
— Gressus namque accelerasse ad abolendum peccatum non dedecet gravitatem. *Num.* 1285.
Maria post Christum, comitatis et urbanitatis idea. *Numero* 1299.
Maria luna calceata, quia citissimis gressibus in hominum auxilium involat. *Num.* 1378.
— Per Mariam citius salus nostra paratur. *N.* 1380.
Mariae effusa liberalitas ultra postulata, est proprium ipsius stemma. *Num.* 29.
Maria dicitur Galilaea, quia totum orbem circumrotavit. *Num.* 35.
— Tanquam sphaera caelestis influxus in nos effundit. *Ibidem.*
— Instar orbis caelestis, nullam propriam patriam habuit. *Num.* 36.
Mariae commiseratio immensa. *Num.* 1259.
— In omnes diffunditur. 1261.
— Etiam in spatia imaginaria protenditur. *N.* 1262.
— Commiseratio haec venit in partem gloriae Mariae. *Ibidem.*
— Deliciae, et bellaria Mariae sunt, hominibus adfavere. *Ibidem.*

Mariae Purificatio

Maria Iesum lactans martyribus pariatur, quia gratiam ex opere operato recipiebat. Quare quot lactationes Filio praebuit, tot multiplicavit coronas. *N.* 1166.
Mariae ubere utroque interposito, tanquam aggere fortissimo, Iudicis ira coercetur. *Ibidem.*
Mariae puritas lucem aemulatur, quae si suprema sit, nullis foedatur tenebris. *Num.* 944.
— Fuit impeccabilis, et quomodo? *Num.* 1192 *et deinceps.*
Mariana mititas quomodo infinitam Dei misericordiam adauxit? *Num.* 1289.
— Iesus in Mariae brachiis omnes lumine suo perfundit: in brachiis Simeonis pluribus ruinae futurus esse praedicitur. *Num.* 1290.
— Per Mariam Deus totus melleus et misericors. *Numero* 1292.
— A Maria Christus mitis, ac blandus ad nos accedit; a sinu Patris, durus debellator. *N.* 1295.
Maria ipsi Deo misericordiae indolem indidit. *N.* 1296 *et deinceps.*
Maria per spontanea virtutum opera magis Deum sibi devinxit. *Num.* 1453.

Mariae honos pluris est Christo, quam totius mundi redemptio. *Num.* 1458.
Mariae honor ne periclitetur, totum Deus orbem invertit. *Num.* 1504.
Mariae puritas tanta est, ut in eam invehi non audeat impuritatis auctor. *Num.* 1510.
Maria a singularitatis vitio valde abhorret. *N.* 1455.
Mariae puritas (Vide verbo, *Mariae Conceptio*).
Mariae obedientia (Vide *Mariae Praesentatio*).
Mariae humilitas (Vide verbo, *Mariae Annunciatio*).
— Quo sensu dicatur Maria a D. Epiphanio, gloriae radix. *Num* 1030.

Mariae Baptismus

Maria tenebatur lege Baptismi, et illum recepit omnium prima. *Num.* 1454.
— Baptizatur anno aetatis suae quadragesimoquinto, labente Maio, vel incipiente Iunio. *Num.* 1457.
— A Christo baptizatur. *Ibidem.*
Marianum Baptismum aliquod caeleste signum et externum cohonestavit. *Num.* 1458.
Maria quasi alter Baptismus. *Num.* 1459.
Maria, signum magnum, ex quo melius, quam ex caelestibus signis, omnem felicem fortunam nobis augurabimur. 1461.
Maria puteus aquarum viventium, quae instar baptismi, inferni ignem extinguunt. *Num.* 1459.
— Instar baptismi Maria characterem imprimit. *Numero* 1461.

Mariae dolores, solitudo et martyrium

Maria stans iuxta crucem, reliquis creaturis fatiscentibus, innocentiae status immortalitatem praeseferebat. *Num.* 856.
Maria Martyr dicitur ob bicipitem linguarum detrahentium gladium. *Num.* 895.
Maria nihil muliebre, sed masculam vim continet. *Numero* 1233.
Maria ea fuit animi robore constans, ut se ultro persecutoribus offerret. *Num.* 1235.
Maria stat interrita iuxta crucem, tormenta et crucem ad certamen lacessens. *Num.* 1236.
Mariae robur in eo splendet, quod prior Daemonem aggrediatur, illumque lacessat. *Num.* 1237.
— Ea erat animi fortitudine, ut parata esset Filium cruci affigere. *Num.* 1238.
Maria in triduo mortis Christi Mater esse desiit, ideoque dolor eius maximus. *Num.* 1239.
Maria interpretatur quasi quinta essentia dolorum omnium. *Num.* 1241.
Maria iuxta crucem, phosphorus in libra, ubi omnem suam vim exeruit. *Ibidem.*
Mariae patientia, et tolerantia illam quasi impassibilem reddidit. *Ibidem.*
Maria sola quasi integrum redemptionis opus. *N.* 1242.
— Eadem cum Christo vita vivebat, eademque morte cum ipso commoriebatur. *Ibidem.*
Maria iuxta crucem, Patris aeterni aemula, immobilis adstabat, gaudensque Filium pro mundi redemptione litabat. *Ibidem.*
— Sub arbore malo nunquam ruinam, seu casum experta est. *Ibidem.*
— Quos pertulit dolores, cum tormentis damnatorum aequari poterant. *Num.* 1243.
— Patiendi pro Christo dolores aeternare volebat. *Num.* 1244.
— Et quo devenit daemonis astutia, ut homini noceat; eo devenit Mariana fortitudo, ut pro Christo tormenta sustineat. *Num.* 1245.
— Stat iuxta crucem quasi Christo commortua, vitam cum doloribus aeternare cupiens. *Numero* 1246.
Mariae anima subrogata in corpore demortui Filii, lancea transfoditur. *Num.* 1247.
Mariae dolores, mortuo Filio, vivacius animam sauciabant. *Ibidem.*
Maria stans iuxta crucem, lucidius constantiae symbolum. *Num.* 1248.
— Ita adstat cruci, ut quondam cum Deo erat, quando praeparabat caelos. *Ibidem.*
Mariam morte violenta peremptam tanquam martyrem, quinam adstruant. *Num.* 1249.
Mariam non fuisse formaliter martyrem, plures tutantur. *Num.* 1251.
— Veram fuisse martyrem, communis Patrum sententia est. *Num.* 1252.
— Reliquorum martyrum tormenta, si cum Mariae doloribus componantur, quasi nulla censentur. *Num.* 1253.
Mariae martyrium quasi essentiale; reliquorum martyrum quasi accidentale. *Ibidem.*
— Fuit omnium intensissimum et longissimum. *Numero* 1255.
Mariae dolores quo sensu dicantur maiores, quam Christi. *Num.* 1256.
Maria cum Filio in fidei et amoris testimonio permanens, cum ipso martyrium subibat. *Num.* 1257.
Maria Mater sine Patre, in horrendo Filii interitu, omnem dolorem ebibit. *Num.* 1257.
Maria in morte Christi sanguineas lacrymas effudit. *Ibidem.*
— Optandum maxime, ut Festum doloribus Mariae sacrum institueretur. *Num.* 1258.
Maria tot icta doloribus, cur exanimata non corruerit. *Num.* 1373.
Maria ita Filium suum morti devovet, ac si Matris exueret affectum. *Num.* 1774.
Maria Altare, in quo quotidie offerebatur Christus morti. *Num.* 1774.
Maria dicitur complere, quae desunt passioni Christi. *Num.* 1778.
Maria doluit in triduo mortis Filii, et in morte sua ob amissam maternitatem. *Num.* 1841.

Mariae ad caelos Assumptio

Maria non amoris telo perempta, sed ad Dei praeceptum e vita decessit. *Num.* 788.
Maria a corruptione et incineratione fuit immunis. *Numero* 1852 et 857.
Maria morte sua mortis regnandi cupidinem coercuit. *Num.* 854.
—In eius Assumptione omnes Angeli cum Christo Domino in propria persona descenderunt, ut illam in caelos euntem comitarentur. *Num.* 1272
Maria non a morte gloriam aucupatur; imo ipsa B. Virgo mortem exornavit. *Num.* 1858.
Marianae gloriae infinitudo describitur. *Num.* 1859.
— Omne Beatorum gaudium in una Maria reperitur. *Ibidem.*
— Ipsius beatitudo specie perfectior aliis et hominum et Angelorum. *Num.* 1867.
— In intensione est longe perfectior aliis. *Ibidem.*
— Sicut sol stellas splendore superat; sic Maria Beatos beatitudine supergreditur. *Num.* 1868.
Maria plus gloriae continet sola, quam reliqui omnes Beati. *Ibidem.*
Maria plus videt in Deo, et nobiliori modo, quam omnes Beati simul. *Num.* 1869.

— Plus hauritur gloriae et voluptatis ex visione pulcritudinis Marianae, quam ex visione totius curiae caelestis, dempto Deo et Christo. *Ibidem.*
Maria in caelis palma est, et merces caelitibus. *Ibidem.*
Maria videt in Verbo omnia quae Deus videt scientia visionis. *Num.* 1729 *et* 1870.
— Videt infinita obiecta. *Ibidem.*
Maria multis nominibus compellatur, quibus multiplex eius perfectio aperitur. *Num.* 1817.
Mariae ea est granditas et excellentia, ut tota Verbi divini gloria in eam ingredi dicatur. *Num.* 1872.
— In Maria quasi tota caelitum gloria innititur. *Ibidem.*
— De lege ordinaria nulla pura creatura maiori gloria beari potest, quam Maria. *Ibidem.*
Maria chorum habet specialem in coelis Christo inferiorem, ipsique propinquiorem. *Num.* 1874.
— In coelo sub Christi pedes subsidet, ac proinde instar throni est ipsi Filio. *Ibidem.*
Maria thronus augustus maiestate plenus: Seraphim ac Throni, vulgare et quasi plebeium solium exhibent Christo. *Ibidem.*
Maria nos videt e coelo oculis corporeis. *Num.* 1875.
Maria maximum coelicolis iubar addit. *Num.* 1877.
Maria est speculum, ex quo resiliunt radii Divinitatis micantiores et splendidiores. *Ibidem.*
Maria in thronum gloriae evecta naturam Angelicam sollicitat ad videndum. *Num.* 1878.
Mariae fulgor beatificus quantus, qui Divinitatis radiis obiectus, non obscuratur, sed splendet. *Ibidem.*
Maria dicitur Complementum gloriae Beatorum. *Numero* 1879.
Mariae gloriam solus Filius describere potest, non Angeli. *Ibidem.*
— Nequeunt caelites intendere in Deum in throno Mariae existentem prae nimio splendore, ac reflexione throni. *Num.* 1880.
— Divinitatis fulgor ex speculo Mariano resiliens oculos ipsius Christi perstringit. *Ibidem.*
Marianae pulcritudinis visio ita videntem bearet, ut damnatorum cruciatus absorberet. *Num.* 1881.
Marianae pulcritudinis visio esset aequale praemium meritis iustorum iuxta aliquos. *Num.* 1882.
— Ex cuius visione non minori praemio afficerentur electi, quam reprobi puniuntur de facto in orco. *Ibidem.*
Maria non potest novum gloriae accidentalis augmentum facere. *Num.* 1883.
Mariam corpore et animo in caelis existere certum est: oppositum temerarium et erroneum, imo etiam sapit haeresim. *Num.* 1884.
— Decuit Christum, Mariam in coelis corpore etiam beare. *Num.* 1885.
Maria in caelis multiplici laureola decoratur. *N.* 1886.
Marianae gloriae sydereum iubar in meridie solis Christi lucet ac splendet. *Num.* 1878.
Marianum corpus plus splendet in caelo, quam omnia simul corpora Beatorum post diem iudicii in caelo splendebunt. *Num.* 1886.
— Aliqui censent corpus Marianum in caelis ad vitam immortalem resurrexisse. *Num.* 1887.
— Vera sententia docet Mariam non in caelo, sed in sepulcro resurrexisse. *Num.* 1888.
Maria a caelo absente, veluti suspiria, et gemitus in caelis insonant. *Num.* 1399.
Maria quo die caelos conscendit, Purgatorium evacuavit. *Num.* 1667 *et* 1842.

Mariae Patrocinium

Maria omnium nostrum Mater est. *N.* 101 *et deinceps.*
— Nos in dolore peperit. *Num.* 104.
Mariae patrocinium erga nos instar deliciosi paradisi. *Num.* 105.
Mariae filii pinguissimam Matris dotem nanciscuntur. *Num.* 107.
Mariae filii quicunque esse, et dici cupiunt, cunctis perituris longum vale dicant. *Num.* 110.
Mariani hoedi quinam dicantur. *Num.* 114.
Maria in praedestinatis altas agit radices. *Num.* 116.
Maria est lumen, levamen et fulcimentum: rota item architectonica ad sublevanda in caelum rigentia hominum scelestorum saxa. *Num.* 117.
Maria non ductrice, nec gressum unum conficies ad terram Promissionis caelestem. *Num.* 119.
— Cum qua immotus celerius properabis, quam alas assumens sine Maria. *Ibidem.*
Mariae qui se totum devoverit, reliquos omnes benedictione caelesti et temporali antecellet. *Num.* 1378.
Maria suis clientibus propugnaculum est, et munimen. *Num.* 37.
Maria Officina Spiritus sancti stupendae suae operationis. *Num.* 1663.
Maria concipitur die lunae, quo die conditur Infernus. *Ibidem.*
Maria plures aeternis flammis addictos liberavit. *Numero* 1664.
Mariae etiam tribuendum, quod damnati puniuntur citra condignum. *Ibidem.*
Maria baculum, virga et calamus, quo innitimur, et quo nostra praedestinatio subscribitur, qua Daemonem abigimus. *Num.* 1731.
— Qui vero non evigilaverit ad hanc virgam Mariae, cadet procul dubio in ollam succensam orci. *Ibidem.*
Maria sedula Ruth reiectaneas peccatorum spicas inferni flammis addictas colligit. *Num.* 1732.
Maria quotidie in peccatoribus Maternitatis Dei praerogativam nanciscitur. *Ibidem.*
Maria in porta mortis clientibus suis fert auxiliarem opem. *Num.* 1734.
Mariam adeat qui brevi cupit petita nancisci. *N.* 1764.
Maria precibus nostris respondet per affluxus coelestes. *Num.* 1760.
Maria mille ostia patefacit in caelum. *Num.* 1767.
Maria primatum obtinuit a Deo erga Angelorum et hominum rempublicam; quem primatum cum hac pensione suscepit, ut nobis omnibus suffragetur. *Numero* 1720.
Maria scutis circumamicitur, ut suos alumnos protegat. *Ibidem.*
Maria officina, ubi opera misericordiae fabrefiunt. *Numero* 1769.
Maria Mediatrix et Advocata, Deum inter et homines. *Num.* 1770.
— Advocatae munus recte obit, etiam in causis desperatis. *Num.* 1771.
Maria nostrarum precum Complementum. *Ibidem.*
Mariae ita est proprium Advocatae munus, ut aliis Sanctis non competat. *Ibidem.*
Maria Mediatrix apud Mediatorem Iesum. *Num.* 1779.
Maria inferni Domina, suis clientibus illius aditum intercludit. *Num.* 1459.
Maria Primiceria praedestinatorum, cuius interest alios praedestinatos in libro vitae conscribere. *N.* 1738.
Mariae alvus est etiam albeus, seu tabula lusoria latrunculorum. *Ibidem.*
Maria videt omnia, quae Deus in Ecclesia operatur. *Numero* 1759.
— Ad Mariam adduxit Deus omnes homines, ut videret quid vocaret eos. *Num.* 1738.

Mariae dos, gratia et gloria, unde sine ipsius consensu, nec alienari, nec distribui potest. *Num.* 1740.

Mariae Rosarium

Maria dicitur soror Verbi divini, ex quo facta est rosa inter spinas. *Num.* 1793.
Mariae globuli precarii veluti funda cum limpidissimis lapidibus, quibus daemones profligantur. *N.* 1399.
— Quinque Mariae literae gemmae sunt, quae suorum clientium diadema exornant. *Ibidem.*
Maria omnibus praedestinatis gloriae coronas ex rosis intertextas attexit meritis suis. *Num.* 1739.
Mariae globuli precarii chirographum Dei sigillo munitum, quo veniam peccatorum et omne bonum consequimur. *Num.* 1725.
Maria est coronaria certantium. *Num.* 6.

Mariae scientia

Maria Noetica columba nunquam luce carens, nunquam alicuius erroris caligine obsita. *Num.* 759.
Maria lunam sub pedibus terit, quia omnem insipientiam et fatuitatem aversatur. *Num.* 760.
Maria in secretarium divinitatis introducitur a Deo, et in divinae sapientiae cellaria. *Num.* 960.
Maria praedita fuit scientia per se infusa naturali. *Numero* 962.
— Scientia etiam per se adquisita naturali. *N.* 963.
— Item scientia experimentali. *Num.* 964.
Maria per scientiam infusam, plura futura libera praesciebat. *Num.* 968.
— Semper exstitit in actu aliquo secundo scientiae infusae. *Num.* 970.
Maria, quia omnium hominum regina inaugurabatur, illos omnes cognitione dignoscebat. *Num.* 991.
Maria forsan habuit species congenitas naturales omnium possibilium ordinis naturalis. *Num.* 998.
Maria optime calluit res omnes materiales actu existentes. *Num.* 1001.
Maria poterat cognoscere praedicata communia per conceptus praecisos ab inferioribus. *Num.* 1005.
Maria praesciebat futura, quae ex causis necessario agentibus proveniebant. *Num.* 1006.
Mariae scientia perfectissima medium continens inter sapientiam Christi et Angelorum. *Num.* 1008.
— Futura, quae pendent a libertate, praescire non poterat scientia naturali. *Num.* 1009.
— Plura ex his futuris revelata sunt Mariae, speciali privilegio. *Num.* 1011.
— Nequibat cognoscere secreta cordis per species infusas in entitate naturales. *Num.* 1014.
— Poterat res praeteritas cognoscere per scientiam infusam naturalem. *Num.* 1016.
— Tripliciter potuit cognoscere res praeteritas cognitione naturali. *Num.* 1019.
— Seipsam, ac suas proprietates et accidentia rite noscebat per scientiam infusam naturalem. *Numero* 1020.
Maria in corpore mortali sortita fuit privilegia animae separatae quoad cognitionem rerum spiritualium. *Numero* 1023.
— Seipsam, et omnes proprietates intuitive cognoscebat sine interventu speciei impressae. *Numero* 1024.
— Omnes angelos per species a Deo infusas rite cognoscebat. *Num.* 1025.
— Nunquam feriabatur a cognitione sui et Dei. *Numero* 1036.
Maria non poterat virtute naturali cognoscere modum praesentiae Christi sub speciebus panis et vini. *Numero* 1038.
Maria per speciale privilegium oculis corporeis videbat Christum in Eucharistia existentem. *Num.* 1042.
— Poterat et cum illo alloqui, et vocem prolatam audire. *Ibidem.*
Maria nunquam ab actuali sui cognitione cessavit, et Dei. *Num.* 1047 *et deinceps.*
Maria cognitione comprehensiva attingebat obiecta naturalia minus praecipua, naturam etiam et proprietates Angelorum et hominum. *Num.* 1050.
— Haec comprehensio per unum simplicem actum fiebat. *Num.* 1052.
— In rebus non evidenter cognitis utebatur discursu. *Num.* 1054.
— Logica Mariae distincta specie a nostra. *Ibidem.*
Mariae scientia commendatur a Salomone, dum ait, c. 4: *Collum tuum sicut turris David. Num.* 1055.
— Omnium bonarum artium academia et gymnasium, Maria. *Ibidem.*
Maria adhuc infans eliciebat actus scientiae per se infusae naturalis, et scientiae per accidens infusae. *Num.* 1060.
— Aliqui non admittunt quinque virtutes mentis in intellectu Mariano; admittendae tamen sunt. *Num.* 1064.
Maria sub Spiritus sancti magisterio edocta in omnibus scientiis. *Num.* 1065.
— Grammatices peritissima. *Num.* 1066.
— Rhetorices arte floruit. *Num.* 1068.
— In cantico *Magnificat* emicant eloquentiae tropi ac figurae. *Num.* 1069.
— Verbis suis tanquam funiculis aureis auditores alliciebat. *Num.* 1068.
— Poesis et musices gnara fuit. *Num.* 1072.
— Canticum *Magnificat* carmine composuit. *N.* 1074.
— Dialecticam apprime calluit. *Num.* 1075.
— Tum et universam philosophiam. *Num.* 1077.
— Historiam naturalem intimius penetrabat. *Numero* 1078.
— Medicinam illustrem philosophiae partem rite percalluit. *Num.* 1079.
— Nec magiae naturalis ignara fuit. *Num.* 1080.
— Metaphysica etiam praedita fuit. *Num.* 1081.
— Omnium mathematicarum scientiarum cognitione perfectissima polluit. *Num.* 1083.
— Utriusque iuris peritissima. *Num.* 1084.
— Advocata curialissima pro nobis sollicite suum munus obit. *Num.* 1085.
— Artis oeconomicae quae omnibus foeminis absolutissima exstitit. *Num.* 1086.
— Floruit Theologia scholastica. *Num.* 1091.
— Sapientissimos quosque Theologos cognitione superavit. 1092.
— Sacrarum literarum intelligentia ipsos sacros scriptores antecelluit. *Num.* 1094.
— Theologiam, quam dicimus moralem, optime calluit. *Num.* 1095.
Mariana scientia super omnes prophetas extollitur. *Numero* 1096.
Maria ceu sacer scriptor ab Spiritu sancto edocta fuit. *Num.* 1097.
Maria Gymnasium a Deo structum ad omnem politiorem eruditionem. *Ibidem.*
— Quomodo Iesus infans sub Mariae disciplina versatus fuerit. *Num.* 1098.
— Si certo constaret epistolam aliquam esse B. Virginis, tanquam scriptura canonica ab Ecclesia reciperetur. *Num.* 1099.
— Quae protulit verba Maria in Evangelio, et de fide est ea esse Mariae, et fide etiam tenenda quasi ab Spiritu sancto dictata. *Ibidem.*

Maria gymnasium supremum, in quo Apostoli politiori eruditione perpoliti sunt. *Num.* 1100.
Maria sola plus de nobis benemerita, quam omnes Doctores. *Ibidem.*
Maria dormiens plus divinioris sapientiae hauriebat, quam alii vigiles. *Num.* 1101.
— Sine labore et taedio se in ipsis scientiis exercebat. *Num.* 1102.
— Nec scientiarum oblivisci poterat, nec illas deperdere. *Num.* 1102.
Maria habuit triplicatas species eorundem obiectorum materialium. *Num.* 1105.
Maria nullam passa fuit deceptionem. *Num.* 1108.
— Nec decepta fuit, cum Filium existimavit fuisse in comitatu. *Num.* 1110.
Maria nihil ab hominibus didicit. *Num.* 1111.
— Neque ab Angelis didicisse putant aliqui. *Numero* 1114.
Maria fidelium omnium doctrix proclamatur. *N.* 1115.
— Non praefuit primo Apostolorum concilio. *Numero* 1117.
Maria varias scripsit epistolas. *Num.* 1118.
— Praeficitur ab Spiritu sancto Vicaria et magistra universalis omnium Doctorum *Num.* 1115.
— Est totius sapientiae domus. *Ibidem.*
— Doctorum laureola insignita fuit. *Num.* 1120.
Maria Doctorum linguas et calamos movet, quibus errorum et vitiorum monstra debellat. *Num.* 1121.
Maria sub lunae typo omnem proculcat haereticam pravitatem. *Num.* 1123.
Maria cedria nuncupatur, quae a tineis errorum conservat Scripturam sacram. *Num.* 1124.
Maria novus Bellerophon in chimaeram. *Num.* 1126.
Mariae magisterium qui frequentat, et citius et doctior evadet, quam qui Dei magisterium adit. *Num.* 1131.
Mariae magisterio qui se dedunt, terrenorum affectuum calceamenta deponant. *Num.* 1132.
Maria fons lucis visum restituens. *Num.* 1132.
Maria omnes Angelos scientia et sapientia superat. *Numero* 1135.
Maria fixis oculis intuetur Solem infiniti luminis, cuius splendore Angeli perstringuntur. *Ibidem.*
— Daemones si luce Mariana perfundi possent, quodammodo caecitatis tenebras exuerent. *N.* 1138.
Maria singula hominum individua coniunctim sumpta sapientia antecelluit. *Num.* 1139.
— Reliquorum omnium sapientia si cum Mariana conferatur, esuries est et sitis. *Ibidem.*
— Una Maria doctior omni rationali creatura, sive angelica, sive humana. *Num.* 1140.
— A Maria omnes Doctores et scriptores suam omnem scientiam mutuati sunt. *Num.* 1141.
Maria oliva speciosa, ex qua oleum et lumen accipiunt universi Doctores. *Ibidem.*
Mariae scientiarum praesidi meliori iure templum exstruendum ex apum cera, volucrumque pennis quam olim Apollini. *Num.* 1142.
Mariae labia favus, quia mel exhibet ad condiendum, ceram ad illuminandum. *Ibidem.*
Maria Apostolorum scholae a Filio praeficitur. *N.* 1821.
Maria ductrice, vera sapientia invenitur. *Num.* 66.
Maria omnia scientiarum Dei promptuaria dicitur exhausisse. *Num.* 955.

Mariae gratia

Mariae immensus gratiae cumulus declaratur. *N.* 1147.
Mariae gratia saltem in termino viae, Angelorum et hominum gratiam superavit. *Num.* 1151.
— Tum ex titulo mediatricis. *Num.* 1152.
— Tum ex titulo potentioris virtutis ad impetrandum apud Deum. *Num.* 1153.
— Tum ex actu, quo Filium suum morti obtulit pro mundi salute. *Num.* 1154.
Marianae gratiae typus fuit manna. *Num.* 1155.
— In una Maria universus pulvis pigmentarius gratiarum omnium creaturarum congestus. *Numero* 1156.
— Totus fons meritorum Christi prius in paradisum Mariae effusus. *Num.* 1157.
— Frequentius gratiam ex opere operato recepit extra Sacramenta. *Num.* 1164 *et deinceps.*
Mariae gratiam infinitam fuisse quispiam suspicari posset. *Num.* 1167.
— Cui suspicioni subsidiari videntur Patrum locutiones. *Ibidem.*
— Binis manibus quasi occupatur Deus in exornanda Maria. *Num.* 1168.
— Est quasi circulus carens initio et fine. *N.* 1169.
Marianae gratiae infinitudo aucupari potest ex eo, quod ad Deitatis fines oppansa est. *Ibidem.*
— Longe maius est, Verbum Dei concessum fuisse Mariae, quam gratiae infinitudinem. *N.* 1170.
Maria forsan obtinuit aliam gratiam specie distinctam a nostra. *Num.* 1179 *et deinceps.*
Mariana gratia quo sensu dicatur miraculum. *N.* 1180.
— Error est et temeritas asserere, aliquem sanctum pervenisse ad cumulum gratiae Marianae. *Numero* 1182.
Mariana gratia nunquam nutavit, semper stabilis ac constans. *Num.* 1184.
Maria viatrix ea confirmatione in gratia praedita fuit, qua Beati gaudent in coelo. *Num.* 1185.
Mariam semel acceptam gratiam nunquam amisisse, est fide divina credendum. *Ibidem.*

Mariae aliae gratiae et dona

Maria non indiguit gratia excitante ad eliciendos virtutum actus, iuxta aliquos Doctores. *Num.* 1335.
— Plures gratiae excitantes in Maria erant specie distinctae a nostris. *Num.* 1337.
— Nulla fuit in Maria gratia excitans sufficiens et inefficax, sed omnes fuerunt efficaces. *N.* 1338.
— Ab instanti conceptionis usque ad vitae finem, omni vi et conatu potentiarum et gratiae operata fuit. *Num.* 949.
Maria maximam quam potuit gratiam physice consequi, adepta fuit. *Num.* 950.
Maria praedita fuit omni gratia gratis data, eamque tres Charites exornant. *Num.* 1339.
Maria linguarum donum obtinuit. *Num.* 1340.
Maria quo sensu dicatur supplementum prophetiae. *Num.* 1343.
— Vocatur evangelista ante alios. *Ibidem.*
— Est vera prophetissa, nec errare poterat in his, in quibus alios erudiebat. *Num.* 1345.
Maria Filii arcana penetrabat. *Ibidem.*
— Scit diem iudicii, et numerum salvandorum. *Numero* 1346.
— In Maria omnia Spiritus s. dona resederunt. *Numero* 1349.
— Donum etiam timoris multipliciter resedit in Maria. *Num.* 1350.
— Timor servilis longe a Maria ablegandus. *N.* 1351.
Maria ex timore Dei fabrefecit scutum inexpugnabile. *Num.* 1353.
— Septem Spiritus sancti dona septem fuerunt columnae firmissimae in Maria. *Num.* 1354.
Maria in se omnes fructus Spiritus s. continuit. *N.* 1355.
— Tum et Beatitudines. *Num.* 1356.

Mariae meritum in ordine ad se

Maria meruit accelerationem Dominicae anastasis. *Numero* 79.
— Imo et ipsam Christi anastasim quoad substantiam. *Num.* 80.
Maria in somno libertate et merito non caruit. *N.* 1681.
Maria Ecclesiae cor, quod, reliquis membris dormientibus, semper vigilat. *Num.* 1682.
Maria cur dicatur diutius vixisse, quam plurimi mortales. *Num.* 1683.
Maria per singulos actus, quos vivens exercuit, meritum auxit. *Num.* 1685.
Maria nullum actum habuit indifferentem in individuo. *Num.* 1685.
— Neque actum indeliberatum exercuit. *N.* 1686.
Maria omni tempore flores et fructus proferebat. *Numero* 1686.
Maria nunquam operata fuit solum ex motivo naturali. *Ibidem.*
— Singulis actibus novum gratiae augmentum promeruit. *Num.* 1689.
— A principio Conceptionis sine ulla intermissione meritum continuavit. *Num.* 1690.
Maria instar navis, quae die noctuque secundis ventis enavigat. *Num.* 1690.
Maria meruit Maternitatem Dei de condigno. *N.* 1695.
Maria de facto meruit aliud praemium condigne praeter augmentum gratiae et gloriae. *Num.* 1697.
Maria potuit a Deo eligi in Matrem ex praevisis ipsius meritis. *Num.* 1700.
Maria fuit ab aeterno electa ad tantam gratiam et gloriam ante eius merita praevisa. *Ibidem.*
— Nec de congruo suam electionem ad Maternitatem Dei promeruit. *Ibidem.*
Maria de condigno promeruit incarnationis accelerationem. *Num.* 1701.
— Tum et circumstantias Incarnationis. *Num.* 1706.
Maria licet meruerit Maternitatem Dei, non tamen unionem hypostaticam, vel Incarnationem quoad substantiam. *Num.* 1708.
Mariam meruisse Incarnationem condigne, erroris seu temeritatis nota inuritur ab aliquibus. *Num.* 1709.
Maria meruit, ut ex materia sui corporis formaretur Christus. *Ibidem.*
Maria non meruit primam gratiam. 1710.
— Bene vero in instanti sui conceptus promeruit gloriam. *Ibidem.*
Maria precibus suis gloriam sui corporis maturavit. *Num.* 1711.
Maria tanquam solitudo invia et inaccessa hominibus et Angelis propter meritorum altitudinem. *Num.* 1161.
Maria post Incarnationem non amplius potuisse mereri opinantur aliqui. Sed oppositum est verissimum. *Numero* 1174.

Mariae meritum in ordine ad nos

Maria impetravit nobis peccati originalis expiationem. *Num.* 1713.
Maria nobis de congruo promeruit omnis peccati actualis et originalis remissionem. *Num.* 1714.
Maria omnibus hominibus de congruo gloriam promeruit. *Num.* 1715.
Maria non solum nobis, sed etiam his, qui eam praecesserunt, meruit de congruo. *Num.* 1716.
Maria arbor vitae, de cuius vicinitate reliquae hominum arbores florent ac fructus afferunt. *Num.* 1715.
Maria meruit nobis auxilia omnia ad iustificationem conducentia. *Num.* 1718.
Maria potentior ad bona in nos invehenda, quam Adam ad mala inferenda. *Ibidem.*
Maria omnibus quoad sufficientiam meruit omnia dona gratiae; electis autem quoad efficaciam specialia auxilia. *Num.* 1719.
— Tum et permanentiam et conservationem in gratia. *Num.* 1720.
Maria nobis impetrat singulare perseverantiae donum. *Num.* 1721.
— Peccatorum etiam venialium remissionem. *Ibid.*
— Nihil gratiae a Deo in nos derivatur, nisi per merita Mariae. *Num.* 1725.
— Sublunaria a sole et luna incrementa suscipiunt: sic nos a Maria caelestes influxus haurimus. *Ibidem.*
Maria chirographum Dei sigillo munitum, quo veniam peccatorum et omne bonum consequimur. *Ibidem.*
Maria dici potest causa meritoria nostrae praedestinationis. *Num.* 1731.
Maria meruit horum praedestinationem prae aliis, pro quibus etiam omnino liberaliter sua merita applicuit. *Num.* 1735.
— Adeoque in momento conceptionis novit Angelos, et omnes homines qui futuri erant. *N.* 1737.
Maria potuit condigne mereri iustis gratiae sanctificantis augmentum. *Num.* 1741.
— Potuit etiam mereri gratiam sanctificantem peccatori. *Num.* 1742.
— Tum et condigne remissionem peccati. *N.* 1743.
— Non tamen potuit satisfacere condigne pro peccatis. *Ibidem.*

Marianae orationis efficacia

Maria nunquam orationis actum interrupit. *Num.* 784.
Maria omnium Sanctorum phalanges viribus ac potentia orationis antecellit. *Num.* 931.
Mariae illustres divinarum rerum visiones, et raptus plus silentio adorandae, quam lingua explicandae. *Num.* 1269.
— Aliquas sibi speciales Spiritus sancti missiones accepit. *Num.* 1270.
Mariae apparitionem a Christo factam post suam Anastasim denegare, plusquam temerarium. *Num.* 1271.
Maria iugi contemplationi et amori Dei intenta, non indigebat novitus excitari. *Ibidem.*
Maria duplicis spei obiectum esse potest. *Num.* 1760.
Marianae orationis efficacia confertur cum potentia orationis Christi Domini. *Num.* 1761.
Mariae oratio et Dei oculos contegit vitta, et sicut funiculus manus eius alligat, ne sceleratos videat et puniat. *Ibidem.*
Maria in coelis residens imploranda a Christi fidelibus. *Num.* 1757.
— Orat oratione expressa et formali. *Ibidem.*
Mariae preces sunt munitae satellitibus, ut Deum teneant, ne peccatores puniat. *Num.* 1762.
Mariae oratio potentior orationibus totius curiae coelestis. *Ibidem.*
— Nullo intercessore indiget apud Deum, ut, quod petit, extorqueat. *Ibidem.*
Mariam adeat qui brevi cupit petita nancisci. *N.* 1764.
Marianae orationis potentia exprimatur. *Num.* 1765.
Mariae precibus excitatus Deus Filium suum mundo devovit. *Ibidem.*
Mariae oratio castrorum acies ordinata ad debellandos Daemones. *Num.* 1767.
— Quo sensu dicatur nostrae salutis causa et reparatrix. *Num.* 1772.
— Tum et humani generis corredemptrix. *N.* 1773.

Mariae raptus et ecstases nec libertatem adimebant, nec meritum intercipiebant. *Num.* 1278.

Mariae virtutes

Mariae fides coelorum sedes instauravit. *Num.* 1201.
Maria est sceptrum fidei. *Ibidem et* 1454.
Mariae fides inconcussa innuitur per cereum accensum in triduo mortis Christi. *Num.* 1202.
Mariana fides omni alia fide praestantior. *Num.* 1203.
— Transtulit montem Verbi divini in mare Mariae. *Ibidem.*
Mariae fides cum osse confertur, et quare? *Ibidem.*
Maria dicitur Auris Dei. *Num.* 1204.
— Nisi interveniat Maria, Deus obsurdescit nostris precibus. *Ibidem.*
Maria quo sensu dicatur caput credentium. *Num.* 1205.
Maria virtute spei praedita fuit. *Num.* 1208.
— Et modo etiam in patria. *Num.* 1209.
Maria quo sensu dicatur Mater spei nostrae. *N.* 1211.
Mariani amoris immensitas erga Christum ex quibus capitibus desumenda. *Num.* 1212.
Maria amoris praeceptum quoad omnes circumstantias perfectissime adimplevit. *Num.* 1213.
— Una Maria plus diligebat Deum, quam omnes homines et Angeli simul sumpti. *N.* 1214.
— Ipsius actus amoris in numero conferri possunt cum actibus Sanctorum omnium. *Ibidem.*
Mariae amor fortior morte, haec avulsit animam Christi ab ipsius corpore, non autem potuit avellere a Iesu animam Mariae. *Num.* 1214.
Mariae viatricis amor intensior, quam amor in Beatis. *Num.* 1215.
Maria praeter amorem theologicum, amore etiam intensissimo naturali per accidens infuso in Deum iugiter ferebatur. *Num.* 1216.
Maria nunquam ab aliquo actu amoris naturalis in Deum feriata est. *Num.* 1219.
Mariam amoris telo sauciam vitam finiisse plures sentiunt. *Num.* 1220.
Mariam nulla alia mors deceret, quam a iaculo divini amoris orta. *Ibidem.*
Mariam terebravit amor tanquam gladius acutus. *Numero* 1222.
Maria regio amoris sigillo signata, ne morbus aliquis illam adoriretur, sed solum amoris ictu succumberet. *Ibidem.*
— Sicut virgula fumi ex aromatibus coelos conscendit, quia prius amoris igne combusta. *Ibidem.*
Maria medicato amoris phyltro emortua iuxta aliquos. *Num.* 1224.
Maria religionis virtute longe omnes excelluit. *Numero* 1225.
Mariae prudentia praedicatur. *Num.* 1227.
— Cauta et circumspecta ad sceptrum vocata respondere cunctatur. *Ibidem.*
Maria prudentiae bolide rerum profunditatem explorabat. *Num.* 1228.
— Septies locuta apud Evangelistas legitur. *Numero* 1229.
— Verba sua instar auri considerationis statera ponderabat. *Ibidem.*
Maria iustitiae virtute omnes creaturas antecelluit. *Numero* 1231.
Maria cedrus, quae nec senium, nec tineam, nec cariem experta est. *Num.* 1232.
Maria temperantiae amans, ne quidquam mellis adolevit in sacrificio. *Ibidem.*
Mariae paradisus floridior nequivit absque temperantia dedicari. *Ibidem.*
Mariae commiseratio in omnes diffunditur. *Num.* 1261.
— Etiam in spatia imaginaria protenditur. 1262.
— Commiseratio haec venit in partem gloriae Mariae. *Ibidem.*
— Deliciae et bellaria Mariae sunt hominibus adfavere. *Ibidem.*
— Omnia misericordiae opera saepius exercuit. *Numero* 1263.
— Famelicos saturat, sitientes potu exhilarat ac recreat. *Num.* 1264.
Maria fons vivus perennantia aquarum fluenta diffundens. *Ibidem.*
— Nudos operit. *Num.* 1265.
— Solabatur tristes, aegrotantibus inserviebat. *Ibid.*
— Captivos redimit. *Num.* 1266.
Maria fons ille paradisiacus misericordiae suae fluenta in universam terram derivans. *Num.* 1778.
Maria erga Filium misericordiae opera exercuit. *Ibid.*
Mariana obsequia in Filium praestita superant dona Dei in humanum genus collata. *Num.* 1267.
Maria ad aequalitatem et ultra, pro beneficiis a Deo in nos collatis cumulate satisfecit. *Ibidem.*
Mariae gratitudo omnia dona in unum Deum refert. *Num.* 1281.
Maria collata sibi a Deo beneficia in anima insculpsit, ut gratitudo aeternum duraret. *Num.* 1283.
Mariana mititas commendatur. *Num.* 1288.
Mariana mititas quomodo infinitam Dei misericordiam adauxit? *Num.* 1289.
Mariam non dedecuit eutrapeliae virtus et lusitationes modestae cum Filio. *Num.* 1302.
— In Maria virtus poenitentiae sedem habet. *Numero* 1329.
— Eiusdem speciei cum nostra. *Num.* 1330.
Maria poenitentiae Magistra. Actus exercuit externos poenitentiae. Seipsam ablactavit. *Num.* 1331.
Maria non invenitur in terra delicate viventium. *Ibid.*
Mariae virginitas in conceptu, fide catholica tenenda. *Num.* 1411.
— Eademque fide credenda virginitas in partu. *Numero* 1412.
— Perpetua Mariae virginitas fide catholica stabilitur. *Num.* 1416.
Marianae virginitatis pro omni differentia temporis clarissimum symbolum in Apocalypsi. *Num.* 1419.
Mariae perpetua virginitas explicite ab omnibus credenda. *Num.* 1421.
Maria caeteris paribus, potius eligeret Maternitatem Dei, quam virginitatem. *Num.* 1423.
— Reliqua quae pertinent ad virginitatem (Vide verbo, *Mariae Annunciatio;* tum et *Mariae Praesentatio*, ubi etiam reperies plura de obedientia et paupertate Mariae).
Maria per consensum ad generationem Christi, ad summum castitatis apicem pervenit. *Num.* 1786.

Mariae Imperium

Maria est vere et proprie Regina ac domina universi. *Num.* 1643.
Maria omnium creaturarum dominium obtinet ex officio Corredemptricis. *Num.* 1645.
Maria ex dono iustitiae originalis omnium creaturarum dominium habet. *Num.* 1646.
— Ab instanti suae conceptionis hoc imperium nacta fuit. *Num.* 1647.
Mariae res omnes certatim inservire ambiunt. *N.* 1648.
Maria nacta est etiam imperium et dominium in omnia bona supernaturalia. *Num.* 1651.
Maria in daemones suum protendit imperium. *N.* 1652.

Maria ab intrinseco tentari non potuit. *Num.* 1655.
— Ab extrinseco tentatam fuisse affirmant aliqui. *Ibidem.*
Maria nulla prava suggestione a Daemone tacta fuit. *Num.* 1656.
Mariae virginitas daemonibus exosa. *Num.* 1659.
Maria rebellionem significat, quia in daemonum imperium rebellavit. *Ibidem.*
Maria quasi Panoplia, hoc est omni armorum genere Christum induit. *Num.* 1660.
Maria Olympi cacumen, ubi nec venti, nec imbres daemonum pertingunt. *Num.* 1661.
Maria in inferna loca suum protendit imperium. *Numero* 1663.
Maria purgatrices animarum flammas attemperat. *Numero* 1666.
— Praesidet aquis inferioribus Purgatorii. *N.* 1667.
Maria habuit in Christum patriam potestatem. 1668.
Maria nullo modo dici potest Christi serva. 1671.
Maria aureum habet Dei sigillum, ne quid nobis Deus triste decernat sine ipsa. *Num.* 1727.

Mariae oppositio cum peccato

Mariam ab omni peccato actuali, etiam veniali, immunem fuisse, est ab Ecclesia definitum. *Num.* 877.
Mariam peccati venialis ream faciunt haeretici Scripturae locis. *Num.* 878.
— Aliqua Patrum testimonia producuntur, quae nonnihil haereticis favere videntur. *Num.* 879.
— Chrysostomus clarius in hanc sententiam propendet, in quo excessit iuxta D. Thomam. *N.* 880.
— Loca sacrae Scripturae in bonum sensum accipiuntur, quae ab haereticis proferebantur. *Numero* 882.
— Statuitur vera sententia, quae B. Virginem ab omni levi culpa immunem facit. *Num.* 883.
Maria licite ac sancte consensit in circumcisionem Christi infantis. *Num.* 886.
Mariam in die iudicii ad examen vocandam, quinam Patres censeant. *Num.* 887.
Maria nullum discussionis iudicium subitura est in extremo iudicio. *Num.* 893.
— Imo assessura est Christo, ut iudicet simul cum Christo in extremo iudicio. *Ibidem.*
Maria fuit impeccabilis iuxta aliquos, quia ablata fuit ei potestas peccandi. *Num.* 1191.
Maria ideo impeccabilis iuxta Herice, quia Deus suspendebat concursum ad peccandum. *Num.* 1192.
— Impeccabilitas orta ex denegatione concursus generalis ad peccandum, deneganda est Mariae: tum et omnis impeccabilitas antecedens tollens libertatem. *Num.* 1195.
Maria habuit moralem impotentiam ad peccandum. *Numero* 1196.
Maria fuit formaliter immunis ab omni culpa, quia actum ferventissimum amoris in Deum nunquam interrupit. *Num.* 1198.

Mariae Nobilitas

Maria cum tribu regia Iuda, et cum tribu Levi sacerdotali consanguinitatem contraxit. *Num.* 911.
— In Mariam haereditario iure devolvitur regnum Israel. *Num.* 906.
Maria omnium foeminarum nobilissima secundum originem. *Num.* 912.
Maria omnium nobilissima sive ab antiquitate, sive a religione, sive a sapientia, sive ab imperio et rebus gestis maiorum splendorem depromas. *Num.* 913.
Mariae nobilitas recte per Mulierem sole amictam pedibus terentem lunam, ac stellis redimitam adumbratur. *Num.* 914.
Maria reapse sibi arrogat eam nobilitatem, quam ethnici ementitis catalogis sibi adsciscebant. *Num.* 917.
Maria unigenita decantatur ab Sponso, Cant. c. 6. *Numero* 926.
Maria primogenitorum iuribus ac privilegiis gavisa fuit. *Num.* 931.
— Unde tanquam primogenita tenetur nobis fratribus minoribus alimenta praebere. *Num.* 932.
Mariae claves coeli committuntur, cum Deus claves sibi inferni reservet. *Num.* 933.

Maria in ordine ad Eucharistiam et reliqua sacramenta.

Maria ab arbore vitae Christo suam immortalitatem hausit. *Num.* 858.
Maria tremit et turbatur, quia Verbum divinum in suis visceribus est susceptura. *Num.* 888.
Maria sponsa cum Sole Christo quasi fusca conspiciebatur. *Num.* 889.
Maria ex arbore vitae, nempe Christo, sata in suis visceribus deprompsit vitae perennitatem. *Num.* 1223.
Maria in Eucharistia vera hominum nutrix, ubi mammilla regia lactamur. *Num.* 1476.
Maria nobis est Diarium vitae in Eucharistia. *N.* 1477.
Maria nocte coenae, et aliae piae foeminae illius comites Eucharistia pastae sunt. *Num.* 1479 *et* 1487.
Maria quotidie ad sacram accedebat Eucharistiam. *Numero* 1487.
Maria nunc in coelis agens summa adoratione Eucharistiam colit. *Ibidem.*
Maria trepidat, dum in se Verbum Patris suscipit. *Numero* 1488.
Maria per singula vitae suae momenta spiritualiter Eucharistia reficiebatur. *Num.* 1490.
— Haec spiritualis sumptio Eucharistiae gratiam ex opere operato conferebat, iuxta Gersonem. *Ibid.*
— Eucharistiae sumptio reddidit corpus Marianum immortale. *Num.* 1491.
Maria ex Eucharistia viridem iuventam hausit. *Ibidem.*
Maria recepit sacramentum Confirmationis in die Pentecostes. *Num.* 1462.
Maria recepit sacramentum Extremae-Unctionis. *Numero* 1465.
Mariam solitam confiteri apud D. Ioannem Evangelistam, quinam adstruant. *Num.* 1466.
Maria nunquam sacramentum Poenitentiae suscepit. *Num.* 1467.
— Sacramentum Poenitentiae in Maria fuisse alterius naturae omnino commentitium est. *Ibidem.*
Maria nec sacramentum Ordinis, neque eius characterem suscepit. *Num.* 1469.
Mariae infuit quasi sacerdotale munus conficiendi aliquando corpus Christi per operatoria verba. *N.* 1468.
Maria impertitur omnem gratiam, quam septem Sacramenta conferunt. *Num.* 1450.
Maria sacramentum legis naturae suscepit, pro delendo originali in aliis puellis institutum. *Num.* 1452.

Maria in ordine ad Trinitatem

Maria est Officina totius Trinitatis. *Num.* 1780.
Maria dicitur Trinitatis Complementum, quia complet ac perficit Paternitatem, Filiationem ac nexum utriusque. *Num.* 1782.
— Tum quia complet ac perficit quoad nos Trinitatis cognitionem. *Ibidem.*

Maria Trinitatem complevit, quia in ipsa attributa divina vim suam exercuerunt. *Ibidem.*
Maria complet etiam Trinitatem in ratione communicationis. *Num.* 1783.
Maria cum tribus Personis concurrit ad compingendum — Christum, complevitque opus Trinitatis. *N.* 1784.
Maria sola fuit opus Dei Trini *ut sic. Ibidem.*
Maria quasi Omnipotentiam Patris ebibit. *Num.* 1790.
— Eminentias Filii sibi etiam arrogat. *Num.* 1791.
Maria est Filia Dei Patris arctiori vinculo quam adoptionis. *Ibidem.*
Maria dicitur Nurus Patris aeterni. *Num.* 1792.
Maria titulo Maternitatis Dei, est Filia adoptiva Dei nobiliori modo, quam reliqui iusti. *Num.* 1793.
Maria dicitur ex mente Patris aeterni progenita. *Ibid.*
Maria proprietates Spiritus sancti aemulatur, eiusque sitim ac appetitum infinitum se communicandi, sedat. *Num.* 1794.
Maria intra Trinitatis secessum adstat; Angeli vero pro foribus solum Trinitatis. *Num.* 1599.

Maria in ordine ad Angelos

Mariam Angelum custodem habuisse Gabrielem plures affirmant. *Num.* 1515.
Maria plures habuit Angelos in suum obsequium. *Numero* 1516.
— Non vero eguit Angelo custode ad fraenandas Daemonum suggestiones. *Ibidem.*
— Neque ut ipsius preces et vota Deo offerret. *Numero* 1517.
— Angelus aliquis destinatus fuit Mariae, qui munus famuli a secretis obiret. *Num.* 1518.
Maria Filii sui brachio innixa, nullius Angeli ope et custodia indigebat. *Num.* 1517.
Maria meruit de congruo Angelis omnem gratiam, auxilia, praedestinationem et gloriam. *Num.* 1524.
Maria scala Jacob, per quam Angeli ascendunt in coelum, ac Daemones in tartara praecipites aguntur. *Num.* 1526.
Maria internam salutantis Gabrielis substantiam mentis oculis introspexit, eiusdemque nomen rite calluit, ac Divo Lucae patefecit. *Num.* 1531.
Maria trepidat ac turbatur ad conspectum Angeli in specie viri. *Num.* 1533.
Maria nunquam dubitavit, an Angelus Gabriel esset a coelo missus. *Num.* 1534.

Mariae cultus, adoratio ac laudes debitae

Maria aliquo religionis cultu suspici et adorari debet. *Num.* 1846.
— A primo mundi exordio in coelis et in terris adorata fuit. *Ibidem.*
Maria triplicem continet adorationis rationem. *N.* 1847.
— Ob rationem contactus Christi etiam adorari potest; id tamen cavendum publica Ecclesiae adoratione. *Ibidem.*
— Ob Maternitatem Dei speciali cultu adoranda, ab aliis distincto. *Ibidem.*
— Adorari etiam debet alio titulo, nempe quia ad redemptionem nostram cooperata est. *Ibidem.*
Maria adorari potest privatim adoratione latriae respectivae. *Num.* 1848.
— Adoratio ratione Maternitatis Dei, differt ab Hyperduliae specie. *Ibidem.*
— Haec adoratio constituit propriam virtutem distinctam a reliquis. *Ibidem.*
Mariae nomen eodem cultu suspiciendum, ac ipsa B. Virgo. *Num.* 1850.
Maria laude, et honore sibi proprio, laudari ac celebrari debet. *Num.* 1845.
Maria laudem et gloriam sibi debitam a Deo petiit, et impetravit sine humilitatis dispendio. *Num.* 1844.
Maria non a regiis proavis, sed a Iesu omnem suum honorem auspicatur. *Num.* 1843.
Maria Apostolorum praeconium, et hymnus. *N.* 1822.
Maria illustre scriptorum argumentum. *Num.* 8.
Maria subornatur scriptorum monumentis in ipsius laudem editis. *Ibidem.*
Mariae laudes magna vocis contentione, ingentique affectu sunt evulgandae. *Num.* 11.
Maria immensus oceanus, qui nequeat ullius mentis bolide dimetiri. *Num* 12.
Marianorum privilegiorum scriptor terrenos exuat affectus. *Num.* 13.
Marianae laudes non sunt ex locis communibus depromendae. *Ibidem.*
Marianae laudes petunt labia divinitus perpurgata. *Numero* 14, 16 *et* 1308.
Marianae laudes apud Evangelistas ideo diminutae, ne ansa praeberetur, eam tanquam Deum colendi, vel quia verbis explicari nequeunt. *Num.* 15.
Maria se totam laudibus Deiparae devovere satagebat. *Num.* 24.

Mariae munificentia

Maria tanquam Cedrus scriptorum suorum codices ab omni invidorum tinea immunes servat. *Num.* 25.
Maria priora beneficia in nos gratos praestita cumulatioribus donis auget. *Num.* 27.
Maria obsequia in se praestita reciproca muneratione rependit. *Num.* 28.
Mariae effusa liberalitas ultra postulata, est proprium ipsius stemma. *Num.* 29.
Maria vicissim illustrat scriptorem Mariana privilegia elucidantem. *Num.* 30 *et* 31.
— Per Mariam novi scientiarum auctus fiunt. *N.* 32.
Mariae clientes et alumni ex infantili balbutie ad robustorum perfectionem transeunt, Virgineo ubere pasti. *Num.* 33.
Maria tanquam sphaera coelestis influxus in nos effundit. *Num.* 35.
Maria nubes, quae nives influit, quibus tartareum incendium extinguit. *Num.* 36.

Mariae Pulcritudo

Maria omnem corporis pulcritudinem pedibus terit et proculcat. *Num.* 723.
Maria pulcritudine reliquas omnes creaturas excelluit. *Num.* 725.
Maria omnium pulcritudinum splendorem in se cohibet. *Num.* 730.
Maria fortis illa virago salomonica, quae Deum subegit pulcritudine sua. *Num.* 733.
Mariana pulcritudo ea fuit, ut Deus quasi iactantiae discrimen subire posset de hoc opere suo adeo eleganti. *Ibidem.*
Maria post Christum omnium individuorum humanae naturae pulcherrima. *Num.* 739.

Reliqua quae pertinent ad Mariam

Maria est miraculorum et operum Christi Prooemium. *Num.* 1.
Maria ductrice et commilitone, omne bellum aggrediendum. *Num.* 4.
Maria splendet perfectionibus omnium creaturarum. *Num.* 38.

Maria chlamyde versicolori circumamicitur, id est multiplici gratia, ac privilegiis in dies novitus splendet per novas recentiorum sententias. *Num.* 47.
Maria sapientium thesaurus, de quo scriba doctus nova et vetera in lucem profert. *Num.* 57.
Maria novitatum thesaurus. *Ibidem.*
Maria praeeunte, omnes alliciuntur ad currendum per virtutis semitam. *Num.* 121.
Maria abacus Dei, ubi omnipotentia maiestatem suam ostentat. *Num.* 141.
Maria nunquam ullo morbo laboravit. *Num.* 696.
Mariae corpus pollebat virtutibus et qualitatibus ad miros effectus. *Num.* 713.
Maria quasi impassibilitatis dono potita in hac vita mortali. *Num.* 745.
Maria in partu Virgo permanens, quasi impassibilitatis et immortalitatis privilegium obtinet. *Ibidem.*
Maria vestibus nudata nullam verecundiam pateretur in ordine ad se, quia innocentiae theristro florebat. *Numero* 793.
Maria titulo iustitiae tenetur gratiam a nobis deperditam, ab ipsa inventam restituere. *Num.* 822.
Maria in partu suo omni dolore ac fastidio caruit. *Numero* 830.
Maria potiori iure dolores in partu mutavit in risum et gaudium, quam Sara. *Num* 832.
Maria, si ante Christum e vivis decederet, statim ex dispensatione coelos conscenderet. *Num.* 850.
Maria adhuc in triduo mortis Christi fuit vera Dei Mater. *Num.* 1578.
Maria in triduo non fuit Mater Christi hominis. *Numero* 1579.
— In patria modo physice et moraliter eandem Matris Dei et Christi dignitatem obtinet. *Num.* 1580 *et* 1628.
Maria hortus et paradisus est, ut perennitas fructus ventris sui demonstretur. *Num.* 1580.
Maria quo sensu dicatur lucerna lucens et ardens a seipsa. *Num.* 1610.
Maria in triduo mortis Christi, adoranda erat hyperduliae cultu. *Num.* 1628.
Maria cum gaudeat infinita sanctitate *secundum quid*, cur non possit condigne satisfacere pro peccato, cuius gravitas offensae solum est infinita *secundum quid*. *Num.* 1631.
Maria per Maternitatem Dei utrum sit condigna praemio infinito. *Num.* 1632.
Maria praeter gratiam Maternitatis Dei, habuit etiam gratiam habitualem, et quare? *Num.* 1636.
Maria aptius, quam D. Paulus affirmare potuit: *Adimpleo quae desunt passioni Christi*. *Num.* 1728.
Maria potest pro Deo fideiussionem sufficientem exhibere. *Num.* 1745.
Maria potuit aliquo modo condigne satisfacere pro alieno peccato. *Num.* 1748.
— Non vero potuit condigne omnino perfecte satisfacere pro alieno peccato. *Ibidem.*
Mariae et Christi cor idem, eademque voluntas. *Numero* 1766.
Maria in quadruplici genere causae, reparationem universi operata fuit. *Num.* 1779.
Maria heliotropion solis Christi radios ac gressus semper insecuta fuit. *Num.* 1043.
Maria, virga adsportanda a concionatoribus Evangelicis, ut nihil desit in via. *Num.* 1134.
Maria discordiarum peremptrix. *N.* 1357 *et deinceps.*
Maria doloris gladio transfoditur prius, ut ad osculum Sponsi perveniat. *Num.* 1359.
Maria ager est: illum emat, qui thesaurum Christi aeternum possidere avet. *Num.* 1380.
Maria coeli fenestra ad lucem et ad ingressum, cum ostium occluditur. *Num.* 1381.
Maria est quasi altera sacra Scriptura non emortua, sed vivida. *Num.* 1819.
Maria maximum in Hispanos amoris argumentum exhibuit. *Num.* 1844.
Mariam in hac vita simul fuisse viatricem ac beatam, quinam affirment. *Num.* 1852.
Mariae beatitudo in conceptu suo omnium Angelorum beatitudinem superabat. *Num.* 1853.
Maria quia clara Dei visione potita, longe a Daemonum insultibus semota. *Num.* 1155.
Maria viatrix non semper fuit Beata, sive Comprehensor. *Num.* 1856.
Maria ab instanti Incarnationis usque ad vitae finem non semper vidit clare Deum. *Num.* 1861.
Maria aliquando in hac vita vidisse Deum, plures affirmant. *Num.* 1862.
— In puncto Incarnationis, et in partu docent aliqui. *Ibidem.*
— Hieronymus, sive Sophronius quotidie visione Dei potitam fuisse serio affirmat. *Ibidem.*
— In suo conceptu clare vidisse Deum, adstruunt plures ex iunioribus. *Num.* 1863.
Maria in primo suae Conceptionis instanti trinam sanctitatem nacta est. *Num.* 1865.
Maria ex quatuor lateribus sancta praedicatur. *Ibidem.*
Maria vidit aliquando in hac vita corpus Christi gloriosum, ut Petrus. *Ibidem.*
Mariam in sui conceptus momento gloria corporis fuisse potitam, omnino improbabile. *Ibidem.*
Maria in propria persona apparuit s. Ildephonso. *Numero* 1888.

Martyr — Martyrium

Martyr est ille computandus qui pro aliquo virtutis opere mortem subit. *Num.* 429.
Martyr verus existeret qui pro cultu immaculatae Conceptionis, et pro hac veritate edocenda ac tutanda, mortem oppeteret. *Num.* 431.
— Tum et ille, qui, ut defenderet veritatem speculativam immunitatis ab originali in Deipara, morti se obiiceret. *Num.* 433.
Martyr est, qui tormenta sustinet, mortem ex natura rei illatura, licet divinitus eximatur a morte. *Numero* 1252.
Martyrium reliquorum martyrum quasi nullum, si cum martyrio B. Virginis componatur. *Num.* 1253.
— De Martyrio B. Virginis (Vide verb. *Mariae dolores*).

Materfamilias

Materfamilias non semper orationi et Ecclesiae vacet, sed curis domesticis invigilet. *Num.* 1089.

Maternitas Dei

Maternitati Dei connaturaliter debebatur gratia, lumen gloriae ac visio beata. *Num.* 1600 *et deinceps.*
Maternitas Dei utrum sit condigna praemio infinito. *Numero* 1632.
Maternitas Dei praestantius bonum est, quam iustitia originalis. 472.
Maternitas Dei dignitas longe sublimior est, quam gratia accidentalis infinita. *Num.* 1171.
Maternitas Dei reddit potentias Mariae moraliter proportionatas ad actus infinite intensos eliciendos. *Numero* 1174.

Maternitas Dei praeferenda virginitati. *Num.* 1423.
Maternitas Dei maius bonum ratione finis, quam virginitas. *Num.* 1424.
Maternitas Dei eminentius continet quidquid boni continet virginitas. *Num.* 1425.
Maternitas Dei est infinita in genere aestimationis. *Numero* 1591.
Maternitatis Dei ea est sublimitas, ut, si fieri posset, ex ea Mariana animi demissio discrimen aliquod subiret. *Num.* 1593.
Maternitas Dei in radice maius bonum est gratia, charitate et beatitudine. *Num.* 1595.
Maternitas Dei est sublimior participatio divinae essentiae, quam reliqua gratiae dona. *Num.* 1596.
— Ac proinde est nobilior gratia et reliquis donis supernaturalibus; sicut forma nobilior est suis proprietatibus et dispositionibus. *Ibidem.*
Maternitas Dei ut arctius coniungit cum Deo, est perfectior Angelo et anima rationali. *Num.* 1596.
— Imo B. Virgo, qua Mater Dei, perfectior est qualibet substantia supernaturali creata producibili. *Ibidem.*
Maternitas Dei ad ordinem rerum supernaturalium spectat. *Num.* 1603.
Maternitatis Dei gratia est origo Dei-hominis; gratia vero habitualis solum est origo visionis beatificae. *Numero* 1604.
Maternitatis Dei gratia infinita praedicatur a Patribus. *Num.* 1606.
Maternitas Dei est forma sanctificans. *Ibidem.*
Maternitas naturalis in humanis est praestantior filiatione adoptiva; ergo Maternitas Dei naturalis erit praestantior filiatione adoptiva Dei. *Num.* 1607.
Maternitas Dei sibi deposcit observantiam hominis-Dei. *Num.* 1608.
Maternitas Dei maiorem valorem confert suis operibus, quam quaecunque gratia habitualis iustorum. *Ibid.*
— Per Maternitatem Dei B. Virgo, omni gratia habituali praecisa, hyperduliae cultu suspicitur. *Num.* 1609.
Maternitas Dei est unio intimius uniens Mariam cum Deo, quam gratia habitualis unit animam cum ipso Deo. *Num.* 1613.
Maternitas Dei participat attributa Dei Trini multo melius, quam gratia habitualis. *Ibidem.*
Maternitas Dei determinat B. Virginem ad operationes solum rectas. *Ibidem.*
Maternitas Dei constituit B. Virginem imaginem expressivam Divinitatis. *Num.* 1614.
Maternitas Dei connaturali exigentia sibi vendicat omnium habituum supernaturalium aggregationem. *Numero* 1615.
Maternitas Dei inducit mutuum benevolentiae amorem inter Deiparam et Filium. *Num.* 1616.
Maternitatis Dei titulo, seclusa gratia habituali, quidquid a Filio petit, impetrat B. Virgo. *Num.* 1617.
Maternitate Dei sola, B. Virgo gratior est Deo, et apud Deum potentior, quam omnes iusti cum gratia habituali. *Ibidem.*
Maternitati Dei maius ius ad gloriam competit, quam habituali gratiae. *Num.* 1618.
— Ob Maternitatem Dei ius ad gloriam habet Maria potius quam ob merita propria. *Ibidem.*
Maternitas Dei dicit oppositionem moralem ex natura rei cum peccato. *Num.* 1620.
— Per Maternitatem Dei adepta est Maria stabilitatem in gratia, quam Angeli adepti sunt ex visione Dei. *Num* 1620.
Maternitati Dei ex Alberto Magno maior sanctitas inest, quam gratiae habituali. *Num.* 1621.
Maternitas Dei maiorem oppositionem dicit cum peccato, quam gratia habitualis; haec siquidem reperitur cum veniali, non illa. *Num.* 1622.
Maternitas Dei sanctum reddit corpus Marianum, seclusa gratia habituali; ergo et animam sanctam reddet. *Num.* 1624.
— Si sit modus, recte potest esse forma sanctificans. *Num.* 1629.
— Et licet sit extrinseca denominatio, intrinsece tamen moraliter, id est in aestimatione morali intrinsece afficit B. Virginem. *Num.* 1630.
— Huic sententiae non refragatur Tridentinum sessione VI, ubi solum docet, gratiam, quae communis est omnibus iustis, esse formam intrinsece inhaerentem. *Ibidem.*
Maternitas Dei reddit B. Virginem dignam adoratione hyperduliae, et amore Filii. *Num.* 1630.
— Concilium Tridentinum ibi solum ferit haereticos asserentes, nos Dei sanctitate sanctos esse per imputationem extrinsecam. *Ibidem.*
Maternitas Dei aliquam sanctitatis infinitudinem sibi vendicat. *Num.* 1631.
Maternitas Dei constituit B. Virginem in actu primo radicali conformem rationis praescripto et regulis morum. *Num.* 1635.
Maternitas Dei reddit animam B. Virginis formosam ac pulcram ex apta virtutum concordia. *Ibidem.*
Maternitas Dei sola bonum ex omni parte fortunatissimum, de qua nihil queri potest. *Num.* 1691.
Maternitatis Dei dignitas per se a Deo intenta. *N.* 1809.

Matrimonium

Matrimonium verum non intercessisse inter Mariam et Iosephum plures Patres censent. *Num.* 1492.
Matrimonium verum intercessisse censent esse de fide aliqui Doctores. *Ibidem.*
— Aliqui oppositam sententiam solum temeritatis nota inurunt. *Ibidem.*
— Vera sententia est, verum matrimonium intercessisse inter Mariam et Iosephum. *Num.* 1493.
— Aliqui Patres, ut Mariam illibatam adstruant, desponsatam et coniugatam inficiantur. *Num.* 1495.
Matrimonium inire, vel velle inire post emissum simplex votum castitatis, solum prohibetur iure naturali, non positivo. *Num.* 1497.
— Singularis opinio Hugonis circa essentiam matrimonii refellitur. *Num.* 1398.
— Natura matrimonii in unitatem animorum tendit. *Num.* 1499.
Matrimonium contrahentium consensus dicit ordinem et obligationem radicalem reddendi debitum. *N.* 1500.
— Non est autem opus ut feratur, nec implicite in obligatione formalem copulae. *Ibidem.*
Matrimonium Mariae cum Iosepho est perfecta virginitatis imago. *Num.* 1503.
— Huius matrimonii nexus, et copula est Spiritus sanctus, qui nexus est Patris et Filii. *Ibidem.*
Matrimonium hoc initum fuisse post Annunciationem adstruunt aliqui. *Num.* 1504.
Matrimonium initum fuit mense Decembri. *Num.* 1506.
Matrimonium, ac filiorum sollicitudo mentem avocant ac distrahunt a divinis. *Num.* 1509.
Matrimonium Mariae et Ioseph per Cherubinos Propitiatorium obvelantes adumbratur. *Num.* 1511.

D. Matthaeus

D. Matthaeus brevi sermone, quidquid laudis de Maria dici potest, in summam redegit. *Num.* 1838.
— Eiusdem Oratio in laudem Deiparae. *Ibidem.*

D. Mathias

D. Mathias sermonem habet in transitu B. Virginis. *Numero* 1840.
— Idemque conceptum immaculatum Beatae eiusdem Virginis propugnat. *Ibidem.*

Mercator

Mercatores apud Hebraeos infames habebantur. *Numero* 919.

Meretrix

Meretrix Inferorum sceptrum dicitur, quo sensu? *Numero* 1201.

Meritum

Meritum B. Virginis accrescebat ex dignitate Maternitatis Dei. *Num.* 1672.
—Explicatur illud commune axioma: *Principium meriti non cadit sub meritum. Num.* 1707.
Meritum B. Virginis (Vide *a numero* 1678 *per integras duas Palaestras*).
Merita B. Virginis ex natura sua, et intentione Dei ad totius humani generis instaurationem referebantur. *Numero* 1716.

Michael

S. Michael famulus a secretis Mariae, iuxta Augustinum. *Num.* 1518.

Miracula

Miracula aliqua referuntur pro veritate immaculatae Conceptionis. *Num.* 398.

Monachatus

Monachatum in lege veteri denegant plurimi Doctores adversus historiam propheticam. *Num.* 1443.
Monachatus invectio in lege veteri iniuriam irrogat legi Evangelicae, Christo et Mariae. *Num.* 1444.

Mons

Mons quidam prope Araucum smaragdis et turchesiis refertus, miro modo a natura B. Virginem Filium brachiis complectentem repraesentat. *Num.* 715.

Mors

Morti vicinus, in Iesu et Maria Daemonum cuneos superabit. *Num.* 127.
Mors B. Virginis non fuit poena peccati in Adamo incursi. *Num.* 846.
Mors B. Virginis potius somnus, quam mors dicenda. *Num.* 847.
Mors solum, quae corpus corrumpit, et solvit in cineres, est poena peccati. *Num.* 854.
Mors regnandi cupidinem repressit, morte B. Virginis. *Ibidem.*
Mortem aggressurus unge te prius oleo Mariani nominis. *Num.* 1387.
Mors sub patrocinio Mariani nominis pluris est habenda, quam totius orbis imperium. *Ibidem.*

Motivum

Motivum decernendi Incarnationem in Deo fuit etiam remedium peccati. *Num.* 174.
Motivum decreti primi Incarnationis fuit dignitas capitis Christi et Mariae. *Num.* 175.

Moyses

Moysis vultus emicabat in monte, quia sermo institutus de Maria cum Deo. *Num.* 31.
Moyses doctior evadit sub magisterio Mariae, quam Petrus ex schola Christi Domini. *Num.* 1133.
Moyses dum solus munus ducis obibat, tantum opis a Deo obtinuit, quantum sufficeret septuaginta viris, qui postea suffecti sunt, ut cum Moyse reipublicae clavum moderarentur. *Num.* 1158.

Mundus

Mundus est amphitheatrum, ubi elementa digladiantur. *Num.* 2.
Mundus senio iam confectus per Mariam in vernantem iuventam restituitur. *Num.* 86.
Mundus totus factus est propter Mariam. *Num.* 141 *et* 177.
Mundus post Adae peccatum, a Deo non destruitur propter Mariam. *Num* 145.
Mundus Poema rotundum. *Num.* 1317.
— Est palaestra, in qua saecula omnia, ob Mariam certamina instituerunt. *Num.* 3.

N

Natura

Natura in convolvulo, sive campanella, lilium facere condiscit. *Num.* 616.
Natura pluribus exemplis facit credibilem Virgineum partum. *Num.* 1406.

Negotium

Negotium omnium saeculorum Maria, quia omnium saeculorum, ac Doctorum linguas et calamos occupare potest. *Num.* 22.

Nescientia

Nescientia non est poena primaevi delicti: nec dedecuit B. Virginem. *Num.* 764.

Nestorius

Nestorii lingua procax in Deiparam ab horrendis vermibus corroditur. *Num.* 1563.

Nobilis — Nobilitas

Nobilis idem est ac notus; ignobilis idem atque ignotus. *Num.* 915.
Nobilitatis pars maxima, divitiae et opulentia. *Ibidem.*
— Scientia et doctrina ex plebeio nobilem et illustrem facit. *Nume.* 915.
— Fabri omnes, sive artifices ignobiles reputabantur. *Num.* 916.
Nobilitas a Christo semper magni habita fuit. *Num.* 917.
Nobilitatem, quam ethnici ementitis catalogis sibi adsciscebant, hanc reipsa sibi arrogat Deipara Maria. *Ibidem.*
Nobilitas non obscuratur ab agricultura. *Num.* 918.

Nomen

Nomen filiis imponere, fuit proprium parentum, praecipue vero patris. *Num.* 1365.

Nomen imponere non potest, qui non sit praeditus cognitione anatomica rei. *Num.* 1361.
Nominis concilium exoptabat Septimius Tertullianus. *Ibidem.*
Nominis Mariani elogia. *Num.* 1383.
Nomen Mariae ungit agonistas. *Num.* 3.
Nomen Mariae omen est vitae fortunatissimum *Num.* 68 *et* 1393.
Nomen Mariae prolatum mortem procul abigit. *Numero* 70.
Nomen Mariae fons vitae. *Num.* 77.
Nomen Mariae reseramentum portarum caelestis paradisi. *Num.* 125.
Nomen Mariae est commeatus, et tessera, et velut viaticum ad caelum. *Ibidem.*
Nomen Mariae nihil muliebre sonat, et est terminationis masculinae. *Num.* 1233.
Nomen Mariae quo sensu stilla maris interpretetur. *Numero* 1240.
Nomen Mariae gratiarum ac virtutum exuberantiam praemittit. *Num.* 1360.
Nomen debet esse eius auspicium, cuius est nomen. *Numero* 1363.
Nominum indendorum ritus varius. *Num.* 1364.
Nominibus inesse quandam sympathiam cum syderum influxibus quinam vanissime opinentur. *Num.* 1384.
Nominibus propriis gaudebunt Angeli, et Beati in coelo. *Num.* 1396.
Nomen eodem cultu gaudet, ac res cuius vices gerit. *Num.* 1850.
Nomen Mariae quo cultu suspiciendum? *Ibidem et deinceps.*
Nomen Mariae (Vide a *Num.* 1364 *et deinceps, per totam Palaestram*).

Novitas — Noviores

Novitatum, seu novarum sententiarum osores novas coronas Sapientiae, ac Veritati, seu Verbo divino eripiunt. *Num.* 45.
Novitati potiorem locum detulit quam vetustati Christus, et sponsa. *Num.* 57.
Novitatum thesaurus Maria. *Ibidem.*
Noviorum Doctorum scripta veterum elucubrationes splendore et acumine superant. *Num.* 49.
Noviores Doctores ex veterum fontibus epotantes aquas in vinum convertunt. *Num.* 50.
Noviorum scripta veterum monumentis praestant, sicut forma praestat materiae. *Ibidem.*
Noviores Doctores plures veritates detegunt, quas veteres assequi non potuerunt. *Num.* 52.
Noviorum notitia nomine auri, veterum vero aeris nomine venit. *Num.* 52.
Noviorum sententiae vinum novum, quod utres veteres disrumpit. *Num.* 56.
Noviores Doctores commendantur. *Num.* 60.
— Ad nova opera cudenda accenduntur. *Num.* 64.

Numerus

Numerus senarius afflictiones et labores auspicatur. *Num.* 1368.
Numerus octavus felicitatem portendit. *Ibidem.*
Numerus novenarius praestantiam et sublimitatem innuit. *Ibidem.*

Nuptiae

Nuptiarum nomen saepe sumitur pro coniugum congressu et copula. *Num.* 1494.
Nuptiae in veteri lege praeferebantur virginitati. *Numero* 1442.
Nuptiae corruptionem et passibilitatem praeseferunt. *Num.* 745.
Nuptias celebrat Maria, ne crederetur esse Angelus, aut Divinitatis scintilla. *Ibidem.*

Nutrix

Nutrix vocatur eadem substantia cum alumno. *Numero* 1582.

O

Obsequium

Obsequia nulla aptiora ad subornandam Deiparam, quam scripta vel sermones in eius laudem. *Num.* 8.
Obsequia in Virginem Deiparam praestita sunt pignus maioris in nos liberalitatis. *Num.* 28.
Obsequia in Mariam exhibita sunt character praedestinationis. *Num.* 112.
Obsequium omnium gratissimum in Mariam, est virtutum suarum aemulatio. *Num.* 120.

Oceanus

Oceanus Marianus nequit ullius mentis bolide dimetiri. *Num.* 12.

Opus

Opera a Deo immediate producta absolutissima perfectione, et in momento in lucem eduntur. *Numero* 623.
Opera bona supernaturalis ordinis, sine ordinatione Dei non deposcunt augmentum gratiae et gloriae. *Numero* 1696.

Oratio

Oratio Mariae imperialis, ideoque orat, et exorat. *Numero* 1767.
— De oratione Mariana habes plura. *Num.* 1756 *et deinceps.*

Ordo

Ordo ille intentionis, et executionis a Suario invectus a pluribus exploditur. *Num.* 166 *et deinceps.*

Origenes

Origenis singularis opinio circa oblationem Mariae refertur, et refellitur. *Num.* 1308.
Origenes Ioviniano consentire videtur circa virginitatem B. Virginis. 1414.

Ovis

Ovis quaedam leonem peperit, felicem dominatum portendens. *Num.* 1294.

P

Pactum

Pactum Dei ad meritum condignum Maternitatis Dei, ex Scriptura evincitur. *Num.* 1698.
Pactum idem sublatet in legatione Gabrielis ad Mariam. *Ibidem.*
Pactum et promissio conferentis praemium, tum et dignitas personae operantis valde conducunt ad rationem meriti. *Num.* 1701.

Panegyris

Panegyris salutaris reconciliationis nuncupatur Maria. *Num.* 22 *et* 87.

Paradisus

Paradisus voluptatis in momento a Deo conditur. *Numero* 620.
— Neque aquis diluvii obruitur, nec maledictionis legibus subiacuit, quia Mariam adumbrabat. *Numero* 822.

Parens

Parentum laus magna, cum filii novum famae splendorem accumulant. *Num.* 58.
Parentes B. Virginis semoto fomite peccati, et absque libidine illam generarunt. *Num.* 864.
Parentes Deiparae divitiis abundarunt. *Num.* 1426.

Parisienses

Parisienses Doctores laude dignissimi, utpote primi votum pro defendenda immunitate B. Virginis a peccato originali nuncupaverint. *Num.* 440.

Particula

Particulae *Donec* et *Usque* saepe certum tempus, saepe indeterminatum et infinitum designant. *N.* 1417.
Particula *Quasi*, plus minusve significare solet. *Numero* 1513.

Partus

Partus ad initium decimi mensis foetum Decalogo devovent. *Num.* 245.

Parvuli

Parvuli in Limbo degentes munificam etiam Mariae beneficentiam experientur. *Num.* 1726.

Passio

Passiones in B. Virgine nullae sub hoc nomine, sed solum propassiones repertae sunt. *Num.* 772 *et deinceps.*
Passiones aliqui deferunt B. Virgini, sed immerito. *Numero* 783.

Pater

Pater ipse aeternus exemplum et animos sumere posset a Maria, ut Filium morti devoveret. *Num.* 1776.
Patris aeterni locutio tunc perficitur, cum Verbum divinum percipitur et custoditur a Maria. *Num.* 1803.
Pater aeternus, neque Trinitas, nunquam vocatur Angelus. *Num.* 1273.
Pater aeternus, et Maria vocem illam sibi arrogare possunt: *Hic est filius meus dilectus. Num.* 1594.
Pater aeternus, et B. Virgo ita Filium morti offerunt, ac si parentum affectum exuant. *Num.* 1774.
Pater aeternus quasi complet suam foecunditatem, cum Filium producit per voluntatem ex Maria. *N.* 1783.
Pater aeternus novam sibi arrogat Paternitatis relationem ex Maternitate Mariae. *Ibidem.*
Pater aeternus sibi arrogat opus Incarnationis. *N.* 1785.
Pater aeternus instar sponsi obvelat Mariam flammeo. *Num.* 1787.
Pater aeternus et Maria quomodo sint duo in carne una. *Num.* 1788.
Pater aeternus notionem Paternitatis soli Mariae communicavit. *Num.* 1789.
Pater aeternus cognitione comprehensiva Verbum gignit: Maria per comprehensionem Dei in utero gignit idem Verbum. *Num.* 1800.
Patres antiqui non promeruerunt condigne esse progenitores Christi. *Num.* 1694.
Patres antiqui meruerunt accelerationem existentiae B. Virginis. *Num.* 1703.

D. Paulus

D. Pauli oratio habita in transitu Deiparae. *Num.* 1829.
— Eiusdem illustre encomium in B. Virginem. *Numero* 1828.
Paulum B. Virgo suis precibus Christo peperit. *Ibidem.*
Paulus perspicue stat pro immaculata Conceptione B. Virginis. *Num.* 1829.
Paulus habuit discipulos Angelos, qui eius gymnasium frequentarunt. *Num.* 49.
Paulo Christus Dominus in via ad Damascum, in propria persona apparuit. *Num.* 1272.

Paulus eremita

Paulus eremita et Antonius urbane contendunt, uter panem dividat. *Num.* 1298.

Pauper

Pauperibus voluntariis alios iudicandi praerogativa conceditur. *Num.* 1428.
Paupertas voluntaria ad innocentiae statum nos revocat. *Ibidem.*
— De Paupertate B. Virginis, eiusque voto (Vide verbo, *Mariae Praesentatio*).

Peccatum

Peccati originalis descriptio. *Num.* 207.
— De peccato originali haberi potest contritio et dolor. *Num.* 253.
Peccatum originale omnium esse levissimum, licet componatur cum veniali, quinam censeant. *Num.* 479.
Peccatum veniale ingens malum. *Num.* 474, 480, 482 *et deinceps et* 877.
Peccatum condonatum et confessum non est in rerum natura, ac proinde nec a Deo videri potest. *N.* 890.
Peccati nomen, nec umbram, non permisit Deus cadere in Mariam. *Num.* 899, 859, 577, 225 *et deinceps.*
Peccati malitia non est simpliciter infinita *Num.* 1749.

D. Petrus

D. Petro Romam fugam meditanti apparuit Christus in propria persona. *Num.* 1272.
Petrus precibus Virginis Deiparae e trinae negationis barathro erutus. *Num.* 1825.
D. Petrus epistolam ad B. Virginem mittit. *Ibidem.*
D. Petrus omnium primus sacellum Virgini Deiparae consecrat. *Ibidem.*
— Ipsius oratio Panegyrica in obitu Mariae. *N.* 1826.
D. Petrus Eucharistiam ceu viaticum B. Virgini administravit. *Ibidem.*

Pharmacum

Pharmacum praesentissimum habes ad grassantem pestem propulsandam. *Num.* 1837.

Pica

Pica ab alite rapaci immunis evadit, invocata Maria. *Num.* 1460.

Pictor

Pictores carpuntur, qui foeminas et homines investes depingunt. *Num.* 1325.
Pictores et domini impudicarum imaginum, oculis prospectantium exhibentes eas, lethaliter peccant. *Numero* 1326.

Pius V

Pius V, ex Praedicatorum familia, omnium primus Conceptionis solemnitatem Breviario et Missali inseruit. *Num.* 513.

Poena

Poena sensus debita pluribus venialibus, superare potest poenam sensus debitam peccato lethali. *N.* 1752.

Poenitentia

Poenitentiae virtutis actus assignantur. *Num.* 1328.
— Reperitur in B. Virgine. *Num.* 1329.

Pontifex summus

Pontificem summum errare posse in his, quae definit absque Concilio generali, error est affirmare. *Numero* 316.
Pontifex non eget Concilio ad sententiae piae definitionem. *Num.* 327 *et deinceps.*
Pontifex, vel concilium potest ex sola ratione, vel discursu theologico immunitatem B. Virginis ab originali definire. *Num.* 353.
Pontifex definire potest immunitatem B. Virginis ab originali, licet alii Patres contrarium asserant. *N.* 358.
Pontifex de facto definivit, Angelos non fuisse conditos ante mundum, pluribus Patribus reclamantibus. *Numero* 359.
Pontifex potest, revelatione s. Birgittae innixus, litem dirimere pro illibata Mariae Conceptione. *Num.* 396.
Pontifices plures approbant titulum *Immaculatae Conceptionis. Num.* 506 *et* 513.
Pontifices non solum recitative, ut volunt adversarii, sed etiam enunciative approbando, usi sunt titulo *Immaculatae Conceptionis. Num.* 537 *et deinceps.*
Pontifices alliciunt et invitant fideles omnes, ut utantur titulo *Immaculatae Conceptionis. Num.* 543.
Pontifices solum prohibent formalem, et scholasticam disputationem vulgari idiomate de immaculata B. Virginis Conceptione. *Num.* 561.

Populus

Populi totius christiani consensus permagno est habendus in re nondum definita. *Num.* 557.

Possessio

Possessio facti legitima est penes Ecclesiam tituli *Immaculatae Conceptionis* per plures actus positivos. *Num.* 519.
Possessio tituli *Immaculatae Conceptionis* firmatur ex scientia, et tolerantia partis oppositae. *Num.* 521.
Possessio iuris residet penes fideles tituli *Immaculatae Conceptionis. Num.* 522.
Possidere idem sonat ac redimere. *Num.* 589.

Posteri

Posteri Adae in primo suae conditionis momento multiplici aerumnarum iliade circumveniuntur. *N.* 648.

Praedestinatus

Praedestinati e floribus Marianis sibi gloriae coronas attexunt. *Num.* 129.
Praedestinati instar fasciculi sunt apud Dominum, vinculis adstricti. *Num.* 1434.
Praedestinatorum lilia et Christi sanguine vernant, et lacte Mariano candicant. *Num.* 1775.

Praelatus

Praelatus ut rite subditos gubernet ac regat, illos captu suo comprehendat. *Num.* 991.
Praelationem ambientes sugillantur, qui etiam non vocati praelationem subornant. *Num.* 1227.

Praeputium

Praeputium Christi D. in circumcisione abscissum Romae manet, et tamen corpus Christi integrum in caelo manet. *Num.* 886.
Praeputium Christi reassumptum fuit in Dominica Anastasi iuxta Titum Bostrensem. *Num.* 1482.

Preces

Preces ad Deum nunquam dirige sine Maria, sic securius postulata nancisceris. *Num.* 1728.

Primogenitus

Primogenitus dicitur, licet alii non generentur fratres *Num.* 930 *et* 1418.
Primogenitus multiplici praerogativa gaudebat prae aliis fratribus. *Num.* 931.

Privilegium

Privilegia septem status innocentiae recensentur. *Numero* 814.
Privilegia aliis collata ad tempus, Mariae permanenter fuerunt exhibita. *Num.* 1852.

Prooemium

Prooemium miraculorum, et operum Christi vocatur Virgo Deipara. *Num.* 1.

Propositio

Propositio, quae nomine *Conceptionis*, Sanctificationem intelligit, ad minus temeritatis et erroris nota inuritur a Doctoribus; ab aliquibus etiam haeresis nota carpitur. *Num.* 284.
Propositio haec: Haeresis est asserere B. Virginem fuisse immunem ab originali, vel illud incurrisse; est ad minus temeraria et erronea. *Num.* 301.
Propositio haec: Sententia magis pia est fide tenenda iuxta meum opinandi modum; non adversatur motui proprio Sixti IV. *Num.* 304.
Propositio haec: B. Virgo a mortuis suscitata fuit, et in caelos corpore et anima assumpta, negari non potest sine nota temeritatis et erroris. *Num.* 332.
Propositio haec: Ecclesia celebrat solum Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem B. Virginis; erroris nota inuritur. *Num.* 531 *et deinceps.*
Propositio haec: Immunitas a peccato originali, ipsiusque debito, est connaturalis et debita substantiae Marianae praecise sumptae; falsa omnino est, et censurae digna. *Num.* 605.
Propositio praedicta non est haeresis nota expungenda. *Num.* 606.

Propositio haec: Eadem die, qua D. Anna semen suscepit, corpus B. Virginis fuit organizatum, et anima introducta, delata fuit ad sacrum tribunal sanctae Inquisitionis Valentinae, quae vindicatur ab omni mala censura. *Num.* 630 *et* 631.
— Nec clauditur sub prohibitione Indicis Expurgatorii. *Num.* 637 *et* 639.

Prudens

Prudens est instar Moysis, qui antequam in terram Promissionis pedem inferret, exploratores praemittit. *Num.* 1228.
Prudens instar favi est, qui non tam verba fundit, quam distillat. *Num.* 1229.
Prudentia B. Virginis commendatur a *Num.* 1226 *per totum Certamen.*

Pudicitia

Pudicitia stricte sumpta locum non habuit in Maria. *Numero* 1319.

Pulcritudo

Pulcritudo B. Virginis sola sanctissima vocatur inter omnes foeminarum pulcritudines. *Num.* 743.
Pulcritudo Mariana inspecta quasi praeceptum pudicitiae imponebat; imo erat ipsum castitatis ac temperantiae praeceptum eam inspicientibus. *Ibidem.*
Pulcritudo substantialis Mariani corporis in hac vita maior esse potuit, quam pulcritudo alicuius corporis Beati. *Num.* 741.
Pulcritudo Mariana summum attigit culmen, ad quod natura porrigi potest. *Num.* 738.
Pulcritudo cum mascula fortitudine, et animi robore raro in uno coniungitur. *Num.* 737.
Pulcritudo excellens raro cum insigni sanitate coniungi solet. *Num.* 736.
Pulcritudo Mariana tanta est, ut, si fieri posset, Deus iactantiae discrimen subiret de tali opere. *Num.* 733.
Pulcritudo Mariana ea fuit, ut veluti Deum extra se rapuerit. *Ibidem.*
Pulcritudo potentius telum ad omne hostium robur edomandum. *Num.* 732.
Pulcritudo Mariana tanquam exercitus equestris ad subigendas omnium voluntates. *Num.* 731.
Pulcritudo Mariana sicut palma, quia inter omnes palmam fert. *Num.* 730.
Pulcritudo trifariam dividitur, quae triplex pulcritudo inest Mariae. *Num.* 215.
— A pulcritudine corporea laudes exspiscari, irrationalitatem sapit. *Num.* 723.
Pulcritudo Mariana ex quadruplici genere causae desumitur. *Num.* 727.
Pulcritudinis Marianae descriptio totus Canticorum liber est. *Num.* 728.
Pulcritudinem corporis pedibus terit, et proculcat Maria. *Num.* 723.
Pulcritudo Mariana reliquas omnes creaturarum pulcritudines longe antecelluit. *Num.* 725.

Pyrrhus

Pyrrhi Epirotarum regis pes dexter curabat splenitícos, ac, reliquo corpore combusto, illaesus fuit. *Numero* 713.

R

Rabbini

Rabbinorum testimoniis convincitur Mariana virginitas adversus Iudaeos. *Num.* 1410.

Raptus

Raptus, et ecstases meritum adimere putant aliqui. *Numero* 1276.
Raptus, et Revelationes B. Virginis habes. *Num.* 1269 *et deinceps.*
Raptus Adamo libertatem et meritum non ademit. *Numero* 1277.
— Idem esto iudicium de raptu Petri in linteo illo ferarum pleno caelitus delapso. *Ibidem.*
Raptus eiusmodi nec libertatem, nec meritum adimunt. *Num.* 1278.

Rebecca

Rebecca, quia liberalis et munifica, digna progenitrix exstitit Christi. *Num.* 29.
Rebecca interpretatur *Multum accepit. Ibidem.*

Religio

Religioni se devovere idem est, ac morti se addicere propter Deum. *Num.* 1447.

Reliquiae

Reliquias Mariae in Eucharistia adorare possumus. *Numero* 1478.
— Nullae sunt reliquiae adeo certae, ac sanguis B. Virginis in Eucharistia. *Num.* 1485.
Reliquiae B. Virginis ubi asserventur. *Num.* 1851.

Reprobi

Reprobi sunt instar lapidis e funda proiecti gaudentis libero caelo. *Num.* 1434.

Respublica

Respublica et coetus, quae sub sydere Mariano non degit, omni caret bono. *Num.* 98.
Respublicae quo magis affectu et pietate in Mariam succrescunt, eo magis bonis omnibus ditantur. *N.* 130.
Respublica quaelibet laudabiliter vovere, aut iuramento se obstringere potest, se propugnaturam immunitatem B. Virginis a peccato originali. *Num.* 441 *et deinceps.*

Revelationes

Revelationes s. Birgittae absque mali suspicione a fidelibus suspiciendae. *Num.* 387.
Revelationum dignoscendarum quatuor regulae proponuntur. *Num.* 388.
Revelationi s. Birgittae de immaculato B. Virginis conceptu hae omnes regulae adaptantur. *Num.* 380 *et deinceps.*
Revelationes s. Birgittae maturo consilio, et longa discussione ad examen vocantur et approbantur. *Numero* 391 *et deinceps.*
Revelationem s. Catharinae Senensis sententiae minus piae adfaventem, esse omnino suppositítiam ostenditur. *Num.* 392, 394 *et deinceps.*

Rex

Reges propugnant titulum *Immaculatae Conceptionis. Num.* 515.
Reges omnes et Imperatores coronas suas Mariae omnis nobilitatis primipilae submittunt. *Num.* 922.

Rosarium

Rosarium, sive globuli precarii B. Virginis, sunt veluti

funda cum limpidissimis lapidibus, quibus daemones profligantur. *Num.* 1399.
— Quinque Mariae literae gemmae sunt, quae suorum clientium diadema exornant. *Ibidem.*
— Maria omnibus praedestinatis gloriae coronas ex rosis intertextas attexit meritis suis. *Num.* 1739.
Rosarium est chirographum Dei sigillo munitum, quo veniam peccatorum, et omne bonum consequimur. *Num.* 1725.

Rubor

Rubor honestas foeminas a petulantibus discriminat. *Num.* 1321.

S

Sabbatum

Sabbati dies Virgini Mariae sacer, et ideo sine aurora et vespere. *Num.* 756.

Sacerdos

Sacerdotii dignitas nostri tanta est, ut Deus duplici manu, et quasi toto conatu in illud incubuerit. *N.* 1168.
Sacerdotes ediscant a B. Virgine Christi sanguinem pie, ac sancte, ac reverenter tractare. *Num.* 1488.

Saga

Sagae et reliqui cum Daemone foederati, et Deum, et Mariam abiurare compelluntur. *Num.* 1653.

Salomon

Salomon gratum a suo corpore spirabat odorem, uti opinatur Pineda. *Num.* 717.
Salomon Rex omnium praestantissimus, et tamen Rex non vocatur, nempe quia haereditario iure solum regnum adeptus est. *Num.* 758.
Salomon meruit sapientiam a Deo infusam in somno. *Num.* 1277.

Sanctificatio

Sanctificationis nomen, loco Conceptionis a nullo Pontifice approbatum fuit. *Num.* 533.

Sanctitas

Sanctitas Deiparae aeterna dici potest. *Num.* 218.
Sanctitas omnis, quae ab Ecclesia colitur, non est certa fide divina. *Num.* 530.
Sanctitas corporis Mariani sita est in speciali complacentia Dei. *Num.* 748.
Sanctitas specie excellentior, excellentiorem deposcit adorationem specie distinctam ab aliis. *Num.* 1180.

Sanguis

Sanguis Christi olim a fidelibus in vasis vitreis asservabatur adversus Tyrannorum insultus. *Num.* 1491.
Sanguis Marianus per genas diffusus per verecundiam, pariandus cum sanguine in cruce a Christo fuso, et cum sanguine martyrum. *Num.* 781.
Sanguis B. Virginis prius per genas diffunditur, ut ediscat iam Deo unitus in cruce pro hominum salute diffundi. *Ibidem.*

Sanitas

Sanitas inter omnes corporis dotes primas fert. *Numero* 692.

Sapientia

Sapientia, et Veritas per novas recentiorum sententias ab ignorantia triumphat. *Num.* 45.
Sapientia quoties de mendacio et errore triumphat, toties novis sertis redimitur. *Ibidem.*
Sapientiae fructus sicut poma, paullatim maturescunt. *Num.* 61 *et* 63.
Sapientia vera inveniri non potest sine ductrice Maria. *Num.* 66.
Sapientiae progressus qui efficere exambit, sub syderis Mariani auspiciis gradiatur. *Num.* 67.
Sapientia in momento obtenta, ac nullo labore parta, cito deperditur. *Num.* 650.
Sapientia et scientia ex plebeio nobilem et illustrem facit. *Num.* 915.
Sapientes ac rudes ad Marianas laudes decantandas invitantur. *Num.* 752.

Sara

Sara, quia umbra Mariae, quasi innocentiae status privilegio gavisa fuit quoad subiectionem in virum. *Numero* 841.
Sara typus Mariae, constituitur domina Abrahae, sicut Maria Iosephi. *Num.* 1432.

Scandalum

Scandalum quando adest, tenemur a licitis abstinere. *Num.* 339.
Scandala plurima ex sententia minus pia exorta sunt in Ecclesia Dei. *Num.* 333.
Scandalum pusillorum et Pharisaeorum tenemur impedire, cum id fieri potest sine gravi nocumento. *Num.* 340.
Scandalum ne paretur proximo, iuri proprio honoris, vel alterius commodi cedendum. *Num.* 342.
Scandalum ut tollatur, abstinendum ab his etiam, quae speciem mali praeseferunt. *Num.* 345.

Scientia

Scientia et doctrina ex plebeio nobilem et illustrem facit. *Num.* 915.
Scientia experimentalis admittenda in B. Virgine. *Numero* 964.
Scientia experimentalis nequit a Deo infundi, sed necessario usu et experientia adquirenda est. *Ibidem.*
Scientiae infusae habitus in B. Virgine est una simplex qualitas. *Num.* 973.
Scientiae infusae species impressae B. Virginis universaliores sunt, quam species inditae Angelis. *N.* 974.
— Unica species impressa infusa in B. Virgine diffundebatur ad omnia obiecta scientiae infusae. *Numero* 975.
Scientiae infusae habitus, et species impressa est una, et eadem qualitas. *Num.* 976.
Scientia hac infusa poterat uti B. Virgo medio discursu. *Num.* 980.
Scientia infusa non potest uti intellectus cum conversione ad phantasmata. *Num.* 983.
Scientia per se infusa naturalis indita fuit a Deo B. Virgini. *Num.* 985.
Scientia haec tam quoad habitus, quam quoad species indita fuit B. Virgini ab instanti suae Conceptionis. *Num.* 986.
Scientia nulla absque sui cognitione, est donum perfectum et plenum. *Num.* 1020.

Scriptor—Scripta

Scriptorum pulcrum argumentum, Virgo Deipara. *Numero* 8.

Scriptores omnes Marianis laudibus vectigales sunt. *Numero* 9.
Scriptores omnes primas suas elucubrationes et voces Marianis laudibus dicent et consecrent, Deum aemulantes. *Num.* 10.
Scriptor Marianorum privilegiorum terrenos exuat affectus. *Num.* 13.
Scriptor Marianarum laudum prius visione beatifica donandus. *Num.* 17.
Scriptor unus nequit B. Virginis privilegia evulgare, sed opus est pluribus. *Num.* 21.
Scriptorum omnium calami recte impenduntur in una laudanda Maria. *Num.* 22.
Scriptores Virginis Deiparae Doctorum laureola in caelis exornandi. *Num.* 24.
Scriptorum Deiparae codices ab omni invidorum tinea immunes servat B. Virgo, tanquam cedrus et cedria. *Num.* 25.
Scriptor Mariam suis lucubrationibus elucidans, vicissim a Maria illustratur. *Num.* 30.
Scriptores ex Maria tanquam ex armamentario arma depromunt, quibus haereticos et pravos mores debellent. *Num.* 37.
Scriptores Marianarum laudum eam debitricem sibi faciunt, et vectigalem. *Num.* 38.
Scriptor sacer solus privilegium nunquam errandi obtinuit. *Num.* 53.
Scriptores per duos Salomonis Cherubinos designantur. *Num.* 54.
Scriptor ille Cherubini nomine indignus, qui pennis suis aliorum scripta arrodit, et pungit. *Ibidem.*
Scriptores de doctrinae concordia commendantur. *Numero* 55.
Scriptor antiquorum monumentis ac scriptis aliquid addat de novo. *Num.* 58.
Scriptores moderni ad nova opera cudenda stimulantur. *Num.* 64.
Scriptoris labor diuturnior officio praedicandi. *N.* 65.
Scriptores eruduntur a Deo, ne nimis festine partus rationales edant. *Num.* 649.
Scripta posteritati commendata sunt perpetuo nostra, non reliqua. *Num.* 25.
Scripta illa eruditorum plausus promerentur, quae omnigena eruditione splendent. *Num.* 44.
Scripta non de auctorum antiquitate, sed de doctrinae soliditate, et acumine, et stylo, ac sententiarum pondere commendantur. *Num.* 59.
Scripta non sunt tanquam vina annorum censu computanda. *Num.* 62.
Scripta et libri ex professo impugnantes sententiam minus piam, non interdicuntur per Gregorii XV diploma. *Num.* 378.
Scripta diu elaborata aetatem prorogant, et vivunt in aevum. *Num.* 648 *et deinceps.*
Scriptio, seu locutio de Maria, mentem illuminat, et intellectum acuit. *Num.* 31.

Scriptura sacra

Scriptura sacra tanquam regina multicolore veste ornata, id est veterum et noviorum Doctorum interpretationibus intertexta. *Num.* 46.
Scriptura sacra immensus Oceanus, ac proinde non potuit a veteribus Doctoribus exhauriri. *Num.* 47.
Scriptura sacra omnis propter Mariam. *Num.* 141.
Scriptura sacra aperte stat pro pia sententia immaculatae Conceptionis Mariae. *Num.* 308.
— Circa Scripturae sacrae verba quidquid Ecclesia adiicit, immutat vel detrahit, illud firmiter est tenendum. *Num.* 308.
Scripturae sacrae locutiones universales non ad singula individua referuntur, sed ad maiorem individuorum partem. *Num.* 328 *et deinceps.*
Sacrae Scripturae elocutionis figuris ac flosculis scatent. *Num.* 1067.
Scriptura sacra plura verba continet, quae non sunt prolata ab scriptore canonico. *Num.* 1099.
Scripturae sacrae clausulae aliquos effectus operantur ex opere operato. *Num.* 1385.

Secretum

Secreta cordis non esse actus intellectus, quinam censeant. *Num.* 1012.
— Verior tamen sententia affirmat omnes actus intellectus pertinere ad secreta cordis. *Ibidem.*
Secreta cordis unius Angeli, vel hominis non sunt simpliciter intra latitudinem obiecti naturalis intellectus alterius. *Num.* 1015.

Sensus

Sensus externi B. Virginis nunquam passi fuerunt deceptionem formalem, nec causalem. *Num.* 813.
Sensus externi Mariae divinitus protecti, ne inhonestum aut falsum aliquid apprehenderent. *Ibidem.*
Sensus omnes Mariae omnino occlusi praeter aures, quae soli Verbo Dei patebant. *Num.* 1589.

Sententia

Sententia illa temeritatis notam incurrit, quae positive adversatur communi Doctorum iudicio. *Num.* 1627.
Sententia negans celerrimam formationem Mariani corporis, adversatur Ecclesiae. *Num.* 626.
Sententia minus pia nequit iam de fide definiri. *N.* 540.
Sententia magis pia Marianae conceptionis, solidissimo ss. Patrum fulcro innititur. *Num.* 235.
Sententia magis pia ab Ecclesia recte definiri potest, quin obstet aliquorum Patrum auctoritas. *Num.* 252.
Sententia magis pia stabilitur rationibus ex doctrina s. Thomae depromptis. *Num.* 253.
Sententiae minus piae sectatores parum comites et urbani erga Christum et Mariam. *Num.* 254.
Sententia magis pia ita est vera et certa, ut nullo modo reipsa possit falsitati subesse. *Num.* 292 *et* 294.
Sententia magis pia feliciorem statum nacta fuit, quam quae affirmat, Christum Dominum in azymo celebrasse. *Num.* 294.
Sententia quae immunem facit B. Virginem a peccato originali, de fide est, esse magis piam, probabiliorem, et magis tutam. *Num.* 293.
Sententia magis pia iam non vocanda opinio, sed vera sententia. *Num.* 297.
Sententiae magis piae diversum gradum certitudinis et veritatis tribuunt Pontifices, quam minus piae. *Numero* 303.
Sententia pia Ecclesiae auctoritate, ac sacrae Scripturae innititur. *Num.* 308 *et* 309.
Sententia pia Theologorum, ac Praesulum, et totius populi christiani consensu fulcitur. *Num.* 313 *et deinceps.*
Sententia pia est ultimo disposita ad definitionem. *Numero* 323 *et deinceps.*
Sententia minus pia ab ipsis Patribus Dominicanis dicitur inutilis et scandalosa. *Num.* 338.
Sententia magis pia potest in concionibus, et lectionibus publicis edoceri, ac rationibus stabiliri. *N.* 379.
— Non tamen potest sententia minus pia directe, et ex instituto oppugnari, et refelli in lectionibus et concionibus publicis. *Ibidem.*

Sententia pia pluribus retro saeculis nacta fuit statum Beatificationis. *Num.* 410.
Sententia pia hoc aevo quasi statum Canonizationis consecuta est. *Num.* 410.
Sententia adversariorum quem statum sortita sit in praesenti. *Num.* 535.
— Supremum sanctae Inquisitionis Tribunal facultatem fecit publice defendendi hanc propositionem: Sententia magis pia ita est certa, ut nequeat physice falsitati subesse. *Num.* 296.
— Idem concessit facultatem publice edocendi hanc propositionem: Martyr existeret, qui pro cultu immaculatae Conceptionis, et pro hac veritate tutanda mortem subiret. *Num.* 431.
Sententia pia est in proximo statu, ut definiri possit. *Num.* 323.

Seraphini

Seraphini urbanitatis leges servant in decantandis Dei laudibus. *Num.* 1298.

September

September vocatur mensis fortium, quia in eo nati fortes mundi. *Num.* 1241.

Sepulcrum

Sepulcrum Christi resurgentis Marianam alvum repraesentabat. *Num.* 1420.
Sepulcrum Christi Domini vitam parturire didicit a Virgine Maria edoctum. *Num.* 78 *et* 82.
Sepulcrum sine ulla sui ruptione Christum edit, quia symbolum Mariae Christum parientis. *Num.* 832.
Sepulcrum Christi redditurum Patris thesaurum terrore concutitur. *Num.* 1488.

Serpens

Serpens nudum hominem aggredi non audet, quia statum innocentiae praesefert. *Num.* 1428.

Sibylla

Sibyllae fatidicae gentilismi foeminae virginitatem cum partu Mariae cecinerunt. *Num.* 1406.

S. Simon

S. Simonis Apostoli oratio in laudem Virginis Deiparae. *Num.* 1839.

Singularitas

Singularitatem, et exemptionem a communi lege abhorret Deus, et Maria. *Num.* 1455.

Societas

Societatis Iesu viri instar syllabae communis huius mundialis versus, parati in quamcunque orbis plagam ire. *Num.* 1317.
Societatis Iesu viri ab uno Iesu omnem honorem et claritudinem auspicantur. *Num.* 1843.

Sol

Sol non est quid divinum, quia non fuit prior reliquis creaturis ex Ambrosio. *Num.* 147.
Sol Christi symbolum, quia eodem tempore oritur et occidit. *Num.* 1246.
Sol in suo occasu novae vitae perennitatem sibi apparat. *Ibidem.*
Sol lunae subsidio efficacius influit in sublunaria, quam ipse solus. *Num.* 1378.

Solitudo

Solitudo amica Deo: super illam pluit caeleste manna, cum super quinque illas civitates pluerit Deus sulphur et ignem. *Num.* 1488.

Somnia—Somnus

Somnia naturalia omnino a B. Virgine dormiente abfuerunt. *Num.* 806.
Somnia animalia B. Virgo saepe experta fuit. *N.* 807.
Somnus propheticus nec meritum, nec libertatem adimit. *Num.* 1277, 1682 *et deinceps.*

Spasmus

Spasmum B. Virgini attribuunt prae ingenti dolore aliqui Patres et Doctores. *Num.* 699 *et* 785.
Spasmus omnis, et animi deliquium denegandum omnino B. Virgini. *Num.* 700.
— Icones hunc spasmum repraesentantes in B. Virgine iuxta crucem omnino abolendae. *Ibidem.*
— Patres vero spasmum attribuentes B. Virgini in commodum sensum explicantur. *Num.* 782.

Species

Species impressae scientiae infusae B. Virginis universaliores sunt quam inditae Angelis. *Num.* 974.
Species impressa unica supernaturalis in B. Virgine diffundebatur ad omnia obiecta scientiae infusae supernaturalis. *Num.* 975.
Species infusae naturales et perfectiores, et universaliores inditae B. Virgini, quam Angelis. *Num.* 992.
Species impressa Dei, quae naturalis sit, et Dei propria, implicat dari posse. *Num.* 1029.

Spes

Spes, qua quis speraret se habiturum eam gratiam, quam habuit B. Virgo, est peccatum grave. *N.* 1180.
Spes divina bene cohaeret cum securitate omnimoda. *Num.* 1208.
Spes B. Virginis (Vide *Mariae Spes*).

Spiritus sanctus

Spiritus sancti sitis, sedatio et expletio est Virgo Maria. *Num.* 1794.
Spiritus sanctus exultat in Maria, in qua appetitum se communicandi adimplevit. *Num.* 1147 *et* 1170.
Spiritus sanctus pigmentarius, aroma corporis Virginei ex thure et myrrha confecit. *Num.* 1221.
Spiritus sanctus personam agit pro Maria, sub columbae specie. *Num.* 1308.
Spiritus sanctus sub columbae specie, et Christi in Iordane, et Mariae in templo innocentiam contestatur. *Ibidem.*
Spiritus sanctus renuit apparere in columba communi generatione progenita; ideo eam de novo fingulavit sine pruritu libidinis. *Num.* 1308.
Spiritus sanctus velocius in nostram salutem involat in rheda Mariae. *Num.* 1382.
Spiritus sanctus nobiliorem effectum produxit ex Maria, quam Pater aeternus in formatione Adami. *Numero* 1599.
Spiritus sanctus foecunditatem quandam nanciscitur in Maria ad producendam personam divinam *ad extra* *Num.* 1783.

Spiritus sanctus in Maria exornanda infinitam se communicandi sitim levat. *Ibidem.*
Spiritus sanctus sibi attribuit opus Incarnationis. *Numero* 1785.
Spiritus sanctus Mariano corpore tanquam proprio organo usus fuit. *Num.* 1794.
Spiritus sanctus Mariam sibi sponsam speciali titulo adsciscit. *Num.* 1795.
Spiritus sanctus despondit Mariam per procuratorem Iosephum. *Ibidem.*

Stella

Stella Magorum nova reliquis fuit fulgentior astris. *Numero* 49.
Stellae quia viciniores empyreo coelo, tremunt et scintillant; sic quo quis Deo vicinior sanctitate, magis tremit et pavescit. *Num.* 783.

Suarius

Suarii elogium singulare. *N.* 1446.

Sumptus

Sumptus moderandi iuxta uniuscuiusque status conditionem. *Num.* 1307 *et deinceps.*

Suspicio

Suspicionis occasio sinistrae auferenda: imo possibilitas omnis male suspicandi de nobis procul amovenda. *Num.* 895.

T

Temperamentum

Temperamentum corporis Mariani omnium optima constitutione praeditum. *Num.* 671.
— Fuit sanguineum, utpote omnium nobilissimum, et ad amandum pronius: ideoque quasi naturali ductu pronior in nostrum amorem ferebatur. *Num.* 674.
Temperamentum optimum in B. Virgine multum adiuvit ab bene operandum. *Num.* 675.

Temperantia

Temperantia est civitas sanctitatis, schola meritorum, viaticum viae ad caelum. *Num.* 1232.
Temperantia completa fuit beatitudo Paradisi voluptatis. *Ibidem.*

Terra

Terra primo nascentis orbis exordio non sensim, sed momento fruges et arbores ac fructus edidit. *Numero* 621.
Terra, cui iris coelestis insedit, gratissimum odorem emittit. *Num.* 707.
Terrae omnes creaturae vectigal pendunt. *Num.* 1306.
Terra tremit, Christi corpus susceptura. *Num.* 1488.

Tertullianus

Tertullianus cum ait Mariam non esse Virginem a partu in bonum sensum explicatur. *Num.* 1414.

D. Thadaeus

D. Thadaei sermo in transitu B. Virginis. *Num.* 1839.

Theodorus Papa

Theodori Pontificis zelum maximum in Dei Matris honore tutando. *Num.* 1564.

Theophylactus

Theophylactus perstringitur, dum fidem Marianam aliquo modo extenuat. *Num.* 1206.

Thesaurus

Thesaurus sapientium Maria, de quo scriba doctus nova et vetera in lucem profert. *Num.* 57.
Thesaurus novitatum Maria. *Ibidem.*

S. Thomas Apostolus

D. Thomas Apostolus in funere Deiparae in ipsius laudes effunditur. *Num.* 1834.
— Idem immaculati Conceptus B. Virginis assertor et propugnator. *Ibidem.*

S. Thomas Aquinas

D. Thomas Aquinas nunquam docuit, Virginem Deiparam incurrisse peccatum originale formale in secunda conceptione. *Num.* 242.
— Stat pluribus in locis pro pia sententia. *Numero* 248.
— Ipsius testimonia conciliantur, ne sibiipsi adversari videatur. *Num.* 249.
D. Thomae auctoritas, licet alioqui magnopere suspicienda, obstare tamen non potest ad definiendam immunitatem B. Virginis ab originali. *Num.* 364 *et deinceps.*
D. Thomas denegat B. Virgini rationis usum, dum in matris utero delituit. *Num.* 956.

Timor

Timor mundanus et servilis, procul a B. Virgine abfuit. *Num.* 780 et 1351.
Timor reverentialis resedit in Maria. *Num.* 1350 *et deinceps.*
—Sine timore nec halitus, nec verbum effluat ab ore, nec passus librandus sine illo. *Num.* 1352.
Timor Dei custos gratiarum ac virtutum. *Ibidem.*
— Animae scutum inexpugnabile, paedagogus et gymnasium. *Num.* 1353.
Timor in sacra Scriptura Dei nomine nuncupatur. *Numero* 1353.
— In quocunque virtutis statu timendum. *Ibidem.*

Titulus

Titulus *Immaculatae Conceptionis* communiter a Doctoribus et Pontificibus acceptus, et approbatus. *Numero* 511.
Titulus *Immaculatae Conceptionis* carentiam omnis maculae pro omni differentia temporis importat. *Numero.* 518.

Trinitas

Trinitas aemula contentione B. Virginem adamat ac donis exornat. *Num.* 1786.
Trinitas tota ambit suum nomen imponere homini baptizando. *Num.* 1787.
Trinitas tota aemulatione quadam concurrit ad hominis formationem et ornatum. *Ibidem.*
Trinitas personarum non sine grandi mysterio supprimitur in hominis destructione. *Ibidem.*
Trinitas tota Beatam Virginem in primo sui conceptus instanti certatim exornat. *Num.* 1865.
Trinitas, in quam desiderant Angeli prospicere, desiderat Mariam Virginem intueri. *Num.* 1867.

V

Vasquius

Vasquius refellitur, dum negat Christo, et Mariae prudentiam naturalem *per accidens* infusam. *N.* 1230.

Ubera

Ubera Mariae universae Sanctorum multitudini pariantur. *Num.* 1764.

Ubere Mariano pasti ex infantili balbutie ad robustorum perfectionem transeunt quam citissime. *Num.* 33.

Vellus

Vellus Gedeonicum stemma nobilitatis Marianae, a quo dicti Equites *Del Tuson. Num.* 905.

Verbum

Verba Mariae, et gratiae significativa, et eiusdem operativa. *Num.* 1461 *et* 1544.

Verba Mariae effective instrumentaliter concurrerunt ad unionem hypostaticam. *Num.* 1543.

Verbum divinum per voluntatem a Matre nascitur. *Numero* 1802.

— Semel a Patre gignitur, bis a Maria. *Ibidem.*

Verbum, quod est terminus cognitionis Patris, est terminus uteri Mariani. *Num.* 1801.

Verbum divinum quoties de mendacio et errore triumphat, toties novis coronis redimitur. *Num.* 45.

Verbum divinum tunc fuit incarnatum, quando Maria expressit verbis consensum suum dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Numero* 1540.

Verbum divinum cum humana natura nubit, ideo Maria consensum per verba praebet Angelo. *Num.* 1590.

Verbum Dei pleno alveo in Mariam refunditur. *Numero* 795.

Verbum diaboli totam Evam pervasit et infecit. *Ibidem.*

Verbum divinum suam carissimam Parentem in suorum privilegiorum communionem adscivit. *Num.* 940.

Verbi Dei gladius et acuitur, ut caedat; et limatur, ut splendeat. *Num.* 1071.

Verbum divinum, quod candor est lucis aeternae, in splendoribus Sanctorum progignitur. *Ibidem.*

Verbum divinum de Mariano paradiso ludicis securos vultus deponit. *Num.* 1293.

Verbum divinum Mariam suspicit et reveretur. *Numero* 1849.

Verbum divinum, si carnem non assumeret, nec Maria existeret in rerum natura. *Num.* 1806.

Verecundia

Verecundia in Maria reliquarum virtutum vexillifera. *Num.* 1320.

Verecundia ac rubor honestas foeminas a petulantibus discriminat. *Num.* 1321.

Verecundia Mariae aequatur sacrificio incruento, et cruento Christi, et martyrio. *Ibidem.*

Verecundia veluti character, et nota Virginis Deiparae. *Num.* 1323.

Verecundiae exemplar admirabile in uxore Aeneae. *Numero* 1325.

— Aliud verecundiae facinus temerarium refertur. *Ibidem.*

— Eleonora quaedam tanquam verecundiae ac pudicitiae portentum proponitur. *Ibidem.*

Veritas

Veritas, et sapientia per novas recentiorum Doctorum sententias, ab ignorantia triumphat. *Num* 45.

Veritas quoties de mendacio et errore triumphat, toties novis sertis redimitur. *Ibidem.*

Veritas semper inconcussa, consuetudo errori obnoxia est. *Num.* 51.

Veritas eadem Caiphae, et Petro obiecta longe dispares effectus parit. *Num.* 56.

Veritates sicut poma paullatim in maturitatem componuntur. *Num.* 61 et 63.

Veritates plures, quae factum et historiam continent, solum a sede Apostolica fidei certitudinem hauserunt. *N.* 356.

Veritas tam naturalis, quam supernaturalis multiplicem gradum sortitur. *Num.* 418.

Virgo — Virginitas

Virgines illae vere fatuae, quae ad sponsi, non sponsae Mariae nomen et auxilium confugiunt. *Num.* 1379.

Virginitas Mariana sui corporis affectiones in spiritus indolem transmutavit. *Num.* 749.

Virginitas pluris habenda, quam totius orbis dominium. *Num.* 1423.

Virginitas posthabenda Maternitati Dei. *Ibidem.*

Virginitas theologica et rigorosa quas conditiones requirat. *Num.* 1438.

Virginitatem fuisse probrosam apud Hebraeos plures attestantur. *Num.* 1442.

Virginitatem non fuisse interdictam in Lege veteri, quinam asserant. *Num.* 1501.

Vir

Virum gravem et prudentem quomodo deceant Rhetorum ornamenta et lenocinia. *Num.* 1070.

Virum gravem et modestum non dedecet gressus accelerasse ad abolendum peccatum. *Num.* 1285.

Virtus

Virtutes in Maria concentum harmonicum omnibus suis numeris absolutum caeteris exhibebant. *Num.* 894.

Virtutes in B. Virgine in gradu heroico floruerunt. *Numero* 943.

Virtutes in Maria quasi sub regulari observantia militabant. *Num.* 1225.

Virtutes cardinales per quatuor mundi partes designantur. *Num.* 1226.

Virtutes inter se congrediuntur de primatu circa concursum ad generationem Christi. *Num.* 1804.

Vita

Vita illa dedecorosa ac prope belluina, quae sine aliquo scriptionis monumento ducitur. *Num.* 26.

Vita omnis clauditur in Maria. *Num.* 71.

Vita nostra ad nutum Mariae vel dilatatur, vel contrahitur. *Num.* 86.

Unctio extrema

Unctionis sacramentum non recepisse B. Virginem quinam censeant. *Num.* 1463.

Unctionis extremae quisnam sit effectus primarius. *Numero* 1463.

— Plures censent nullum esse praeceptum recipiendi hoc Sacramentum. *Ibidem.*

— Omittere receptionem huius Sacramenti ob socordiam, sive ob metum mortis, peccatum est. *Ibid.*

Unctionis extremae capax est qui nunquam actu peccaverit. *Num.* 1464.

Unicornium

Unicornium ad conspectum Virginis puellae cicuratur. *Num.* 1294.

Voluntas

Voluntas Beatae Virginis quoad actus inefficaces non semper fuit conformis divinae voluntati, bene tamen quoad actus efficaces. *Num.* 767.

Voluntas inefficax B. Virginis respiciebat finem bonum, quare *ut sic* conformis erat divinae voluntati. *Numero* 768.

Voluntas efficax B. Virginis semper opere completa fuit. *Num.* 769.

Voluntarium indirectum petit voluntatem causae determinatae. *Num.* 1736.

Uterus

Uterus Marianus est armamentarium, in quo Christus obarmatus mortem debellaturus aggreditur. *N.* 83 *et* 1660.

Uterus Marianus indolem uteri Patris aeterni ebibit, a quo instar solis, Verbum oritur. *Num.* 719.

Uterus Marianus eundem habet terminum, ac intellectus Patris aeterni. *Num.* 749.

Uterus Marianus spiritus dotes ambit, nempe sanctitatem, rationalitatem ac beatitudinem. *Num.* 750.

Uterus B. Virginis sicut acervus tritici, quia fide sua omnes fideles Christo peperit. *Num.* 1201.

Uterus B. Virginis, scyphus aureus plenus vino mixto, discordes unit. *Num.* 1357.

Uterus B. Virginis sanctus, quia denotat specialem Dei complacentiam. *Num.* 1625.

Uterus virgineus Mariae est velut echo Patris aeterni, et cur? *Num.* 1797.

Uxor

Uxorem ducere antiquitus idem erat, ac uxorem emere, vel mancipium sibi comparare. *Num.* 1788.

Z

Zacharias

Zacharias parens Baptistae fuit primus acerrimus defensor Marianae virginitatis. *Num.* 1416.

FINIS

ERRATA CORRIGE

Pag. 448, lin. 14, col. 2. Verum enimvero — 1782 Verum enimvero.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
HIERONYMUS AB ALEXANDRO
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Deputato
LEOPOLDUS RUGGIERO
a Secretis



233.8
V521

188

VEGA, Cristoval de

AUTHOR

Theologia Mariana, Vol. II

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Curran	
	STORAGE - CBPL	

188